




NAZIONALE
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
8
48 F
13
ROMA




OPERVM ROBERTI BELLARMINI EX SOCIET. IESV, S. R. E. CARDINALIS

TOMVS SEPTIMVS;

ID EST,

NOVENDECIM VARII ARGVMENTI OPVSCVLA, QVORVM TITVLOS ET ORDINEM VERSA pagina indicabit.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus Bernardi Gualtheri.
ANNO M. DC. XVII.

Cum Permissu Super. & priuil. Sac. Cæs. Maiest. ad decennium.



INDEX
OPVSCVLORVM, QVÆ TOMO HOC SEPTIMO CONTINENTVR.






PRÆFATIO AD LECTOREM.

ANTE annos circiter quadraginta, cum me ad Sacram Theologiam in Scholis explicandam compararem; in lectionem veterum Scriptorum non indiligenter incubui; tum vt eorum doctrinam haurirem, tum vt legitima, & vera eorum opera à falsis, & supposititijs separarem. Itaque scripsi libellum de Scriptoribus Ecclesiasticis, addita censura, qua notabam, quæ illorum opera essent certa, quæ dubia, quæ manifestè supposititia. Hic meus liber, me partim nesciente; partim etiam nolente, & prohibente, ad manus multorum deuenit. Quare ne fortè post obitum meum in lucem edatur imperfectus, & mutilus, vt solent eiusmodi libri frequenter emitti; eum in hac mea vltima ætate recognoui, expoliui, & auxi, atque in lucem dare constitui, vt vel communi vtilitati deseruiat, vel saltem inemendatus, & imperfectus neminem offendat. Propositum autem mihi in hoc opere fuit, non omnes omnino Scriptores in Catalogum redigere: sed eos tantum; qui de rebus Ecclesiasticis quoquo modo tractant. Itaque Scriptores Ethnici, & qui de rebus tantum profanis, aut etiam honestissimis quidem, sed politicis, & humanis agunt, quales sunt legum Ciuilium Tractatores, Philosophi, Medici, Oratores, Poëtæ, Historici, Mathematici, locum in hoc Catalogo nō habebunt. Ac ne omnes quidē Scriptores Ecclesiastici ad meum Catalogum pertinebunt, sed illi solum, quorum opera adhuc supersunt. Plurimi enim sunt Scriptores optimi, quorum opera perierunt. Quos auctores poterit lector apud sanctum Hieronymū, Eusebium, Gennadium, sanctū Isidorum, Photium, Honorium, Sigebertum, ac Trithemium facilè reperire. Denique non omnes Scriptores Ecclesiastici, quorum libri extant, in Catalogo meo ponentur: sed ij tantum, qui ab anno millesimo quingentesimo ante Christi aduentum, vsq; ad annum Christi millesimum quingentesimum, id est, à Mose primo Scriptore Ecclesiastico vsque ad nostrum seculum, sapientiæ Ecclesiasticæ laude floruerunt. Omisi enim Scriptores nostri seculi, non quod nulli, aut pauci, aut obscuri sint; sed quod penè innumerabiles sint, & satis noti hominibus doctis; & quod nulli sint libri, quod sciam, illis falsò suppositi: ob quorum discretionem à legitimis, & germanis hūc

laborem

laborem præcipuè ego suscepi. Si quis tamen cupiat hos etiam auctores cognoscere, habet Antonium Posseuinum nostrum, qui in suo apparatu Sacro tribus tomis distincto, Scriptores penè omnes, veteres, & recentiores, per alphabeti ordinem enumerauit. Quia verò in hoc Catalogo solius temporis rationem habui, & miscui Theologos cum Iuris Canonici peritis; & Historicos Ecclesiasticos cum Oratoribus, & Poetis sacris: propterea ad maiorem lectorum commoditatem subieci Indices decem, præter Indicem Alphabeticum, qui ad initium operis ponitur. In primo Indice erunt Explanatores sacræ Scripturæ. In secundo ij, qui scribunt aduersus Hæreses. In tertio Doctores Scholastici. In quarto sacrorum Canonum collectores, vel expositores. In quinto, qui Casus conscientiæ tractant. In sexto Oratores Christiani. In septimo Poetæ, qui res sacras canũt. In octauo Historici Ecclesiastici. In nono Chronologi item Ecclesiastici. In decimo, qui pios libellos ad alendam animi deuotionẽ scribunt. Adieci quoque ad finem operis breuem Chronologiam ab orbe condito vsque ad nostra tempora, vt omnes intelligant, quid secutus sim, cùm sua tempora Prophetis, atq; alijs Scriptoribus assignaui. Illud postremo admonendum esse censui, me in hoc Catalogo non posuisse Pontifices Romanos, qui solas epistolas ediderunt, nisi quando probabile fuit, eas epistolas ab ipsis vel dictatas fuisse, vel scriptas. Siquidem epistolæ Pontificiæ, vt plurimùm, nõ partus sunt ingenij Pontificum, sed eorum, qui ab epistolis illis sunt. Certè sanctus Hieronymus in epistola ad Geruntiam de Monogamia, testatur se iuuisse Damasum Pontificem in chartis Ecclesiasticis; & orientis, atq; occidentis Synodicis consultationibus respondisse. Ex quo intelligimus, epistolas illas partum ingenij Hieronymi fuisse, non Damasi. S. quoque Gregorius auctor est insignis epistolæ, quæ sub nomine Pelagij secundi Pontificis habetur post quintam Synodum generalem. Erat enim tunc sanctus Gregorius Pelagij Papæ Diaconus, eumque iuuabat in chartis Ecclesiasticis, vt Hieronymus Damasum. Constat etiam epistolam Alexandri tertij Pontificis ad Soldanum Iconij, non ab Alexandro, sed à Petro Blesensi fuisse compositam. Quod idem de multis alijs affirmare possumus.



INDEX SCRIPTORVM Alphabeticus.

S. Gre-

Sunt omnes scriptores quingenti.

FINIS.



DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS TESTAMENTI VETERIS.

De Mose. 2483.



Moses Propheta sanctissimus, & vetustissimus, & primus inter Scriptores Ecclesiasticos, natus est, secundum meum computum, anno bis millesimo quadringentesimo tertio ab initio Mundi. Vixit annis centum viginti. Anno octogesimo vitæ suæ suscepit iussu Dei Principatum Hebræorum, id est, anno mundi 2483. obijt anno mundi 2523. Scripsit Pentateuchum, id est, quinque volumina, quorum nomina ab Hebræis sumuntur à primis verbis librorum.

Itaque primum vocant beresit, id est, In principio.

Secundum, ve elle semot, id est, Hæc sunt nomina.

Tertium, vaicra, id est, Vocauit autem.

Quartum, vaiedabber, id est, Locutusque est.

Quintum, elle addebarim, id est, Hæc sunt verba.

Græci, & Latini denominant hos libros à materia, de qua agitur in principio libri, & quidem primum librum vocant Genesim, quia initio scribitur generatio cæli, & terræ, & reliquarum rerum creatarum.

Exodum vocant librum secundum, quia initio describitur egressio filiorum Israel de AEgypto. Exodus enim egressum significat.

Tertium vocant Leuiticum, quoniam in eo describitur officium Leuitarum circa tabernaculum, sacrificia, & alia id genus.

Quartum vocant Numeros, quoniam initio libri numeratur multitudo filiorum Israel per tribus, & familias suas.

Quintum vocant Deuteronomium, quasi secundam legem, quoniam in eo repetitur, & explanatur lex Domini data in Monte Sina.

Ex his libris intelligi potest, Mosem fuisse virum doctissimum, non solum in omni sapientia AEgyptiorum, vt dicitur à sancto Stephano Act. 7. sed etiam in arte Historica, Poëtica, Oratoria, Morali, & Theologica. Scribit enim Historiam, Genealogias, & res gestas Patriarcharum ab orbe condito vsque ad exitum filiorum Israel de AEgypto, id est, ab initio temporum vsque ad annum bis millesimum quadringentesimum octogesimum tertium, imo etiam vsque ad obitum suum, id est, vsque ad annum bis millesimum quingentesimum vicesimum tertium. Quæ autem post mortem ipsius Mosis scribuntur in extremo capite Deuteronomij, addita sunt, vel à Iosue, vel ab Esdra, vel ab alio aliquo Propheta.

Quod etiam Poëta insignis fuerit Moses, testantur duo cantica ipsius, alterum Exod. 15. alterum Deuteronom. 32. De arte ipsius Oratoria testatur Oratio, quam scribit sub nomine Iudæ ad Ioseph. Genes. 44. & alia ipsius Mosis ad Deum. Numer. 14. & exhortationes, vel reprehensiones ad populum. De scientia Morali, & peritia legum condendarum, non tam proprio ingenio, quàm inspiratione diuina, testis est magna pars Exodi, Leuitici, & Deuteronomij. Denique de mysterijs Theologiæ, sub figura Arcæ fœderis, & vestium sacerdotalium, & totius tabernaculi, testis Philo Hebræus, qui has allegorias subtilissimè explanauit.

Scripserunt vitam Mosis Philo ex Iudæis, & Gregorius Nyssenus ex Christianis. Tribuuntur Mosi psalmi vndecim à sancto Hieronymo, & alijs: sed probabiliorem existimaui sententiam sancti Augustini, & aliorum, qui totum psalterium Dauidis esse volunt. De qua re scripsi in præfatione Psalmorum.

De Iob.

IOb, ad miraculum vsque sanctus, & doctus, ante Mosem vixit. Nam ex sententia Græcorum, & multorum Latinorum, fuit tertius ab Esau, & quintus ab Abraham. Moses autem fuit quartus à Iacob, & sextus ab Abraham. Sed ex sententia Hebræorum, & sancti Hieronymi in quæstionibus Hebraicis, Iob non descendit ab Esau, sed à Nachor fratre Abrahæ; & fuit tertius à Nachor fratre Abrahæ, ac per hoc multo antiquior Mose. Quod etiam ex ætate colligitur. Iob enim vixit centum quadraginta annis post plagas, vt dicitur in fine libri, & antea vixerat multos annos, cùm septem filios, & tres filias genuisset. Quare non male sanctus Isidorus in libro de vita & morte Patrum cap. vigesimo quarto scribit, Iob vixisse ducentos quadraginta octo annos, ad quam ætatem Mosis tempore nemo perueniebat. Mihi sententia sancti

Hieronymi semper visa est probabilior, tum propter distantiam ætatis, vt diximus: tum quia pronepos ille Esau, non dicitur Iob, sed Iobab, vt notum est ex Genesis cap. trigesimosexto, quo nomine nunquam vocatur Iob, neque in libro Iob, neque apud Ezechielem cap. decimoquarto, neque Tobiæ primo, neque Iacobi quinto, in quibus solis locis fit mentio sancti Iob. Ac vt magis appareat differentia: sciendum, sanctum Iob, ita scribi Hebraicè איוב pronepotem autem Esau, ita scribi יובב, vbi differentia est in ipsis radicalibus literis. Quod autem aliqui respondent, literam aleph, aliquando excidere, & nomina sæpe contrahi; non magni momenti est. Nam literæ radicales non solent excidere: & si, Iob, esset nomen contractum, aliquando legeretur integrum in libro, vbi passim nominatur: nusquam autem legitur, nisi Iob.

At contra obijcitur argumentum ex editione 70. Interpretum. Habetur enim in ea editione appendix ad finem libri Iob, in qua dicitur, Iobum fuisse de filijs Esau, & quintum ab Abraham. Sed ea appendix non videtur de textu 70. sed ab aliquo addita: alioqui non ita liberè à sancto Hieronymo reijceretur. Sed quicquid de hoc sit, auctorem libri Iob sanctus Isidorus lib. 6. Originum cap. 2. scribit fuisse Mosem, aut ipsum Iob, aut alium ex Prophetis. Et quidem non pauci contendunt, auctorem libri fuisse Iob, sed non pauciores volunt fuisse Mosem.

Mihi vtraque sententia videtur vera, si ita dicamus, ab ipso Iob fuisse annotatas res eius gestas lingua Arabica: sed à Mose fuisse postea ex volumine Iob compositum librum, quem nunc habemus, lingua Hebraica, addito principio, & fine, id est, additis illis verbis, Vir erat in terra Hus, nomine Iob, simplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo; & ad finem addita morte ipsius.

Quod autem liber, qui nunc extat, sit Mosis potius, quam Iob; ideo mihi persuadeo, quia & Hebræi doctores ita sentiunt, & rationes non contemnendæ pro hac sententia possunt adferri.

Primum enim si Iob esset auctor libri, qui nunc extat, primus scriptor sacer esset Iob, non Moses. Iam enim ex ætate ostendimus, & ex ipsa scriptura, Iobum fuisse antiquiorem Mose. At communi consensu, Moses est primus scriptor Ecclesiasticus.

Deinde si Iob esset auctor libri huius, non esset hic liber in canonem scripturarum ab Hebræis admissus. Iob enim non fuit de filijs Israel, sed Idumæus, vel Arabs; Idumæi autem, & Arabes pro hostibus habebantur ab Hebræis.

Præterea liber Iob Hebraicè scriptus est, non Syriacè, vel Arabicè, quamuis aliqua vocabula Arabica in eo legantur, præsertim quando introducuntur loquentes amici Iob: at Iob, non Hebraicè scripsit, si quid scripsit, sed lingua sua. Quod si non est Iob auctor libri huius, nulli melius tribui potest hoc opus, quàm Mosi, qui fuit temporibus Iobi. Quod enim quidam dicunt, auctorem

A huius libri esse Salomonem, ex auctoritate sancti Gregorij Nazianzeni Oratione ad Iulianum exactorem seu verius, exæquatorem tributorum: non magnifaciendum est; nam sanctus Gregorius non dicit, Salomonem esse auctorem libri Iob, sed solum citat sub nomine Salomonis quædam verba, quæ habentur apud Iob cap. 3. Sed facile fuit, vt sanctus Gregorius ex lapsu memoriæ verba vnius auctoris tribuerit alteri: præsertim cùm eo loco verbis, quæ sunt apud Iob, adiunxerit etiam alia, quæ non sunt apud Iob.

De Iosue. 2523.

IOsue filius Nun, successor Mosis fuit in principatu Hebræorum anno mundi 2523. qui populum post obitum Mosis rexit an-
B nis viginti sex, & obijt anno centesimo decimo vitæ suæ, vt habetur in vltimo capite Iosue. Quis auctor fuerit libri Iosue, non est omnino certum. Nam sanctus Athanasius in Synopsi rectè monet ex nomine libri non necessario colligi auctorem, sed materiam. Dicitur enim liber Iosue, quia continet res gestas Iosue: & eodem modo dicuntur libri alij, vel Iudicum, vel Ruth, vel Regum, vel Tobiæ, aut Iudith, aut Esther, aut Machabæorum. Theodoretus in libro de quæstionibus in Iosue, existimat, librum Iosue scriptum ab auctore anonymo, qui scripsit librum iustorum, de quo dicitur Iosue 10. Nónne scriptum est hoc in libro iustorum? Sed hoc argumentum nihil efficit. Nam non agitur eo loco, nisi de ingenti illo pro-
C digio, quo ad verbum Iosue Sol, & Luna steterunt. Hoc enim prodigium cum alijs similibus videtur annotatum fuisse in aliquo libro, qui dicebatur liber iustorum.

Sanctus Isidorus libro sexto Originum cap. secundo affirmat, librum Iosue scriptum fuisse ab ipso Iosue. Et hoc verissimum nobis esse videtur, tum quia in extremo capite huius libri dicitur de Iosue, scripsit omnia verba hæc in volumine legis Domini: tum quia omnino credibile est, Iosue ministrum, discipulum, & successorem Mosis, imitari voluisse Dominum, & Magistrum, & prædecessorem suum: vt sicut ille ad æternam memoriam literis mandauerat res gestas in populo Dei vsque ad sua tempora; ita &
D ipse faceret, cùm ei nec scientia, nec assistentia Spiritus sancti in scribendis sacris historijs deesset. Porro pauca, quæ adduntur in fine libri de morte ipsius, & sepultura, sine dubio scripta sunt à successoribus, quicunque illi fuerint, & verisimile est à Samuele, vel Esdra.

De Samuele Propheta. 2878.

SAmuel Propheta fuit vltimus Iudex & Princeps populi, antequam Reges creari cœpissent. Suscepit autem Principatum anno mundi 2878. præfuit annis 26. Hunc fuisse auctorem libri Iudicum, & Ruth, & libri primi Regum, docet sanctus Isidorus libro sexto Originum cap. secundo, & quod attinet ad librum primum Regum, in quo continentur res gestæ Dauidis, testatur liber

primus

primus Paralip. cap. vlt. cum ſcriptum fuiſſe à Samuele.

Dicitur etiam lib. 1. Reg. cap. 10. à Samuele fuiſſe ſcriptam legem Regni: ſed hæc non videtur extare.

De Dauide. 2919.

DAuid Rex & Propheta regnare cœpit anno mundi 2919. & regnauit annis 40. vt ſcribitur lib. 3. Regum cap. 2. ſcripſit librum Pſalmorum centum quinquaginta. Sic enim docent Chryſoſtomus, Theodoretus, Caſsiodorus, Euthymius, & alij præfatione in Pſalmos, & ſanctus Auguſtinus libro 17. de Ciuitate Dei cap. 14. quamuis autem ſanctus Hilarius præfatione in pſalmos, & ſanctus Hieronymus in epiſtola ad Cyprianum, velint pſalmos eſſe compoſitos ab auctoribus, qui nominantur in titulis, vt à Moſe, Salomone, Aſaph, Chore, Idithum: tamen probabiliorem exiſtimamus ſententiam priorem. De qua re diſſeruimus præfatione in explanationem pſalmorum. Extat quidem pſalmus quidam breuis extra numerum centum quinquaginta pſalmorum; ſed eum apocryphum exiſtimamus, quia Concilium Laodicenum cap. vltimo, & Tridentinum ſeſs. 4. non ponunt in canonem ſcripturarum niſi pſalmos 150.

Porrò Dauid non ſolum Propheta eximius fuit, ſed etiam poëta venuſtiſsimus, & doctiſsimus: & ſcientiam habuit hiſtoriæ ſacræ, legum diuinarum, moralis, & naturalis philoſophiæ. Quæ omnia in pſalmis mirificè apparent.

De Gad, & Nathan. 2959.

GAd, & Nathan Prophetæ proſecuti ſunt res geſtas Dauidis, quæ habentur in libro primo, & ſecundo Regum, & initio tertij, ab eo loco, vbi deſijt Samuel. Sic enim ſcribitur lib. 1. Paralipom. cap. vltimo, Geſta Regis Dauid priora, & nouiſsima ſcripta ſunt in libro Samuel videntis, & in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad videntis. AEtas horum duorum Prophetarum neceſſario debet poni poſt obitum Dauidis; qui obitus contigit anno mundi 2959.

De Salomone Rege ſapientiſsimo. 2959.

SAlomon Rex, Dauidis Regis filius regnare cœpit anno mundi 2959. & regnauit annis 40. vt ſcribitur Regum lib. 3. cap. 11. ſcripſit ſine vlla controuerſia libros tres, Prouerbia, Eccleſiaſtem, & Cantica canticorum. De libro Sapientiæ nonnulla quæſtio eſt. Nam non habetur in Codicibus Hebraicis, ſed ſolum in Græcis, & Philoni adſcribitur Iudæo, teſte ſancto Hieronymo præfatione in Prouerbia Salomonis. Sed tamen à veteribus Patribus communi conſenſu hic liber tribuitur Salomoni, vt notum eſt ex Euſebio lib. 4. hiſtor. cap. 22. Tertulliano de præſcriptione, Cypriano de mortalitate, Hilario in pſalm. 127. Ambroſio ſermone 8. in pſalm. 118. Baſilio lib. 5. in Eunomium, Epiphanio hæreſi Anomæorum, & Auguſtino tractat. in pſalm. 63. & ipſe auctor libri Sapientiæ cap. 9. teſtatur, ſe fuiſſe Regem in Iſrael, & ſibi à Domino imperatum, vt templum ædificaret: quæ in Salomonem propriè conueniunt. Sed hæc diſcordia facile conciliabitur, ſi dicamus, ſententias huius libri eſſe Salomonis, ſed collectas in vnum volumen, & Græcis verbis expreſſas à Philone, non illo, qui tempore Caij Imp. floruit, ſed alio antiquiore. Ioſephus lib. 8. antiquitatum cap. 2. refert à Salomone ſcriptos fuiſſe libros Odarum, & carminum quinque ſupra mille: & parabolarum libros ter mille. Item ſcriptas ab eo fuiſſe incantationes, quibus morbi curantur, & dæmones pelluntur. Quæ videntur parum veriſimilia; ſed ſiue ſint vera, ſiue falſa, certum eſt ea hoc tempore non extare. & fortaſſe ex verbis Ioſephi, occaſionem acceperunt aliqui perditi homines tribuendi Salomoni librum pernicioſiſsimum, qui inſcribitur clauicula Salomonis. Sanctus Athanaſius in fine Sinopſis commemorat inter apocrypha pſalmos, & cantica Salomonis. Et ad hunc diem inueniuntur, in Bibliotheca Vaticana pſalmi, & Odæ Salomonis; ſed an ſint illa, quorum meminit ſanctus Athanaſius, incertum eſt.

De Abia, & Addo. 3000.

AHias, & Addo ſcripſerunt res geſtas Salomonis, vt habetur in ſecundo libro Paralipomenon cap. 9. ſiue ſint eæ, quæ narrantur in tertio libro Regum, ſiue res aliæ. Quis autem ſcripſerit reliqua, quæ habentur in libro tertio Regum poſt cap. vndecimum, & in toto quarto, & in duobus libris Paralipomenon, non eſt omnino certum: ſed credibile eſt ſcripta fuiſſe à Sacerdotibus, & Prophetis illorum temporum.

De Oſea. 3170.

PRophetæ tam maiores, quàm minores floruerunt poſt diuiſionem Regni, quæ facta eſt poſt obitum Salomonis. Quo etiam tempore vixerunt auctores librorum Tobiæ, Iudith, & Eſther. Sed vt eos ordine diſponamus, ſtatuendum eſſe videtur vt certum, Prophetas minores eo propheraſſe ordine, quo in biblijs Hebraicis, & Latinis collocantur; quamuis in Græcis ſit aliqua diuerſitas, & de Abdia, & Habachuc ſit non exigua difficultas. Ratio huius fundamenti eſt, quia videmus, Prophetas maiores ſine vlla controuerſia ſuo ordine collocatos, vt Iſaias præceſſerit Hieremiam, & Hieremias Ezechielem, & Ezechiel Danielem. Item quia magna pars Prophetarum minorum ſine vllo dubio ita collocati ſunt, vt Oſeas Ioelem præcedat, & in fine Aggæus Zachariam, & Zacharias Malachiam. proinde colligi poteſt, omnes eſſe ſuo ordine diſpoſitos: neque excogitari poteſt vlla ratio, cur prior tempore debuerit poſteriori poſtponi: niſi cum claſsis (vt ſic loquar) variatur. Maiores enim Prophetæ ſuam claſſem faciunt, & minores quoque ſuam. Sed nos ex vtriſque vnam claſſem faciemus, vt ſecundum ordinem temporis omnes collocemus.

Primus omnium tam maiorum, quàm minorum fuit Oſeas, qui prophetauit, vt ipſe teſtatur, in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz,

& Ezechiæ Regum Iuda, & in diebus Hieroboam filij Ioas Regis Israel. Annus autem quo regnare cœpit Ozias in Hierusalem, fuit vicesimus septimus, quo regnauit Hieroboam in Samaria, videlicet ter millesimus centesimus septuagesimus. Fuit autem Oseas de tribu Isachar, vt Epiphanius testatur: & iussu Domini accepit vxorem fornicariam, vt significaretur fornicatio populi, per Idololatriam à Deo: & propter hoc peccatum prædicit captiuitatem decem tribuum; & deinde captiuitatem etiam duarum aliarum tribuum, quæ facta est per Nabuchodonosor.

De Ioel. 3170.

GRæci post Oseam ponunt Amos: sed Hebraici, & Latini codices ponunt Ioel. Sed non est res magni momenti, quia fuerunt omnes isti tres Prophetæ Sinchroni, id est, contemporanei, vt sanctus Hieronymus loquitur initio explicationis Oseæ. & quia Ioel non designat tempus, quo prophetauerit, intelligitur prophetasse sub eisdem Regibus, vt scribunt sanctus Hieronymus in caput primum Ioelis, & sanctus Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 27. & Theodoretus in prologo super duodecim Prophetas.

Porro Ioel prædicit duabus tribubus, quibus propriè propheta datus erat à Deo, Babylonicam captiuitatem, easque ad pœnitentiam hortatur; & in extremo vaticinio prædicit aduentum Mesiæ, & Spiritus sancti per eum mittendi, & vltimi Iudicij diem. Obijt in pace.

De Amos. 3170.

AMos prophetauit eodem tempore. Nam initio dicit se visionem suam vidisse in diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Hieroboam filij Ioas.

Prædixit ipse quoque captiuitatem, & alia grauia flagella; & grauisime in scelera inuectus à filio Amasiæ sacerdotis fuste inter tempora percussus interijt, vt Epiphanius testatur in libro de vita, & morte Prophetarum.

De Isaia. 3190.

POst Amos sequitur proxime Isaias, primus ex maioribus. Quamuis enim tam Osee, quàm Isaias initio dicant, se prophetasse in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ: tamen Eusebius in Chronico, & sanctus Hieronymus in primum caput Oseæ, scribunt Oseam fuisse primum, & Isaiam secundum in scribenda prophetia. Et videtur hoc posse confirmari, tum ex illis verbis Oseæ, Principium loquendi Domino in Oseæ; quo significari videtur, inter multos, qui eodem ferè tempore prophetauerunt, primum fuisse Oseam; tum ex eo quod Oseas addit, se visionem vidisse, non solum in diebus Oziæ, sed etiam in diebus Hieroboam: vt videlicet significaret, se visionem vidisse, & prophetasse ad initium Regni Oziæ, quod concurrit cum fine Regni Hieroboam: Isaias autem non meminit Hieroboam, quia non prophetauit in diebus eius, ac per hoc non prophetauit ad initium Regni Oziæ, sed postea. ex qua ratione sequitur, Isaiam debere collocari post Ioelem, & Amos, qui fuerunt contemporanei Oziæ: & Amos dicit, se prophetasse in diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Hieroboam filij Ioas.

Isaias igitur vnus est & primus ex maioribus prophetis, scripsit librum magnum, imo etiam maiorem, quam vllus alius propheta, & scripsit ante omnes alios Prophetas maiores.

Dicuntur enim prophetæ maiores, qui singuli suos scripserunt libros integros; minores autem dicuntur illi, quorum prophetiæ omnes simul vnico libro apud Hebræos continentur. Fuit vir nobilis ex tribu Iuda, & facundissimus, vt ex eius volumine, quiuis intelligere potest. Scripsit autem de aduentu Christi, de natiuitate eius ex Virgine, de vita, de prædicatione, de Regno, de miraculis, de passione, de sepultura, de alijs eius mysterijs, vt Euangelista potius, quam propheta fuisse videatur. Scripsit etiam de vocatione gentium, & de gloria Ecclesiæ plane admirabiliter. Obijt sub Manasse Rege filio perditissimo Ezechiæ Regis optimi; iussu eiusdem Manassæ sectus in duas partes crudelissimo supplicio, vt Epiphanius testatur in libro de vita, & morte Prophetarum. Sed Deus, eodem auctore Epiphanio, sepulchrum eius gloriosum miraculis reddidit.

De Abdia. 3195.

ABdias ab Eusebio in Chronico ponitur temporibus Achab Regis Israel, ac per hoc longe ante Oseam, & Isaiam, & Ioel, & Amos. Idem videntur sensisse sanctus Hieronymus, & sanctus Epiphanius. Abdias enim à sancto Hieronymo in commentario creditur esse ille dispensator domus Achab Regis, qui abscondit centum Prophetas, eosque pauit, quo tempore Iezabel vxor Achabi Prophetas Domini persequebatur. de qua re loquitur scriptura libro tertio Regum cap. 18. sed Epiphanius hunc eundem Abdiam Prophetam existimat esse illum quinquagenarium Principem, cui pepercit Elias, ne ab igne de cælo misso absumeretur. De qua historia scriptura loquitur libro 4. Regum cap. 1. Neque dissentit Epiphanius à Hieronymo, quia potest fieri, vt ille, qui erat dispensator in domo Achab, postea factus sit Dux militiæ in domo Ochoziæ filij Achab. Sed maxima difficultas est, quia idem sanctus Hieronymus in primum cap. Oseæ scribit, Abdiam fuisse contemporaneum Oseæ, Ioelis, & Amos, & quartum locum habere inter Prophetas minores: & non potest fieri, vt ille Abdias, qui vixit tempore Achab peruenerit ad tempora Oziæ, & Ezechiæ, in quibus temporibus prophetarunt Osee, Ioel, & Amos. Achab enim antiquior fuit Ozia, plus centum quinquaginta annis.

Contra autem videtur Abdias posterior fuisse non solum Osea, Ioele, & Amos, sed

etiam

etiam Michæa, & Iona, & alijs multis. Nam in prophetia sua meminit belli Chaldæorum contra Hierusalem, & captiuitatis eiusdem Vrbis tamquam iam peractæ, & præteritæ, vt videatur collocandus post Hieremiam.

Mihi tamen placet sententia sancti Hieronymi, qui (vt paulo ante dixi) facit Abdiam æqualem Oseæ, Ioeli, & Amos. Quod autem alibi dixit prophetam Abdiam fuisse dispensatorem domus Achab, non ex mente sua, sed ex traditione quadam Iudaica dixisse videtur, quæ traditio non alio fundamento nititur, nisi similitudine nominis, quasi non potuerint esse plures Abdiæ.

Quod autem hic Propheta meminerit captiuitatis Babylonicæ, non cogit, vt sentiamus, illum prophetasse post captiuitatem: nam more Prophetarum loquitur de captiuitate illa futura per verbum præteriti temporis.

Igitur Abdias prophetauit contra Idumæos, & non solum prædixit exitium eorum, sed etiam causam exitij, quia videlicet tempore captiuitatis Babylonicæ futuri essent Idumæi socij Chaldæorum contra filios Israel.

Obijt hic Propheta in pace, Epiphanio auctore loco citato.

De Iona. 3195.

IOnas Propheta eodem tempore prophetauit, quo superiores Prophetæ, vt scribunt sanctus Hieronymus in prologo Ionæ, Eusebius in Chronico, & lib. 10. de præparatione Euangelica cap. vltimo, & sanctus Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 27. Prophetauit autem Ionas contra Niniuitas, & exitium illis prædixit. Et quamuis agentibus illis pœnitentiam Deus pepercerit: tamen postea reuersis ad iniquitatem Deus exitium illis immisit, quod Ionas prædixit, vt habemus in libro Tobiæ cap. 12.

Sanctus Hieronymus in prologo Ionæ refert verba Tobiæ, quibus expresse dicitur, euertendam Niniuem, vt prædixit Ionas. Sed in nostro libro Tobiæ cap. 12. non habetur nomen Ionæ, sed solum, Prope erit interitus Niniue, non enim excidit verbum Domini.

Hunc Ionam scribit Epiphanius in libro de vita, & morte Prophetarum, esse puerum illum, quem suscitauit Elias ad preces Viduæ Sareptanæ. Quod idem ex traditione Hebræorum refert sanctus Hieronymus in prologo Ionæ. Quo fundamento nitatur hæc traditio, non scio, certe tempora parum cohærent.

De Michæa. 3223.

MIchæas prophetauit paulo post supradictos. Scribit enim initio prophetiæ suæ, se prophetasse in diebus Ioatham, Achaz, & Ezechiæ; & omittit Oziam, quem Oseas, Isaias, & Amos posuerunt. Proinde prophetauit initio Regni Ioatham, id est, anno mundi 3223. prædicit hic Propheta captiuitatem primam decem tribuum, & secundam duarum tribuum: prædicit aduentum Christi, & natiuitatem in Bethlehem,

A & conuersionem gentium ad Ecclesiam Dei.

De Nahum. 3264.

NAhum Elcesæus prophetauit post abductas decem tribus in captiuitatem à Salmanasar Rege Assyriorum, vt testantur sanctus Hieronymus, Theodoretus, & Theophilactus, in præfatione in Nahum; ijdem volunt eum prophetasse tempore Ezechiæ: illo enim anno decem tribus in captiuitatem ductas esse constat ex libro quarto Regum cap. decimooctauo. Itaque tempus prophetiæ Nahum incidit in annum mundi 3264.

Prædicit hic Propheta exitium Regis Assyriorum, & vastationem Niniue per Chaldæos. Et Iudæis prædicit, non præualiturum Regem Assyriorum contra Hierusalem, sicut
B præualuerat contra Samariam. Obijt in pace, teste sancto Epiphanio in lib. de vita, & morte Prophetarum.

De Habachuc. 3283.

HAbachuc prophetauit ante captiuitatem duarum tribuum, vt docet Epiphanius in libro de vita, & morte prophetarum; & in Chronico Hebræorum, quod seder olam vocant, dicitur Habachuc prophetasse sub Rege Manasse filio Ezechiæ, id est, post captiuitatem decem tribuum, sed ante captiuitatem duarum tribuum. Manasses autem regnare cœpit anno mundi ter millesimo, ducentesimo, octogesimo tertio.

Multi tamen graues auctores volunt, Habachuc prophetasse post captiuitatem Baby-
C lonicam, vt sanctus Hieronymus in prologo ad hunc Prophetam, Theodoretus, & alij. Ducuntur hi auctores illo argumento, quod Habachuc Propheta, Angelo eum rapiente, & deferente, attulerit prandium Danieli in lacu Leonum constituto; ac per hoc vixerit tempore Danielis, & ad initium Imperij Cyri Regis Persarum. Sed nos priori sententiæ adhæremus, quoniam ipse Habachuc disertis, & multis verbis prædicit aduentum Regis Babyloniæ ad capiendos Iudæos. Non est autem moris Prophetarum loqui de rebus præteritis per verba temporis futuri: sed è contrario prædicere futura per verba temporis præteriti. Annuntiare enim præterita, tamquam si essent
D futura, vnusquisque potest sine spiritu prophetiæ. Ad argumentum autem de allatione prandij ad Danielem, facile responderi potest, non esse eundem Habachuc Prophetam, vnum ex minoribus, & Habachuc Prophetam, qui tulit prandium Danieli: sicut non est idem Michæas Propheta, qui vixit tempore Achab Regis Samariæ cum Michæa Propheta, qui vnus est ex duodecim Prophetis minoribus.

Ergo Habachuc de tribu Simeon prædicit aduentum Chaldæorum, & Babylonicam captiuitatem. Prædicit etiam vastationem eorundem Chaldæorum, quæ facta est per Medos, & Persas. Et tandem prædicit aduentum Christi, passionem, resurrectionem, & secundum aduentum in gloria.

De Sophonia. 3340.

SOphonias prophetauit, vt ipse testatur in diebus Iosiæ Regis: & quia non designat Sophonias annum Regni Iosiæ, vt facit Hieremias, intelligendum est Sophoniam prophetasse ad initium Regni Iosiæ, id est, anno mundi ter millesimo, trecentesimo, quadragesimo. Hoc enim anno cœpit regnare Iosias. Porro hic propheta concionatur contra peccata, & hortatur ad pœnitentiam, & prædicit excidium Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, AEthiopum, & aliarum gentium. Prædicit etiam conuersionem gentium, & ruinam Idololatriæ. Denique prædicit Christi resurrectionem, Iudæorum excæcationem, & exitium vltimum, & Ecclesiæ gloriam, & felicitatem.

De Hieremia. 3337.

HIeremias Propheta secundus ex maioribus prophetare cœpit anno tertiodecimo Regni Iosiæ, id est, anno 3337. ab orbe condito, vt ipse initio libri sui testatur, & prophetauit vsque ad annum vndecimum Sedeciæ Regis, qui fuit vltimus Rex Hierusalem: & tunc completa fuit captiuitas Babylonica. Fuit autem Hieremias ex tribu Sacerdotali, vir mitissimus, & sanctissimus, & post multos labores, & angustias lapidibus obrutus ab ingrato populo, vitam cum morte commutauit. Vide Epiphanium de vita, & morte Prophetarum.

Scripsit autem, vel dictauit insigne volumen, in quo populum, & Principes eius ad pœnitentiam multis sermonibus hortatus est. Prædixit imminentem ruinam Hierusalem, & templi Domini, & totius Regni. Prædixit multa de Christi aduentu, de testamento nouo, deque alijs Christianis mysterijs apertissime.

Addidit Hieremias ad finem libri sui threnos, id est, lamentationes, carmine scriptas, ordine alphabetico, quibus deplorat ærumnas gentis suæ corporales, & spirituales.

Addidit denique epistolam ad populum captiuum in Babylone, qua hortatur illos, vt in fide veri Dei persistant, & ab Idolorum cultu se abstineant; quam epistolam posuit Baruch in extremo libro suo.

De Baruch. 3366.

BAruch minister, & amanuensis Hieremiæ, præter ea, quæ scripsit Hieremia dictante, vt colligitur, ex cap. trigesimosexto Hieremiæ, scripsit proprium volumen quinque capitibus comprehensum; nam sextum est epistola Hieremiæ. Prophetauit autem Baruch tempore Iechoniæ Regis, vt ipse testatur initio sui voluminis. Regnauit verò Iechonias anno mundi 3366. & solis tribus mensibus regnauit. Proinde hoc ipso anno Baruch prophetauit, & prædixit apertissime Dei Incarnationem, & apparitionem in carne humana. Et quamuis hic liber non inueniatur in Hebraicis codicibus, & excidisse, & perijsse credatur; tamen citatur passim à Patribus sub nomine Hieremiæ, & à sancto Cypriano lib. 2. contra Iudæos cap. 5. &

A à sancto Cyrillo libro 10. in Iulianum citatur sub nomine Baruch.

Vide si placet, defensionem huius libri Canonici in nostris Controuersijs lib. 1. de verbo Dei.

De Ezechiele. 3371.

EZechiel tertius ex maioribus prophetare cœpit (vt ipse testatur cap. 1.) anno quinto transmigrationis Iechoniæ Regis, qui fuit annus mundi ter millesimus trecentesimus septuagesimus primus. fuit ipse quoque de genere Sacerdotali, vir optimus, & sanctissimus, & prædicabat concaptiuis suis, eosque ad virtutem hortabatur, sed mercedis loco ab ipso Principe populi sui obtruncatus occubuit. Prædixit reuersionem populi ad propria loca, & de aduentu Domini, & B Baptismo, alijsque Christi mysterijs, multa, sed obscure, maxime de structura templi vaticinatus est.

De Daniele. 3398.

DAniel quartus ex prophetis maioribus, abductus est in captiuitatem adhuc puer, & perseuerauit in captiuitate vsque ad Cyrum Regem Persarum, id est, vsque ad finem captiuitatis. Cœpit autem prophetare anno secundo Nabuchodonosor Regis (vt ipse testatur cap. 2.) sed annus ille secundus non intelligitur ab initio regni, sed ab initio Monarchiæ, quam inchoauit deuastata AEgypto. Incidit autem hæc deuastatio, & initium Monarchiæ in annum vicesimum tertium regni eius.

Itaque secundus annus Monarchiæ notatus C à Daniele, est annus regni vicesimus quartus, & annus mundi 3398. Fuit Daniel de tribu Iuda, vir nobilis, & spiritu sapientiæ, & prophetiæ plenissimus, atque ea de causa gratissimus Regibus etiam Idololatris, & ab eis magnis honoribus cultus. Scripsit multa de Christo, & de tempore aduentus eius, necnon de morte eius, & de excæcatione Iudæorum; item de Antichristo, & prælijs eius. Prædixit progressum quatuor præcipuorum Regnorum, & de bellis futuris inter Græcos, & Persas, & inter successores Alexandri Magni, tanta perspicuitate, vt aliqui putauerint, sed falso, ea scripta fuisse multo posterius, quam re vera fuerint. Liber hic partim Hebraicè, partim Chaldaicè scriptus est. Didicit enim Daniel in Babylone, iussu Regis, linguam, & D literas Chaldæorum. De partibus quibusdam Danielis, quæ ab hæreticis non recipiuntur; vide in primo nostro libro de Verbo Dei.

De Aggæo. 3465.

AGgæus prophetare cœpit anno secundo Darij Regis Persarum, mense sexto, vt ipse initio testatur. Fuit autem annus ille ab orbe condito 3465. Concionatur Aggæus ad populum, eum exhortans ad reædificationem templi, eumque grauiter increpans, quod essent diligentiores in domibus suis ædificandis, & ornandis, quàm in domo Dei reædificanda. Et prædicit, templum hoc secundum fore multo gloriosius, quàm fuerit primum. Quod intelligitur de gloria templi ob Christi præsentiam,

siue

siue de Ecclesia Christi, non de structura materiali, vt sanctus Augustinus ostendit libro decimo octauo de Ciuit. Dei, cap.quadragesimo quinto.

De Zacharia. 3465.

ZAcharias illo ipso anno secundo Darij prophetauit, sed mense octauo, vt ipse testatur. Itaque Aggæus duobus tantum mensibus Zachariam præcessit. Ipse quoque hortabatur populum ad ædificandũ templum,& ad timorem Domini, & obedientiam mandatorum.Prædixit quoque multa per varias similitudines de felicitate Ecclesiæ Christianæ,& vltima perditione Iudæorum.

De Malachia. 3521.

MAlachias vltimus duodecim minorum Prophetarum, prophetauit post Aggæum, & Zachariam, tempore Artaxerxis Regis Persarum. Nam capite secundo reprehendit Iudæos, qui duxerant filias alienigenas in vxores: & similis reprehensio extat apud Esdram libro primo, capite nono, & constat ex præcedentibus capitibus, hanc obiurgationem factam fuisse post templum reædificatum,regnante iam Artaxerxe filio Darij, cuius anno sexto finita est ædificatio templi, vt habetur lib.1. Esdræ cap. 6.

Malachias posterior est Zacharia,quantum distat annus secundus Darij ab anno primo Artaxerxis, qui regnare cœpit anno 3521. proinde hoc anno vixit, & scripsit Malachias. Hunc Prophetam Origenes existimauit non fuisse hominem, sed Angelum in specie hominis; quia Malachias Hebraicè Angelum significat.

Refellit hunc errorem sanctus Hieronymus in procœmio Malachiæ. Quia si propter nomen Angeli deberet negari Malachiam fuisse hominem; eodem modo quia Osea significat Saluatorem, & Ioel significat Deum, & Dominum, possemus existimare, Oseam fuisse Christum, & Ioelem fuisse Dominum Deum.

Alij voluerunt Malachiam fuisse Esdram, & dictum Angelum ob sapientiam, & puritatem vitæ. Hæc est sententia Hebræorum, quam sanctus Hieronymus nec videtur approbare, nec reprobare. Sed communis sententia, quæ omnino sequenda nobis videtur, est, Malachiam fuisse hominem diuersum ab Esdra. Sic docet Eusebius in Chronico, Sanctus Augustinus lib. decimo octauo, de Ciuit. Dei cap. 36. Sanctus Cyrillus in 1.cap. Malachiæ, qui dicit non esse audiendos, qui contra sentiunt, S.Epiphanius in lib.de vita,& morte prophetarum.

Porrò Malachias de tribu Zabulon erat, ex sententia Epiphanij loco citato,& prędixit abolitionem sacrificiorum Iudaicorum, & institutionem sacrificij noui, quod toto orbe offerẽdum erat. Prædixit quoq; vltimũ Iudicium, & reuersionem Eliæ Prophetæ ad conuertendas reliquias Israel, & præter prædictiones, vehementer concionatus est aduersus negligentiam Sacerdotum, & alia vitia. Denique in pace quieuit adhuc iuuenis, teste Epiphanio.

A

De Tobia. 3236.

HIstoria Tobiæ,& Iudith incidit in tempus Prophetarum minorum, videlicet Nahum,& Abachuc, sed visum est coniungere omnes Prophetas simul, neq; in chorum ipsorum extraneos admittere. Igitur Tobias senior cum Tobia iuniore translatus fuit in Ciuitatem Niniue à Rege Assyriorum Salmanasar, & perseuerauit vsque ad aliquot annos Senacherib successoris eius.

Contigit autem captiuitas illa anno sexto Ezechię Regis Iuda, qui fuit nonus Oseæ Regis Israel, & ab orbe condito 3264. Quis fuerit auctor libri Tobiæ, non est omnino certum, sed credibile est auctorem fuisse Tobiam iuniorem,vel seniorem.

B

Siquidem Angelus Raphael cap. 12. iussit Tobiæ vtrique, vt narrarent, siue (vt habetur in textu Græco) scriberent omnia mirabilia Domini, quæ ipsi viderant, patientiam videlicet Tobiæ senioris,& consolationem magnam quam à Deo per Angelum Raphaelem accepit. Itaque scriptus videtur liber anno mundi 3252. mortuo Senacherib. Quæ autem in fine libri adduntur de morte Tobiæ iunioris, sine dubio ab aliquo alio addita sunt.

Porrò liber Tobiæ scriptus est Chaldaicè, non Hebraicè,& ideò fortasse ab Hebræis non agnoscitur pro libro sacro. Transtulit eum in linguam Latinam sanctus Hieronymus, vt ipse testatur præfatione in Tobiam, & ab Ecclesia Catholica inter Sacros libros numeratum fuisse cognoscimus ex Concilio Tertio Carthaginensi,ex Innocentio Primo in epistola ad Exuperium, ex Gelasio I. in decreto de scripturis Sanctis, & Cypriano in serm. de eleemosyna, ex Ambrosio in lib.de Tobia, ex Basilio in Oratione de auaritia, denique ex Concilio Triden. sess. 4.

C

De Eliachim auctore libri Iudith. 3270.

QVando contigerint quæ narrantur in libro Iudith,maxima quęstio est:alij enim volunt ea contigisse post captiuitatem Babylonicam, quia in primo capite fit mentio Regis Nabuchodonosor: alij volunt cõtigisse ante captiuitatem illam, sed post captiuitatem decem tribuum, quæ facta fuit tempore Ezechiæ Regis Iuda: & quamuis tam hi auctores, quàm illi varient circa tempus præcisum: nobis tamen videtur non posse assignari aliud tempus,quam inter duas captiuitates, tempore videlicet Regis Iuda Manasse, & Regis Assyriorum Merodach Baladam, quem putamus alio nomine dictum esse Nabuchodonosor, qui regnauit etiam in Babylonia.Sed de hac re fusè tractauimus in lib.1.de Verbo Dei cap.12.

D

Itaque tempus huius historiæ erit annus mundi ter millesimus ducentesimus septuagesimus. Quis auctor fuerit huius libri,incertum est ex sententia sancti Isidori lib. 6. Originum cap.2.

Sed si fidem habeamus Iosepho in libro primo contra Apionem,auctor erit Eliachim,qui alio nomine dicebatur Ioachim Sacerdos magnus Hebræorum, de quo fit mentio in libro Iudith cap.4.& 15.

Scribit enim Iosephus in more positum fuisse

apud AEgyptios, & Babylonios, & potissimum apud Hebræos, vt res gestæ publicè, scribendæ committerentur Sacerdotibus magnis: tempore autem Iudith Sacerdos magnus erat Eliachim, vt suprà diximus.

Porrò liber Iudith quamuis ab Hebræis, & hæreticis modernis reijciatur ex Canone Scripturarum diuinarum: tamen Concilium Nicenum primum hunc librum retulit in numerum librorum diuinorum, teste S. Hieronymo præfatione in Iudith. Quod idem fecerunt Concilium tertium Carthaginense cap. 47. & Tridentinum sess. 4. & Decretum Gelasij I. de Scripturis sanctis, & Epistola Decretalis Innocentij I. ad Exuperium; & sanctus Augustinus libro secundo de doctrina Christiana cap. 8. & S. Isidorus lib. 6. Originum cap. 1. & Cassiodorus lib. 1. diuinarum lectionum, & Rabanus lib. 2. de Institutione Clericorum, & alij Patres.

Recenset hic liber, victoriam diuinitus reportatam ab Hebræis contra Holofernem Principem militiæ Assyriorum per virtutem nobilissimæ, & castissimæ feminæ Iudith Viduæ.

De Esdra, & Nehemia. 3521.

ESdras Sacerdos, vixit sub Artaxerxe Rege Persarum, qui imperare cœpit anno ab orbe condito 3521. Scripsit autem librum primum Esdræ, & fortasse etiam secundum, vt censet sanctus Isidorus libro 6. Originum cap. 2. quamuis probabilius sit, secundum librum à Nehemia scriptum fuisse, qui post Esdram missus est in Iudæam ab eodem Artaxerxe, cuius pincerna erat. Libri tertius, & quartus inter apocryphos computantur.

Porrò Esdram sancti Patres docent instauratorem fuisse Sacrorum librorum: quod non ita intelligendum est, quasi Scripturæ sacræ omnes perierint in euersione ciuitatis, & templi sub Nabuchodonosor, & ab Esdra diuinitus inspirato reparatæ fuerint, vt fabulatur auctor lib. 4. Esdræ cap. 14. sed, quod scripturas Mosis, & Prophetarum in varia volumina descriptas, & in varia loca dispersas, & tempore captiuitatis non diligēter conseruatas, Esdras summa diligentia collectas ordinauerit, & in vnum quasi corpus redegerit.

Vide Irenæum lib. 3. cap. 25. Tertullianum lib. de habitu mulierū, Clementem lib. 1. Stromatum, Hilariū præfatione in Psalmos, Chrysostomum hom. 8. in epist. ad Hebræos, Theodoretum præfatione in Psalmos.

Addit sanctus Hieronymus in prologo galeato, Esdram inuenisse nouas literas Hebraicas; & antiquas Samaritanis dimisisse.

De Mardochæo auctore libri Esther. 3528.

DE tempore historiæ Reginæ Esther magna est inter scriptores controuersia: nobis olim placuit, & hodie etiam placet sententia Iosephi Hebræi lib. 11. antiquitatum cap. 6. necnon Seueri Sulpitij lib. 1. de sacra historia, Nicephori Constantinopolitani in Chronico, & aliorum multorum, quos sine nomine refert Eusebius in Chronico. Iuxta hanc sententiam Esther nupsit Assuero Artaxerxi Longimano, anno eius 7. qui incidit in annum mundi 3528. quo eodem tempore floruit Esdras, vt suprà diximus, atque hac de causa sanctus Isidorus libro sexto Originum, cap. secundo docuit, auctorem libri Esther esse Esdram.

Sed multo probabilius est, auctorem fuisse Mardochæum patruum, & nutricium ipsius Esther, & qui illi semper adfuit, & res gestas omnium optimè nouit.

Vide plura, si placet, in Controuersijs nostris lib. 1. de Verbo Dei cap. 7.

De 72. Interpretibus, & Aristæa. 3720.

ANno septimo decimo Ptolomæi Philadelphi Regis AEgypti, qui fuit annus Mundi ter millesimus septingētesimus vicesimus, facta est celeberrima illa versio sacrarum Scripturarum ex lingua Hebraica in Græcam à septuaginta duobus viris doctissimis, non sine miraculo diuino, conuenientibus tot hominibus in vnam, & eandem versionem, vt scribunt Philo lib. 2. de vita Mosis, Iosephus lib. 12. antiqu. cap. 2. Tertullianus in Apologetico cap. 18. Athanas. in Sinopsi, Epiphanius de mensuris, & ponderibus, & Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 45. sed Epiphanius non solum nominat Regem, sed etiam annum 17. Regni eius. Qui fuerint viri illi doctissimi, & nomina exponit Aristæas in suo libro de septuaginta duobus interpretibus, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 7. editionis secundæ. Et quamuis aliqui recentiores existiment, Aristhæam, qui nunc extat, non esse illum, qui vixit tempore ipsorum septuaginta interpretum, sed confictum ab Hebræis: tamen verè esse illum ipsum, satis probatur ex eo, quòd omnia, quæ citant ex Aristæa Iosophus lib. 12. antiquit. cap. 2. Tertullianus in Apologetico capit. 18. Eusebius libro octauo de præparatione Euangelica capite primo, & sanctus Hieronymus præfatione in Pentateuchum, inueniuntur in hoc nostro ad verbum.

Vide, si placet, de LXX. Interpretibus in nostro lib. 2. cap. 6. de Verbo Dei.

De Iesu Sirach. 3759.

IEsus Sirach, qui auctor est libri sacri, qui dicitur Ecclesiasticus, vixit tempore Ptolomęi Euergetis Regis AEgypti, vt ipse testatur in præfatione ad librum suum: ipse autem se nominat Iesum Sirach in fine capitis quinquagesimi. Hunc sacrum librum hæretici recentiores contemnunt: sed eum, vt diuinum, & sacrum agnoscunt Patres Concilij Carthaginensis tertij cap. 47. & Trident. sess. 4. Item Pontifices, Innocentius in Epist. ad Exuperiū, & Gelasius in Decreto de libris sacris: item S. Augustin. de doctrina Christiana lib. 2. cap. 8. Epiphanius in hæresi Anomœorum, Cyprianus lib. 3. epist. 9. Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, & alij.

De auctore librorum Machabæor. 3860.

LIbri Machabæorum vltimi sunt inter sacros libros testamenti veteris: sunt autem duo libri, (nam duo alij inter apocryphos numerantur) quorum prior continet res gestas Matathiæ, & trium filiorū eius Iudæ Machabæi, Ionathæ, & Simonis ab anno

mundi

mundi 3822. vsque ad annum 3856. Huius libri ignoratur auctor: sed credibile est auctorem fuisse Ioannem Hircanum, filium Simonis, qui rebus omnibus interfuit; & fuit summus Sacerdos post patrem suum Simonem, & habuit vitam diuturnam, & pacificam in principatu, annorum triginta & vnius, & fuit non solum Sacerdos, & Princeps, sed etiam Propheta, vt scribit Iosephus lib.13. antiquitat. cap.16. Posterioris libri Machabæorum, qui continet historiam eandem, sed paulò altius incipit, & narrat martyrium insigne Eleazari, & septem puerorum Machabæorū, & Matris ipsorum, auctor fuit Iason Cirenæus, qui libris quinque omnem hanc historiam comprehendit: quorum librorum epitomen solum habemus, vt dicitur lib.2. Machabæorum cap.2. Hos libros, quicquid hæretici obstrepant, vt vere Canonicos habet Ecclesia, vt perspicuum est ex Concilio Tertio Carthaginens. & Tridentino, ex Epist. Innocentij primi ad Exuperium, & Gelasio in Decreto de Scripturis sacris, ex sancto Cypriano lib.1. epist.3. ad Cornelium, & sancto Augustino lib.18. de Ciuit. Dei cap.36. & libro 2. contra Gaudentium cap.23. Præter hos libros sacros enumerat sanctus Athanasius in Synopsi aliquos libros apocryphos, qui non extant.

De Philone Hebræo. 4024.

PHilo Hebræus, vir omnium consensu doctissimus, floruit sub Caio Imperatore, ad quem etiam legatione functus est pro gente sua. Hic ponitur à sancto Hieronymo inter scriptores Ecclesiasticos, quia scripsit in laudem Christianorum, qui sub sancto Marco Euangelista in Ægypto religiosissime viuebant. Et præterea iure numeratur inter Scriptores Ecclesiasticos testamenti veteris, quoniam Scripturas diuinas testamenti veteris primus exposuit. Scripsit plura quorum Catalogum refert Eusebius lib.2. histor. cap.17. sed non omnia extant. Eius opera ex editione Basileensi anni millesimi quingentesimi sexagesimi primi hæc sunt.

De Mundi opificio lib. 1.
De Allegoriis legis 2. De Cherubim 1.
De sacrificijs Abel, & Cain 1.
Quod deterius potiori insidietur 1.
De Agricultura 1. De plantatione Noë 1.
De temulentia Noë 1.
In illud, Resipuit Noë 1. De Gigantibus 1.
Quod Deus sit immutabilis 1.
De confusione linguarum 1.
De Abrahamo 1. De Profugis 1.
Quis rerum diuinarum sit hæres 1.
De Ioseph 2. De Mosis vita 3.
De Charitate 1. De creatione Principis 1.
De fortitudine 1. De Decalogo 1.
De Specialibus legibus 1.
De Circuncisione 1. De Monarchia 2.
De Sacerdotum honoribus 1.
De Victimis 1. De offerentibus victimas 1.
De Meretricis mercede 1.
Quod omnis probus liber 1.
De Vita contemplatiua 1.
De Nobilitate 1. De præmijs, & pœnis 1.
De execratione 1.

A Quod Mundus sit incorruptibilis 1.
In Flaccum 1. De Legatione ad Caium 1.
De his libris non est controuersia.

Circumfertur nomine Philonis Breuiarium temporum, sed ab omnibus reiicitur, vt etiam alij historici, qui cum eo Breuiario simul editi sunt.

De Iosepho Hebræo. 4057.

IOsephus Hebræus floruit sub Vespasiano Imperatore, cui prædixit Imperium, cùm ab eo captiuus detineretur. Scripsit:

Antiquitatum Iudaicarum, lib.	20.
De bello Iudaico	7.
Contra Apionem	2.
De Machabæis	1.

Vitam ipse suam addidit ad lib. antiq.

Porrò in libris antiquitatum comprehendit Iosephus historiam sacram à Genesi vsque ad Machabæos, & deinde addidit reliquam historiam vsque ad sua tempora.

B Libro autem decimooctauo antiquitatum, cap. quarto, reddit Christo mirabile testimonium, affirmans eum fuisse plusquam hominem, & verè Christum, in operibus magnificum, in verbis veracissimum, & à Pilato quidem occisum, sed tertia die resurrexisse: cuius testimonij meminit Eusebius libro primo histor. Ecclesiast. cap. vndecimo, & sanctus Hieronymus in libr. de Scriptoribus Ecclesiast. in Iosepho.

Quod autem Hebræi dicunt, testimonium illud de Christo in suis libris non haberi; & ideò videri superadditum à Christianis; facilè refelli potest. Nam Hebræi non habent Iosephum filium Matathiæ, qui Græcè scripsit libros antiquitatum, de quo nos loquimur; C sed Iosephum filium Gorionis, qui aliquid simile scripsit Hebraicè: proinde non est mirum, si Iudæi in suo Iosepho hoc testimonium non habeant, cùm in nostro habeatur, & non sit superadditum, sed verum & germanum Iosephi testimonium.

Certè sanctus Hieronymus, & Eusebius viri doctissimi fuerunt, & omnes penè libros veterum Scriptorum legerunt: & nunquam hoc testimonium de Christo, Iosepho tribuissent, nisi sciuissent verè ab illo auctore ita scriptum fuisse.

Omisi libros Rabinorum, qui plurimi sunt, quoniam pleni sunt fabulis Iudaicis, & erroribus perniciosis: neque verum esse arbitror, quod Io. Garetius, & alij nonnulli scribunt, D Rabinos aliquot, quorum opera nunc extant, scripsisse ante aduentum Christi; video enim passim ab ijs mentionem fieri euersionis Hierusalem, & templi per Titum Vespasiani filium.



DE

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS TESTAMENTI NOVI.

Seculum primum ab anno Dom. 1. ad 100.

De S. Petro Apostolo. Annò Dom. 34.



SANCTVM Petrum in Catalogo primum ponimus; & signamus anno 34. Quia illo anno Domini viuebat, & Ecclesiam regere cœperat.

Quamuis enim extet apud Eusebium lib. 2. hist. Eccles. cap. 13. Epistola Domini nostri IESV Christi scripta ad Abagarum Regem Edessæ: tamen ea epistola nunquam fuit admissa ab Ecclesia inter scripturas canonicas, inter quas sine dubio admissa fuisset, si ab ipso Domino scriptam fuisse constaret.

Quamuis etiam extent Cantica B. Virginis Mariæ, Zachariæ, & Simeonis; ea tamen non ab ipsis, sed à sancto Luca scriptis mandata fuerunt.

Denique quamuis inter epistolas sancti Ignatij Martyris inueniatur vna B. Virginis Mariæ ad ipsum Ignatium; ea tamen non habetur in Græcis codicibus, neque eius meminerunt veteres Patres ante sanctum Bernardum: proinde non constat, an sit verè B. Virginis epistola.

Quod autem attinet ad ordinem inter scriptores Sacros testamenti noui, quoniam eodem vixerunt seculo, sequuti sumus ordinem, quem Ecclesia sequitur in illis collocandis, tum in Litanis, tum in sacrificio Missæ.

Ergo sanctus Petrus Apostolus, & Christianorum summus Pontifex, & Vicarius IESV Christi, qui est Sacerdos in æternum, anno Domini tricesimo tertio, vel secundùm alios tricesimo quarto Ecclesiæ Christianæ præsidere cœpit, & anno sexagesimo nono, vel secundùm alios septuagesimo, martyrio coronatus est.

Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. scribit sanctum Petrum crucifixum fuisse anno quartodecimo Neronis. Sed sanctus Hieronymus Eusebij Chronicum secutus est. Verè enim Nero nó imperauit annis quatuordecim, & mensibus octo, vt Eusebius scribit: sed annis tredecim, & mensibus septem, vt scribunt Suetonius, Dio, & alij: & quoniam imperare cœpit à die quartadecima Octobris ijsdem auctoribus; inde fit, vt sanctus Petrus, qui die vicesimo nono Iunij obiit, non anno quartodecimo, sed tertiodecimo Neronis obierit.

Scripsit epistolas duas, ac de priore nulla vnquam dubitatio fuit: de posteriore propter styli diuersitatem nonnulla apud aliquos ambiguitas fuit. Sed Ecclesia vtranq; epistolam, & canonicã, & sancti Petri esse docuit in Concilio Laodiceno, Carthaginensi tertio, Florentino, & Tridentino: & merito Beda venerabilis admiratur, fuisse aliquos, qui epistolam illam sancti Petri fuisse dubitare potuerint, cùm auctor Simonem Petrum se initio nominet, & affirmet, se in monte sancto cum Christo fuisse in transfiguratione, & disertè dicat, Hanc secundam vobis scribo epistolam. Hinc enim sequitur, vt auctor huius epistolæ, vel fuerit insignis impostor, quod nemo vnquam dicere ausus est, vel fuerit sanctus Petrus.

Cur autem diuersus esse videatur stylus prioris, & posterioris epistolæ, rationem reddit S. Hieronymus in epist. ad Hedibiam quæst. 11. quoniam Apostolus non semper eodem interprete vtebatur.

Addit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. multos alios libros olim sub nomine S. Petri scriptos fuisse; quos ipse ibidem enumerat; sed omninò apocryphos, imò spurios, & suppositios fuisse vel ex eo constat, quòd nunquam ab Ecclesia, vel in Catalogum sanctarum Scripturarum redacti, vel in Biblijs sacris repositi, vel in templis recitati sint: & hoc tempore non ipsi solum, sed eorum nomina, & memoria euanuerint.

De S. Paulo Apostolo. Ann. 35.

SAnctus Paulus Apostolus ab ipso Christo de cælo vocatus, & per cælestem reuelationem Euangelium plenißimè edoctus, repentè de persecutore prædicator eximius factus, eodem anno, & die, quo sanctus Petrus, m... yrio coronatus est: cuius rei Eusebius in Chronico, sanctus Hieronymus de Script. Eccles. & omnis antiquitas testis est.

Scripsit epistolas quatuordecim:
Ad Romanos 1. Ad Corinthios 2.
Ad Galatas 1. Ad Ephesios 1.
Ad Philippenses 1. Ad Colossenses 1.
Ad Thessalonicenses 2.
Ad Timotheum 2. Ad Titum 1.
Ad Philemonem 1. Ad Hebræos 1.

Et quidem de primis tredecim nulla vnquã controuersia fuit. Epistolam ad Hebræos, teste sancto Hieronymo in libr. de Script. Ecclesiast. alij tribuebant Barnabæ, alij Lucæ, alij Clementi Romano: nec defuerunt hæretici veteres, & recentiores, qui huic epistolæ auctoritatem detraherent. Cæterùm esse eam & verè canonicam, & à sancto Paulo scriptam, testis est Ecclesia Catholica vniuersa, quæ illam legit assiduè inter Missarum solemnia sub nomine B. Pauli Apostoli: testes sunt Patres Conciliorum supracitatorum, qui hanc epistolam in numerum diuinarum Scripturarum posuerunt: testes veteres Patres, qui eam ad probanda dogmata fidei paßim adducunt. Vide, si placet, de hac epistola integram disputationem in Controuersijs nostris lib. 1. de Verbo Dei cap. 17.

Præter has epistolas quatuordecim, fertur & alia sub nomine B. Pauli ad Laodicenses; sed ea (inquit S. Hieronymus in lib. de Script. Eccles.) ab omnibus explóditur.

Feruntur quoque sub eiusdem beati Pauli nomine epistolæ quædam breues ad Senecam: quas sanctus Hieronymus in eodem libro, in Seneca; non videtur contempsisse. Sed Ecclesia Catholica neq; epistolam ad Laodicenses, neque epistolas ad Senecam in Catalogo

Scriptu-

Scripturarum posuit, ac per hoc B. Pauli eas non esse censuit.

De S. Ioanne Apostolo. 34.

SAnctus Ioannes Apostolus, & Euangelista, dilectus Deo, & hominibus, vsque ad Traiani Imperatoris tempora peruenit, & sexagesimo octauo post passionem Domini anno, qui erat annus à natiuitate eiusdem Domini nostri, centesimus, vel centesimus primus, in pace quieuit: testes Eusebius in Chron. sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. & alij.

Scripsit Euangelium, Apocalypsim, & Epistolas tres: & quidem Euangelium, de quo nulla fuit vnquam dubitatio, scripsit post alios tres Euangelistas. Et quoniam sancti Apostoli breuitati studebant maximè, ideo sanctus Ioannes ferè omnia prætermisit, quæ ab alijs scripta fuerant: ea si quidem sola reperijt, quibus aliquid addendum esse existimauit.

De Apocalypsi dubitatio aliqua fuit olim, apud Græcos præcipuè, & nunc est apud hæreticos nostri temporis: quemadmodum etiam de secunda, & tertia epistola. Sed Ecclesia Catholica tum Apocalypsim, tum epistolas illas duas, vt Euangelium, & Epistolam primam, in numerum sanctarum Scripturarum sub nomine S. Ioannis recipit.

Vide Controuersias nostras lib. 1. de Verbo Dei, cap. 18. & 19.

De S. Matthæo Apostolo. 34.

SAnctus Matthæus Apostolus primus omnium Euangelium scripsit, lingua patria, id est, Hebraica: testis est sanctus Hieronymus in libro de Script. Eccles. qui etiam vidisse se, & descripsisse affirmat Euangelium sancti Matthæi lingua Hebraica scriptum; & ante Hieronymum id ipsum testati sunt Epiphanius hæresi 29. quæ est Nazareorum, Eusebius lib. 3. historiar. cap. 24. & Irenæus libr. 3. cap. 1.

Quis in linguam Græcam transtulerit Hebraicum Matthæi Euangelium, ignorari scripsit sanctus Hieronymus. Sanctus Athanasius in Synopsi scribit à sancto Iacobo fratre Domini fuisse expositum Euangelium S. Matthæi.

Vtrum illa expositio fuerit versio in Græcum, non scimus.

De hoc sacro libro nulla fuit vnquam dubitatio.

De S. Iacobo Apostolo. 34.

SAnctus Iacobus Apostolus Epistolam vnam scripsit, quæ de septem Catholicis est. Ac de ipso Iacobo, vt etiam de eius epistola nonnulla quæstio est.

Græci in Menologio tres Iacobos Apostolos celebrãt, Iacobum Alphæi die nono Octobris; Iacobum fratrem Domini, die vicesimo tertio eiusdem mensis; & Iacobum Zebedæi die 30. Aprilis.

Sanctus quoque Hieronymus in libro contra Heluidium meminit huius opinionis, quæ tres Iacobos facit, duos ex numero duodecim Apostolorum, & vnum extra numerum. Sed rectè idem S. Hieronymus in eodem loco

A hanc opinionem refellit: nam idem omninò est Iacobus Alphæi, & Iacobus frater Domini, qui & minor dicitur in Euangelio: & duos tantum nouit, & celebrat Ecclesia Latina, Iacobum fratrem Ioannis die 25. Iulij, & Iacobum Alphæi fratrem Domini die 1. Maij.

Cur autem dicatur frater Domini, variè sentiunt auctores. Heluidius hæreticus ausus est dicere, dictum esse fratrem Domini, quòd esset filius B. Virginis Mariæ ex Ioseph. Sed hæc hæresis est manifesta. Eusebius libr. 2. hist. cap. 1. & Epiphanius hæresi 78. volunt eum fuisse filium Ioseph de priore vxore, ac per hoc fratrem Christi eo modo, quo dicitur Ioseph pater Christi, videlicet putatitius, non verus.

B Sed verius est, sanctum Ioseph fuisse perpetuò Virginem, vt erat eius sanctissima coniux: & Iacobum fuisse filium Cleophæ, qui Cleophas fuit frater S. Iosephi: hinc enim Maria Cleophæ dicitur soror Matris Domini Ioan. 19. quia erat vxor Cleophę fratris Ioseph: vsitatum enim est, vt coniuges duorũ fratrum sorores nominentur: & quemadmodum Maria Cleophæ dicebatur soror Mariæ Matris Domini: sic etiam Iacobus dicebatur frater Domini, quia erat filius sororis Matris Domini.

Hanc sententiam colligo partim ex Egesippo, partim ex Euangelio: Egesippus enim apud Eusebium libr. 3. hist. cap. 11. ex versione Ruffini, dicit, Simeonem fuisse consobrinum fratrem Saluatoris, quia erat filius Cleophæ fratris Iosephi Sponsi Beatę Mariæ matris Domini.

C Porrò sanctum Iacobum minorem fuisse fratrem Simonis, & Ioseph, & Iudæ, testatur Euangelium S. Matthæi cap. 13. & Marci cap. 6. vbi dicũtur fratres Domini Iacobus, & Simon, & Iudas: & hoc idem testatur Epiphan. hæresi 78. quare si Simon, siue Simeon (idem enim est nomen) erat frater Iacobi, & Simeonis pater erat Cleophas frater Iosephi; certè sequitur, vt pater Iacobi fuerit Cleophas, non Ioseph.

Neque huic sententiæ repugnat, quod sanctus Iacobus minor dicatur in Euangelio, Iacobus Alphæi: potest enim fieri, vt pater sancti Iacobi fuerit binomius, quemadmodum sanctus Matthæus dicitur etiam Leui, & S. Petrus dicitur etiam Simon: & obseruat S. Hieronymus in libr. contra Heluidium, in sacris Scripturis, multos esse binomios.

D Quod attinet ad epistolam eius, non defuerunt olim, qui de eius auctoritate dubitarent, vt etiam hoc tempore ab hæreticis in dubium reuocatur. Sed certissimè epistola sacra, & canonica est; de qua re vide quæ scripsimus lib. 1. de Verbo Dei cap. 18.

Extat nomine S. Iacobi ProtoEuangelium, sed ab Ecclesia nunquam receptum.

Extat etiam Liturgia eidem S. Iacobo attributa, quæ tamen à posterioribus ita locupletata est, vt non sit facile diiudicare, quæ pars eius Liturgiæ S. Iacobum habeat auctorem.

Obiit hic beatissimus Apostolus glorioso martyrio coronatus anno septimo Neronis, vt scribit S. Hieronymus in lib. de Scriptorib. Ecclesiast.

Quod

Quod autem Epiphanius ſcribit hæreſi 78. obiiſſe ſanctum Iacobum anno ætatis ſuæ nonageſimo ſexto: non videtur probabile. Fundamentum enim huius numeri eſt opinio illa falſa Epiphanij, quòd ſanctus Ioſeph anno quadrageſimo ætatis ſuæ genuerit Iacobum, deinde anno octogeſimo viduus exiſtens, acceperit Mariam coniugem; quo tempore fuiſſet Iacobus annorum quadraginta, quibus ſi addamus triginta tres annos Domini,& viginti quatuor quibus poſt Aſcenſionem Domini Iacobus ſuperuixit, vt idem Epiphanius dicit, fient anni Iacobi nonaginta ſex completi.

Sed hic multa ſunt improbabilia; nam nec probabile eſt, Iacobum filiũ fuiſſe Ioſeph: nec Ioſeph annorũ octoginta accepiſſe Mariam in coniugem, nec Iacobum electum eſſe ad Apoſtolatum, cùm eſſet penè decrepitus: nec eundem Iacobũ ſuperuixiſſe ſolum annis viginti quatuor, cùm ex communi opinione gubernauerit Eccleſiam Hieroſolymitanam annis triginta,& obierit anno ſeptimo Neronis.

De S. Iuda Apoſtolo. 34.

SAnctus Iudas frater Iacobi Apoſtolus ex duodecim, vnam, eamque breuem ſcripſit epiſtolam, quam Eccleſia, vt ſacram,& canonicam recipit.

Vide quæ ſcripſimus libr.2. de Verbo Dei, cap.18. De obitu huius Apoſtoli nihil habemus certi.

De S. Marco Euangeliſta. 44.

SAnctus Marcus Euangeliſta martyrio coronatus anno octauo Neronis, breue ſcripſit Euangelium: teſtis ſanctus Hieronymus in libro de Script.Eccleſ. Græcè ſcriptum initio S. Marci Euangelium, ſcribunt ſanctus Hieronymus in præfatione ad Damaſum,& ſanctus Auguſtinus libr.1. cap.2. de conſenſu Euangeliſtarum. Latinè autem ſcriptum, teſtatur Damaſus in vita ſancti Petri, quæ ponitur ad initium primi tomi Conciliorum: teſtantur etiam Syri, qui ad finem Euangelij ſecundùm Marcum ſcribunt, Euangelium ſancti Marci Romæ,& lingua Romana ſcriptum.

Sed quicquid de hac re ſit, ſatis conſtat, Latinam veterem, & vulgatam editionem tam Matthęi, quàm Marci ex Græca editione tranſlatam.

De S. Luca Euangeliſta. 44.

SAnctus Lucas Euangeliſta ſancti Pauli comes, & ſectator, vixit annos octoginta quatuor vxorem non habens: ſcripſitque duo ſacra volumina, Euãgelium,& Acta Apoſtolorum: teſtis Hieronymus in lib.de Scriptorib.Eccleſ. Neque de his vlla controuerſia eſt.

De Auctore libri, qui Paſtor inſcribitur.

HErmen ſiue Hermes librum ſcripſit apud veteres valdè celebrem, quem inſcripſit, Paſtorem. Is liber quamuis à ſancto Hieronymo in lib.de Script.Eccleſiaſt. vtilis eſſe dicatur, & nomine ſcripturæ à ſancto Irenæo lib.4.cap.37.citetur; & ab aliis antiquiſſimis Scriptoribus, vt Clemente Alexandrino,& Origene in teſtimonium adducatur: tamen nunquam fuit in Canone ſanctorum,& diuinorum librorum: nam Gelaſius in Concilio Romano inter apocrypha ſcripta illum reiecit: & ſanctus Hieronymus in prologo Galeato: & ſanctus Athanaſius in libro de decretis Nicænæ Synodi, & Euſebius libr.3. hiſt. cap.3. dicunt hunc librum non eſſe in canone; quod idem ſcripſit Tertullianus in lib. de pudicitia.

Quamuis autem hic liber multa vtilia habeat, vt ſanctus Hieronymus ſcribit: habet tamen etiam aliqua noxia, vt de vnica pœnitentia ſecundùm errores Nouatianorum, quibus hic liber omninò fauere videtur: vt etiam illud de duobus geniis, ſiue de duobus Angelis, vno bono, & altero malo, ſingulis hominibus à Deo tributis; quem errorem ex hoc auctore accepit Io. Caſſianus, eumque poſuit in tertia decima collatione cap.12. & ante eum Origenes hom.35. in Lucam.

Quis autem iſte Hermam fuerit, non parua quæſtio eſt. Nam Origenes in cap.16. ad Romanos, Euſebius lib.3. hiſtor. cap.3. & ſanctus Hieronymus in lib.de Script. Eccleſ. dicunt, hunc eſſe illum Hermam, quem ſalutari iubet Apoſtolus in epiſt.ad Roman.cap.16. cùm ait, Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, &cæt. Damaſus autem, ſiue potius Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Pontificum, quæ habentur ad initium primi tomi Conciliorum, ſcribit, Hermam, ſiue Hermetem auctorem libri Paſtoris fuiſſe fratrem ſancti Pij Romani Pontificis, & librum appellatum eſſe Paſtorem, quoniã Angelus in habitu Paſtoris Hermeti apparuerat,& vt ea ſcriberet, quæ illi reuelauerat, iuſſerat.

Non videtur autem fieri poſſe vt Hermes frater Pij Pontificis ille ſit, quem Apoſtolus ſalutari iuſſerat in epiſt.ad Romanos: nam inter illam ſalutationem,& Pontificatum Pij intercedunt, vt minimum, anni centum, & qui ſalutabatur ab Apoſtolo, non erat infans recens natus, ſed vir aliquis grauis, notus Apoſtolo ex operibus bonis: proinde non eſt probabile, illum ſuperuixiſſe vſque ad tempora Pij Pontificis.

Deinde ſcribit S.Hieronymus loco notato, librum Paſtoris apud Græcos fuiſſe notiſſimum, apud Latinos penè ignotum: at ſi auctor libri fuiſſet homo Latinus, & Romani Pontificis frater, debuiſſet liber ipſius notior Latinis eſſe, quàm Græcis.

Exiſtimo igitur diuerſos eſſe auctores,& diuerſos eorum libros, quamuis idem ferè nomen gererent: nam pręter ea, quę dicta ſunt, is, qui ab Apoſtolo ſalutari iubetur, vocatur Hermam; frater Pii dicitur Hermes: deinde liber, qui ſcriptus dicitur à fratre Pontificis, præcipuè continebat mandatum Domini per Angelum, vt Paſcha die Dominico celebraretur: at in libro Paſtoris, qui à veteribus citatur, & qui adhuc extat, nulla mentio fit Paſchatis celebrandi die Dominico. Quare probabile eſt, librum Hermetis, fratris Pontificis citò interiiſſe: & ſolum reliquum eſſe illum celebrorem, quem ſcripſit Hermam diſcipulus Apoſtolorum.

Quod etiam confirmatur ex eo, quòd ſanctus Irenæus lib.4. cap.37. citans eum librum dicit, Benè ergo ſcriptura dicit, primo omniũ

crede, quoniam vnus eſt Deus. Neque enim Irenæus ſcripturam abſolutè vocaret librum auctoris ſui temporis, & qui Apoſtolus, vel Apoſtolorum auditor non fuiſſet.

De Prochoro, vno ex primis ſeptem Diaconibus.

PRochorum fuiſſe vnum ex primis ſeptem Diaconibus teſtatur ſanctus Lucas in Actis Apoſtolorum cap. 6 Sed narratio, quæ ſub eius nomine extat in Bibliotheca ſanctorum Patrum, videtur omninò cõficta. Nam quod in ea legitur, ſanctum Ioannem Apoſtolum, & Euangeliſtam, cùm ei fortè obtigiſſet Aſia, grauiſsimè id tuliſſe, ac vehementer ingemuiſſe, ſeque ad pedes aliorum Apoſtolorum abieciſſe, atque propterea à ſancto Petro fuiſſe reprehenſum, indignum omninò eſt tanto Apoſtolo.

B Quod in eadem narratione ſcribitur, poſteaquam S. Ioannes ex olla feruentis olei illæſus exiuit, à fidelibus, qui illic aderant, Eccleſiam in eius honorem fuiſſe conſtructam, incredibile eſt. Qui enim id auderent in oculis ſæuientis Domitiani?

Quod denique in eadem narratione dicitur, Euangelium à ſancto Ioanne in Inſula Pathmo fuiſſe conſcriptum, repugnat communi ſententiæ, quæ habet Euangelium à ſancto Ioanne ſcriptum fuiſſe diu poſt exilium Pathmos, in vltima ſua ætate.

Vide ſanctum Athanaſium in Synopſi extrema, vbi dicit, Euangelium prædicatum quidem à S. Ioanne in Pathmo, ſed editum Epheſi poſt reditum ab exilio. Cui conſentiunt Euſebius lib. 3. hiſtor. cap. 24. Epiphanius in hæreſi quinquageſima prima, Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ. Victorinus, & Primaſius in expoſitione Apocal. Beda, Rupertus & alij initio expoſitionis in Ioannem.

C Fortaſſe hæc Prochori narratio de rebus geſtis S. Ioannis, eſt liber ille, qui ſub nomine Circuitus Ioannis, inter apocrypha recenſetur à ſancto Athanaſio in Synopſi.

De Sancto Lino. 70.

SImilis narrationi Prochori eſt narratio, quæ ſub nomine ſancti Lini extat in Bibliotheca ſanctorũ Patrum. Narrat enim auctor ille multa de actis S. Petri, quæ vel falſa, vel dubia ſunt; neque teſtimonium habet hoc opuſculum S. Lini à veteribus.

D Inter alia ſcribit auctor, Agrippam fuiſſe Præfectum Vrbis tempore paſsionis ſancti Petri, atque ab illo Agrippa fuiſſe ſanctum Petrum occiſum, ſine conſenſu Imperatoris Neronis, à quo etiam id factum poſtea fuiſſe improbatum.

Sed neque conſtat Præfectum Vrbis tunc fuiſſe Agrippam: & necem ſancti Petri Neroni diſplicuiſſe, repugnat omnibus veteribus Patribus.

In eadem narratione ſcribit auctor, vxorem Albani ſecundùm doctrinam S. Petri, repudiaſſe thorum viri ſui ob amorem caſtitatis, inuito & reclamante marito.

Hæc vero doctrina S. Petri eſſe non poteſt, cùm repugnet doctrinæ Coapoſtoli eius Pauli, 1. Corinth. 7. Fateor quidem à ſancto Lino

A conſcripta fuiſſe Acta ſancti Petri, vel potius Acta ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quod aliqui dicunt, & de Actis ſancti Petri in Romano Breuiario legitur: ſed ea non extare, & loco eorum ſuppoſita fuiſſe, quæ nunc extant, arbitramur.

De S. Clemente Romano. 92.

CLemens Romanus, qui anno tertio Traiani martyrio coronatus eſt, cùm ſediſſet in Apoſtolica ſede annos nouẽ multa ſcripſiſſe fertur, videlicet:

Epiſtolas duas ad Corinthios.
Duas ad Iacobum fratrem Domini.
Tres ad diuerſos.
Libros decem recognitionum.
B Libros 8. conſtitut. Apoſtolicarum.
Canones Apoſtolorum.
Itinerarium Sancti Petri.
Diſputationem ſancti Petri cum Apione: & Liturgiam.

Epiſtola prior ad Corinthios non extat; eius tamen mentionem faciunt paſsim veteres Patres, vt epiſtolæ grauiſsimæ, & epiſtolæ ſancti Pauli ad Hebræos perquam ſimillimæ. Vide ſanctum Irenæum lib. 3. cap. 3. Clementem Alexandrinum lib. 7. Stromat. Euſebium lib. 3. hiſt. cap. 12. & ſanctum Hieronymum in libro de Script. Eccleſ.

Epiſtola poſterior ad Corinth. neque extat, neque ab Eccleſiis probabatur, vt S. Hieronymus teſtatur loco citato.

C Epiſtolæ quinque quæ nunc extant, non carent ſcrupulo. Nam conſtat ſanctum Iacobum, ad quem ſcribuntur duę epiſtolæ, obiiſſe multo ante S. Petrum, & tamen in iis ſignificatur Iacobo mors S. Petri. Sed fortè epiſtolæ ſcriptæ ſunt ad Simeonem fratrem Iacobi, non ad ipſum Iacobum. In epiſtola quinta laudatur communitas omnium rerum, etiam vxorum: & totus hic locus deſumptus eſt ex libr. 10. recognitionum, vbi hæc dicuntur à Fauſtiniano Ethnico, & ſancto Clemente refutantur. Sed fortè hæc irrepſerunt, & in codice Vaticano non inueniuntur.

Scripſiſſe Clementem alias quoque epiſtolas, præter illam celebrem ad Corinthios, teſtatur S. Hieronymus in lib. 1. aduerſus Iouinianum, vbi dicit, Clementem in ſuis Epiſtolis omnem penè ſermonem de Virginitatis puritate contexere: quas laudes Virginitatis in epiſtolis, quæ extant, non reperimus.

D De Recognitionibus eiuſdem Clementis non habeo aliquid certi, quamuis non pauca vtilia documenta contineant, & à viris doctis aliquando citentur: tamen probabile exiſtimo, vel non eſſe Clementis, vel eſſe idem opus cum eo, quod itinerarium, vel circuitus Petri aliqui vocant: Nam teſte Epiphanio hæreſi 30. Clemens ipſe teſtatur, circuitus Petri à ſe conſcriptos, ab hæreticis deprauatos fuiſſe. Verè enim in Recognitionibus deſcribuntur itinera ſancti Petri & ſancti Clementis, & admiſcẽtur diſputationes ex media Platonis philoſophia depromptæ, quas nullo modo credibile eſt S. Petri eſſe.

Quod ſi Recognitionum, & Itinerarij idem ſit opus, ſatis conſtabit, eſſe apocryphum. Iti-

nerarium enim inter apocrypha retulerunt sanctus Athanasius in Synopsi, Sanctus Gelasius in Concilio Romano, vnde extat caput sancta Romana.dist.16.& Leo nonus in epistolis aduersus Nicetam. Verum quidem est, Recognitionum numerari libros decem, & Itinerarij libros octo: sed facile fuit corruptoribus addere, vel minuere, vel mutare.

De libris Constitutionum Apostolicarum, quæ Clementi auctori tribuuntur; idem ferè iudicium fieri debet, ac de libris Recognitionum. Multa enim in illis vtilia sunt, & à Græcis veteribus magni fiunt: sed in Ecclesia Latina nullum ferè nomen habet: & ipsi etiam posteriores Græci in Concilio Trullano can. 2. improbant has constitutiones, vt ab hæreticis deprauatas.

Audio AEthiopes his constitutionibus vti, vt verè Apostolicis, & ea de causa in erroribus versari circa cultum Sabbati, & diei Dominicæ; & circa ministrum Sacramenti baptismi, & alijs quibusdam dogmatibus: nam lib.7. cap. 24. iubent seruari diem Sabbati, & Dominicæ, & lib.5. constitut.cap.10. prohibetur absolutè, ne laici baptizent, & libro sexto, cap.15. iubent rebaptizari eos, qui baptizantur ab hæreticis, ea de causa, quia hæretici non sunt Sacerdotes.

Ac ne fortè obiiceretur quòd Philippus Diaconus baptizabat, vt dicitur Act.8. In iisdem constitutionibus lib.6.cap.7.dicitur, Philippum, qui baptizauit Simonem Magum, fuisse Apostolum. Quod manifestè falsum est.

Habentur in ijsdem constitutionibus alia non pauca, quæ abhorrere videntur à veritate, vt quod lib.3. cap.2. quartas nuptias appellent manifestam fornicationem. lib.5. ca.6. distinguant Mariam Magdalenam à Maria sorore Lazari. lib.8.cap.14. Iacobum fratrem Domini non velint esse Apostolum ex duodecim, & lib. eodem c.26.27.& 28. velint imponi manum Subdiacono, & Lectori, & ipsi etiam Diaconissæ dum ordinantur, & lib. eodem cap.32. dicant, Exorcistas non ordinari, & cap.38. dicant ancillam soli Domino obsequentem recipi, si cum alijs intemperans fuerit, reiici.

De canonibus Apostolorum à Clemente scriptis maior est difficultas; nam ab vna parte Tertullianus in libro aduersus Praxeam scribit, canones Apostolorum esse nobis per manus traditos. Sanctus quoq; Athanasius in Synopsi eos numerat inter agiographa. Synodus Trullana cap.2. recipit canones Apostolorum octoginta quinque. Denique sanctus Ioannes Damascenus libro quarto, de fide Orthodoxa cap.18. videtur eos ponere inter sacras Scripturas.

At contra, Gelasius Papa in Concilio Romano, vnde extat caput, sancta Romana, distinct.15. expressè dicit, liber canonum Apostolorum apocryphus: & hoc idem confirmatur distinct. 16. can.1. & 2. Sed hæc conciliari possunt, si dicamus, canones legitimos esse solum quinquaginta priores: reliquos non esse legitimos, quamuis à Græcis recipiantur. Sic enim Vrbanus Secundus apud Gratianum distinct.32.can.præter, §. sciendum, dicit, cano-

A nes Apostolorum ex toto à Græcis, ex parte à Latinis recipi: & Humbertus Cardinalis clariùs idem dicit, cuius testimonium sub nomine Leonis noni ita refert Gratianus dist. 16. can. Clementis. Apostolorum, inquit, canones numerant Patres inter apocrypha exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreuerunt Orthodoxæ fidei tractatores adiungenda. Hincmarus quoque, vt testatur Franciscus Turrianus libro primo pro epistolis Decretalibus cap.15. scribit, canones Apostolorum ab Ecclesia nobis traditos esse solum quinquaginta: & ante hos omnes Dionysius Exiguus quinquaginta solum canones Apostolorum in sua collectione posuit.

Denique in antiquis codicibus Conciliorum, non inueniuntur canones Apostolorum, B nisi quinquaginta. Et verè canones, qui errorem sapiunt, & ab hæreticis superadditi videntur, sunt canones posteriores, vt can.65. de sabbato non ieiunando. & 67. de baptizatis, vel ordinatis ab hæreticis. & 84. de numero librorum sacrorum: in quo canone multa sunt errata manifesta. Quod verò Gratianus dicit initio distinctionis sextæ decimæ, canones Apostolorum auctoritate Zepherini Papæ esse sexaginta; fortasse vitio librariorum erratum est in numero.

De disputatione sancti Petri cum Apione, & de Itineratio eiusdem S.Petri, quod non extat, nisi fortè (vt suprà diximus) idem sint Itinerarium, & Recognitiones; non est multum laborandum: ab initio enim reprobata leguntur tum apud S.Hieronymum in libro de Script. Eccles. tum apud sanctum Athanasium in Sy- C nopsi.

De Liturgia S. Clementis idem ferè dicendum occurrit, quod de Liturgia S. Iacobi, eam verè Clementis esse, sed à posterioribus auctam: credibile autem est, Clementem non ex proprio iudicio, sed ex ritu, quem obseruari viderat à S. Petro, Liturgiam composuisse: quemadmodum & ipse sanctus Petrus nihil aliud faciebat in offerendo sacrificio Eucharistico, nisi quod ipse Dominus fieri iusserat. Meminerunt Liturgiæ S. Clementis Proclus Patriarcha Constantinopolitanus lib.7. de traditione diuinæ Missæ, & Nicolaus Episcopus Methonensis in lib. de veritate corporis Christi, & Bessarion Cardinalis in lib. de Sacramento Eucharistiæ.

De Sancto Ignatio 71.

D Sanctus Ignatius Episcopus Antiochenus, post sanctum Petrum Apostolum, & sanctum Euodium sedere cœpit anno Domini 71. & sedit annis 40. & Romæ passus est anno vndecimo Traiani, teste sancto Hieronymo in libro de Script. Eccles. scripsit Epistolas vtilissimas, vt testatur sanctus Polycarpus eius æqualis, qui in epistola ad Philippenses dicit, se collegisse epistolas Ignatij quotquot inuenire potuit.

Eusebius lib.3. hist.cap.30. septem enumerat epistolas sancti Ignatij, vt etiam sanctus Hieronymus loco citato, vnam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallianos, quartam ad Romanos, quintam ad Phila-

delphios, sextam ad Smyrnæos, septimam ad Polycarpum. Præter has inueniuntur aliæ quinque ad Mariam Cassabolitam vna, ad Antiochenos altera, ad Tarsenses tertia, ad Philippenses quarta, ad Heronem quinta. Atque hæ quinque epistolæ, quamuis ad manus Eusebij, & Hieronymi non peruenerint; tamen ob styli similitudinem, & spiritum verè Apostolicum à viris doctis omninò recipiuntur.

Tres aliæ circumferuntur, ad B. Virginem Deiparam vna, & ad sanctum Ioannem Euangelistam duæ, quibus additur epistola B. Virginis ad Ignatiũ. Harum, primus (quod sciam) meminit S. Bernardus ser. 7. in Psalmum, Qui habitat: sed neque in codicibus Græcis habentur, neque grauitatem eloquij S. Ignatij omninò redolent.

Vnum hoc loco admonendum videtur, non esse magnam fidem habendam codicibus Græcis, qui nunc extant, quando discrepant à Latinis: sæpè enim emendatiores inueniuntur codices Latini, quàm Græci: quod verum esse intelliget, qui conferet testimonia, quæ ex Ignatio citant sanctus Athanasius in epistola ad Epictetum, & Theodoretus in Dialogis, cum verbis eiusdem Ignatij, quæ nunc habentur in codicibus Latinis, & Græcis.

De sancto Polycarpo. 71.

SAnctus Polycarpus Episcopus & martyr, vnam scripsit epistolam egregiam ad Philippenses, quæ cum epistolis sancti Ignatij circumfertur: eius epistolæ meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. & Eusebius lib. 3. hist. cap. 30. aliàs 36. Vixit tempore S. Ignatij, sed superuixit vsque ad Imperium M. Antonini, vt idem S. Hieronymus in eodem loco testatur.

De S. Dionysio Areopagita. 71.

SAnctus Dionysius Areopagita sancti Pauli Apostoli discipulus fuit, teste sancto Luca Act. 17. Quamuis autem à nonnullis dicatur martyrium subiisse sub Domitiano; contra tamen sentiunt alii, quoniam ipse idem sanctus Dionysius in libro de Diuinis nominibus cap. 4. nominatim allegat S. Ignatij verba ex epistola ad Romanos: quam epistolam scriptam esse constat anno vndecimo Traiani, quo anno sanctus Ignatius martyrio coronatus est. Scribit autem (inquit Areopagita) & diuinus Ignatius, amor meus crucifixus est: hæc autem verba in epistola ad Romanos loquuntur: quomodo igitur potest Dionysius obiisse tempore Domitiani, qui Traianum præcessit, si citat epistolã scriptam vndecimo anno Traiani? Existimamus igitur S. Dionysium fuisse quidem sanctorum Ignatij, & Polycarpi æqualem, sed superuixisse vsque ad Imperium Hadriani.

Opera sancti Dionysij quæ nunc extant hæc sunt:

De Cælesti Hierarchia, lib.	1
De Ecclesiastica Hierarchia.	1
De Diuinis nominibus.	1
De Mystica Theologia.	1
Item Epistolæ ad Caium.	4
Ad Dorotheum 1. Ad Sosipatrum.	1
Ad Polycarpum 1. Ad Demophilum.	1
Ad Titum 1. Ad Apollophanem.	1
Ad S. Ioannem Apostolum.	2

Ferebatur & vna ad B. Paulum: sed ab omnibus meritò reiecta est.

De cæteris operibus viri docti, & Catholici nihil dubitant. Soli hæretici Lutherani, & quidam Scioli, Erasmus, Valla, & pauci alij opera supra numerata negant esse sancti Dionysij Areopagitæ.

Sed (vt alia nunc omittam) ad auctoritatem his operibus conciliandam satis esse debet, quòd hæc opera probentur à sancto Gregorio Papa homil. trigesimaquarta in Euangelia, à sancto Martino Papa, & martyre in Concilio Romano, à sancto Agathone Pontifice in epistola ad Imperatorem Constantinum IV. & à Nicolao I. in epist. ad Michaelem Imperatorem. Item à Concilio VI. generali Act. 4. & à Concilio VII. Act. 2. Denique à sanctis Doctoribus plurimis, qui in hæc opera, tanquam germana sancti Dionysij Areopagitæ, commentaria scripserunt, vt à S. Maximo Monacho, à S. Thoma, & alijs.

Quod autem ante S. Gregorium Romanum nemo horum operum nomine sancti Dionysij Areopagitæ meminerit: causa videtur esse, quod alicubi latuerint, vt multa alia sæpè longo tempore delitescunt; & circa tempora sancti Gregorij reperta fuerint.

Quod enim quidam dicunt, citari nominatim hæc opera ab Origene homilia quadam in primum cap. Ioannis, & ab Athanasio in quæstionibus ad Antiochum quæst. 8. nihil efficit: nam in homilia illa nominantur Ariani, qui diu post Origenem exorti sunt: & in quæstionibus ad Antiochum nominantur auctores ipso Athanasio posteriores: ex quo sequitur vt illa testimonia esse non possint Origenis, vel Athanasij, sed recentiorum auctorum.

Scribunt quidem Liberatus Abbas in Breuiario cap. 10. & Athanasius Bibliothecarius in epistol. ad Carolum Caluum Imper. citari Dionysium Areopagitam à Ioan. Chrysostomo, & Cyrillo Alexandrino, sed quæ illi citant, non inueniuntur in locis citatis.

De sancto Martiale Episcopo Lemouicensi.

SAnctus Martialis I. Episcopus Lemouicensis, dicitur scripsisse duas epistolas, vnã ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum. Sed multa sunt, quæ eas epistolas suppositititas esse indicare videantur.

Primùm enim auctor harum epistolarum dicit, secum Christo vixisse, antequam crucifigeretur: Martialis autem Episcopus primus Lemouicensium missus fuit ad eam Vrbem, Decio Augusto, & Grato Coss. anno Domini 254. vt Gregorius Turronicus testatur lib. 1. hist. cap. 10. quare necesse est, vel Martialem vixisse fermè 300. annis, vel titulum epistolarũ esse falsum, qui actorem præfert Martialem Episcopum Lemouicensem, vel Epistolas esse confictas.

Deinde in secunda epistola cap. 8. scribit auctor à se baptizatum Stephanum Regem, & quendam alium Tyrannum cum Satrapis suis.

Atqui tempore Apostolorum, & etiam tempore Decij Imperatoris, non habuit Gallia vllos Reges, sed Imperio Romano subiecta erat. Primum enim Regem, Romanis expulsis, fuisse in Gallia Clodionem Comatum Faramundi filium post annum Dom. 400. testantur omnes historici, Gregorius Turronicus lib. 2. cap. 9. qui eum vocat Clogionem, Ado Viennensis, Abbas Vrspergensis, Aimoinus, Paulus AEmilius, Robertus Gaguinus, Papirius Massonius, & alij.

Tertiò, dicit idem auctor eodem loco, templa Idolorum euersa fuisse, & Ecclesias ædificatas auctoritate Regia ipso suo tempore: quæ videntur manifestè falsa; certè pugnant cum historijs Gregorij Turronici, Adonis, & aliorum.

Quartò, in epistola eadem cap. 9. citantur verba scripturæ Geneseos secundùm S. Hieronymi versionem, quod etiam in vtraq; epistola passim cernitur. Id verò signum est apertissimum nouitatis.

Quintò, in eadem epistola cap. 13. scribit auctor se interfuisse cum alijs discipulis quando Iudas osculo Dominum prodidit. Atqui hoc videtur repugnare Euangelio. Si quidem Marcus cap. 14. & Luc. c. 22. dicunt Christum cum duodecim vltimam cœnam celebrasse, & cum eisdem in hortum ingressum, ac deinde Iudæ obuiam iuisse.

Sextò, in epistola eadem, cap. 8. dicit, Valeriam quandam in ipsa Gallia martyrio coronatam. Id verò repugnat Sulpitio lib. secundo sacræ historiæ, & Gregorio Turronico, lib. 1. cap. 28. histor. Francorum, qui scribunt, temporibus M. Antonini primùm intra Gallias martyria visa.

Multa sunt alia, quæ his epistolis fidem detrahere videntur. Alioqui autem piæ sunt, & ex ijs non pauca dogmata Ecclesiastica confirmari possent aduersus nostri temporis hæreticos, si de tempore, quo scriptæ sunt, planè constaret.

De Abdia Babylonio.

ABdias Babylonius, vnus ex discipulis Domini fuisse dicitur. Sed vitæ Apostolorum, quæ sub nomine eius circumferuntur, fabulis similiores sunt, quàm vitæ narrationi. Sed neque eius Abdiæ, aut libri eius vllam in veteribus mentionem inuenio.

De Presbyteris Achaiæ, qui S. Andreæ passionem scripserunt.

EXtat Passio S. Andreæ Apostoli sub nomine Presbyterorum Achaiæ, qui dicunt se scripsisse ea, quibus ipsi interfuerunt. Audiui aliquando magnum quendam virum, eam historiam in dubium reuocantem. Sed certè non videtur negari posse, quin vera & antiqua, & vtilis historia sit.

Petrus Damiani, qui ante sexcentos annos floruit, in serm. 2. de sancto Andrea, de hac historia sic loquitur; Non immerito in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt, & ministri fuerunt sermonis. Sanctus etiam Bernardus in serm. de S. Andrea, in vigilia eius, & in duobus, quos habuit in die festo, miris laudibus effert verba A S. Andreæ ad crucem, quæ in hoc libro ad verbum inueniuntur.

Ioannes à Louanio vir multæ doctrinæ, & iudicij in censura de passionibus sanctorum, quæ habetur in Martyrologio Molani, hanc historiam, vt legitimam, probauit.

Idem fecit Aloysius Lipomanus, vir grauissimus, qui ex probatis auctoribus vitas sanctorum descripsit. Deniq; in Breuiario Romano, nuper recognito historia hæc, cùm de ea inter viros doctos, & graues acriter disputatum esset, omnium consensu approbata locum suum retinuit.

Seculum secundum ab Anno 100. ab 200.

B

De S. Iustino Martyre. 150.

POst Apostolica tempora primus eorum, quorum scripta ad nos peruenerunt, videtur esse S. Iustinus Philosophus & Martyr. Floruit enim temporibus Antonini Pij, & successorum eius Marci Aurelij, & Lucij veri; & in Apologia ad Imp. & Senatum, populumque Romanum, scribit, numerari eo tempore annos 150. à Christi natiuitate.

Opera eius multa recensentur ab Eusebio lib. 4. hist. cap. 17. & à S. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. quorum operum aliqua non extant, & quædam etiam extant, quorum illi non meminerunt. Hæc igitur Iustini opera nunc feruntur.

Dialogus cum Triphone Iudæo Ephesi habitus: C

Apologia ad Senatum Romanum.
Apologia altera ad Imp. Antoninum Pium.
Oratio Parenetica ad gentes.
De Monarchia.
Expositio fidei, siue de recta confessione.
Epistola ad Zenam & Serenum.
Interrogationes, siue quęstiones positę gentibus, & gentium ad eas responsiones, earumque refutationes.
Interrogationes, siue quæstiones gentium positæ Christianis, & ad eas responsiones.
Refutatio quorundam Aristotelis dogmatum.

Et quidem de primis quinque libris, quorum Eusebius, & Hieronymus meminerunt non videtur posse dubitari. Sciendum est autem Apologiam priorem, vt in nostris libris D habemus, reipsa esse posteriorem, & non ad Senatum datam, vt nostri libri habent, sed ad Marcum & Lucium Imperatoris Pij successores, vt apertè colligitur ex Eusebio, & Hieronymo locis citatis: sed fefellit nostros, quia Apologia prior caret initio, & ideo non potuit cognosci ad quem, vel ad quos directa esset.

Liber de expositione fidei, siue de confessione rectæ fidei, cuiuscunque sit, insignis liber est, & Iustino auctore dignus. Ambigo tamen an eius sit, primo, quia veteres eius non meminerunt. Secundò, quia stylus videtur esse diuersus à stylo Iustini. Tertiò, quoniam multo apertius, & distinctius differit de mysteriis Trinitatis, & Incarnationis, quàm scriptores eius seculi facere soleant.

De epistola ad Zenam & Serenum idipsum censeo.

De libro quæstionum quinque gentibus à Christianis positarum, facilè iudicari potest, eum librum non esse Iustini; quòd in eo sæpè fiat mentio Manichæorum, quos post mortem Iustini exortos esse constat. Idem iudicium fieri potest de quæstionibus 146. quas gentes Christianis posuerunt: nam quæst. 82. & 86. citatur Origenes & quæst. 115. citatur Irenæus, & martyr appellatur: cùm tamẽ Iustinus vtroque antiquior fuerit: nam ipse etiam Irenæus lib. 5. Iustinum Martyrem adducit, tanquam se antiquiorem.

De reprehensione dogmatum Aristotelis, meminit Photius in Bibliotheca; neque extat euidens indicium falsitatis, ideò nihil habeo quod dicam.

De Melitone. 150.

SAnctus Melito Sardensis Episcopus M. Aurelij Imp. tempore floruit; cui etiam Apologiam pro Christianis obtulit, vt refert Eusebius lib. 4. hist. cap. 25. Multa scripsit, quorum fragmenta extant apud Eusebium loco notato. Inter quæ fragmenta continetur Catalogus librorũ Testamenti veteris, in quo liber Sapientiæ tribuitur Salomoni: & hic solus liber recensetur à Melitone ex iis, qui in Hebraicis codicibus non habentur: vt etiam solus liber Ester omittitur ex iis, qui sunt in Hebræo.

Tribuitur etiam Melitoni liber de transitu B. Virginis, qui extat in 7. tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2. sed indignus liber est, qui tanto viro tribuatur.

De Athenagora. 155.

AThenagoras æqualis Iustini fuit, & insignem Apologiam pro Christianis scripsit, & Impp. Marco Aurelio Antonino, & Aurelio Commodo obtulit: quam sub nomine Athenagoræ citat S. Epiphanius in hæresi Origenis, vbi refert verba Procli ex Methodio.

Scripsit etiam librum de Resurrectione: vtrumque opus extat tom. 9. Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2. & suspicione caret. Mirum autem est, cur Eusebius diligentissimus scriptorum inuestigator huius auctoris non meminerit.

Quod autem sanctus Hieronymus hunc scriptorem omiserit, non est adeò mirum, cùm satis constet, catalogum S. Hieronymi ex historia Eusebij esse desumptum, quoad illos scriptores, qui Eusebium præcesserunt.

De S. Theophilo. 190.

SAnctus Theophilus Episcopus Antiochenus, sextus ab Apostolo Petro, vixit tempore M. Aurelij Imp. & sub Commodo eius filio obiit, teste Eusebio in Chronico. Scripsit multa, teste S. Hierony. lib. de Script. Eccles. sed nunc extant in 1. tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum secundę editionis, commentaria in quatuor Euangelia: & libri tres ad Autolycum aduersus Christianæ Religionis calumniatores.

A

De Tatiano. 170.

TAtianus S. Iustini auditor, scripsit infinita volumina, ex quibus (inquit S. Hieronymus de Script. Eccles.) vnus contra gentiles florẽtissimus extat liber, qui liber nuper est inuentus, & editus in 4. tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum secundæ editionis. Porrò Tatianus post martyrium S. Iustini à Fide catholica defecit, & in superbiam elatus hæresiarcha factus est.

De Egesippo. 177.

EGesippus æqualis Iustini, & Athenagoræ fuit, vt ex Eusebio lib. 4. histor. cap. 21. & S. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. perspicuum est. Scripsit historiam Ecclesiasticam vsq; ad sua tempora, id est, vsque ad Aniceti Pontificatum. Huius historię meminerunt

B

Eusebius & S. Hieronymus locis citatis, in quibus fragmenta historiæ eiusdẽ leguntur. Nunc non extat. Libri verò de excidio Hierosolymæ, qui sub nomine Egesippi circumferuntur; aut alterius Egesippi recentioris, aut suppositititij sunt. Certè ex lib. 3. cap. 5. colligitur, post Constantini tempora libros illos fuisse conscriptos.

De S. Irenæo. 180.

SAnctus Irenæus Episcopus & Martyr, Commodo Imperatore & Eleuthero vixit: & tempore Seueri Imp. martyrium consummauit. scripsit multa; sed ad nos non peruenerunt, nisi quinque libri aduersus Valentinum, qui pleni sunt doctrina, & pietate. Ambigunt nonnulli, Græcè ne an Latinè scripserit; quoniam non inueniuntur eius libri, nisi latinè conscripti: & tamen ipse natione

C

Gręcus erat, & S. Polycarpi discipulus, & phrasis eius græcismum redolet. Sanctus Hieronymus libro 11. in Ezechielem explanans cap. 36. Ezechielis, apertè Irenæum inter Scriptores Græcos numerat: & in lib. de Script. Eccles. in Tertulliano, dicit, Tertullianum esse primum Latinorum post Apollonium, & Victorem, quorum vterque Irenæo posterior est.

Seculum tertium ab Anno 200. ab 300.

De Tertulliano 230.

TErtullianus tempore Seueri Imperatoris floruit, vt ipse testatur lib. 1. in Marcionem, in Apologetico cap. 4. & alibi. Initio catholicus ardẽtissimi zeli, deinde in Montani hæresim prolapsus contra Ecclesiam non

D

pauca scripsit. Ergo opera Tertulliani indubitata sunt.

De patientia, lib. 1. De Carne Christi 1.
De Resurrectione carnis 1.
De præscriptionibus aduersus hæreticos 1.
Aduersus Iudæos 1. Aduersus Marcionem 5.
Aduersus Valentinianos 1.
Aduersus Hermogenẽ 1. Aduers. Praxeam 1.
De corona Militis 1. Ad Martyres 1.
De Pœnitentia 1. De Virginibus velandis 1.
De Habitu muliebri 1. De cultu Feminarũ 1.
Ad Vxorem suã 2. † De fuga in persecutione 1.
Ad Scapulam 1. De testimonio animæ 1
De Anima 1. † De exhortatione Castitatis 1.
† De Monogamia 1. De Baptismo 1.
De Pallio 1. De Idololatria 1. † De Pudicitia 1.

De Ieiunio aduersus Psychicos 1.
Scorpiacum contra Gnosticos 1.
De Oratione 1. De Spectaculis 1.
Apologeticus aduersus gentes 1.

Ex his libris S.Hieronymus in lib. de Script. Eccles. dicit, scriptos esse contra Ecclesiam à Tertulliano iam tum hæretico, Librum de fuga in persecutione, De exhortatione Castitatis, De Monogamia, De Pudicitia, De Ieiunio, quibus crucem addidimus. Librum de oratione scribit S.Hilarius in Can.5. Matthæi, esse volumen aptissimum, sed consequentem errorem auctoris detraxisse scriptis probabilibus auctoritatem.

Opera Tertulliani dubia, vel supposititia.

De Trinitate, lib. 1.
De cibis Iudaicis, Epistola.

B De libro de Trinitate dissentiunt S.Hieronymus, & Ruffinus: hic enim in Apologia pro Origene scribit, librum de Trinitate Tertulliani ab hæreticis cum operibus S. Cypriani coniunctum fuisse, vt fallerent incautos. Ille autem in 2. lib. aduersus Ruffinum contra asserit, librum illum de Trinitate, non esse Tertulliani, sed Nouatiani.

Idem etiam S.Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Nouatiano, scribit, Nouatianum scripsisse grande volumen de Trinitate quasi Epitomen operis Tertulliani. Vbi apertè significat, Tertullianum quoq; scripsisse de Trinitate, cuius libri epitomen Nouatianus ediderit. Sed quicquid de hac re sit, dubitari non posse

C existimo quin liber de Trinitate, qui nunc extat inter opera Tertulliani, Tertulliani non sit: nam in eo libro refutatur nominatim Sabelliana hæresis. Sabellius autem post tempora Tertulliani apparuit; & in tempora Nouatiani incidit, vt notum est ex epistola Dionysij Alexandrini apud Eusebium lib.7. hist.c.5. Adde quod stylus (vt etiam S.Hieronymus annotauit) apertè clamat, librum illum Tertulliani non esse.

Liber, siue Epistola de cibis Iudaicis, non videtur stylum habere Tertulliani: & videtur ab aliquo Episcopo propriæ plebi transmissus. Tertullianus autem Episcopus non fuit. Interim tamen nihil definio, sed causas dubitandi in medium pono. Illud postremo addendum videtur, Tertulliani libros cum iudicio esse legendos, non eos tantum, quos S.Hieronymo

D teste, contra Ecclesiam propriè scripsit, sed etiam librum aduersus Praxeam, librum de Anima, librum aduersus Hermogenem, librum de carne Christi, & librum de Pœnitentia. In his enim propositiones non paucæ, vel erroneæ, vel certè suspectæ occurrunt.

De Clemente Alexandrino. 204.

CLemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, vir doctissimus, Panteni discipulus, & Origenis magister, vixit sub Seuero Imp. vt ipse testatur lib.1. Stromatũ. Ibi enim deducit tempora Imperatorũ vsq; ad obitum Commodi, cui Seuerus successit, post breuissimum Imperium Pertinacis, & Iuliani. Multa scripsit, quorum meminerunt Eusebius lib.5. histor.cap.11. & sanctus Hieronym. de Script.

A Ecclesiast. Nunc verò hæc opera supersunt:

Stromatum libri octo.
Pædagogi libri tres.
Oratio exhortatoria ad gentes.

Neque de his dubitatio vlla est. Meminit Cassiod. in lib.1. Diuinarũ institutionũ explanationis Clementis Alexandrini in Epistolas canonicas, quę an ea sit, quæ in Bibliotheca SS. Patrum inuenitur, non facilè iudicare possum.

Non desunt in hoc insigni auctore sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, quas in libris nostris Controuersiarum notauimus, & ob quas Gelasius Papa, in Concilio quodam Romano, Clementis huius opuscula inter apocrypha retulit. Vtrum autem sententiæ illæ ab hæreticis insertæ sint, vt aliqui piè credunt, an auctori more humano exciderint ignoramus.

De Minutio Felice. 206.

MInutius Felix Tertulliani æqualis, scripsit Dialogũ inter Christianum Octauium, & Ethnicum Cæcilium, qui dialogus, Octauius inscribitur; atq; inde factum est, cùm auctor ignoraretur, vt septem libris Arnobij contra gentes, hic veluti octauus adiungeretur. Sed re vera non est octauus liber Arnobij, sed Octauius Minutij Felicis, Causidici Romani insignis, vt S.Hieronymus testatur in lib. de Script. Eccles.

De S.Hippolyto Episcopo, & Martyre. 220.

SAnctus Hippolytus Episcopus Portuensis, & martyr, Clementis Alexandrini discipulus, sub Alexandro Seuero martyrium consummauit.

Multa scripsit, quæ enumerantur ab Eusebio lib.6. histor. cap.16. & à S. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. Nunc solum extant excerpta quædã ex libris S. Hippolyti de Theologia, & Incarnatione, apud Henricum Canisium tomo 5. antiquæ lectionis: necnon in Bibliotheca Sanctorum Patrum, Oratio de consummatione Mundi, de Antichristo, & secundo aduentu Domini nostri Iesu Christi.

Consulat Lector notationes Card. Baronij ad Martyrologium die 22. Augusti.

De Iuliano Africano. 222.

IVlius Africanus paulò senior Origene fuisse videtur, cùm in epistola ad Origenem, eum filiũ appellet. Scripsit librum de temporibus ab origine Mundi vsq; ad Macrinum Imperatorem, sub quo ipse viuebat, & ad M. Antoninum Heliogabalum, legationem suscepit, vt S.Hieronymus testatur in libro de Script. Ecclesiast. Sed hi libri perierunt, cùm tamen extarent tempore Photij, vt ipse in Bibliotheca scribit. Extat hoc tempore solùm Epistola ad Origenem de historia Susannæ, quam fabulosam esse contendit: cui respondit Origenes, veram illam esse demonstrans: Epistola Iulij Africani extat in 2. tomo operum Origenis.

De Origene. 226.

ORigenes Adamantius Clementis Alexandrini discipulus vixit vsque ad tempora Galli, & Volusiani Imp. teste sancto

Hiero-

Hieronymo in libro de Scriptor. Ecclesiast. Quamuis autem doctissimus fuerit, deceptus tamen ex Platonis philosophia in multos errores incidit. Sanctus Basilius in libro de Spiritu sancto cap. 30. dicit, Origenem non habuisse sanas de Spiritu sancto opiniones. Sanctus Epiphanius in libris de hæresibus ponit Origenem in numero aliorum hæreticorum. Sanctus Hieronymus vertit in Latinum idioma libros Origenis Periarchon, vt ostenderet errores plurimos, quibus libri illi scatent. Denique in quinta Synodo generali collatione 8. can. 11. dicitur anathema Origeni, & scriptis eius, sicut Ario, Eunomio, Macedonio, Nestorio, & Eutycheti: & in libro qui inscribitur, Pratum spirituale cap. 25. in quadam reuelatione visus est Origenes cum Ario, alijsque hæreticis in gehennæ ignibus torqueri. Citatur autem Pratum spirituale in septima Synodo generali, ne quis eum librum spernendum censeat. Hæc præmittenda existimaui propter eos, qui Origenem defendere, vel excusare conantur, quales fuerunt olim Eusebius in libro sexto histor. Ecclesiast. & in Apologia pro Origene, quam nomine Pamphili martyris edidit: & qui Eusebium imitatus est, Ruffinus, qui etiam Apologiam pro eodem Origine scripsit. Deinde paulo ante nostram ætatem eandem defensionem suscepit Ioannes Picus; & nostro tempore Gilbertus Genebrardus.

Opera Origenis ascendunt ad sena millia librorum, teste Epiphanio in hæresi Origenis, quæ est ordine 64. Sed plurima perierunt. Quæ nunc extant in duos tomos distributa hæc sunt:

Primi Tomi.

In Genesim homiliæ 17. In Exodum hom. 13.
In Leuiticum hom. 16. In Numeros hom. 28.
In librum Iosue homil. 26.
In librum Iudicum homil. 9.
In lib. Regum hom. 1. In librum Iob libri 3.
In psalm. 36. 37. & 38. homil. 9.
In Cantica canticorum homil. 6.
In Isaiam homil. 9. In Hieremiam hom. 14.
In Ezechielem homil. 14.
Periarchon, id est, de principijs lib. 4.
Threni, siue planctus Origenis tract. 1.
De recta in Deum fide Dialogus.
Commentaria in Iob, Ioachimo Perionio interprete.
In eundem homil. 4.

Secundi Tomi.

In Matthæum tractatus, 35. In Lucam hom. 39.
In Ioannem tractatus, 32.
In diuersos locos noui Testamenti homil. 10.
In epist. ad Rom. lib. 36. Contra Celsum lib. 8.
Contra Marcionistas Dialogi.
Philocalia, siue de amore honesti.
De Susannæ historia Epitome.
De eadem historia Iulij Africani epistola, & ad eandem Origenis responsio.

His addi possunt Tetrapla, Exapla, & Octapla Origenis labore contexta. Tetrapla sunt quatuor editiones testamenti veteris. 70. Interpretum, Aquilę, Symmachi, & Theodotionis. Exapla sunt quatuor illæ adiunctis duabus Hebraicis, altera literis Hebraicis, altera literis Græcis. Octapla sunt, editiones sex supradictæ, adiunctis duabus sine nomine auctoris, quinta, & sexta: addidit ipse Origenes septimam editionem ex versione 70. Interpretum emendata, & cum Theodotionis versione collata, additis asteriscis, & obeliscis. Vide de his editionibus Epiphanium in libro de ponderibus, & mensuris.

Opera dubia, vel supposititia.

HOmiliæ in Leuiticum habentur etiam inter libros S. Cyrilli; sed verè Origenis sunt, non S. Cyrilli: nam & phrasim Origenis seruant, & erroribus eiusdem scatent.

Libri tres in Iob, non videntur esse Origenis: nam lib. 1. Meminit auctor Homousianorum, quam dicit esse sectam trium Deorum, quæ totum orbem repleuit. At nomen Homousianorum inuentum est ab Arianis, qui post obitum Origenis apparuerunt. Deinde libro 2. meminit auctor S. Luciani iam tum martyrio affecti. At sanctus Lucianus posterior Origene fuit.

Commentaria quoque in Iob, Perionio interprete, non videntur esse Origenis: nam in explanatione cap. 3. adfert expositionem S. Luciani martyris; item in explanatione cap. 7. & 8. refellit Manichæos nominatim: & in cap. 18. meminit Homousianistarum. At Manichæi & Ariani, qui Catholicos Homousianistas vocabant, post Origenem exorti sunt.

De Homilijs in Psalmos aliqui dubitant, an sint Origenis.

Homiliæ in diuersa loca Euangelij, sine dubio non sunt omnes Origenis.

In Homilia in primum caput Ioannis mentio fit Manichæorum, & Arianorum, qui post Origenem exorti sunt.

In Homilia nona in diuersa loca, inueniuntur fragmenta ex sancto Hieronymo in vltimum caput Isaiæ Prophetæ, & ex sancto Gregorio lib. 15. Moralium cap. 14. & ex alijs Origene posterioribus; & ea fragmenta Hieronymi, & Gregorij, non Origenis esse stylus manifestè docet.

In Homilia, de S. Maria Magdalena super illud, Maria stabat ad monumentum foris plorans, stylus est planè Latinus.

Tractatus quintus in Matthæum videtur esse Latini auctoris: nam adducens auctor verba Isaiæ 48. Dominus misit me, & spiritus eius; in Græco, inquit, Spiritus sanctus neutri generis est, non masculini, vt apud nos. Vbi se inter Latinos numerat. Et si tractatus quintus Latini auctoris est, non parua suspicio est, reliquos etiam tractatus eiusdem operis, Latini auctoris esse. Atque hæc pauca de Origene.

De Ammonio Alexandrino. 226.

AMmonius Alexandrinus tempore Alexandri Imper. vixit, & scripsit canones euangelicos, quos alij harmoniam euangelicam vocant: quam Victor Capuanus cum Tatiani diatessaron confudisse videtur. Vide in Bibliotheca sanctorū Patrum tomum 7. editionis secundæ, & Card. Baronium tomo 2. Annalium ad annum Dom. 174.

De S. Gregorio Thaumaturgo. 233.

A Sanctus Gregorius antea Theodorus dictus, Episcopus fuit Neocæsariensis, & à magnitudine miraculorum patratorum Thaumaturgus appellatus, auditor fuit Origenis, dum esset adolescens, sed ab erroribus eius omnino immunis fuit. Claruit tempore Alexandri Seueri, cuius ann. 10. factum Episcopum scribit Card. Baronius in secundo tomo Annalium, ad ann. 233.

Scripsit Metaphrasim in Ecclesiastem.

Panegyricum in Origenem.

Breuem fidei confessionem, quam ex reuelatione B. Ioannis Apostoli didicit.

Expositionem fidei aduersus Elianum.

Et Epistolam Canonicam.

His nuper adiunxit Gerardus Vossius duodecim sententias cum anathematismis: Qui B extant Græcè, & Latinè apud Henricum Canisium tomo tertio antiquæ lectionis.

Tres Sermones eiusdem sancti Gregorij de Annuntiatione B. Virginis.

Item Sermonem de Baptismo Christi, siue de Theophania Domini: denique disputationem de Anima ad Tatianum.

Et quidem de metaphrasi nullum est dubium. Eius enim testatur sanctus Hieronymus tum in libro de Scriptor. Eccles. tum in Commentario ad cap. 4. Ecclesiastæ. Ruffinus etiam meminit lib. 7. histor. Eusebij cap. 25. & falluntur, qui eam tribuunt Gregorio Nazianzeno.

De Panegyrico quoque in Origenem res notissima est. Scripsit enim illum adolescens, C & coram ingenti multitudine, ipso etiam Origene audiente, recitauit, teste S. Hieronymo de Scriptor. Eccles. & hoc tempore in lucem prodijt auctore Gerardo Vossio hunc ipsum Panegyricum Græcè, & Latinè.

Non minus certum est didicisse sanctum Gregorium confessionem fidei à beato Ioanne Euangelista sibi cum ipsa sanctissima Virgine Deipara apparente; cuius rei meminit Gregorius Nyssenus in vita Gregorij Thaumaturgi: & eam ipsam fidei confessionem ab eodem Gregorio scriptam, totidem verbis referunt idem Gregorius Nyssenus, & alij.

Denique extra Controuersiam est epistola canonica, quam etiam Balsamon Commentarijs illustrauit.

Expositionem fidei, quam sanctus Gregorius scripsit, existimat Gerardus Vossius se D inuenisse, & edidisse: sed fortasse fallitur: nam expositio illa fidei, cuius meminit sanctus Basilius in epistol. 64. ad Neocæsarienses, quæ verè à Gregorio Thaumaturgo scripta fuerat aduersus Elianum, multum differt ab ista, quæ nunc extat apud Vossium. In illa enim habebatur, Patrem & filium hypostasi esse vnum, & sola animi cogitatione distingui: vnde suspicio orta erat, à Gregorio foueri hæresim Sabellij: & sanctus Basilius laborat, vt sanctum Gregorium à Sabellianismi suspicione defendat. Sed videtur sanctus Gregorius per hypostasim intelligere voluisse substantiam, siue essentiam. nam de voce hypostasis differens sanctus Hieronymus in Epistola ad Damasum dicit, totam secularium literarum scholam nihil aliud per hypostasim, nisi vsiam nosse. At expositio fidei, quam Vossius edidit, Sabellium nominatim refutat, neque vnquam dicit, Patrem & filium hypostasi esse vnum, & sola rationis cogitatione distingui: sed contra dicit, Patrem & filium natura diuinitatis esse vnum, & vnamquamque personam per se subsistere, & aliam esse hypostasim Patris, aliam filij, &c. Præterea expositio fidei Vossiana videtur omnino scripta contra Arianos, ac per hoc satis diu post tempora sancti Gregorij Thaumaturgi: sic enim incipit, Inimicissimi, & alieni à confessione Apostolica sunt, qui dicunt, esse filium ex non extantibus, &c. & infra, Eos vero, qui communicant cum ijs, qui reijciunt homousion, tanquam alienum à scripturis, & qui dicunt aliquid ex Trinitate creatum esse, alienos existimamus.

Constat autem Arianos fuisse, qui dicebant, filium esse ex non extantibus, & qui reijciebant vocem, homousion, tanquam alienam à scripturis. Quin etiam ita disputat hic auctor de Incarnatione, vt videatur refellere Nestorianos, & Eutychianos.

Eadem censura addi potest ad duodecim capitula cum anathematismis, quæ Gerardus Vossius sancto Gregorio tribuit. Videntur enim illa capitula quasi appendix quædam ad expositionem fidei adiuncta; ac præcipue Nestorij & Eutychetis erroribus opponuntur: qui hæretici longe post obitum S. Gregorij exorti sunt.

De sermonibus in Annunciationem, & Theophaniam Dominicam, vt etiam de libello De anima ad Tatianum, nihil certi habeo, cùm nec veteres horum operum meminerint; neque tamen conuinci possit, eos esse suppositios.

De S. Cornelio Papa. 254.

Sanctus Cornelius Papa tempore Decij sedit, & scripsit insignes epistolas, quarum meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. è quibus extat solum epistola ad Fabium, siue Flauianum Antiochenum Episcopum, sed non integra, apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 35. & alia breuis ad Lupicinum, tomo 1. Bibliothecæ sanctorum Patrum: & aliæ duæ inter epistolas sancti Cypriani.

De S. Sixto Secundo.

Sixtus Secundus Pontifex, & martyr dicitur scripsisse librum sententiarum, siue prouerbiorum, qui citatur à sancto Augustino lib. De natura, & gratia, cap. 64. & extat in tomo 5. Bibliothecæ sanctorum Patrum edit. 2.

Cæterum liber ille falsò tribuitur sancto Sixto martyri, cùm sit Sixti philosophi ethnici, vt sanctus Hieronymus demonstrat in epistola ad Cthesiphontem; & in cap. 22. Hieremiæ, & in cap. 18. Ezechielis: & sanctus Augustinus libro 2. Retractationum, cap. 42. retractat locum citatum ex libro de natura & gratia. Denique Gelasius in Concilio 70. Episcoporum reprobat librum prouerbiorum sub nomine sancti Sixti ab hæreticis con-

scriptum:

scriptum: dicit autem ab hæreticis conscriptum, quia Ruffinus eum librum plenum erroribus conuertit ex Græco, & sancto Sixto attribuit.

De sancto Cypriano. 250.

Sanctus Cyprianus vir eloquentissimus, & sanctissimus sub Valeriano, & Gallieno martyrium passus est, teste sancto Hieronymo in libro de Script. Eccles. sed in Episcopum promotus fuit temporibus Fabiani Papæ, & Philippi Imp. proinde sedit temporibus Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani, & Sixti Pontificum Romanorum. Opera eius multa extant, sed non omnia indubitata: primo igitur catalogum texemus operum indubitatorum.

Opera sancti Cypriani, indubitata.

Epistolarum libri quatuor, quas Pamelius ordine temporum digessit, & sunt numero 83.
De habitu Virginum, tractatus vnus.
De lapsis, 1.
De simplicitate Prælatorum, siue de vnitate Ecclesiæ, 1.
De oratione Dominica, 1.
Contra Demetrianum, 1.
De Idolorum vanitate, 1.
De mortalitate, 1. De Eleemosyna, 1.
De bono patientiæ, 1. De zelo, & liuore, 1.
De exhortatione Martyrij, 1.
Ad Quirinum contra Iudæos, libri tres.
Ad Iubaianum de baptizandis hæreticis, 1.
Ad Pompeium contra epistolam Stephani Papæ, 1.
Hos tamen duos libros Pamelius inter epistolas coniecit, & sunt epistolæ 73. & 74.
Sententiarum ex Concilio Carthaginensi de hæreticis baptizandis, 1.

Opera supposititia, vel dubia.

De monte Sina, & Sion, tractatus vnus.
De reuelatione capitis sancti Ioan. Baptistæ.
Expositio symboli.
De singularitate Clericorum.
De operibus Cardinalibus Christi, serm. 12.
De laude Martyrij.
De disciplina, & bono pudicitiæ.
Ad Nouatianum de spe veniæ lapsis non neganda.
De duplici martyrio. De aleatoribus.
De cœnæ dispositione.
De duodecim abusionibus seculi.
De spectaculis.
De Iudaica incredulitate ad Vigilium.
De Iudæis, qui insecuti sunt Christum.
Carmen, Genesis. Carmen, Sodoma.
Carmen ad Apostatam Senatorem.
Hymnus de Pascha.
Oratio pro Martyribus, quæ incipit, Agios.
Oratio altera, quæ incipit, Domine sancte Pater.

Tractatus de monte Sina, & Sion non habet stylum sancti Cypriani.

Tractatus de reuelatione capitis sancti Ioannis Baptistæ, non est sancti Cypriani, sed auctoris multo recentioris, qui in hoc ipso opere mentionem facit sanctorum Athanasij, & Cyrilli: item Theodosij Imp. & Pipini Re- A gis Francorum: & ipsa reuelatio capitis sancti Ioannis Baptistæ contigit sub Theodosio, vt Nicephorus testatur lib. 12. cap. 49. Itaque reuelatio de qua hic agitur facta est annis plus centum post obitum sancti Cypriani.

Expositio Symboli, non est sancti Cypriani, sed Ruffini: nomine Ruffini habetur inter opera sancti Hieronymi: & testatur Gennadius in libro de viris illustribus, Ruffinum in explicatione Symboli excelluisse: denique stylus est Ruffini, non sancti Cypriani.

Tractatus de singularitate Clericorum, vbi prohibetur Clericis cohabitatio feminarum, insignis & vtilis est, & antiqui sine dubio auctoris: nonnullis videtur esse potius Origenis, quam Cypriani. Sed tamen stylus apertè reclamat; & Latinum auctorem, non Græcum B esse clamat. Idem etiam stylus satis diuersus est à stylo sancti Cypriani, & verba multa parum latina admiscet, quæ in Cypriano non inueniuntur, qualia sunt, inordinaliter, contubernalitas, mulcedo, passibilitas, & alia.

Sermones de operibus Cardinalibus Christi eruditi, & antiqui auctoris sunt, sed non videntur esse Cypriani. Primum enim stylus multo humilior est, quàm sancti Cypriani esse soleat. Deinde in sermone de tentatione & ieiunio, docet hic auctor, Diabolum cecidisse de cælo ante hominis creationem: cuius sententiæ contrarium habet sanctus Cyprianus in tractatu de zelo, & liuore. Denique in præfatione sic alloquitur sanctum Cornelium Papam, Quia, inquit, solent aliquando Patres nugis infantilibus arridere, & linguis balbutientibus delectari, indulgentiam meretur humi- C litas, quæ quo potest accessu sublimitatis vestræ manibus se porrigit attrectandam: hæc ille. At S. Cyprianus semper Cornelium fratrem, & collegam appellabat: nec ignorabat, se non minus doctum, & disertum, quàm Cornelius esset; & cùm præterea Episcopus ante Cornelium ordinatus fuisset, & in Ecclesia vniuersa mirificè clareret; nunquam profectò scripta sua nugas infantiles appellaret: neque diceret, sublimitatem Cornelij lingua balbutienti Cypriani oblectari debere.

Libellus de laude martyrij ideo positus est inter opera Cypriani dubia, quoniam Erasmus dubitauit ob aliquam styli dissimilitudinem. Sed communiter admittitur inter vera opera sancti Cypriani, præsertim cùm Moses, D & Maximus, ad quos liber iste scribitur, in epistola ad Cyprianum, quæ est 26. inter epistolas sancti Cypriani, huius ipsius libri mentionem faciant: neque stylus dissidet ab alijs operibus, nisi quòd est magis elaboratus, quàm aliqua alia eiusdem opera, sed non magis, quàm omnia. Siquidem epistola secunda, quæ est ad Donatum, non cedit huic libello; & tamen illa epistola est, hic vero liber similis orationi in genere demonstratiuo.

Liber de disciplina, & bono pudicitiæ; & liber ad Nouitianum de spe veniæ danda lapsis; sancti Cypriani mihi esse videtur; quicquid Erasmus dicat, qui nimis subtiliter de styli dissimilitudine aliquando iudicat.

Liber de duplici Martyrio, sancti Cypriani esse non potest, cùm auctor mentionem faciat

Diocle-

Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, qui nondum imperare cœperant, cùm S. Cyprianus martyrium pateretur: ac vt magis miremur qua fronte eiusmodi libri sub Cypriani nomine edantur, meminit hic idem auctor belli Cæsarei contra Turcas.

Liber de aleatoribus vtilis & doctus est; sed non videtur esse Cypriani, cùm in principio satis apertè significet auctor, se vniuersali Ecclesiæ præsidere, & Apostolatum gerere super quem Christus fundauit Ecclesiam, & Christi vicariam Sedem obtinere, & sibi traditas esse claues ligandi, & soluendi, &c. Itaque videtur libellus esse alicuius Romani Pontificis, qui S. Cypriani scriptiones imitatur, quamuis styli eius elegantiam non assequatur.

Liber de cœnæ dispositione non solum Cypriani non est, verum neque alicuius docti hominis est. Fortasse auctor eius Cyprianus dicebatur, sed longè diuersus ab illo, de quo nunc agimus: nam neque verba, neque sententias habet homine docto dignas: sed ineptas, & ridiculas narrationes, & fabellas.

Liber de duodecim abusionibus seculi S. Cypriani esse non potest, cùm passim citet scripturas ex versione S. Hieronymi: qua ratione neque S. Augustini erit, quamuis inter eius etiam opera feratur.

Liber de spectaculis egregius est, & ad imitationem libri Tertulliani de eodem argumento conscriptus. Ratio dubitandi sit ne Cypriani, an non, sola styli diuersitas esse videtur.

Liber de incredulitate Iudaica ad Vigilium, nihil est aliud, nisi versio in Latinam linguam dialogi Græci inter Iasonem Christianum, & Papiscum Hebræum: qui Græcus dialogus antiquissimus est, cùm eius meminerit Origenes libro 4. contra Celsum. Auctor autem Latinæ versionis non Cyprianus, sed Celsus dicitur, vt perspicuum est ex vltimis verbis libri.

Liber de Iudæis, qui insecuti sunt Christum, S. Cypriani non esse videtur ob nimis magnam styli diuersitatem.

De carminibus & orationibus nihil certi habeo: nam neque habemus veterum testimonia, vnde probemus opera ista esse Cypriani: neque habemus argumenta, vnde probemus non esse. opera sunt grauia, & docta, & S. Cypriano digna.

De S. Pontio Diacono. 250.

SAnctus Pontius Diaconus S. Cypriani, scripsit insigne volumen de vita, & passione sancti Cypriani, teste sancto Hieronymo de Scriptor. Eccles. Id volumen extat ad initium S. Cypriani in editione Iacobi Pamelij.

De S. Dionysio Alexandrino. 250.

SAnctus Dionysius Alexandrinus Episcopus æqualis fuit sancti Cypriani, sed paulo prior in Episcopatu, & paulo posterior in morte: & scripsit libros, & epistolas multas, teste sancto Hieronymo de Scriptor. Eccles. Extat nunc epistola vna satis breuis inter canones Ecclesiasticos Græcorum cum annotationibus Balsamonis. Extat epistola insignis contra Paulum Samosatenum Romæ edita græcè, & latinè anno 1608. Extant etiam multa, & magna fragmenta operum huius Dionysij apud Eusebium libro 6. histor. cap. 35. & sequentibus vsque ad finem libri, & lib. 7. cap. 1. & sequentibus vsque ad 21. Extant denique alia fragmenta apud Athanasium in libro de sententia Dionysij Alexandrini, & in lib. de sententia Nicænæ Synodi. Neque de his vlla controuersia est.

De sancto Zenone Episcopo, & Martyre. 260.

ECclesia Veronensis sanctum Zenonem Episcopum veneratur, quem sub Gallieno Imperatore passum esse prædicat, & eius sermones permultos nuper edidit. Huius Zenonis Episcopi, & martyris nulla fit mentio apud Eusebium in histor. neque apud sanctum Hieronymum in libro de Scriptor. Eccles.

Primus est sanctus Gregorius, qui sanctum Zenonem Episcopum Veronæ Martyrem nominat, libro 3. Dialogorum, cap. 19. sed de operibus eius mentionem nullam facit. Extant sub nomine eius sermones editi Veronæ anno 1586.

De Genesi sermones 4. De Abraham, 3.
De Somnio Iacob, 1. De Iuda Patriarcha, 1.
De Exodo, 15. De Præcepto, Attende tibi, 1.
De Iob, 1. De Psalmis, 9.
De Isaia, 6. De Martyrio Isaiæ, 1.
De Daniele, 9. De Iona, 1.
De Euangelio secundum Lucam, 1.
De Euangelio secundum Ioannem, 1.
De Epistola ad Corinthios, 1.
De Æterna filij generatione, 3.
De Aduentu Christi, 1.
De Natiuitate Christi, 3.
De Circuncisione, 1. De Fide, 1.
De Fide, Spe, & Charitate, 1.
De Fidei veritate, 1. De Pascha, 9.
Inuitatio ad fontem, 8. Ad Neophytos, 7.
De Spirituali ædificatione, 1.
De Patientia, 1. De Pudicitia, 1.
De Continentia, 1. De Iustitia, 1.
De Timore, 1. De Ieiunio, 1.
De Spiritu, & corpore, 1. De Auaritia, 3.
De Liuore, & Inuidia, 1.
De S. Archadio, 1. De Resurrectione, 1.

Ex his, sermo in illud, Attende tibi; & sermo in Euangelium Lucæ, & sermo de ieiunio, & sermo de liuore, & inuidia, non sunt S. Zenonis, sed S. Basilij Magni, vt notum est, tum ex stylo, tum ex communi sententia. Item sermones in Psalmos, si non omnes, certè maiore ex parte apud Hilarium inueniuntur.

De alijs non habeo, quod dicam, nisi aliquos esse breuissimos, vt sermones dici non mereantur; aliquos esse repetitiones aliorum; aliquos ita obscuros, vt intelligi nequeant; &, quod me male habet, de his sermonibus nullam extare apud veteres mentionem. Primus enim, qui eos inuenit, Guarinus fuit Veronensis Orator, ante annos circiter centum: editi sunt autem Venetijs anno 1508. & postea emendatius, & pulchrioribus characteribus Veronæ anno 1586. consulat Lector Card. Baronium in notis Martyrologij.

De S. Victorino Pictabionense. 270.

SAnctus Victorinus Pictabionensis Episcopus, & Martyr, multa opera scripsit, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Eccles. Nunc solum extat Commentarius in Apocalypsim, & de hoc ipso dubium est, an sit Victorini opus. Scribit enim sanctus Hieronymus in epistola præfixa Commentario Victorini in Apocalypsim, Victorinum in isto suo Commentario secutum esse errorem Chiliastarum, quod etiam scripsit in libro de Script. Eccles. in Papia: qua de causa Gelasius Papa, Victorini opera inter apocrypha numerauit. At Commentarium, quod nunc extat sub nomine Victorini, non solum hoc errore caret, sed contra hunc errorem etiam pugnat. Hic beatus vir sub Diocletiano martyrium passus est anno Dom. 303.

De sancto Methodio Episcopo, & Martyre. 285.

SAnctus Methodius Episcopus Tyri claruit tempore Diocletiani Imperat. & anno eius 20. martyrio coronatus est, ex Hieronymo de Script. Eccles. Is multa scripsit, sed nunc solum extant fragmenta satis magna ex lib. eius de resurrectione aduersus Origenem, apud Epiphanium hæresi 64. Extant etiam alia fragmenta apud Photium in bibliotheca. Circunfertur libellus reuelationum sub nomine S. Methodij, sed suppositius censetur.

De Dorotheo Tyrensi.

DOrotheus Tyrensis dicitur tempore Diocletiani exilium passus, & scripsisse Synopsim de vita Prophetarum, & discipulorum Christi: quæ Synopsis extat in bibliotheca sanctorum Patrum, & frequenter citatur. At huius Dorothei nullam mentionem inueni apud Eusebium, S. Hieronymum, vel Gennadium, aut etiam Ioan. Trithemium, qui scripserunt de viris illustribus.

Ipsa vero Synopsis plena est fabulis: consulat lector, quæ iste auctor scribit in vita Abdiæ, Ionæ, Isaiæ, Hieremiæ, & Elisæi. Præterea consulat, quæ scribit in vita Iacobi Alphæi, & Clementis: & in summa sciat, ab illo numerari inter 72. discipulos Christi, omnes, qui ab Apostolo Paulo nominantur, etiamsi Ethnici fuerint, vel feminæ: & illos omnes non solum discipulos Domini, sed etiam Episcopos facere. Non meminissem libri tam fabulosi, nisi vidissem à multis citari, & non minimi fieri.

De Arnobio. 285.

ARnobius sub Imperat. Diocletiano floruit, teste sancto Hieronymo de Scriptor. Eccles. ac vt probaret, se verè factum esse ex pagano Christianum, scripsit libros septem contra gentes: nam octauus, qui illi operi adiunctus est, non est liber octauus Arnobij, sed Octauius Felicis Minutij, de quo supra dictum est. Feruntur etiam sub nomine Arnobij Commentaria breuia in Psalmos. Sed ea non videntur esse huius Arnobij, sed alterius recentioris: nam in explicatione Psalm. 108. refellit hic auctor hæresim prædestinatorum, quæ tempore S. Augustini, vel postea exorta est: & in explicatione Psalm. 109. nominatim refellit Photinum hæresis Ebionitarum instauratorem. At Photinus tempore Valentiniani Imperatoris vixit, teste S. Hieronymo de Script. Eccles. quo tempore Arnobius superstes esse non poterat. Fuit enim Arnobius præceptor Lactantij, Lactantius autem in extrema senectute vocatus est à Constantino Magno, vt Crispum filium erudiret, teste S. Hieronymo de Script. Eccles. in Lactantio. Quamuis autem Commentaria in Psalmos, non sint illius Arnobij, qui circa initia Principatus Diocletiani florebat: sunt tamen auctoris alicuius veteris, qui etiam Arnobius dicebatur, vt constat ex Commentarijs Bedæ in Psalmos, in quibus explicatio Arnobij non semel adducitur. Vide infra in verbo Arnobius iunior. Feruntur etiam annotatiunculæ in varios locos Euangelij; sed parui momenti, neque certum est, an sint Arnobij.

De Lactantio Firmiano. 290.

LActantius Firmianus, Arnobij auditor, floruit sub Diocletiano, & ad Principatum Constantini Magni in senectute peruenit, teste S. Hieronymo in lib. de Script. Eccles. vbi multa eius opera recenset, quæ non extant: quæ autem extant hæc sunt:

Diuinarum Institutionum lib. 7
De Ira Dei, 1
De Opificio Dei, 1
Epitome in libros suos.
Carmen de Phœnice,
Aliud de Passione Domini,
Tertium de resurrectione eiusdem, & de Paschate.

Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, sine controuersia Lactantij sunt: & quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proximè accedunt, ita erroribus varijs sic deformata sunt, vt non sine causa Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit.

Carmen de Phœnice Ethnici hominis esse videtur.

Carmen de Resurrectione, & de Paschate, vt etiam de Passione, ambiguum est, an Lactantij sint, quia nonnulli negant illius esse: & tamen non habemus certum argumentum, vnde probetur illius non esse.

Seculum Quartum ab Anno 300. ad 400.

De Constantino Magno imperatore. 306.

COnstantinus sanctæ Helenæ filius, Imperat. Maximus, & felicissimus, quamuis occupatissimus in Imperio Orbis terræ gubernando, quod suscepit anno Dom. 306. & tenuit vsque ad 337. scripsit tamen multas latinas orationes, earumque magnam partem recitauit, Eusebio teste lib. 4. de vita Constantini cap. 29. Vna tantum nunc superest, scripta ad sanctorum cœtum: cuius meminit idem Eusebius lib. 4. cap. 32. de vita Constantini, atque eadem excudi solet post ipsos libros de vita Constantini. Oratio sanè pulchra, & luculenta de Christi aduentu, & diuinitate: vbi etiam cap. 18. inseruntur carmina Sybillæ Erithrçæ,

threæ, quarum literæ capitales reddunt hanc sententiam, Iesvs Christus, Dei filius, seruator, Crux. Scripsit etiam idem Imperator epistolas multas, quarum aliquæ extant tum in histor. Eusebij, tum in libris de vita Constantini. Sed epistolæ possent fortasse tribui Secretarijs; sed orationes ipsius Constantini proprio labore, & studio scribebantur, vt diximus.

De Eusebio Cæsariensi. 326.

EVsebius Pamphili Episcopus Cæsariensis, tempore Constantini Magni floruit, scripsit plurima, ex quibus hæc nunc extant:

De Euangelica præparatione lib.	14
De Euangelica demonstratione,	10
De Historia Ecclesiastica,	10
De vita Constantini,	4
Aduersus Hæresim Hieroclis,	1
De Philosophorum dissensione,	1

Chronicum interprete sancto Hieronymo.

Ex his, libri de præparatione, & demonstratione Euangelica, imperfecti sunt. Scripsit enim Eusebius, teste sancto Hieronymo de Script. Ecclef. De præparatione lib. 15. De demonstratione lib. 20. Nunc autem illi sunt 14. isti sunt 10. Historiam Eusebij Ecclesiasticam Ruffinus vertens libros nouem confecit, quibus duos ipse addidit. Sed Ioannes Chrystophorsonus in sua interpretatione libros decem esse ostendit, quot etiam sanctus Hieronymus numerauit. Cæterum Ruffinus non ad verbum vertit, sed aliqua addidit, aliqua detraxit. Hanc historiam Gelasius inter apocryphos libros retulit, fortasse ob nimias laudes Origenis.

Scripsit præterea Eusebius sub nomine S. Pamphili martyris Apologiam pro Origene: quamuis enim sanct. Hieronymus in libro de Script. Ecclef. in Pamphilo testatus sit, à sancto Pamphilo scriptam fuisse Apologiam pro Origene: tamen idem sanctus Hieronymus lib. 2. in Ruffinum, se postea comperisse dicit, Apologiam illam esse partem Apologię Eusebij pro eodem Origene, cui Ruffinus mutauerat titulum, & hoc ipsum probat testimonio Eusebij, qui sanctum Pamphilum nihil scripsisse asseruit præter epistolas aliquot.

Porrò Eusebium hunc Cæsariensem Arianum hæreticum fuisse testatur sanctus Athanasius in libro de Decretis Nicenæ Synodi: testatur sanctus Hieronymus in vtroque libro aduersus Ruffinum, vbi Eusebium hunc non solum hæreticum Arianum, sed nunc signiferum, nunc Principem Arianorum vocat: testatur septima Synodus Act. 5. vbi primum Legati Apostolici, deinde tota Synodus rejiciunt auctoritatem Eusebij Pamphili, tamquam hæretici Ariani. Quare mirum est, cur aliqui moderni Eusebium hunc tanto ardore defendere velint.

De Iuuenco Poëta Christiano. 330.

IVuencus presbyter scripsit Constantino Imperante libros quatuor carminum, quibus Euangelicam historiam complexus est. Laudat hoc opus sanctus Hieronymus tum in libro de Script. Ecclef. tum in epistola ad

A Magnum, tum etiam in Commentario ad cap. 7. Matthæi. Extant hi libri in 8. tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis secundæ.

De sancto Antonio Abbate. 330.

SAnctus Antonius Abbas eodem Imperatore Constantino floruit, scripsitque epistolas septem lingua AEgyptiaca, sed sensu & spiritu Apostolico, vt S. Hieronymus testatur in lib. de Script. Ecclef. Extant epistolæ S. Antonij in Bibliotheca sanctorum Patrum. Addit Io. Trithemius in libro suo de Script. Eccl. scriptos fuisse ab eodem magno Antonio duos libros sermonum, qui pariter nunc extant in Bibliotheca sanctorum Patrum. Sed mirum est Trithemium non aduertisse, in sermonibus illis citari, Basilium, Gregorium Nyssenum, Io. Chrysostomum, Nilum, Photium,
B & alios, qui multis annorum centurijs posteriores fuerunt S. Antonio Abbate, de quo nos loquimur.

De S. Pachomio. 340.

SAnctus Pachomius ex milite gentili Monachus probatissimus effectus, S. Antonij æqualis, & fortè discipulus, scripsit regulam Monachorum, Angelo dictante, quæ extat inter opera Ioannis Cassiani, Romæ excusa.

De sancto Oresiesi. 340.

ORresiesis Monachus æqualis S. Pachomij scripsit (Gennadio teste in libro de viris illustribus) librum diuino sale conditum de Instructione vitæ Monasticæ: hic liber extat in Bibliotheca SS. Patrum editionis se-
C cundæ, tomo quarto.

De sancto Macario Seniore. 340.

SAnctus Macarius Senior sancti Antonij discipulus, & sancti Pachomij, atque Oresiesis æqualis, scripsit homilias quinquaginta ad Monachos, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundæ.

De sancto Athanasio. 340.

SAnctus Athanasius Episcopus Alexandrinus, sub eodem Constantino florere cœpit, & sub Valente Imperatore migrauit ad Dominum, teste sancto Hieronymo de Script. Ecclef. Opera sancti Athanasij quatuor tomis continentur, nec tamen sunt omnia: meminit enim sanctus Hieronymus
D duorum librorum contra gentes, & libri vnius contra Valentem & Vrsacium, & alterius de Psalmorum titulis, & etiam de vita S. Antonij, qui tamen libri in his quatuor tomis desiderari videntur, nisi forte mutata sint nomina, vt mox dicemus.

Tomi Primi.

Oratio contra Idola.
De Incarnatione Verbi eiusque ad nos aduentu.
Ad Epictetum Episcopum Corinthiorum epistola.
Expositio fidei.
Liberij Episcopi Romani ad Athanasium epistola.
Athanasij Responsio.
Ad Antiochenses epistola.

De ater-

De æterna substantia Filij, & Spiritus sancti cum Deo.
Oratio quod Christus sit vnus.
Ad Adelphium fratrem contra Arianos.
Orationes quatuor contra Arianos.
In hoc dictum, ex Deo Deus est Verbum.
In hoc dictum, Omnia mihi tradita sunt, &c.
Compendium è superioribus contra eos, qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam.

Obseruatio in libros Primi Tomi.

A ORatio contra Idola, & liber de Incarnatione Verbi, videntur esse duo libri contra gentes, quorum S. Hieronymus meminit. Nam initio libri de Incarnatione Athanasius dicit, se hactenus disputasse contra Idola, nunc sequi, vt disputet de Incarnatione Verbi, vt planè appareat duo illa opera esse coniuncta, & vnum esse partem alterius. Vtrunque autem est contra gentiles, & refertum testimonijs gentilium. Quare mirum est cur vnum dicatur oratio, & alterum dicatur liber, cùm vtrunque sit disputatio contra Idola, & pro Christo aduersus gentes.

In eodem primo tomo est quædam expositio fidei, de qua num sit Athanasij ambigo, tum quia diuersa est à Symbolo Athanasij, nec scio cur duas expositiones fecerit; tum maximè, quia hęc videtur illi contraria: in hac enim dicitur, tres personas diuinas non esse tres subsistentias, seorsim distinctas: in illo autem Symbolo dicitur, alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, & Græcè, alia hypostasis, id est, subsistentia: testatur enim S. Gregorius Nazianzenus, Oratione in Athanasium extrema, ab Athanasio fuisse declaratum intelligi à Latinis per nomen personæ, quod à Gręcis per nomen hypostasis, & Græcos dicere tres hypostases, Latinos tres personas.

In eodem tomo habetur epistola Liberij Papæ ad Athanasium, & responsio Athanasij ad Liberium: sed neutra videtur conuenire auctori, cui tribuitur. Liberius enim ita scribit ad Athanasium, ac si dubitet de eius fide: & iubet illum anathema dicere Sabellio, & Ario: deinde addit rationem, Vt ego securior efficiar, tuaque mandata inhæsitanter obeam. At neque credibile est, Liberium vnquam dubitasse de fide S. Athanasij: neque etiam ita se illi subiecisse, vt mandata eius obiturum se polliceretur. Adde, quod epistola, quæ tribuitur Liberio incipit per, Ergo, sine interrogandi nota, vt conclusio potius epistolæ, quàm epistola esse videatur.

Responsio quoque Athanasij non habet formam epistolæ, sed simplicis confessionis fidei: neque confessio concepta est verbis satis proprijs, præsertim vbi dicit, Illa caro suspensa est in Cruce, non ipse: in illa omnes humanas passiones, vt homo sustinuit, non ipse. At negari non debet, ipsum Christum, siue etiam ipsum Deum Crucifixum in carne: sic enim loquitur S. Petrus, Christo igitur in carne passo. &, Christus passus est pro nobis. & S. Paulus, Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. &, Nunquam Dominum glorię Crucifixissent. Sanctus vero Athanasius maximè proprie, & castigatè de eiusmodi mysterijs loqui solet. Proinde non videtur eiusmodi scriptio S. Athanasio tribuenda.

Tomi Secundi.

Apologia ad Constantium.
Apologia de fuga sua.
Epistola ad omnes Orthodoxos.
De sententia Dionysij Alexandrini.
De decretis Nicęnę Synodi contra Eusebium.
Apologia contra Arianos secunda.
Ad Serapionem epistola.
Ad solitariam vitam agentes epistola.
Ad Iouianum Imp. epistola.
De Synodis Arimini, & Seleuciæ.
Ad Dracontium Episcopatum fugientem epistola.
Ad Episcopos Africæ epist.

Obseruatio in Tomum Secundum.

B IN hoc secundo tomo nihil est, de quo aut ego ambigam, aut alios ambigere sciam. Illud vnum admonendum duxi, quod S. Hieronymus in libro de Script. Eccles. scribit, extare etiam librum Athanasij contra Valentem & Vrsacium, rectè accipi posse de libro inscripto, De Synodis Arimini, & Seleuciæ: in illis enim contra Valentem & Vrsacium propriè scribitur.

Sunt etiam in hoc tomo duæ breues epistolæ post epistolam ad Iouianum Imperatorem, quæ nescio, cur in indice sint prætermissæ.

Tomi Tertij.

De Incarnatione Verbi.
De natura humana suscepta.
De Incarnatione Christi.
C De salutari aduentu Christi contra Apollinarem.
Contra omnes hæreses sermo.
Ad Maximum Philosophum Oratio.
In illud, Profecti in pagum, inuenietis pullum.
In passionem Saluatoris.
Ad Marcellinum de interpretatione Psalmorum.
De Virginitate, siue de meditatione.
Testimonia ex scriptura de naturali communione similis essentiæ trium personarum.
Ad omnes vbique per AEgyptum, & Syriam, &c.
Refutatio contra hypocrisim Meletij.
De sanctissima Deipara Maria.
In passionem & crucem Domini.
D Ad Serapionem Episcopum Thmuteos epistola.
In illud, Quicunque dixerit verbum, &c.
Disputatio in Nicæno Concilio cōtra Arium.
Homilia de semente.
Declaratio Leuitici de diuersa eiusdem rei nomenclatura.

Obseruatio in Tomum Tertium.

LIber qui hic dicitur, de interpretatione Psalmorum, videtur esse ille, quem S. Hieronymus vocat de titulis Psalmorum, in libro de Script. Eccles. in Athanasio: nam Cassiodorus quoque hunc eundem librum vocat, de titulis Psalmorum, id est, de varia excellentia Psalmorum.

Sermo de sanctissima Deipara, non videtur esse S. Athanasij, sed alicuius posterioris, qui

post Concilium tertium, & quartum, imò etiam sextum floruerit: ita enim accuratè disputat de vnione diuinæ & humanæ naturæ in vna hypostasi; nec non de appellatione Deiparæ, quod Virgini ea appellatio iure conueniat, & denique de duabus voluntatibus, & operationibus vnius volentis, & operantis Christi, vt dubitari non possit, quin iste auctor viderit decreta Conciliorum contra Nestorium, Eutychetem, & Monothelitas. Ac (vt rectè ratiocinatur Cardin. Baronius tomo primo Annalium ad annum Christi 48.) si hic sermo esset Athanasij sine dubio citatus fuisset à S. Cyrillo, & à Patribus tertiæ, quartę, & sextæ Synodi ad conuincendos hæreticos. Videmus autem non citari vnquam hunc sermonem, sed libros de Incarnatione, vbi non tam apertè Athanasius loquitur. Adde, quod in hoc sermone auctor dicit, attributa Dei non esse ipsam substantiam Dei, sed circa substantiam versari: quod valdè impropriè dictum est, & alienum à consuetudine S. Athanasij, qui valdè consideratè loqui solet. Adde vltimo, quod in explicatione vocabuli οὐσία dicit vocem ἴσια significare æqualitatem: at Græcis ἰσότης est æqualitas, non ἴσια, & tota illa deductio vocis οὐσία à voce ἴσος est leuior, quàm vt Athanasium decere videatur.

Disputatio Athanasij cum Ario, quæ in hoc tomo habetur, non est habita in Concilio Nicæno, vt inscriptio indicare videtur; sed est habita in Monasterio aliquo, vt ex initio disputationis intelligi potest: neque est habita propriè cum ipso Ario, sed cum aliquo eius discipulo, vt perspicuum est ex illius verbis, De repente ex radice Christo inimici Arij bellua sub humana specie ad nos insiluit. Neque obstat, quòd postea, qui disputat, dicatur Arius: ponitur enim Arius, pro, Arianus: quo modo in eadem disputatione, non semel ponitur nomen Sabellij, pro nomine Sabelliani. Vtrum hæc fuerit vera disputatio, an dialogus conscriptus in personam Athanasij, & alicuius Ariani; & vtrum sit ab Athanasio, an ab alio scriptus, non facile iudicari potest.

Tomi Quarti.

Quæstiones ad Antiochum Principem.
De definitionibus Theologicis.
Disputatio cum Ario Laodicęæ habita.
Exhortatio ad Monachos.
De Passione imaginis Domini.
Ad Marcum Papam epistola.
Marci Papæ Responsio.
Ad Serapionem de sancto Spiritu, epistola.
De vnita Deitate Trinitatis, libri septem.
Synopsis totius Scripturæ.

Obseruatio in Tomum Quartum.

IN hoc tomo nihil ferè est, quod verè sit Athanasij.

Quæstiones ad Antiochum, Athanasij esse non possunt, nam quæst. 23. citat auctor magnum Athanasium, & ab eo dissentit. Quæst. 108. dicit, Romanos esse Francorum genus: ex quo apparet, auctorem esse recentem. Franci enim dicuntur omnes occidentales in Regnis Turcarum. Quæst. 129. citatur S. Gregorius Theologus, qui tamen posterior est Athana- A sio. Multo minus Athanasij sunt quæstiones quadraginta sex, quæ in alijs codicibus inueniuntur: nam in ijs citantur vt antiqui Patres, Epiphanius, Gregorius Nyssenus, & alij.

Liber de definitionibus Theologicis non videtur esse S. Athanasij, quia in cap. de Actu, citat ad confirmandam suam sententiam S. Gregorium Nyssenum, his verbis, Actus, quemadmodum S. Gregorius Nyssenus inquit, est naturalis cuiusque rei &c. At credibile est Gregorium Nyssenum nondum scribere cœpisse, quando Athanasius obijt: obijt enim Athanasius sub Valente: Gregorius autem sub Theodosio scribere cœpit, vt probabiliter colligitur ex lib. S. Hieronymi de Script. Eccles. Scripsit enim eum librum S. Hieronymus anno 15. Theodosij, vt ipsemet testatur in extremo libro: & in eodem libro dicit, à Gregorio B Nysseno lectum sibi fuisse librum quendam à se compositum, ante paucos annos. Adde, quod in hoc libro de definitionibus, tam distinctè loquitur auctor de duabus naturis Christi in vna hypostasi, vt omnino scripsisse videatur post Concilium Chalcedonense.

Disputatio cum Ario Laodicęæ habita, non potest esse Athanasij vera disputatio: dicitur enim habita anno secundo Constantij, & tamen introducitur Athanasius diaconus disputans cum Ario presbytero: at ex historicis constat, Athanasium factum esse Episcopum Alexandrinum anno 21. Constantini Magni. Præterea Arius obijt morte turpissima anno 31. Constantini, omnium consensu: quomodo ergo disputaturus adducitur anno secundo C Constantij? Denique in hac disputatione mentio fit Photini hæretici, quasi ab ipso Arius hæreses didicisset: at Photinus posterior Ario fuit, vt ex S. Hieronymo colligitur libro de Script. Eccles. Denique videtur omnino hæc disputatio, dialogus ille esse, quem à se scriptum fuisse Vigilius Episcopus testatur lib. 5. contra Eutychem.

Liber de Passione imaginis Domini, citatur in secunda Nicæna Synodo, act. 4. vbi totus hic liber legitur & recipitur sub nomine sancti Athanasij, sed non videtur esse sancti Athanasij huius, de quo nunc agimus, sed alterius multo recentioris. Scribit enim Sigebertus in Chronico, accidisse hoc miraculum anno Domini 766. eo tempore videlicet, quo quæstio agitabatur de cultu sacrarum imagi- D num: voluit enim hoc tam insigni miraculo Deus confundere hæreticos Iconoclastas. Illud autem obseruandum est, illa vltima verba cap. 7. Hæc est vera, & vehementer credula ratio de cruore lateris Domini nostri Saluatoris, qui profluxit de sancta imagine eius, quæ crucifixa est in Syria in Beryto ciuitate: hic est sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec aliter æstimandum est à verè Catholicis, præter id quod scribitur à nobis, quasi ex carne, & sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur, &c. Ista, inquam, vltima verba non haberi in codice græco Concilij Nicæni secundi, neque in versione Anastasij Bibliothecarij; sed es-

ſe addita ab aliquo, poſt diſputationem habitam de ſanguine Chriſti coram Pio ſecundo Pontifice Maximo: quod etiam apparet ex varietate ſtyli iſtius concluſionis à reliqua narratione. Quod autem auctor huius additionis dicit, à veris Catholicis non debere credi eſſe alium ſanguinem Domini ſuper terram, niſi illum, qui conſecratur in altari; repugnat traditioni Eccleſiæ Mantuanæ, quæ gloriatur habere ſe, de ſanguine illo, qui de latere Domini fluxit; eumque verum eſſe Domini ſanguinem, declaratum fuiſſe à Leone tertio Pontifice ante annos octingentos. Scribunt enim hiſtorici plurimi, vt annales antiqui Francorum, Ado Viennenſis, Aimoinus, Regino, Abbas Vrſpergenſis, & alij, Leonem Pontificem, Carolo Magno id petente, contuliſſe ſe Mantuam, vt de veritate ſanguinis Domini miraculis multis ibi coruſcante, iudicaret: atque inde in Franciam ad Carolum perrexiſſe. Et quamuis hiſtorici non explicent qualis fuerit ſententia Pontificis: tamen Cardinal. Baronius, tomo nono Annalium, ad annum Domini 804. ſcribit, Romæ extare diplomata Pontificia, in quibus veritas illius ſanguinis declaratur. Et certè ſi Pontifex illo tempore ſecus cenſuiſſet, tamdiu ſanguis ille conſeruatus non fuiſſet. Scribit etiam Matthæus Pariſienſis in Henrico tertio Angliæ Rege, pag. 713. in meo codice, miſſum fuiſſe à Patriarcha Hieroſolymitano vaſculum cum vero ſanguine Chriſti ad eundem Regem, & ſuſceptum cum incredibili celebritate, Epiſcopis prædicantibus, & rationem reddentibus de veritate illius ſanguinis.

De Epiſtolis Athanaſij ad Marcum Papam, & Marci Papæ ad Athanaſium; conſtat ex ratione temporis, eas epiſtolas eſſe ſuppoſititias, vt dicemus infra, in obſeruatione ad Gratianum.

Libri ſeptem de vnita Deitate Trinitatis, non mihi videntur Athanaſij; quia Latinè ſcripti videntur, non ex Græco verſi, vt patet, tum ex ſtylo, tum quia aliquoties auctor ſignificat, quo modo dicantur apud Græcos quæ ipſe Latinè ſcripſit. vt libro 6. Maledictus, inquit, qui hanc Dei natiuitatem ex nullis extantibus phantaſma eſſe confitetur, quod Græci ἐξ οὐκ ὄντων appellant. & libro 7. in vltimis verbis. Ac per hoc, inquit, vnita eſt Patris, & Filij, & Spiritus ſancti ſubſtantia, quam Græci dicunt ὁμοούσιον. Deinde refellit hic auctor nominatim Vrbicum Potentinum, qui Eunomij diſcipulus fuit. Non videtur autem credibile, Athanaſium potuiſſe confutare diſcipulum Eunomij, cùm ipſum Eunomium, non Athanaſius, ſed Baſilius, qui Athanaſio iunior erat, primus confutauerit.

Præter libros, qui in his quatuor tomis continentur, extat ſeorſim vita ſancti Antonij, & Symbolum, quod incipit, Quicunque vult ſaluus eſſe; quæ ſancti Athanaſij opera eſſe vera, & germana non dubitamus. Quod enim ſanctus Athanaſius ſcripſerit vitam ſancti Antonij teſtatur ſanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccleſ. in Antonio, in Euagrio, & in Athanaſio: teſtatur etiam ſanctus Gregorius Nazianzenus oratione in Athanaſium, & ſanctus Auguſtinus, libro 8. confeſſ. cap. 6. Quod autem ea, quæ nunc extat, ſit illa ipſa, cuius meminit ſanctus Hieronymus, & ſanctus Auguſtinus, perſpicuum eſt ex eo quod eſt re vera inſigne volumen, vt eam vocat ſanctus Hieronymus, & continet magna illa miracula, quorum meminit ſanctus Auguſtinus, & habet reuelationem illam de anima Ammonis, quam ex vita à ſancto Athanaſio ſcripta referunt Palladius in hiſtoria Lauſiaca cap. 8. & Socrates in hiſtor. libro 4. cap. 18. Neque poteſt contra obiici, niſi quod in hac vita non fiat mentio Pauli primi Eremitæ, & aliarum rerum, quæ narrantur à ſancto Hieronymo in vita ſancti Pauli primi Eremitæ. Sed reſponderi poteſt, Athanaſium non omnia, quæ ad vitam ſancti Antonij pertinebant, aſſecutum fuiſſe, vel non omnia, quæ acceperat in mentem veniſſe illi, cùm ſcriberet; vel etiam noluiſſe omnia ſcribendo nimis longam orationem ſuam facere: alioqui ſi obiectio illa vim vllam haberet, poſſemus de Scriptoribus Euangeliorum etiam dubitare: multa enim Matthæus & Marcus omiſerunt in vita & rebus geſtis Chriſti referendis, quæ Lucas non omiſit: multa quoque omiſit Lucas, quæ Matthæus & Marcus non omiſerunt: multa denique & grauiſſima Ioannes ſcripſit, quæ tres Euangeliſtæ prætermiſerunt.

De Symbolo Athanaſij Eccleſia ipſa Catholica teſtimonium perhibet, dum illud ſub nomine ſancti Athanaſij in diuinis officijs recitandum proponit: neque id facit ſine veterum Patrum teſtimonio. Sanctus enim Auguſtinus tractatu in Pſalm. 120. ſic loquitur explicans illud, Per diem ſol non vret te. De hoc ſole Pater Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus ita pulchrè locutus eſt, Filius, inquit, Dei à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Tribuuntur S. Athanaſio à nonnullis commentaria in omnes epiſtolas ſancti Pauli. Sed ea Theophylacti ſunt, non Athanaſij.

De Serapione.

SErapion Epiſcopus Thmueos à ſancto Athanaſio ordinatus. Vir fuit ſancto Antonio carus, vt ſcribit ſanctus Hieronymus in libro de Script. Eccleſ. ſcripſit librum contra Manichæos, qui extat apud Henricum Caniſium tomo 5. antiquæ lectionis: ſcripſit de Pſalmorum titulis, & epiſtolas ad diuerſos: teſte S. Hieronymo in lib. de Scriptor. Eccleſ. Sed non videntur extare.

De Iulio Materno Firmico. 340.

IVlius Maternus Firmicus floruit tempore filiorum Conſtantini Magni, ad quos ſcripſit egregium librum de myſterijs, & erroribus profanarum religionum. Extat hic liber in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo quarto.

De Lucifero Calaritano. 350.

LVcifer Epiſcopus Calaritanus Athanaſij æqualis, ita zelo fidei catholicæ ardens fuit, vt à Sanctis Patribus, etiam poſt

schisma factum, & sectam Luciferianam post se relictam, non nisi timidè, & dubitanter arguatur. Sanctus Ambrosius in Oratione de obitu Satyri, Lucifer, inquit, se à nostra tunc temporis communione seiunxerat, quamquam pro fide exulauit, & fidei suæ reliquit hæredes. Sanctus Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos prope finem, Ventum est, inquit, ad asperrimum locum, in quo aduersum voluntatem,& propositum meum cogor de beato Lucifero secus quicquam, quàm & illius meritum, & mea humanitas possit æstimare,&c.

Sulpitius libro 2. sacræ historiæ, Cæterum, inquit, Lucifer tum Antiochiæ longe diuersa sententia fuit: nam in tantum eos qui Arimini fuerant, condemnauit, vt se etiam ab eorum communione secreuerit, qui eos sub satisfactione, vel pœnitentia recepissent. Id rectè an perperam constituerit,dicere non ausim. Sanctus tamen Augustinus liberius schisma Luciferi condemnat, tum in libro de hæresibus,tum in libro de agone Christi cap.30.

Vide de Luciferi rebus gestis historicos, Ruffinum lib. 1. cap. 30. Sulpitium lib. 2. sacræ hist. Socratem lib.3. cap. 7. Theodoretum lib. 3. cap. 5. Sozomenum lib. 3. cap. 14. Nicephorum lib. 10. cap. 17. Histor. tripar. lib. 6. cap. 23. Libri Luciferi qui extant hi sunt:

Ad Constantium Imperatorem lib.	2
De Regibus Apostaticis,	1
De non conueniendo cum hæreticis,	1
De non parcendo delinquentibus in Deum,	1
Quod moriendum sit pro filio Dei,	1
Epistola ad Florentium,	1

His additæ sunt Epistola Florentij ad Luciferum.

Item epistolæ duæ sancti Athanasij ad eundem Luciferum.

Item epistola Liberij Papæ ad Constantium Imp.

Item epistola Athanasij ad seruos Dei.

De quibus libris,vel epistolis nulla dubitatio mihi esse videtur, quin sint eorum auctorum,quorum nomina præferunt.

Impressi sunt hi libri Parisijs anno 1568. opera Ioan. Tilij Episcopi Meldensis.

De Victorino Afro. 350.

C Marius Victorinus Afer floruit tempore Constantij Imperatoris, anno quadragesimo, vt ipse testatur, post Concilium Nicænum. In senectute conuersus ad fidem est, teste sancto Augustino libro 8. confess. cap. 2. & post conuersionem relictis libris gentilium scripsit, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptoribus Ecclesi. contra Arianos, & in epistolas beati Pauli: de quo Commentario in epistolas idem Hieronymus scribit in prooemio epistolæ ad Galatas, non esse admodum probandum. Extant nunc in tomo quarto vel octauo Bibliothecæ Sanctorum Patrum libro 4. de Trinitate, Hymni tres,& Carmen Heroicum de Machabæis,quę omnia cautè legenda sunt, cùm auctor magis arti Rhetoricæ, quàm Theologiæ, & sacris literis operam dederit.

A

De sancto Hilario. 355.

Sanctus Hilarius Pictauorum Episcopus sancti Athanasij æqualis fuit, & quamuis iam prouectæ ætatis Christianus factus, tamen breui in Ecclesiastica doctrina ita profecit, vt Doctor maximus, & Ecclesiæ Catholicæ columna meritò habitus sit. Eius opera hæc extant:

De Trinitate libri	12
Aduersus Constantium Augustum,	1
Ad eundem,	1
Ad eundem alter.	
Aduersus Auxentium Arianum.	1
De Synodis aduersus Arianos	1
Ad Apram filiam epistola.	
Ad eandem Hymnus.	
In Matthæum Commentaria.	
B In psalmos aliquot explanatio.	
De Patris & Filij vnitate,	1
De essentia Patris, & Filij,	1
Ad Augustinum epistolæ,	2
Carmen in Genesim.	

Et quidem de libris de Trinitate, De duobus libris aduersus Constantium, De libro contra Auxentium, De libro de Synodis, De Commentarijs in Matthæum, & in psalmos nulla dubitatio est: horum enim & meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. & nemo illis contradixit vnquam.

De Epistola, & Hymno ad Apram filiam Erasmus non solum dubitauit, sed etiam scripsit, notha esse. Cæterum Fortunatus sancti Hilarij successor in vita ipsius disertis verbis scripsit, dedisse sanctum Hilarium epistolam C ad Apram filiam, & totum argumentum epistolæ descripsit,vt non sit dubium hanc ipsam, quæ extat epistola, verè S.Hilarij esse,vt etiam hymnum adiunctum.

De epistol. ad Augustinum extra controuersiam est, eas non esse Hilarij Pictauiensis, sed Hilarij alterius multo recentioris: nam & Pelagiani, de quibus in illis epistolis agitur, post Hilarij obitum exorti sunt, & ipse Augustinus, ad quem scribuntur, post Hilarij excessum Christianus factus est.

Pari ratione carmen in Genesim Hilarij esse non potest, cùm ad Leonem Papam scriptum sit, sed etsi hoc carmen non sit Hilarij: tamen constat ex Concilio Toletano 4. can. 12. hymnos aliquot sancti Hilarij cani in officio Ecclesiastico.

D De libris duobus de Patris, & Filij vnitate, & de essentia Patris, & Filij, non omnino certus sum, Hilarij ne, an alicuius alterius sint: nam sanctus Hieronymus horum librorum non meminit; & in posteriore inuenitur fragmentum valdè magnum ex lib. 8. de Trinitate: quæ sunt argumenta, quod libri isti non sint Hilarij, sed alterius, qui Hilarium imitari voluerit. Libri certè graues sunt, & docti, & Hilarij spiritu, & eloquentia non indigni.

Vna superest quæstio, An liber primus aduersus Constantium Imperat. sit scriptus ipso Constantio viuente, an post eius mortem. Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. dicit vnum librum scriptum esse Constantio viuente, alterum post eius obitum: & nisi is, qui primus nunc extat, sit scriptus Constantio

mor-

mortuo, nullus erit illo mortuo ſcriptus: nam alij duo citra controuerſiam ſcripti ſunt viuente Conſtantio. Eraſmus hoc argumento ductus, primum librum exiſtimat ſcriptum eſſe poſt obitum Conſtantij. Cardinalis Baronius tomo tertio Annalium pagina 714. & 715. contendit omnes tres libros ſcriptos eſſe viuo adhuc Imperatore Conſtantio, & librum, quem ſanctus Hieronymus teſtatur poſt obitum Conſtantij ſcriptum, non extare, & rationem adducit, quia ſanctus Hilarius in hoc libro ſcribit, ſe per hanc liberrimam confeſſionem tendere ad martyrium, & animat alios ad martyrium per eandem libertatem loquendi. Ponamus, inquit, animas pro ouibus, quia fures introierunt, & Leo ſæuiens circumit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia Angelus Satanæ transfigurauit ſe in Angelum lucis. Clament paſtores, quia mercenarij fugerunt.] At ſi iam perſecutor erat mortuus, ridicula videtur Hilarij iactantia. Deinde ſcribit, ſe ita loqui cum Conſtantio, vt Ioannes Baptiſta loquebatur cum Herode: at Ioannes Baptiſta Herodi viuenti, non mortuo dicebat, Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Præterea ipſe Hilarius deſcribit tempus, quo hunc librum ſcripſit, & dicit, ante annos quinque miſſos fuiſſe in exilium Paulinum, Euſebium, Luciferum, Dionyſium: at illi in exilium pulſi ſunt anno 19. Conſtantij, tempore Concilij Mediolanenſis: ergo ſcripſit Hilarius librum illum anno Conſtantij 24. quo anno Conſtantius viuebat. Obijt enim ad initium anni 25. Sed fortaſſe poſſunt hæ ſententiæ conciliari, ſi dicamus, Hilarium ſcripſiſſe librum illum ex Gallia, cùm putaret, Conſtantium adhuc viuere, ſed verè mortuus eſſet: conſtat enim ex Sulpitio, in ſecundo de ſacra hiſtoria, & ex ſancto Hieronymo in chronico, & ex ipſo Cardinal. Baronio, ſanctum Hilarium rediſſe in Galliam, paulo antequam Conſtantius moreretur: & quia res in tam remota regione geſtæ continuo reſciri non poſſunt, facilè concurrere potuit finis ſcriptionis Hilarij, cum fine vitæ Conſtantij. Itaque immerito Eraſmus in annotationibus marginalibus irridet Hilarium, quaſi Conſtantio minetur audacter, ſed poſt mortem eius.

De Gregorio Betico, & Sebadio Agennenſi.

GRegorius Beticus in Hiſpania, & Sebadius, ſiue Phegadius, ſiue Phebadius Agennenſis in Gallia, eodem tempore, quo ſanctus Athanaſius, & ſanctus Hilarius aduerſus Arianos librum quiſque ſuum edidit. Meminit horum auctorum & librorum ſanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccleſ. & libri ipſi nunc extant in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo 4. Phegadij vero miræ laudes extant apud Sulpitium lib. 2. hiſt.

De Paciano Epiſcopo Barcinonenſi. 360.

PAcianus Epiſcopus Barcinonenſis obijt Theodoſio imperante: & ſcripſit epiſtolas tres contra Nouatianos, quarum meminit ſanctus Hieronymus in libro de Script. Eccleſ. Nunc vero in Bibliotheca ſanctorum

A Patrum, & ſeorſim in editione Romana anni Dom. 1564. non ſolum extant tres illæ epiſtolæ, ſed etiam parenesis eiuſdem Paciani ad pœnitentiam, & libellus de baptiſmo. Neque aliquid occurrit, vnde de eorum librorum auctoritate dubitari poſſit.

De Dydimo Alexandrino. 361.

DYdimus Alexandrinus cæcus à prima ætate dictauit opera plurima, & nobiliſſima, teſte ſancto Hieronymo in libro de Scriptor. Eccleſiaſt. Nunc ſolum extat liber de Spiritu ſancto inter opera ſancti Hieronymi, quoniam eum librum idem ſanctus Hieronymus latinitate donauit: & expoſitio in epiſtolas canonicas in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo 9. extat etiam liber contra Manichæos apud Henricum Caniſium tomo
B quinto antiquæ lectionis. Claruit ſub Valentiniano, & Valente Principibus. In eo reprehenditur ab ipſo etiam ſancto Hieronymo, eius alioqui admiratore, quod Origenis errores ſecutus eſt. Vide Apologiam aduerſus Ruffinum.

De S. Optato Mileuitano. 365.

SAnctus Optatus Mileuitanus Epiſcopus eodem tempore floruit: & egregios ſeptem libros aduerſus Donatiſtas edidit. Sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ. ſex libros ab Optato ſcriptos fuiſſe dicit: ſed nunc ſeptem numerantur, neque ſeptimus diſſentit à cæteris. Facilè fuit in librum S. Hieronymi irrepſiſſe errorem in numeris.

De Tito Boſtreno. 365.

C TItus Boſtrorum Epiſcopus vixit Imperatore Iuliano, ſed obijt ſub Valente, vt ſanctus Hieronymus teſtatur in libro de Script. Eccleſ. Scripſit egregios libros contra Manichæos è quibus tres cum argumento quarti, editi ſunt Ingolſtadij anno 1604. ab Henrico Caniſio tomo quinto antiquæ lectionis. Extant etiam eiuſdem Titi commentaria in Matthæum, & Lucam impreſſa cum alijs quibuſdam Ingolſtadij apud Sartorium. Obſeruandum eſt autem Commentaria in Matthæum, & Lucam non poſſe eſſe huius Titi; quoniam auctor horum commentariorum paſſim citat Chryſoſtomum, Cyrillum Alexandrinum, & Peluſiotam, qui pueri erant cùm Titus moreretur.

De S. Cyrillo Hieroſolymitano. 365.

D SAnctus Cyrillus Hieroſolymę Epiſcopus ſub Conſtantio Epiſcopus factus, ac ſæpe de ſede eiectus, & ſedi reſtitutus, tandem Theodoſio imperante obijt. Scripſit in adoleſcentia Catecheſes, quæ nunc Latinè, & Græcè extant. Fertur etiam eius epiſtola ad Conſtantium de apparitione Crucis: cuius epiſtolæ ſanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccleſiaſt. non meminit; ſed nihil eſt cur improbetur.

De Apollinario. 365.

APollinarius Laodicenus Epiſcopus vixit à tempore Conſtantij Imper. vſque ad Theodoſium ſeniorem, vir fuit magis peritus Poëticę, & Rhetoricę, quàm Theologiæ: ideo in errores grauiſſimos incidit, at-

que in eum potissimum, quod in Christo non esset anima rationalis. Scripsit innumerabilia, teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Ecclesiast. & sancto Basilio epistol. 72. vbi dicit, Apollinarem fuisse nimis promptum ad scribendum, & mundum totum libris suis repleuisse, sed libris parum considerate scriptis. Nunc solum extant Psalmi Dauidis ab ipso carmine heroico descripti, & Parisijs impressi ann. 1580.

De sancto Ephrem Syro. 365.

SAnctus Ephrem Diaconus Edessenus obijt sub Valente Principe, scripsitque plurima opera, quæ teste sancto Hieronymo in libro de Scriptor. Ecclesiast. in Ecclesijs post lectionem scripturarum publicè legi solebant. Edita sunt Coloniæ anno 1547. multa opera S. Ephrem, magis pia, quam docta, sed multo plura Romæ à Gerardo Vossio partim anno 1589. partim anno 1593. Sed non vacauit mihi legere, nisi sermones aliquos de compunctione, & pœnitentia, & de S. Cruce, & passione Domini, & de S. Deipara, & alia quædam: ideo iudicare nequeo an sint omnia verè S. Ephrem opera, an supposititia aliqua sint admixta.

De sancto Basilio. 370.

SAnctus Basilius Magnus Archiepiscopus Cæsariensis in Cappadocia, Valente imperatore floruit, & sub Gratiano obijt, vt sanctus Hieronymus testatur in libro de Scriptor. Ecclesiast. Opera eius præclarissima sunt, & quatuor tomis continentur in editione Basileensi anni 1540.

Tomi primi hæc sunt.

In opificium sex dierum homiliæ 11
In Psalmos homiliæ 17
Variorum argumentorum homiliæ 28

Tomi Secundi.

De Virginitate lib. 2. De Paradiso, 1
Contra Eunomium libri 3
Contra Sabellianos, & Arianos lib. 1
De Spiritu sancto, 1
De libero arbitrio. 1. De Baptismate. 2

Tomi Tertij.

Sermones ascetici. 7. De Iudicio Dei, 1
De Confessione fidei. 1
Moralium Summæ. 80
Quæstiones fusè explicatæ. 55
Quæstiones compendio explicatæ. 313
Constitutiones Monasticæ.

Quarti Tomi.

Epistolæ Basilij, & Gregorij Theologi, 180
Epistola ad Chilonem de vita solitaria.
Aliæ eiusdem epistolæ.
Oratio aduersus eos, qui calumniantur, quòd tres Deos dicimus.

Obseruatio in Opera S. Basilij.

IN primo tomo ponuntur homiliæ vndecim de opificio sex dierum: sed nouem tantum censentur à nonnullis esse Basilij, quia sanctus Hieronymus nouem tantum meminit. Duæ postremæ tribuuntur Gregorio Nysseno, qui opus Basilij imperfectum perficere studuit. Sed falli videntur, qui decimam, & vndecimam homiliam Gregorio tribuunt, & Basilij esse negant: nam ipse Gregorius in

A libro suo de opere sex dierum extremo dicit quidem in supplementum operis Basilij composuisse se librum de opificio hominis, sed non duas homilias: & liber ille extat inter opera Gregorij Nysseni, sed diuersus omnino ab illis duabus homilijs Basilij. Scribit sanctus Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. homilias Basilij de opere sex dierum esse nouem: sed hoc dicit quia Basilius nouem tantum initio scripsit; sed postea addidit alias duas, quarum initium est, Veteris debiti solutionem, &c. Vide infra in obseruatione in opera Gregorij Nysseni.

In secundo tomo ponitur liber vnus de Paradiso: sed in editione Antuerpiensi anni 1568. ponuntur homiliæ quatuor.

Item in secundo tomo ponuntur libri tres contra Eunomium: sed in editione Antuerpiensi, libri quinque: & quamuis duos vltimos libros Erasmus sustulerit, vt indignos Basilio: alij tamen Basilio non indignos censent.

In tertio tomo sunt quæstiones compendio explicatæ, quæ non sunt indubitatæ. Nicephorus enim lib. 9. cap. 16. & lib. 13. cap. 29. & Sozomenus lib. 3. cap. 13. dicunt, à multis tribui Eustathio Sebasteno Acerica Basilij: id quod de quæstionibus compendio explicatis intelligendum videtur: nam q. 1. & 95. videtur damnare traditiones, quas Basilius acriter defendit in libro de Spiritu sancto cap. 27. item q. 4. & 293. videtur tollere de medio discrimen peccati mortalis, & venialis: quod certè sancto Basilio tribui non potest. Additur etiam in editione Antuerpiensi Commentarius S. Basilij in 16. capita Isaiæ Prophetæ: & alia quædam minutiora, tum in ea editione, tum in alijs adduntur.

De S. Gregorio Nazianzeno. 370.

SAnctus Gregorius Episcopus Nazianzenus, cognomento Theologus, S. Basilij æqualis & studiorum comes, floruit sub Valente, & anno 11. Theodosij obijt, teste S. Hieronymo de Script. Eccles. Multa scripsit, in quibus sapientiam cum eloquentia mirificè copulauit: quæ extant Coloniæ edita, anno Domini 1570. hæc sunt:

Libri scripti soluta Oratione.

Apologetici lib. 4. Orationes ad diuersos. 3.
Orationes funebres. 7.
Oratio in laudem Heronis Philosophi. 1.
Orationes de pace. 3.
Orationes siue libri de Theologia. 5.
Orationes in Iulianum Imp. 2.
Ad Clidonium epistolæ. 2.
Orationes in dies festos. 7. Tractatus de fide. 1.
Tractatus de fide Nicænæ Synodi. 1.
Orationes variorum argumentorum, 17.
Ad Virginem exhortatio, 1.
Metaphrasis in Ecclesiastem, 1. Epistolæ. 80.

Carmina.

Tragœdia, Christus patiens, 1.
De rebus suis. 2.
De varijs argumentis veteris, & noui Testamenti. 9.
De Virginitate insigne carmen. 1.
De præceptis à Virgine seruandis. 1.

Spiri-

Spiritualia epigrammata 13.
Sententiarum spiritualium carmine scriptarum libri 3.

Obseruatio in Opera S. Gregorij.

ORatio in laudem Heronis Philosophi, debet inscribi, in laudem Maximi Philosophi, vt testatur S. Hieronymus in libro de Script. Eccles. in Gregorio Nazianzeno, vbi reprehendit eos, qui mutauerunt nomen Maximi in nomen Heronis.

Metaphrasis in Eccles. autem non est Gregorij Nazianzeni, sed Gregorij Thaumaturg., vt suprà ostendimus. Tragœdia, Christus patiens, non videtur habere grauitatem solitam Nazianzeno, præsertim cùm describitur eiulatus matris Christi, quæ prudentissima, & constantissima erat.

De sancto Damaso. 367.

SAnctus Damasus Romanus Pontifex anno sexto Theodosij obijt, & scripsit de Virginitate, & alia, quorum meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. Sed vera eius scripta non extant, exceptis paucis epistolis, quarum aliquæ sunt inter epistolas S. Hieronymi, aliquæ in historia Theodoreti lib. 2. cap. 22. & lib. 5. cap. 10. & 11. Tribuitur S. Damaso liber de vitis Pontificum, qui extat in primo tomo Conciliorum: sed liber ille est Anastasij Bibliothecarij, non Damasi, vt notum est.

De Faustino Diacono. 367.

FAustinus Diaconus vixit tempore Damasi Pontificis, & bis schismaticus fuit, semel in schismate Vrsicini cōtra Damasum; & iterum in schismate Luciferianorum, vt testantur Gennadius de viris illustribus, & Card. Baronius tomo 4. Annalium, ad annum Damasi 1. & Siricij IV. placuit tamen eum in hoc Catalogo ponere, quoniam scripsit ad Flacillam Imperatricem libros 7. contra Arianos satis eruditos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 4. edit. 2.

De sancto Epiphanio. 370.

SAnctus Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus floruit sub Valente, Gratiano, & Theodosio Augustis. Scribit S. Hieronymus in libro de Scriptor. Eccles. Epiphanium anno quartodecimo Theodosij adhuc superfuisse, & in extrema etiam senectute libros scripsisse.

Opera eius hæc extant:

Opus panarium contra omnes hæreses, quæ tunc ad octoginta numerabantur.
Liber inscriptus Ancoratus.
Anacephaleosis, siue summa panarij.
De mensuris, & ponderibus liber.
Historia breuis de Prophetarum vita.
Ad Ioan. Episcopum Hierosolymitanum epistola, à S. Hieronymo latinitate donata.

De his operibus nulla dubitatio est.

Dicitur Epiphanius scripsisse vitam S. Hilarionis: sed ea non extat.

Ad finem epistolæ ad Ioannem Hierosolymitanum videtur aliquid additum ab Iconoclastis: de qua re vide Controuersias nostras lib. 2. de Sanctis cap. 9.

A

De Philone Carpathio. 374.

PHilo Carpathius à S. Epiphanio Episcopus ordinatus est, vt in vita S. Epiphanij legitur. Scripsit Commentaria in Cantica canticorum, quæ extant in primo tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum, secundæ editionis. Sed videntur multa inserta ex Commentario S. Gregorij Papæ in Cantica, quæ cum reliqua explicatione non multum cohærent.

De S. Ambrosio Mediolanensi. 374.

SAnctus Ambrosius Episcopus Mediolanensis, vir planè sanctissimus, & doctissimus Gratiano, & Theodosio Imperatoribus floruit. Obijt anno tertio post excessum Theodosij, qui erat trecentesimus nonagesimus septimus ab aduentu Saluatoris, ex Card. Baronio.

B Opera eius in editione Parisiensi, anni Domini 1549. qua ego vtebar cùm hęc scriberem, hæc sunt:

Tomi Primi.

De Officiis, lib. 3. De Virginibus 3.
Ad Virgines exhortatio 1.
Institutio Virginis 1.
Ad Virginem deuotam 1. Ad Virg. lapsam 1.
De Viduis 1. De Pœnitentia 2.
Exhortatio ad Pœnitentiam 1.
De fuga seculi 1. De bono mortis 1.

Tomi Secundi.

De vocatione gentium, lib. 2.
De fide ad Gratianum 5.
De Spiritu sancto ad eundem 3.
De fide contra Arianos 1.
De Incarnationis Sacramento 1.
C De mysterio Paschæ 1.

Tertij Tomi.

Oratio funebris de obitu Valentiniani.
Alia de obitu Satyri.
De fide resurrectionis Oratio.
Alia de obitu Theodosij.
Epistolarum ad diuersos, lib. 10.
Conciones ad Populum 92.

Tomi Quarti.

Exameron, lib. 6. De Paradiso 1.
De Cain, & Abel 2. De Noë, & Arca 1.
De Abraham Patriarcha 2.
De Isaac, & Anima 1.
De Iacob, & beata vita 2.
De Ioseph Patriarcha 1.
De benedictionibus Patriarcharum 1.
De Nabuthæ Iezraelita 1.
D De Elia, & Ieiunio 1. De Tobia 1.
De interpellatione Iob, & Dauid 3.
Apologia Dauid 1. De Salomone 1.
De ijs, qui mysteriis initiantur 1.
De Sacramentis 6.
De dignitate Sacerdotali 1.
Precationes ante Missam 2.
Commentarij in Psalm. 1. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 45. 47. 48. 61. & 118.
Alia Dauid Apologia.
De interpellatione Dauid.

Tomi Quinti.

In Euangelium Lucæ, lib. 10.
In omnes Epistolas S. Pauli commentaria.
De fide resurrectionis acephalus.
Precationes piæ. Hymni sacri.

Canticum sanctorum Ambrosij & Augustini, quod incipit, Te Deum laudamus.

Obseruatio in Opera S. Ambrosij.

IN primo tomo. Liber ad Virginem lapsam non videtur esse S. Ambrosij: nam cap. 8. sic loquitur auctor, Inhærere pœnitentiæ vsque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die posse veniam dari: quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit: quę enim propriè contra Dominum peccasti, ab illo solo te conuenit in die Iudicij expectare remedium. Atqui hæc sententia Nouatianum errorē continet, & contra eam disputat sanctus Ambrosius in duobus libris de pęnitentia: quos libros indicat ipse cap. 8. lib. 2. à se fuisse compositos, dum describit, quo pacto à forensi negocio ad sacerdotium repentè vocatus fuerat. Petrus quidem à Soto lect. 2. de necessitate confessionis libros duos de pœnitentia non audet affirmare esse S. Ambrosij: sed communiter S. Ambrosio adscribuntur.

In secundo tomo, libri de vocatione gentium, falsò tribuuntur S. Ambrosio, cùm manifestè S. Prosperi sint. Certè Ambrosij esse non possunt, cùm lib. 1. cap. 7. & libr. 2. cap. 8. disputet auctor aduersus Pelagianos, qui post mortem S. Ambrosij exorti sunt.

In tertio tomo, certum est aliquas epistolas, & aliquos sermones non posse esse Ambrosij. Nam in epistol. 84. quæ est ad Demetriadem, mentio fit Pelagianorum, qui (vt paulò antè dixi) Ambrosio noti non fuerunt. Sunt etiam, qui epistolam 82. ad Vercellenses, S. Ambrosij, esse negēt, quòd in ea fiat mentio Venetiarum, quæ tempore S. Ambrosij nondum conditæ erant. Sed falluntur: nam per Venetias eo loco non intelligitur ciuitas Venetiarum, sed regio: coniunguntur enim Venetiæ cum Liguria, & AEmilia: sic enim loquitur auctor in principio epistolæ, Ex omnibus Luguriæ, atq; AEmiliæ Venetiarumque, vel cæteris finitimis Italiæ partibus, &c.

Sermones, nonus, tricesimus septimus, & septuagesimus secundus inueniuntur etiam inter sermones sancti Augustini. Item sermo 69. qui est de S. Eusebio Vercellensi Episcopo, & sermo septuagesimus tertius, qui est de sancto Cypriano, inueniuntur etiam inter sermones sancti Maximi, sed verbis alicubi mutatis.

Sermones verò sequentes nempè, 3. 14. 30. 31. 32. 44. 47. 50. 51. 52. 53. 54. 56. 57. 58. 60. 61. 62. 66. 71. 77. 78. & 82. sunt ad verbum inter sermones sancti Maximi, vt planè iudicari non possit, vtrum Ambrosio, vel Maximo tribui debeant. Sed cuiuscunque sint, antiqui, & Sancti auctoris sunt.

Sermo nonagesimus de passione B. Agnetis dubius redditur, quoniam sanctus Ambrosius libro 1. de Virginibus significat, Beatæ Agneti ceruicem gladio amputatam. Stetit, inquit, orauit, ceruicem inflexit. At illius sermonis auctor scribit, B. Agneti ad palum alligatæ, vt combureretur, cùm flamma diuinitus extincta esset, iussu Aspasij iudicis gladio guttur fuisse perfossum.

Sermo quoque nonagesimus secundus, de Baptismo S. Augustini, longissimè distat à stylo, & grauitate Ambrosij: neque vllo modo credibile est, quod in eo sermone dicitur, Ambrosium sæpè Deum orasse, vt eum à captionibus Augustini liberaret. Augustinus enim non disputando cum Ambrosio, sed eum concionantem audiendo ad fidem Catholicam conuersus est, vt ipse idem testatur lib. 5. confess. cap. 13. & lib. 6. cap. 1.

In quarto tomo Apologia Dauid posterior, & liber etiā posterior de interpellatione Dauid, non videtur esse Ambrosij, tum quia stylus diuersus est, & iam antea scripserat Ambrosius Apologiam Dauid, & libros tres de interpellatione, quorum tertius est de interpellatione Dauid; tum quia auctor posterioris Apologiæ negat, adulterium Dauid fuisse verum adulterium, & allegoricè interpretandū censuit; Ambrosius autem in vera Apologia sua peccatum adulterij confitetur, sed laudat pœnitentiam.

In quinto tomo, sunt commentaria in epistolas sancti Pauli, quæ à multis non creduntur Ambrosij; nec sine causa.

Primò, quia S. Augustinus, qui libenter, & frequēter Ambrosij testimoniis vtitur contra Pelagianos, ex his commentariis nulla testimonia petit.

Secundò, quia Pelagius ipse, qui Ambrosij testimonia sancto Augustino obiicere solet, ex his commentarijs nihil obiicit; cum tamen in his commentarijs sint non pauca, quæ Pelagij errores continere videntur, vt perspicuum est ex commentarijs in epistolam ad Romanos.

Tertiò, quia auctor horum commentariorum multa exponit contra sententiam S. Ambrosij, quod planè perspiciet, qui conferre voluerit illud Philip. 2. Qui cùm in forma Dei esset: explicatum in commentario huius auctoris, cum explicatione Ambrosiana in epistol. 47. & lib. 2. de fide cap. 4. & illud 1. Tim. 1. Regi seculorū immortali: explicatum in commentario huius auctoris, cum expositione Ambrosiana libr. 2. de fide cap. 1. & 3. & lib. 3. cap. 2.

Quartò, quia sanctus Augustinus lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. citat sanctum Hilarium in expositione illorū verborum ad Rom. 5. in quo omnes peccauerunt: & sententia, quam sanctus Augustinus citat, habetur totidem verbis in commentario huius auctoris: non igitur auctor huius commentarij, est Ambrosius, sed Hilarius aliquis. non est autem auctor huius operis sanctus Hilarius Pictauiensis, aut Hilarius Arelatensis: nam iste auctor vixit tempore Damasi, vt ipse testatur in Commentario ad caput tertium prioris ad Timotheum: tempore autem Damasi Hilarius Arelatēsis, aut natus non erat, aut adolescens erat: S. autem Hilarius Pictauiensis obiit anno quinto Valentiniani Imp. ex Hieronymo in Chronico: annus autem quintus Valentiniani erat secundus Damasi: non est autem credibile in extrema ætate tam ingens opus cudisse Hilarium; & stylus Hilarij cum stylo huius auctoris nihil simile habet: Hilarius verò Arelatensis post Damasi tempora floruit. Credibile igitur est auctorē horum

com-

commentariorum esse Hilarium Diaconum Romanum, qui Luciferi schisma propagauit, & libros etiam non paucos scripsit, vt sanctus Hieronymus testatur in dialogo contra Luciferianos extremo. Neque mirum est, hunc Hilarium à sancto Augustino, sanctum Hilarium vocari, cùm nuncupatio Sancti, tunc satis communis fuerit Christianis, præsertim Ecclesiasticis.

Postremò accedit, quod idem videtur esse auctor horum commentariorum, & quæstionum veteris, & noui testamenti, quæ extant inter libros sancti Augustini: doctrina enim horum commentariorũ, & illarum quæstionũ simillima est, vt notauerunt Censores Louanienses in notis ad Augustinum: stylus videtur etiam esse idem, & ætas mirificè consentit: auctor enim illarum quæstionum quæst. 44. scribit, ab excidio Hierosolymæ vsque ad sua tempora fluxisse annos trecentos: quibus si addas annos à Natiuitate Christi vsque ad excidium Hierosolymæ erunt omnes anni 372. vel 373. vt ex Chronico S. Hieronymi apparet. Hoc eodem tempore sedisse Damasum Pontificem, sub quo auctor horum commentariorum scripsisse se memorat in explicatione capitis primi epistolæ prioris ad Timoth. notissimum est.

Quod si auctor horum commentariorum idem sit cum auctore illarum quæstionum, planè efficietur auctorem horum commentariorum nõ esse Ambrosium. Ambrosius enim nihil scripsit antequam Episcopus fieret, neq; factus est Episcopus ante annum Dom. 374. vt Card. Baronius in Annalibus docet. Ille autem auctor cùm scriberet, numerabat annum Dom. 372. vel 373. vt suprà diximus.

In eodem tomo sunt hymni sacri, ex quibus aliqui certò sunt Ambrosij, vt ille, Deus creator omnium, Polique rector vestiens, &c. cuius meminit sanctus Augustinus lib. 9. confess. cap. 12. & ille, AEterne rerum conditor, Noctem, diemque qui regis, &c. cuius meminit idem Augustinus lib. 1. Retract. cap. 21. Aliqui certò non sunt Ambrosij, vt ille, Vexilla Regis prodeunt; qui est Fortunati, & alij quidam, in quibus non seruatur ratio metrica, quæ Ambrosio notissima erat. eiusmodi est ille, Optatus votis omnium sacratus illuxit dies, Quo Christus mundi spes Deus conscendit cælos arduos. & ille, Christe, qui lux es, & dies, Noctis tenebras detegis, &c. Isti enim indigni videntur qui Ambrosio tribuãtur. Canticum, Te Deum laudamus, Ecclesia in diuinis officijs, Ambrosij, & Augustini canticum vocat: & extat Chronicum S. Dacij Episcopi Mediolanensis, qui Iustino Imperante floruit, in cuius chronici libro primo, cap. decimo, scribitur, cõpleto baptismo S. Augustini, toto obstupescente populo, repente canticum illud à sanctis Ambrosio, & Augustino alternatim fuisse cantatum.

Præter opera suprascripta, In editione Romana anni 1585. adduntur opera quædam sancto Ambrosio adscripta, quamuis eius nõ sint, vt commentarius in Apocalypsim, & alia quædam: & rectè dicuntur ea opera non esse sancti Ambrosij, ac præsertim explicatio Apocalypsis, cùm auctor mentionem faciat Longobardorum Italiam inuadentium: quæ inuasio diu post mortem S. Ambrosij contigit.

De S. Philastrio Brixiensi. 380.

SAnctus Philastrius Episcopus Brixię, tempore S. Ambrosij vixit, vt sanctus Augustinus testatur initio libri de hæresibus ad Quod vult Deus: scripsit librum de hæresibus vsque ad sua tempora; qui liber extat in Bibliotheca sanctorum Patrum secundo edita, tomo 4. Sed illud est obseruandum, multa à Philastrio inter hæreses numerari, quæ verè hæreses non sint: proinde cum prudentia legendus est. Quod autem in hæresi 63. meminit anni Do. 430. mendum est Typographorum: nam ad eum annum hic auctor non peruenit.

De Idacio Claro. 380.

IDacius, siue Ithacius clarus Episcopus Hispanus, de quo multa Sulpitius in historia sacra, cùm de Priscilliano agit. Scripsit libros tres aduersus Varimandum Arianũ, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. edit. 2. scripsit etiam Apologeticum aduersus Priscilliani hæreses, teste Isidoro de viris illustribus cap. 15. quem librum extare non puto. Vixit circa annum Dom. 380. & in eo reprehensus, & punitus ab Episcopis fuit, quòd Priscillianum apud seculares Iudices accusauerit, & occidi curauerit.

De S. Gregorio Nysseno. 380.

SAnctus Gregorius Nyssenus Episcopus, S. Basilij frater, viuebat adhuc, & scribebat anno 14. Theodosij, teste S. Hieronymo libr. de Script. Eccles. Interfuit Concilio Primo Constantinopolitano, & scripsit Symbolum fidei in ea Synodo editum, vt refert Nicephorus lib. 12. hist. cap. 13.

Eius opera ex editione Basileensi anni 1562. hæc sunt:

Epistola de nomine Christiani.
De Oratione Dominica, lib. 1.
De octo Beatitudinibus in cap. 5. Matth. 1.
Sermones, de Natiuitate.
De S. Stephano. In sextum Psalmum.
De Octaua. De Pascha.
De Christi Assumptione.
De Trinitate, & quod Spiritus S. sit Deus.
De eo, quod non sint tres Dij.
De differentia essentiæ, & hypostaseos.
De fide Trinitatis.
In dictum Apostoli, Tunc ipse filius subijcietur ei. De Dormientibus.
De Infantibus præmaturè raptis.
De Resurrectione, Orationes 4.
De Assumptione Domini.
In dictum Domini, Quatenus fecistis vni ex minimis his, mihi fecistis.
De Anima & resurrectione disputatio.
De Trinitate contra Iudæos.
De sancto Baptismate.
Orationes laudatoriæ in Basilium.
In 40. Martyres.
In Pulcheriam. In Placillam.
In Gregorium Neocæsariensem.
In Theodorum martyrem.
In Meletium.

De imagine, siue de creatione hominis, supplementum exameron Basilij.
De Philosophia, lib. 8
De vita Moysis. 1

Prima obseruatio in opera S. Gregorij Nysseni.

DEesse videntur in hoc librorum Catalogo libri in Eunomium, quorum meminit S. Hieronymus in libro de Script. Ecclesiast. Neque dici potest, contra Eunomium scriptum esse librum de Trinitate, &, Quod Spiritus sanctus sit Deus: nam hic est libellus, non libri plures: & in hoc libello Eunomius ne nominatur quidem. Audio ex Bauarica Bibliotheca deprомptos Græcè libros duodecim contra Eunomium, eosque latinitate donatos à Patre Iacobo Gretsero nostro de literis, & quod est longè amplius, de Ecclesia Catholica optimè merito. Hi sunt igitur libri, quos commemorat S. Hieronymus, & sibi ab ipso Gregorio lectos fuisse dicit.

Secunda Obseruatio.

PRæter libros supra numeratos extant ex editione Parisiensi anni 1573.
In Ecclesiasten conciones octo.
In Cantica Canticorum explanatio.
De perfecti hominis Christiani forma.
Catechetica Oratio, quæ dicitur magna.
In eos, qui differunt baptisma.
De fugienda fornicatione.
In eos, qui ægrè ferunt reprehensiones.
In mulierem peccatricem.
De Pauperibus amandis.
De vera Virginitate.
Ad Flauianum epistola.

Tertia Obseruatio.

LIbri octo de Philosophia non videntur esse S. Gregorij Nysseni: nam in lib. 2. docet, animam non creari in corpore, sed ante corpus fuisse creatam; qui est error Origenis: & præterea totum hoc opus philosophicum est, & sapit Pelagianismum. Adde quod hoc idem opus inuenitur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo nono, ex editione secunda sub nomine cuiusdam Nemesij Philosophi Christiani: eo solum excepto, quod apud Nyssenum diuiditur in octo libros, apud Nemesium est vnus liber diuisus in capita 45. & inscribitur, De homine, siue de anima. Hic autem Nemesius, quando scripserit, ignoratur: sed quia nominatim refellit Manichæos, Apollinarem, & Eunomium, videtur vixisse, & scripsisse tempore S. Gregorij Nysseni, aut certè non antea.

Quarta Obseruatio.

POsset ab aliquo quæri, cur Gregorius scripserit de creatione hominis ad supplendum exameron Basilij, cùm ipse Basilius suppleuerit opus suum addens decimam, & vndecimam homiliam, in quibus creationem hominis satis copiosè explicat. Respondemus, Basilium in duabus illis postremis homiliis absoluisse explanationem diuinæ Scripturæ de opere sex dierum; sed non accuratè disputasse de tota structura corporis humani, imò vero solum attigisse ea, quæ ad oculos pertinent, vt

A ex illis cætera colligerentur. Itaque in homilia postrema apertè indicat, se non omnia dixisse, quæ dici potuissent, cùm ait, Si mihi tantum superesset ocij, vt tibi hominis structuram demonstrare possem, ex teipso sanè disceres sapientiam Dei circa te. Gregorius igitur ex his & alijs Basilij verbis occasionem accepit scribendi libri de creatione hominis, libri, inquam, longissimi, in quo suppleret ea, quæ Basilius omisit, de voce, de auribus, de manibus, de alijs denique membris, vel sensibus, quæ structuram humani corporis admirabilem reddunt.

Quinta Obseruatio.

HÆretici, qui peregrinationes ad loca sancta reprehendunt, nituntur maximè Oratione quadam valdè prolixa sancti
B Gregorij Nysseni, quam totam referunt Magdeburgenses Centuria quarta cap. 10. Sed eam orationem nō inuenimus hactenus inter opera S. Gregorij Nysseni. Neque argumenta, quæ inde colligunt hæretici, aliquid probant, vt nos apertè ostendimus in controuersijs lib. 3. de Sanctis cap. 8.

De Amphilochio. 380.

AMphilochius Iconij Episcopus S. Gregorij æqualis, quem S. Hieronymus in epistola ad Magnum parem doctrina sacra, & prophana facere videtur Basilio, & Gregorio Nazianzeno, cùm de his tribus viris dicit, non facilè iudicari posse, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam scripturarum.

Scripsit librum de Spiritu sancto, & homilias non paucas: de priore libro testis est S. Hie-
C ronymus in lib. de Script. Eccles. De homilijs testis est Theodoretus, qui eas in dialogis frequenter citat.

An hoc tempore extent liber de Spiritu sancto, & homiliæ, quas Theodoretus citat, equidem certò scire non potui.

Extat quidem sub nomine Amphilochij vita S. Basilij Magni, sed haud dubio falsa, vel supposititia. Primum enim narrat ille auctor Basilium factum Episcopum ante mortem Iuliani. Quod repugnat historijs, & ipsi S. Gregorio Nazianzeno in oratione de S. Basilio. Deinde narrat auctor, sanctum Basilium ostēsum fuisse per reuelationem Eusebio Cæsariensi, cùm antea eum non nosset. Quod etiam falsum esse certum est, ex eo, quòd Nazianze-
D nus scribit, Eusebium cum Basilio de Episcopatu contendisse, & ea de causa inimicum Basilio factum. Tertio constat, sanctum Basilium obiisse anno vltimo Valentis Imper. & octo annis Episcopatum administrasse, ex Gregorio Nazianzeno, & aliis: proinde Episcopum factum anno sexto Valentis: at iuxta supposititium Amphilochium, Basilius, vel sedisset annis quindecim, vel ante mortuus esset, quàm Episcopus fieret, si viuente Iuliano iam Episcopus erat.

Omitto multa alia, quæ perperam narrantur in illa vita tum de Libanio, tum de alijs.

De S. Hieronymo. 390.

SAnctus Hieronymus presbyter & Ecclesiæ doctor floruit anno 14. Theodosij, vt

ipse de se testatur in libro de Script. Eccles. extremo. Obijt Honorio imperante anno Domini 422. ætatis suæ anno 91. ex chronico sancti Prosperi, vel anno Domini 420. ætatis anno 78. ex Annalibus Card. Baronij. Opera sancti Hieronymi nouem tomis continentur in editione Lugdunensi anni millesimi quingentesimi trigesimi. In editione verò Romana anni 1565. & 1572. Mariani Victorij idem est tomorum numerus, sed quæ prior editio conieceratin quartum tomum, editio posterior coniecit in octauum, & nonum: & quæ editio prior collocauerat in tomis quinto, sexto, septimo, octauo, & nono: posterior collocat in quarto, quinto, sexto, & septimo. Nos sequemur ordinem editionis posterioris, quæ ab erroribus Erasmi purgata est.

A

Igitur in primo tomo hæc opera insunt.

B

Primi Tomi.

Epistolæ hortatoriæ, vt plurimum, 42
Ad Heliodorum. Ad Rusticum.
Ad Lætam. Ad Saluinam.
Ad Ageruchiam, duæ. Ad Paulinum.
Ad Paulam, & Eustochium nomine Marcellæ. Ad Marcellam, tres.
Ad Paulum Concordiensem.
Ad Theophilum Alexan.
Ad Castrutium. Ad Exuperantium.
Ad Iulianum Diaconum.
Ad Virgines Hermonenses.
Ad Ruffinum. Ad Chromatium & alios.
Ad Antonium.
De vitando suspecto contubernio.
Ad Sabinianum Diaconum.

C

Ad Nepotianum. Ad Florentium, duæ.
Ad Demetriadem. Ad Furiam.
Ad Gaudentium. Ad Celantiam.
Ad Eustochium, duæ. Ad Lucinium.
Ad Abigaum. Ad Iulianum.
Ad Castorinam. Ad Theodosium Monachum. Ad Augustinum.
Ad Nicæam Diaconum.
Ad Chrisogonum. Ad Rusticum.

In eodem tomo sunt epistolæ laudatoriæ, siue funebres, numero duodecim.
In Nepotianum. In Marcellam.
In Blesillam. In Asellam.
In Leam. In Paulam.
In Lucinium. In S. Paulum.
In Malchum. In Fabiolam.
In sanctum Hilarionem.

D

In mulierem septies ictam.

Denique ad finem primi tomi, est liber de Scriptoribus Ecclesiast. siue de viris illustribus.

Obseruatio in primum Tomum.

In hoc primo tomo nihil est, de quo merito dubitari posit.

Secundi Tomi.

In secundo Tomo libri sunt contra hæreticos, vel calumniatores.
Aduersus Heluidium, liber 1.
Aduersus Iouinianum, lib. 2.
Apologia pro libris in Iouinianum.
Apologeticum ad Domnionem.
Ad Pammachium pro iisdem libris.
Aduersus Vigilantium ad Riparium epistola.
Aduersus Vigilantium, lib. 1.
Ad Marcellam aduersus Montanum epistola.
Aduersus Luciferianos Dialogus.
Ad Auitum contra Origenem.
Ad Ioannem Hierosolymitanum Origenistam.
Ad Pammachium de erroribus Io. Hierosoly.
Ad Theophilum contra eundem Ioannem.
Apologiæ aduersus Ruffinum, lib. 3.
Ad Ctesiphontem aduersus Pelagium.
Aduersus Pelagianos, lib. 3.
Ad diuersos diuersorum argumentorum epistolæ triginta: necnon epistolæ Epiphanij, Theophili, & Augustini.
Ad Hieronymum epistolæ octo.

Obseruatio in secundum Tomum.

In hoc etiam tomo nihil est dubium, vel supposititium.

Tertij Tomi.

In Tomo tertio sunt præfationes, & quæstionum explicationes.
Ad Paulinum de libris diuinæ scripturæ.
Præfationes in Pentateuchum.
In Iosue. In libros Regum.
In librum Paralip. 2.
In Esdram. In Tobiam.
In Iudith. In Esther.
In Iob. In Prouerbia.
In Ecclesiastem. In Cantica.
In Isaiam. In Hieremiam.
In Ezechielem. In Danielem.
In 12. Prophetas.
In quatuor Euangelia.

Sequuntur in eodem tomo explicationes quæstionum à diuersis propositarum.
A Damaso. A Dardano.
A Vitali. Ab Amando.
A Minerio, & ab Alexandro.
A Cypriano. A Paula Vrbica.
Ab Euagrio. A Marcella.
A Sophronio. Ab Hedibia.
A Principia Virgine. A Fabiola.
A Ruffino. A Sunia, & Fretella.
Ab Algasia. A Paulino. A Desiderio.

Denique sunt in eodem Tomo.
Traditiones, siue quæstiones Hebraicæ.
In Genesim.
In libros Paralipomenon.
In libros Regum.

Item, libri de locis Hebraicis, & de nominibus Hebraicis, quæ in omnibus libris testamenti veteris & noui occurrunt.

Obseruatio in Tomum tertium.

In hoc tomo nihil est, de quo dubitetur, exceptis quæstionibus in libros Regum, & in in libros Paralip. Sanctus enim Hieronymus in libr. de Script. Eccles. extremo, testatur, se scripsisse traditiones, siue quæstiones Hebraicas in Genesim, loca Hebraica, & nomina Hebraica: & de traditionibus, siue quæstionibus Hebraicis in libros Regum, & in libr. Paralip. nihil dicit: præterea in quæstionibus Hebraicis in Genesim adscribit idem Hieronymus passim verba Hebraica; in quæstionibus autem in libros Regum, & Paralip. nonnisi semel, aut iterum id facit. Denique grauior videtur scriptio illa in Genesim, quàm ista in libros Regum, & Paralipomenon, sed cuiuscunque sit hoc opus non magni refert.

Quarti Tomi.

In 4. tomo sunt commentaria in quatuor Prophetas maiores,& Threnos Hierem.

Quinti Tomi.

In quinto tomo sunt commentaria in Ecclesiastem: & in duodecim Prophetas minores.

Sexti Tomi.

In tomo sexto commentaria in Matthæum, In epistolas ad Galatas,ad Ephesios,ad Titum, ad Philemonem. Liber Didymi de Spiritu S. à Hieronymo latinus factus.

Obseruatio.

In his tribus tomis omnia sunt legitima,& certa,quod attinet ad auctorem excepto Commentario in Threnos Hieremiæ, qui videtur esse potius Rabani, quàm Hieronymi: habetur enim inter opera Rabani, & inueniuntur in eo sententiæ aliquæ ex sancto Gregorio decerptæ.

Post Commentarium in Matthæum, sequebatur Commentarium in Marcum; quod Marianus prudenter omisit, quia auctor ostendit se,neque Græcæ linguę,neque Hebraicæ fuisse peritum: & in explicatione cap.14.& 15. multa scribit inepta,& falsa.

Septimi Tomi.

In tomo septimo Commentaria in Psalmos omnes.

Versio S. Hieronymi ex Hebræo.

Obseruatio.

De Commentarijs in psalmos obscura quæstio est: scripsit sanctus Hieronymus in psalmos septem, videlicet in Psal.14.15.16.17.18. 19.& 20. vt ipse testatur in lib. de Script. Eccles. Deinde scripsit in Psalm.44.89.& 126. vt notum est ex Epistolis eius ad Principiam,ad Cyprianum, & ad Marcellam. Scripsit denique Commentariolos in omnes Psalmos, vt ipse idem testatur in Apologia prima contra Ruffinum. Certum est primos tractatus in Psalmos septem, periisse: non minus certum est, explicationem trium psalmorum, esse S. Hieronymi, & extare inter epistolas. De Commentariolis quæstio est, an sint ista Commentaria, quæ sub nomine sancti Hieronymi extant in hoc septimo tomo. Quod enim sint ista ipsa Commentaria, quæ nunc extant, probari potest, primo ex eo, quòd sanctus Hieronymus in Apologia prima cōtra Ruffinum, scribit, se in Commentariolis illis vertisse verba Hebraica, nasşecubar, quæ habentur in secundo Psalmo, adorate filium; eadem autem verba in interpretatione Psalterij de Hebræo in Latinum, vertisse, adorate purè: & vtranque lectionem defendit. Atqui in istis Commentarijs,de quibus agitur, inuenitur, adorate filiū: & in interpretatione ex Hebræo inuenitur, adorate purè: igitur sicut interpretatio Psalterij ex Hebræo, quæ extat est sancti Hieronymi; ita & Commentaria quæ extant, eiusdem sunt Hieronymi. Deinde probari potest alio; simili argumento ex sancto Augustino: Sanctus enim Augustinus in epistola ad Fortunatianum citat verba S.Hieronymi exponentis Psalmum nonagesimum tertium: & verba illa omnia inueniuntur in Commentario isto, vt non videatur posse esse dubium, quin sanctus Augustinus citauerit Commentaria ista sub nomine S. Hieronymi. Accedit tertium argumentum ex testimonio sancti Gregorij, qui explicans verba illa Psalmi quarti pœnitentialis,Cor contritum,& humiliatum Deus non despicies: allegat sanctum Hieronymum exponentem eundem locum: & expositio illa in his Commentarijs inuenitur: proinde testimonio sancti Gregorij,hæc ipsa Commentaria sancti Hieronymi esse videntur. Contra tamen sunt argumenta non minus probabilia. Nam hic auctor in explicatione Psalmi sextidecimi, disertis verbis citat Eucherium: Eucherium autem, qui ex scriptis notus est,multis annis sanctus Hieronymus præcessit: neq; in libro de Script. Eccles. vllius Eucherij sanctus Hieronymus meminit, cùm tamen nullum ferè prætereat ex maioribus, vel æqualibus suis. Deinde hic idem auctor in explicatione Psal.108. scribit,suo tempore fuisse annum quadringentesimum ab excidio Hierusalem, in quo cœpit vltima captiuitas Iudæorū: excidium autem Hierusalem contigit anno quadragesimo secundo post passionem Domini,vt idem auctor ibidem affirmat: quibus annis si addamus annos triginta tres vitæ Christi, erunt omnes simul anni 475. Igitur auctor horum Commentariorum viuebat anno Domini 475. Atqui sanctus Hieronymus obiit anno Domini 422. vt supra dictum est. Accedit tertium argumentum, quod hic auctor in explicatione Psal.86. dicit illa verba, Nunquid Sion dicet homo; esse ex Hebraica veritate: & tamen in translatione Psalterij ex Hebræo sanctus Hieronymus vertit, Ad Sion dicetur homo:& verè sic est in Hebræo, vt videatur auctor horum Commentariorum non calluisse linguam Hebraicam, ac per hoc non esse Hieronymus, qui eius linguæ, fine controuersia, peritissimus erat. Ac (vt omittam alia multa) S.Hieronymus in Apologia prima cōtra Ruffinum scribit, se Commentariolos confecisse in Psalmos: auctor autem horum Commentariorum in quorundam Psalmorum explicatione longissimas disputationes, vel cohortationes adiungit. Vide Commentaria in Psal. 81. 86. 132. 133.& secundam expositionem Psal. 119. quæ habetur ad finem Commentarij: isti enim Psalmi breuissimi sunt, & Commentaria habent fusissima. Ego igitur (si mihi liceat sententiam meam exponere) existimo, Commentaria, de quibus agimus, verè esse sancti Hieronymi, sed non pura. Videtur enim aliquis longè posterior scriptor adiunxisse multa de suo: quod idem accidit versioni Scripturarum ex Hebræo, quam habemus in editione vulgata: est enim versio ipsa sancti Hieronymi, exceptis Psalmis, in editione vulgata, sed multis additis, vt ostedi in Controuersiis, lib.2. de Verbo Dei, cap.9. extremo: sic igitur Commentaria illa Hieronymi sunt, sed aucta ab aliquo, qui multa inseruit ex Hilario, ex Ambrosio, ex Ruffino,& ex Augustino; & qui etiam adiecit cohortationes, siue conciunculas, quæ habentur interdum ad finem; & qui ista adiecit, videtur vixisse anno Domini 475. vt etiam facile Eucherium citare potuerit. Atque ex hac obseruatione soluuntur omnia argumēta, quæ

A nos paulò antè adduximus, quæque ab alijs Scriptoribus adducuntur. Illud vnum videtur solui non posse, quod hic auctor dicat, secundùm Hebraicam veritatem haberi in Psal. octuagesimosexto, Nunquid Sion dicet homo. Respondemus tamen, vocem illam (Hebraicam) irrepsisse in textum scioli alicuius temeritate, & omninò abradendam esse: auctor enim dixerat, alicubi legi, Mater Sion, alicubi, Nunquid Sion: & addidit, in textu Græco haberi μὴη, id est, nunquid, sed ab aliquo mutatum est in μητὴρ, id est, mater: & se velle vtroque modo exponere: & cum exposuisset, Mater Sion, addit, exponamus nunc secundùm Hebraicam veritatem, quæ habet, Nunquid Sion: vbi illud, Hebraicam, superuacaneum est: & legendum videtur, exponamus nunc secundum veritatem, quæ habet, Nunquid Sion:
B illud enim, Mater Sion, non est secundum veritatem Græci textus, sed secundùm corruptionem: in illis enim Commentarijs sanctus Hieronymus exponit Psalterium secundum versionem Græcam LXX. Interpretum, non secundùm versionem ex Hebraico.

Octaui Tomi.

In Tomo octauo hæc sunt.

In Iob Commentaria Bedæ.

In Prouerbia Commentaria Bedæ.

In Cantica Homiliæ Origenis.

In omnes Pauli epistolas Commentaria falsò attributa Hieronymo.

Obseruatio.

Rectè Marianus Victorius Commentaria in
C Iob non tribuit sancto Hieronymo, sed Bedæ: nam in extremo volumine scribit auctor, se scripsisse in gratiam Vecterij: Vecterium autem Episcopum fuisse in Anglia tempore Bedæ, ex historia eiusdem Bedæ manifestè colligitur.

Rectè quoque Commentaria in Prouerbia tribuuntur Bedæ, non autem Hieronymo: siquidem in caput 21. & 31. citatur S. Gregorius Papa: & in cap. 30. citatur nominatim S. Hieronymus.

Commentaria in omnes Epistolas, non solum non sunt Hieronymi, sed, quod magis mirum est, Pelagij hæresiarchæ sunt. Nam sanctus Augustinus, lib. 3. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 1. dicit, se legisse Commentaria Pelagij breuia in omnes epistolas Pauli: &
D infra cap. 12. allegat quædam ex Commentario in cap. 7. prioris ad Corinth. quæ in his Commentarijs inueniuntur. Vide auctorem horum Commentariorum, in cap. 5. 6. 7. & 8. & 11. ad Romanos; item 1. Corinth. 4. Philip. 1. & 3. & in caput 6. prioris ad Timoth. & inuenies sententias manifestè Pelagianas.

Noni Tomi.

In Tomo nono sunt multa aliorum vt Eusebij Cæsariensis, Ruffini, Augustini, Gennadij, & aliorum, de quibus nullum est dubium.

Plurimi etiam libri, vel epistolæ ponuntur, quas Erasmus tanquam suppositítias in tomum quartum coniecerat. Verè enim nihil horum est, quod Hieronymi doctrina, vel fide sit dignum. Ego solum ea commemorabo, quæ manifestè comperi ad Hieronymum non pertinere.

Epistola ad Demetriadem Virginem, quæ incipit, Si summo ingenio; Pelagiana est, & à S. Augustino tribuitur ipsi Pelagio, & confutatur in libro de gratia Christi, cap. 22. 27. 37. 38. & 40.

Epistola ad Geruntij filias, similiter Pelagiana est: sicut etiam

Epistola ad Amicum de cognitione diuinæ legis.

Epistola de Scriptoribus Ecclesiast. ad Desiderium ponit inter lumina Ecclesiæ Origenem, Iouinianum, Pelagium, hæreticos: numerat etiam Hilarium Pontificem, qui S. Leoni successit, qui diu post mortem S. Hieronymi clarere cœpit.

Epistola de filio luxurioso, & frugi, Pelagiana est: & multum omnino discrepans à vera epistola sancti Hieronymi de eodem argumento.

Symbolum ad Damasum, quod incipit, Credimus in Deum Patrem, & clauditur illis verbis, se imperitum, & maleuolum, vel non Catholicum, non me hæreticum comprobabit: non est Hieronymi ad Damasum, sed Pelagij ad Innocentium. Id ostendit S. Augustinus in lib. de gratia Christi, cap. 30. 31. 32. & 33. vbi dicit Pelagium misisse ad Innocentium Papam libellum fidei suæ: & ibidem refert verba eius libelli, quæ sunt illa ipsa, quæ in hoc Symbolo continentur.

Epistolæ sancti Augustini ad Cyrillum Hierosolymæ Episcopum de obitu sancti Hieronymi, sine dubio falsæ, & suppositítiæ sunt. Constat enim Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum obiisse diu antequam sanctus Hieronymus moreretur: scribit enim sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Cyrillo, Cyrillum sæpius expulsum, & reuocatum, tandem octo annis pacifice sedisse. Adde quod epistolæ istæ, vt etiam epistola Eusebij ad Damasum de morte sancti Hieronymi nouitatem suam manifestè produnt. Nec solum nouitatem, sed etiam imperitiam, & imposturas: scribit enim fictitius Cyrillus ad Augustinum, hæresiarcham quendam Syluanum docuisse, duas in Christo esse voluntates: sed miraculis sancti Hieronymi hunc hæresiarcham fuisse confutatum. At hæresis monothelitarum ducentis annis post tempora Cyrilli, & Hieronymi exorta est: & non est hæresiarcha dicendus, qui duas voluntates in Christo confitetur, sed qui vnam tantum, vt ex Concilio sexto generali intelligi potest. Itaque auctor harum epistolarum confundit tempora, hæresim monothelitarum pro fide Catholica vendit, Cyrillum, Augustinum, & Hieronymum pro magna laude hæreticos monothelitas facit.

Tribuitur ad vltimum sancto Hieronymo liber de vitis sanctorum Patrum: sed sciendum est, eum librum non esse vnius auctoris: nam in prima parte ponuntur vitæ Monachorum, quas scripsit Euagrius Ponticus de quo scribit sanctus Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, ex illis vitis solam primam esse veram, quæ est Ioannis Abbatis: eidem Eua-

grio tribuit vitas Patrum Gennadius in suo catalogo scriptorū. Vitis illis ab Euagrio scriptis adiunctæ sunt vitæ Pauli primi Eremitæ, Hilarionis, & Malchi à sancto Hieronymo scriptæ: item vita sancti Antonij scripta ab Athanasio: item vita Mariæ Ægyptiacæ à Zozimo edita: item multa ex collationibus Cassiani: denique vita sancti Hieronymi parum fideliter conscripta.

De Theophilo Alexandrino. 390.

THeophilus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus sancti Hieronymi æqualis, vt epistolæ vtrinque inuicem scriptæ testantur, scripsit epistolas tres Paschales, quas sanctus Hieronymus latinas fecit. Atque epistolæ istæ satis vtiles, & doctæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. scripsit præterea aduersus Origenem; & alia quorum meminit Gennadius in lib. de viris illustribus, sed hæc non extant. Ad initium epistolarum paschalium ponitur epistola quædam, sub nomine Sancti Hieronymi ad Theophilum quæ epistola supposititia esse videtur. nam inuehitur auctor epistolæ in sanctum Ioannē Chrysostomum, iam tum defunctum, tanta acerbitate, quanta non potest vllo modo tribui sancto Hieronymo. Deinde salutatio initio epistolæ est omninò inusitata sancto Hieronymo. Denique stylus non est sancti Hieronymi.

De Ioanne Episcopo Hierosolymitano. 390.

IOannes Episcopus Hierosolymitanus vixit tempore sancti Hieronymi, vt notum est ex contentionibus inter eos, non semel excitatis. Scripsit, teste Gennadio, librum in obtrectatores studij sui, ostendens se non esse Origenistam. Tribuitur eidem Ioanni liber ad Caprasium de institutione Monachi, qui habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. sed hic liber videtur scriptus ab aliquo longè posteriore: siquidem in eo libro dicit auctor se esse Ordinis Carmelitarum, & describit habitum Carmelitarum: at illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat planè inauditum, vt etiam Card. Baronius affirmat, tomo 6. Annalium, ad annum 444. adde quod stylus est hominis Latini, & temporum posteriorum.

De Diadocho. 390.

DIadochus Episcopus Photices scripsit insignem librum de Perfectione continens capita centum: hic liber extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto, edit. 2.

De Ruffino Presbytero. 390.

RVffinus presbyter Aquileiensis sancti Hieronymi quondam amicissimus, deinde æmulus factus, scripsit libros duos historiæ Ecclesiasticæ, quos addidit ad historiam Eusebij Cæsariensis à se cōuersam ex Græco: scripsit etiam explicationem Symboli Apostolici: item in Psalmos aliquot Commētaria; Inuectiuas duas in sanctum Hieronymum; & Apologiam pro Origene, in qua multa mentitur, ipso Hieronymo teste in secunda Apologia: scripsit quoque multas epistolas.

A Hæc omnia extant, partim inter opera sancti Hieronymi, partim in historia Eusebij, partim etiam seorsim. Vertit quasdam sententias Sixti Philosophi Pythagorici, easq; tribuit sancto Sixto Pontifici & Martyri, vt testatur Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem. Sanctus etiam Augustinus ex versione Ruffini deceptus, eas sentētias esse putauit sancti Sixti Martyris: quod retractat lib. 2. retract. cap. 46. Hæ sententiæ extant in tomo quinto Bibliothecæ sanctorum Patrum, editionis secundæ. Vertit præterea in Latinam linguam Recognitiones Clementis, vt Gennad. testatur in lib. de viris illustribus. Sed sicut ipsæ Recognitiones falsò fortasse tribuuntur Clementi, ita etiam non est incredibile, falsò adiunctam illis fuisse præfationem Ruffini, quasi interpretis: denique Ruffinus meritò notatur erroris à Gelasio Pa-
B pa, cap. sancta Romana. distinct. 15.

De Palladio Galata. 390.

PAlladius Galata Ruffini æqualis, & amicus fuit, vt ex operibus eius intelligi potest. Scripsit historiam Lausiacam, & Paradisum Heraclidis, in quibus describuntur breuiter multorum sanctorum vitæ, quæ non modicam præstare possunt legentibus vtilitatem. Ipse tamen reprehenditur, vt Origenista, à sancto Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem, & à sancto Epiphanio in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, quæ extat in secundo tomo sancti Hieronymi. Extat etiam dialogus quidam sub nomine Palladij in tomo 1. operum sancti Ioannis Chrysostomi, editionis Parisiensis.

C

De sancto Gaudentio Brixiensi. 390.

SAnctus Gaudentius successor Philastrij in Episcopatu Brixiæ, scripsit vtilissimos tractatus de varijs argumentis, qui extant in tom. 2. Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis 2.

De dedicatione Basilicæ, tractatus vnus.	
De Pascha in Exodum,	7.
De lectione Euangelij,	2.
De Exodo iterum,	1.
De Paralytico,	1.
In illud, Nunc iudicium est Mundi,	1.
De promissione Paracleti,	1.
De Machabæis Martyribus,	1.
De Villico iniquitatis ad Germinium,	1.
In illud, Pater maior me est,	1.

D

De Aurelio Prudentio. 390.

AVrelius Prudentius Poëta christianus, floruit sub Theodosio seniore, & filijs eius: scripsit egregia carmina, psicomachiam, de pugna Fidei, & Idololatriæ: Pudicitiæ, & libidinis; Patientiæ, & iræ: Superbiæ, & humilitatis: Luxuriæ, & sobrietatis: Auaritiæ, & largitatis: Concordiæ, & discordiæ.

Scripsit librum Catemerinon, id est, rerum diurnarum, in quo continentur hymni à matutino ad Vespertinum.

Scripsit librum Peristephanon, id est, de coronis, in quo sunt laudes multorum martyrum, sancti Laurentij, sancti Vincentij, sanctæ Eulaliæ, SS. Petri, & Pauli, sanctæ Angetis, sancti Cypriani, sancti Cassiani, & aliorum.

Scripsit Apotheosim, id est, de diuinitate,

vbi sunt hymni in infideles, in hæreticos Sabellianos, in Iudæos; item de natura animæ, & de resurrectione carnis.

Scripsit Amartingenia, id est, de origine peccatorum; contra Marcionem.

Scripsit libros duos contra Symmachum.

Addit Gennadius in libro de viris illustribus, scripta quoque fuisse ab eo, Enchiridion veteris & noui Testamenti, & de opere sex dierum. Hoc opus in Bibliotheca SS. Patrum tribuitur Ameno. Eius initium est, Eua columba fuit, &c.

De sancto Chromatio Episcopo Aquileiensi. 390.

Sanctus Chromatius Episcopus sanctissimus, & doctissimus fuit, testimonio sancti Hieronymi prefatione in librum Paralip. Scripsisse fertur commentaria in Matthæum; sed nunc extant solum homiliæ de octo beatitudinibus in cap. quintum Matthæi, & tractatus in illud, Ego à te debeo baptizari. Vide in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 2.

Extat in quarto Tomo operum sancti Hieronymi epistola sub nomine Chromatij, & Heliodori ad Hieronymum, & respõsio Hieronymi in quibus agitur de Natiuitate Beatissimæ Virginis: sed vtraque falsa, & suppositia est: vt etiam falsam esse conuincit Card. Baronius epistolam eorundem Chromatij & Heliodori ad Hieronymum circa Martyrologiũ. Vide præfationem Card. Baronij ad Martyrologium Romanum, cap. 5. & 7.

De S. Ioanne Chrysostomo. 398.

Sanctus Io. Chrysostomus, magnus Ecclesiæ Doctor primum in foro versatus est magna cum laude: deinde Monasticam vitam exercuit, atq; ab eremo ad clerum vocatus presbyter Antiochenus ordinatus est anno 11. Valentiniani iunioris, & 8. Theodosij senioris: Anno deinde 4. Archadij, & Honorij Episcopus Constantinopolitanus factus; tandem anno 13. eorundem Imperatorum, & Episcopatus sui nono mortem obijt circa annum Domini 407. Opera, quæ extant quinque tomis comprehenduntur, in editione Veneta an. Do. 1575. hac enim editione vtebar dum scriberem.

Tomi Primi.

In Genesim, homiliæ	67.
In Psalmos, homiliæ	26.
In varia loca testamenti veteris,	52.
Ex quibus quinque sunt de visione Isaiæ.	

Secundi Tomi.

In Matthæum, homil.	89.
In eundem operis imperfecti, hom.	54.
In varia loca Matthæi, homil.	26.
In Marcum, homil.	14.
In varia loca Lucæ, hom.	7.

Tertij Tomi.

In Ioannem, homil.	87.
In varia loca Ioannis, hom.	6.
In Acta Apostolorum, hom.	51.
Conciones de sacris ferijs,	32.
In varia loca Pauli, hom.	14.
In quibus sunt multæ de laudibus Pauli.	

Quarti Tomi.

Commentaria per homilias in omnes Epistolas B. Pauli.

A

Quinti Tomi.

Ad populum Antiochenum, homil.	80.
De Sacerdotio dialogi, siue libri,	6.
De compunctione cordis, lib.	2.
De prouidentia Dei, lib.	6.
De orando Deo, lib.	2.
De comparatione Regis & Monachi,	1.
Contra vituperatores vitæ Monasticæ,	3.
Contra gentiles, siue in Babylam mart.	1.
De pœnitentia sermones,	12.
Aduersus Iudæos, & hæreticos, serm.	15.
Contra Concubinarios, serm.	2.
Variorum argumentorũ, ser. 48. Epistolæ,	8.
Ad Innocentium Papam,	2.
Ad Cyriacum,	1.
Ad Episcopos & Presbyteros ob pietatem in carcere inclusos,	1.
Ad Theodorum lapsum,	2.
B Ad Eutropium,	1.
Ad Olympiam illustrem feminam,	1.
Liturgia, siue Missa S. Ioan. Chrysostomi.	

Obseruatio.

In primo Tomo ex homilijs in diuersa loca testamenti Veteris, est homil. in cap. 2. Genes. quæ incipit, Deus institutor Mundi: quæ homilia non videtur posse esse Chrysostomi, cùm in ea inserta sint duo integra capita ex libro latino de Ecclesiasticis dogmatibus, videlicet tricesimum primum, & tricesimum secũdum. Liber autem iste habet auctorem Chrysostomo posteriorem, vt infrà dicemus. Aliæ quoque nonnullæ sunt, quæ dubiæ fidei videri possunt. Sed homiliæ in Genesim, & in Psalmos, & de visione Isaiæ, & aliæ plurimæ indubitatæ sunt.

C In secundo tomo Commentaria in Matthæum sine dubio Chrysostomi sunt. Sed opus imperfectum non videtur esse Chrysostomi: non enim erat vlla ratio, cur bis de argumento eodem tam multa idem auctor scriberet. Sed cuiuscunque sit opus, aut ab hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum, quamuis alioqui liber sit doctus, & minimè spernendus. Homil. 4. dicit, Spiritum sanctum esse ministrum filij: & hom. 48. homousianos numerat inter hæreticos: quæ duæ sententiæ Arianorum sunt. Contra tamen homil. 27. & 44. dicit, hæreticos esse, qui affirmant, filiũ esse minorem patre: quæ superioribus dictis contraria sunt; proinde credibile est, auctorem fuisse Catholicum, sed opus illius ab Arianis esse deprauatum.

D In eodem tomo sunt Commentaria in Marcum, quæ sine dubio Chrysostomi non sunt, sed alicuius simplicis Monachi, qui fratribus suis Euangelium explicabat, vt constat ex homil. 3. 4. 8. 9. & ex alijs. Ex alijs, quæ in eodem tomo habẽtur, quædam sunt manifestè Chrysost. vt homilia de proditione Iudæ; item de diuite, & Lazaro. Homil. 4. & alia de Publicano, & Pharisæo; & alia de Cruce, & Latrone. Reliqua videntur excerpta partim ex Comm. Chrysost. in Matth. partim ex opere imperfecto, partim ex hom. in Marc.

In tertio tomo hom. 87. in Ioann. omnium consensu Chrysostomi sunt. Idem omninò sentiendum existimo de homilijs 55. in Acta Apostolorum, quamuis ab Erasmo reuocen-

tur in dubium. Certè homil. 9. auctor Episcopum se esse dicit, & hom. 11. addit Episcopum se esse Vrbis amplissimæ, & homil. 41. dicit, se vixisse tempore Iuliani apostatæ, & hom. 52. nomen suum dicit esse Ioannem: neque est aliquid alicuius momenti, vnde suspitio supposititij operis colligi posit. Adde quod Ioannes Damascenus lib. 3. de fide, & OEcumenius in catena explanationis in Acta, testimonia petunt ex his homilijs sub nomine S. Ioan. Chrysostomi. De sex homilijs interpositis inter Commentaria in Ioannem, & in Acta, non est omnino certum, an sint Chrysostomi, excepta tertia, quæ incipit, Hirundinum pulli. Reliqua omnia creduntur esse Chrysostomi, ac præsertim homiliæ de laudibus Pauli.

In quarto tomo nihil est, quod iure reuocari posit in dubium.

In quinto tomo omnia ferè sunt certa, & indubitata, exceptis homilijs ad populum Antiochenum, ex quibus viginti & vna tantum reperiri dicuntur manuscriptæ in antiquis Bibliothecis: & apertè colligitur ex contextu ipsarum, permultas earum esse fragmenta homiliarum Chrysostomi in Matthæum, vel in Ioannem, vel in Acta Apostolorum, vel in epistolas Pauli, vt exempli gratia, homilia ad populum Antiochenum vicesima septima decerpta est partim ex homil. 10. partim ex 11. partim ex 12. in Acta, & homil. 60. & 61. ad populum decerptæ sunt ex hom. 83. in Matthæum, & 45. in Ioan. Sed hoc non multum refert, cùm sententiæ eiusdem auctoris sint.

De Seueriano Gabalensi. 398.

Seuerianus Episcopus Gabalensis, vir eloquentissimus dicitur fuisse: & Gennadius in libro de viris illustrib. scribit se legisse huius Seueriani expositionem in Epistolam ad Galatas, & alia quædam. addit etiam, illum sæpè inuitari solitum à S. Ioanne Chrysostomo, & ab Archadio Imperatore ad sermones habẽdos in Ecclesia Constantinopolitana. Extat huius Seueriani sermo vnus, in quinto tomo operum S. Ioan. Chrysostomi. Huius Seueriani editæ sunt nuper in Anglia græcè homil. 6. in Exameron cum operibus S. Ioan. Chrysostomi. sunt etiam inter decem homilias à Card. Sirleto editas sub nomine sancti Ioan. Chrysostomi: sed eas Seueriani esse constat ex Theodoreto, & Damasceno, qui eas citant.

Seculum quintum ab Anno 400. ad 500.

De sancto Augustino. 420.

Sanctus Augustinus Episcopus Hypponensis florebat circa annum Dom. 420. cuius anni ipse meminit in epistola ad Hisichium, quæ est octogesima. Obijt autem anno ætatis suæ septuagesimo sexto, teste Possidio in eius vita, & à natali Dom. anno 433. vt Prosper testatur in chronico. Ac vt ex Catalogo librorum ipsius possit lector intelligere, quæ sint opera eius indubitata, adscribam locum Retractationum, in quo ipsemet operis sui mentionẽ facit, vel adscribam Indic. quod significat, eum librum esse in indiculo Possidij,

A qui diligentissimè in indiculum redegit omnes libros S. Augustini. Vbicunque igitur inuenietur notatus liber Retract. vel Indic. is liber sine dubio erit S. Augustini: vbi nihil erit annotatum, de eo libro dicemus in obseruatione, quam subijciemus.

Primi Tomi hæc sunt:

Retractationum libri 2.	*Lib. 2. retract. cap. 67*
Confessionum, 13.	*2. retract. cap. 6*
De Grammatica, 1.	*1. retract. cap. 6*
De Dialectica, 1.	*1. retract. c. 6*
Catagoriæ decem, 1.	*1. retract. c. 6*
Principia Rhetorices, 1.	*1. retract. c. 6*
De Musica, 6.	*1. retract. c. 11*
Contra Academicos, 3.	*1. retract. 1*
De Ordine, 1.	*1. retract. 3*
De vita beata, 1.	*2. retract. 2*
Soliloquiorum, 2.	*1. retract. 4*
B De Magistro, 1.	*1. retract. 12*
De immortalitate animæ, 1.	*1. retract. 5*
De quantitate animæ, 1.	*1. retract. 8*
De libero Arbitrio, 3.	*1. retract. 9*
De vera Religione, 1.	*1. retract. 15*
De moribus Ecclesiæ, 1.	*1. retract. 7*
De moribus Monachorum, 1.	*1. retract. 7*
De Genesi contra Manichæos, 2.	*1. retract. 10*
Regulæ Monasticæ, 3.	
De vita Eremitica ad sororem, 1.	

Obseruatio.

In hoc tomo, vt notum est ex libris Retractationum, sola duo opera dubia esse possunt, Regulæ, & de vita Eremitica, quorum non fit mentio in lib. retract. Et quidem ex tribus regulis, sola tertia est certa Sancti Augustini, sed
C feminis data, non viris: habetur enim in epistola 109. reliquæ duæ non videntur Augustini. Liber de vita Eremitica non potest esse Augustini, cùm in eo nominentur SS. Patres, Benedictus, & Gregorius.

Tomi Secundi hæc sunt.

Epistolæ S. Augustini cum ijs, quæ ad ipsum scribuntur num. 222.

Obseruatio.

Ex his inueniuntur in Retractationibus septem.

Epistolæ duæ ad Ianuarium, id est, 118. & 119. *2. retract. 20.*

Epistola ad Deo gratias, 49.	*2. retract. 31*
Epistola ad Honoratum, 120.	*2. retract. 36*
Epistola ad Paulinum, 112.	*2. retract. 41*
Epistola ad Bonifacium, 50.	*2. retract. 48*
D Epistola ad Dardanum, 57.	*2. retract. 49*

Admonet tamen ipse idem in extremo lib. 2. Retractationum, à se epistolas, & sermones omnes, non fuisse in retractationibus comprehensos.

Epistolæ sexdecim Augustini ad Bonifacium, & Bonifacij ad Augustinum, quæ interferuntur inter epistolam ad Honoratum de fuga in persecutione, & epistolam ad Ediciam de voto continentiæ, non videntur esse Augustini, sed breuissimæ sunt, & non multum refert cuius tandem sint.

Epistolæ Augustini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Augustinum, de obitu & miraculis sancti Hieronymi, falsæ sunt, vt notauimus suprà in obseruatione ad Tomum nonum sancti Hieronymi.

Tomi tertij hæc sunt:

Obseruatio.

A Liber de mirabilibus sacræ Scripturæ non sine causa non inuenitur in retractationibus, neque in Indiculo Possidij, quoniam liber est indignus ingenio, & grauitate sancti Augustini, quem etiam non magnifecit, & S. Augustini esse negauit S. Thomas 3. p. qu. 45. art. 3. ad secundum.

Liber de Ecclesiasticis dogmatibus non videtur esse sancti Augustini, cùm præcipuè conflatus sit ex sententijs Concilij Arausicani, & summorum Pontificum Innocentij, Zozimi, Cælestini; & maxima ex parte ex operibus sancti Augustini: atqui Concilium Arausicanum, & epistolam Cælestini scripta esse constat post obitum S. Augustini. Hadrianus Papa in epistola ad Carolum Magnum tom. 3. epistolarum summorum Pontificum, citat de reliquiarum veneratione cap. 73. libri de Ecclesiasticis dogmatibus, sub nomine Gennadij Massiliensis Episcopi. Algerus, qui floruit anno Dom. 1100. tribuit eundem librum Gennadio, scribens de corpore & sanguine Domini libr. 1. cap. 22. quod etiam facit Platina in vita Symmachi vbi dicit, tempore huius Pontificis scriptum fuisse à Gennadio Massiliensi librum de Ecclesiasticis dogmatibus.

Liber de spiritu, & anima non est S. Augustini, sed alicuius multo recentioris, cum ca. 37. citet Boëtium, qui ferè centum annis fuit Augustino posterior, & cap. 48. multa proferat ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus: est tamen liber doctus, & pius.

Liber de fide ad Petrum, non videtur esse sancti Augustini, cùm non fiat eius mentio nec in Retractationibus, nec in Indiculo. Tribuitur à multis sancto Fulgentio, tum quòd Petrus quidam Diaconus eius amicissimus fuerit, & hic liber scribatur ad Petrum Diaconum: tum etiam, quia stylus conformis sit stylo S. Fulgentij. Denique Bertramus presbyter, qui circa annum Dom. 850. scripsit de corpore & sanguine Christi, hunc librum sub nomine sancti Fulgentij citauit: & (quod maius est) in Breuiario Romano recognito, in festo sanctissimæ Trinitatis assignantur lectiones secundi nocturni ex lib. de fide ad Petrum sub nomine S. Fulgentij.

Liber, qui inscribitur, speculum, quamuis de eius auctore aliqui dubitauerint, verè sancti Augustini est: nam & habetur in Indiculo Possidij, & ipse idem Possidius in vita S. Augustini, tradit, hunc librum ab Augustino fuisse conscriptum.

Quæstiunculæ de Trinitate, videntur excerptæ ex libris Augustini de Trinitate. incertum à quo.

Liber de benedictionibus Patriarcharum similiter excerptus videtur ex quæstionibus Hebraicis S. Hieronymi. Vterque paruus libellus est, vt non multum referat, quis eorum sit auctor.

Sententiæ sine dubio Augustini sunt, sed collectæ à sancto Prospero, nec solum soluta oratione, sed etiam carmine descriptæ, vt in eius operibus videre licet.

B

Tomi quarti hæc sunt.

Obseruatio.

Ex libris, quos Augustinus pro suis agnoscit in Retractationibus, nemo iure dubitare potest, nisi fortè de libro annotationum in Iob. Ipse enim Augustinus dicit, cum librum ita se deprauatum inuenisse vitio librariorum, vt vix audeat illum pro suo agnoscere.

Liber Sententiarum viginti vnius: & liber quæstionum sexaginta quinque non videntur esse S. Augustini, non solum quia non habentur in retractationibus, neque in Indiculo; sed etiam quia nihil habent graue, & dignum Augustino.

Liber quæstionum veteris & noui Testamenti, non est Augustini, sed alicuius hæretici: nam quæst. 2. dicit, Mundum factum fuisse propter diaboli præsumptionem, quæst. 13. dicit,

dicit, paruulos filios, qui vna cum parentibus perierunt in subuersione Sodomæ, liberos esse à Gehenna: ac per hoc negat iste auctor peccatum originis, quæst.21. dicit, mulierem non esse creatam ad imaginem Dei, quæst.43. dicit, Iephte nullum habere testimonium iustitiæ:& tamen extat clarissimè ad Hebr.11. quæst. 80. dicit, homines non nasci filios diaboli, quæst. 109. dicit, Melchisedech esse Spiritum sanctum,& esse Sacerdotem,sed non summum; vt in oblatione, inquit, præsumunt Antistites. Vbi reprehendit canonem Missæ, vbi legitur, summus Sacerdos tuus Melchisedech.

Hunc locum videtur notare sanctus Hieronymus in epistola ad Euagrium, vbi dicit, auctorem cuiusdam operis, in quo asseritur, Melchisedech esse Spiritum sanctum, esse imperitum sermone,& scientia. Quæst.44.dicit, ab excidio Hierusalem vsque ad sua tempora fluxisse annos trecentos: ex quo planè colligitur, hunc auctorem esse antiquiorem Augustino: nam anni trecenti ab excidio Hierusalem sunt anni treccnti septuaginta tres à natiuitate Domini: eo autem tempore S.Augustinus erat adolescens annorum sexdecim. Obijt enim anno Dom.433. cùm esset ætatis annorũ 76.vt suprà diximus: proinde nasci debuit anno Dom.357. ex quo vsq; ad 373. sunt anni sexdecim, nec scribere cœpit libros Ecclesiasticos, nisi post baptismum, quem suscepit post annum tricesimum:quis autem credatur fuisse auctor harum quæstionũ diximus supra, dum S. Ambrosij libros recenseremus.

Libri de Incarnatione Verbi, De Trinitate, & vnitate Dei, De essentia diuinitatis, De fide rerum inuisibilium, De substantia dilectionis; non videntur esse S.Augustini, cùm non inueniantur in retractationibus, nec in Indiculo Possidij, qui diligentissimus fuit in libris Magistri sui colligendis, neq; etiam sapiunt phrasim,& doctrinam S.Augustini.

Libri de continentia, De patientia,& de bono viduitatis, S.Augustini sunt, etiamsi Erasmus reclamet: nam inueniuntur in Indiculo Possidij,& citantur à venerabili Beda sub nomine S. Augustini in Commentario ad cap.8. ad Rom.& in cap.1. & 7. prioris ad Corinth.in cap.4.ad Philip.& in cap.5.prioris ad Timoth. & alibi: denique nulla est probabilis ratio in contrarium.

Liber de vera & falsa pœnitentia non est sancti Augustini: nam præterquam quod non fit eius mentio in retractationibus,nec in Indiculo,cap.17.hic auctor adducit sententiam quandam S. Augustini,& ab ea dissentit.

Liber de salutaribus documentis,& liber de amicitia, non videntur esse S. Augustini, tum quia eorum non facit mentionem Possidius in Indiculo,tum quia stylus humilior est, & oratio ipsa magis ieiuna,quàm soleat S. Augustini: libri tamen pij sunt,& non inutiles.

Tomi quinti sunt.

Libri viginti duo de Ciuitate Dei, quos & sanctus Augustinus pro suis agnoscit in libr.2. retract. cap.43. & grande opus appellat, vt re vera est, & tempus etiam,& occasionem scribendi fuisse dicit, euersionem Vrbis Romæ, sub Alarico Rege Gothorum.

A *Tomi sexti hæc sunt:*

De hæresibus ad Quod vult Deus,lib.1. *Indic.*
De quinque hæresibus Oratio. *Indic.*
Concio ad Cathecumenos. *Indic.*
Oratio aduersus Iudæos. *Indic.*
De altercatione Ecclesiæ,& Synagogæ.
De vtilitate credendi,lib. 1. 1. *retract.* 14
Contra epistolam fundamenti,1. 2. *retract.* 2
De duabus animabus contra Manichæos, 1. 1. *retract.* 15
Contra Fortunatũ Manichæum,1. 1.*retract.*16
Contra Adimantũ Manichæum,1. 1.*retract.*22
Contra Faustum Manichæum, 33. 2. *retract.* 7
De actis cum Felice Manichæo,2. 2. *retract.* 8
Contra Secundinum Manichæũ,1. 2.*retract.*10
De natura boni cont. Manichæos,1. 2. *retract.* 9
De fide contra Manichæos, 1.
B Contra aduersarium legis, & Prophetarum, 2. 2. *retract.* 58
Contra Priscillianistas, & Origenistas, 1. 2. *retract.* 44
Contra sermonem Arianorum, 1. 2.*retract.* 52
Contra Maximinum Episcopũ Arianorum, 3. *Indic.*
Contra Felicianum Arianum, 1. *Indic.*
De bono coniugali contra Iouinianum, 1. 2. *retract.* 22
De sancta Virginitate, 1. 2. *retract.* 23
De adulterinis coniugijs ad Pollentium, 2. 2. *retract.* 57
De Stoicis,& Epicureis tractatus, 1.
De eo quod dictum est, Ego sum, qui sum, tractat. 1.

Obseruatio.

Liber de hæresibus S. Augustini est; nam & C est in Indiculo, & citatur à S. Gregorio lib. 6. epist.179. Sed duæ postremæ hæreses Nestorij, & Eutychetis adiectæ sunt ab aliquo alio post obitum S.Augustini: ipse enim recentissimam esse scripsit hæresim Pelagianorum.

Libellus, siue Oratio de quinque hæresibus quicquid Erasmus dicat, verè est S. Augustini, cùm sit in Indiculo, & citetur à Beda in comment. ad cap.1. ad Roman.

Idem iudicium esse debet de concione ad Cathecumenos,& de Oratione aduers. Iudęos.

Liber de altercatione Ecclesiæ & Synagogę non videtur Augustini,cùm nec sit in retractationibus,nec in Indiculo,nec ab vllo bono auctore testimonium habeat,neque phrasim sancti Augustini sapiat.

Liber de fide contra Manichęos,non videtur D esse S.Augustini,quia non fit eius mentio in retractationibus,nec in Indiculo Possidij,& quia vtitur phrasibus insolitis Augustino, vt est illa cap. 18. si Deus incorruptibilis est, vel omnis natura summi boni inuiolabilis, immaculabilis,inadibilis,incoinquinabilis,&c. Alioqui liber est doctus, & hominis in scriptis Manichæi versatissimi.

Libri tres contra Maximinum tametsi non habentur in libris Retractationum, tamen sine dubio S. Augustini sunt, quia habentur in Indiculo Possidij, & citantur à Beda in cap. 8. ad Roman. & in sexta Synodo generali Act.4. ex epistola Agathonis Papæ.

Idem iudicium fieri debet de libro contra Felicianum, etiamsi Erasmus nolit: nam &

habetur

habetur in Indiculo, & citatur à Beda in primum caput prioris ad Corinth.

Tractatus de Stoicis,& Epicureis, & tractatus in illud, Ego sum, qui sum, pulcherrimi sunt, & Augustino dignissimi, & posterior citatur à Beda in 1.cap.prioris ad Corint. Neque mirum est, non haberi hos tractatus in retractationibus, aut in Indiculo: debuissent enim hi tractatus collocari in tomo 10. cum sermonibus, non in sexto cum libris: tractatus enim & sermones, siue homilias S. Augustinus testatur, se non recognouisse, fortasse ob nimiam multitudinem, & varietatem. Posidius quoque non singulos tractatus in indicem redegit.

Tomi septimi hæc sunt.

Psalmus contra partem Donati.		1.*retract.* 20
Contra epistol. Parmeniani, lib.	3	2.*ret.*17
Contra literas Petiliani,	3	2.*ret.*25
Cõtra Cresconium Grammaticũ,	4	2.*ret.*26
Contra epistolam Gaudentij,	2	2.*ret.*59
De baptismo contra Donatistas,	7	2.*ret.*18
De vnico Baptismo contra Petilianum,	1	2.*ret.*34
De vnitate Ecclesiæ contra Petilianum,	1	*Indic.*
Opus breuiculi collationis contra Donatistas.	1	2.*ret.*39
Post collationem cõtra Donatistas, lib.	1	2.*ret.*40
Sermo super gestis cum Emerito,		*Indic.*
De gestis cum Emerito Donatista,	1	2. *ret.* 51
Contra Fulgentium Donatistam,	1	
De peccatorum meritis & remissione.	3	2. *ret.* 33
De natura,& gratia,	1	2. *ret.* 42
De gratia Christi, & peccato originali contra Pelagianos,	2	2. *ret.* 50
De nuptijs & concupiscentia,	2	2. *ret.* 53
Contra duas epist.Pelagianorum,	4	2. *ret.* 61
Contra Iulianum Pelagianum,	6	2. *ret.* 66
De anima,& eius origine,	4	2. *ret.* 56
De prædestinatione,& gratia,	1	
Prosperi,& Hilarij epistolæ ad Augustinum,		
De prædestinatione sanctorum & bono perseuerantiæ,	2	*Indic.*
De prædestinatione Dei,	1	
De gratia,& libero arbitrio,	1	2. *ret.* 66
De correptione, & gratia,	1	2. *ret.* 67
Ad articulos sibi falsò impositos	1	
Hypognosticon cõtra Pelagianos,	6	
De perfectione iustitiæ contra Cælestium,	1	*Indicul.*
De gestis Pelagij.	1	2.*ret.* 47

Obseruatio.

Omissis libris, quorum mentio fit in retractationibus, vel in Indiculo de quibus dubitatio esse non potest, de reliquis dicemus.

Liber contra Fulgentium Donatistam, dialogus est, in quo primum introducuntur interlocutores, Donatista,& Catholicus; deinde Fulgentius, & Augustinus, & certè nihil est in hoc dialogo, vnde probari possit, auctorem eius non esse Augustinum, nisi quod eius mentio non habetur in retractationibus, neque in Indiculo. Sed fieri potest, vt in tanto numero librorum, tum ipse Augustinus, tum Posidius vnius libelli oblitus fuerit: si hoc non placet, non habeo quod dicam, nisi librum alicuius esse, qui Augustinum in dialogo loquentem introduxit, quo modo M. Tullius Lælium, & Catonem, Antonium, & Crassum in dialogis loquentes facit.

Liber de prædestinatione, & gratia, non videtur esse Augustini: nam discrepat à phrasi,& à doctrina Augustini: si quidem cap. 16. dicit hic auctor, hominem potuisse iustè à Deo damnari, etiamsi non peccasset. Contrarium docet S. Augustinus in epist. 105. & 106. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 16. & alibi: deinde nulla erat ratio cur hunc librum scriberet, qui tam copiose scripserat de prædestinatione sanctorum. Denique liber hic neque à Posidio, neque à Beda, neque ab alio veteri testimonium habet.

Libellus de prædestinatione Dei non est S. Augustini, cùm in extremo libro doceat, prædestinationem esse ex preuisione operũ: quam sententiam vbique S. Augustinus oppugnat.

Responsio ad articulos sibi falsò impositos, S. Prosperi est, & inter eius opera habetur.

Libri, qui inscribuntur Hypognosticon, eruditi sunt, & vtiles, & vetusti auctoris, sed phrasim non habent Augustini, neque à Posidio, vel Beda, vel alio vetere citantur sub nomine Augustini.

Liber de perfectione iustitiæ, S. Augustini est: non enim solum est in Indiculo, sed etiam citatur sub nomine Augustini in libro contra Collatorem extremo à S. Prospero, & à venerabili Beda passim.

Liber de gestis contra Pelagium non extat in tomis S. Augustini, sed eum addidimus, quia nuper inuentus, & typis mandatus est.

Tomi octaui hæc sunt.

Tractatus in omnes Psalmos Dauidis: cuius operis mentio fit in Indiculo Posidij, & omnium consensu Augustini sunt illi tractatus; sed eos partim concionando in populis, partim dictando confecit, vt ipse testatur in præfatione Psalm.118.

Tomi noni hæc sunt.

In Euangelium S. Ioan. tractatus, 124. *Indic.*
In Epist. primam Ioannis tract. 10 *Indic.*
In Apocalypsim Ioannis homil. 18
Meditationum liber 1 De diligendo Deo, 1
Soliloquiorum, 1 Manuale, 1
De triplici habitaculo, 1 De scala Paradisi, 1
De 12. gradibus abusionum, 1
De contritione cordis, 1
De cognitione veræ vitæ, 1 De Speculo, 1
De vita Christiana, 1 De Assũpt. B. Mariæ, 1
De disciplina Christiana, 1 *Indic.*
De decẽ cordis, 1 *Indic.* De cantico nouo, 1
De contẽptu Mundi, 1 De vanitate seculi, 1
De obedientia, & humilitate, 1
De bono disciplinæ, 1
De visitatione infirmorum, 1
De consolatione mortuorum, 1
De quarta feria, 1 De Cataclismo.
De tempore barbarico. De sobrietate.
Speculũ peccatoris. De pœnitentiæ medicina.
De vtilitate pœnitentiæ.
De conflictu virtutum, & vitiorum.
De quatuor virtutibus Charitatis.
De laudibus charitatis.
De honestate mulierum.

Obseruatio I.

Ex tot libris indubitati sunt, Expositio Euangelij, & Epistolæ S. Ioannis: de his enim nulla vnquam controuersia fuit, & habentur in Indiculo Possidij.

Item liber de disciplina Christiana, & liber de decem chordis, & de vtilitate pœnitentię, & de Pastoribus, & de ouibus, & de conuenientia decem præceptorum, & decem plagarum. Hi enim omnes sunt in Indiculo Possidij. His accedunt liber de quatuor virtutibus charitatis, quem citat Beda in cap. 13. prioris ad Corinth. & liber de Vrbis excidio, quem citat Beda in cap. 10. prioris ad Corinth. & liber de pœnitentiæ medicina, quem etiam citat Beda non raro.

Obseruatio II.

Manifestè supposititij hi sunt, liber de Speculo: nam cap. 3. citantur versus Boëtij.

Liber de conflictu virtutum, & vitiorum, qui tribui solet etiam S. Leoni: nam in extremo libro commendatur regula S. Benedicti, qui vtroque posterior fuit, & stylum habet omnino diuersum à stylo SS. Augustini, & Leonis.

Liber explicationis Apocalypsis, quoniam exponit caput 21. de statu præsentis Ecclesiæ, quod impudentiæ nimiæ esse dicit S. Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 17.

Liber de Antichristo; nam mentionem facit Imperij translati à Gręcis ad Francos: quod contigit 400. annis post Augustini tempora.

Obseruatio III.

De reliquis libris nihil certi habemus. Nam nec possumus certo astruere eos esse Augustini, cùm diligentissimus collector Possidius eos præterierit, neque inueniamus à Beda citatos, qui ex operibus Augustini Commentaria in epistolas B. Pauli confecit: neque audeamus plerosque horum librorum, negare esse Augustini, cùm pij sint, & docti, & Augustini ingenio non indigni.

Tomi decimi hæc sunt.

A Homiliæ, siue sermones de Verbis Domini, & de Verbis Apostoli, aut omnes, aut ferè omnes S. Augustini sunt: multi enim habentur in Indiculo Possidij, & qui non habentur similes sunt alijs, siue grauitatem sententiarum, siue stylum, & verba consideres.

Liber quinquaginta homiliarum totus, aut ferè totus Augustini est, eadem ratione.

De homilijs de tempore, & de Sanctis non eadem certitudo haberi potest: credibile tamen est, magna ex parte Augustini esse.

Sermones ad fratres in Eremo videntur magna ex parte conficti: dicit enim auctor illorum sermonum, Augustinum degisse in solitudine cum Monachis, ibique ad eos sermones istos habuisse. At constat ex Possidio in vita S. Augustini, Augustinum post baptismum B Mediolani susceptum redijsse in Patriam, ad propriam domum, & agros, ibique tres annos cum paucis amicis suis in commune vixisse: deinde factum presbyterum Hipponensem, monasterium habuisse intra ipsam Ecclesiam, ibique cum nonnullis vitam Apostolicam duxisse, non vtique in Eremo, sed intra vrbem. Denique factum Episcopum cum clericis suis in domo Episcopali vitam communem egisse: de qua re extant duo sermones eius de communi vita clericorum, qui sunt inter sermones ad fratres in Eremo quinquagesimus secundus, & quinquagesimus tertius: qui duo sermones sine iudicio collocati inter sermones ad fratres de Eremo, arguunt reliquos fictitios esse: inde enim intelligi potest, S. Augustinum, monachum quidem fuisse, sed non C in solitudine cum Eremitis, sed in ciuitate, & Episcopali domo cum clericis suis monasticam vitam duxisse. Addo quod inter sermones ad fratres in Eremo multi sunt leues, & fabulosi, vt est sermo vicesimus quartus, in quo narratur, S. Hieronymum Cardinalem fuisse in Ecclesia S. Laurentij, & veste muliebri indutum irrisum à Romanis, quæ sunt omnia falsa, & conficta. Addo denique quod phrasis horum sermonum, exceptis duobus de communi vita clericorum, qui verè sunt Augustini, est inepta, impropria, lutulenta, vt mirum sit, potuisse eiusmodi sermones S. Augustino ab aliquo viro prudente tribui.

Sermones recens excusi, præsertim opera Louaniensium Doctorum, sunt omnes Augustini: nam vel habentur in Indiculo, vel ci- D tantur à Beda, & sunt omnes graues, & docti, & sancto Augustino (mea saltem opinione) dignissimi.

De sancto Maximo. 420.

Sanctus Maximus Episcopus Taurinensis, floruit, & obijt sub Honorio, & Theodosio iuniore Imp. teste Gennadio in libro de viris illustribus. Extant huius Maximi homiliæ Romæ editæ anno 1564.

In litanijs de ieiunio, 1
In solemnitate Pentecostes, 3
In natali sancti Stephani, 1
In natali sanctæ Agnetis, 1
In natiuitate sancti Ioannis Baptistæ, 3
In natali Apostolorum Petri, & Pauli, 5
In natali sancti Laurentij, 3
In natali sancti Eusebij Vercellensis, 2
In natali sancti Cypriani, 2
In ferijs sancti Michaelis, 1
In natali SS. Martyrum Tauricorum, 1
In communi martyrum, 1
Item de expositione Symboli, 1
De non metuendis carnalibus hostibus, 2
De auaritia vitanda, 2
De Eleemosynis largiendis, 2
De hospitalitate, 1
De defectu lunæ, 1
In dictum Isaiæ, Caupones tui miscent aquam vino.

Obseruatio.

Diximus in Ambrosio multos sermones tribui simul, & sancto Ambrosio, & sancto Maximo, sed credibilius est, sancti Maximi esse illos etiam, qui tribuuntur Ambrosio. Gennadius enim enumerat ferè omnes sermones sancti Maximi, & inter illos sunt aliqui, qui tribuuntur Ambrosio: quamuis non magnus sit error, cùm vterque auctor sit doctus, antiquus, & Sanctus.

De Ausonio Poëta. 420.

AVsonius Poëta, sancti Maximi æqualis, scripsit multa prophana; scripsit etiam epistolas aliquas carmine ad sanctum Paulinum Nolanum: & extat sub eius nomine apud Paulinum precatio matutina ad Deum, & inter opera Ausonij egregium carmen de Resurrectione dominica: ex quo Christianus fuisse intelligitur; quamuis de Dijs gentium nonnulla scripserit, more Poëtarum.

De Synesio Episcopo. 420.

SAnctus Synesius Episcopus Ptolemaidis, vir fuit admirandæ sanctitatis, & doctrinæ: floruit tempore Theodosij iunioris ad quem scripsit librum, vt Euagrius testatur libro 1. histor. cap. 15. scripsit etiam plurimas & elegantissimas epistolas. Extant etiam in 8. tomo Bibliothecæ SS. Patrum editionis secundæ Synesij hymni decem, sed anno 1612. prodierunt opera omnia Synesij Parisijs.

De sancto Paulino Nolano. 420.

SAnctus Paulinus Episcopus Nolanus æqualis fuit Ausonij, vel potius aliquanto iunior: notus fuit opinione sanctitatis Ambrosio, Martino, Hieronymo, Augustino, Sulpitio: obijt anno Domini 431. ex Cardinal. Baronio tomo 5. Annalium. Scripsit Epistolas elegantes, & pias.

Ad Sulpitium Seuerum, 14
Ad Delphinum Episcopum, 5
Ad Amandum Episcopum, 6
Ad Victricium, 2 Ad Aprum, 3
Ad Florentium, 1
Ad Alithium Episcopum, 1
Ad incertos de Gazophilatio, 1
Ad Desiderium, 1 Ad Macharium, 1
Ad Pammachium, 1 Ad Iouium, 1
Ad militem quendam, 1
Ad Sebastianum Eremitam, 1
Ad Augustinum, 3 Ad Alipium, 1
Ad Romanianum, 1

Scripsit etiam Poëmata, quæ sunt:

Ad Iouium epistola carmine scripta.
Ad Ausonium epistolæ quatuor carmine scriptæ.
Ad Citherium de naufragio, 1
De natali Celsi pueri, 1
De natali sancti Felicis Nolani, 10
De reditu Nicætæ in Daciam, 1
Psalmi tres Dauidis metrice decantati.
Extant præterea in Bibliotheca SS. Patrum tomo 8. secundæ editionis
Libri sex de vita S. Martini carmine conscripti.

Obseruatio I.

Tribuitur à nonnullis sancto Paulino Nolano vita sancti Ambrosij, sed vita illa Paulini est, sed non huius Nolani, vt non solum stylus ipse diuersissimus docet, sed etiam quia ille Paulinus sancto Ambrosio, vt administer assistebat, etiam tempore mortis eius: imò vt clericus sub cura Casti diaconi, amanuensis fungebatur officio, vt ipse indicat in vita beati Ambrosij. Sanctus autem Paulinus nunquam astitit sancto Ambrosio, vt minister, sed multo ante mortem eius presbyter erat, & à beato Ambrosio in numero sacerdotum Ecclesiæ suæ habebatur, vt ipse scribit in epistola ad Alipium.

Obseruatio II.

Libri sex de Vita sancti Martini non possunt esse sancti Paulini Nolani, auctor enim eorum librorum meminit Paulini Nolani, & se eiusdem nominis esse testatur. & sextum librum scribit ad Perpetuum Episcopum Turonensem, qui sedit sub anno 470.

Obseruatio III.

Porrò inter opera sancti Paulini fertur etiam carmen Eucharisticum de vita sua: sed non est eius; ille enim auctor scribit res gestas suas vsque ad annum vitæ octogesimum tertium. At S. Paulinus non excessit annum 78. vt ex Cardin. Baronio constat. Denique tribuit Gennadius S. Paulino librum de pœnitentia, & alium de laudibus Martyrum, qui non extant.

De Seuero Sulpitio. 420.

SEuerus Sulpitius æqualis, & amicissimus fuit S. Paulini, vt notum est ex epistolis inuicem scriptis.
Scripsit libros duos de sacra historia.
Item vitam sancti Martini Episcopi Turonensis.
Item dialogum de conuersatione Orientalium Monachorum, in quo interlocutores sunt Gallus, & Postumianus: cuius dialogi meminit S. Hieronymus lib. 11. in Ezechielem cap. 36.
Item epistolas multas, quarum meminit Gennadius in libro de viris illustribus, qui etiam Gennadius addit, hunc Seuerum in senectute à Pelagianis deceptum, agnouisse cito errorem suum, & silentium vsque ad mortem tenuisse, vt vitium loquacitatis taciturnitate deleret.

Obseruatio.

Seueri Sulpitij libri de sacra historia,& dialogi de conuersatione Orientalium cautè legendi sunt.

In libro primo de sacra historia dicit, filios Dei, qui filias hominum adamauerunt, fuisse Angelos: quod refellitur à Chrysostomo in cap. 6. Genesis, & ab Augustino lib. 15. de Ciuitate Dei cap.23. & alijs probatis auctoribus. Dicit sacerdotes qui habent possessiones, immemores esse præcepti dominici dati quondam Leuitis. At Leuitæ possessiones habebant, quin etiam oppida & suburbana eorum Leuit. 25. quare Hieremias ex genere Sacerdotum agrum vendidisse legitur Hierem. 32. & Barnabas Leuites agrum similiter quem possidebat, vendidit, Act. 4. Dicit præterea templum fundatum fuisse anno 588. ab egressu filiorum Israel de AEgypto. At scriptura 3.Reg.6.notat annos 480.

In dialogo dicit, Ecclesiam auro non strui, sed destrui. Reprehendit Episcopos, qui Libros Origenis damnauerunt. Scribit coniugium ad veniam pertinere, Virginitatem ad gloriam, fornicationem ad pœnam. Dicit, ex sententia sancti Martini Neronem simul cum Antichristo venturum, & Antichristum ex malo spiritu concipiendum. Denique notatur à sancto Hieronymo in cap. 36. Ezechielis erroris eorum, qui nouam Hierusalem auream, & gemmatam expectant.

De sancto Luciano. 420.

SAnctus Lucianus presbyter vixit tempore Honorij, & Theodosij iunioris Impp. scripsit librum de inuentione corporum sancti Stephani,& aliorum,quæ ipse diuina reuelatione inuenit: hic liber extat apud Lipomanum, & Surium die tertio Augusti. Eodem tempore scripti sunt libri duo de miraculis sancti Stephani ad Euodium Vzalensem Episcopum: sed quia nomen auctoris ignoratur dicuntur libri Euodij.

De Paulo Orosio. 425.

PAulus Orosius presbyter Hispanus sancti Augustini discipulus, scripsit ad ipsum S. Augustinum libros septem historiarum ab orbe condito, in quibus potissimum clades Romanorum describit, quas dum Idola colerent acceperunt.

De Sedulio. 430.

CCælius Sedulius presbyter Scotus Theodosio iuniore scripsit explanationem in omnes epistolas sancti Pauli,ex Origene, Ambrosio, Hieronymo,& Augustino excerptas: ex quo intelligimus errare illos, qui Sedulium floruisse scribunt tempore Constantij filij Constantini Magni: & verius sentire Trithemium, qui ponit Sedulium anno Dom.430.

Scripsit præterea Sedulius libros quinque carminum de quinque mirabilibus operibus Dei: & hymnos duos de Christo, quorum alter alphabeticus est, & in Ecclesia canitur in festis natalis & Epiphaniæ: incipit autem, A solis ortus cardine.

De sancto Cyrillo. 430.

A SAnctus Cyrillus Episcopus Alexandrinus vir sanctissimus, & doctissimus, ac præsertim circa mysterium Incarnationis Dominicæ à Deo doctus, Imperante Theodosio iuniore præfuit Concilio Ephesino primo, nomine sancti Cælestini Papæ, Nestoriumque hæresiarcham primum scriptis egregijs, deinde etiam auctoritate damnauit. Eius opera in editione Parisiensi anni millesimi sexcentesimi quinti duobus tomis comprehenduntur.

Tomi Primi.

In Genesim ad literam, & mysticè explanationum lib. 11
In Leuiticum. 16
In Isaiam. 5
B In Euangelium sancti Ioannis. 12
Dicta veteris Testamenti anagogicè explicata, collecta ex Cyrillo, Maximo, & alijs.
Liber aduersus Iudæos cum quæstionibus.
Breues anagogæ de ijs, qui floruerunt ante legem.

Tomi Secundi.

Epistolæ sancti Cyrilli ad diuersos, & diuersorum ad S.Cyrillum numero. 39
Homiliæ præsertim de incarnatione. 10
Apologia ad Theodosium Imperatorem. 1
Declaratio duodecim anathematismorum. 1
Liber apologeticus pro suis anathematismis.
C Alius apologeticus liber ad Euoptium pro ijsdem capitibus contra Theodoretum.
Expositio Symboli Nicæni.
Scholia de Incarnatione Vnigeniti.
Epistolæ duæ ad Succensum Episcopum.
Synodales epistolæ duodecim.
Dogmata Nestorij ex ipsius libris excerpta.
Oratio de exitu animæ, & secundo aduentu.
Opus insigne, Thesaurus inscriptus, libros continens quatuordecim.
Dialogorum cum Hermia libri septem.
De adoratione in spiritu,& veritate libri.17
Contra Iulianum apostatam. 10
De recta fide ad Theodosium,& Reginas. 3
Aduersus antropomorphitas. 1
De sacrosancta Trinitate. 1

D Præter hos libros, extant commentaria in Prophetas minores Græcè, & Latinè excusa Ingolstadij in folio, & libri quinque contra Nestorium Græcè, & Latinè in fine primi tomi conciliorum generalium editionis Romanæ: & breui expectantur sermones paschales triginta.

Obseruatio Prima.

Extare dicuntur græcè explanationes in totum pentateuchum, sed latinè non extant, nisi libri vndecim in Genesim.

Obseruatio Secunda.

Libri sexdecim in Leuiticum Cyrilli non sunt, sed Origenis, vt supra diximus in Origene, & manifestum hoc est, tum quia auctor vbique sensum literalem destruit; tum quia habentur isti ipsi libri inter opera Origenis: vt mirum sit, cur Impressores in omnibus

editio-

editionibus ista opera auctori non suo attribuant.

Obseruatio Tertia.

Scripsisse dicitur Cyrillus in alios etiam Prophetas, sed non extant commentaria eius, nisi in Isaiam,& Prophetas minores.

Obseruatio Quarta.

Scripsit Cyrillus libros duodecim in Ioannem, sed quatuor intermedij perierunt. Sed Iodocus Clictoueus ad imitationem Cyrilli addidit quatuor libros intermedios. Itaque Cyrilli non sunt, nisi primi quatuor, & quatuor postremi.

Obseruatio Quinta.

Liber aduersus Iudæos, & breues illæ anagogæ, haud scio an Cyrilli sint. Sed res parui momenti est, cum sint libelli breuissimi, & leues.

Obseruatio Sexta.

Thesaurus creditur esse imperfectus: multa enim citantur à S. Thoma in opusculo de erroribus Græcorum ex Thesauro Cyrilli, quæ in his libris non inueniuntur.

Obseruatio Septima.

Liber de sacrosancta Trinitate non videtur esse Cyrilli,sed alicuius posterioris: auctor enim copiosè disputat de duabus naturis in Christo, & de duabus voluntatibus, & operationibus; & reddit rationem, cur non repugnent istis dogmatibus,qui aliquando dixerunt, in Christo esse operationem theandricam, & vnam verbi naturam esse incarnatam. Itaque videtur auctor scripsisse post sextam Synodum.

De Theodoreto Episcopo Cyriæ. 430.

THeodoretus æqualis sancti Cyrilli, & aliquando etiam aduersarius, vt notum est ex Concilio Ephesino. Quamuis autem Nestorio fauerit initio controuersiæ: tamen postea resipuit: & Nestorium inter hæreticos numerauit in lib. 4. de fabulis hæreticorum, & in Concilio Chalcedonensi admissus inter Catholicos fuit. Opera Theodoreti ex editione Coloniensi anni 1573. duobus tomis comprehensa,hæc sunt.

Tomi Primi.

- De obscuris quæstionibus in Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, & Iudices; accesserunt in librum Ruth,in libros Regum,& Paralipomenon.
- Commentaria in omnes Psalmos Dauidis.
- Commentaria in Cantica Canticorum Salomonis.
- Commentaria in omnes Prophetas excepto Isaia.
- Commentaria in Cantica Mosis, Annæ, Habachuc,Isaiæ, Ezechiæ,Trium puerorum, Virginis Mariæ, Zachariæ, & Simeonis.

Tomi Secundi.

- Commentaria in omnes epistolas B. Pauli.
- Historiæ Ecclesiasticæ à Constantino vsque ad Theodosium iuniorem libri quinque.
- Addit Gennadius continuasse historiam vsque ad Leonem Imperatorem quinque alijs libris adiunctis: sed hi posteriores libri non extant.
- Dialogorum, libri tres.
- De hæreticis fabulis, libri quatuor; quibus addidit epitomen diuinorum decretorum.
- Historia sanctorum Patrum, quam religiosam vocat.
- De prouidentia, sermones decem.
- De curandis Grecorum affectionibus,lib.12.
- Denique Epistola ad sanctum Leonem Papam,& altera ad Sixtum Presbyterum Romanum: & Oratio de dilectione valde insignis.

Obseruatio.

Multo plura scripsit Theodoretus, vir planè doctissimus, atque inter alia meminit Gennadius in libro de viris illustribus librorum Theodoreti fortissimorum contra Eutychem & Dioscorum. Scripsit etiam nonnulla contra sanctum Cyrillum, quæ extant inter opera sancti Cyrilli, sed in quinta Synodo Generali damnata sunt, vna cum scriptis Theodori Mopsuesteni, quem idem Theodoretus mirificè laudat libro quinto extremo suæ historiæ. extat denique in quinta Synodo Act. 5. epistola Theodoreti ad Ioannem Antiochenum de obitu Cyrilli: sed ea epistola,non solum falsitatis arguitur, quia constat Ioannem Antiochenum obijsse ante Cyrillum, sed etiam indigna est, quæ Theodoreto, aut cuiuis Christiano attribuatur.

De Proclo Episcopo Constantinopolitano. 430.

PRoclus Episcopus Constantinopolitanus sancti Cyrilli æqualis, cuius magno cum honore meminit idem sanctus Cyrillus in expositione Symboli Nicæni, & in epistol.31. ad Ioannem Antiochenum: scripsit epistolam valde celebrem de fide ad Armenos, quæ extat in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo 3. & nuper excusa est Græcè, & Latinè, in primo tomo Conciliorum Generalium Romæ typis mandatorum: & fragmentum inde recitatur in quinta Synodo Generali, Act.5. scripsit etiam de traditione diuinæ liturgiæ. Vide de Proclo, quæ scribit Socrates lib.7.cap.40.41.& 42.

De Eusebio Emeseno. 430.

EVsebij Emeseni nomine circumferuntur homiliæ in Euangelia totius anni, & rursus homiliæ quinquaginta variorum argumentorum disertissimæ. Eusebij Emeseni cuiusdam meminit sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. quem dicit scripsisse plurimos libros, & vixisse tempore Constantij Imperatoris filij Constantini Magni. Sed illius opera non extant, ideo non posuimus eum suo loco. Hic autem vel est alius Eusebius Emesenus vndecunque hoc nomen acceperit, vel sub nomine supposititio homiliæ istę sunt editæ,cùm verus auctor ignoraretur. Neque videntur homiliæ illæ breues in omnia Euangelia eiusdem esse auctoris, cuius sunt quinquaginta homiliæ de varijs argumentis: stylus enim valde diuersus est.

Illud certum est, auctorem quinquaginta homiliarum, fuisse Latinum, & Monachum in Monasterio Lirinensi: nam homilia quinta ad Monachos indicat, se fuisse Abbatem Monasterij in Insula constituti. Idem

homi-

homilia de sancto Maximo, eam insulam Lirinensem vocat. Videtur etiam ex Abbate Lirinensi factus Episcopus, vt ipse subindicat in homilia de sancta Blandina. Disputat etiam contra Pelagianos in homilia de feria quinta in cœna Domini, vnde manifestum est, eum non esse Eusebium Emesenum, qui floruit sub Constantio. Sunt, qui has homilias tribuant Eucherio Episcopo Lugdunensi; nec desunt qui auctorem nominent Cæsarium Arelatensem; vidi vnam ex his homilijs prænotatam nomine Fausti Episcopi Regiensis: neque est improbabile, esse omnes eiusdem Fausti, qui Abbas fuit Monasterij Lirinensis, & ex Abbate Episcopus creatus, teste Gennadio in libro de viris illustribus.

Non definio, cuius sint, sed hoc loco placuit auctorem earum homiliarum constituere, quoniam siue sit Eucherius, siue Faustus, siue etiam Cæsarius ante hoc tempus non vixit.

De sancto Eucherio Episcopo Lugdunensi. 440.

SAnctus Eucherius Episcopus Lugdunensis vixit temporibus Theodosij iunioris, & Valentiniani: & sub Valentiniano, & Martiano Imperatoribus obijt circa annum Domini 433. vt scribunt Gennadius de viris illustribus, & Ado Viennensis in chronico. Existimat tamen Card. Baronius tomo 5. Annalium, hos auctores falli, & Eucherium vixisse vltra annum Domini 463. quia inuenitur Eucherij nomen in subscriptionibus Episcoporum Concilij Arausicani secundi, & Arelatensis tertij. Sed ego suspicor peruenisse etiam ad annum 499. nam in Vita sancti Cæsarij Episcopi Arelatensis dicitur Eucherius Episcopus Lugdunensis aliquando iter fecisse cum ipso Cæsario Arelatensi: Cæsarium autem fuisse in viuis tempore Symmachi Papæ, qui sedere cæpit anno 499. apertè constat ex eadem vita sancti Cæsarij, apud Surium, die 27. Augusti. Itaque vel oportet librum Gennadij esse corruptum; vel fuisse duos Eucherios Lugdunenses Episcopos.

Sed quicquid de hoc sit scripsit S. Eucherius varia opuscula, quæ Gennadius enumerat, nec satis noui, an adhuc extent. Scripsit etiam teste Claudiano Episcopo Viennensi in libro de statu animæ, eloquentissimas conciones, quæ fortasse sunt illæ, quæ sub nomine Eusebij Emeseni nunc extant. Tribuuntur Eucherio libri explanationum in Genesim, & in libros Regum. Sed Eucherij esse non possunt, cum auctor sæpe sanctum Gregorium citet, & ad finem expositionis libri primi Regum lectorem inuitet ad moralia S. Gregorij perlegenda: sanctus autem Gregorius plus centum annis fuerit Eucherio posterior. Fortasse qui hos libros Eucherio tribuerunt, ex eo permoti sunt, quod Gennadius testatur, scripsisse Eucherium ad Salonium, & Vranium de obscuris sanctarum Scripturarum capitulis.

Porrò auctor huius operis in Genesim, & in libros Regum videtur fuisse Anglus: nam in tertio libro Commentariorum in libros Regum cap. 22. sic loquitur, Nostris, inquit,

A nuper temporibus sanctus Gregorius Papa Euangelicis roboratus eloquijs Romanam rexit Ecclesiam, & Reuerendissimi Patres Augustinus, Paulus, & alij socij eorum iubente illo venerunt in Britanniam, &c. Atque ab hoc auctore multa, ijsdem penè verbis descripsit Beda in suis quæstionibus super libros Regum.

De Claudiano Episcopo Viennensi. 440.

CLaudianus Mamertus Presbyter Viennensis æqualis sancti Eucherij: scripsit insigne opus de statu animæ, in quo Eucherij mentionem facit, vt supra diximus. Habetur hoc opus tribus libris comprehensum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quarto.

B

De Sidonio Apollinari. 440.

SIdonius Apollinaris vir nobilissimus eodem tempore floruit. Fuit autem Episcopus Aruernensis. Scripsit varia opera soluta oratione, & carmine, vt Gennadius refert in libro de viris illustribus. Nunc extant libri epistolarum eius ad diuersos, & carmina eiusdem simul edita.

De Ioanne Cassiano. 440.

IOannes Cassianus sancti Ioannis Chrysostomi olim Diaconus, & postea ad Gallias accedens, ibique sedem figens apud Massiliam presbyter ordinatus, scripsit Latino idiomate.

De habitu Monachorum, & de canonico orationum & Psalmorum modo, lib.	3
Institutionum,	1
De origine, & remedio octo principalium vitiorum,	8
Collationes Patrum,	24
De Incarnatione Verbi,	7

C

Et hoc opere expleto ad petitionem Leonis, postea summi Pontificis, finem viuendi fecit Theodosio iuniore, & Valentiniano regnantibus, vt testatur Gennadius in libro de viris Illustribus. Hæc omnia extant, & vtiliter legi possunt, excepta collatione tertiadecima, & paucis alijs, quæ in editione Romana notata sunt.

De Vincentio Lirinensi. 440.

VIncentius Monasterij Lirinensis presbyter æqualis Cassiani fuit, quippe qui paulò post Concilium Ephesinum se scripsisse testatur, id est, tribus annis post Concilium celebratum. Scripsit opusculum paruum mole, sed virtute maximum, de prophanis vocum nouitatibus. Libellus extat, & vtilissimè legitur.

D

De Socrate, & Sozomeno. 440.

SOcrates & Sozomenus historiam Ecclesiasticam scripserunt ab eo tempore in quo definit historia Eusebij Cæsariensis, vsque ad tempora Theodosij iunioris. Eodem tempore vixerunt, & quod dolendum est, vterque Nouatianis erroribus fauisse dignoscitur.

De Sixto Tertio. 440.

SIxtus Tertius Papa sedit Romæ tempore Valentiniani tertij Imperatoris. Scripsit

insignem

insignem epistolam ad Ioannem Antiochenum: cuius fragmentum extat in libro Vincentij Lirinensis. Scripsit etiam alteram ad omnes Orientales, quæ extat in tomo primo Conciliorum. Extant etiam duæ in tertia parte Concilij Ephesini, editionis Romanæ. Extat præterea in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto secundæ editionis sub nomine Sixti tertij Pontificis liber de diuitijs: & alter de castitate, & epistola de malis doctoribus: quæ tria volumina falsò adscribuntur Sixto Pontifici, cùm sint plena erroribus Pelagianorum. Sixtus enim, cùm adhuc presbyter esset primus damnauit Pelagium, vnde est epistola 105. Augustini ad Sixtum: ac deinde magno zelo Pelagianos insecutus est, vt testatur Prosper.

De Isidoro Pelusiota. 440.

ISidorus Pelusiota Monachus doctissimus floruit tempore Theodosij iunioris, ad quem extat eius epistola apud Cardin. Baronium tomo quinto Annalium ad annum Dom. 431. Scripsit epistolas plurimas, quas Græcè, & Latinè impressas habes Parisijs opera Billij anno 1585.

De sancto Petro Chrysologo. 440.

SAnctus Petrus Chrysologus Episcopus Rauennas à Sixto Tertio Papa Episcopus creatus scripsit homilias 122. breues, sed disertas. Scripsit etiam insignem epistolam ad Eutychetem hæresiarcham exhortans illum ad obedientiam sancto Leoni præstandam in materia fidei potissimum. Hortamur, inquit, te, vt ijs, quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem: habetur alia epistola, inter epistolas, quæ præcedunt Chalcedonensè Concilium.

De sancto Leone Papa. 440.

SAnctus Leo primus Papa, iure magnus appellatus sedit in Apostolica sede tempore Theodosij iunioris, Martiani, & Leonis Imperatorum ab anno Domini quadringentesimo quadragesimo vsque ad quadringentesimum sexagesimum primum, scripsit homilias eloquentissimas de præcipuis solemnitatibus Domini, & Sanctorum, necnon epistolas ad diuersos de rebus grauissimis numero nonaginta octo. Ex quibus illa ad Flauianum, quæ incipit, Lectis dilectionis tuæ literis: magna veneratione recepta fuit in Synodo Chalcedonensi Act. 4. ab omnibus, & singulis Patribus: & Gelasius Papa in decreto de libris Doctorum, dicit anathema ijs, qui Epistolam hanc sancti Leonis integram, & vsque ad vnum iota non recipiunt.

Tribui solet sancto Leoni liber de conflictu virtutum, & vitiorum. Sed (vt supra in Augustino diximus) S. Seonis is liber esse non potest, cùm in eo fiat mentio regulæ S. Benedicti.

De sancto Nilo. 445.

SAnctus Nilus. Constantinopolitanus Monachus, sancti Ioannis Chrysostomi discipulus vixit tempore Theodosij iunioris,

A & multa scripsit de institutione Monachorum, vt refert Nicephorus libro histor. 14. cap. 53. Nunc extant in Biblioth. SS. Patrum tomo quinto edit. 2. capita parænetica: item asceticus: item aduersus vitia: item de Oratione centum quadraginta octo capita. Extat etiam separatim liber sancti Nili de Christiana philosophia, quo nomine Monasticen significat. Citantur etiam epistolæ Nili in septima Synodo, Act. 4. Sed loci quidam ab hæreticis deprauati esse dicuntur.

De sancto Simeone Stylita. 445.

SAnctus Simeon, cognomento Stylita, quia stetit in columna annis 81. floruit tempore S. Leonis Papæ, & Leonis Imperatoris. Scripsit librum de morte assiduè cogitanda, qui extat in Bibliotheca sanctorum

B Patrum secundæ editionis tomo secundo. Idem scripsit epistolas pro Concilio Chalcedonensi; quæ an extent ignoro: sed earum meminit Cardin. Baronius tomo quinto Annalium ad annum Dom. 458. Fuit etiam alius Simeon Stylita iunior, tempore Iustiniani Imp. cuius vna epistola recitatur actione quinta Concilij Nicæni secundi: de quo vide Euagrium lib. 6. historiæ cap. 22.

De Hilario Arelatensi. 445.

HIlarius Arelatensis episcopus vixit tempore sancti Leonis Papæ, ad quem scripsit heroico carmine historiam Geneseos vsque ad septimum caput. Scripsisse dicitur præterea epistolam vnam ad sanctum Augustinum de prædestinatione: cuius occa-

C sione sanctus Augustinus scripsit libros de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ.

Sed ea epistola non videtur esse huius Hilarij, sed alicuius alterius: nam sanctus Prosper in epistola, quam scripsit cum Hilario ad sanctum Augustinum de eadem re, dicit, Hilarium Arelatensem tunc fuisse Episcopum: & tamen iste Hilarius, qui scribit ad Augustinum significat, se tunc fuisse laicum; quod etiam confirmatur ex primo capite libri de prædestin. Sanctorum, vbi Augustinus vocat Filios Prosperum, & Hilarium: quod certè non faceret si hic Hilarius Episcopus Arelatensis fuisset.

Scripsit denique vitam sancti Honorati decessoris sui, & aliqua alia breuia opuscula,

D teste Gennadio in libro de viris illustribus. Sed opera superiora scripsit ante Episcopatum: in Episcopatu enim ob nimiam superbiam reprehenditur à sancto Leone Papa in epistola ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos: Postea tamen resipuit, & multis virtutibus clarus sancto fine quieuit.

De sancto Prospero Aquitano. 445.

SAnctus Prosper Aquitanus Hilarij æqualis, & sancti Leonis quondam notarius, Episcopus fuit Rhegiensis in Italia, vel in Gallia. Scio passim existimari sanctum Prosperum fuisse Episcopum Rhegij in Aemilia prouincia Italiæ: sed ego suspicor, Episcopum fuisse Rhegiensem in Prouincia Prouinciæ suffraganeum Archiepiscopi Aquen-

sis: nam video sanctum Prosperum subscripsisse in Concilio Prouinciali Vasensi, & Carpentoratensi: quod argumentum est, illum fuisse Episcopum in prouincia Galliæ. Præterea sancto Prospero successit in Episcopatu Faustus Rhegiensis: omnes autem Faustum, Episcopum Gallum faciunt, non Italum, ac dicunt metropolitano Aquensi subiectum, non Rauennatensi, cui subiectus est Episcopus Rhegij in AEmilia. Sed quicquid de hac re sit (nihil enim definio) sanctus Prosper multa præclare scripsit pro gratia Christi contra Pelagianos, seque S. Augustini discipulum, & defensorem acerrimum demonstrauit.

Scripsit libros tres de prædictionibus, & promissionibus Dei.
De vita contemplatiua alios tres.
B De vocatione gentium duos.
De gratia & libero arbitrio ad Ruffinum.
Responsiones ad capitula obiectionum Gallicarum, Vincentianarum, & Genuensium.
De gratia Dei contra Collatorem, 1
Librum sententiarum S. Augustini, 1
Librum de prouidentia Dei. 1
Epistolam vnam ad S. Augustinum de prædestinatione.
Commentaria in Psalmos à centesimo vsque ad centesimum quinquagesimum.
Librum Epigrammatum, inter quæ est carmen contra ingratos.
Chronicum Eusebij & S. Hieronymi continuauit.

Obseruatio.

C Gennadius in libro de viris illustribus scribit, epistolam illam celebrem sancti Leonis ad Flauianum contra Eutychem, existimari à sancto Prospero fuisse scriptam. At certè si vlla epistola sancti Leonis est, illa omnino est, siue stylum, siue doctrinam Leonis attendas.

Libri de vocatione gentium tribuuntur etiam S. Ambrosio, sed verè Prosperi sunt, non Ambrosij, vt supra demonstrauimus, cùm de libris Ambrosij ageremus.

Liber de prouidentia Dei non videtur Prosperi, sed alicuius ex factione Gallorum, qui Semipelagiani sunt appellati. Legat prudens lector, & iudicet.

De Arnobio iuniore. 445.

D Arnobius, non ille, qui scripsit contra gentes, & sub Diocletiano floruit, sed alius iunior, qui paulo post sanctum Leonem Papam vixisse videtur, scripsit librum titulo Conflictus Catholici cum Serapione de Deo trino, & vno. Item de duabus in Christo substantijs in vnitate personæ: item de gratia, & liberi arbitrij concordia: qui libri editi sunt Coloniæ anno 1596. Neque est improbabile huius Arnobij iunioris esse Commentarios in Psalmos, qui sub Arnobij nomine circunferuntur: de quibus vide quæ diximus supra in Arnobio.

De Theodoro presbytero in Raytu. 460.

Theodorus presbyter in monasterio Raytu, scripsit quindecim libros de Incarnatione Domini: nunc extat Com-

A mentarium de Incarnatione Domini contra Nestorium, & Eutychetem in Bibliotheca SS. Patrum, tomo 1. edit. 2.

De Saluiano Episcopo Maßiliensi. 460.

Saluianus presbyter, ac postea Episcopus Massiliensis æqualis fuit S. Eucherij Lugdunensis, quippe, qui filiorum Eucherij, (habuit enim Eucherius ex legitimo coniugio ante Sacerdotium duos filios, qui ipsi quoque Episcopi fuerunt) Veranij, & Salonij Episcoporum magister fuit, teste Gennadio in libro de viris illustribus.

Porrò Saluianus plurima opera scripsisse fertur, sed nunc extant solum, quod ego sciam, libri octo de prouidentia, & iudicio Dei, & libri quatuor de Ecclesia sub nomine Timothei, in quibus ita exaggerat vitia Christianorum, & maxime clericorum sui temporis, vt nimius videri posset, nisi ex vero zelo gloriæ Dei, & salutis animarum Oratio eius proficisceretur.

De Salonio Episcopo. 470.

Salonius S. Eucherij filius, & Saluiani discipulus, scripsit in prouerbia, & Ecclesiasten Salomonis dialogum, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. editionis secundæ. An Episcopus fuerit Viennensis nec ne, disputat Cardin. Baronius tomo 6. Annalium ad annum Domini 441.

De Fausto Regiensi. 480.

Faustus ex Monacho Lirinensi factus Episcopus Regiensis in Gallia, vixit medio tempore inter sanctum Prosperum, & sanctum Fulgentium: scripsit de Spiritu sancto, & contra Arianos, & Macedonianos, quæ non extat: scripsit præterea libros duos de gratia, & libero arbitrio, qui extant, & quos Gennadius in libro de viris illustribus miris laudibus effert: sed Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis omnino reijcit: vt etiam reijciunt, & refellunt sanctus Fulgentius, Petrus Diaconus, Alcimus Auitus, & alij. Ado Viennensis in chronico ad annum 492. sic loquitur, Faustus ex Abbate Monasterij Lirinensis apud Regium Galliæ Episcopus factus, Pelagianorum dogma destruere conatus, in errorem labitur: vnde qui eius sensus in hac parte Catholicos prædicant, sicut Gennadius de viris illustribus scribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus, quam cæteri Catholici in Ecclesia Dei docent, vt illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, per Christum, & in Christo sit. Faustus vero iste ita liberum Christianorum arbitrium docere conatur, vt illuminatio, virtus, & salus non à Christo, sed à natura sit: contra hunc scribit Beatissimus Auitus Viennensis Episcopus lucidissima fide, eius redarguens errorem. Similiter & Ioannes vir eruditissimus Antiochenus presbyter.

Isidorus de viris illustribus in Fulgentio, dicit, à Fulgentio scriptos libros septem contra Faustum, qui mira calliditate Catholicus videri volebat, cum Pelagianus esset. Auctor quoque vitæ sancti Fulgentij cap. 28. testa-

tur à sancto Fulgentio refutatos libros duos Fausti de gratia & libero arbitrio. Et Petrus Diaconus in libro de Incarnatione & gratia Christi, cap. vlt. anathema dicit libris Fausti. Hæc admonere volui propter aliquos, qui nostro tempore Faustum Catholicum fuisse contendunt.

De Aenaa Gazao. 490.

AEnæas Gazeus vir doctissimus scripsit dialogum insignem de animæ immortalitate, & corporum resurrectione, quem inscripsit Theophrastum, quia persona principalis in dialogo nominatur Theophrastus: ætatem suam ipse aperit in extremo dialogo, vbi dicit, se vidisse sanctos illos, qui in persecutione Vandalica abscisis linguis optime loquebantur: hoc autem contigisse imperante Zenone, notum est ex Victore Vticensi de persecutione Vandalica.

De Cereali. 490.

CErealis Episcopus Africanus, scripsit contra Maximinum Episcopum Arianum librum de fide, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. editionis secundæ, cuius meminit Gennadius Massiliensis.

De sancto Victore Vticensi. 490.

SAnctus Victor Vticensis Episcopus scripsit libros tres de persecutione Vandalica lectu dignissimos ob insignium Martyrum fortitudinem, qui in ea persecutione claruerunt. Vixit autem ipse regnante Zenone Imperatore, vt ipse testatur lib. 3. de persecutione Vandalica, id est, circa annum Domini 490.

De Gennadio Massiliensi. 490.

GEnnadius Massiliensis presbyter, & postea Episcopus, vixit tempore Gelasij Papæ, circa annum Domini 490. nam ad ipsum Gelasium misisse librum suum de fide testatur ipse Gennadius in extremo libro suo de viris illustribus, quamuis non in omnibus codicibus liber Gennadij inueniatur completus.

Scripsit librum de Ecclesiasticis dogmatibus, qui extat inter libros sancti Augustini; & hic esse creditur liber, quem ipse misit ad Gelasium.

Scripsit etiam librum de viris illustribus, in quo suspicionem non paruam reliquit suæ non rectæ fidei. Laudauit enim Cassianum, & Faustum, qui Semipelagiani fuerunt; & S. Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra Pelagium fortissime dimicauit.

Scripsit præterea multa alia, quæ ipse commemorat in extremo libro de viris illustribus; sed ea non extant, aut certè ad manus meas non venerunt.

De Pomerio. 490.

POmerius alias Iulianus Pomerius presbyter viuebat cùm Gennadius catalogum suum scriberet: scripsit autem per modum dialogi libros octo de natura animæ, qui videntur excerpti ex libris octo Gregorij Nysseni, de Philosophia, siue potius Nemesij philosophi, de anima: scripsit etiam prognosticon tribus libris comprehensum, sed diuersum ab eo, quod diu postea scripsit sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus. vide Card. Baronium in notis Martyrologij, die 8. Martij.

De S. Gelasio Papa. 492.

SAnctus Gelasius Papa primus sedit in Apostolica Sede ab anno Domini quadringétesimo nonagesimo secundo, vsque ad annum quadringentesimum nonagesimum sextum. Scripsit epistolas aliquot insignes ad Imp. & alios, quæ extant. Scripsit tomum de vinculo anathematis, qui extat inter epistolas eius decretales. Scripsit etiam librum contra Pelagianos, qui extat inter quintam, & sextam epistolam, in editione Romana. Scripsit etiam hymnos Ecclesiasticos ad imitationem sancti Ambrosij, & libros quinque contra Nestorium, & Eutychetem, teste Anastasio Bibliothecario, in vita sancti Gelasij. De hoc opere dubitatio existit, an extet, vel perierit: circunfertur enim liber sub nomine Gelasij Papæ de duabus naturis Christi contra Eutychetem; sed non videtur hic liber esse Gelasij Papæ, & multo minus esse ille, de quo loquitur Anastasius, & de quo etiam loquitur Gennadius Massiliensis in libro de viris illustribus. Non esse hunc librum Gelasij Papæ, videtur manifestum, quia in hoc libro citatur tanquam vnus ex catholicis, & sanctis Patribus Eusebius Cæsariensis, quem tamen hæreticum Arianum fuisse, & Origenis acerrimum defensorem, notum erat sancto Gelasio, qui hac de causa reprobauit opera Eusebij Cæsariensis in decreto de libris apocryphis. adde quod iste auctor, Græcus fuit, non Latinus, cùm inter sanctos Patres non posuerit Hieronymum, Augustinum, Leonem, &c. Non esse hunc eundem librum eum, cuius mentio est apud Anastasium, & Gennadium, ex eo colligitur, quòd Anastasius dicit opus illud Gelasij diuisum fuisse in quinque libros: Gennadius autem dicit fuisse grande volumen: hic vero vnus est, & non magnus liber. Non desunt, qui hunc librum velint esse Gelasij Cæsariensis, cuius meminit sanctus Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Gelasio. Sed iste Gelasius ad tempora Eutychetis non peruenit, cùm post ipsum defunctum fuerit Episcopus Cæsareæ Paulus, & post Paulum Eulogius, antequam hæresis Eutychetis appareret, vt Cardin. Baronius demonstrat tomo sexto ad annum Christi quadringentesimum nonagesimum sextum. Præterea ab eo tempore, quo scripsit sanctus Hieronymus librum de Scriptoribus Ecclesiasticis quod erat annus decimus quartus Theodosij senioris, vsque ad exortam hæresim Eutychetis, qui primùm apparuit anno quadragesimo secundo Theodosij iunioris; sunt anni paulò minus sexaginta: nam Theodosius senior superuixit tribus annis, quibus si addas annos Archadij tredecim, & annos Theodosij iunioris quadraginta duos, fient anni quinquaginta octo: neque credibile est Gelasium scripsisse contra Eutychetem ipso primo anno, quo errorem

suum manifestare cœpit, sed post eius hæresim iam promulgatam, & fortasse etiam damnatam: quare credibile est eum, aut non superuixisse vsque ad hæresim Eutychetis, aut planè decrepitum fuisse, & ineptum ad scribendum, quando hæresis Eutychiana confutanda erat: non enim verisimile est, eum fuisse adolescentem, aut puerum, quando à sancto Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos numeratus est. Alij sunt, qui librum istum Gennadij esse credunt, eo quòd facile fuerit Gelasium pro Gennadio scribere. Sed neque hoc verisimile est, cùm ipse Gennadius Catalogum librorum suorum scripserit, & hoc opus inter alios non numerauerit. Cardin. Baronius tomo sexto Annalium ad annum Christi 496. probat satis apertis coniecturis, auctorem libri fuisse Gelasium Cyzicenum, de quo nunc dicemus.

De Gelasio Cyziceno. 495.

Gelasius Cyzicenus vixit tempore Basilisci Imperatoris, siue potius Tyranni, circa annum Domini 476. vt ipse testatur in præfatione librorum de actis Nicænæ Synodi. Scripsit historiam de actis Nicænæ Synodi tribus libris comprehensam, quæ nuper excusa est in primo tomo Conciliorum generalium Græcè, & Latinè Romæ editorum. Scripsisse etiam creditur librum de duabus naturis Christi contra Eutychetem, qui liber hactenus est editus sub nomine Gelasij Papæ. Coniecturæ, cur auctor huius libri existimari possit Gelasius iste Cyzicenus, hæ sunt.

Prima, quòd non inueniatur alius Gelasius, cui liber ille tribui possit.

Secunda, quia in hoc auctore conueniunt nomen, & tempus, vt notum est.

Tertia, quia in præfatione historiæ de Actis Nicænæ Synodi, scribit, se disputasse cum Eutychianis.

Quarta, quia sicut Gelasius in historia Nicænæ Synodi, lib. 2. mirificè laudat Eusebium Cæsariensem, eumque affirmat nunquam adhæsisse Arianis: sic etiam auctor libri de duabus naturis Christi, ponit eundem Eusebium Cæsariensem inter Sanctos, & probatissimos Patres, Athanasium, Nazianzenum, & alios eiusdem gloriæ.

Quinta, quia stylus est omnino similis, simplex, & nudus omnibus ornamentis. Quomodo autem intelligi debeat, quod iste auctor dicit in libris de duabus naturis Christi, remanere in Eucharistia panis, & vini naturam; diximus in controuersijs lib. 2. de Eucharist. cap. 27.

De Gilda Sapiente. 495.

Gilda cognomine Sapiens scripsit de excidio Britanniæ, quod incidit in annum Domini 445. Scripsit etiam reprehensionem acrem in clerum Britanniæ: nam propter peccata populi, & maximè propter peccata cleri iratus Deus immittit flagella huiusmodi. Extant hæc opera in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto editionis secundæ.

De Vigilio. 495.

A Vigilius scripsit libros quinque valdè eruditos contra Nestorium, & Eutychetem, pro defensione epistolæ sancti Leonis, & Concilij Chalcedonensis: ex quo coniectura est, eum vixisse tempore Zenonis, & Anastasij Impp. quo tempore Concilium Chalcedonense grauiter oppugnabatur. Quis fuerit iste Vigilius, non satis constat; non enim potest esse sanctus Vigilius Episcopus Tridentinus, & Martyr: ille enim vixit tempore sancti Ambrosij, ad quem etiam est epistola eiusdem Ambrosij; & ex vita eius, quæ extat apud Lipomanum, & Surium, constat eum martyrio coronatum sub Stilicone Honorij Imperatoris Duce. Vide de hac re Cardin. Baronium tomo quinto Annalium ad an-
B num Domini 400. accuratissimè differentem.

De Paschasio Diacono Cardinali. 499.

Paschasius Diaconus Cardinal. Romanæ Ecclesiæ, floruit sub Gelasio, Anastasio, & Symmacho Pontificibus Romanis. Vir fuit magnæ sanctitatis, & doctrinæ, & scripsit libros duos de Spiritu sancto, rectissimos, & valdè luculentos: sic enim loquitur S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 40. Hi libri extant in Bibliotheca SS. Patrum tomo 9. edit. secundæ.

De sancto Cæsario Arelatensi. 499.

Sanctus Cæsarius Episcopus Arelatensis vixit tempore Symmachi Papæ, & Theodorici Regis Italiæ, vt in eius vita scribit Cyprianus eius discipulus, apud Surium die
C 27. Augusti: itaque falsum esse videtur, quod Concilium Arelatense tertium, cui præfuit sanctus Cæsarius celebratum sit æra 461. id est, anno Domini 423. Sed (vt habet alia lectio) æra 492. id est, anno 454. Falsum quoque est, quod Trithemius scripsit, hunc sanctum Cæsarium floruisse anno 670. & veritas est in medio; peruenit enim ad annum 499. Extant eius homiliæ 46. in Bibliotheca SS. Patrum tomo 2. edit. secundæ.

Seculum sextum ab Anno 500. ad 600.

De sancto Fulgentio.

Sanctus Fulgentius Carthaginensis, Episcopus Ruspensis, vir sanctissimus, & doctissimus floruit tempore Transimundi
D Regis ad quem scripsit libros. Obijt anno Domini 529. vitæ suæ anno 65. Episcopatus autem 25. vt Cardin. Baronius annotat tomo 6. Annalium. Scripsit plura teste Isidoro in lib. de viris illustribus quorum multa perierunt. Extant nunc in editione Antuerpiana anni 1574.

Ad Trasimundum Regem, lib.	3
De Incarnatione & gratia Christi,	1
Ad Monimum,	3
Contra obiectiones Arianorum,	1
Ad Donatum,	1
Ad Eutymium,	2
Ad Ferrandi quæstiones,	2
De fide ad Petrum, qui inter libros Augustini, habetur, de quo diximus supra,	1
Epistolæ septem satis prolixæ instar librorum,	7

Denique Sermones decem variorum argumentorum, qui soli supersunt, ex multis, quos scripsisse, & habuisse dicitur.

Edita sunt Parisijs alia quædam opuscula de veritate prædestinationis, & de Trinitate, quæ ad manus meas non peruenerunt.

De Andrea Episcopo Cæsareæ.

ANdreas Episcopus Cæsareæ Cappadociæ vir doctus scripsit commentaria in Apocalypsim, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo primo editionis secundæ. Quando vixerit non est omnino certum: sed hoc loco eum posuimus, quia post sanctum Basilium Episcopus Cæsariensis fuit, eumque sæpe citat vt etiam citat sanctum Cyrillum, & indicat, se scripsisse post inclinationem Imperij Romani, & omnium consensu antiquus scriptor habetur: ex quo Arethas Cæsariensis compendium suum decerpsit in Apocalypsim.

De Ennodio. 503.

ENnodius Diaconus, & postea Episcopus Ticinensis, claruit tempore Symmachi, & Hormisdæ Pontificum Romanorum, scripsit anno 503. Apologeticum librum pro quarta Synodo sub Symmacho, qui receptus fuit, & probatus à quinta Synodo sub Symmacho: scripsit etiam epistolas, & alia, quæ extant excusa Parisijs in 8.

De Petro Diacono. 503.

PEtrus Diaconus æqualis sancti Fulgentij fuit, vt notum est ex libris inuicem scriptis. Scripsit enim Petrus hic librum de Incarnatione & gratia Christi ad sanctum Fulgentium, & alios Episcopos Africanos: qui liber extat inter opera sancti Fulgentij proxime ante librum sancti Fulgentij de eodem argumento.

De Ferrando Diacono. 504.

FErrandus Diaconus Carthaginensis eodem tempore scripsit paræneticum ad Reginum Comitem, qui extat in Bibliotheca SS. Patrum, tomo 5. edit. secundæ. Scripsit etiam epistolas, quæ extant Romę impressæ. Scripsit denique breue compendium sacrorum canonum.

De Eugippio Abbate. 510.

EVgippius Abbas Africanus vixit tempore sancti Fulgentij, & composuit magno labore tomos duos thesaurorum sancti Augustini: in quorum priore posuit quæcunque sanctus Augustinus scripserat de rebus obscurissimis, vt de anima, de charitate, de Resurrectione, de iudicio, de vita ac morte æterna. In posteriore collocauit, quæ sanctus Augustinus disputat contra Arianos, Donatistas, Manichæos, & Pelagianos. Editum est hoc opus Basileæ anno Domini 1542. & Venetijs anno 1543. sed cauendæ sunt insidiæ hæreticorum, qui hoc opus in lucem miserunt.

De Marcellino Comite. 520.

MArcellinus Comes vixit tempore Iustiniani: nam anno Iustiniani nono, & salutis 535. finem imposuit Chronico suo, quod à Cassiodoro valde laudatur libro de diuinis lectionibus cap. 17. extat hoc Chronicum in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 7. edit. 2. Scripsit idem Marcellinus, teste Cassiodoro, quatuor libros de Vrbe Constantinopolitana & Hierosolymitana: qui libri (vt opinor) non extant.

De Ioanne Maxentio. 520.

IOannes Maxentius Monachus, &, vt creditur presbyter Antiochenus, vixit tempore Hormisdæ Papæ, contra cuius epistolam scripsit. Eius opera extant in quarto tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum. Scripsit autem Catholicæ fidei professionem, item libellum contra Acephalos, item dialogorum contra Nestorianos libros duos, item responsionem ad epistolam Papæ Hormisdæ, in quibus disputat aduersus Nestorianos, & aduersus Faustum Regiensem Semipelagianum. Et quidem Faustum, & Pelagianos egregiè refellit, ex libris sancti Augustini: at Nestorianos ita refellit scribens contra Possessorem Episcopum Africanum, vt ad Eutychianos declinare videatur. Certè sanctus Hormisda Papa Possessorem defendit, & Ioannem cum suis Monachis acriter insectatus est. Vide epistolam Possessoris ad Hormisdam, & responsionem Hormisdæ in ipso opere Ioannis Maxentij. Scripsit autem Maxentius contra epistolam Hormisdæ negans illam esse Hormisdæ, ne videretur contra summum Pontificem scribere; sed re vera negari non potest, epistolam illam verè esse Hormisdæ.

De sancto Auito Alcimo. 520.

AVitus Alcimus Episcopus Viennensis vir nobilissimus, sanctissimus, & doctissimus, floruit temporibus Papæ Hormisdæ, à quo Vicarius in Gallijs constitutus est, vt constat ex epistola Hormisdæ ad ipsum. Multa scripsit & versu & soluta oratione, vt docent Gregorius Turronicus libro secundo cap. tricesimo quarto, & Ado Viennensis in Chronico. Ego solum legi libros quinque metricè scriptos in Genesim, & Exodum, & librum de castitate ad sororem planè grauissimos, & venustissimos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum editionis secundæ tomo octauo.

De Boëtio Seuerino. 520.

BOëtius Seuerinus, vir clarissimus, Senator, & Consularis floruit tempore Theodorici Regis Italiæ, nam ad ipsum Boëtium extat epistola Regis Theodorici, quæ est quadragesima quinta libri primi apud Cassiodorum. Scripsit multa de re philosophica, & Theologica; ac vt philosophica omittam, scripsit librum vnum de Trinitate ad Symmachum socerum suum.

Item librum de vnitate Trinitatis.

Item librum vnum de duabus naturis Christi aduersus Eutychetem.

Item librum vnum de fide ad Ioannem Diaconum.

Item de consolatione philosophiæ libros quinque partim carmine, partim prosa eruditissimos. Occisus est iussu Theodorici Regis anno Dom. quingentesimo vigesimo primo Papiæ.

De Dionysio Exiguo. 525.

DIonysius Exiguus natione Scytha, sed moribus Romanus, quemadmodum cognomento Exiguus, sed doctrina, & sanctitate maximus, vixit tempore Theodorici Regis Italiæ, & successorum eius: nam anno 527. scripsit cyclum Paschalem, & omissa profana numeratione annorum ab Imperio Diocletiani impij persecutoris, numerare cœpit ab Incarnatione Domini IESV Christi. Scripsit præterea collectionem sacrorum canonum ex Concilijs Ecclesiæ Catholicæ: quem postea imitati sunt Martinus Bracarensis,& Cresconius.

De Victore Episcopo Africano. 530.

VIctor Episcopus scripsit de ratione fidei Catholicæ ad Hunericum Regem Vandalorum circa annum Domini 530. extat eius liber in Bibliotheca SS. Patrum tomo 4. editionis secundæ.

De Aurelio Cassiodoro. 530.

AVrelius Cassiodorus Senator, & Regi Theodorico ab epistolis fuit. Scripsit eo tempore libros duodecim epistolarum variarum, & chronicum breue ab initio Mundi vsque ad tempora Theodorici Regis Italiæ, quæ simul excusa extant. Scripsit etiam libros duodecim de rebus gestis Gothorum, cuius operis compendium fecit Iordanus Episcopus Rauennæ,quod compendium cum libris epistolarum excusum inuenitur. Deinde mundo vale dicens, & monachus effectus se rebus diuinis addixit, & tum scripsit:

De Institutionibus diuinarum lectionum lib.duos.

In omnes Psalmos, & in Cantica canticorum Commentaria.

Historiam tripartitam ex libris Socratis, Theodoreti, & Sozomeni, per Epiphanium Scholasticum in latinam linguam conuersis, confecit.

Atque hæc omnia extant. Dicitur præterea à Trithemio Cassiodorus scripsisse in Acta Apostolorum, in epistolas canonicas, & in Apocalypsim Commentaria: præterea, summam diuinæ Scripturæ, quam memoriale scripturarum appellauit, quæ an extent ignoro.

De Leontio Byzantino. 540.

LEontius Byzantinus Monachus paulo ante quintam Synodum floruisse videtur. Scripsit libros tres contra Nestorianos, & Eutychianos: necnon contra fraudes Apollinaristarum; & contra Seuerum, quæ omnia extant apud Henricum Canisium tomo quarto antiquæ lectionis. Extat etiam liber de sectis in Bibliotheca sanctorum Patrum.

De sancto Victore Capuano. 540.

SAnctus Victor Capuanus Episcopus vir sanctus, & doctus tempore Iustiniani Imperatoris circa annum Domini 545. scripsit de cyclo Paschali, teste Beda de sex ætatibus, & de ratione temporum cap. 48. Scripsit etiam præfationem in Armoniam Tatiani, qua ex quatuor Euangelijs vnum fecit. Sed rectè Cardin. Baronius monet, tomo secundo Annalium ad annum Christi 174. à Victore Capuano erratum esse in nomine: Ammonij enim, non Tatiani ea Armonia est. Vide Bibliothecam sanctorum Patrum tomo 4. edit.2.

De sancto Iusto Orgelitano.

SAnctus Iustus Orgelitanus Episcopus vixit tempore Iustiniani Imperatoris, scripsit in Cantica canticorum. Extat hoc opus in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. edit.secundæ. Vide de hoc auctore Isidorum de Script.Eccles. cap.14. & de viris illustribus cap. 34.

De Anastasio Sinaita. 544.

ANastasius Sinaita Episcopus Antiochenus vixit tempore Iustiniani Imp. vt scribit Euagrius libro 4. histor.cap. 39. scripsit multa, sed solum extat ὁδηγὸς, id est, dux viæ contra Acephalos, impressus Ingolstadij anno 1606. & præterea extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 1. edit. 2. Anagogicarum contemplationum in exameron libri vndecim: & de fidei dogmatibus libri quinque.

De Aratore. 545.

ARator Subdiaconus S. R. E. scripsit duos libros carminum, quibus Acta Apostolorum complexus est:eos libros Vigilio Papæ obtulit, & publicè eodem Papa annuente recitauit: extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo octauo.

De Iunilio. 545.

IVnilius Episcopus Africanus, scripsit ad Primasium item Episcopum Africanum libros duos de partibus diuinæ legis, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum editionis 2. tomo 1. Tribuitur etiam Iunilio Commentariolus in prima capita Geneseos: sed ille non est Iunilij,sed Bedæ.citat enim sanctum Gregorium, & habetur inter opera Bedæ.

De Primasio. 545.

PRimasius Episcopus Africanus tempore Vigilij Papæ Constantinopoli fuit, cùm quinta Synodus generalis celebraretur, vt constat ex collatione secunda eiusdem Synodi: scripsit in epistolas sancti Pauli, & in Apocalypsim non contemnenda Commentaria.

De Martino Dumiensi, alias Bracarensi. 500.

MArtinus Dumiensis monasterij Abbas, ac deinde Ecclesiæ Bracarensis Episcopus: vixit circa annum Domini 572. nam præfuit Concilio secundo Bracarensi, quod habitum est Era 610. id est, anno Domini 572. sed videtur anno sequente obijsse, vt notat Cardin. Baronius: scripsit collectionem Canonum ex Græcis Synodis, qui extant in tomis Conciliorum post secundam Synodum Bracarensem. Scripsit etiam de quatuor virtutum Cardinalium differentia, & alia, quæ extant in tomo quinto Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundę. meminit huius

Marti-

Martini sanctus Isidorus in Catalogo Script. Ecclesiast. cap.22. & in lib. de viris illustribus cap. 35.

De Procopio Gazeo. 560.

PRocopius Gazeus sophista, cuius meminit Photius in sua Bibliotheca, scripsit in octateuchum Commẽtaria magis ex aliorum libris, quàm ex proprio ingenio: scripsit etiam in Isaiam, quæ extant excusa Parisijs, Græcè, & Latinè. dicitur etiam scripsisse in libros Regum, & Paralipomenon; quæ opera vtrũ extent, ignoro: quando vixerit, non certum est: sed posuimus eum post annum quingentesimum, quia nec sanctus Hieronymus, nec Gennadius, neque alij qui scripserunt ante annum quingentesimum, hunc auctorem nominauerunt.

De Ioanne Climaco. 560.

IOannes Climacus Monachus religiosissimus, scripsit librum triginta graduum, quibus ascenditur ad perfectionem, vnde ipse nomen Climaci inuenit. Existimant aliqui recentiores illum floruisse anno Do.340. sed non putamus id esse verum, tum quia nemo veterum hoc dicit, neque ex ipsius libro id colligi potest; tum quia in eo libro fit mentio sancti Abbatis Sabbæ, qui tempore Iustiniani Imp. obijt anno Domini 532. vt refert Card. Baronius tom.6. Annalium.

De Dorotheo Archimandrita. 560.

DOrotheus Archimandrita scripsit sermones viginti quatuor, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum, tom.2. edit. 2. Videtur vixisse hic Dorotheus circa annum Dom.560. cùm citet Climacum, & indicet, se fuisse familiarem S. Zozimæ Abbati, qui sub Iustino seniore floruit.

De S. Dacio Mediolanensi. 560.

SAnctus Dacius Episcopus Mediolanensis vixit tempore Iustini Imp. teste S. Gregorio lib.3. dialog. cap.4. & scripsit Chronicum, in cuius chronici lib.1. cap.10. tradit Canticum, Te Deum laudamus, compositum fuisse à sanctis Ambrosio, & Augustino.

De Liberato. 560.

LIberatus Archidiaconus Carthaginensis vixit paulò pòst quintam Synodum, vt ex eius Breuiario intelligi potest: scripsit enim Breuiarium de causa Nestorij, & Eutychetis: quod Breuiarium extat in 2. tom. Conciliorum, & cautè legendum est: siue enim ab aliquo deprauatum fuerit, siue ipse auctor, nõ benè assecutus sit historiæ veritatem, non pauca in eo videntur esse perperam scripta.

De Venantio Fortunato. 590.

VEnantius Fortunatus Episcopus Pictauiensis, floruit doctrina, & sanctitate tempore Iustini Iunioris, scripsit vitam sancti Hilarij, quæ extat apud Surium die decimoquarto Ianuarij: scripsit plurima carmina sacra, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo octauo, editionis secundis, sed in Ecclesia celebrantur maximè illa de sancta Cruce, Vexilla Regis prodeunt: &, Pange lingua gloriosi.

A *De Euagrio. 596.*

EVagrius Scholasticus scripsit historiam Ecclesiasticam libris sex, ab eo tempore in quo desijt Sozomenus vsque ad annum 12. Mauritij Imperatoris, id est, ad annum Domini 597.

De sancto Gregorio Turonico. 596.

GRegorius Turonensis Episcopus floruit imperante Mauritio, & sancto Gregorio Papa aliquanto senior fuit: siquidem anno septimodecimo inchoante Episcopatus Gregorij Turonici, Gregorius Papa creatus est: & anno 21. completo in Episcopatu suo Gregorius Turonicus obijt: cui superuixit Gregorius Papa annis octo. Itaque Gregorius Turonicus obijt anno Dom. 596. Gregorius autem Papa anno Domi. 604. Hæc ex Breuiario vitæ S. Gregorij Turonici, & ex vita sancti
B Gregorij Papæ decerpta sunt. Scripsit S. Gregorius Turonicus.

De historia Francorum, lib. 10
De gloria Martyrum, 1
De gloria Confessorum, 2
De miraculis sancti Iuliani, 1
De miraculis sancti Martini, 4

Alia præterea scripsisse dicitur, quæ vel non extant, vel certè ad notitiam meam non peruenerunt.

Seculum septimum ab Anno 600 ad 700.

De S. Gregorio Papa.

SANCTVS Gregorius Papa sanctissimus,
C & doctor eximius, & merito magnus appellatus, floruit Iustini, Mauritij, & Phocæ temporibus, & anno 14. Pontificatus sui, salutis autem 604. obijt. Scripsit:

Moralis expositionis in Iob, lib. 38
De cura pastorali partes tres, 1
Dialogorum cum Petro, 4
Expositionis in Cantica, 1
Expositionis in Ezechielem, homil. 22
In Euangelia, homil. 40
Expositionem in Septem psalmos Pœnitentiales.
In primum librum Regum, lib. 6
Epistolarum, libros duodecim.
Decreta nonnulla.
Responsiones ad vndecim interrogationes Augustini Episcopi Anglorum.

D *Obseruatio.*

Sanctus Ildephonsus in lib. de viris illustribus, qui extat inter opera S. Isidori, primo loco ponit S. Gregorium, eumq; omnibus scriptoribus anteponit; meminit autem librorum quos suprà enumerauimus, exceptis libris in Iob, in primum Regum, in Psalmos, & in Euangelia; sed addit, nõ omnia eius opera enumerasse. S. Isidorus in lib. de Script. Eccles. meminit Moralium in Iob, & homil. in Euangelia; sed & ipse fatetur, ad se non peruenisse omnia opera S. Gregorij. Extant nunc præter libros suprà scriptos, Antiphonarium, cuius meminit Sigebertus, & liber Sacramentorum, siue Sacramentarium, vide editionem Romanam anni 1593.

De Hesychio, siue Isychio. 601.

HEsychius, siue Isychius Episcopus Hierosolymitanus, tempore S. Gregorij vixit: nam ad eum est epistol. 40. lib. 9. ex registro S. Gregorij. Neque alius inuenitur Episcopus Hierosolymæ, qui dicatur Hesychius, vel Isychius ante istum. hic igitur scripsit in Leuiticum libros septem, & exponit versionem S. Hieronymi, quod est argumentum, auctorem hunc esse posteriorem Hieronymo, & Augustino, & alijs veteribus: non enim cœpit versio S. Hieronymi esse in vsu Ecclesiarum, nisi satis diu post obitum sancti Hieronymi.

De S. Sophronio Episcopo. 630.

SAnctus Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, vixit tempore Honorij Papæ I. & Heraclij Imperatoris, & initio hæresis Monothelitarum insignis fuit defensor fidei Catholicæ. Extat epistola ipsius ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum in sexta Synodo, Act. 11. Extant etiam in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 2. edit. 2. duo sermones eius, vnus de natali Domini, alter de Angelis. Obijt anno Dom. 634. ex Card. Baronio, tom. 8. Annalium.

De ioanne Moscho. 630.

IOannes Moschus, alias Euiratus, scripsit ad sanctum Sophronium Episcopum Hierosolymitanum librum, qui dicitur Pratum spirituale: atque hinc fortassè factum est, vt ipsi Sophronio, à multis hic liber tribuatur. Extat in tomo septimo Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ. Et quidem liber est magna ex parte vtilis, & citatur in septima Synodo.

De Leontio. 630.

LEontius tempore Heraclij Imperatoris vixit, & sancti Ioannis Episcopi cognomento Eleemosynarij æqualis sui admirabilem vitam literis mandauit. Obijt sanctus Ioannes anno vndecimo Heraclij, qui fuit annus Dom. 620. Hic liber testimonium habet à Synodo secunda Nicæna, & verè lectu dignissimus est.

De Iona. 630.

IOnas Anglus, siue Hybernus tempore eiusdem Heraclij scripsit vitam, & res gestas sancti Columbani (vt est apud Bedam lib. quinto histor. gentis suæ cap. decimoseptimo) qui, vt nouus quidam Apostolus Angliam, Gallias, & Italiam mirificè illustrauit. Obijt anno sexto Heraclij, qui erat annus Dom. 615. Extat hæc vita apud Surium die 21. Nouembris.

De Antiocho Monacho. 630.

ANtiochus Monach. vixit Heraclij tempore, & centum viginti nouem homilijs (quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 2. edit. 2.) deplorauit ingentem illam calamitatem, quæ contigit anno 14. Heraclij, cùm Hierusalem à Persis capta, & lignum sanctæ Crucis in Persidem asportatum fuit: quo tempore Christiani plurimi, ad nonaginta millia, Iudæis vilissimo pretio diuenditi, atque ab eis crudeliter morte necati dicuntur.

De S. Isidoro Hispalensi. 630.

A SAnctus Isidorus Hispalensis Episc. sedere cœpit in Episcopali sede anno 596. & anno 636. migrauit in cælum, vt ex Chronicis Hispalensibus intelligitur: Scripsit multa, quorum Catalogum his verbis texit S. Hildephonsus in libro de viris illustribus.

Scripsit, inquit, opera eximia, & non pauca, id est;

Librum de genere officiorum.

Librum prooemiorum.

Librum de ortu, vel obitu Patrum.

Librum commentariorum, quem Synonyma vocitauit.

Libellos duos ad Florentinam contra nequitias Iudæorum.

Librum de natura rerum ad Sisebutum Principem.

B Librum differentiarum.

Librum Sententiarum.

Librum quæstionum, siue expositionis Sacramentorum.

Librum Ethymologiarum, quem non compleuit. Hæc ille.

Sed in edit. Parisiensi anni 1601. adduntur isti libri.

De contemptu Mundi. Norma viuendi.

Exhortatio ad pœnitentiam.

Lamentum pœnitentiæ, versu, & alphabetice editum.

Oratio sancti Isidori prolixa ad peccata deflenda.

Oratio breuior contra insidias Diaboli.

Epistol. ad Massonum de lapsu, & reparatione Sacerdotis.

C Chronicum ab initio Mundi vsque ad annum quintum, Suinthiliani Regis Gothorum.

Chronicum Gothorum.

Historia Vandalorum.

Historia Sueuorum.

De Antiocho Rege, & martyrio Machabæorum.

De Scriptoribus Ecclesiasticis.

De natiuitate Domini, Passione, Resurrectione, Regno, & Iudicio ad Florentinam sororem.

De vocatione gentium ad eandem.

Epistola ad Ludifredum de Episcopi, & aliorum clericorum in Ecclesia officio.

Sententiarũ, siue de summo bono libri tres.

Regula Monachorum.

D De conflictu vitiorum, & virtutum.

Expositio in Cantica Canticorum.

Liber de viris illustribus.

Glossarium ex diuersis, quę nomine Isidori Hispalensis circumferuntur collectum.

Obseruatio.

Mirum est, vnde tot opera S. Isidori prodierint, quorum non meminit S. Hildephonsus, qui eadem ætate vixit, qua Isidorus ipse. Ideo suspicor, hæc nõ esse ab ipso S. Isidoro scripta, sed ab aliquo alio superaddita. Certè liber de contemptu mundi, & Norma viuẽdi decerpta sunt ex libro Synonymorum. Item chronicum decerptum est ex libro 5. Ethymologiarum: aut si non inde decerptum est, non est verisimile chronicum bis ab Isidoro scriptum.

Porrò quæ dicuntur in editione Parisiensi

Com-

Commentaria in Genesim, Exodum, &c. dicuntur à sancto Hildephonso, quæstiones, siue expositiones Sacramentorum, ex varijs auctoribus collectæ: & qui sunt duo libri ad Florentinam sororem; de natiuitate Domini, &c. & de vocatione gentium: fortasse sunt duo illi, quorum meminit sanctus Hildephonsus, contra nequitiam Iudæorum. Et qui vocantur in editione Parisiési de officijs Ecclesiasticis, vocantur à sancto Hildephonso, de genere officiorum.

De S. Eligio Episcopo. 640.

SAnctus Eligius Episcopus Nouiomensis, scripsit homilias sexdecim, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo secundo, edit. 2. Obijt anno 665. teste Sigeberto in Chronico: cuius vita scripta satis diligenter libris duobus à Beato Audoeno Rothomagensi præposito, extat apud Surium die 1. Decembr.

De Esaia Abbate.

ESaias Abbas, qui quo tempore vixerit inuenire non potui, scripsit homil. 29. valdè vtiles præsertim Monachis ad perfectionem tendentibus. Extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo, editionis secundæ.

De S. Maximo Martyre. 650.

SAnctus Maximus Monachus Constantinopolitanus, & Martyr clarissimus vixit temporibus Honorij Papæ primi, & Heraclij Imperatoris: Obijt autem sub Vitaliano Pontifice, & Constante Imperatore anno Domini 660. Scripsit plurima, quorum Catalogum refert Card. Baron. tomo 8. Annalium: nunc extat insignis disputatio habita in Africa cōtra Pyrrum Monothelitam, quam Græcam & Latinam edidit idem Card. Baronius in appendice ad octauum tomum Annalium. Extat etiam in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. secundæ liber de Ecclesiastica mystagogia: extant quoque Scholia in S. Dionysium Areopagitam, Græcè, & Latinè edita Parisijs cum operibus sancti Dionysij. Extant denique tom. 5. eiusdem Bibliothecæ SS. Patrum Centuriæ S. Maximi de charitate, & de Incarnatione Verbi: sed cum translatæ sint è lingua Græca in Latinam opera hæreticorum, non multum illis fidendum est. Solent enim hæretici in auctoribus bonis transferendis sæpè ad suos errores sententias auctorum bonorum accommodare.

De Sancto Hildephonso Episcopo Toletano. 658.

SAnctus Hildephonsus Episcopus Toletanus, factus est anno Domini 658. tempore Vitaliani Papæ. Obijt anno Domini 667. Scripsit insignem tractatū de Virginitate Beatæ Mariæ, & alium de perpetua Virginitate, & parturitione eiusdem sanctissimæ Deiparæ, & sermones duodecim de eadem, quæ omnia extant excusa Parisijs apud Niuellium anno 1576. & inueniuntur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. Extat item liber de viris illustribus, inter opera S. Isidori Hispalensis, sed cum titulo sancti Hildephonsi: alia multa & versu, & prosa scripsisse dicitur, quæ non extant. Ob singularem deuotionem erga Beatissimam Dei Matrem, & defensionem perpetuæ Virginitatis eiusdem Virginum Reginæ; meruit iste felix Antistes non solum in terris intueri eam diuino splendore fulgentem, sed etiam ab ea donari præclara veste Sacerdotali, &, quod summo gaudio animam eius repleuit, certus reddi de veste gloriæ post beatam mortem consequenda: quæ omnia scribit Iulianus eius Diaconus, præfatione in librum Sancti Ildephonsi, de laudibus intemeratæ Virginis Mariæ.

De S. Iuliano Episcopo Toletano. 680.

SAnctus Iulianus Episcop. Toletanus creatus est anno Dom. 680. & post annos decem obiit. Scripsit tres libros aduersus Iudæos, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. edit. 2. Scripsit etiam tres libros de futuro seculo, quos Prognosticon vocauit, qui extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. admonet autem Cardin. Baronius in notis ad Martyrologium, die 8. Martij, sanctum Iulianum Episcopum Toletanum non rectè vocari Iulianum Pomerium: duo enim fuerunt Pomerij, vnus Presbyter, qui simpliciter dicebatur Pomerius à Gennadio, sed ab Isidoro, & ab aliis dicitur Iulianus Pomerius, quem Gennadius Massiliensis in Catalogo illustrium virorū, scribit, suo tempore vixisse, id est, ante annum Dom. 500. atque hic videtur esse ille, quem tam sæpè citat in suo Prognostico sanctus Iulianus Archiepiscopus Toletanus, de quo nunc agimus. Alter fuit Iulianus Pomerius Diaconus, qui præfationem addidit ad libros S. Ildephonsi, de quo paulò antè meminimus. Hic autem sanctus Iulianus viuebat AEra. 724. id est, anno Dom. 686. Sed cum auctor huius operis in Epistola ad Regem Eruigium se Iulianum Pomerium nominet, non video, cur non ipse Iulianus Pomerius dici posit, vt sint tres Iuliani Pomerij, vnus Presbyter, alter Diaconus, & tertius Episcopus.

De Anastasio Nicano.

ANastasius Nicænus Episcopus vixit post Concilium Trullanum, quinisextum à Græcis nuncupatum, quia canones addidit Concilio quinto & sexto generali: citat enim hic auctor canonem secundum Trullanum. Scripsit responsionem ad interrogationes de multis capitibus Ecclesiasticis. Vide Bibliothecam sanctorum Patrum, tomo primo edit. secundæ, vbi notæ marginales cautè legēdæ, aut potius delendæ sunt, quia non sanam doctrinam continent.

Seculum octauum ab Anno 700. ad 800.

De S. Gregorio Iuniore. 714.

SANCTVS Gregorius Papa II. siue Iunior sedere cœpit anno salutis 714. sedit annos 17. obijt anno 731. Scripsit varia opera, sed extant solum Epistolæ doctissimæ, & multæ, quarum vna ad sanctum Germanum extat in 7. Synodo Act. 4. duæ Græcè, & Latinè ad Imperatorem Leonem Isauricum, extant

apud

apud Card. Baronium tomo Annalium 9. ad annum 13. Gregorij II. apud eundem extant epistolæ ad Bonifacium anno vndecimo Pontificatus; & ad Carolum Martellum, ad Turingos, ad Saxones, & ad alios anno decimo Pontificatus.

De sancto Anthelmo.

SAnctus Anthelmus, siue Adelmus Episcopus fuit in Scotia, & anno Dom. 700. sedere cœpit ex Beda lib. 5. histor. cap. 19. scripsit de Virginitate librum, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. edit. secundæ. Scripsit etiam de Paschatis die contra errores Britonum, teste Beda; eius vita habetur apud Surium die 28. Maij.

De S. Marcellino. 717.

SAnctus Marcellinus Presbyter vir Apostolicus socius fuit sancti Suiberti, primi Verdensis Episcopi, qui obijt anno Dom. 717. Sed ipse B. Marcellinus diutius multo vixit, & scripsit vitam sancti Suiberti, quæ extat apud Surium die 1. Martij, atque ad relationem factam ex hoc libro S. Marcellini, S. Suibertus canonizatus fuit postea à Leone III. Pontifice anno 804.

B

De sancto Germano Constantinopolitano. 720.

SAnctus Germanus Episcopus Constantinopolitanus vixit temporibus Gregorij secundi Papæ, & Leonis Isaurici Imper. hæretici. Multa propter sacras Imagines, & fecit egregiè, & pertulit fortiter: tandem nonagenarius in exilio mortuus est, anno Domini 730. Scripsit multa. Extat nunc Theoria rerum sacrarum in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 6. edit. 2. Extant etiam epistolæ tres Græcè, & Latinè eiusdem S. Germani in Concilio II. Nicæno, artic. 4. quarum tertia valdè prolixa est, quibus epistolis præponitur epistola Gregorij Papæ II. ad Germanum. Extat apud Henricum Canisium tomo 3. antiquæ lectionis Fragmentum Græco-Latinum Orationis eiusdem de hæresibus.

C

De Venerabili Beda.

VEnerabilis Beda Presbyter Anglus floruit eodem tempore; anno siquidē Domini 731. in viuis erat, vt ipse testatur in fine quinti libri historiæ Anglicanæ. Scripsit plurima, quæ octo tomis continentur.

Primus Tomus.

Continet ea, quæ ad Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, Musicam, & similes artes pertinent.

Secundus Tomus.

Continet librum de natura rerum.
De temporum ratione.
De sex ætatibus Mundi.
De temporibus ad intelligendam supputationem temporum sacræ Scripturæ.
Sententias ex Cicerone, & Aristotele.
De Prouerbiis. De substantiis Elementorum.
Philosophiæ libros quatuor.
Librum de Pascha, siue AEquinoctio.
Epistolam de diuinatione mortis, & vitæ.
Librum de Arca Noë.
Librum de linguis gentium.
Denique oracula Sibyllina.

A

Tertius Tomus.

Continet libros quinq; historiæ gentis suæ, cum Epitome.
Vitas sanctorum Guthberti, Felicis, Vedasti, Columbani, Attalæ, Patricij, Eustasij, Bertolfi, Arnolphi, Burgundoforæ.
Item carmen de Iustini martyrio.
Martyrologium.
De situ Hierusalem.
Interpretationem nominū Hebraicorum, & Græcorum in sacris Bibliis occurrentium.
Excerpta, & collectanea.

Quartus Tomus.

Continet explanationem in Pentateuchum & libros Regum.
Item in Samuelem explanationum allegoricarum, libros quatuor.
Item explanationem in Esdram, Tobiam, Iob, Prouerbia, & Cantica.
Denique de Tabernaculo, & vasis, ac vestibus eius, libros duos.

Quintus Tomus.

Continet Commentaria in totum nouum Testamentum, exceptis Epistolis B. Pauli.

Sextus Tomus.

Continet retractationes, & quæstiones in Acta Apostolorum.
Commentaria in omnes epistolas S. Pauli ex Augustini sententijs, & verbis excerpta.

Septimus Tomus.

Continet homilias de Tempore, & de Sanctis plurimis. Item librum de Muliere forti.
Librum de Officijs.
Scintillas siue locos Communes.
Fragmenta in libros Sapientiales, & Psalterij versus.

Octauus Tomus.

Continet librum de templo Salomonis.
Librum de creatione siue opere 6. dierum.
Quæstiones in Octateuchum.
In quatuor libros Regum.
Quæstiones varias.
Commentaria in Psalmos.
Commentaria in Boëtij librum de Trinitate.
De Verbis Christi.
Meditationes passionis.
De remedijs peccatorum.

Obseruatio prima.

Extat Indiculus operum venerabilis Bedæ ab ipsomet scriptus, vt etiam vita eiusdem vsq; ad annum ætatis 59. ab ipso descripta est post historiam gentis suæ. Aliqua opera postea scripsit. Vixit enim longissimam vitam, ideo mirum non est, si aliqua nunc eius nomine circunferantur, quorum ipse in Indiculo suo non meminit.

D

Obseruatio secunda.

Non desunt, qui à Catalogo operum venerabilis Bedæ demere velint Commentaria in Epistolas S. Pauli ex Augustini verbis contexta. Sed nullus probabilius id fecit, quam Card. Baronius. Siquidem tomo septimo Annalium ad annum Christi 562. refert ex Cassiodoro, Petrum quendam Abbatem Tripolitanum S. Pauli Epistolas exemplis opusculorum S. August. subnotasse, vt per os alienū sui cordis declararet arcanum: quæ ita locis singulis

compe-

competentes aptauit, vt hoc magis studio beati Augustini credas esse profectum. Mirum est enim, sic alterum ex altero dilucidasse, vt nulla verborum suorum adiectione permixta, desiderium cordis proprij compleuisse videatur. hæc Cassiodorus. Censet igitur Cardin. Baronius, Commentaria illa in epistolas sancti Pauli, non Bedæ esse presbyteri, sed Petri Tripolitani Abbatis. Quia verò in præfatione Bedæ in epistolas habentur hæc verba; In Apostolum quæcunque in opusculis S. Augustini exposita inueni, cuncta per ordinem transcribere curaui. Respondet Card. Baronius, eam præfationem non esse Bedæ, sed alicuius, qui, vt hæc Commentaria Bedæ adscriberet, illa verba adiecit.

Ego verò quamuis à viro doctissimo, & optimo, & mihi, cum viueret, coniunctissimo valdè ægrè dissentiam: exponam tamen rationes, quæ me mouent, vt existimem ista commentaria verè esse Bedæ, & iudicium lectori relinquam.

Primùm, Præfatio illa non est quidem à Beda his commentarijs adiuncta; sed tamen tota sumpta est à verbis Bedę, quæ habentur ad finē historiæ, siue epitomes, cui subiecerat ipse Beda vitam suā, & indiculum operum suorum, vt Card. ipse Baron. affirmat, Tomo 8. Annal. ad annum Dom. 731. vbi ipsum indiculum, qui in multis codicibus deest, ad verbum ponit, & in eo indiculo Bedæ à Card. Baronio repræsentato sunt illa verba, In Apostolum quęcunque in opusculis S. Augustini exposita inueni, cuncta per ordinem transcribere curaui. Neque eo loco Card. Baronius dicit ea verba non esse Bedæ, neque credibile est, vllum fuisse tam audacem, & temerarium, vt indiculo Bedæ aliquid addere vellet.

Quod si verba illa sunt Bedæ, vt verè sunt, necesse est omnino, aut Bedam esse mentitum, quod nemo diceret, aut commentaria illa verè esse Bedæ.

Deindè, si ea commentaria non sunt Bedæ, certè sequitur, vt Beda, qui tam diligenter in vtriusque testamenti libris explanandis laborauit, solum Apostolum prætermiserit, cuius epistolæ nobilissima pars scripturarum esse videntur.

Prætereà quid impedit, quod minus duo auctores, Petrus Abbas, & Beda presbyter diuersis temporibus, & locis eodem studio in Paulo ex Augustini scriptis explicando desudauerint? si commentarium Petri Abbatis haberemus, & eo collato cum commentario Bedæ, vnum & idem esse videremus: tum planè fatendum esset, non esse hoc opus Bedæ adscribendum: sed cùm illud non extet, licet omnino existimare, diuersum ab isto fuisse, id est, ex diuersis Augustini sententijs verbisque conflatum.

Obseruatio tertia.

Ex vitis Sanctorum, quæ habentur tertio tomo Bedæ, quædam sunt, quæ ab ipso Beda scriptæ non sunt. Certè vita sancti Patricij duobus libris comprehensa, non habetur in indiculo, & satis constat scriptam à Probo, vt in extremo libro secundo legitur: sic etiam vitam S. Columbani non Beda, sed Ionas scripsit:

A & vitam sancti Arnulphi Paulus Diaconus scripsit, non Beda: sic etiam inter Collectanea, & flores, quæ habentur 3. tomo nihil ferè est, quod sit Bedæ ingenio dignum. Collectaneum de luminaribus Ecclesiæ habetur etiā in quarto tomo S. Hieronymi, & nec Hieronymi, nec Bedæ est. Collectaneum de quatuor generibus ligni in Cruce Domini, nihil solidi habet. Oratiuncula, vbi inuocantur tres Iacobi, & altera, vbi inuocantur Angelus Vriel, & Rumiel, longè absunt à grauitate, & scientia Bedæ; sed sicut sunt inter opera Bedæ aliqua, quæ non sunt Bedæ, ita desunt Commentaria in Isaiam, Hieremiam, Danielem, & duodecim Prophetas minores, quę in indiculo operum Bedæ numerantur, & periisse videntur.

De S. Ioan. Damasceno. 731.

B Sanctus Ioannes Damascenus, vir magnæ doctrinæ, & sanctitatis, æqualis fuit venerabilis Bedæ, & vnus Occidentem, alter Orientem sapientia sua illustrauit. nam tempore Gregorij II. Papæ, & Leonis Isauri Imperatoris hæretici scripsit Orationes pro defensione sacrarum imaginum aduersus prædictum Leonem circa annum Dom. 731. sed diu postea superuixit, & multa passus est ab Imperatore Constantino Copronymo propter fidē Catholicam. Itaque longè à veritate aberrant, qui Damascenum tempore Theodosij senioris floruisse scribunt. Scripsit multa præclara opera, atque in primis libros quatuor de fide Orthodoxa, in quibus ipse primus vniuersam Theologiam recto ordine comprehēdit. Eum imitati sunt Magister sententiarum, & Doctores, qui Scholastici dicuntur. Scripsit prætere

C Orationes tres doctissimas, & vtilissimas aduersus impugnatores sacrarum Imaginum. Scripsit etiam alia minora opuscula:

De Logica, librum vnum.
De Physica. 1
De introductione dignitatum. 1
De duabus voluntatibus Christi.
De centum hæresibus. 1
De trisagio. 1
De altercatione Christiani, & Saraceni. 1
Historiæ Barlaam, & Iosaphat. 1
De his qui in fide dormierunt Orationem. 1
Paralellorum. 3
De transfiguratione Christi.
De natiuitate B. Virginis, & de eiusdem Assumptione Orationes.
Aduersus Manichæos Dialogum.
D Vitæ sancti Stephani Iunioris. 1

Accesserunt nuper liber eiusdem Damasceni contra Acephalos, sed mutilus: & alius contra Nestorianos, apud Henricum Canisium tom. 4. antiquæ lectionis.

Obseruatio.

Ex his operibus nihil in dubium reuocari potest, nisi historia Barlaam: & Oratio de his qui in fide dormierunt. Historia Barlaam, & Iosaphat insignis, & vtilis est. Sed quia Barlaam, dum instruit discipulum suum Iosaphat, iubet eum credere in Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedentem: dubitatio exorta est an hoc opus esse potuerit Ioannis Damasceni, qui libro primo de fide Orthodoxa cap. vndecimo docet, Spiritum sanctum non

proce-

procedere ex filio, sed per filium. Sed respondere potest, in historia Barlaam particulam illam, ex filio, videri additam ab aliquo: nam in noua editione per Billium castigata, non habetur ex filio. Dubitatio quoque existit, an hæc narratio sit vera historia, an potius conficta ad erudiendos nobiles adolescentes; qualis est vita Cyri apud Xenophontem. Cæterum veram historiam esse constat ex eo, quod S. Ioannes Damascenus in fine historiæ inuocat sanctos Barlaam, & Iosaphat, quorum res gestas scripserat, & Ecclesia Catholica in Martyrologio descriptos veneratur, die 27. Nouembris, eosdem sanctos Barlaam, & Iosaphat.

Oratio de his, qui in fide migrauerunt scrupulum iniecit, quia narrat Falconillam precibus primæ Martyris, & Traiani animam precibus S. Gregorij Papæ ab inferni supplicijs liberatos, quæ narrationes falsæ esse videntur, & fabulis similiores, quam historiæ. Sed fieri potest, vt sanctus Ioannes Damascenus, quamuis alioqui doctus, & prudens, istis narrationibus facilè fidem habuerit, neque de veritate earum inuestiganda sollicitus fuerit.

De S. Bonifacio Moguntino. 740.

Sanctus Bonifacius natione Anglus Archiepiscopus Moguntinus, & Martyr, vixit temporibus Gregorij secundi, & tertij, & Zachariæ Pontificum Romanorum, & obijt anno 755. Scripsit epistolas multas, quæ excusæ extant anno 1605. Mogunt. De eius rebus gestis, vide Card. Baronium tomo 9. Annalium, ad annum 755.

De Antonio Melissa.

Antonius Melissa Monachus scripsit libros duos communium locorũ ad virtutes sequendas, & vitia fugienda, quos ex Patribus collegit: & quoniam vltimus, quẽ citat est sanctus Ioannes Damascenus, ideo hoc loco eum posuimus, cum veram ætatem eius ignoraremus. Extant hi libri in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo quinto editionis secundæ. Sed cautè legendi sunt, quoniam ab hæreticis latinitate donati, & impressi sunt. Vide obseruationes Iacobi Billij additas ad epistolas Isidori Pelusiotæ: & Frontonis Ducæi notas, & Indicem expurgatorium Romæ impressum anno 1607.

De Hadriano Papa I. 772.

Hadrianus Papa primus sedere cœpit in Apostolica sede anno Dom. 772. Constantino Copronymo hæretico imperante, & sedit annis viginti quatuor, minus vno mense cum dimidio, vsque ad ann. Dom. 795. Vir fuit sanctus, & eruditus, & præter epistolas multas, quæ extant partim in septima Synodo Act. 2. partim inter epistolas Pontificias: scripsit insignem librum pro defensione septimæ Synodi, & responsionem ad librum missum à Carolo Rege Francorum ex Concilio Francofordiensi: qui liber Hadriani Papæ extat post septimam Synodum, in noua editione Romana Conciliorum Generalium, Græcè, & Latinè impressorum anno 1612. Sciendum est autem librum, cui respondet Hadrianus, non fuisse compositum à Carolo Rege (vt hæretici Iconoclastæ falsò affirmant) sed esse librum continentem obiectiones aduersus septimam Synodum, quam Patres Concilij Francofordiensis arbitrati sunt celebratam fuisse sine consensu Rom. Pontificis, & erroribus multis scatere, atque ideo non recipiendam, sed reiiciendam videri.

De Paulo Diacono. 774.

Paulus Diaconus Aquileiensis, à secretis erat Desiderij Regis Longobardorum, quando per Carolum Regem Francorum Desiderius captus, & Regnum ipsius euersum fuit anno Domini 774. qui deinde Monachus Casinensis factus piè, & religiosè vitam duxit, vt scribit Leo Hostiensis in chronico Casinensi lib. 2. cap. 17. Scripsit libros sex de gestis Longobardorum. Scripsisse etiam dicitur libros historiæ Romanæ, quos videmus adiunctos historiæ Eutropij post imperium Iouiani, vbi desijt Eutropius. Sed viri docti negant eos libros esse Pauli Diaconi. Scripsit præterea in regulam S. Benedicti, vt Leo Hostiensis testatur loco notato; & ea dicitur haberi manuscripta in monasterio Casinensi. Scripsit hymnos sacros, quorum vnus, qui incipit, Vt queant laxis resonare fibris, ab Ecclesia frequentatur in natali S. Ioan. Baptistæ. Denique scripsit homilias, & alia, quæ non extant, nisi manuscripta in Bibliothecis.

De Paulino Aquileiensi. 780.

Paulinus Aquileiensis Episcopus vir doctus, & pius tempore Caroli Magni scripsit contra Felicem, & Elipandum librũ de sancta Trinitate, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 4. edit. 2. obijt anno Dom. 802. clarus miraculis.

De Albino Alcuino. 780.

Albinus Alcuinus Anglus Bedæ discipulus, in Gallias à Carolo Rege Francorum euocatus multa scripsit, è quibus extant:

Liber de diuinis officijs.
Epistola ad Carolum Regem.
Et altera ad Oduinum presbyterum.

Hæc, inquam, extant in codice impresso Coloniæ anno 1568. cum alijs septem auctoribus de eodem argumento.

Extant præterea in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 3. edit. 2.

Quæstionum in Genesim, lib.	1
In Ecclesiastem.	1
De virtutibus, & vitijs.	2
Quæstionum de Trinitate.	1
De Trinitate, libri	3
De ratione animæ Epistola ad Eulalium.	
De diuinis officijs.	1

Extant etiam epistolæ eiusdem Albini numer. 67. apud Henricum Canisium tom. 1. antiquæ lectionis. Edita sunt denique opera omnia Alcuini Parisijs, in quibus sunt etiam libri septem contra Felicem, libri 4. contra Elipandum, poëmata varia, & vita ipsius Alcuini à contemporaneo scripta.

Seculum nonum ab Anno 800. ad 900.

De Sancto Nicephoro. 811.

Sanctus Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus vixit tempore Leonis III. Ponti-

Pontificis ad quem anno Dom. 811. misit epistolam valdè prolixam, quæ extat tom. 9. Annalium Card. Baronij. Scripsit etiam Chronicum, quod extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo edit. secundæ. Scripsit quoque quatuor opuscula contra Iconomachos, quæ extant apud Henricum Canisium tomo quarto antiquæ lectionis. Tandem vir sanctissimus propter fidei confessionem in exilio obijt anno Dom. 828.

De Vsuardo. 812.

VSuardus Monachus natione Gallus, Alcuini discipulus, iussu Caroli Magni Martyrologium scripsit satis accuratum, & celebre, quo multæ Ecclesiæ vsæ sunt.

De S. Ludgero. 812.

SAnctus Ludgerus primus Episcopus Monasteriensis, vixit tempore Caroli Magni Imp. de quo illud insigne narratur, quod cum ab Imperatore vocatus semel, atq; iterum ire recusasset, quòd in Dei laudibus recitandis occupatus esset: & ipse apud Imperatorem se purgauit, quod maiori Domino obsequium tunc præstaret, & à pio, & religioso Imperatore mirificè inde laudatus fuit. Scripsit post sanctum Marcellinum, Epistolam egregiã de vita, & miraculis S. Suiberti, quæ extat apud Surium die 1. Martij. Dicitur etiam scripsisse res gestas S. Bonifacij Episcopi, & Martyris, atque Apostoli Germaniæ.

De Aponio. 812.

APonius vir doctus scripsit in Cantica Canticorum Salomonis: quod opus extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 1. edit. 2. & floruisse dicitur an. Dom. 812.

De Eginarto. 814.

EGinartus Cancellarius Caroli Magni, scripsit eius vitam satis diligenter. Scripsit etiam historiam Francorum. Scripsit quoque de translatione sanctorum Petri, & Marcellini prosâ, & versu, quæ extant apud Surium tom. 7. die 2. Iunij. Tandem Monach. & Abbas relicto seculo factus est.

De Paschasio Ratberto. 820.

PAschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis, floruit tempore Paschalis Papæ primi, & Ludouici Imperatoris. Scripsit insignem librum de corpore, & sanguine Domini, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. secundæ. Scripsit etiam vitam sancti Adhelardi Abbatis, quæ est apud Surium die secundo Ianuarij. Scripsit quoque in Threnos Hieremiæ librum, qui editus est Coloniæ anno 1532. Hic auctor primus fuit, qui seriò, & copiosè scripsit de veritate corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia contra Bertramum presbyterum, qui fuit ex primis, qui eam in dubium reuocarunt.

De Claudio Scoto. 820.

CLaudius Scotus vixit tempore Ludouici Pij Imperatoris, cuius expeditionis in Northmannos meminit præfatione Commentarij in Matthæum. Contigit autem ea expeditio anno secundo Ludouici, qui fuit annus Dom. 815. Fertur hic auctor scripsisse

A non solum in Matthæum, sed etiam in Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, & Ruth: an autem hæc extent ignorare me fateor.

De Iona Aurelianensi. 820.

IOnas Episcopus Aurelianensis eodem imperante Ludouico scripsit libros tres, qui extant, aduersus Claudium Episcopum Taurinensem pro defensione sacrarum Imaginum, & signi sanctæ Crucis, & peregrinationum ad loca sancta. Sed hic tamen auctor cautè legendus est, quoniam laborat eodem errore, quo Agobardus, & reliqui eius ætatis Galli, qui negabant sacris Imaginibus vllum deberi cultum religiosum: de qua re, vide Anastasium Bibliothecarium præfatione in septimam Synodum.

B

De S. Theodoro Studite. 820.

SAnctus Theodorus Studites, vir admirandus, & potens opere, & sermone, dimicauit pro cultu sacrarum Imaginum, & contra hæresim defendentem adulterium posse fieri licitum ex dispensatione, vsque ad exilia, carceres, & supplicia varia. Tandem miraculis clarus migrauit in cælum anno Dom. 826. vide Card. Baronium tomo 9. Annalium, vbi fusissimè de hoc sancto viro agit, & sæpè fragmenta epistolarum eius adducit. Scripsit epistolas plurimas, suprà 200. vtilissimas, & doctissimas: quarum duæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tom. 3. edit. secundæ. Extat etiam apud Surium die 16. Decembr. vita sancti Platonis Abbatis, prædecessoris S. Theodori, ab ipso sancto Theodoro Studita conscripta. Extant quoque Catecheses, & homiliæ eiusdem Theodori Studitæ editæ Antuerpiæ interpretibus partim Andrea Scotto Societatis IESV Presbytero, partim Ioanne Liuineio Canonico. Extat denique Oratio de Cruce, eiusdem auctoris in secundo tomo de Cruce Iacobi Gretseri Societatis Iesu.

C

De Halitgario. 830.

HAlitgarius Episcopus Cameracensis, vixit tempore Ludouici Pij, & scripsit libros quinque de vitijs, & virtutibus, & ordine pœnitentium, qui extant apud Henricum Canisium tomo 5. part. 2. antiquæ lectionis.

De Amalario Fortunato. 830.

D

AMalarius Fortunatus Episcopus Treuirensis floruit tempore Gregorij IV. summi Pontificis, & Ludouici Pij Imperatoris, cui libros suos dedicauit. Scripsit libros quatuor de Ecclesiasticis officijs. Item scripsit librum de ordine antiphonarij, in quo semissum fuisse testatur à Ludouico Imperatore ad Gregorium IV. Pontificem.

De Nithardo. 830.

NIthardus Caroli Magni nepos, ex Bertha filia, scripsit libros quatuor de dissidio filiorum Ludouici Pij Imp. incipit, autem ab excessu Caroli Magni, id est, ab anno Dom. 814. & perducit historiam ad annum Do. 843. extat hæc historia cum chronico Frodoardi, & Annalibus Francorum, excusa Parisijs anno Dom. 1588.

De Freculpho Lexouiensi. 830.

FReculphus Monachus S. Benedicti, & postea Episcopus Lexouiensis eodem Ludouico Imperatore floruit. Scripsit enim ad Iuditham Ludouici vxorem libros quinque historiæ vniuersalis ab Orbe condito vsque ad annum Domini sexcentesimum: sed ipse vixit vsque ad annum Dom. 840. in eo autem falsus fuisse inuenitur, quod scripsit tom. 2. lib. 4. cap. 20. Gothos ab Arianis ad fidem Christianam fuisse conuersos. Scribit enim Theodoretus lib. 4. histor. cap. vlt. Gothos ab Vlphila Episcopo fidem Catholicam fuisse edoctos, sed postea tum ipsum Vlphilam, tum eius populos ab Arianis fuisse seductos. neque enim hæretici Paganos conuertere, sed Catholicos peruertere norunt, vt scribit Tertullianus in lib. de præscriptionibus.

De Hilduino Abbate. 830.

HIlduinus Abbas S. Dionysij petente Imperatore Ludouico pio scripsit Areopagitica, quæ extant cum epistolis præfixis Ludouici ad Hilduinum, & Hilduini ad Imperatorem. Reperiuntur hæc apud Surium tomo 5. die 9. Octobris. Sed quod in extremo libro Hilduinus scribit, passum esse sanctum Dionysium anno Domitiani 16. ingruente, & Christi 96. non caret dubitatione: nam S. Ignatius martyrium fecit anno 11. Traiani, teste S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Ignatio. Sanctus autem Dionysius martyrio cõsummatus est post sanctum Ignatium, quem nominatim citat in libro de diuinis nominibus cap. 4. citat autem ex epistol. ad Romanos, quam scripsit sanctus Ignatius illo ipso anno, quo mortuus est. notum verò est Traianum post Domitiani, & successoris eius Neruæ obitum, imperasse. Itaque necesse esse videtur, vt S. Dionysius non sub Domitiano, sed sub Traiano, vel Hadriano, & non anno Christi 96. sed post annum Domini centesimum obierit.

De Theodulpho Aurelianensi Episcopo. 835.

THeodulphus Abbas Floriacensis, ac deinde Episcopus Aurelianensis tempore Ludouici Pij Imperatoris floruit laude ingenij. Scripsit enim multa, & soluta oratione, & versibus; illius est carmen, quod canitur in die Palmarum, Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe redemptor. Multa alia carmina ipsius extant in Bibliotheca SS. Patrum tom. 8. edit. 2. extat etiam apud Card. Baron. tom. 9. Annal. ad annum Dom. 835. epistola lectu digna ad clerum suum Aurelianensem.

De Rabano Episc. Moguntino. 835.

RAbanus Maurus, natione Germanus Abbas Fuldensis, fuit tempore Ludouici Pij Imp. Episcopus Moguntinus creatus est tempore Lotharij eius filij. Obiit anno Dom. 856. tempore Ludouici Iunioris Imp. vir fuit æquè doctus, ac pius. Scripsit multa & versu, & prosa. Edidit commentaria in vniuersam sacram Scripturam vtriusque testamenti. Edidit etiam libros tres de institutione Clericorum, qui extant cum aliis multis similis ar-

A gumenti impressi Coloniæ an. 1568. Sed præter cætera scripsit in flore ætatis suæ opus admirandum soluta, & ligata Oratione de laudibus sanctæ Crucis ad Gregorium IV. Papam anno Dom. 843. quod mortuo Gregorio misit ad Sergium successorem. Extat hoc opus editum studio Iacobi VVimphelingij anno 1501. inter opera Rabani, & Commentarium in Threnos, quod ab aliquibus tribuitur S. Hieronymo; sed verè Rabani est, non Hieronymi, vt diximus suprà.

De Strabo Fuldensi. 840.

STrabus Fuldensis Monachus Rabani discipulus, ex Magistri operibus decerpens explicationes scripturarum, composuit glossam, quæ dicitur ordinaria, in scripturas vtriusque testamenti, quæ postea aucta, & ornata à posterioribus fuit.

B *De S. Eulogio Martyre. 850.*

SAnctus Eulogius Martyr, & Episcopus electus Toletanæ Ecclesiæ, vixit tempore persecutionis Saracenorum, qui Cordubæ sedem Regni constituerant: incidit autem ea persecutio, in qua multi gloriosi martyres compendio mortis sacræ vitam æternam possederunt in annos Domin. 850. & 851. Sanctus igitur Eulogius occasione persecutionis scripsit memoriale martyrum, vbi tribus libris descripsit martyria Cordubensium martyrum.

Item Apologeticum pro martyribus.

Item Epistolas aliquot.

Item documentum siue exhortationem ad martyrium; siue documentum martyriale.

C Extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 9. edit. 2. Tandem & ipse sanctus Eulogius Martyr occubuit anno Dom. 859. Vide Annales Card. Baronij ad hunc annum.

De Haymo Halberstatensi. 850.

HAymo Episcopus Halberstatensis, discipulus quondam Alcuini plurima dicitur scripsisse in omnes scripturæ diuinæ libros. Sed vtrum omnia extent, ignoro.

Extant Commentaria in Psalmos.

Item in epistolas omnes S. Pauli.

Item in Prophetas omnes, & Cantica Canticorum.

Item in Apocalypsim.

Item in Euangelia homiliarum tomi duo.

Item de Christianarum rerum memoria libri tres.

D Obiit anno Dom. 853. ex Annalibus Card. Baronij ad hunc annum. Alij aliter scribunt.

De Angelomo. 850.

ANgelomus Monachus Gallus, floruit Lotharij Imperatoris tempore. Scripsit in quatuor libros Regum, & in Cantica Canticorum, ex antiquis Patribus explicationem.

Porrò præfatione in Cantica laudat Imperatorem Lotharium Angelomus, quod Imperio dimisso Monachus factus sit, & in Monasterio obierit.

De Christiano Druthmaro.

CHristianus Druthmarus Monach. Gallus, scripsit Commentar. in Euangelium S. Matthæi, quod extat impressum anno 1530.

De VVa-

De VValafrido Strabone. 849.

VValafridus Strabo à vitio oculorum sic appellatus, Abbas Augiæ scripsit de rebus Ecclesiasticis librum satis vtilem, qui extat cum alijs similibus libris vna impressis Coloniæ anno Dom. 1568. & postea Romæ anno 1590. Scripsit etiam duos libros de sanctis Gallo Abbate, & Othmaro, qui extant apud Surium die 16. Octobris, & die 16. Nouembris. Claruit tempore Ludouici Pij Imp. & obiisse dicitur anno Dom. 849.

De Simeone Metaphraste. 850.

SImeon Metaphrastes floruit paulò antè annum Dom. 859. siquidem Psellus, qui hoc anno viuebat, orationem habuisse dicitur in funere Simeonis Metaphrastæ. Vide Annales Card. Baronij ad hunc annum. Scripsit vitas Sanctorum per singulos menses, quas habemus latinitate donatas in tomis Aloysij Lipomani, & ex parte apud Surium, de vitis Sanctorum. Illud autem est obseruandum, à Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum multis additis ex proprio ingenio, non vt res gestæ fuerunt, sed vt geri potuerunt: addit enim Metaphrastes multa colloquia, siue dialogos Martyrum cum persecutoribus; aliquas etiam conuersiones astantium Paganorum in tanto numero, vt incredibiles videantur: denique miracula plurima, & maxima, in euersione templorũ, & Idolorum, & in occisione persecutorum: quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Illud quoque obseruandum est, aliquas historias Sanctorum videri additas à posterioribus, & non omnes esse auctoris eiusdem. Inueniuntur enim vitæ aliquæ Sanctorum, qui post obitum Metaphrastæ vixerunt, quod etiam notauit Cardin. Baronius tomo 10. Annalium, ad annum 859.

De Nicolao Papa I. 858.

NIcolaus Papa primus sedere cœpit in Apostolicâ sede anno Dom. 858. & sedit annos 10. Vir fuit sanctitate, & doctrina, nec non magni animi constantia, & virtute præditus. Scripsit epistolas plurimas, quæ extant seorsim ab aliis Pontificijs epistolis in vno magno volumine simul excusæ, quarum præcipua est ad Michaelem Imperatorem, quã ab ipso Pontifice compositam fuisse testatur Anastasius Bibliothecarius in eius vita: & quoniam stylus est idem omnium epistolarum, colligi potest, omniũ esse auctorem eundem Nicolaum, non autem qui ei à secretis erant.

De Photio Episc. Constantinopolitano. 858.

PHotius Episcopus Constantinopolitanus tempore Nicolai Pontificis, & Michaelis Imp. vixit: fuit homo magnæ eruditionis, sed maioris nequitiæ. Scripsit Nomocanonem, qui extat cum interpretatione Balsamonis. Scripsit etiã ingentem Bibliothecam, quæ etiam extat. Vide de eius ambitione, ob quam corrupit epistolas Pontificum Romanorũ, & finxit Synodos, tomum 3. Conciliorum generalium Græcè, & Latinè Romæ excusorum: necnon Card. Baronij tomum 10. Annal.

De Niceta Dauid. 858.

NIcetas cognomento Dauid vixit iisdem temporibus, quibus Photius, & fideliter

A scripsit vitam S. Ignatij Episcopi Constantinopolitani, & simul etiam descripsit vitia Photij, qui S. Ignatium mirè vexauit. Extat liber Nicetæ de vita S. Ignatij Græcè, & Latinè Romæ excusus cum octaua Synodo generali.

De Anastasio Bibliothecario & Abbate. 858.

ANastasius Bibliothecarius, & Abbas Romanus vir doctus Græcè, & Latinè, hoc ipso tẽpore floruit. Scripsit vitas Pontificum Romanorum à S. Petro vsque ad Nicolaum I. vertit in Latinam linguam Concilium 7. generale: & scripsit Latinè Concilium generale octauum, cui ipse interfuit. Vertit etiam in latinum sermonem vitam sancti Ioannis Eleemosynarij.

De Hincmaro Remensi. 860.

B HIncmarus Episcopus Remensis, vixit tempore Nicolai I. Pontificis, ad quem scripsit, & à quo sæpè literas accepit: & tandem obijt anno Dom. 882. cùm sedisset annis 37. teste Frodoardo in historia Remensi. Scripsit epistolam parænecticam ad Carolum Crassum: item aliam de bono regimine ad filios Ludouici iunioris Imperatoris, quarum meminit Frodoardus in eius vita. Extant Epistolæ Hincmari excusæ Moguntiæ anno 1602. Scripsit quoq; vitam S. Remigij Episcopi Remensis, quæ extat apud Surium die 13. Ianuarij, scripsit etiam encomium eiusdem S. Remigij, quod extat apud Surium die 1. Octobr. Scripsit præterea opusculum 55. capitulorum ad Hincmarum Laudunensem. in cuius opusculi
C cap. 20. reiicit septimam Synodum generalem, ex errore, quo tunc multi tenebantur, quòd ea synodus non fuisset habita ex consensu & approbatione sedis Apostolicæ. De quo errore, vide quæ scripsimus in lib. Controuersiarum, de Imaginibus lib. 2. cap. 14. Scripsit præterea idem Hincmarus aliud opusculum de diuortio Lotarij Regis, & Tetbergæ Reginæ, & epistolas varias: quæ omnia edita sunt Lutetiæ Parisiorum anno 1615.

De Ioanne Diacono. 873.

IOannes Diaconus vixit tempore Ioannis Papæ VIII. cui vitam S. Gregorij dedicauit, id est, anno Dom. 873. hoc enim anno sedere cœpit Ioannes VIII. Scripsit hic auctor libros quatuor de vita S. Gregorij Papæ primi in quibus res eius gestas accuratissimè prosecutus est.

De Aimoino. 873.

D AImoinus Monachus Gallus multa scripsisse dicitur, sed nunc extat sola (quod ego sciam) historia de rebus gestis Francorum, quam perducit à primo Rege Faramundo vsque ad obitum Ludouici Pij Caroli Magni filij, & annum Dom. 840. Reliqua vsque ad annum Dom. 1165. ab aliquo alio addita esse videntur.

Ipse enim initio sui operis quatuor tantum libros se scripturum promisit, & quatuor libris comprehendit res gestas Francorum, vsque ad vltima tempora Ludouici Pij. Sed in fine libri quarti dicit, se quintum librum scribere velle de primordiis Ludouici, quæ nimis breuiter perstrinxerat in libro quarto: & in

ipso 5. lib. cap. 17. dicit, se interpretatum Ludouico, quid portenderet dirus Cometes, qui tunc apparuerat: & duobus sequentibus capitibus declarat finem vitæ Ludouici, quæ contigit Christi anno 840. atque ibi existimamus esse finem historiæ Aimoini; neque vllo modo credibile est eũ superuixisse ad ann. Dom. 1165. ad quẽ extenditur eius historia: quare quod dicitur cap. 28. contra 8. Synod. & venerationem Imaginum, nõ videtur Aimoino tribuendum, sed illi, qui historiam eius continuauit.

De Adone Viennensi. 879.

ADo Episcopus Viennensis, scripsit de sex ætatibus mundi Chronicum ab Orbe condito vsque ad annum Dom. 879. Huic Adoni tribuunt aliqui Martyrologium, de quo dicemus in Adone Treuirensi.

De Remigio Antisiodorensi. 890.

REmigius Antisiodorensis Monachus floruisse videtur circa annum Dom. 890. Siquidem Fulco Remensis Episcopus, qui hoc tempore sedebat, ad scholas instaurandas Magistrum Remigium Antisiodorensem Remos aduocauit, vt Frodoardus in eius vita testatur. Fuit hic Remigius vir ea ætate doctissimus habitus. Scripsit Commentaria in Psalmos ex Patribus Ambrosio, & Augustino multa decerpens. Scripsit etiam in duodecim Prophetas. Scripsit quoque de diuinis officijs: quæ omnia opera impressa extãt. Scripsit etiam expositionem Missæ, quæ habetur in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. 2. Scripsit de alijs multis argumentis, quæ, vtrum extent, ignoro.

De Ambrosio Ansberto. 890.

AMbrosius Ansbertus Monachus eodem tempore floruit. Scripsit autem in Apocalypsim, in Psalmos, & in Cantica canticorum. Dicitur etiam scripsisse de cupiditate, & epistolas ad diuersos.

Seculum decimum ab Anno 900. ad 1000.

De Leone Sapiente Imp.

LEo sextus huius nominis Imperator non sine causa Sapiens dictus est. scripsit enim Epistolam insignem ad Regem Saracenorum de Christianæ fidei veritate, & Saracenorũ impietate, vbi disertis verbis Spiritum S. à Patre, & Filio procedere affirmat. Extat hæc epistola in Bibliotheca SS. Patrum tom. 3. Extant etiã in Bibliotheca Vaticana orationes huius Imperatoris plurimæ, quarũ titulos, & vnã integram refert Card. Baron. tomo 10. Annal. ad ann. Dom. 911. quo anno hic Imperat. obijt. Extant hæ orationes latinè redditæ, & Ingolstadij excusæ. Refert quoq; Iacobus Gretserus Societatis Iesu Theologus tomo 2. de Cruce, Orationem alteram eiusdem Leonis de Cruce. Itaque illustrauit hic Imperator hoc seculum, alioqui valdè obscurum.

De Marco Eremita. 906.

MArcus Eremita hoc eodem tempore vixit, quippè, qui Leonem VI. Imperatorem saucium curauit, & decennium vitæ illi prædixit, vt Zonaras, & alij Græci historici narrant. Scripsit multa opuscula Theologica, A quæ extant in Bibliotheca SS. Patrum tomo 5. edit. 2. Sed ea opera ita scatent erroribus contra fidem, vt suspicari cogar, vel ab hæreticis nostri temporis conficta, aut valde deprauata fuisse: neque alia de causa huius auctoris memini, nisi vt admonerem cautissimè esse legendum: non enim desunt alij auctores pij, qui sine tali periculo legi possunt.

De Rheginone Abbate. 908.

RHegino Abbas Prumiensis ad initium anni nongẽtesimi floruisse videtur. Scripsit enim libros duos Chronicorum ab aduentu Domini vsq; ad annum eiusdem Dom. 908. vt ipse testatur initio sui operis. Sed continuauit aliquis alius anonymus vsque ad ann. 967. Dicitur etiam scripsisse de disciplina Christiana libros duos, quos extare non puto.

B

De Radulpho Flauiacensi. 910.

RAdulphus Flauiacensis Monachus floruit anno Dom. 910. Scripsit in Leuiticum libros viginti, qui excusi sunt Coloniæ anno 1536. Scripsit etiam in epistolas sancti Pauli libros 14. pro numero epistolarum.

De Luitprando Ticinensi. 946.

LVitprandus Ticinensis Diaconus, & postea Cremonensis Episcopus, vir fuit multę auctoritatis ob eruditionẽ, & prudentiam. Functus est legatione nomine Berengarij Imperatoris ad Constantinum Imp. Gręcum, anno Dom. 946. cuius legationis ipse meminit: & extat historia huius legationis apud Henricum Canisium tom. 6. antiquę lectionis. Scripsit historiarum libros sex de rebus gestis in Europa suo tempore. Sed Card. Baron. tomo 10. Annal. ad annum Dom. 963. non sine causa suspicatur, à capite sexto sexti libri historiam non esse Luitprandi, sed alicuius anonymi auctoris: id enim vidimus etiam in Rheginone, & in aliis, vt ab aliquo alio continuentur, & extendantur.

C

De VVitichindo. 946.

VVitichindus Monach. Corbeiensis eiusdem temporis auctor scripsit libros tres de rebus Saxonicis, vbi res gestas Othonum Imperatorum describit.

De Stephano Eduensi. 950.

STephanus Eduensis Episc. scripsit de Sacramento altaris, & ijs, quæ ad illud pertinent. Quod opus extat in tom. 6. Bibliothecæ sanctorum Patrum edit. 2. dicitur autem floruisse anno Dom. 950.

D

De Frodoardo. 960.

FRodoardus Abbas Remẽsis, scripsit chronicum Remense ab anno Dom. 919. vsq; ad ann. 966. quo anno creditur obiisse. Extat cum alijs Scriptoribus rerum Gallicanarum ex Bibliotheca P. Pithæi Parisijs anno 1588. excusum.

De Mose Barcepha.

MOses Barcepha Episcopus Syrus, qui dicitur floruisse hoc seculo, scripsit librum de paradiso in partes duas diuisum, qui extat in 1. tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. secundæ, est autem hic liber cautè legendus, quia non pauca affirmat contra veram Theologiam.

Seculum vndecimum ab Anno 1000. ad 1100.

De S. Fulberto Carnotensi.

SANCTVS Fulbertus Episcopus Carnotensis ad initiũ huius seculi floruit. Obiit autem anno 1028. teste Card. Baronio in Annalibus tomo.11.ad hunc annum.

Scripsit epistolas multas ad diuersos, quarum plerasque ponit idem Card. tomo vndecimo. Extat etiam vna ad Adeodatum de Sacramento Eucharistiæ adiuncta libro Paschasij Corbeiensis. Scripsit quoque librum de officiorum Ecclesiasticorum varietate, quem inuenies in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3.edit.2. Extant epistolæ, & alia opera eius impressa Parisijs in octauo, anno 1680.

De S. Burchardo Vormaciensi. 1010.

SAnctus Burchardus Episcopus Vormaciensis eodem tempore vixit, & anno 1026. Obijt sanctè, & religiosè, vt semper vixerat. Scripsit viginti libros decretorum ex Concilijs, & Pontificibus, ac sanctis Patribus.

De Bernone. 1014.

BErno Abbas Augiensis vixit eodem tempore. Ipse enim in libro de rebus ad Missæ officium pertinentibus cap.2. testatur, se interfuisse coronationi Henrici primi Imp. quæ facta est à Bnedicto Papa Octauo anno 1014. Fuit vir doctus, & scripsit vitam S. Vdalrici Episcopi Augustani, quæ extat apud Surium die 4. Iulij. Scripsit etiam de officio Missæ, siue de rebus ad Missam pertinentibus: qui liber extat cum cæteris eiusdem argumenti impressus Coloniæ, & Romæ: & tomo 6. Bibliothecę sanctorum Patrum, edit. 2. ex quo etiam libro cap.2. discimus, hoc primum tempore cœpisse in Romana Ecclesia cani ad Missam Symbolum fidei. Scripsit multas epistolas, & alia opera, quæ vtrum extent, ignoro.

De Glabro Rodulpho. 1040.

GLaber Rodulphus Monachus scripsit historias sui temporis libris quinque, satis accuratè: vbi tamen dicit Conradum Regem obijsse anno Dom. 1041. Videtur Scriptorum vitio positum esse, pro anno vndequadragesimo, id est, tricesimo nono; vt habent alij historici, ac præsertim Hermannus Contractus. Floruit circa annum Dom. 1040.

De Hermanno Contracto. 1050.

HErmannus Contractus à membrorum ferè omnium contractione, & debilitate sic appellatus, filius fuit nobilissimi cuiusdam Comitis, & Monachus Augiensis valde pius. Scripsit de sex ætatibus mundi Chronicum, quod perduxit vsque ad annum Domi. 1052. sed continuatum fuit à Bertoldo vsque ad annum 1065. Scripsisse præterea dicitur Antiphonam, Salue Regina, & Alma Redemptoris: necnon sequentiam illam de Spiritu sancto, Veni sancte Spiritus, & emitte cælitùs lucis tuæ radium, &c. Scripsit alia permulta ad musicam, & Astrolabium spectantia. Vide Chronicum Hermanni auctius apud Henricum Canisium tomo primo, antiquæ lectionis.

A

De S. Leone nono Pontifice. 1050.

SAnctus Leo Papa IX. ex Episcopo Tullensi sedere cępit in Apostolica Sede anno Domini 1049. & sedit annis sex. Itaque obiit anno Domini 1054. scripsit insignem epistolam ad Michaelem Episcopum Constantinopolitanum contra Græcorum errores; quam Sigebertus librum appellat. Scripsit etiam & ad Constantinum Monomachum Imperatorem Gręcorum, & ad alios multos, quæ extant inter Epistolas Summorũ Pontificum, & seorsim apud Card. Baronium tomo vndecimo Annalium: & præter epistolas extant etiam homiliæ, & sermones impresi Louanij anno Dom. millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, & Coloniæ anno 1568.

De Humberto Cardinali. 1054.

B

HVmbertus Cardinalis Episcopus Syluæ candidæ à Leone nono Pontifice Romam ex Tullensi Ecclesia adductus fuit, & ab eo Legatus Constantinopolim missus, cùm esset Græcè, & Latinè doctissimus scripsit librum contra Græcos de azymo, in forma dialogi. Scripsit & alterum de ieiunio Sabbati contra Nicetam pectoratum Græcum: qui duo libri extant apud Card. Baronium in appendice vndecimi tomi Annalium; sed apud Henricum Canisium tom.6. antiquę lectionis, habentur etiam epistolæ Archiepiscopi Constantinopolitani, & Nicetæ, quibus Humbertus respondet. Scriptus est autem prior liber (vt initio dicitur) anno Dom. millesimo quinquagesimo quarto.

De Petro Damiani. 1060.

C

PEtrus Damiani, sic à fratris sui Damiani nomine vocatus, quòd eum, cùm puer esset in magnis angustiis constitutus, loco piissimi parentis habuisset, nobilis Rauennas Monachus fuit Ord. sancti Benedicti, ac deinde S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis. Vixit temporibus Gregorij sexti, & successorum eius vsque ad Gregorium septimum, ad quos omnes epistolas dedit. Vir fuit valdè sanctus, & deuotus, & præcipuè pœnitentiæ, & austeræ vitæ amator ardętissimus, qua de causa non semel à Nicolao secundo Pontifice petiit facultatem dimittendi Ecclesiam Ostiensem, & redeundi ad Eremum, sed nõ impetrauit, postea tamen Alexando II. Pontifice inuito, Ecclesia dimissa ad Eremum confugit, sed Alexander nec successorem ei dedit nisi post mortem, &

D

Legationem illi iniunxit, vt Episcopo Cardinali, qua legatione obita, cùm rediret, vitam finiuit, anno Domini 1072. teste Bertoldo in additione ad Hermannum Contractum, ex quo refellitur fabula Helenandi & Vincentij Bellouacensis, de pœnitentia centum annorum illi imposita à Gregorio septimo Papa, obiit enim Petrus antequam Gregorius septimus Pontifex eligeretur; quamuis autem Petrus seueræ vitę cupidissimus esset, erat tamen interim non infacetus, nec ludendi, ac falsè carpendi artem ignorabat, vt intelligi potest ex versibus ad Alexandrum Papam, & ad Hildebrandum Cardinalem, quos refert Cardin. Baronius in Annalibus ad annum Domini millesimum sexagesimum primum. Scripsit

epistolas plurimas, & sermones permultos; quæ duo opera typis nuper mandauit Romæ Donnus Constantinus Caetanus Ord. sancti Benedicti Monachus. Scripsit etiam opuscula non pauca, quæ inueniuntur in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo tertio, editionis secundæ. Scripsit etiam vitam sancti Odilonis Abbatis, quæ extat apud Surium primo die Ianuarij: & vitam sancti Romualdi apud eundem Surium die 19. Iunij, & sancti Dominici Loricati apud eundem Surium die decimoquarto Octobris.

Obseruatio prima.

In epistola ad Dominicum cap.5. narrantur quædam leuiora de animabus defunctorum, quæ die Dominico refrigerium pœnarum videntur habere; & in figura auicularum de lacu auerni exire cernuntur: quæ fabulis fortasse similiora sunt, quam historiæ.

Obseruatio secunda.

In epistola ad Firminum Episcopum liberius, quam par esset, videtur auctor reprehendere sanctum Leonem nonum propter bellum contra Northmannos: neque enim illicitum est Summo Pontifici armis defendere Ciuitates in quas dominium temporale habet: de qua re vide tomum 11. Card. Baron. ad annum Domini 1053.

Obseruatio tertia.

In epistola ad Henricum Rauennæ Episcopum, quæ epistola dicitur etiam liber gratissimus, cap.4. scribit auctor, Christum anno 30. in baptismo factum esse Sacerdotem: & cap.16. Scribit Liberium Papam fuisse hæreticum, & seditiosum; quæ falsa sunt: Christus enim in conceptione habuit omnem gratiam, & dignitatem: & Liberius hæreticus non fuit, vt ostendi in lib.4. de Pontifice, cap.9.

De S. Gregorio Papa VII. 1050.

SAnctus Gregorius floruit tempore Leonis IX. cœpit autem sedere in Apostolica Sede anno 1073. & non solum doctrina, & prudentia, sed etiam sanctitate, & miraculis gloriosus fuit: dedit ad varios ingentem numerum Epistolarum, quarum aliquam partem non ingenio, vel manu secretariorum, sed à se propriè compositas, & scriptas ipse testatur.

De Lanfranco, & Adelmanno. 1059.

LAnfrancus Archiepiscopus Cantuariensis vir sanctus, & doctus in Concilio Romano sub Nicolao secundo Pontifice anno 1059. disputauit cum Berengario hæresiarcha, eumque ita conuicit, vt Berengarius librum suum in ignem iniecerit. Sed eo ad vomitum redeunte, scripsit idem Lanfrancus insignem librum de veritate corporis Domini in Eucharistia: qui liber extat, & seorsim excusus, & in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit.2. Dicitur etiam idem Lanfrancus scripsisse in psalmos Dauid, & in epistolas sancti Pauli.

Eodem tempore Adelmannus Episcopus Brixiensis, qui aliquando Berengario Diacono Andegauensi comes fuerat, & condiscipulus sub disciplina sancti Fulberti Carnotensis Episcopi, scripsit epistolam valdè eruditam ad Berengarium de veritate corporis Domini in sacrosancta Eucharistia, quæ extat in Bibliotheca SS.Patrum tom.6. edit.2.

De Guitmundo Episcopo Auersano. 1070.

GVitmundus Episcopus Auersanus vixit Gregorio VII. summo Pontifice, vt ipse testatur initio primi libri de Eucharistia. Scripsit libros tres de corpore, & sanguine Domini in Eucharistiæ Sacramento: Nec solum veritatem confirmauit, sed etiam argumenta contraria doctè, solideque destruxit. Scripsit etiam confessionem de sancta Trinitate, Christi humanitate, & corporis Domini veritate: quę extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo sexto, editionis secundæ, & etiam seorsim cum Lanfranci, & Algeri libris excusa. Vnum est, in quo Guitmundus reprehendi solet, quod libro 2. timuerit concedere, species Sacramentales verè posse corrumpi, & putrefieri, quæ potuisset admittere, sine vlla iniuria corporis Dominici fieri.

De Georgio Cedreno. 1070.

GEorgius Cedrenus historicus Græcus, scripsit compendium historiarũ ab Orbe condito vsque ad annum Dom. 1057. quod opus extat Græcè & Latinè.

De Adone Treuirensi. 1070.

ADo Episcopus Treuirensis floruit tempore Gregorij VII. & scripsit egregiũ Martyrologium, quod habetur ad finẽ septimi tomi Vitarum Surij. sed non desunt, qui ambigant, an hoc martyrologium sit Adonis Treuirensis, an potius Adonis Viennensis. Nam Card. Baronius in præfatione ad Martyrologium Romanum cap.9. tribuit hoc Martyrologium Adoni Treuirensi: sed in Annalibus tomo 10. ad annum Dom. 870. tribuit Adoni Viennensi. & in vltima editione Antuerpiensi Adonis Viennensis, eidem tribuitur hoc ipsum Martyrologium. Sed multum me mouet auctoritas Aloysij Lipomani, qui primus ex manuscriptis codicibus in lucem edidit hoc Martyrologium, sub nomine Adonis Treuirensis.

De Adamo Bremensi Canonico. 1070.

ADam Bremensis Canonicus viuebat anno Domini millesimo septuagesimo, vt ex historia ipsius colligitur. Scripsit historiam Ecclesiasticam quatuor libris distinctam, in qua propagationem religionis Christianæ in Regnis Septentrionalibus descripsit à Carolo Magno vsque ad Henricum quartum. Addidit ad finem historiæ libellum de situ Daniæ.

De Ioanne Curopalate. 1070.

IOannes Curopalates scripsit historiam ab anno Domini 811. vsque ad annum 1081. extat cum varijs Cassiodori, excusus Venetijs anno 1570.

De Theophylacto. 1071.

THeophylactus Archiepiscopus Bulgarorum vixit tempore Alexandri Papæ secundi, & Romani Diogenis Imperatoris circa annum Domini millesimum septuagesimum primum, vt Card. Baronius demonstrat ex epistolis ipsius Theophylacti. Scripsit

in Pro-

in Prophetas minores, Oſeam, Ionam, Naum, & Abacuc. Scripſit in quatuor Euangelia, & in omnes epiſtolas ſancti Pauli, in quibus Commentarijs in Euangelia, & in epiſtolas, ita Chryſoſtomum ſecutus eſt, vt Chryſoſtomi abbreuiator dici poſſit.

Porrò ſchiſmaticum fuiſſe Theophylactum intelligi poteſt ex Commentario in cap. 3. Ioannis, vbi Latinos reprehendit, quòd credant Spiritum ſanctum à Filio etiam procedere.

De ſancto Anſelmo Lucenſi. 1077.

SAnctus Anſelmus Mantuanus, Epiſcopus Lucenſis ab Alexandro ſecundo creatus, ac deinde, cùm in Monaſterium ſe abdidiſſet, à Gregorio ſeptimo ad Epiſcopatum reuocatus ſanctitate, & miraculis clarus obijt anno Domini 1086.

Scripſit libros duos ex Patrum ſententijs, pro Gregorij VII. decreto, & rebus geſtis contra Henricum Imperatorem, & contra Guibertum Antipapam, qui extant apud Henricum Caniſium tomo 6. antiquę lectionis.

Scripſit quoque in lamentationes Hieremiæ, & in Pſalmos aliquot explicationem: quæ duo poſteriora opera vtrum extent, ignoro: poſt obitum innumeris miraculis floruit: vide Annales Cardin. Baronij ad annum 1086. tomo 11.

De ſancto Anſelmo Cantuarienſi. 1081.

SAnctus Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus factus eſt anno Domini 1093. tempore Vrbani ſecundi Pontificis & Henrici tertij, alias, quarti Imperatoris. Vir fuit natione Italus, profeſſione Monachus, ingenio acerrimo, & ſanctitate admiranda cum maxima prudentia, & humilitate coniuncta, diſcipulus, & ſucceſſor Lanfranci, de quo paulò ante diximus. eius vita ab Edinero fideliter conſcripta apud Surium extat die 21. Aprilis: obijt feliciter anno ætatis 76. ſalutis 1109. niſi ſit error in notis, & ſcribendum ſit 1106. vixit enim annos tredecim in Epiſcopatu, & creatus fuerat Epiſcopus anno Domini 1093. quæ omnia ex ipſo Edinero conſtant. Scripſit multa opera, ſed multo plura ei falſo attribuuntur. Adſcribam hic primum ea, quæ Edinerus familiaris eius annotauit, & ipſo ordine, quo ab Anſelmo ſcripta fuiſſe narrat Edinerus.

Primo igitur ſcripſit libros tres.

De veritate, 1
De libero arbitrio, 1
De caſu Diaboli, 1

Deinde ſcripſit alios tres.

Monologij, librum 1
De Grammatica, 1
Proſologij, 1

Scripſit paulò poſt reſponſionem ad quendam reprehenſorem ſuum, præmiſſa ipſa reprehenſione. Hi libri inſcribuntur, Pro inſipiente, &, contra inſipientem: atque hæc opera antequam Archiepiſcopus fieret, compoſuit. Deinde Archiepiſcopus factus ſcripſit librum vnum de Incarnatione Verbi, quem Vrbano Papæ obtulit, quique illi gratiſsimus fuit.

Scripſit deinde apud Capuam in Italia librum, quem in Anglia inchoauerat, qui inſcribitur, Cur Deus homo. Poſtea Lugduni in Gallia ſcripſit duos libros.

De conceptu Virginali, & peccato originis, lib. 1
De meditatione redemptionis humanæ, 1

Non procul à fine vitæ ſcripſit in Anglia,

De concordia præſcientiæ, prædeſtinationis, & gratiæ Dei cum libero arbitrio.

Et cum moreretur, dixit, optare ſe adhuc modicum temporis, vt quæſtionem obſcuriſſimam de origine animæ, quam cœperat, abſolueret: ſed hoc tempus datum ei non eſt, vt maius bonum ei in æternitate daretur.

Scripſit denique multas epiſtolas tum ante Archiepiſcopatum, tum poſtea, quarum duodecim extant. Hæc omnia opera extant ſæpius excuſa, excepto vltimo, & de his nulla queſtio fieri debet. Nunc ſubijciam opera, quæ feruntur ſub nomine ſancti Anſelmi, tribus tomis diſtincta.

In primo Tomo.

Commentaria in Matthæum, & lectiones, ſiue explanationes in varia loca Euangeliorum.

In ſecundo Tomo ſunt.

Commentaria in Epiſtolas ſancti Pauli.
Commentaria in Cantica, & in Apocalypſim.

In tertio Tomo ſunt.

Opuſcula, & Epiſtolæ: & quidem opuſcula præter ea, quę ex Edinero poſuimus, hæc ſunt.

De proceſsione Spiritus ſancti, lib. 1
De fermentato, & azymo, 1
De diuerſitate Sacramentorum, 1
De ſimilitudinibus, 1
De voluntate Dei, 1
De miſeria hominis, 1
De menſuratione Crucis, 1
Meditationum libellus, 1
De veſtimentis, membris, & actibus Deo tributis, 1
De Paſsione Domini Dialogus, 1
Speculum Euangelici ſermonis, ſiue ſtimulus amoris, 1
Homilia de Aſſumptione in illud, Intrauit Ieſus, 1
De excellentia B. Virginis Mariæ, 1
De imagine mundi, 2

Obſeruatio prima.

De Commentario in Matthæum, & lectionibus in varia loca Euangeliorum, ambigo an ſint ſancti Anſelmi: non enim credibile eſt, ab Edinero potuiſſe omitti, qui tam minutè opuſcula numerauit. Ad hæc, in editione Pariſienſi anni 1544. in qua dicuntur eſſe omnia opera ſancti Anſelmi; Commentarius in Matthæum non inuenitur. Nihil tamen definio, ſed ſuſpicionem meam aperio.

Obſeruatio ſecunda.

Commentaria in Epiſtolas ſancti Pauli in editione Pariſienſi anni milleſimi quingenteſimi quadrageſimi quarti tribuuntur Heruæo non Anſelmo: & videtur iſta inſcriptio verior. Primo, quia hoc opus tam prolixum, & magnum ab Edinero non numeratur inter opera ſancti Anſelmi. Secundo, quia Heruæi habet vetus inſcriptio. Tertio, quia iſta Commentaria contexta ſunt ex aliorum explana-

tionibus, & sæpe leuiora sunt, quàm esse soleant scripta sancti Anselmi.

Commentaria in Cantica, & in Apocalypsim, tribui solent Anselmo Laudunensi, sed facilè fieri potuit, vt propter nominis similitudinem opera vnius sint attributa alteri, præsertim cùm Edinerus horum Commentariorum non meminerit.

Obseruatio tertia.

Ex opusculis, quæ in Edinero non inueniuntur apertis verbis, videntur admittenda vt germana sancti Anselmi opera, illa tria, quæ sunt contra Græcos, videlicet, De processione Spiritus sancti, De azymo, & fermentato, & de diuersitate Sacramentorum. Scribit enim Edinerus lib. 2. sanctum Anselmum iussu Vrbani Papæ in Concilio Barensi disputasse cum Græcis, eosque apertissime conuicisse: & credibile est eas disputationes ab eodem Anselmo literis fuisse mandatas. adde, quod opusculum de azymo, & alterum de diuersitate Sacramentorum, habent stylum Anselmi, & præfixam epistolam Anselmi ad Valramum Episcopum, vt ex initio librorum constat, & in priore libro fit mentio libri De processione Spiritus sancti ab eodem Anselmo conscripti.

Item opusculum, quod inscribitur, stimulus amoris, videtur esse illud de quo Edinerus in princ. lib. dicit Anselm. scripsisse precationes suas ad Deum: hoc enim opusculum nihil aliud continet, nisi pias precationes ad Deum per omnes articulos vitæ, & Passionis Christi.

Eodem pertinet libellus meditationum, qui solas preces continet.

Opusculum de vestimentis, & membris, & actibus Deo tributis, præterquam quod non habetur apud Edinerum, habetur inter libros sancti Hieronymi, & sancti Augustini, sub alio titulo, sed neque illorum Patrum est, vt supra diximus. Inter opera sancti Hieronymi inscribitur, de his quæ Deo in Scripturis attribuuntur. In operibus vero sancti Augustini inscribitur, de essentia diuinitatis.

Dialogus de Passione Domini non est S. Anselmi, sed alicuius indocti hominis, qui multa inepta, & aliqua falsa scribit: & ipsum Anselmum, vocat beatum Anselmum, quem titulum ipse sibi nunquam tribuisset.

Homilia de Assumptione B. Virginis extat etiam inter Homilias ab Alcuino collectas, Alcuinus autem præcessit Anselmum ferè trecentis annis.

Opusculum de excellentia B. Virginis non videtur Anselmi, non solum quia eius non meminit Edinerus, sed etiam quia non habet stylum, neque grauitatem Anselmi.

Opusculum de similitudinibus non est Anselmi, sed alicuius discipuli eius: nam in vltimis capitibus vocat Anselmum Patrem suum, & multa narrat de eius verbis & factis.

Opusculum de Imagine mundi tribui solet Honorio Incluso, & continet multa fabulosa, & inepta, indigna, quæ tribuantur Anselmo.

Opusculum de voluntate Dei breuissimum est, & nihil habet Anselmi ingenio dignum.

Opusculum de commensuratione Crucis, ambigo cuius sit, cum eius non meminerit Edinerus.

Obseruatio quarta.

Sixtus Senensis in sua Bibliotheca tribuit sancto Anselmo explicationem in Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, & Iudices: sed vnde hoc habeat, diuinare non possum, cùm tanta opera Edinerum latuerint.

De Anselmo Laudunensi. 1077.

ANselmus Laudunensis Scholasticus S. Anselmi Cantuariensis æqualis, aut paulò iunior scripsit glossam interlinearem, quæ extat cum glossa ordinaria, & Lyrani. Eidem (vt paulò ante diximus) tribuuntur Commentaria in Cantica, & in Apocalypsim, quæ habentur inter opera sancti Anselmi.

De Bertoldo Constantiensi. 1077.

BErtoldus Constantiensis, historicus fidelissimus, & pius, continuauit Chronicum Hermanni contracti vsque ad annum 1065. & præterea scripsit historiam, siue Chronologiam rerum gestarum sui temporis vsque ad annum Domini 1100. quo tempore putatur etiam obijsse.

De Micrologo. 1077.

MIcrologus, quem aliqui Ioannem Micrologum nominant, scripsit librum de Ecclesiasticis obseruationibus, qui extat cum alijs similibus Coloniæ, & Romæ excusis: vixit autem tempore Gregorij VII. & Anselmi Episcopi Lucensis: nam cap. 17. sui operis dicit, Anselmum Lucensem Episcopum obseruasse in Missa celebranda ritum quendam Gregorij VII. & sibi atque alijs obseruandum commendasse. & cap. 14. dicit, suo tempore Gregorium VII. in Sede Apostolica sedisse.

De OEcumenio, & Olimpiodoro.

OEcumenius, & Olimpiodorus Græci scriptores, scripserunt catenas ex antiquis Patribus: ille in Acta Apostolorum, & Epistolas sancti Pauli, iste in Iob: quo tempore floruerit non omnino constat; alij enim collocant eos iter annum 800. & 900. alij post annum millesimum. Scripsit præterea Olympiodorus Commentarium in Ecclesiastem, quod extat in primo tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum, editionis secundæ. Extat in eodem primo tomo catena quædam in Epistolam ad Romanos sub nomine Theoduli Presbyteri Cælesyriæ. Sed Theodulus ille multo antiquior est ipso OEcumenio, qui in hac catena citatur; imò ista catena ex OEcumenio videtur tota excerpta, & quasi compendium esse catenæ OEcumenij in epistolam ad Romanos.

Porrò Theodulus presbyter Cęlesyrię obijt sub Zenone Imperatore, teste Gennadio de viris Illustribus.

De Lamberto Schafnaburgensi. 1077.

LAmbertus Schafnaburgensis insignis, & verax historicus, præsertim cùm de contentione inter Gregorium VII. Papam, & Henricum tertium Imperatorem agit. Scripsit historiam Germanicam, & incipit ab

Orbe

Orbe condito vſque ad annum Domini 1077. Sed continuauit Monachus quidam Erphesphordenſis, cuius nomen proprium ignoratur, vſque ad annum Domini 1472.

De Ingulpho Anglo. 1097.

INgulphus Abbas in Anglia viuebat anno Domini 1050. vt ipſe teſtatur in fine hiſtoriæ ſuæ: ſed ſuperuixit vſque ad annum Domini 1100. Scripſit hiſtoriam Monaſteriorum Angliæ, quæ ampliſsima erant, ſed attingit multa, quæ ad res geſtas Regum Angliæ pertinent. Incipit ab anno Domini 664. & deſinit anno Domini 1067. quo Rex VVilelmus primus regnare cœpit. Extat hic auctor cum alijs, qui de rebus Anglicanis ſcripſerunt.

De Mariano Scoto. 1083.

MArianus Scotus Monachus Fuldenſis ſcripſit libros tres chronicorum ab initio mundi vſque ad annum Domini 1083. Sed primus liber caret principio: deſcribit hiſtoriam vniuerſalem ſatis diligenter. Continuauit eius hiſtoriam Dodechinus Abbas ſancti Dyſibodi vſque ad annum Domini 1200.

De B. Brunone. 1088.

B Bruno Carthuſianorum inſtitutor, Colonienſis, vir doctiſsimus habitus eſt, vt teſtantur multa encomia ſapientiæ ipſius apud Surium die 6. Octobris. Vixit tempore Vrbani ſecundi Pontificis, à quo Romam vocatus fuit ex Carthuſia. Obijt autem anno Domini 1101. ex vita eius apud Surium. Scripſit multa, quæ extant impreſſa Pariſijs apud Iodocum Aſcenſium: præcipua eſſe videntur Commentaria in Pſalmos, & Commentaria in Epiſtolas ſancti Pauli.

De Iuone. 1088.

IVo Carnotenſis Epiſcopus vixit tempore Vrbani ſecundi, ad quem extant epiſtolæ: ſed ſuperuixit vſque ad annum Domini milleſimum centeſimum decimumquartum. Scripſit volumen decretorum. Scripſit etiam de diuinis, & Eccleſiaſticis officijs, & præcipuis feſtis diebus ſermones viginti vnum, qui extant excuſi Coloniæ cum alijs ſimilibus libris. Scripſit quoque librum de corpore Domini, qui extat in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo tertio. Scripſit denique epiſtolas multas ad varios, quarum nonnullas refert Cardin. Baronius tomo vndecimo & duodecimo Annalium. Fertur etiam ſub Iuonis nomine Pannormia, ſeu potius Pannonia: ſed ea Pannomia non dicitur Iuonis, quia ſit ab Iuone compoſita, ſed quia ſit ex decreto Iuonis maxima ex parte deſumpta: eſt enim Pannomia quaſi compendium decreti Iuonis. & ideo mirum videri non debet, quod libro 8. multa ſint decreta ex Innocentio ſecundo Papa, & ex hiſtoria Sigeberti, qui fuerunt Iuone poſteriores.

De Samuele Marochiano. 1090.

SAmuel Marochianus ex Iudæo Chriſtianus ſcripſit vtiliſsimam epiſtolam, ſiue librum de aduentu Meſsiæ, & de ijs, quæ Iudæi moderni negant, & ob quæ in Iudaiſmo obſtinatè perſeuerant. Scripſit autem, vt ipſe

A teſtatur, poſt mille annos ab vltima euerſione Ieroſolymæ ſub Tito Imp. id eſt, poſt annos mille ſeptuaginta duos à natali Domini. Extat hic liber in tomo 4. Bibliothecæ ſanctorum Patrum, editionis ſecundæ, & etiam ſeorſim excuſus inuenitur.

Seculum duodecimum ab Anno 1100. ad 1200.

De Leone Oſtienſi. 1101.

LEo Marſicanus Epiſcopus Oſtienſis factus à Paſchali ſecundo, ſub eodem obijt ad initium anni 1110. Scripſit chronicum Monaſterij Caſsinenſis à ſancto Benedicto vſque ad Deſiderium Abbatem, qui fuit poſtea Victor Papa tertius. In quo chronico non pauca attinguntur ad hiſtoriam Eccleſiaſticam il-
B lorum temporum valde vtilia.

De Zacharia Chryſopolitano. 1101.

ZAcharias Epiſcopus Chryſopoleos vixit tempore Paſchalis ſecundi Pontificis ad initium anni 1101. & ſcripſit in quatuor Euangelia quatuor libros Commentariorum.

De Sigeberto Hiſtorico. 1101.

SIgebertus Monachus Gemblacenſis vixit tempore Gregorij ſeptimi Pontificis, & obijt tempore Paſchalis ſecundi circa annum Domini 1112. Scripſit chronologiam, quę extat cum alijs hiſtoricorum Germanorum libris ab anno Domini 381. vſque ad annum 1111. continuauit Sigebertum Robertus de Monte vſque ad annum Domini 1210.

C Porrò Sigebertus in ſua Chronologia iniquior fuit Gregorio ſeptimo ob ſtudium erga Imperatorem: qua de cauſa non pauca mentitus eſt, & præſertim cùm narrat obitum ipſius Gregorij.

Scripſit præterea duos libros de viris Illuſtribus, inter quos ſe ipſe poſuit, & opuſcula ſua diligentiſsimè numerauit. Inter quæ opuſcula vnum inuenitur contra epiſtolam Gregorij ſeptimi ad Epiſcopum Metenſem, & alterum contra epiſtolam Paſchalis ſecundi, quę opuſcula meritò ab Eccleſia Catholica interdicta fuerunt.

Scripſit quoque, vt ipſe teſtatur, librum contra eos, qui calumniantur Miſſas coniugatorum Presbyterorum qui liber perijſſe videtur, & iure: indignus enim erat, qui lucem
D aſpiceret. Neque enim Gregorius ſeptimus in cuius odium liber ille ſcriptus erat, reprehenderat Miſſas coniugatorum Presbyterorum, ſed Miſſas concubinariorum Presbyterorum: neque vetuerat Gregorius, Miſſas eiuſmodi concubinariorum audiri, quod exiſtimaret illas non eſſe veras Miſſas; ſed quod iudicaret concubinarios indignos eſſe, qui Miſſam celebrarent, & qui à fidelibus populis frequentarentur. Quod autem liber ille Sigeberti in defenſionem concubinariorum Sacerdotum, ſcriptus eſſet contra Gregorij Papæ edictum; perſpicuum eſt ex ipſa eius chronologia ad annum Domini 1074. vbi dicit, à Gregorio ſeptimo prohibitos fuiſſe vxoratos Sacerdotes diuina officia celebrare, nouo exemplo, & inconſiderato, &c. Sed in defenſio-

nem Gregorij Papæ contra calumnias Sigeberti, scripsit sanctus Anselmus in epistola ad Gulielmum Abbatem, quæ est numero octaua, vbi sic ait, De Presbyteris, inquit, qui se apertè reproba libidinis conuersatione Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum est, quod Apostolica prouidentia Ecclesiastico, iustoque rigore constituit. Nempe nullatenus conuenit, vt ibi reuerenter adstent, vbi pertinaciter aperta, & impudenti libidine fœtentes Dei, & Sanctorum prohibitionem contemnendo, sacris altaribus deseruiunt, imò non deseruiunt, sed quantum ad ipsos, commaculant: non quo quis ea, quæ tractant contemnenda, sed tractantes execrandos existimet: vt quæ Dei, & Angelorum præsentia non reuerentur, vel hominum detestatione repulsi, sacra contaminare desistant.

De Gofrido Vindocinensi. 1101.

GOfridus Abbas Vindocinensis, & Cardinalis tit. S. Priscæ ab Vrbano secundo creatus vixit vsque ad extrema tempora Honorij secundi, vt constat ex epistola Innocentij ad ipsum. Scripsit epistolarum libros quinque, Opuscula quindecim, & sermones duodecim: quæ omnia extant excusa Parisijs anno 1610. Opera Iacobi Sirmundi è Societate IESV.

De Berengosio Abbate. 1112.

BErengosius Abbas scripsit de inuentione sanctæ Crucis libros tres: item librum de mysterio ligni Crucis: & sermones variorum argumentorum, quæ omnia extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo secundo editionis secundæ.

Hunc Prior Carthusię Treuirensis, qui eum in lucem edidit, existimat illum Berengosium esse, qui fuit Abbas sancti Maximini tempore Paschalis secundi Pontificis, & Henrici quarti Imperatoris.

De Euthymio Zigabeno. 1118.

EVthymius Zigabenus Monachus vixit tempore Alexij Conneni Imperatoris, vt ipse testatur initio Panopliæ.

Scripsit Panopliam aduersus omnes hæreses, & parte secunda tit. vigesimo tertio describit errores Basilij auctoris Bogomilum, quem Alexius Imperator comburi iussit in equestri theatro.

Scripsit etiam Commentaria in omnes Psalmos, & in quatuor Euangelia. Falluntur, qui hunc auctorem floruisse scribunt anno Domini quadringentesimo quadragesimo, vel millesimo centesimo octogesimo, floruit vero anno millesimo centesimo decimo octauo, quo Alexius Imperator obijt.

De Ioanne Zonara. 1118.

IOannes Zonaras Monachus Græcus scripsit libros tres annalium, quibus complexus est historiam vniuersalem ab orbe condito vsque ad exitum Alexij Conneni Imperatoris Græcorum, qui obijt anno Domini millesimo centesimo decimo octauo.

Scripsit etiam Commentaria in Nomocanonem Photij.

De Ruperto Tuitiensi. 1119.

RVpertus Abbas Tuitiensis vixit tempore Paschalis secundi Pontificis, & Henrici quarti dicti quinti Imperatoris circa annum Domini millesimum centesimum vndecimum: hunc enim annum ipse notat libro 8. de diuinis officijs cap. 4. Scripsit multa opera quorum catologum ipse ponit in epistola dedicatoria ad Cunonem Episcopum Ratisponensem, cui dedicat libros de diuinis officijs.

Opera eius hæc sunt.

De diuinis officijs, lib.	12
In Iob Commentariolum abbreuiatum,	10
In Ioannem Euangelistam,	14
De operibus sanctæ Trinitatis,	42
In Apocalypsim,	12
In duodecim Prophetas minores,	30
De victoria Verbi,	13
De gloria & honore filij hominis secundum Euangelium Matthæi,	8
De glorioso Rege Dauid ex lib. Regum,	11
In Cantica Canticorum,	7

Obseruatio prima.

Libri de officijs diuinis olim carebant nomine auctoris; nam, vt testatur Thomas Valdensis lib. de Sacrament. cap. 47. 65. & 93. extabat suo tempore liber, siue opus de diuinis officijs, ex quo Ioannes VViclef hæresiarcha mirificè triumphabat, & Catholicos vexabat, nunc sancti Ambrosij, nunc sancti Isidori, nunc sancti Fulgentij nomine eum librum venditans. Itaque Catholici diu libri eius auctorem quærentes suspicati sunt, auctorem fuisse quendam Valramum, ad quem scripsit sanctus Anselmus librum de azimo: hinc postea Dominicus à Soto, Claudius Sanctius, Gulielmus Alanus Cardinalis, & alij, auctorem erroris de impanatione fecerunt Valramum: Sed reuera opus illud de diuinis officijs à VViclefo citatum, non est Valrami, qui nihil eiusmodi vsquam scripsisse legitur, sed Ruperti Tuitiensis Abbatis, de quo nunc agimus: siquidem initium illius operis, quod à VViclefo citabatur apud Valdensem erat, Ea quæ per anni circulum: & hoc ipsum est initium librorum Ruperti de officijs diuinis. Deinde omnia, quæ citabat VViclefus ex auctore de diuinis officijs, inueniuntur ad verbum in lib. 2. de officijs diuinis cap. 2. & cap. 9. apud Rupertum. Propterea errores istius libri, inueniuntur etiam in libris Ruperti in Exodum, & in Ioannem, vt plane constet eundem esse auctorem omnium istorum librorum. Denique Algerus libro 1. de Sacramento Eucharistiæ cap. 6. dicit tempore suo exortam nouam hæresim, & absurdissimam de impanatione. Atqui Rupertus vixit eodem seculo, quo Algerus, & erat Algero paulò Senior: & hic ipse error, quem Algerus notat habetur in secundo lib. cap. 2. & cap. 9. de officijs diuinis apud Rupertum. Atque hæc videtur esse causa, vt opera Ruperti Tuitiensis alioqui non mala, nec indocta, iacuerint sine luce, & honore in tenebris obliuionis, annis circiter quadringentis: nam nostro primum tempore cœperunt lucem aspicere.

Obser-

Obseruatio secunda.

Error Ruperti in eo situs est, quòd existimauit, non conuerti panem in corpus Christi dum conficitur Eucharistia, sed assumi à Verbo Diuino, quemadmodum assumpta est humanitas. Id perspicuum est ex libro sexto in Ioannem, vbi Rupertus dicit, Verbum factum esse hominem, non destruendo, sed assumendo humanitatem: & eodem modo in Eucharistia idem verbum fieri panem non destruendo, sed assumendo panem. & similia habet lib. 2. in Exodum cap. 10. sed clarissime lib. 2. de officijs diuinis cap. 2. cùm sic ait, Nec duo corpora dicuntur, aut sunt, hoc quod de Altari, & illud quod acceptum est de vtero Virginis: quia videlicet vnum idemque Verbum, vnus idemque Deus sursum est in carne, hic in pane: & cap. 9. sic, inquit, Verbum Patris carni, & sanguini, quem de vtero Virginis assumpserat, & pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interueniens, vnum sacrificium efficit. quod cum in ora fidelium Sacerdos distribuit, panis & vinum absumitur, & transit: partus autem Virginis cum vnito sibi Verbo Patris & in cælo, & in hominibus integer permanet, & inconsumptus: hæc ille, vbi cum dicit, permanere in cælo, & in hominibus partum Virginis Verbo Patris vnitum; intelligit, permanere in hominibus per fidem, non re ipsa: statim enim subiungit, Sed in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis, & vini nihil de sacrificio peruenit. hæc ille. Hunc errorem explicuimus, & refutauimus libro 3. de Sacramento Eucharistiæ cap. 11. & 15.

De Algero Scholastico. 1130.

Algerus Scholasticus Leodiensis, ac postea Monachus Cluniacensis floruit circa annum Domini millesimum centesimum trigesimum. Scripsit varia opuscula de gratia, & libero arbitrio, & de Misericordia, & iustitia. Sed præcipuum eius opus est de corpore & sanguine Domini contra Berengarium, quod tribus libris comprehensum valdè laudatur à venerabili Petro Cluniacensi, qui initio libri de sacrificio dicit, Lanfrancum scripsisse de Sacramento Eucharistiæ, bene, planè, perfectè: Guitmundum, melius, plenius, perfectius; Algerum, optimè, plenissimè, perfectissimè. Sed tamen obseruandum est, hunc Algerum lib. 2. cap. 1. non rectè scripsisse species Sacramentales non posse corrumpi, vel rodi à muribus, &c. quod etiam notauimus in Guitmundo, à quo id videtur Algerus accepisse. sic etiam cap. 8. perperam citauit Algerus sanctum Augustinum, cùm ait, Vnde, vt ait Augustinus, nec caro sine sanguine, nec sanguis sine carne ritè communicatur. Hæc enim non sunt Augustini, sed Paschasij in libro de corpore Domini cap. 14. Denique cap. 10. videtur Algerus velle, esse de iure diuino, vt sacrificium Missæ celebretur in azymo: quod non est verum, alioquin Ecclesia non toleraret eos, qui celebrant in fermentato. Hæc notare volui, non vt imminuam gloriam Algeri, qui magno zelo veritatem sua ætate defendit: A sed ne lector offendiculum incurrat in legendo opere isto, alioqui valde bono, cum sit commune mortalibus aliquando labi. Extat hoc opus Algeri impressum Louanij cum Paschasio, Lanfranco, & Guitmundo, nec non cum ijsdem in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo sexto, editionis secundæ.

De Hildeberto Turonensi. 1125.

Hildebertus Archiepiscopus Turonensis vixit tempore Honorij secundi Pontificis, ad quem epistolam scripsit. Honorius autem sedere cœpit anno Domini 1125.

Scripsit Sermones, Epistolas, & Carmina sacra, quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. editionis secundæ, ad eum vna extat Epistola S. Bernardi, qua eum hortatur, vt Innocentium secundum, vt verum Pontifi- B cem agnoscat, & veneretur.

De sancto Bernardo. 1130.

Sanctus Bernardus Abbas Clarauallensis, vir plane Apostolicus, & non minus gloria miraculorum, quam sapientiæ splendore illustris, floruit maximè tempore Innocentij secundi Pontificis anno Domini 1130. sed obijt anno 1153. ætatis suæ 63. Scripsit multa opera, sed multa etiam illi tribuuntur, quæ eius non sunt. Opera, quæ sine dubio sanctum Bernardum habent auctorem illa sua sunt, quę numerantur à Gofrido eius discipulo, & alumno lib. 3. vitæ ipsius cap. vltimo, vitam enim sancti Bernardi primus scripsit eo viuente Gulielmus Abbas sancti Theodorici, vnico libro comprehensam: deinde adiecit secundum librum Bernardus Abbas bonæ Val- C lis: tres vltimos addidit Gofridus Monachus Clarauallensis.

Opera sancti Bernardi indubitata ex Gofrido Monacho.

Homiliæ in laudem Virginis Matris, siue super, Missus est Angelus,	4
De gradibus humilitatis,	1
De diligendo Deo,	1
Apologeticus ad Gulielmum Abbatem,	1
De præcepto, & dispensatione,	1
Exhortatorius ad milites templi,	1
De gratia, & libero arbitrio,	1
De Consideratione ad Eugenium,	5
In Cantica, sermones,	86
Epistolæ ad diuersos,	351
Vita sancti Malachiæ Episcopi Hiberniæ.	

D *Opera sancti Bernardi secundi ordinis, quæ habentur etiam pro indubitatis.*

De Aduentu Domini serm.	7
De Vigilia natalis Domini,	6
De natali Domini,	6
De Circuncisione,	3
De Epiphania,	4
De Dominica prima post Epiphaniam,	2
De Conuersione sancti Pauli,	2
De Purificatione beatæ Mariæ,	3
De Septuagesima,	2
De Quadragesima,	7
De sancto Benedicto Abbate,	1
De Annunciatione beatæ Mariæ,	3
De Dominica Palmarum,	3
De feria quarta pœnosa,	1

De fe-

De feria quinta in Cœna Domini, 1
De Pascha, 4
De octaua Paschæ, 2
De Rogationibus, 1
De Ascensione, 6
De Pentecoste, 3
De sancto Ioanne Baptista, 1
De sanctis Petro, & Paulo, 4
De Dauid, & Golia, 1
De septem panibus, 3
De sancto Victore, 2
De sancta Maria Magdalena, 1
De Assumptione B. Mariæ Virginis, 5
De verbis, Signum magnum, 1
De natiuitate sanctæ Mariæ, 1
De sancto Michaele, 2
De festo omnium Sanctorum, 5
De sancto Malachia, 1
De verbis Isaiæ, 5
De sancto Martino, 1
De sancto Clemente, 1
In vigilia sancti Andreæ, 1
In die sancti Andreæ, 2
In obitu Humberti, 1
In dedicatione Ecclesiæ, 6
In Psalmum 90. 17
De diuersis argumentis, 35
De altitudine cordis, 4
De Conuersione ad Clericos, 1
Sermones parui, 66
De donis Spiritus sancti, 1
Sententiæ sancti Bernardi.
Declamatio in illud, Ecce nos reliquimus omnia.

Ordo tertius operum dubiorum.

Ad fratres de monte Dei.
Meditationes.
De interiori domo.
De ordine vitæ.
De scala Claustralium.
Formula honestæ vitæ.
Speculum Monachorum.
Sermones varij.
Liber de conscientia.
Descriptio Claræ vallis.
Lamentatio Virginis Mariæ.
Doctrina sancti Bernardi.
Homilia de exeuntibus in Emmaus.
De amore Dei.
De natura, & dignitate Diuini amoris.
Sermo de Passione Domini.
Tractatus de Passione Domini.
Rhetorica sancti Bernardi.
De modo bene viuendi ad sororem suam.
De Conscientia.
Sermones de diuersis argumentis, 15
Super Salue Regina.
Epistola ad quendam, qua docetur, quid à nobis requirat Deus.
De oneribus sermones. 11

Obseruatio prima.

Inter opera secundi ordinis est sermo de natiuitate beatæ Mariæ, qui non est, vt multi existimant, de natiuitate ex sancta Anna matre sua in hunc mundum; sed de natiuitate per dormitionem mortis, in cælum. quo modo dicuntur natalitia aliorum omnium San-

A ctorum. Id ex contextu facilè potest intelligi, hæc enim sunt prima verba, Fœcundæ Virginis amplectitur cælum præsentiam, terra memoriam veneratur, &c.

In eodem ordine est sermo breuissimus de beata Virgine post sermonem quintum de Assumptione; sed ille ex sermonibus paruis est secundus, & inde huc sine causa translatus: & fortasse non est sancti Bernardi, cùm auctor eius sermonis dicat, se carere virginitate, & ex primo libro, cap. 3. vitæ sancti Bernardi probabiliter colligatur, eum virginem fuisse.

In eodem ordine inuenitur lib. Sentent. S. Bernardi, de quo libro ambigo, an sit scriptus ab ipso sancto Bernardo, an ab aliquo alio, qui collegerit eas sententias ex scriptis, & Sermonibus eiusdem sancti viri: video enim in

B ijs sententijs quædam vocabula barbara, vt guerram, probello, & res alias leuiores, quàm vt decere videantur sanctum Bernardum: sed nihil definio.

Obseruatio secunda.

In tertio ordine in quo dubia opera continentur: aliqua sunt, quæ manifestè sancti Bernardi non sunt, sed tamen grauia, & vtilia sunt: alia habent suos auctores, qui in titulis prænotantur: alia sunt inepta, & indigna, quæ tanto viro attribuantur: alia denique tam proximè accedunt ad spiritum, & stylum sancti Bernardi, vt eius fœtus iudicari possint. Ac vt dicam de singulis quod sentio.

Sermo, seu liber de vita solitaria ad fratres de monte Dei, non habet stylum, sed habet spiritum sancti Bernardi, & dignissimus est,

C qui legatur, tribui solet hic liber Guillelmo Abbati de S. Theodorico.

Meditationum capita sexdecim similia sunt libro superiori: non habent stylum, neque eruditionem sancti Bernardi, sed habent pietatem, & deuotionem, & vtiliter legi possunt.

Tractatus de interiori domo, non est malus, sed ad superiores duos non pertingit.

Tractatus de ordine vitæ, siue de doctrina puerorum, similis est superiori.

Scala claustralium, siue de modo orandi, non habet stylum S. Bernardi, sed alioqui insignis libellus est, & lectu dignus.

Formula vitæ, cum annexo documento, & speculum Monachorum, vtilissima continent documenta, ac Religiosis viris planè ne-

D cessaria, quamuis à stylo sancti Bernardi longe absint.

Sermones de Natali Domini, qui ordine succedunt, non sunt beati Bernardi, neque eruditi: siquidem in primo sermone auctor laudat Abbatem Claræuallensem, id est, sanctum Bernardum; proinde non est ipse sanctus Bernardus sermonis auctor. Idem ipse auctor dicit, nocte Natalis Domini corruisse templum pacis Romæ, quod æternum futurum sperabatur. At nascente Domino nondum templum illud ædificari cœptum erat. denique stylus turgidus est, sed vocabulis barbaris non caret.

Idem de alijs sermonibus, eiusdem auctoris iudicium fieri potest.

Inter sermones est vnus de Villico iniqui-

tatis,

tatis, cui præmittitur epistola Bernardi ad Matthæum Episcopum Albanensem, cui sermo ille transmittitur. & quidem sermo stylum sancti Bernardi non habet, sed alioqui eruditam explicationem continet. Itaque vel sanctus Bernardus solitam suam eloquentiam in hoc sermone neglexit, vel alius Bernardus est, qui sermonem istum conscripsit.

Liber de conscientia pius, & vtilis est quamuis S. Bernardi esse non videatur.

Descriptio claræ Vallis non est S. Bernardi, sed alicuius, qui eam bene nouerat.

Lamentatio B. Virginis indigna est, quæ S. Bernardo tribuatur, quippe, quæ ineptias, & falsa nonnulla continet.

Sermo de duobus discipulis euntibus in Emmaus insignis est, sed S. Bernardi stylum non habet.

Liber de amore Dei stylum potius S. Augustini, quàm S. Bernardi habere videtur: qui enim librum illum composuit imitari voluit sanctum Augustinum in libris confessionum cum Deo colloquentem.

Liber de natura, & dignitate amoris diuini subtilis, & obscurus est, nec cuius sit affirmare possum.

Sermones duo de Passione Domini, quorum prior, incipit, Iesum Nazarenum, & posterior longe prolixior, Ego sum vitis vera, docti sunt, & vtiles; sed non videntur sancti Bernardi, si è stylo iudicium fiat.

De Rhythmis, hoc solum dicere possum, illum qui incipit, Iesu dulcis memoria, longe præstare cæteris omnibus.

Liber de modo bene viuendi, qui scriptus dicitur à sancto Bernardo ad sororem suam; vtilissima documenta continet; sed neque stylum habet sancti Bernardi, neque ad sororem eius scribi potuit: hic enim liber ad sororem Virginem, & cum Virginibus in monasterio degentem scribitur, vt perspicuum est ex cap. 21. Sanctus autem Bernardus vnicam habuit sororem, eamque primo coniugatam, deinde sanctimonialem. Vide lib. 1. vitæ S. Bernardi cap. 1. & 6.

Liber de conscientia, de gradibus humilitatis, sermones de Cœna Domini, & cætera vsque ad finem secundi tomi, non solum longe distant à stylo S. Bernardi, sed etiam verisimile non est de ijsdem argumentis toties S. Bernardum disseruisse.

De Petro Cluniacensi. 1130.

PEtrus venerabilis Abbas Cluniacensis S. Bernardi æqualis fuit, vt epistolæ testantur, vltro, citroque missæ. Fuit nobilis Aquitanus, ac primo miles, deinde monachus. Scripsit libros duos de miraculis sui temporis.

Scripsit librum, per formam epistolæ, aduersus errores Petri de Bruis, in quo egregiè tractat:

De baptismo paruulorum.
De auctoritate libri Actorum Apostolorum.
De auctoritate epistolæ beati Pauli.
De auctoritate Ecclesiæ.
De auctoritate veteris Testamenti.
Iterum de baptismo paruulorum.
De Basilicis, templis, & aris.
De veneratione sanctæ Crucis.
De sacrificio Missæ, & veritate transubstantiationis.
De suffragijs defunctorum.
De laudibus Dei in canticis, & musicis instrumentis.

Scripsit quoque libros multos epistolarum ad diuersos, quarum nonnullas refert Cardin. Baronius tomo 12. Annalium.

Addit Trithemius, eum scripsisse de conuersatione Eremitica. Sed hunc librum non vidi, neque vtrum extet, scio.

De Vgone de sancto Victore. 1130.

HVgo de sancto Victore, natione Saxo, professione Monachus, æqualis fuit S. Bernardi, vt ex epistola S. Bernardi ad hunc ipsum Hugonem constat. Scripsit multa, quæ tribus tomis comprehenduntur in editione Veneta, anni 1588.

Primi Tomi hæc sunt.

De scripturis, & scriptoribus sacris, prænotationes.

Annotationes elucidatoriæ in Pentateuchum, Iudices, libros Regum, Psalmos aliquot.

In Ecclesiasten homiliæ 19.

Annotationes elucidatoriæ in Threnos, in Ioelem, & Abdiam.

Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in totum testamentum vetus, exceptis Prophetis, & libris sapientialibus.

Annotationes elucidatoriæ allegoriarum in quatuor Euangel.

Annotationes literales, & quæstiones in epistolas S. Pauli.

Annotationes elucidatoriæ in Dionysium Areopagitam.

Secundi Tomi hæc sunt.

Institutiones in decalogum.
Expositio in Regulam sancti Augustini.
De Institutione nouitiorum.
De Claustro animæ.
De anima libri quatuor.
De medicina animæ.
De arrha animæ.
De laude charitatis.
De modo orandi.
De fructu carnis, & spiritus.
De nuptijs carnalibus, & spiritualibus libri duo.
De vanitate mundi libri quatuor.
De meditatione libellus.
De Arcæ mysticæ descriptione.
De Arca Noe libri quatuor.
Sermones centum de varijs argumentis.
Sermo de Assumptione B. Mariæ.

Tertij Tomi hæc sunt.

Didascali libri septem, quorum vltimus de Trinitate differit, reliqui sex ad artes liberales pertinent.
De potestate, & voluntate Dei, libellus.
De quadruplici voluntate in Christo, libellus.
De sapientia animæ Christi, libellus.
De vnione corporis, & spiritus, libellus.
De Verbi Dei efficacia, libellus.

Apologia de Verbo Incarnato.
De Verbo Incarnato disputationes tres.
De perpetua Virginitate beatæ Mariæ.
Miscellaneorum secundi codicis, libri quinque.
De filia Iephte tractatus.
Speculum de mysterijs Ecclesiæ.
De ceremonijs, Sacramentis, & officijs Ecclesiasticis lib.3.
De canone mystici libaminis, libellus.
Dialogus de Sacramentis legis naturalis, & scriptæ.
Summa sententiarum septem tractatibus comprehensa, quorum est
Primus de Fide, Spe, & Charitate, de Trinitate, & Incarnatione.
Secundus de creatione, & statu angelicæ naturæ.
Tertius de creatione, & statu humanæ naturæ.
Quartus de Sacramentis in genere, & præceptis diuinis.
Quintus de Sacramento Baptismi.
Sextus de Sacramento Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis.
Septimus de Sacramento coniugij.
De Sacramentis Christianæ fidei libri duo.

Obseruatio.

Non pauca sunt in operibus Hugonis, quæ non videntur germana eius opera; sed quoniam auctor editionis Venetæ suis locis hæc annotauit, & mihi non licuit per angustias temporis omnia excutere, remitto lectores ad notas, quæ in ipsis operibus extant. Hoc solum addam extare apud Card. Baronium insignem epistolam Hugonis ad Ioannem Archiepiscopum Hispalensem apostatam à fide, tomo 12. ad annum Domini 1136.

De Richardo de sancto Victore. 1130.

RIchardus de sancto Victore, natione Scotus, Monachus Ordinis Canonicorum regularium, Hugonis tempore claruit. Et in eodem monasterio sancti Victoris sanctissime vixit. Fuit quoque S. Bernardi amicissimus, vt ex libris ad eum scriptis perspicuum est. Eius opera duobus tomis continentur.

Primi Tomi opera.

De exterminatione mali, & promotione boni tract. 1
De statu interioris hominis, 3
De eruditione interioris hominis libri 3
Beniamin minor, id est, de præparatione ad contemplationem.
Beniamin maior, id est, de gratia contemplationis libri 5
Allegoriæ tabernaculi fœderis, 1
De Trinitate, 6
De tribus appropriatis personis in Trinitate, ad sanctum Bernardum, 1
De Incarnatione Verbi, ad eundem, 1
De Emmanuele libri 2
Exceptionum, 4
De potestate ligandi, & soluendi tract. 1
De contemplatione plagarum in fine mundi, 1
De Iudiciaria potestate in finali iudicio, 1
De spiritu blasphemiæ, 1
De gradibus charitatis, 1
De quatuor gradibus violentæ charitatis, 1
De gemino Paschate, 1
In die Paschæ sermo, 1
Declaratio difficultatum Scripturę Sanctę, ad sanctum Bernardum, 1
Quomodo Spiritus sanctus sit amor Patris, & Filij. 1
De differentia peccati mortalis, & venialis, 1
De superexcellenti Baptismo Christi, 1
De missione Spiritus sancti sermo, 1
De comparatione Christi ad florem, & beatæ Mariæ ad Virgam, 1
Quomodo Christus ponitur in signum populorum, 1
De differentia sacrificij Dauid, & Abrahæ, 1
De differentia beneficij Abrahæ, & beatæ Mariæ. 1

Opera Tomi secundi.

Explanatio difficultatum ex tabernaculo fœderis.
De templo Salomonis ad literam.
De concordia temporum in libros Regum.
Explanatio variorum locorum in Psalmos.
Explanatio libri Cantici canticorum.
De visione Ezechielis.
De templo Ezechielis.
Decisio dubiorum in Apostolo.
In Apocalypsim Ioannis libri septem.

Obseruatio.

Hæc omnia opera, vno excepto, quod inscribitur, Exceptionum libri quatuor, videntur mihi docta, & pia, & dignissima ingenio acutissimo Richardi, neque scio de eis ab vllo esse dubitatum, an sint legitima Richardi opera. De libris exceptionum nonnihil ambigo, an sint eiusdem auctoris, non quod non sint libri illi eruditione varia pleni, sed quod quædam contineant, quæ non videntur à Richardo scribi potuisse. Libro primo cap.24. sic loquitur, Inuentores Theologię fuerunt apud Græcos Linus, apud Latinos Varro, & nostris temporibus Ioannes Scotus. At cur Ioannes Scotus inuentor Theologiæ? cur non magis Moses, aut Athanasius, aut Augustinus, aut Ioannes Damascenus? Deinde non sunt noti Ioannes Scoti nisi duo, vnus trecentis annis ante Richardum, alter centum, & amplius annis post Richardum: quis igitur ille est, de quo hic dicitur, Et nostris temporibus Ioannes Scotus? Eodem capite dicit hic auctor, inuentorem Rhetoricæ fuisse Demosthenem. Id quod est manifestè falsum: Demosthenes enim insignis orator fuit, sed ante illum fuerunt alij, vt Isocrates, Pericles, & alij; & cum ipso claruit AEschines: & eodem tempore floruit Aristoteles, qui de Rhetorica egregiè scripsit. In tertio libro cap. 7. Scribit de Insulis, & Scotiam suam tantum nominat. Et cap. 8. describit ciuitates celebres totius mundi, & Lutetiam Parisiorum, vbi ipse degebat, ne nominat quidem, vt neque Londinum, neque Cantuariam, neque Edimburgum, neque alias Britanniæ, vel Scotiæ Ciuitates. In quarto libro numerat Pontifices Hebræorum, & omittit Aaron, Eleazarum, Phinees, & nonnullos alios inter præcipuos.

De VVillelmo Malmesberiensi. 1130.

VVillelmus, seu Gulielmus Monachus Anglus, dictus Bibliothecarius, & Malmesberiensis, vixit eodem tempore, quo prædicti quatuor scriptores. Scripsit libros quinque de rebus gestis Regum Anglorum, vsque ad Henricum primum. Item historiæ nouellæ libros duos. Denique de rebus gestis Pontificum Anglorum libros quatuor.

De Henrico Vtidoniensi. 1140.

HEnricus Vtidoniensis scripsit historiam Anglicanam libris octo vsque ad Stephani Regis obitum, id est, vsque ad annum millesimum centesimum quinquagesimum tertium.

De Gratiano. 1145.

GRatianus Patria Clusinus, professione Monachus sancti Benedicti, claruit tempore Eugenij tertij Pontificis, & Conradi tertij Imperatoris ad annum Domini millesimum centesimum quadragesimum quintum. Scripsit Decretum, siue concordiam discordantium canonum: opus valde laboriosum, in quo canones plurimos collegit ex scripturis, ex responsis Pontificum, ex Concilijs, & ex Patribus. Et quamuis multi alij viri docti in hoc genere scriptionis laborauerint, vt Dionysius Exiguus, Isidorus, Cresconius, Burchardus, Iuo, & si qui alij sunt: ipse tamen solus obtinuit, vt publicè in gymnasijs prælegeretur, & multorum doctissimorum virorum Commentarijs illustraretur.

Scripsit hoc opus Bononiæ in monasterio sancti Felicis ex sententia Trithemij in secundò libro de viris Illustribus Ordinis sancti Benedicti, anno Domini 1127. vel vt alij volunt, anno Domini 1151. nisi forte Trithemius inchoationem, alij consummationem operis annotauerint.

Porrò hoc opus à mendis purgatum, & suæ integritati restitutum fuit à viris quibusdam eruditissimis auctoritate Gregorij XIII. Pontificis anno salutis 1580.

Obseruatio in Gratianum.

Gratianus id vnum habet, quod reprehendi posse videtur, quòd non habuit delectum auctorum, ex quibus decreta collegit. annotabo hic aliqua loca per modum exempli.

Primo, distinctione xvj. can. Septuaginta, citatur epistola sancti Athanasij Episcopi Alexandrini de canonibus Nicænis incendio consumptis, ad Marcum Papam. Sed Cardin. Baronius tomo tertio Annalium demonstrat, eo tempore Athanasium fuisse exulem in Gallijs, & incensionem illam canonum Nicænorum contigisse diu post obitum Marci Papæ, & ipsum Marcum defunctum iam fuisse, quando scribitur respondisse ad epistolam Athanasij: vt vndique nutet fundamentum harum epistolarum, & septuaginta canonum Nicæni Concilij.

Secundo, distinctione 63. can. Adrianus, & can. in Synodo, ponuntur duo canones ex historia Ecclesiastica Sigeberti, quibus affirmantur inuestituræ Episcoporum concessæ

A Imperatoribus ab Hadriano primo, & à Leone octauo summis Pontificibus: quos canones confictos fuisse à Sigeberto schismatico, historico probat multis argumentis Cardin. Baronius tomo nono Annalium, ad annum tertium Hadriani primi Pontificis. Neque obstat, quod ijdem canones habentur etiam apud Iuonem in Pannomia lib. 8. cap. 135. & 136. cum tamen Iuo Sigebertum ætate præcesserit. hoc (inquam) non obstat: quoniam Pannomia non dicitur Iuonis, quia sit ab Iuone composita, sed quia sit ex decreto Iuonis maxima ex parte decerpta. Quod autem auctor Pannomiæ sit recentior Iuone, perspicuum est ex libro octauo, vbi multa sunt decreta Innocentij secundi Pontificis, qui fuit Iuone posterior.

B Tertio, causa 24. quæstione 1. can. Hæc est fides: tribuitur iste canon sancto Hieronymo in Symbolo ad Damasum. Sed re vera desumptus est ex libello fidei Pelagij hæresiarchæ ad Innocentium primum Pontificem. Id satis constat ex sancto Augustino libro de gratia Christi cap. 30. 31. 32. & 33. vbi ponit ipsa verba huius Symboli, & dicit esse verba libelli, quem de fide sua Pelagius ad Innocentium misit.

Quarto, causa 10. quæstione 1. can. Quia Sacerdotes. Iste canon sumitur ex epistola sancti Hieronymi ad Damasum, de oblationibus altaris. Sed ea epistola indigna est, quæ sancto Hieronymo tribuatur: nam inter sancti Spiritus organa numerat auctor huius epistolæ Eusebium Chronographum, quem sanctus

C Hieronymus Arianum hæreticum passim appellat.

Item scribens ad Damasum citat Chrysostomi Commentarium in Matthæum. At eo tempore, quo Chrysostomus scripsit in Matthæum, Damasus iam ante multos annos obierat. Obijt enim Damasus anno septimo Theodosij Senioris: Chrysostomus autem anno sequenti ordinatur Presbyter, & incipit concionari ad populum: inter quas homilias sunt etiam illæ, quibus explicatur Euangelium sancti Matthæi. Omitto quod stylus huius epistolæ impolitus, & barbarus cùm sit, nihil habeat simile cum stylo sancti Hieronymi.

Quinto, causa 22. can. Nec artificioso: citatur sanctus Augustinus in libro de conflictu

D virtutum, & vitiorum cap. 19. At is liber non potest esse sancti Augustini, cùm in fine eius libri commendetur Regula sancti Benedicti, qui fuit plus centum annis Augustino posterior.

Sexto, causa 27. can. Nubendi licentia: iterum citatur idem liber cap. 24. qui nullo modo Augustini esse potest. Adde quod plurimis in locis Gratianus citat Chrysostomum pro auctore operis imperfecti, & Hieronymum pro Origene.

De Petro Lombardo. 1145.

PEtrus Lombardus, Episcopus Parisiensis eodem tempore floruit, quo Gratianus, & sicut iste collegit Canones, & Canonistarum quasi magister fuit: sic il-

le collegit sententias sacrorum Theologorum, & Magister sententiarum, & Theologorum Scholasticorum dici meruit. Ferunt Gratianum, & Petrum Lombardum, & Petrum Comestorem germanos fratres fuisse: sed fundamento caret ea opinio. Certè in patria non conueniunt: Gratianus enim Ethruscus fuit ex Clusio Ciuitate: Magister Petrus, Lombardus ex Nouaria; Petrus Comestor Gallus ex Trecis. Quæ scripserit Petrus Lombardus, ex epitaphio sepulchri eius, quod est in Ecclesia sancti Marcelli Parisijs, cognosci potest: sic enim ibi legitur, Hic iacet Magister Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui composuit librum Sententiarum, Glossas Psalmorum, & Epistolarum.

Porro libri Sententiarum, quod est præcipuum opus Magistri Petri, quatuor sunt.

Primus continet sententias Patrum de Trinitate, & vnitate Dei.

Secundus de creatione Mundi, ac præcipuè Angelorum, & hominum, & de gratia Dei.

Tertius de Incarnatione Verbi, deque virtutibus, & vitijs.

Quartus de Sacramentis, & nouissimis, id est, Resurrectione, Iudicio, &c.

Obseruatio.

Quamuis Petrus Lombardus Magister appelletur, tamen discipuli eius, Sholastici doctores, viri acuti, & docti non omnia probant, quæ Magister docuit: notantur enim articuli viginti sex, in quibus Magister reijcitur, in additione ad Magistrum excusa typis. Nec solum opiniones eius aliquando refelluntur: sed etiam non defuerunt, qui eum ad Alexandrum tertium Pontificem detulerint, hæresis nomine, quòd docuisset, Christum, vt hominem non esse aliquid. Quam eius sententiam damnatam fuisse in Concilio quodam Parisiensi, iubente Alexandro Pontifice, testatur Matthæus Paris in historia Anglicana, in Henrico secundo pag. 132. quæ damnatio contigit annis nouendecim post obitum eiusdem Petri. Non diu postea accusatus fuit à Ioachim Abbate, quod docuisset, vnam summam rem esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Sed Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, Petri Lombardi sententiam approbauit, & contrariam Ioachimi Abbatis reprobauit.

De Ottone Frisingensi. 1145.

OTto Frisingensis Episcopus, insignis nobilitate, pietate, & doctrina, fuit Henrici quarti Imperatoris nepos, Henrici quinti sororius, Conradi Regis frater vterinus, Friderici primi patruus. initio monachus fuit Cisterciensis, ac paulo post Abbas Morimundensis, deinde Episcopus Frisingensis, tandem in ipso eodem monasterio piè Deo animam reddidit anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo nono, & quoniam Gilbertum Porretanum aliquando valdè laudauerat, in morte reuocauit, si quid in eius laudem dixisset, quod fidei Christianæ contrarium videri posset. Siquidem aliqui articuli in Concilio Episcoporum ab Eugenio tertio Pontifice damnati fuerant sub nomine Gilberti. Vide hæc omnia apud Radeuicum libro secundo de gestis Friderici Imperatoris cap. 11.

Scripsit Otto Frisingensis libros septem Chronicorum ab Orbe condito vsque ad annum Domini millesimum centesimum quadragesimum sextum, quibus addidit librum octauum de fine mundi, Antichristi persecutione, Resurrectione mortuorum, iudicio finali, & gloria beatorum, ac supplicijs damnatorum.

Scripsit præterea de gestis Friderici primi Imp. libros duos; quibus duos alios addidit Radeuicus Canonicus Frisingensis.

De Petro Comestore. 1150.

PEtrus Comestor, qui & Magister historiæ Scholasticæ, hoc ipso tempore floruit: dedicauit enim opus suum VVilelmo Archiepiscopo Senonensi, cui Alexander tertius Papa commisit, vt sententiam quandam Petri Lombardi damnaret, vt supra diximus. Scripsit historiam sacram 16. libris, qui sunt libri sacri historiales, videlicet Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Iosue, Iudices, Ruth, primus Regum, secundus Regum, tertius Regum, quartus Regum, Tobias, Ezechiel, Daniel, Iudith, Esther, Machabæorum, Historia Euangelica, & historia Actuum Apostolorum. Scripsit autem inserens verbis sacris multa ex Glosis, & ex prophanis auctoribus, & non raro admiscens incertas historias.

De Theoriano. 1170.

THeorianus quidam Græcus vir doctus, missus fuit à Manuele Imperatore ad Armenos, vt eos ab erroribus circa fidem Christianam reuocaret: quod ille egregiè præstitit anno Domini 1170. Extat dialogus Theoriani Orthodoxi cum generali Armenorum, in tomo quarto Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ, estque dialogus lectu dignus. quamuis Genebrardus libro 4. Chronologiæ conetur excusare Armenos ab errore Petri Gnaphei, tamen iudicent lectores, an rectè excusauerit.

De Hugone Etheriano. 1177.

HVgo Etherianus natione Tuscus, vir doctus Græcè, & Latinè, Constantinopoli degens scripsit valdè eruditè librum de processione Spiritus sancti aduersus errores Græcorum, quem librum ad Alexandrum tertium Pontificem misit anno 1177. teste Cardin. Baronio tomo 12. Annalium, vbi & epistolam eiusdem Alexandri ponit, qua gratias agit Hugoni. Scripsit etiam de regressu animarum ab inferis. Vtrunque opus extat in tomo 9. Bibliothecæ sanctorum Patrum, editionis secundæ.

De Arnoldo Carnotensi. 1177.

ARnoldus Carnotensis, Abbas bonę Vallis, vir admodum pius, & doctus, & sancti Bernardi discipulus, & amicus in primis, ad quem etiam scripsit epistolam 310. de obitu suo iam imminente. Scripsit insigne opusculum de septem verbis nouissimis à Christo in Cruce prolatis. Scripsit item de

laudi-

laudibus Virginis Mariæ Matris Dei: quę duo opera extant in Bibliotheca ſanctorum Patrum tomo primo editionis ſecundæ. Scripſit quoque ſecundum librum vitæ ſancti Bernardi, qui habetur ad finem operum ſancti Bernardi.

De Ioanne Saresberienſi. 1177.

IOannes Saresberienſis, Epiſcopus Carnotenſis, vixit tempore Alexandri tertij. Scripſit multa, & in ijs vitam S. Thomæ Cantuarienſis, Opus pœnitentiale, Obiurgationem Cleri, Policraticum libris octo De nugis curialium, Epiſtolas ad diuerſos. Extant impreſſa anno 1513.

De Petro Bleſenſi. 1177.

PEtrus Bleſenſis, Archidiaconus Bathonienſis, vixit tempore Alexandri tertij Pontificis, & Henrici ſecundi Regis Anglorum, cui diu familiaris, & adminiſter fuit. Scripſit multa ſapienter, & eloquenter. quæ nunc extant opera Ioannis Buſæi, edita ſunt Moguntiæ anno 1600. videlicet epiſtolæ 180.

Tractatus de transfiguratione Domini.
Tractatus de Conuerſione ſancti Pauli.
Compendium in Iob.
Tractatus de Hieroſolymitana peregrinatione.
Inſtructio fidei ad Soldanum Iconij.
Liber de confeſſione Sacramentali.
Liber de ſatisfactione à Sacerdote iniungenda.
Canon Epiſcopalis, ſiue de inſtitutione Epiſcopi.
Inuectiua contra deprauatorem.
Tractatus de amicitia Chriſtiana.

Ad hæc meminit ipſe in Inuectiua aliorum operum ſuorum, quæ non videntur extare. Inueniuntur multæ huius Petri epiſtolæ in tomo 12. Annalium Card. Baronij: & inſtructio fidei ad Soldanum, inuenitur etiam apud Matthæum Pariſienſem ad annum Domini 1169. ſub nomine Alexandri tertij Pontificis. Pontifex enim eam direxit nomine ſuo, quamuis à Petro Bleſenſi conſcriptam.

De Gulielmo Tyrio. 1180.

GVlielmus Archiepiſcopus Tyri viuebat anno Domini 1180. quo anno Manuel Imperator Græcorum obijt, vt ipſe teſtatur libro 22. hiſtoriæ ſuæ cap. 4. & 5.

Scripſit hiſtoriam de bello ſacro libris viginti tribus, ſed liber viceſimus tertius ab ipſo inchoatus, non abſolutus fuit. Incipit ab anno Domini 1095. & perduxit hiſtoriam vſque ad annum 1180. ſed continuauit Ioannes Heroldus additis libris ſex ad annum Domini 1521.

De Helmoldo Butſonienſi. 1180.

HElmoldus Canonicus Butſonienſis eodem tempore ſcripſit hiſtoriam Henetorum, ſiue Sclauorum à Carolo Magno vſque ad annum Domini 1168.

De Gothefrido Viterbienſi. 1186.

GOthefridus Viterbienſis Notarius Conradi tertij, & Friderici primi Imperatorum, ſcripſit Chronicum vniuerſale, quod appellauit Pantheon, fortaſſe, quòd contineat res geſtas omnium Principum, tum Eccleſiaſticorum, tum temporalium. Principes enim Dij appellantur in ſcripturis. Scripſit autem partim proſa, partim carmine, & diuiſit opus ſuum in partes viginti, & dedicauit illud Vrbano tertio ſummo Pontifici, ad cuius Pontificatum hiſtoriam ſuam perduxit, id eſt, ab initio mundi vſque ad annum Domini milleſimum centeſimum octuageſimum ſextum.

Porrò hoc ipſo anno nupſit Conſtantia filia Rogerij Regis Siciliæ, Henrico ſexto filio Friderici primi, adoleſcenti annorum viginti, & vnius, adhuc viuente parente eius Friderico primo, vt idem Gothefridus teſtatur parte decimaſeptima extrema.

Ex quibus refellitur fabula de Conſtantia filia Rogerij, Sanctimoniali, & vetula per diſpenſationem Cæleſtini tertij nubente Henrico ſexto.

Cæleſtinus enim tertius ſedere cœpit anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo primo.

De Gulielmo Neubrigenſi. 1190.

GVlielmus Neubrigenſis eodem tempore ſcripſit hiſtoriam Anglicanam libris quinque & lib. 4. cap. 13. deplorat infelicem exitum Friderici primi, ob iniuſtam perſecutionem factam legitimo Pontifici Alexandro tertio. Cœpit hiſtoriam ſuam ab anno Domini 1066. & breuiſſimè pertranſijt vſque ad annum 1135. quo anno ſe natum fuiſſe teſtatur, & ab hoc anno fusè ſcribit hiſtoriam gentis ſuæ vſque ad annum milleſimum centeſimum nonageſimum ſeptimum.

De Rogerio hiſtorico. 1190.

ROgerius de Houeden inſignis hiſtoricus ſcripſit libros duos Annalium Anglicanorum valdè diligenter, & peruenit vſque ad Ioannem Regem, qui regnare cœpit anno Domini 1199.

De Theodoro Balſamone. 1191.

THeodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus vixit tempore Xiphilini Patriarchæ Conſtantinopolitani, cui dedicauit ſuum opus. Georgius autem Xiphilinus anno 1191. ſedere cœpit, teſte Baronio Cardin. tomo 12. Annalium, ad annum 1191. Scripſit Balſamon duos libros Commentariorum, vnum in Nomocanonem Photij, alterum in Canones variorum Conciliorum, & ſanctorum Patrum. Fuit autem Balſamon ſchiſmaticus, & Romanæ Eccleſiæ infenſus, non minus, quàm Photius. Vide Baronium loco citato.

De Ioachimo Abbate. 1195.

IOachimus Abbas Florenſis Monaſterij viuebat anno 1195. Scripſit in Iſaiam, & Hieremiam, & Apocalypſim, &, Concordiam teſtamenti veteris, & noui: quæ omnia extant. Circunferuntur quædam vaticinia ſub eius nomine de futuris Pontificibus Romanis, quæ quam fidem mereantur, aliorum ſit iudicium: illud mirum eſt, quod cùm ea vaticinia ad ſolos quindecim Pontifices pertineant: tamen curioſitas hominum ad noſtra vſque tempora, extendere illa conatur.

Seculum decimumtertium ab Anno 1200. ad 1300.

De Innocentio tertio Pontifice.

INnocentius tertius Pontifex maximus sedere cœpit in Apostolica sede anno millesimo centesimo nonagesimo octauo, & sedit vsque ad annum 1216. Vir fuit multæ pietatis, & doctrinæ, nec minoris prudentiæ in Ecclesia gubernanda. Eius opera duobus tomis continentur.

In priore habentur.

Sermones de tempore.
Item de Sanctis, tum proprij, tum communes.
Item de consecratione Pontificis, quatuor.

Ad hæc libri:

De Eleemosyna, 1
In septem Psalmos pœnitent. 1
De laude charitatis, 1
De mysterijs Missæ, 6
De contemptu mundi, 3
Encomium in Christum, & eius Matrem.
Precationes de passione Christi, 3
De Sanctorum veneratione, 3
Hymnus in Christum, & eius Matrem.
Conciones parænetic æ ad Concilium, 2
Acta atque decreta Concilij Lateranensis.

In posteriore Tomo sunt.

Epistolarum libri duo: &, Constitutionum decretalium libri quinque.

Obseruatio.

Qui libros Innocentij tertij edidit, præmisit ante Concilium Lateranense admonitionem, in qua dixit, Concilij illius decreta non à Concilio, sed ab ipso Innocentio post Concilium conscripta, atque edita fuisse: quod inde probat, quia in capitulis quibusdam fit mentio Concilij Lateranensis iam peracti, ac præsertim in cap. 29. 33. & 41. Sed hic auctor, quicunque fuerit, omnino deceptus est, & alios nonnullos scriptores decepit. Siquidem Concilium Lateranense, cuius fit mentio in his capitulis, non est Lateranense sub Innocentio tertio, sed sub Alexandro tertio. atque ad hunc errorem tollendum è medio, in editione Romana Conciliorum generalium Græcè, & Latinè editorum, In Concilio sub Innocentio tertio notatur ad marginem, vbi sint capitula Lateranensis Concilij sub Alexandro tertio ibi citata. Itaque decreta Concilij sub Innocentio tertio edita, verè Concilij generalis sunt, & ab ipso Concilio constituta, & edita non à solo Innocentio post Concilium.

De Gunthero. 1203.

GVntherus Monachus Parisiensis scripsit historiam Constantinopolitanam, quæ tempore suo contigit, quando videlicet Constantinopolis à Latinis capta est, & Balduinus Flander, Imperator creatus: quę historia extat apud Henricum Canisium tomo 5. part. 2. antiquæ lectionis.

De Helinando. 1203.

HElinandus Monachus Gallus scripsit historiam ab orbe condito vsque ad annum 1212. libris quadraginta octo; quem auctorem præcipuè sequuti sunt Vincentius Bellouacensis, & sanctus Antoninus in historia scribenda. Scripsit etiam sermones, & epistolas, & alia, quæ vtrum excusa extent, ignoro.

De Niceta Choniate. 1205.

NIcetas Acominatus, siue Choniates floruit post annum 1200. Scripsit enim historiam, quæ extat Græcè, & Latinè, ab anno 1118. vsque ad annum 1205. id est, ab Imperio Ioan. Comneni, Alexij filij vsque ad obitum Balduini primi ex latinis Imperatoris Constantinopolitani. Dicitur etiam scripsisse libros quinque de fide Orthodoxa, quos non vidi, sed Parisijs excusos esse accepi.

De Conrado Vrspergensi Abbate. 1215.

ABbas Vrspergensis, cuius nomen diu fuit incognitum, sed tandem Conradum esse innotuit, viuebat tempore Innocentij tertij Pontificis: testatur enim ipse, se anno Domini 1202. factum Presbyterum, & anno 1207. factum esse monachum Præmonstratensem: & anno 1215. factum esse Abbatem Vrspergensem.

Scripsit historiam, siue chronicum à primo Rege Assyriorum Belo vsque ad Fridericum secundum Imperatorem, id est, vsque ad annum Domini 1229. & Friderici Imperatoris nonum.

Obseruatio.

Necesse est, hanc historiam, vel non esse vnius auctoris, vel Conradum hunc inseruisse aliqua in historia sua, ex scriptis aliorum. Siquidem anno 1102. scribit se Romæ fuisse, cum Paschalis secundus Pontifex feria quinta in Cœna Domini publicè Imperatorem Henricum excommunicatum pronunciauit. At ipse (vt paulo ante notauimus) scribit, se anno 1215. factum esse Abbatem Vrspergensem: quæ certè non cohærent, nisi forte factus sit Abbas cùm esset plusquam centum, & quindecim annorum. Sed neque hoc dici potest; cùm ipse idem loquens de initio Pontificatus Innocentij tertij, id est, de anno millesimo centesimo nonagesimo octauo dicat, se tunc fuisse in minori ætate, & adhuc laicum: quomodo enim esse poterat in minori ætate, si plusquam centenarius erat?

Illud quoque obseruandum est, hunc auctorem ob amorem erga Imperatores suæ nationis, non pauca contumeliosa scripsisse de Innocentio tertio, & Gregorio nono Pontificibus valde pijs, & doctis: alioqui autem scriptorem esse satis diligentem, & dignum, qui legatur.

De Honorio Augustudunensi. 1220.

HOnorius Augustudunensis Presbyter claruit anno Domini 1220. ex Trithemio, qui ei multa opera attribuit, quæ fortasse non extant. Extat autem excusa Basileæ anno 1544. summa historiarum, siue chronicum magnum: extat etiam commentarius in libros Salomonis editus Coloniæ anno 1544. Extat quoque liber inscriptus Gemma animæ, qui liber solet excudi cum auctoribus, qui scripserunt de officijs diuinis.

De S. Antonio de Padua. 1220.

SAnctus Antonius, de Padua appellatus, quia in ea Ciuitate post multa sanctitatis edita signa, obijt, & in eadem sepultus mirificè honoratur: patria fuit Vlyssiponensis, & viuente adhuc S. Francisco, eius ordinem ingressus, doctrina & miraculis plurimos côuertit, vel ab hæresi ad rectam fidẽ, vel ab improbis moribus ad pœnitentiam agendam. Extant eius conciones tum de tempore, tum de Sanctis. Migrauit in cælum anno Dom. millesimo ducentesimo trigesimo primo, & anno sequenti à Gregorio IX. Pontifice inter Sanctos relatus est.

De S. Raymundo de Penna forti. 1230.

SAnctus Raymundus de Penna forti Barcinonensis, Ord. Prædicatorum, floruit tempore Gregorij noni, cuius iussu collegit in vnum volumen quinque libris distinctum epistolas decretales summorum Pontificum, vt ipse Gregorius Papa testatur in procœmio Decretaliũ. Idem scripsit egregiam summam, quæ cùm diu manuscripta ferretur, tandem typis mandata est. Obiit senex admodum Barcinone anno Do. 1275. illustris vitæ sanctitate, & miraculorum gloria: & nostro tempore, ac me ipso præsente in sanctorum numerum relatus est à Clemente octauo summo Pontifice, anno Dom. millesimo sexcentesimo primo.

De Gulielmo Antissiodorensi. 1240.

GVlielmus Antissiodorensis Episcop. hoc sæculo scripsit summam Theologicam Scholastico more, distinctam in libros, tractatus, capita, & quæstiones. Vna eius sententia notari solet, vt singularis, quod videlicet merita hominum iustorum prius, & principalius à fide, quam à charitate dependeant. Sic enim docet libro tertio, tractatu duodecimo, capite primo, quæstione secunda: & capite secundo quæstione prima. Et quamuis ipse fidem prædicet longè alio sensu, quàm Lutherani faciant; tamen sententia eius, hoc potissimum tempore, vitanda esse videtur. Vide, si placet, quæ scripsimus libro quinto de iustificatione cap. 15.

De Gulielmo Parisiensi. 1240.

GVlielmus Episcopus Parisiensis, viuebat anno Dom. 1240. vt colligitur ex articulis quibusdam ab ipso hoc anno damnatis, qui habentur in additione ad libros sententiarum Petri Lombardi.

Vir fuit admodum pius, & doctus: eius opera hæc extant Venetijs excusa.

De sancta Trinitate, lib.	1
De primo principio.	1
De Sacramentis.	1
Cur Deus homo.	1
Summa virtutum.	1
Summa vitiorum.	1
De fide, & legibus.	1
De animabus hominum.	1
De bono, & malo.	1
De vniuerso.	6
De professione nouitiorum.	1
De dono scientiæ.	1
De operibus virtutum.	1
De remedijs tentationum.	1
De pluralitate beneficiorum.	1
De claustro animæ.	1
De Rhetorica diuina.	1
De Pœnitentia.	1
De Dæmonibus.	1
In Exameron.	1
In Psalterium.	1
In Prouerbia Salomonis.	1
In Ecclesiasten.	1
In Cantica Canticorum.	1
In Euangelium Matth.	1
Sermonum.	1
Epistolarum.	1

De collatione, & pluralitate beneficiorum Ecclesiasticorum tractatus duo.

De Iacobo à Vitriaco. 1240.

IAcobus à Vitriaco, natione Gallus. S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Tusculanus à Gregorio nono creatus multis laboribus pro Ecclesia Dei persunctus in Oriente, & Occidente, piè obijt anno Dom. 1240. de quo multa narrat Thomas Cantipratensis eius fermè æqualis.

Scripsit magnum volumen concionum de tempore, in quibus multus est in sacris Scripturis citandis, & exponendis.

Scripsit libros duos historiæ Hierosolymitanæ, & Occidentalis.

Item librum vnum contra Saracenos.

Item libros duos de vita B. Mariæ OEgniacensis, qui extant apud Surium die 23. Iunij. Denique scripsit epistolas ad diuersos.

De S. Edmundo Cantuariensi. 1240.

SAnctus Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis à Gregorio IX. Pontifice creatus, obijt anno Dom. 1240. & paulò pòst ab Innocentio IV. Pontifice in sanctos relatus fuit.

Scripsit vtilem librum, qui speculum Ecclesiæ dicitur; & extat in tomo quinto Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2.

De Innocentio IV. 1243.

INnocentius IV. Pontifex, patria Genuensis, vir doctrina, & prudentia clarus sedere cœpit anno Dom. 1243. & obiit anno 1254. Scripsit apparatum super Decretales, breuem, sed eruditum. Scripsisse dicitur etiam alium librum, Nouellas, siue authenticas, appellatum, necnon librũ de Pontificis auctoritate, & Imperatoris iuribus contra Petrum de Vineis. Sed hos duos posteriores libros ego non vidi.

De Alexandro de Hales. 1245.

ALexander Halensis, natione Anglus Ordinis sancti Francisci, vir doctissimus, & sanctorum Bonauenturæ, & Thomæ Aquinatis Præceptor, scripsit iussu Innocentij Papæ quarti summam Theologiæ egregiam, & copiosissimam, quæ notissima est. Scripsit Postillam in tota Biblia: nec non summam virtutum. Obijt anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimoquinto, vt testatur Petrus Rodulphus à Tossiniano in historia Seraphica.

(∴)

De Hugone de S.Caro. 1245.

HVgo de sancto Caro, natione Burgundus Ordinis Prædicatorum, Cardinalis S. Sabinæ ab Innocentio IV. Pontifice creatus fuit anno Dom.1244. & piè, ac sanctè obiit anno 1264.

Scripsit Commentaria breuia in vniuersa sacra Biblia.

Scripsit etiam seorsim in Psalmos: quamuis omninò non constet, an Commentaria illa in Psalmos sint huius Hugonis, an Alexandri Halensis.

Item Hugo excogitauit concordantias Bibliorum, teste S.Antonino 3. part. summæ historialis tit.19.cap.5.§.2.& per homines à se delectos opus laboriosissimum perfecit: cui operi (vt facilè est inuentis addere) posteriorum industria multa addidit.

De Humberto quinto Generali Prædicatorum. 1245.

FRater Humbertus patria Viennensis, natione Gallus, quintus Generalis Ordinis Prædicatorum, æqualis fuit Hugonis, quem etiam traxit ad Ordinem S.Dominici. Scripsit multa vtilia,& valdè pia, videlicet:

Expositionem Regulæ S. Augustini.

Librum de septem gradibus contemplationis.

Librum de votis essentialibus religiosorum.

Librum de eruditione Concionatorum.

Alium de officiis Ordinis Prædicatorum à Generali vsque ad Ianitorem.

Alium de vitis primorum Patrum sui Ordinis.

Denique sermones multos valdè vtiles, qui nuper,id est,anno 1603. recusi sunt Venetiis.

De Matthæo Parisiensi. 1245.

MAtthæus Paris, siue potius Parisiensis (sic enim vocatur in ipso eius libro, & in indice libri) fuit monachus Albanensis in Anglia tempore Henrici tertij Regis Anglorum. Scripsit historiam Anglicanam à VVillelmo primo,vsque ad annũ tricesimumquintum Henrici tertij, id est, ab anno Dom.1067. vsq; ad annum 1250.& hoc ipso anno habentur hæc verba,Hic terminatur fratris Matthæi Parisiensis Monachi S.Albani Chronica.] & ibidem insinuatur eius mors. Continuauit autem aliquis alius vsque ad obitum Henrici tertij,id est,ad annum Dom. 1273.

Obseruatio.

Hæc historia multa habet scitu digna, præsertim de rebus Ecclesiasticis,de Concilio Lugdunensi,de dissidio inter Ecclesiam, & Imperium. Sed quoniam edita est ab hæreticis Tigurinis,cautè legenda est: non pauca enim leguntur tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab hæreticis, ad inuidiam conflandam Ecclesiæ Romanæ.

De Martino Polono. 1250.

MArtinus Polonus natione, Monachus professione, Archiepiscopus dignitate,& Pœnitentiarius Innocentij quarti Pontificis, scripsit Chronicum, in quo breuiter res gestas Pontificum, & Imperatorum persequitur vsque ad sua tempora,id est,vsque ad Honorium quartum, qui sedere cœpit ad annum Domin. 1285. quem auctorem in hoc meo libro non posuissem, nisi citaretur ab historicis Magdeburgensibus, atque ab aliis hæreticis: fuit enim Martinus vir simplex, & fabellas pro historijs obtrudit, qualis in primis est illa de Ioanne Papa femina. Quod enim Magdeburgenses dicunt, hanc narrationem de Ioanne femina haberi apud Marianum Scotum, & Sigebertum, qui Martinum Polonum præcesserunt, falsum est, vt ostendi in lib.3. de summo Pontifice cap.24. nam in impressis codicibus Mariani, & Sigeberti irrepsit hæc fabula ex Martini Poloni libro : sed in antiquis manuscriptis non habetur.

De Vincentio Bellouacensi. 1250.

B VIncentius Bellouacensis ex Ord. Prædicatorum,vixit tempore Innocentij IV. Pontificis. Scripsit opera laboriosissima,ac præsertim quatuor specula,Doctrinale, Historiale,Naturale,& Morale.

Doctrinale speculum continet lib.17.& tractat de omnibus scientijs à Grammatica vsque ad Theologiam.

Historiale speculum tradit historias ab initio mundi vsque ad annum Dom. 1244. sed continuauit aliquis alius vsque ad annum Domini 1494.

Naturale speculum continet libros 32.& tractat de rebus omnibus,herbis,auibus, &c. & in vltimo libro de locis, & temporibus, & sua tempora dicit fuisse anno Dom.1250.

C Morale speculum continet libros tres, diuisos in partes, & distinctiones, & tractat de passionibus animi,de legibus, de gratia, de vitijs, & virtutibus copiosissime. Obijt autem anno Dom.1256. teste Antonio Senensi in Bibliotheca Ordinis Prędicatorum,qui Vaseum testem adducit.

De speculo morali,vide infrà,vbi de S.Thomæ scriptis differimus.

De Henrico Card. Episcopo Hostiensi. 1261.

HEnricus natione Gallus, hortatu Alexandri Papæ IV. scripsit in Epistolas decretales accuratam expositionem. Scripsit celebrem summam multa eruditone canonica plenam.Hic ab Vrbano Papa IV.Card. Episcopus Hostiensis creatus, vixit vsque ad annum Dom.1281.

D *De Guidone Papa. 1265.*

GVido Grossus patria Narbonensis, qui postea fuit Clemens Papa quartus, dum in minoribus esset, scripsit plurima ad Ius ciuile pertinentia, cuius iuris consultissimus erat. Scripsit etiam in primum, & secundum Decretalium. Obijt anno Dom.1268.piè, & sanctè,vt semper vixerat.

De Roberto Sorbona. 1265.

RObertus Sorbona tempore sancti Ludouici Regis Francorum, vir multæ doctrinæ, & pietatis, quique Collegium Sorbonæ toto orbe celeberrimum Parisijs instituisse dicitur, scripsit opuscula nonnulla,vt de Conscientia, De Confessione, De itinere ad Paradisum, quæ extant tomo quinto Bibliothecæ sanctorum Patrum edit.2.

De Alberto Magno. 1265.

ALbertus ob ſapientiam ſingularem cognomento Magnus, natione Sueuus, profeſsione Religioſus Ordinis S. Dominici, dignitate Epiſcopus Ratiſponenſis, ad quam dignitatem ab Vrbano IV. Pontifice aſſumptus fuit. Scripſit plurima opera tum Philoſophica, tum Theologica, ac omiſsis philoſophicis, extat Summa Theologiæ, ſed imperfecta.

Commentaria in libros Sententiarum.
Commentaria in 12. Prophetas minores.
Commentaria in quatuor Euangelia.
De quatuor coæuis, liber vnus.
De virtutibus, liber vnus.
De adhærendo Deo, liber vnus.
Compendium Theologicæ veritatis, lib. 7.
Enchiridion de veris, perfectisque virtutibus.

Multo plura tribuuntur Alberto à venerabili Patre, F. Antonio Senenſi in Bibliotheca Prædicatorum, & alijs, quæ an extent, ignoro. Obijt autem Magnus Albertus anno Dom. 1280.

Obſeruatio.

Inſcribuntur libri duo, vnus de mirabilibus, & alter de ſecretis mulierum, Magno Alberto. Sed vterque liber indignus eſt, qui tanto Viro tribuatur: nam ſuperſtitioſa quædam continent, & multa vana.

De Thoma Cantipratenſi. 1265.

THomas Cantipratenſis, quem alij Gulielmum, alij Henricum appellarunt; fuit natione Brabantinus, profeſsione Religioſus S. Dominici, dignitate Epiſcopus ſuffraganeus Epiſcopi Cameracenſis, & auditor Alberti Magni, vt ipſe in opere ſuo teſtatur, libr. 2. cap. vltimo, num. 50. condiſcipulus ſancti Thomæ Aquinatis, quem nobilem adoleſcentem vocat lib. 1. cap. 20. num. 10. Scripſit vtiliſsimũ opus de proprietatibus apum duobus libris comprehenſum in quo ſub figura apum multa ſcribit de officio Prælatorum, & ſubditorum: miracula, atq; exempla ſui temporis verè, fideliterque deſcribit. Editum eſt hoc opus Duaci anno 1597. cum annotationibus, & vita auctoris.

Scripſit præterea idem auctor vitam Beatæ Chriſtinæ mirabilis, quæ extat apud Surium, menſe Iunio, die 23. & vitam ſanctæ Ludgardis, quæ extat apud eundem, menſe eodem, die ſexto decimo: & addidit vnum librum ad vitam ſanctæ Mariæ de OEgnies. Scripſit autem magno labore, & longo tempore librum de natura rerum, cuius ipſe meminit in præfatione libri de proprietatibus apum. Sed hoc opus tam laborioſum non videtur extare. Dicitur denique hic idem auctor in gratiam S. Thomæ vertiſſe Ariſtotelem è Græco idiomatè in Latinum; de qua reconſulat lector vitam huius auctoris præpoſitam libris de proprietatibus apum.

De S. Thoma Aquinate. 1265.

SAnctus Thomas Aquinas, natione Italus, patria Neapolitanus, profeſsione Religioſus Ordinis Prædicatorum, Illuſtris genere, ſed illuſtrior ſanctitate, & ſapientia: natus eſt anno Dom. 1224. & obijt anno 1274. quo anno obijt etiam S. Bonauentura, eius amiciſſimus, ſed hic menſe Martio, ille menſe Iulio.

Eius opera (vt ſanctus Hieronymus de ſancto Cypriano ſcripſit) Sole ſunt clariora, vt ſuperuacaneum videatur eorum indicem texere. Deſcribam eorum indicem ex Romana editione, quæ iuſſu Pij Quinti Pontificis maximi confecta cenſetur omnium optima. Tomi ſunt ſeptendecim.

Primus tomus continet vitam B. Thomæ, & Commentaria in libros Perihermenias, & Poſteriorum analyticorum.

Secundus tomus continet Commentaria in libros octo Phyſicorum, in libr. quartum de cœlo, & mundo, & in librum ſecundum de generatione.

Tertius tomus continet Commentaria in lib. 4. Meteororum, in lib. de anima, & in parua naturalia.

Quartus tomus continet Commentaria in lib. 12. Metaphyſicorum, Tractatum de ente, & eſſentia cum Commentarijs Card. Caietani, & Expoſitionem in librum de cauſis.

Quintus tomus continet Commentaria in libros decem Ethicorum, & in libros 8. Politicorum.

Sextus tomus continet Commentaria in primum, & ſecundum Sententiarum.

Septimus tomus continet Commentaria in tertium, & quartum Sententiarum.

Octauus tomus continet Quæſtiones diſputatas, & Quodlibeta.

Nonus tomus continet Summam contra gentiles cum Commentarijs Franciſci Ferrarienſis.

Decimus tomus continet Primam partem ſummæ Theologiæ cum Commentarijs Card. Caietani, & expoſitionem S. Dionyſij de diuinis nominibus.

Vndecimus tomus continet Primam ſecundæ, & Secundam ſecundæ cum Commentarijs Card. Caietani.

Duodecimus tomus continet Tertiam partem cum Commentarijs Card. Caietani.

Tertius decimus tomus continet Commentarium in Iob: in primam quinquagenam Pſalmorum, in Cantica canticorum, in Iſaiam, in Hieremiam, & Threnos.

Quartus decimus tomus continet Commentaria in Matthæum, & in Ioannem.

Quintus decimus tomus continet Auream cathenam ex Patribus contextam in quatuor Euangelia.

Sextus decimus tomus continet Commentaria in omnes Epiſtolas S. Pauli, & ſermones de tempore, & de Sanctis.

Septimus decimus tomus continet ſeptuaginta tria opuſcula, & Scriptum ſecundum in quatuor libros ſententiarum, ad Anibaldum Cardinalem.

Obſeruatio prima in opera S. Thomæ.

PRæter libros in editione Romana numeratos feruntur ſub nomine S. Thomæ Commentaria in Geneſim, & in libros Machabæorum,

bæorum,& in septem Epistolas canonicas. Sed Commentarium in Genesim à sancto Antonino tertia parte summæ historialis tit. 18. cap. 10. reiicitur, vt spurium. Scribit quidem Antonius Senensis in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum à sancto Antonino reijci Commentarium in Genesim,quod tunc extabat:non illud,quod nuper inuentum, & editum est. Sed cùm ego Commentarium neutrum viderim, non possum de hac re ferre iudicium. De commentario in libros Machabæorum Lutetiæ excuso,nō habeo,quod dicam,quia Commentarium illud non vidi. Commentaria verò in epistolas canonicas videntur mihi erudita, & digna ingenio sancti Thomæ, præsertim cum in ijs cernatur stylus, & modus procedendi sancti Thomę. Neque obstat, quod in editione Romana hoc opus non recenseatur. Siquidem eo tempore hoc opus nusquam inueniebatur, & primum in lucem prodijt Antuerpiæ anno 1592.

Obseruatio secunda.

Ex opusculis,quæ sancto Thomæ tribuuntur, aliqua sunt, quæ non est certum esse germana eius opera; quæ quia in editione Romana notata sunt diuersitate characteris; de illis nihil dicam. In aliis vnum est,quod inscribitur de regimine Principum ad Regem Cypri: quod mihi multis de causis suspectum semper fuit. primum quia lib. 3. cap. 20. scribit auctor huius operis suo tempore accidisse, vt Adolphus Imperator Rodulpho,& Albertus Adolpho succederet. At sanctus Thomas obijt anno 1274. Adolphus autem Rodulpho successit anno 1292.& Albertus Adolpho anno 1299. posset quidem fieri, vt ista verba ex margine annotata ab aliquo posteriore in textum irrepserint: sed oratio continuata non videtur admittere istam responsionem. Deinde lib. tertio, cap. decimo, non semel vocat iste auctor summū Pontificem Christi successorem. quod impropriè dictum esse nemo nescit, qui Christum Pontificem æternum esse nouit, cui nemo succedit, sed omnes ministrant: at sanctus Thomas ita impropriè loqui non solet. Præterea iste auctor stylum habet à stylo S. Thomæ valdè diuersum: hic enim presse, & breuiter scribit, & multa paucis complectitur; ille contra verbis abundat, & pauca multis explicat. Adde, quod hic auctor non pauca leuia profert, de nominibus magistratuum libro 3. cap. 22. & lib. 4. cap. 26. quæ sancto Thomæ nunquam excidissent. quæ causæ fortasse fuerunt, vt in editione Louaniensi anni 1562. libri isti de Regimine Principum inter opuscula S. Thomæ adscripta non inueniantur. Adde vltimo, cùm sanctus Thomas scripserit septem libros de eruditione Principum, planè vtilissimos, qui habentur inter opuscula Romæ edita, non videbatur necessarium, vt scriberet etiam de regimine Principum.

Obseruatio tertia.

Mirum est valdè, quod magna pars primæ secundæ, & secundæ secundæ inueniantur ijsdem verbis in primo, & tertio libro speculi moralis Vincentij Bellouacensis; & quidem non videtur Vincentius potuisse speculum suum morale conficere ex doctrina & verbis

A sancti Thomæ, cùm ipse obierit anno Domini 1256. vt testatur Antonius Senensis ex Vaseo, in Bibliotheca Patrum Prædicatorum;& sanctus Thomas obierit anno Domini 1274. & in extrema ætate summam Theologiæ confecerit. Sed neque est vllo modo credibile sanctum Thomam summæ suæ partem secundam, eamque nobilissimam ex alio scriptore hausisse. In his angustijs nihil mihi occurrit, nisi speculum illud morale fortasse non esse Vincentij Bellouacensis, sed alicuius auctoris posterioris, qui fortasse Vincentius etiam diceretur, quique secundam partem sancti Thomæ in compendium redigere voluerit. Id quod videtur posse cōfirmari ex eo quòd speculū morale grauius multo esse videtur, quàm sint speculum doctrinale, naturale, & historiale, quæ tria sine vllo dubio sunt Vincentij Bellouacensis.

B

De S. Bonauentura. 1265.

Sanctus Bonauentura natione Italus, patria Balneoregiensis, Ordinis sancti Francisci Minister Generalis, ac postea Albanensis Episcopus, & Cardinalis à Gregorio X. creatus, non in ferijs Pentecostes, & in Lugdunensi Concilio, vt multi scribunt, sed ante Concilium, & forte in quatuor temporibus Decembris anni 1273. Nam in ipso Concilio Lugdunensi, quod Romæ nuper est editum inuenitur sanctus Bonauentura Cardinalis residere cum cæteris in prima sessione. Prima autem sessio celebrata est anno 1274. die 7. Maij, triduo ante Ascensionis festum. Vir fuit sanctissimus, & doctissimus, & multa scripsit, quæ Romæ edita sunt iussu Sixti V. Pontificis, in

C octo tomos distributa.

Primo Tomo continentur, Principium sacræ Scripturæ, Expositio in Exameron, id est, sermones viginti tres in diuersa loca Exameron ex ore dicentis ab auditoribus excerpta; expositio item in Psalterium, In Ecclesiastem, In Sapientiam, In Lamentationes Hieremiæ Prophetæ.

Secundo Tomo continentur, Expositio in caput sextum Matthæi, Expositio in Euangelium sancti Lucæ, Postilla in Euangelium sancti Ioannis, & Collationes in eundem.

Tertio Tomo continentur, Sermones de tempore,& de Sanctis.

Quarto Tomo continentur, Commentaria in primum & secundum librum Magistri Sen-

D tentiarum.

Quinto Tomo continentur, Commentaria in tertium, & quartum librum Sententiarum.

Sexto Tomo continentur prima,& secunda pars opusculorum; videlicet prima pars quæ est:

De reductione artium ad Theologiam.
Breuiloquium. Centiloquium. Pharetra.
Declaratio terminorum Theologiæ.
Principium compendiosum in libros Sententiarum.
Quatuor libri Sententiarum carmine digesti.
De quatuor virtutibus Cardinalibus.
De septem donis Spiritus sancti.

De tri-

De tribus ternarijs peccatorum.
De Resurrectione à peccato ad gratiam.
Dieta Salutis.
De Ecclesiastica hierarchia.

Secunda pars.

Soliloquium.
De meditatione vitæ Domini nostri IESV Christi.
Libellus meditationum.
De septem gradibus contemplationis.
De quinque festiuitatibus pueri Iesu.
Officium de Passione Dominica.
De sancta Cruce laudatio.
Lignum Vitæ.
Speculum de laudibus B. Mariæ.
De Corona Beatæ Mariæ.
De compassione eiusdem.
Philomela passioni Domini aptata per septem horas.
De septem verbis Domini in cruce.
Psalterium Beatæ Mariæ maius.
Psalterium eiusdem minus.
In Salutationem Angelicam.
In Salue Regina.

In septimo Tomo continetur pars tertia opusculorum, quæ est:

De institutione vitæ Christianæ.
De regimine animæ.
Speculum animi.
De decem Præceptis.
De gradibus virtutum.
Itinerarium mentis in Deum.
De septem itineribus æternitatis.
Stimulus diuini amoris.
Paruum bonum, siue incendium amoris.
Amatorium.
Exercitiorum spiritualium libellus.
Fasciculartius.
Viginti quinque memorialia.
Confessionale.
De ratione confitendi.
De puritate conscientiæ.
De præparatione Sacerdotis ad Missam.
Expositio Missæ.
De sex alis Cherubim.
De sex alis Seraphim.

Octauo Tomo continetur pars quarta opusculorum, quæ est:

De triplici statu Religiosorum.
Speculum disciplinæ propter nouitios.
Viginti passus Nouitiorum.
In Regulam Nouitiorum.
De processu Religionis.
De contemptu Seculi.
De reformatione mentis.
Alphabetum paruum boni Monachi.
De perfectione vitæ ad Sorores.
Declaratio Regulæ Minorum.
Quæstiones circa eandem Regulam.
Quare Fratres Minores prædicent, &c.
De paupertate Christi.
Quod Christus, & Apostoli nudis pedibus incedebant.
Apologia Euangelicæ paupertatis.
Contra calumniatorem Regulæ Franciscanæ.
Apologeticus in eos, qui Ordini Minorum aduersantur.

A

De non frequentandis quæstionibus.
Collationum libellus ad Fratres.
De reformandis Fratribus, Ad ministros Prouinciales.
Appendix continet Compendium Theologiæ.
De essentia, inuisibilitate, & immensitate Dei.
De mystica Theologia.

Obiit vir sanctus Deo, & hominibus amabilis valdè, anno Domini 1274. Mense Iulio, die quinta decima, quæ erat Dominica, sub auroram, in Concilio Lugdunensi, vt in ipso Concilio legitur.

De Petro Tarantasiensi. 1265.

B

PEtrus Tarantasiensis Ordinis sancti Dominici Cardinalis Hostiensis à Gregorio decimo Pontifice cum sancto Bonauentura creatus, ipsi Gregorio succedens, & Innocentius Quintus appellatus; quinto mense obiit, anno Dom. 1276.

Scripsit in quatuor libros Sententiarum. dicitur etiam scripsisse Pentateuchum, in Psalmos, in Euangeliũ Lucæ, & in Epistolas sancti Pauli; & denique Compendium Theologiæ. Non defuerunt, qui plusquam centum propositiones eius reprehenderent: sed iussu Ioannis Vercellensis Magistri generalis Ordinis Prædicatorum à S. Thoma defensæ sunt, vt ex opusculo eius perspicuum est.

De Henrico Sterone. 1265.

C

HEnricus Stero Monachus Chronicam scripsit ab anno primo Frederici primi, vsque ad Rodulphum Aspurgium, id est, ab anno Dom. millesimo centesimo quinquagesimo secundo, vsque ad annum 1273. vide Henricum Canisium tomo 1. antiquæ lectionis.

De Vdalrico Argentinensi. 1280.

VDalricus de Argentina Ordinis Prædicatorum, & Alberti Magni auditor, scripsit in libros quatuor Magistri Sententiarum: & summam Theologiæ, ac librum de anima. claruit anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo.

De Ruperto de Russia. 1280.

D

RVpertus, siue Robertus de Russia Ordinis Minorum claruit eodem tempore, & circa annum Domini millesimum ducentesimum octogesimum, scripsit Commentaria in quatuor libros Sententiarum: Expositionem Regulæ sancti Francisci, & librum de anima.

De Guilielmo Durante. 1280.

GVlielmus Durantes, dictus speculator, natione Vasco, Episcopus Mimatensis, Iureconsultus insignis, scripsit Speculum in tria volumina distinctum ad Cardinalem Othobonum, qui fuit postea Hadrianus Papa Quintus. Scripsit etiam rationale diuinorum officiorum libris octo, & Repertorium iuris, & Commentaria in Canones Concilij Lugdunensis. Viuebat tempore Nicolai III. Pontificis anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo.

De Guidone Archiacono. 1283.

GVido Baifius Archidiaconus Bononiensis, scripsit Commentarium in Decretum Gratiani, quod Rosarium appellauit. Scripsit etiam in epistolas Decretales. claruit anno 1283.

De AEgidio Romano. 1290.

AEgidius Romanus ex nobili familia Columnensium, Ordinis sancti Augustini Prior generalis, ac postea Archiepiscopus Bituricensis, sancti Thomę auditor, & eius doctrinæ defensor acerrimus, plurima scripsit tum Philosophica, tum Theologica; sed magna ex parte non extant, nisi manuscripta in varijs Bibliothecis. Quæ extant Theologica impressa, hæc sunt:

In primum & secundum Sententiarum Commentaria.
In Exameron, libri duo.
In Cantica Canticorum lectiones nouendecim.
In Epistolam ad Romanos lectiones.
In cap. Firmiter, & in cap. Marthæ expositio.
In Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam explanatio.
Tractatus de corpore Christi, de distinctione articulorum Fidei, & de arca Noë.
Theoremata de Sacramento altaris, & de corpore Christi.
Tractatus de renunciatione Papæ.
Libellus scriptus occasione Clerici minus sufficienter ad Subdiaconatum promoti.
Quomodo Reges possint bona Regni Ecclesijs elargiri.
De Regimine Principum, libri tres.
Quodlibeta.
Tractatus contra exemptos.
De diuina influentia in beatos.
De laudibus diuinæ sapientiæ.
De defectu malorum culpæ.
De prædestinatione, præscientia, paradiso, & inferno.
De peccato originali.
Castigatorium in corruptorium librorum Thomæ Aquinatis.

Extat etiam manuscriptus liber, quem ego vidi, De potestate Ecclesiastica.

Ex Philosophicis hæc habentur typis mandata:

In Metaphysicam Aristotelis, expositio.
In eiusdem libros de anima.
In eiusdem libros de generatione.
In eiusdem libros Priores analyticos.
In eiusdem libros Rhetoricorum.
De materia cæli.
De formatione corporis humani.
Super auctorem libri de causis.
De esse, & essentia.
De motu Angelorum.
De mensura Angelorum.
De cognitione Angelorum.

Sed hi tres postremi tractatus possunt inter opera Theologica numerari. Floruit hic auctor circa annum Dom. 1290.

Obseruatio.

Opusculum in orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, & tractatus de corpore Christi; non sunt omnino certa opera AEgidij. Solet citari liber in quartum Sententiarum nomine AEgidij, vt etiam liber de intellectu possibili contra Auerroem, & de gradibus formarum: sed vtrum ij libri extent ignoro.

De Raymundo Lullo. 1290.

RAymundus Lullus ex insula Maiorica, vixit tempore Philippi Pulchri Regis Francorum circa annum Domini 1290. Scripsit lingua sua vulgari, multa opera, quorum aliqua versa sunt in linguam Latinam, vt Ars magna, & parua. Hunc Raymundum Eimericus in directorio Inquisitorum, scribit accusatum fuisse ad Gregorium XI. Papam, vel potius accusata fuisse scripta eius, quòd continerent plusquã trecentos errores. & Bernardus de Lutzemburgo Raymundum hunc ponit in Catalogo hæreticorum. Contra autem non desunt, qui eundem Raymundum colant, vt sanctum Martyrem, & vocent Doctorem illuminatum, & scripta eius orthodoxa esse confirment: de qua re editus est liber anno 1604. cum hac inscriptione, Sententia definitiua in fauorem Lullianæ doctrinæ iuris ordine, & Apostolica auctoritate lata, & in veritatis triumphum, inque gloriosæ vindicationis memoriam, denuo impressa, & principalibus rescriptis munita. Quid in hac controuersia tenendum sit nondum videtur esse definitum ab Apostolica Sede, cum tam directorium Eimerici, quam liber illi oppositus, publicè, & sine prohibitione legatur.

De Richardo de media Villa. 1290.

RIchardus de media Villa, natione Anglus, Ordinis sancti Francisci, scripsit in libros quatuor Sententiarum dilucida Commentaria, in quibus S. Thomæ doctrinam imitari visus est.

Scripsit etiam in quatuor Euangelia, & in Regulam Fratrum Minorum, & contra Petrum Ioannem librum vnum. Dicitur etiam scripsisse de Conceptione B. Virginis, & in epistolas S. Pauli, & de ordine iudiciorum. quod an ita sit, non mihi constat.

De Henrico Gandauensi. 1290.

HEnricus à Gandauo natione Belga Archidiaconus Tornacensis, vir doctissimus, scripsit egregium opus Quodlibetorum. Item summam quæstionum ordinariarum. Item de Virginitate, & Pœnitentia. Denique etiam Commentaria in libros Physicorum, & Metaphysicorum Aristotelis, & librum de Viris illustribus. Obiit anno Domini 1293.

De Ioanne Parisiensi. 1296.

IOannes Parisiensis, Ordinis Prædicatorum claruit circa annum 1296. Scripsit in quatuor libros Sententiarum, & Quodlibeta varia: sed præcipuè de potestate Regia, & Papali. & quoniam incidit in tempora turbulenta ob discordiam inter Bonifacium VIII. Pontificem, & Philippum Pulchrum Regem Gallorum; & ipse Parisijs agebat, & docebat, videtur propensior fuisse erga Regem, quam erga Pontificem.

De Dino Mugellano. 1299.

DInus Mugellanus scripsit in titulum de regulis iuris in sexto: claruit tempore Bonifacij Papæ VIII. anno millesimo ducentesimo nonagesimo nono.

Seculum decimumquartum ab Anno 1300. ad 1400.

De Ioanne Duns Scoto.

IOannes Duns Scotus, Ordinis Minorum, vir fuit acutissimo ingenio præditus, & cùm docuisset primum Oxonij, deinde Parisijs, immatura morte diem extremum obiisse dicitur anno Domini millesimo trecentesimo octauo. Scripsit hæc.

Scriptum Oxoniense in quatuor libros Sententiarum.
Scriptum Parisiense in eosdem libros.
Librum Quodlibetorum.
Librum Collationum Parisiensium.
Librum de primo principio rerum.
Librum Theorematum.
Librum de cognitione Dei.
Tetragrammata quædam.
Sermones de tempore, & de Sanctis.
Commentaria in Genesim, in Euangelia, & in Epistolas, valdè obscura.
Item in Philosophicis.

Scripsit Quæstiones in Porphyrium, item in Aristotelis prædicamenta, Perihermenias, Priora, Posteriora, Elenchos, de Anima, Metaphysica, & Physica.

De Augustino Anconitano. 1301.

AVgustinus Triumphus, patria Anconitanus, professione religiosus sancti Augustini, vir pius, & doctus, floruit ad initium anni 1300. sed obiit anno millesimo trecentesimo vigesimooctauo, cùm esset annorum octoginta quinque, vt ex inscriptione sepulchri ipsius constat, quod habetur Neapoli in Ecclesia Fratrum Eremitarum sancti Augustini. Scripsit egregiam summam de potestate Ecclesiæ, quæ extat Romæ edita anno millesimo quingentesimo octuagesimo quarto. Scripsit etiam Commentarium in Canticum B. Virginis Mariæ, quod extat Romæ excusum anno millesimo quingentesimo nonagesimo. Scripsit plurima alia tum in sanctam Scripturam, tum in Magistrum Sententiarum, tum etiam in Aristotelem, & sermones, ac tractatus varios, qui extare dicuntur in Bibliotheca Vaticana.

De Barlaamo. 1303.

BArlaamus Episcopus Hieracensis, vixit circa annum Dom. millesimum trecentesimum tertium, & scripsit Epistolas multas ad Græcos de vnione cum Ecclesia Romana, quas edidit Henricus Canisius num. 6. antiquæ lectionis.

De Siffrido. 1305.

SIffridus Presbyter Misnensis, eodem tempore scripsit epitomen historiarum libris duobus comprehensam ab anno Do. 458. vsque ad annum Dom. 1307. Extat hoc opus impressum cum alijs historicis Germaniæ.

De Nicephoro Callisto. 1305.

NIcephorus Callistus historicus Græcus, vixit tempore Andronici Senioris Imperatoris, cui dedicauit historiā suam: proinde vixit post annum Dom. millesimum trecentesimum. Historia, quæ nunc extat Nicephori Callisti, continetur libris octodecim, & incipit à natiuitate Christi, ac desinit in annum eiusdem 625. Credibile autem est, multo plures ab eo libros scriptos fuisse, sed periisse.

Porrò in historia huius auctoris, vt Græci, & Schismatici, non mirum videri debet, si inueniantur errores proprij Græcorum, vt de processione Spiritus sancti à solo patre, in ipsa præfatione. Magis mirum est, inueniri non paucos errores in rebus historicis, vt ex Annalibus Card. Baronij constat.

De Eberardo. 1305.

EBerardus Archidiaconus Ratisponensis, scripsit Chronicum ab anno 1273. vsque ad annum millesimum trecentesimum quintum. Vide Henricum Canisium primo tomo antiquæ lectionis.

De Idiota.

IDiota, nomine proprio ex humilitate suppresso, scripsit libros quinque Contemplationum valdè pios, & eruditos. Item regulas duodecim vitæ Christianæ, breues annotationes in Psalm. quintumdecimū, libellū Contemplationum de B. Virgine Mariæ, qui libri extant in Bibliotheca SS. Patrum tom. 11. edit. secundæ. Quando floruerit ignoramus, Ego in prima editione secutus aliorum iudicium posui hunc auctorem ad initium an. 900. sed postea legens diligētius eius scripta animaduerti, illum esse multo posteriorem. Nam in procemio libelli de Beatæ Virgine, citat verba sancti Bernardi ex serm. 2. super Missus est Angelus, & in libro quinto Contemplationum cap. septimo, dicit suo tempore Ecclesiam fuisse redactam ferè ad angulum Occidentalem. & cap. vndecimo vtitur phrasibus Scholasticorum, & in lib. de B. Virgine cap. secundo, & sexto, disputat de Conceptione immaculatæ Beatæ Virginis Mariæ, quæ quæstio post Scoti tempora maximè inualuit.

De Petro Aureolo. 1317.

PEtrus Aureolus Ordinis Minorum, ex Prouinciali Aquitaniæ Archiepiscopus Aquensis, floruit anno Dom. 1317. & multa scripsisse dicitur, sed Commentarium in primum librum Sententiarum, idque solum Romæ impressum vidi, anno millesimo quingentesimo nonagesimosexto.

Citantur multa ex Aureolo apud Ioannem Capreolum, sed ea typis mandata non extant.

De Antonio Andrea. 1317.

ANtonius Andreæ, natione Aragonius, Ord. sancti Francisci, Scoti discipulus, scripsit in quatuor libros Sententiarum: quod scriptum editum est Venetijs anno millesimo quingentesimo septuagesimo octauo.

De Durando à S. Portiano. 1320.

DVrandus à S. Portiano, natione Gallus, Ordinis Prædicatorum, & Episco-

pus Meldensis, Theologus insignis, scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum Commentaria satis dilucida, in quibus quamuis nonnulla scripserit, quæ à communi Doctorum sententia abhorrent, quædam etiam ab Ecclesia improbata sunt, ipse tamen in præfatione commentarij sui in Magistrum, disertis verbis asseruit ad Ecclesiam Catholicam Romanam pertinere iudicium de doctrina, seque omnia sua scripta eiusdem Ecclesiæ censuræ submittere.

Scripsit etiam librum egregium de origine iurisdictionum. Floruit circa annum Domini 1320.

De Herueo Natali. 1320.

HErueus Natalis Brito, Ordinis Prædicatorum Magister generalis, & Durandi æqualis, ac Theologus doctissimus. Scripsit in Epistolas sancti Pauli, quod opus habetur inter opera S. Anselmi, vt suprà diximus.

Scripsit etiam in quatuor libros Magistri sententiarum.
Item scripsit tractatum de potestate Papæ.
Alium de Sacramentis.
Alium de Christi, & Apostolorum paupertate.
Alium de vtraque potestate Papali, & regali.
Alium de beatitudine.
Item scripsit Quodlibeta.
Item librum aduersus Durandum, in ijs, in quibus à S. Thoma dissentit:
Et seorsim libr. de vnitate formarum contra eundem.
Nec non libros aliquot contra Henricum à Gandauo.
Et multa alia Philosophica scripsit.
De materia cæli.
De æternitate mundi.
De voluntate.
De secundis intentionibus.
Denique scripsit de Verbo.
De motu Angeli.
De relationibus.
Obijt anno Domini 1325.

De Francisco Mayrone. 1320.

FRanciscus Mayronis natione Scotus; professione Religiosus Ordinis S. Francisci, Scoti discipulus, vixit tempore Ioannis vigesimi secundi Papæ, anno Dom. millesimo trecentesimo vigesimo.

Scripsit Commentaria in libros quatuor Magistri sententiarum.
Item Quodlibeta.
Formalitates.
De primo principio.
De expositione diuinorum nominum.
Et de vniuocatione.
Quæ omnia simul edita sunt Venetijs anno 1520. & 1556.
Scripsit præterea Quadragesimale, & Sermones de Sanctis.
Item de paupertate Christi, & Apostolorũ.
De virtutibus, & vitiis capitalibus.
De articulis fidei.
De Baptismo.
De Humilitate.
De Indulgentijs.
De corpore Christi.
De Angelis.
De suffragijs defunctorum.
De Pœnitentia.
De Ieiunio.
De vltimo Iudicio.
De septem donis spiritus Sancti.
Quæ omnia iam olim impressa fuerunt Basileæ.

De Gulielmo Ockam. 1320.

GVlielmus Ockam natione Anglus, Ordinis Minorum, Scoti discipulus, & æqualis Francisci Mayronis, vir doctus, sed fautor Ludouici Imperatoris IV. nimis ardens, ob quam causam in aliquos errores lapsus meruit, vt in Indice librorum prohibitorum eius nomen poneretur.

Scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum.
Librum Quodlibetorum.
De fautoribus hæreticorum.
De Sacramento Altaris.
Compendium Theologiæ.
De actibus Hierarchicis.
De ingressu scientiarum.
De paupertate Apostolorum.
De potestate Pontificum, & Imperatorum.
Opus nonaginta dierum, & dialogos, quæ duo opera cum alijs contra Ioannem XXII. scriptis interdicta sunt in Indice librorum prohibitorum.

De Monaldo. 1320.

MOnaldus Dalmata Ordinis Minorum, & postea Archiepiscopus Beneuenti, scripsit summam Iuris Canonici, quæ aurea dicitur, & impressa fuit Lugduni anno Dom. 1516.

Scripsit etiam quæstiones in quatuor libros Sententiarum, & sermones. Obiit anno Dom. millesimo trecentesimo trigesimo secundo, Martyrio coronatus, apud Saracenos, vt testatur Antonius Posseuinus in apparatu sacro, tomo secundo.

De Nicolao Lirano. 1320.

NIcolaus Liranus ex Iudaismo conuersus ad fidem Christianam, & Ordine Minorum assumpto, scripsit Commentarium, siue postillam in vniuersa Biblia: quod opus notissimum est; & recognitum impressum est Lugduni anno millesimo quingentesimo nonagesimo.

Scripsit præterea librum de corpore Christi.
Sermones de tempore, & de Sanctis.
Librum contra Iudæos.
Commentaria in quatuor libros sententiarum.
Quæstiones veteris, & noui Testamenti.
Tractatum de Visione Dei.
Expositionem decem Præceptorum.
Tractatum de idoneo ministrante, & suscipiente Sacramentum Altaris. Obiisse dicitur anno Dom. millesimo trecentesimo quadragesimo nono.

De Pelagio Aluaro. 1320.

PElagius Aluarus, natione Hispanus, Religiosus Ordinis Minorum, & Episcopus Syluensis, vixit tēpore Ioannis XXI. Pontificis, circa annum Dom. 1320. cuius Pontificis defensor acerrimus fuit.

Scripsit insigne opus de planctu Ecclesiæ.
Apologiam contra Gulielmum Ockam.
Speculum Regum.
Et in libros Magistri sententiarum.

De Nicephoro Gregora. 1330.

NIcephorus Gregoras, historicus Græcus viuebat anno Dom. millesimo trecentesimo quadragesimoquarto, vt ex fine operis illius intelligi potest.

Scripsit libros vndecim de rebus Imperij Orientalis ab eo tempore, quo Imperium Orientale deuenit in potestatem Latinorum, & perduxit historiam vsque ad obitum Andronici iunioris, id est, ab anno Dom. 1200. vsque ad ann. millesimum trecentesimum quadragesimumquartum.

De Petro Paludano. 1330.

PEtrus Paludanus natione Burgundus, Ordin. sancti Dominici, Patriarcha Hierosolymitanus, vir pius, & doctus, claruisse dicitur anno Dom. 1339. tametsi alij eum posteriorem faciant, sed nulli eum collocant ante annum Dom. millesimum trecentesimum, nec post annum 1400.

Scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum, sed non extant, quod sciam, Commentaria eius, nisi in tertium, & quartum librum.

Scripsit etiam tractatum egregium de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis.

Scripsit quoque sermones de tempore, qui editi sunt Antuerpiæ anno 1572. multa alia scripsisse fertur, quæ non extant typis excusa.

De ioanne Villano. 1330.

IOannes Villanus historicus Florentinus, vixit tempore Ioannis XXII. Pontificis, & successorū eius Benedicti XII. & Clementis VI. & obijt anno millesimo trecentesimo quadragesimooctauo.

Scripsit historiam vniuersalem temporis sui satis accuratè, quamuis etiam leuiter attigerit priora tempora ab erectione turris Babylonię, vsque ad sua tempora.

Scripsit autem idiomate Italico, & totam historiam libris duodecim comprehēsam perduxit ad annum Dom. millesimum trecentesimum quadragesimumoctauum.

Quamuis autem propositum eius fuerit scribere historiam ciuitatis Florentiæ: tamen multa commemorat vtilia de rebus Ecclesiasticis, quæ ab alijs minus fideliter narrata fuisse inueniuntur.

De Guidone Carmelita. 1330.

GVido natione Catalanus, Prior generalis Ordinis Carmelitani, ac postea Episcopus Maioricensis, scripsit ingens volumen de omnibus hæresibus: quod extat impressum Parisiis. Multa alia scripsisse fertur,

A quæ ad manus meas non peruenerunt. Claruit anno 1330.

De Petro Bertrando. 1329.

PEtrus Bertrandus Episcopus Eduensis, & Cardin. disputauit coram Rege Francorum Philippo VI. de iurisdictione Ecclesiastica, quæ disputatio extat in Bibliotheca SS. Patrum tomo 4. scripsit multa responsa, & librum de origine iurisdictionis, qui liber extat tum in tomo 4. Bibliothecæ sanctorum Patrum, tum etiam seorsim impressus cum aliis tractatibus.

De Astesano Astensi. 1330.

AStesanus Astensis scripsit summam Casuum conscientiæ libris octo, quæ typis mandata fuit Venetiis. Viuebat anno Dom. 1330.

B

De Adamo Goddam. 1330.

ADamus Goddamus, Anglus scripsit Commentaria in quatuor libros sententiarum, quæ edita fuerunt Parisijs anno millesimo quingentesimo duodecimo. Viuebat auctor anno 1330.

De Landulpho Carthusiano. 1330.

LAndulphus, siue Ludolphus natione Saxo, professione Carthusianus, vir valdè pius, scripsit historiam vitæ Domini nostri IESV Christi ex Euangelijs deprompτam. Scripsit etiam Commentaria in Psalmos, iuxta sensum præcipuè spiritualem. claruit circa annum Dom. 1330.

De Lupoldo Bambergensi. 1330.

LVpoldus Bambergensis, vir eruditus, æqualis Landulphi Carthusiani, scripsit librum de iuribus Imperij, in quo multa admiscet ad historiam Ecclesiasticam vtilia.

C

De Ioanne Andrea. 1330.

IOannes Andreas Bononiensis Iureconsultus doctissimus, floruit tempore Ioannis XXII. Papæ, sed obiit anno 1348. Scripsit in quinq; libros Decretalium, quod opus Nouellas appellauit. Scripsit etiam Glossas in sextum, & Clementinas. addidit quoque ad speculum Gulielmi Durantis.

De Bartholomaeo Pisano. 1335.

BArtholomæus Pisanus Ordinis Prædicatorum edidit summam, quæ dicitur Pisanella: quam imitatus est Angelus de Clauasio.

D

De Ioanne Calderino. 1340.

IOannes Calderinus Bononiensis filius adoptiuus Ioannis Andreæ, scripsit in libros Decretalium.

Item Consilia, & Decisiones.

De Ioanne de Baccone. 1340.

IOannes de Baccone Anglus, & Ord. Carmelitarum Prior Prouincialis, Theologus, & Philosophus doctissimus, floruit tempore Clementis VI. Pontificis, & obiisse dicitur anno 1346. Scripsit Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum; Compendium legis Christi; & Quodlibeta: quæ typis excusa extant. Alia permulta scripsisse dicitur, quæ non vidi.

De Alberico. 1340.

A

ALbericus Roxiatus Bergomensis, scripsit in sextum Decretalium.

De Simone de Cassia. 1340.

SImon de Cassia, natione Hernicus, Religiosus Ord. S.Augustini, admodum pius, vixit codé tempore quo Ioannes de Baccone, & obijt Florentiæ anno Dom. millesimo trecentesimo quadragesimooctauo.

Scripsit libros quindecim de rebus gestis Domini Saluatoris.

Scripsit etiam librum de speculo Crucis.

Librum epistolarum ad diuersos.

Scripsit quoque lingua Italica libros duos de vita Christiana,& expositionem Symboli Apostolici.

B

De Henrico Susone.

HEnricus Suso natione Germanus, Ord. sancti Dominici, vir fuit piissimus, & deuotissimus.

Scripsit horologium sapientiæ.

Librum de nouem rupibus.

Meditationes de Passione Domini, & alia. Viuebat anno millesimo trecentesimo quadragesimo.

De Ruberto Holkoth. 1349.

RObertus Holkoth, natione Anglus, professione Dominicanus, scripsit in librum sapientiæ lectiones 213.

Item lecturam in Cantica Canticorum: & in septem priora capita Ecclesiastici.

Scripsit etiam Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, & alia quædam. Floruit circa annum Dom. millesimum trecentesimum quadragesimumnonum.

C

De Thoma Argentinensi. 1350.

THomas de Argentina, natione Germanus, Ordinis S.Augustini Prior generalis, vixit tempore Clementis VI. & Innocentij VI. & obijt Viennæ anno millesimo trecentesimo quinquagesimoseptimo.

Scripsit Commentaria in Magistri sententiarum libros.

Scripsit etiam quæstionum è sacris Scripturis solutiones.

Sermones, & Epistolas, & librum Meditationum.

D

De Nicolao Cabasila. 1350.

NIcolaus Cabasilas Græcus, vixit tempore Ioan. Cantacuzeni Imperatoris, vel potius Tyranni. Fuit vir valdè doctus, & Archiepiscopus Thessalonicensis, sed schismaticus. Scripsit tomos sex de vita in Christo, qui Latinè impressi sunt Ingolstadij. Extant etiam libri de tribus Sacramentis, Baptismo, Vnctione,& Eucharistia impressi ibidem. Extat explicatio Liturgiæ apud Bignæum in Bibliotheca Patrum tomo 6. editio. secundæ, ex qua cap. 29. & 30. omninò expungenda essent, vel cautissimè legenda. Denique præter alia multa, scripsit de processione Spiritus sancti contra Latinos, vbi se hostem Ecclesiæ apertè demonstrat. Sed hunc librum impressum non vidi.

De Gregorio Ariminensi. 1350.

GRegorius Ariminensis, æqualis fuit Thomæ Argentinensis,& eiusdem Ord. sancti Augustini Prior generalis.

Scripsit Commentarium in primum, & secundum librum Magistri sententiarum.

Scripsit etiam in Epistolas S. Pauli,& in epistolam S. Iacobi.

De Richardo Armachano. 1350.

RIchardus Radulphus, Archiepiscopus Armachanus vixit tempore Innocentij VI. Pontificis, & obijt anno millesimo trecentesimo quinquagesimo nono.

Scripsit libros nouendecim aduersus errores Armenorum.

Scripsit etiam librum aduersus Religiosos Mendicantes pro Parochis: dicitur etiam scripsisse in libros quatuor sententiarum: necnon libros de paupertate, & de intentionibus Iudæorum,& sermones aliquot.

Obseruatio.

Hic auctor cautè valde legendus est, præsertim libro 10. contra Armenos cap. 4. & cap. 23. & 24. & libr. 11. cap. 4. & sermone primo, & quarto, in quibus locis multos errores habet de potestate Presbyterorum, de paupertate Christi, & de statu Religiosorum Mendicantium: consulat lector Thomam Valdensem, qui errores Armachani,& Ioan. VViclefi, qui ab Armachano aliqua accepit, diligenter refutat: consulat etiam, si placet, quæ nos scripsimus lib. de Monachis cap. 45. & 46.

De Francisco Petrarcha. 1350.

FRanciscus Petrarcha, patria Florentinus, Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Patauinus, lusit aliquando elegantissimis versibus Italicis, amores suos erga Lauram, seu veros, seu confictos, vt haberet materiam exercendæ Musæ; sed pœnitentia ductus,& tempus in cantiunculis illis consumptum defleuit, & in solitudine positus vitam Christiano, & pio homine dignam egit, & multa opera grauia, atque vtilia scripsit, ac tandem piè, sanctèque, obiit anno Dom. 1374. ætatis suæ septuagesimo.

Eius opera quatuor tomis continentur.

In primo Tomo hæc habentur:

De remedijs vtriusque fortunæ, lib.	2
De vita solitaria.	2
De otio Religiosorum.	2
De vera sapientia, Dialogi	2
De contemptu Mundi, Dialogi	3
Septem Psalmi pœnitentiales ad imitationem Dauidis.	
De Rep. optime administranda, lib.	1
De officio,& virtutibus Imperatoris, lib.	1
Rerum memorabilium, lib.	4
Epitome vitarum virorum Illustrium.	
De pacificanda Italia Exhortatio.	
Ad veteres Rom. Reip. defensores Oratio.	
De libertate capessenda hortatoria Oratio ad Nicolaum Laurentium.	
De obedientia,& fide vxoria.	
De Auaritia vitanda.	
Itinerarium Syriacum.	

In Tomo secundo hæc sunt.

Epistolarum familiarium lib. 8
Epistolarum ad quosdam ex veteribus illustriores. 1
Epistolarum sine titulo. 1
Epistolarum de rebus senilibus. 16
Epistolarum variarum. 1
De sui ipsius, & multorum ignorantia. 1
Galli anonymi in Petrarcham inuectiua.
Apologia Petrarchæ contra Gallum.
In Medicum quendam inuectiuarum lib. 4

In tertio Tomo sunt.

Epistolæ octo de Laurea sumenda.
Priuilegium receptæ Laureæ.
Eglogæ duodecim.
Africæ, siue de bello punico carminũ, lib. 9
Epistolarum carmine scriptarum. 3
Testamentum Petrarchæ.

In quarto Tomo sunt carmina Italica.

De Nicolao Gorram. 1350.

NIcolaus de Gorram, natione Gallus, Ordinis Prædicatorum, viuebat anno Dom. 1350.

Scripsit Commentaria in Pentateuchum.
In Psalmos. In Cantica.
In Ecclesiasten.
In Ecclesiasticum.
Item in Hieremiam.
In Euangelia.
In Epistolas sancti Pauli.
In Epistolas Canonicas.
In Apocalypsim.

Denique etiam in libros sententiarum Magistri.

De Alphonso Vargas. 1359.

ALphonsus Vargas Hispanus, Archiepiscopus Hispalensis, obijt anno millesimo trecẽtesimo quinquagesimo nono. Scripsit in primum sententiarum, & in libros de Anima: quæ impressa sunt Venetijs anno 1566.

De Ioanne Taulero. 1350.

IOannes Taulerus, natione Germanus, Ordinis S. Dominici, concionator insignis, & piissimus, scripsit:

Sermones de perfectione vitæ interioris.
Tractatus de virtutibus.
Epistolas ad diuersos.
Cantica spiritualia.
De nouem gradibus Christianæ perfectionis.
Speculum, & exemplar Domini nostri Iesu Christi.
Exercitia de vita, & passione Christi.

Vixit circa annum Domini 1350.

Porrò hunc virum, vt suspectum circa fidem contempsit Ioannas Eckius; sed egregiè eum defendit Ludouicus Blosius.

De Manuele Caleca. 1375.

MAnuel Caleca, Græcus, vir doctus scripsit librum contra errores Græcorum pro Latinis, quem vertit in Latinum idioma Ambrosius Camaldulensis, iussu Martini quinti Pontificis: & cum in libros quatuor partitus est. Vixisse videtur hic auctor post schisma Vrbani VI. & Clemens VII. & ante schisma Eugenij IV. & Felicis V. nam libro quarto sui operis scribit, Romanam Ecclesiam suo tempore gubernatam fuisse à duobus Pontificibus. vbi videtur loqui de schismate illo diuturno Vrbani VI. & Clementis VII. siquidem in eodem libro meminit Concilij Lugdunensis sub Gregorio X. à tempore autem illius Concilij non fuit schisma celebre, nisi schisma Vrbani, & Clementis; quod enim excitauit Ludouicus Imper. inter Ioannem XXI. & Nicolaum V. breuissimum fuit. Itaque falsum est, quod quidam dicunt interfuisse Calecam in Concilio sub Gregorio decimo.

De Henrico de Hassia. 1380.

HEnricus de Hassia Carthusianus scripsit:

In Magistrum sententiarum.
In Genesim. In Exodum.
In Prouerbia Salomonis.
In Apocalypsim S. Ioannis.
Dialogum inter Episcopum, & Presbyterum.
Sermones varios.
Regulas ad discernendum peccatum lethale à veniali.

De obitu eius variant scriptores. Alii volunt obiisse anno 1317. & alij 1397. alij 1428.

De Ioanne Rusbrochio. 1380.

IOannes Rusbrochius, natione Belga, Prior Monasterij Vallis Viridis, vir diuinæ contemplationi addictissimus, scripsit lingua sua patria, varia opera, quæ in Latinam linguã conuersa edita sunt Coloniæ anno Do. millesimo quingentesimo quinquagesimosecundo.

Sunt autem hæc.

Summa totius vitæ spiritualis.
Speculum salutis æternæ.
Commentaria in tabernaculum Mosis.
Tractatus de præcipuis virtutibus.
Liber de fide, & Iudicio.
De quatuor tentationibus.
De septem custodijs.
De septem gradibus amoris.
De nuptijs spiritualibus libri 3

Viuebat hic auctor anno Dom. 1390.

Hunc etiam Doctorem carpsit Io. Gerson, & defendit Dionysius Carthusianus. Id enim accidere solet ijs, qui scribũt de mystica Theologia, vt eorum dicta ab alijs reprehendantur, ab alijs laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.

De Marsilio ab Ingen. 1380.

MArsilius ab Ingen, qui obijt anno Domini 1396. sepultus in templo suburbano sancti Petri Heidelbergæ, scripsit Commentaria in quatuor libros Sententiarum non inutilia, & in Academia Heidelbergensi Doctor, & primus Rector fuit, anno 1387.

De Baldo. 1390.

BAldus Vbaldus, natione Italus patria Perusinus, celeberrimus Iureconsultus, ac Bartoli quondam auditor.

Scripsit præter ea, quæ ad ius ciuile pertinent.
Commentaria in libros Decretalium.

Obijt anno Domini 1420.

Seculum decimumquintum ab Anno 1400. ad 1500.

De Petro Ancharano. 1410.

PETRVS de Ancharano Bononiensis, Baldi auditor, floruit an. millesimo quadringentesimo decimo. Scripsit in libros Decretales, & in Clementinas, & Consilia.

De Antonio de Butrio. 1410.

ANtonius de Butrio Bononiensis, æqualis Petri de Ancharano. Scripsit in Decretales, & Clementinas, & Repertorium Iuris Canonici.

De Ioanne Capreolo. 1410.

IOannes Capreolus Tolosanus, Ordin. Prædicatorum, sancti Thomæ doctrinæ defenso[illegible]gius. Scripsit, Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, in quibus sancti Thomæ doctrinam ex ipso sancto Thoma explicat, & obiectiones eorum, qui illam oppugnarunt optime dissoluit. Viuebat anno Dom. millesimo quadringentesimo decimo.

De sancto Vincentio. 1410.

SAnctus Vincentius Ferrerius Valentinus, Ordinis Prædicatorum, vir Apostolicus, obijt anno Dom. millesimo quadringentesimo decimooctauo, prædicauit multis in locis verbum Dei cum summa vtilitate populorum, Deo cooperante, & sermones eius confirmante sequentibus signis. Extant sub eius nomine tres tomi vtilissimarum concionum: quæ etsi fortè ab eius discipulis scriptæ sint: tamen doctrinam eius continent.

Scripsit ipse tractatum de vita spirituali, breuem, sed plenum optima institutione.

Scripsit etiam epistolas varias.

In Catalogum Sanctorum relatus est à Callisto tertio summo Pontifice.

De Francisco Zabarella. 1410.

FRanciscus Zabarella, patria Patauinus, Archiepiscopus Florentiæ, & Cardinalis creatus à Ioanne XXIII. Papa. Obijt anno 1417.

Scripsit in Decretales, & in Clementinas.

Scripsit etiam Consilia, & repetitiones varias.

Necnon de horis Canonicis.

Sed occasione longissimi schismatis, scripsit etiam librum de schismate, in quo sunt aliqua corrigenda: quare in Indice librorum prohibitorum liber eius de schismate cum præfationibus, Argentinæ impressus ab hæreticis, prohibitus est, donec corrigatur.

De Petro ab Alliaco. 1410.

PEtrus ab Alliaco Episcopus Cameracensis, & Cardinalis, creatus à Ioanne XXIII. anno 1411. Obiit sub Martino V. anno 1426.

Scripsit in quatuor libros Sententiarum.

Item de laude Scripturæ, & Ecclesiæ stabilitate.

Quæstiones in Examerон.

Paraphrasim in Psalmos.

A Meditationes in psalmum 30. & 41.

In principium Euangelij secundùm Marcum.

In Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam.

In Cantica B. Mariæ, & Zachariæ, & Simeonis.

Speculum considerationis.

Compendium contemplationis.

De spirituali scala.

De Sacramentis.

De legibus, & sectis.

De electione summi Pontificis.

De exercitio spirituali.

De Concilio generali.

De duodecim honoribus sancti Ioseph.

Sermones, & Epistolas.

B De concordia Theologiæ, cum Astrologia, & historia.

De anima, & accidentibus eius.

Quæstiones in sphæram Io. de Sacrobosco.

Tractatum in libros Meteororum.

Scripsit quoque vitam sancti Petri Cælestini, grauiter, & piè, & renunciationem Pontificatus ab ipso factam laudat, & defendit contra detractores. Neque verum est, quod aliqui dicunt, hanc vitam non esse scriptam à Petro de Alliaco Archiepiscopo, & Cardinale, sed à quodam alio Petro de Alliaco Gymnasij Nauarrici Archididascalo. hoc, inquam, non esse verum, perspicuè constat ex præfatione ad ipsam vitam, vbi se auctor Episcopum nominat. Vnum est, in quo reprehenditur hic auctor, quod videlicet sensisse videatur, Christi Natiuitatem prænosci potuisse ex genethliacis obseruationibus, atque ad hoc
C adduxerit apparitionem stellæ, quæ apparuit Magis. de qua re vide Sixtum Senensem lib. 5. Bibliothecæ sanctæ, annotatione 15. & 81. & libro 6. annotat. 10.

De Ioanne Gersone. 1420.

IOannes Gerson Gallus, Cancellarius Parisiensis, vir doctus, & pius, obijt anno Domini 1429. multa opera scripsit, quæ tribus tomis edita sunt Argentorati anno 1488. quibus addita est quarta pars. Sed quia, vt plurimum, opuscula sunt parua, & in maximo numero, piguit ea describere. Tribui solet huic auctori præclarissimum opusculum de imitatione Christi, quatuor libris distinctum. Sed quia non numeratur inter opera Gersonis, nec in Catalogo, quem scripsit frater ipsius Gersonis, nec in tomis editis Argentorati; meritò dubitatum est, an illud sit Gersonis. Imò communiter iam illud opus adscribitur Thomæ de Kempis, viro admodum pio, vt paulò pòst videbimus. Itaque valde probabile est auctorem illius opusculi esse Ioannem quendam Abbatem de Gersen, siue de Gessen, vt habet inscriptio vetustissima huius libri, in codice manuscripto, qui asseruatur in Monasterio Aronensi, quod olim fuit Monachorum S. Benedicti, & nunc est domus Nouitiorum Societatis IESV. Et hinc apparet, hoc opus tributum fuisse Ioanni Gersoni propter similitudinem nominis: quia verus auctor erat Ioannes de Gersen: & tamen quia non

inueniebatur hoc opus inter opera Ioannis Gersonis Cancellarij Parisiensis, tributum fuisse Thomæ de Kempis ob similitudinem aliquam styli. His accedit, quòd sanctus Bonauentura, qui fuit ducentis circiter annis antiquior Ioanne Gersone, & Thoma de Kempis citat ex hoc auctore partem capitis vltimi libri primi ad verbum, & dicit illa esse verba deuoti cuiusdam libelli de Imitatione Christi, vide in tomo secundo opusculorum sancti Bonauenturæ collationis septimæ ex lib. collationum habitarum in conuentu Toletano. Sed cuiuscunque sit, opusculum est vtilissimum, & iure in tota Ecclesia summo omnium consensu receptum, & frequentatum, & in omnes linguas conuersum. Ego certè ab adolescentia, & vsque in senectam hoc opusculum sepissime volui, & reuolui, & semper mihi nouum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo sapit.

De Thoma Valdensi. 1420.

THomas Valdensis, Anglus, Ordinis Carmelitarum Prior Prouincialis, floruit tempore Martini quinti Pontificis, cui opus suum dedicauit, & obijt Rothomagi in Gallia, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo.

Scripsit opus egregium, quod inscripsit Doctrinale fidei antiquæ, tribus tomis distinctum.

In primo tomo disputatur contra hæreticos VViclefitas, & Hussitas de Deo, De Christo, De Petro, De Ecclesia, De Religiosis.

In secundo de Sacramentis, contra eosdem.

In tertio de Sacramentalibus cont. eosdem.

Dicitur etiam scripsisse in multos libros diuinæ Scripturæ, & in Magistrum sententiarum Commentaria, & varios tractatus: sed ego non vidi, nisi tomos illos tres doctrinales fidei antiquæ: nec scio an alia extent typis excusa.

De Augustino de Roma. 1430.

AVgustinus de Roma, Episcopus Nazarenus, Ordinis sancti Augustini, scripsit:

In primum librum sententiarum.
Item in omnes epistolas sancti Pauli.
In epistolas canonicas,
In Apocalypsim,
Scripsit etiam de peccato originali,
De libero arbitrio,
De potestate Papæ,
De Sacramento diuinitatis Iesu Christi, & Ecclesiæ.
De Christo capite, & eius inclyto principatu.
De charitate Christi circa electos, & de eius infinito amore.

Sed hæc tria opera prohibita inueniuntur in Indice librorum prohibitorum, donec expurgentur. Obijt anno Domini 1445.

De Ioanne de Imola. 1430.

IOannes de Imola Iureconsultus celebris, scripsit super tres libros Decretalium: super sextum, & Clementinas. Obijt anno Domini 1436.

De Paulo Burgensi. 1430.

PAulus de sancta Maria, relicta Iudaica secta, in qua natus erat, Episcopus Burgensis creatus, scripsit additiones ad postillam Nicolai Lirani, quæ extant in ipso Lirano. Scripsit etiam scrutinium scripturarum libris duobus, viuebat anno 1430.

De Ioanne Archidiacono. 1430.

IOannes de Anania, Archidiaconus Bononiensis, scripsit Commentaria in Decretales.

Scripsit etiam volumen Consiliorum. Obijt anno Domini 1455.

De Ioanne Ragusæo. 1438.

IOannes Ragusæus Ordinis Prædicatorum in Basileensi Concilio orationem habuit doctissimam per octo dies de communione sub vtraque specie contra Hussitas, quæ extat apud Henricum Canisium tomo tertio antiquæ lectionis, vbi etiam multa habentur alia de hæresibus Bohemorum.

De Henrico Kalteisen.

HEnricus Kalteisen Ordinis sancti Dominici; in eodem Concilio Basileensi disputauit contra Hussitas de libera prædicatione Verbi Dei, per tres dies: & disputatio, siue oratio extat apud Henricum Canisium tom. 4. part. 2. antiquæ lectionis.

De S. Bernardino Senensi. 1438.

SAnctus Bernardinus, patria Senensis, professione Franciscanus, vir doctrina, & miraculis clarus vniuersam Italiam sacris Concionibus illustrauit.

Obijt Aquilæ, vbi corpus eius integrum inuisitur, anno Domini 1443. & à Nicolao quinto summo Pontifice in sanctos relatus est anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo.

Scripsit sermones de tempore.
Sermones de Sanctis.
Sermones contra Iudæos.
Scripsit etiam in Apocalypsim.
De Euangelio æterno.
De Christiana Religione.
De Conceptione B. Mariæ Virg.
De passione Domini.
De virtutibus & vitijs.
De fructibus Eleemosynæ.
De triplici statu animæ.
De triplici amore Magorum.
De sacrificio Abraham.
De veritate.
De amore Dei, & animæ.
De Spiritu sancto.
De casibus proprietatis.
Officium nominis Iesu.
De mundana prosperitate.
De Pastorali gubernatione.
De S. Ioseph sponso Virginis.
De circunstantijs nationum.
De diuino amore.
De triplici Christi natiuitate.
De tribus tormentis peccatorum.
De obedientia.
Defensorium veritatis.

De Ioanne de Polemar. 1438.

IOannes de Polemar Archidiaconus Barcinonensis, in eodem Concilio Basileensi orauit per tres dies contra Hussitas de ciuili dominio clericorum: & oratio extat apud Henricum Canisium tomo 4. part. 2. antiquæ lectionis.

De B. Ioanne de Capistrano. 1440.

B. Ioannes de Capistrano, natione Italus, Ordinis Minorum sancti Bernardini amicissimus, laboribus maximis pro Ecclesia persunctus obijt anno Domini 1456.

Scripsit de dignitate Ecclesiastica ad Nicolaum V. Papam.

De illustranda conscientia.

De censuris.

De pœnis Inferni, & Purgatorij.

De pœnis iniungendis.

De restitutione, & contractibus.

De Matrimonio.

De Conceptione B. Virg.

De Iudicio vniuersali, & Antichristo.

De potestate Papæ, & Concilij.

De auctoritate Concilij, siue Ecclesiæ.

Speculum Clericorum.

De cupiditate.

De Passione Domini.

Contra Hussitas.

Aduersus Ioannem Rochesanum, hæreticum Hussitam.

Scripsit denique Epistolas ad varios.

De Alphonso Tonstato. 1440.

ALphonsus Tonstatus natione Hispanus, Episcopus Abulensis, vir sanctitate, & doctrina celeberrimus: vixit tempore Eugenij quarti Pontificis, circa annum Domini 1440.

Scripsit Commentaria copiosissima in Pentateuchum, in Iosue, Iudices & Ruth: necnon in libros Regum, & Paralipomenon, & in Euangelium sancti Matthæi, in quibus Commentarijs dissoluit quæstiones innumerabiles, vt merito de eo scriptum sit, Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne, & quod magis est admirandum, tanta scripsit breuissimo tempore, cum non vixerit nisi annos quadraginta. Neque solum Commentaria illa scripsit, sed etiam opuscula plurima, è quibus extant,

Defensorium trium conclusionum.

Liber de sancta Trinitate.

Liber contra Sacerdotes concubinarios.

Paradoxa.

Explicatio verborum Isaiæ, Ecce Virgo concipiet.

Liber de statu animarum post mortem.

Liber de optima policia.

Obseruandum est, defensorium esse cautè legendum in secunda parte cap. 30. & cap. 68. 69. & sequentibus multis, vbi de summo Pontifice disputatur.

De Blondo Historico. 1440.

FLauius Blondus, patria Foroliuiensis, à secretis fuit Eugenio quarto summo Pontifici; & scripsit historiam Romanam, in qua multa Ecclesiastica continentur, ab inclinatione Imperij vsque ad sua tempora, id est, ab anno Domini 407. vsque ad annum 1400.

De Nicolao Panormitano. 1440.

NIcolaus Tudescus, natione Siculus, patria Catanensis, Ordinis sancti Benedicti, Abbas, & postea Archiepiscopus Panormitanus, ac demum S. R. E. Cardinalis creatus, sed in schismate à Felice quinto Antipapa. Vir fuit Iuris Canonici peritissimus, & plurima scripsit, quæ tomis octo comprehenduntur in editione Veneta anni 1592.

In primo, & secundo tomo habentur Commentaria in primum librum Decretalium.

In tertio, quarto, & quinto tomo habentur Commentaria in secundum librum Decretalium.

In sexto tomo habentur Commentaria in tertium Decretalium.

In septimo tomo habentur Commentaria in quartum, & quintum Decretalium: & in epistolas Clementinas.

In octauo tomo habentur Consilia 226. quęstiones septem.

Item Relectio in cap. Per tuas, de Arbitris.

Item Practica eiusdem.

Dicitur etiam scripsisse Commentarium inchoatum in Decretum: sed nescio, an extet. Dicitur etiam scripsisse librum pro Concilio Basileensi, sed hunc librum, vt in mala causa scriptum, & proinde erroneum, credibile est ex eius operibus abrasum fuisse. Ego certè inter eius opera variarum editionum eum nusquam reperi. Quamuis autem hic auctor sederit in Concilio Basileensi, etiam quo tempore Concilium acephalum, & schismaticum erat: tamen in eo bene se gessit, quod introducentibus in Concilium multitudinem Presbyterorum, ob defectum Episcoporum, liberrimè contradixit: vt testatur AEneas Syluius, qui præsens aderat, in historia Concilij Basileensis. Sciebat enim, & docebat, in Concilijs, præsertim generalibus, locum non esse simplicibus Presbyteris, quo ad votum decisiuum, nisi locum tenerent absentium Episcoporum. Obijt Nicolaus, Abbas Panormitanus anno 1445.

De S. Antonino Florentino. 1445.

SAnctus Antoninus, patria Florentinus, Ordinis Prædicatorum, ac postea Florentiæ Archiepiscopus, vir doctissimus, & sanctissimus, obijt anno Domini 1459. ætatis septuagesimo, quem in sanctorum Catalogum retulit Adrianus VI. Pontifex.

Scripsit summam historialem in tres partes diuisam.

Summam Theologicam, in quatuor partes diuisam.

Librum de eruditione Confessorum, qui dicitur, Defecerunt, quia incipit, Defecerunt scrutinio.

Dicitur etiam scripsisse Trialogum de Christo, & duobus discipulis euntibus in Emmaus, in quo explicantur omnia, quæ de vita, morte, & Resurrectione Domini prædicta sunt.

De AEnea Syluio. 1450.

AEneas Syluius, patria Senensis, vir doctus, prudens, & magni animi, ac primum à secretis Imperatoris, deinde Episcopus Senensis, tum Cardinalis, denique summus Pontifex Pius secundus, dum expeditionem magnam aduersus Turcas Christiani nominis hostes moliretur, obijt anno Domini 1464.

Scripsit de rebus Ecclesiasticis contra Thaboritas librum vnum.

Ad Nicolaum de Cusa, lib. 1.
De Fide ad Imperatorem Turcarum.
De historia Boemorum.
De clade Constantinopolitana.
De clade vniuersalis Ecclesiæ.
De conuentu Mantuano, Oratio.
Ad Callistum Papam, Oratio.
Ad Cardinales, Oratio.
Decadum Blondi, Epitomem.
Epistolas multas.
De Concilio Basileensi, libros duos.
Retractationem.
Commentaria de rebus à se gestis.
Responsionem ad Martinum Meier pro Ecclesia Romana.

Scripsit præterea multa ad humanitatem, ad poësim, ad Chorographiam pertinentia.

Obseruatio prima.

Quæ scripsit AEneas pro Concilio Basileensi, cum iuuenis esset, retractauit senex, & Pontifex Maximus: & quamuis libri illi de Concilio Basileensi merito prohibiti sint ab Ecclesia Catholica: tamen hæretici Basileenses, qui nuper eosdem libros recuderunt, non tam Ecclesiæ Catholicæ, quàm causæ suæ detrimentum attulerunt. Siquidem ex historia illa AEneæ Syluij de Concilio Basileensi, apparet illud Concilium initio fuisse legitimum: sed vbi verum Pontificem Eugenium quartum deponere aggressi sunt Patres illi, iam non habuisse formam veri Concilij, non solum, quòd acephalum esset, sed etiam quòd contra formam omnium veterum Conciliorum plures essent in eo Conuentu Presbyteri cum voce decisiua, quàm Episcopi: notissimum enim est, concilia generalia, vt etiam prouincialia, Episcoporum esse, non minorum Sacerdotum: sic enim legimus in Concilio Chalcedonensi actione prima, Mitte foras superfluos; Concilium Episcoporum est. Vide, si placet, quæ scripsimus lib. 3. de Ecclesia cap. 16.

Obseruatio secunda.

Extant Commentaria de rebus gestis Pij secundi sub nomine Ioannis Gobellini, sed dubium est, an illud opus sit ipsius Pij Pontificis, an vero eius, sub cuius nomine prodijt: extant enim manuscripta commentaria eodem sub nomine Pij secundi, & stylus videtur esse idem in hoc opere, & in alijs eiusdem auctoris, sed res non est magni momenti.

De Andrea Barbatio. 1460.

ANdreas Barbatius Siculus, floruit anno 1460.

Scripsit in Decretales.

Scripsit etiam de Cardinalium præstantia.
Scripsit quoque varia consilia.

De Laonico Chalcondyla. 1460.

LAonicus Chalcondyla Atheniensis, scripsit historiam libris decem de origine, & rebus gestis Turcarum vsque ad sua tempora, id est, ad annum Domini 1462. cui historiæ addita est appendix, qua continuatur historia vsque ad annum Domini 1565. hunc auctorem ponimus inter Ecclesiasticos, quoniam eius historia plurima continet ad res Christianas pertinentia.

Quia tamen hic auctor ab hæretico homine latinitate donatus est, & annotationibus in margine positis auctus, in Indice librorum prohibitorum eius lectio interdicta inuenitur. Ipse etiam Laonicus non caret narrationibus falsis, quas temere credidit rerum nostrarum ignarus.

De Ioanne Bassolio. 1460.

IOannes Bassolius Ordinis Minorum, scripsit in quatuor libros sententiarum non contemnenda Commentaria. viuebat anno Domini 1466.

De B. Laurentio Iustiniano. 1440.

B. Laurentius Iustinianus, patria Venetus, ac primum Canonicus Regularis, deinde Episcopus Venetiarum, postremo primus eiusdem Vrbis Patriarcha, floruit doctrina, sanctitate, & miraculis temporibus Eugenij quarti, & Nicolai quinti Pontificum Romanorum, circa annum Domini 1440. Obijt anno 1455. Scripsit volumina quindecim, quorum hi sunt tituli:

Lignum vitæ.
De disciplina Monastica.
De connubio Verbi, & Animæ.
De humilitate.
De spirituali interitu animæ.
De triumphali agone Christi.
De interiori conflictu.
De complanctu Ecclesiæ.
De corpore, & sanguine Christi.
De vita solitaria.
De contemptu mundi.
De sermone Domini in cœna.
De officio Pastorali.
De obedientia.
De gradibus perfectionis.

Scripsit præterea sermones quadraginta. Obijt anno ætatis 74. Episcopatus vicesimoquarto, sed quinque annis vltimis fuit etiam Patriarcha.

De Ioanne de Turrecremata. 1440.

IOannes de Turrecremata, natione Hispanus, Ordinis Prædicatorum Cardinalis Presbyter sancti Sixti ab Eugenio quarto creatus, postea Episcopus Cardinalis Sabinus, Theologus, & Iureconsultus eximius obijt anno Domini 1468. ætatis 80. maior.

Scripsit Summam de Ecclesia, quatuor libris.

Apparatum super Decretum Eugenij IV. de vnione Græcorum cum Latinis.
Commentaria in Decretum Gratiani.
In Psalterium.
In Euangelia Dominicalia.

In Euangelia de Sanctis.
De corpore Christi contra Bohemos.
De salute animæ.
De aqua benedicta.
De Conceptione B. Virginis.
In Regulam sancti Benedicti.
Meditationes de vita Christi.

De Matthæo Palmerio. 1440.

MAtthæus Palmerius Florentinus, vixit tempore Concilij Florentini, vt ipse testatur in Chronico. Scripsit, siue continuauit Chronicum ab anno 449. vbi desijt S. Prosper, vsque ad annum 1449. Scribit quidem Ioan. Trithemius, hunc Matthæum postea de hæresi conuictum, & damnatum fuisse, sed in Chronico ipsius nullum ego erroris inueni vestigium.

De Matthia Palmerio. 1440.

MAtthias Palmerius Pisanus, vixit eodem seculo, & continuauit Chronicum Matthæi ab anno 1450. vsque ad millesimum quadringentesimum octuagesimum primum.

De Bessarione Cardinali. 1440.

BEssarion natione Græcus, patria Trapezuntius, dignitate Episcopus Nicænus, postea Cardinalis S. R. E. ab Eugenio quarto Pontifice creatus, multis legationibus perfunctus, multisque alijs pijs laboribus fatigatus, obijt anno Domini 1472. Sixto quarto sedente.

Scripsit Orationem pro vnione, prolixam, & doctissimam, quæ extat Græcè, & Latinè sess. 25. Concilij Florentini.

Scripsit quoque aliam breuiorem, quæ pariter extat Græcè, & Latinè sess. 1. eiusdem Concilij.

Scripsit etiam librum aduersus Marcum Ephesium pro defensione Ecclesiæ Romanæ.

Scripsit quoque de verbis consecrationis aduersus eundem Marcum.

Scripsit de illo Ioannis 21. Sic eum volo manere, donec veniam.

Scripsit denique multa Philosophica in defensionem Platonis: & Metaphysicam Aristotelis latinitate donauit: & libros tres consolatorios ad Imperatorem Græcorum misisse dicitur.

De Georgio Scholario. 1440.

GEorgius Scholarius vir inter Græcos sapientissimus.

Scripsit Orationes quatuor de pace inter Græcos, & Latinos ineunda, quæ habentur Græcè, & Latinè post Concilium Florentinum: hic idem censetur esse ille Gennadius (quippe qui mutauerit nomen assumptus ad Patriarchatum Constantinopolitanum) qui scripsit quinque Orationes de quinque articulis controuersis pro veritate Catholica.

De processione Spiritus sancti.
De primatu Papæ.
De Azymo.
De Purgatorio.
De visione Dei ante resurrectionem corporum.

A

De Iosepho Methonensi. 1440.

IOseph Episcopus Methonensis eodem tempore scripsit librum responsionis pro Concilio Florentino ad librum Marci Ephesij calumniatoris eiusdem Concilij. Extat autem hæc responsio Græcè, & Latinè post idem Concilium.

De Gregorio Protosincello. 1440.

GRegorius Magnus Protosincellus, ac postea Patriarcha, scripsit responsionem aliam contra Epistolam Marci Ephesij: quæ responsio impressa est Græcè, & Latinè post Concilium Florentinum. Dicitur autem iste Gregorius Romæ sepultus fuisse, & miraculis coruscasse.

De Nicolao de Cusa.

B

NIcolaus de Cusa, natione Germanus Decanus sancti Florini, deinde Episcopus Brixinensis, denique Cardinalis S. Petri ad Vincula à Nicolao V. Pontifice creatus, vir fuit æque pius ac doctus. Obijt anno Domini 1464. ætatis 63.

Scripsit de Visione Dei.
De docta ignorantia.
De reparatione Kalendarij.
De cribratione Alcorani.
De venatione sapientiæ.
De ludo globi mystice.
Aduersus Boemos.
Coniecturam de nouissimis diebus
De dato Patris luminum.
De quærendo Deo.
Directorium speculantis.

C

De filiatione Dei.
Dialogum de Genesi.
De concordantia Catholica.
Sermones per annum, & epistolas ad diuersos.
Scripsit de Mathematica perfectione.
De Berillo.
De apice theorica.
De quadratura circuli; & De fortuna.

Atque hæc in primo tomo.

In secundo Tomo habetur.

Dialogus de Deo abscondito.
De annunciatione Dominica.
Excitationum libri decem.
Epistolæ septem.
Correctio tabularum Alfonsi.

D

De perfectione mathematica.
De Arithmeticæ complementis.
De transmutationibus geometricis.
Complementum Theologicum.

Obseruatio.

Nicolaus de Cusa concordantiam Catholicam scripsit Iuuenis inchoante videlicet concilio Basileensi; & quia magna tunc erat fama Concilij Basileensis, cœpit & ipse cum multis alijs exaltare potestatem Concilij, & deprimere auctoritatem Apostolicæ sedis: sed postea vbi vidit pertinaciam eorum, qui concilio adhærebant, vt etiam auderent schisma facere, & aduersus legitimum Pontificem, idolum erigere; cœpit & grauissimis epistolis eos detestari, & pro extinctione schismatis plurimum laborare. In qua

re imi-

re imitatus est Iulianum sancti Angeli Cardinalem præstantissimum, & Æneam Syluium, postea Pium secundum Pontificem, qui initio concilium Basileense contra Eugenium Pontificem defenderunt: postea vero pro Eugenio Pontifice contra Concilium depugnarunt. Vide retractationem Pij II. in ijs, quæ spectant ad Iulianum Cardinalem: & epistolam Nicolai de Gusa ad Rodericum, in ijs, quæ ad ipsius Nicolai sententiam, & iudicium pertinent.

De Dionysio Carthusiano. 1450.

DIonysius Carthusianus, natione Belga, vir fuit sanctissimus, & doctissimus, vixit in ordine Carthusiano annos 48. obijt anno ætatis suæ 69. qui erat annus salutis 1471.

Scripsit in omnes libros Scripturæ diuinæ.

Scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum.

Scripsit plurima, quorum Catalogum, vna cum vita ipsius, inuenies post finem Commentarij in librum quartum sententiarum.

In libello de quatuor nouissimis cautè legendus est circa statum animarum in Purgatorio degentium.

De Thoma de Kempis. 1460.

THomas de Kempis, natione Belga, professione Canonicus regularis, vir magnæ pietatis, obijt anno Domini 1471. ætatis 91. vt in vita eius, quæ præfixa est operibus ipsius legitur.

Scripsit multorum opinione, quatuor libros de imitatione Christi: de quo opere locuti sumus, cum de Ioannis Gersonis operibus ageremus.

Scripsit sermones ad nouitios.
Sermones ad Fratres.
Dialogos nouitiorum.
De vita solitaria.
De tribus tabernaculis.
De vera compunctione.
Hortulum rosarum.
Vallem liliorum.
Alphabetum Monachi.
Consolationem pauperum.
Epitaphium Monachi.
Qualis debeat esse Monachus.
Manuale paruulorum.
Doctrinale Iuuenum.
De contemptu mundi.
Epistolas ad diuersos.

De Henrico Harphio. 1464.

HEnricus Harphius, natione Belga, patria Mechliniensis, professione Franciscanus, vixit tempore Pauli secundi Pontificis.

Scripsit de decem præceptis, quod opus, speculum aureum nominauit.
Item de tribus partibus pœnitentiæ.
Tractatum de effusione cordis.
Directorium aureum contemplatiuorum.
Collationes tres.
Sermones per Quadragesimam.
Denique de mystica Theologia libros tres.
Quod est præcipuum inter opera Harphij.

Sed hoc opus interdictum fuit in Indice librorum prohibitorum, nisi repurgatum esset ad exemplum eius, quod repurgatum prodijt Romæ anno 1585.

De Alexandro Imolensi. 1470.

ALexander Tartagnus de Imola, scripsit in sextum, & Clementinas; præter multa consilia, & alia, quæ scripsit in codicem, & digestum.

De Baptista Platina. 1472.

BAptista Platina, patria Cremonensis, vixit tempore Sixti Papæ quarti, cui dedicauit librum de vitis Pontificum Romanorum, & obijt anno Domini 1481.

Scripsit librum de vitis Pontificum à sancto Petro, vsque ad Paulum secundum, cui libro addidit Onuphrius Panuinius notas non contemnendas; & præterea vitas sequentium Pontificum vsque ad Pium quintum, quam tamen solum inchoauit.

Scripsit præterea librum de naturis rerum, & libros decem de honesta voluptate, & valetudine, & epistolas ad diuersos.

De Ambrosio Camaldulensi. 1480.

AMbrosius Camaldulensis, Florentinus, Abbas generalis Ordinis sui, vir fuit doctus, & prudens, & obijt anno 1490.

Scripsit Tractatum de Spiritu sancto.
Item de Sacramento Corporis Christi.
Item orationes, quarum vnam Græco idiomate habuit Ferrariæ coram Imperatore Græco, & Episcopis Græcis.
Scripsit etiam Epistolas multas.
Et vitas sanctæ Eugeniæ Virginis, & Martyris.
Necnon Proti, & Iacinthi Martyrum.
Vertit autem ex lingua Græca in Latinam librum sancti Basilij de Virginitate.
Vitam sancti Ioannis Chrysostomi.
Et Homilias eiusdem in Matthæum.
Item libros sancti Dionysij Areopagitæ.
Et alia non pauca.

De Pacifico. 1480.

PAcificus Ordinis Minorum, vixit circa annum 1480. Scripsit summam casuum conscientiæ, quæ pacifica nominatur: ea summa ex Latino idiomate in Italicum conuersa edita fuit Venetijs anno 1574. & 1580.

De Angelo Clauasio. 1480.

ANgelus à Clauasio, Ligur, Ordinis Minorum, scripsit summam casuum conscientiæ, quæ Angelica dicitur. vixit circa annum Domini 1480.

De Baptista Trouamala. 1483.

BAptista Trouamala Ordinis Minorum eodem tempore scripsit Louanij summam casuum conscientiæ, quæ dicitur Rosella.

De VVernero Vesphalo. 1484.

VVernerus Vesphalus scripsit Fasciculum temporum ab initio mundi vsque ad annum 1484. continuauit hoc opus Ioannes Linturius vsque ad annum millesimum quingentesimum decimumquartum.

De Gabriele Biel. 1490.

GAbriel Biel, natione Germanus, qui Tubingæ diu docuit, floruit circa annum Domini 1490.

Scripsit Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum.

Item expositionem Canonis Missæ, & Sermones varios.

De Iacobo de Valentia. 1490.

IAcobus de Valentia Episcopus Christopolitanus, vixit circa annum 1490. vt colligitur ex procemio Fini Hadriani.

Scripsit Commentaria in Psalmos, & in Cantica Salomonis.

Scripsit etiam in Cantica Zachariæ, B. Virginis, & Simeonis, & in Hymnum, Te Deum laudamus, & contra Iudæos de Christo reparatore generis humani.

De Cypriano Beneto. 1490.

CYprianus Benetus Aragonensis Ordinis Prædicatorum, scripsit quatuor Tractatus, qui extant; vnum de prima Orbis sede: alterum de Concilio: tertium de potestate Ecclesiastica: quartum de Pontificis maximi potestate.

De Fino Hadriano. 1490.

FInus Hadrianus Ferrariensis, viuebat senex anno 1503. vt ipse testatur in procemio sui operis, scripsit in vltima sua ætate volumen magnum, & egregium, libris nouem distinctum, quod inscripsit, Flagellum in Iudæos. Extat excusum Venetijs anno Domini 1538.

De Ioanne Pico. 1490.

IOannes Picus Mirandulæ Comes, vir ingenio, & doctrina (pro ætate) maximus. vixit annos solum triginta tres, & obijt anno Domini 1494. scripsit tamen:

In primum caput Genesis, & de opere sex dierum expositionem multiplicem libris septem comprehensam.

Item explicationem Orationis Dominicæ.

Item conclusiones nongentas, quas disputandas publicè proposuit.

Item Apologiam aduersus eos, qui aliquot eius conclusiones carpebant.

Item de ente, & vno.

Item de hominis dignitate.

Item regulas Christianæ vitæ, ad vincendas tentationes, & mundum perutiles.

In Psalmum 15. Conserua me Domine, explicationem.

De Christi Regno, & Mundi vanitate.

De Astrologia, siue potius contra Astrologiam iudiciariam lib. 12.

Item in conuiuium Platonis libros tres. Denique elegias, & epistolas varias. Quid si hoc ingenium alijs triginta annis excoli potuisset? Omnino enim nihil ei defuit nisi maturitas.

De Marsilio Ficino. 1490.

MArsilius Ficinus, Florentiæ natus est, vt ipse testatur in quadam epistola, anno Domini 1433. Obijt vero anno 1499. Vir fuit peritus non vulgariter, tum

A sacræ Theologiæ, tum etiam Platonicæ philosophiæ.

Opera eius duobus tomis excusa sunt Basileæ anno 1561.

In primo Tomo.

De Christiana religione, lib. 1
De immortalitate animorum, lib. 18
In epistolas beati Pauli, ascensus vsque ad cælum ad Paulum intelligendum. Sed non explicat nisi epistolam ad Romanos.
Prædicationes habitæ ad Fratres.
De sanitate tuenda studiosorum, lib. 1
De vita producenda, lib. 1
De vita cælitus comparanda, 1
Apologia, in qua, de Medicina, Astrologia, vita Mundi, & de tribus Magis agitur.
B Antidotus Epidimiarum.
Epistolarum, lib. 12
De sole, liber allegoricus, & anagogicus.
De lumine liber.
De voluptate liber.

In secundo Tomo sunt.

Aut versiones Librorum, aut opera Platonica.

De Iacobo Philippo Bergomensi. 1494.

IAcobus Philippus Bergomensis, Ordinis S. Augustini viuebat anno Domini 1494.

Scripsit historiam ab initio mundi vsque ad annum Domini 1436. libris quindecim, quod opus inscripsit supplementum chronicorum.

C Scripsit etiam de claris mulieribus Christianis.

De Antonio Bonfinio. 1500.

ANtonius Bonfinius viuebat anno 1500. Scripsit historiam Hungaricam: & Cõmentarium de pudicitia. Sed hoc in Indice Romano prohibitum est.

De Roberto Gaguino. 1500.

RObertus Gaguinus Gallus, Ordinis S. Trinitatis Generalis, viuebat anno Domini 1500.

Scripsit pro Conceptione beatæ Virginis tam carmine, quàm soluta Oratione libros duos.

De miseria humana, lib. 1
Orationes, & epistolas.
D Denique de origine, & Regibus Francorum, libros duodecim vsque ad Carolum VIII.

Quæ est historia annorum mille, & ducentorum.

De Marco Antonio Coccio Sabellico. 1500.

MArcus Antonius Coccius Sabellicus, vir valde eruditus viuebat anno Domini 1500. Eius opera quatuor tomis Basileæ excusa fuerunt anno 1560.

In primo Tomo continetur historia ab Orbe condito, per enneades quinque, id est, libros quadraginta quinque.

In secundo continetur continuatio historiæ per enneades sex, id est, libros quadraginta septem: nam enneadis vltima non habet ni-

si libros

si libros duos. In eodem tomo continetur historia Veneta per decades tres, & quartæ libros tres.
In tertio continentur supplementi per alios additi libri viginti nouem.
In quarto exemplorum libri decem.
De Aquileiæ antiquitate lib. 6
De Venetæ Vrbis situ. 4
De Venetis Magistratibus. 1
De Prætoris officio. 1
De officio scribæ dialogus.
De Latinæ linguæ reparatione dialogus.
Epistolarum lib. 12
Orationes. 12
Poëmata varia.

De Paulo Middelburgio. 1500.

PAulus Middelburgius Episcopus Forosempronij, viuebat anno 1500. & scripsit ad Leonem decimum libros de tempore Paschali, & ad Maximilianum Imperatorem libros de die passionis Domini, qui notissimi sunt.

De Ioanne Nauclero. 1500.

IOannes Nauclerus Præpositus Tubingensis viuebat an. 1500. Scripsit ingens Chronicum continens res memorabiles ab initio mundi vsque ad annum Dom. millesimum quingentesimum. Opus distinguitur in duo volumina, & primum quidem continet generationes 63. ab Adam vsque ad Christum, alterum continet generationes quinquaginta, & vnam.

De Alberto Krantzio. 1500.

ALbertus Krantzius Bambergensis, vir admodum diligens in historijs conscribendis, viuebat anno Dom. millesimo quingentesimo.

Scripsit Metropolim, quæ continet historiam Ecclesiasticam.

Item historiam Saxonicam, & Vandalicam, & Chronicum aliarum Septentrionalium regionum. Sed impiæ notæ ad marginem additæ ab hæreticis, fecerunt, vt libri huius auctoris prohiberentur in Indice Romano, donec purgarentur.

De Felino. 1500.

FElinus Sandeus Ferrariensis, Iurisconsultus celeberrimus, viuebat anno Domini 1500.
Scripsit in libros Decretalium.
Item Tractatum de Iure patronatus.
Sermonem de Indulgentia plenaria, & alia.

De Ioanne Trithemio. 1500.

IOannes Trithemius, natione Germanus, Abbas Spanhemensis, Ordinis S. Benedicti, viuebat anno 1500. & obiit anno 1519. ætatis suæ 57.

Scripsit opera plurima, sed notiora sunt historica, quæ simul edita sunt Francofurti anno 1600.

Scripsit igitur:
De illustribus viris Germanis.
De illustribus viris, Ordinis sancti Benedicti.
De Scriptoribus Ecclesiasticis.
A Chronicum Monasterij Hirsaugiensis.
Chronicum Monasterij Spanhemensis.
De origine Francorum.
De successione Ducum Bauariæ, & Comitum Palatinorum.

Scripsit etiam Epistolas, Sermones, & varia opera spiritualia. Denique scripsit de septem secundis intelligentijs orbem mouentibus, & opus inscriptum steganographiam, id est, occultam scriptionem, quod opus prohibitum meritò est, cum sit plenum perniciosis dogmatibus ad Magiam pertinentibus. quod & ipse agnouit, & confessus est.

De Iacobo VVimphelingio. 1500.

IAcobus VVimphelingius Presbyter Ecclesiæ Spirensis, Orator, Poëta, & Historicus non contemnendus, viuebat anno Domini
B 1500. Scripsit præter alia Epitomen rerum gestarum per Germaniam.

De Baptista Mantuano. 1500.

BAptista Mantuanus, Ordinis Carmelitarum Prior generalis, Poëta fuit doctus, & pius: & multa carmina scripsit in laudes Sanctorum. viuebat anno Domini millesimo quingentesimo.

De Thoma Caietano. 1500.

THomas de Vio, patria Caietanus, Ordinis Prædicatorum Prior generalis, ac postea Cardinalis Presbyter à Leone decimo creatus, vir fuit summi ingenii, nec minoris pietatis. viuebat anno Dom. 1500. & obiit anno Dom. millesimo quingentesimo trigesimoquarto, ætatis 66.

C Scripsit Commentaria in omnem sacram Scripturam, præterquam in Prophetas, & in Apocalypsim.

Scripsit etiam Commentaria in totam Summam S. Thomæ. Denique opuscula permulta, & librum Ientaculorum, & Summam Casuum conscientiæ, quæ notissima sunt.

De Dominico Iacobatio.

DOminicus Iacobatius Romanus, Rotæ auditor, & postea Cardinalis à Leo X. creatus anno millesimo quingentesimo decimoseptimo.

Scripsit insigne opus de Concilijs.

De Iacobo Sanazario. 1500.

IAcobus Sanazarius eodem tempore scripsit egregium Carmen de partu Virginis.

D De Francisco Ferrariensi. 1500.

FRanciscus Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum Prior generalis, viuebat anno Domini millesimo quingentesimo, & obiit anno millesimo quingentesimo vigesimooctauo.

Scripsit egregia Commentaria in Summam sancti Thomæ contra gentes: scripsit etiam de vita B. Osannæ Mantuanæ lib. sex, & multa philosophica.

De Ioanne Francisco Pico. 1500.

IOannes Franciscus Picus, Ioannis Pici nepos, vir doctus, & pius, viuebat anno Dom. millesimo quingentesimo.

Scripsit de rerum prænotione libros nouem aduersus vanitatem Astrologorum.

Scripsit etiam pro veritate religionis Christianę contra superstitiones gentilium: & opera alia permulta tum prosa, tum versu, quæ satis nota sunt.

De Ioanne Tabiensi. 1500.

IOannes Tabiensis natione Ligur, Ordinis Prædicatorum Theologus, & Canonista, scripsit summam Casuum conscientiæ, quæ Tabiena dicitur, quam Thomæ Caietano dicauit.

De Hectore Boëthio. 1500.

HEctor Boëthius Scotus, scripsit libros 17. historiæ Scoticæ. Scripsit etiam descriptionem Regni Scotiæ, & Regum Scotorum.

De Iacobo Almaino. 1500.

IAcobus Almainus, Doctor Parisiensis, viuebat anno Domini millesimo quingentesimo, & scripsit in tertium, & quartum sententiarum.

Item moralia. Item opuscula varia.

De Ioanne Maiore. 1500.

IOannes Maior, natione Scotus, viuebat anno Domini 1500.

Scripsit in quatuor lib. sententiarum; item Commentarium in Matthæum, & historiam maioris Britanniæ.

De Adriano sexto. 1500.

ADrianus sextus Pontifex, natione Traiectensis in Belgio, viuebat anno Domini millesimo quingentesimo, & obijt anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio. Vir fuit optimus, & doctissimus, & merito doctrinæ, & pietatis ex humili loco, & pauperrima domo ascendit ad magnas opes, & maiores honores. Scripsit disputationes in quartum sententiarum: & epistolas insignes, quarum vna valde prolixa, & docta ad Saxoniæ Ducem, extat in tomis conciliorum.

De Francisco Lycheto. 1500.

FRanciscus Lychetus, Ordinis Minorum Minister generalis, viuebat anno millesimo quingentesimo, edidit Commentaria in tres primos libros sententiarum, iuxta doctrinam Scoti.

De Syluestro Prieriate. 1500.

SYluester Prieras, natione Pedemontanus, Ordinis Prædicatorum, Magister sacri Palatij, viuebat anno Domini millesimo quingentesimo, & primus omnium scripsisse dicitur aduersus Martinum Lutherum.

Sed scripsit etiam in quatuor libros sententiarum.

Item summam casuum conscientiæ.

Librum super Euangelia inscriptum, Aurea Rosa.

Librum de strigibus.

Conflatum ex operibus sancti Thomæ, quatuor voluminibus comprehensum, & alia nonnulla.

De Ioanne Eckio.

IOannes Eckius, natione Sueuus, viuebat anno 1500. & ex primis fuit, qui hæresiarchæ Luthero, & coram disputando, & scriptis libris strenue se opposuit.

A Scripsit Enchiridion, in quo controuersias ferè omnes breuiter, & dilucidè comprehendit.

Scripsit etiam seorsim de sacrificio Missę libros duos.

Et deinde iterum alios tres.

Item de primatu sancti Petri.

De pœnitentia, & virtutibus pœnitentiæ annexis.

Item postillas, siue homilias de tempore, & de Sanctis.

Scripsit quoque multa Philosophica in libros 8. Physicorum,

In libros de cælo,

In libros de generatione,

B In Meteora,

In libros de Anima, & alia.

De Conrado Koellin. 1500.

COnradus Koellin Germanus, Ordinis Prædicatorum, viuebat anno 1500. & obijt senex anno millesimo quingentesimo trigesimo sexto.

Scripsit egregiè in primam secundæ sancti Thomæ.

Scripsit etiam Quodlibeta multa: & præterea opus inscriptum Euersio Lutherani Epithalamij 4. libris comprehensum.

De Francisco Titelmanno. 1500.

FRanciscus Titelmannus, Belga, Ordinis Minorum, vir sanctus, & doctus, cuius omnia scripta, etiam Philosophica miram pietatem spirant, viuebat anno 1500. &

C scripsit Apologeticum pro editione vulgata scripturæ: & simul collationem super epistolam ad Romanos contra Iacobum Fabrum, & Desiderium Erasmum adhuc viuentes, quæ excusa sunt Antuerpiæ anno millesimo quingentesimo vigesimo nono. Scripsit in Psalmos, in Cantica, in prima capita Iob, & alia, quæ notissima sunt.

De Ioanne Roffense. 1500.

IOannes Fischerus, natione Anglus, Episcopus Roffensis, ac postea S. R. E. Cardinalis, &, quod longe gloriosius est, Martyr Christi, occisus Henrici octaui Regis Anglorum iussu anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto, iam senex, & multis perfunctus laboribus: proinde florebat

D anno Domini 1500.

Scripsit aduersus articulos Lutheri, quos Leo decimus Papa damnauerat.

Scripsit etiam contra librum eiusdem Lutheri, qui inscribitur, de captiuitate Babylonica.

Et de Christiano Sacerdotio contra eundem.

Scripsit item de Eucharistia contra OEcolampadium.

Item de vnica Magdalena contra Iacobum Fabrum.

Item in septem Psalmos. Eiusdem esse creditur assertio septem sacramentorum, quæ nomine Regis Henrici octaui prodijt.

Porrò liber de fiducia, & misericordia Dei, qui in Indice Romano prohibetur, aut est al-

terius Ioannis Fischeri, aut falsò nostro attributus fuit.

De Thoma Moro. 1500.

THomas Morus æqualis fuit Ioannis Fischeri, eique amicissimus, & nobilis collega Martyrij. Fuit autem vir doctrina varia excultus, & ingenij amœnissimi: quippè Theologus, Philosophus, Orator, Poeta, Historicus, linguæ Græcæ, & Latinæ peritus.

Scripsit, vt Theologus, insignem responsionem ad epistolam Martini Lutheri: necnon explicationem passionis Dominicæ. Item libellum, Quod pro fide Christi mors fugienda non sit.

Vt Philosophus libros duos de optimo statu Reip. quos Vtopiam inscripsit.

Vt Orator, declamationem Lucianicæ respondentem.

Vt Poëta, Epigrammata plurima.

Vt Historicus, res gestas Richardi tertij Angliæ Regis.

Vt linguæ vtriusque peritus, Dialogos Luciani è Græca lingua in Latinam conuertit.

De Ioanne Fabro. 1500.

IOannes Faber, Episcopus Viennensis, viuebat anno 1500. & vnus fuit ex præcipuis Doctoribus, qui Luthero, & Lutheranis restitit.

Scripsit Malleum hæreticorum libris sex.

Orthodoxæ fidei Catholicæ defensionem aduersus Balthassarem Pacimontanum.

Librum de potestate Summi Pontificis contra Lutherum.

Homiliarum de sanctissima Eucharistia, & aliorum argumentorum ingentem numerum, & alia, quæ notissima sunt.

De Iacobo Latomo. 1500.

IAcobus Latomus Belga insignis Theologus, viuebat anno 1500. Scripsit de Ecclesia, de Primatu Pontificis, de Confessione secreta, Responsionem ad articulos Lutheri, de Missa, de Fide, & operibus, & alia, quæ extant Louanij simul excusa anno 1500. obijt anno.

De Ioanne Driedone. 1500.

IOannes Driedo Aturnhat Belga vir doctissimus, scripsit libros quatuor de Ecclesiasticis Scripturis & dogmat. de libertate Christiana lib. 3. de captiuitate, & redemptione generis humani lib. 1. de Concordia liberi arbitrij, & prædestinationis diuinæ lib. 1. De gratia, & libero arbitrio lib. 2. extant impressa omnia Louanij anno 1556.

De Ioanne Cochlæo. 1500.

IOannes Cochlæus Norimbergensis, vir doctissimus, & fidei Catholicæ propugnator eximius, viuebat anno 1500. sed obiit 1552.

Scripsit opuscula plurima contra Lutherum, Melanchthonem, & alios sectarios.

Scripsit librum de Actis, & scriptis Lutheri, valde vtilem ad Lutheranos confundendos.

Scripsit Septicipitem Lutherum, vt ostenderet Lutheri contradictiones, & inconstantiam.

Scripsit historiam Hussitarum libris duodecim.

Denique non solum scriptis plurimis Lutheranos exagitauit, sed obtulit se ad disputandum cum quouis Lutherano, sub pœna capitis, si in probationibus defecisset: cuius rei testis est Surius in historia anni 31. & ipse etiam Cochlæus in libro de actis, & scriptis Lutheri.

De Francisco Victoria. 1500.

FRanciscus Victoria, natione Hispanus, Ordinis Prædicatorum, viuebat anno 1500. & obiit anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. Vir fuit egregiè doctus, & scripsit Relectiones valde eruditas.

De potestate Ecclesiæ.

De potestate ciuili.

De potestate Concilij.

De Indis.

De Matrimonio.

De augmento charitatis.

De eo ad quod tenetur perueniens ad vsum rationis.

Extat sub eius nomine summa de Sacramentis. Sed eam non ipse, sed discipuli eius ex scriptis ipsius collegerunt.

De Dominico Soto. 1500.

DOminicus Sotus, patria Segobiensis, Ordinis Prædicatorum, vir doctissimus, & pius valde, qui Carolo V. Imperatori à sacris Confessionibus fuit, & Concilio Tridentino interfuit anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, & obiit anno 1560.

Scripsit opera, quorum ipse Catalogum texit in recognitione operum suorũ, quam posuit in extremo libro suo in quartum sententiarum.

Scripsit igitur Commentarium in epistolam ad Romanos.

De natura, & gratia libros tres.

De ratione tegendi, & detegendi secretum, libros tres.

De Iustitia, & Iure libros decem.

Commentaria in quatuor libros sententiarum, in duobus tomis diuisa.

Ad hæc, in Dialecticam, & Philosophiam Aristotelis Commentaria, & opuscula minutiora de iuramento, In causa pauperum, & alia id genus. hæc ille: qui postea scripsit etiã Apologiam aduersus Ambrosium Catharinũ, qui de certitudine gratiæ cum eo contendere cœperat: quæ Apologia habetur adiuncta libris de natura, & gratia.

De Ambrosio Catharino. 1500.

AMbrosius Catharinus, patria Senensis, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Compsæ, viuebat anno Dom. 1500. & obiit senex anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo. Multa scripsit, quæ extant, sed aliqua iudicio Ecclesiæ improbata, vt de verbis, quibus Christus confecit Sacramentum Eucharistiæ: aliqua communiter à Doctoribus refelluntur, vt de certitudine gratiæ; De prædestinatione; De loco decedentium cum peccato originali, & alia.

Quare opera eius cautè legenda sunt.

Scripsit in quinque priora capita Genesis.

Et in Epistolas sancti Pauli.
Et in Epistolas Canonicas.
Scripsit aduersus Martinum Lutherũ, opus impressum anno millesimo quingentesimo vigesimoprimo, & alia, quæ nota sunt.

De Martino Nauarro.

Martinus Aspilcueta Nauarrus, vir doctissimus, & piissimus, viuebat anno 1500. Quippè, qui natus est anno 1493. & peruenit ad annum millesimum quingentesimum octogesimumsextum, ætatis suæ 94. vt est in epitaphio ipsius: & colligitur ex verbis eius, qui octogenarium se fuisse scripsit, cum Manuale dedicauit Gregorio XIII. Pontifici anno eius primo.

Scripsit multa opera, quæ sex tomis continentur, edita Venetijs 1602.

In primo tomo sunt.

Vita eius. Manuale.
De vsuris. De cambijs.
De simonia mentali.
De furto notabili.
De necessitate defendendi proximum.
De homicidio casuali.

In secundo Tomo sunt.

De silentio in diuinis officijs.
In cap. Inter verba.
Sexta Conclusio perfecta.
De fama, & infamia.
De Regularibus.
De alienatione rerum Ecclesiasticarum.
De spolijs Clericorum.
De redditibus Ecclesiasticis.
Propugnaculum pro libro superiore.
In cap. Humanæ aures.
De incompatibilitate beneficiorum.
De finibus humanorum actuum.

In tertio Tomo sunt.

Commentaria in septem distinctiones de pœnitentia.
De Indulgentijs, siue de Iubilæo.
De Eleemosyna.
De datis, & promissis pro iustitia, vel gratia obtinenda.
De lege pœnali.

In quarto Tomo sunt.

Libri de horis Canonicis, & Oratione.
Miscellanea de Oratione.
In cap. si quando, & in cap. cum contingat, de rescriptis.
In rubricam de Iudicijs.
Relectio in cap. Nouit de Iudicijs.
Relectio in cap. Accepta, de restitut. spoliat.
In cap. Ita quorundam. de Iudæis.

In quinto, & sexto Tomo sunt Consilia, & Responsiones.

Atque hic finis sit libri de Scriptoribus Ecclesiasticis. Cæteri enim Scriptores, qui post annum millesimum quingentesimũ nati sunt, Omnem penè numerum excedunt, & plurimi eorum adhuc viuunt, vt æquum non sit de eorum operibus iudicare.

A

INDEX EXPLANATORVM SACRAE SCRIPTVRAE.

In omnem Scripturam.

Rabanus Maurus.
Anselmus Laudunensis.
Strabus. Hugo Cardinalis.
Nicolaus Liranus.
Dionysius Carthusianus.

Et nostro tempore.

Emmanuel Sà.

In Genesim.

Origenes.
S. Ioannes Chrysostomus.
B S. Cyrillus Alexandrinus.
Eucherius. Procopius. Beda. Rupertus.
Alphonsus Abulensis.
Thomas Caietanus.

Item quæstiones in Genesim.

S. Hieronymi. S. Augustini.
Theodoreti. Bedæ. Alcuini.

Item in primum caput Genesim, siue in Exameron.

Sanctus Basilius. S. Ambrosius.
S. Augustinus de Genesi ad literam, & lib. 13. Confessionum.
Anastasius Sinaita. S. Bonauentura.
Ioannes Picus.

Et nostri temporis.

Aloysius Lipomanus.
C Ambrosius Catharinus.
Benedictus Pererius.
Ascanius Martinengus.
Hieronymus Oleaster.
Hieronymus Vielmius.
Martinus del Rio. Ludouicus Ystella.

In Exodum.

Origenes. Procopius. Beda.
Rupertus. Abulensis. Caietanus.

Quæstiones.

Augustini, & Theodoreti.

Et nostri temporis.

Lipomanus. Oleaster. Pererius.
Ludouicus Ystella.

In Leuiticum.

Origenes. Isichius. Procopius.
Beda. Rupertus. Abulensis.
D Radulphus. Caietanus.

Et quæstiones.

Augustini, & Theodoreti.

Et nostri temporis.

Petrus Serranus.
Hieronymus Oleaster.

In Numeros.

Origenes. Procopius. Beda.
Rupertus. Abulensis. Caietanus.

Et quæstiones.

Augustini, & Theodoreti.

Et nostri temporis.

Hieronymus Oleaster.

In Deuteronomium.

Procopius. Beda. Rupertus.
Abulensis. Caietanus.

Et quæstiones.

Augustini, & Theodoreti.

In po-

INDEX EORVM, QVI *scribunt aduersus Hæreticos.*

AEneas Syluius contra Ioannem Hus, & Hussitas.

Syluester Prieras,
Ioannes Eckius,
Iacobus Latomus,
Ioan. Driedo.
Thomas Caietanus,
Thomas Morus,
Ioannes Roffensis,
Ioannes Faber,
Ioannes Cochlæus,
Dominicus Sotus,
Ambrosius Catharinus,

contra Lutheranos.

Hos sequuti sunt innumerabiles, qui nostro tempore contra præsentes seculi hæreses scriptis libris dimicauerunt, & dimicant.

INDEX THEOLOGORVM *Scholasticorum.*

PEtrus Lombardus.
Gulielmus Antisiodorensis.
Gulielmus Parisiensis. Alexander Halensis.
Vincentius Bellouacensis.
Albertus Magnus. S. Thomas de Aquino.
S. Bonauentura Cardinalis.
Petrus de Tarantasia. Innoc. V.
Vdalricus Argentinensis. Rupertus de Rusia.
AEgidius Romanus.
Richardus de Media Villa.
Henricus de Gandauo. Ioannes Parisiensis,
Ioannes Duns Scotus. Augustinus de Ancona.
Petrus Aureolus. Antonius Andreæ.
Durandus de sancto Pontiano.
Heruæus Natalis Brito. Franciscus Mayrouis.
Gulielmus Okam. Monaldus Dalmata.
Nicolaus Lyranus. Pelagius Aluarus.
Petrus Paludanus. Guido Carmelita.
Adamus Goddamus. Ioannes de Bachone.
Robertus Olkot. Gregorius Ariminensis.
Thomas Argentinensis.
Richardus Armachanus.
Nicolaus de Gorram. Alphonsus Vargas.
Henricus de Hassia. Ioannes Capreolus.
Petrus Alliacensis Cardinalis.
Ioannes Gerson. Thomas Valdensis.
Augustinus de Roma. Ioannes de Capistrano.
Ioannes Bassolius.
Ioannes de Turrecremata Card.
Nicolaus de Cusa Cardinalis.
Dionysius Cartusianus.
Gabriel Biel. Marsilius ab Ingen.
Ioannes Picus Mirandulanus.
Thomas Caietanus Cardinalis.
Iacobus Almainus. Ioannes Maior.
Franciscus Ferrariensis. Syluester Prieras.
Hadrianus Papa. Franciscus Lychetus.
Conradus Koellim. Franciscus Victoria.
Dominicus Sotus.

INDEX COLLECTORVM, *& expositorum sacrorum Canonum.*

DIonysius Exiguus.
Martinus Bracarensis.
Cresconius. Isidorus Hispalensis.
Burchardus Vormaciensis.
Iuo Carnotensis. Gratianus.
Innocentius IV. Papa.
S. Raymundus de Penna Forti.
Henricus Hostiensis. Guido Papa.
Vdalricus de Argentina.
Gulielmus Durantes speculator.
Guido Archidiaconus.
Dinus Mugellanus. Monaldus.
Ioannes Andreas. Petrus Bertrandus.
Ioannes Calderinus. Baldus Perusinus.
Petrus de Ancharano. Antonius de Butrio.
Franciscus Zabarella. Ioannes de Imola.
Ioannes de Anania, Archidiaconus.
Nicolaus Abbas Panormitanus.
S. Antoninus Florentinus. Andreas Barbatius.
Ioannes de Turrecremata.
Alexander Tartaginus, de Imola.
Felinus Sandeus. Dominicus Iacobatius.
Martinus Nauarrus.

INDEX EORVM, QVI *scribunt de casibus conscientiæ.*

S. Raymundus de Penna Forti.
S. Antoninus Florentinus.
Astesanus Astensis. Bartholomæus Pisanus.
Pacificus, auctor Pacificæ summæ.
Angelus de Clauasio.
Baptista Trouamala, auctor Rosellæ.
Thomas Caietanus. Ioannes Tabiensis.
Syluester Prieras. Alexander de Ariosti s.
Bartholomæus Fumus, auctor Armillæ.
Martinus Nauarrus.

INDEX ORATORVM *Christianorum.*

ORigenes. S. Cyprianus.
S. Athanasius. S. Basilius.
S. Ephrem. S. Gregorius Nazianzenus.
S. Ambrosius. S. Gregorius Nyssenus.
S. Gaudentius. S. Io. Chrysostomus.
S. Maximus. S. Augustinus.
S. Eucherius.
S. Petrus Chrysologus.
S. Leo Papa. S. Gregorius Papa.
S. Sophronius Hierosolymitanus.
S. Eligius Episcopus. S. Ildephonsus.
S. Beda. S. Io. Damascenus.
S. Theodorus Studites.
Haymo Alberstatensis. Leo IX. Papa.
Petrus Damiani. Iuo Carnotensis.
Hildebertus Turonensis.
S. Bernardus. Hugo Victorinus.
Richardus Victorinus.
Innocentius III. Papa.
S. Antonius de Padua. Gulielmus Parisiensis.
Iacobus à Vitriaco.
S. Thomas. S. Bonauentura.
Ioannes Taulerus. S. Vincentius.
S. Bernardinus.
AEneas Syluius, Pius II.
B. Laurentius Iustinianus.
Bessarion Nicænus.
Ambrosius Camaldulensis.

INDEX POETARVM Sacrorum.

HEBRAEI.

Moyses, qui librum Iob.
Dauid, qui Psalmos omnes.
Salomon, qui Cantica Canticorum.
Hieremias, qui Threnos vario carminum genere, conscr pserunt.

CHRISTIANI.

Sanctus Cyprianus. Lactantius. Iuuencus.
Sanctus Hilarius.
C. Marius Victorinus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Damasus. S. Ambrosius.
Aur. Prudentius. Ausonius.
S. Paulinus. Synesius. Sedulius.
Sidonius Apollinaris. S. Prosper.
Hilarius Arelatensis. Alcimus Auitus.
Boetius Seuerinus. Venantius Fortunatus.
Paulus Diaconus. Theodulphus.
Rabanus. Petrus Damiani.
Hildebertus. Gothefridus Viterbiensis.
Franciscus Petrarcha.
Robertus Gaguinus.
M. Anton. Sabellicus,
Iacobus VVimphelingius.
Baptista Mantuanus. Ioannes Picus.
Iacobus Sanazarius. Thomas Morus.
Ambrosius Camaldulensis.
Marsilius Ficinus.

INDEX HISTORICORVM Ecclesiasticorum, omissis Scriptoribus sacris.

Iosephus Hebræus. Egesippus.
Iulius Africanus.
Eusebius Cæsariensis.
Ruffinus Aquileiensis.
Paulus Orosius. Palladius.
Seuerus Sulpitius. Theodoretus.
Socrates. Sozomenus. Victor Vticensis.
Cassiodorus. Dacius Mediolanensis.
Euagrius Scholasticus.
Gregorius Turonicus. Beda venerabilis.
Paulus Diaconus. Eginarthus. Freculphus.
Nicetas Dauid. Luitprandus.
VVitichindus. Frodoardus.
Glaber Rodulphus. Georgius Cedrenus.
Ioannes Curopalates. Ingulphus Abbas.
Io. Zonaras. VVilelmus Malmesberiensis.
Henricus Vtidonensis. Petrus Comestor.
Otho Frisingensis. Gulielmus Tyrius.
Helmoldus Bussoniensis.
Gulielmus Neubrugensis.
Rogerus de Houeden. Nicetas Choniates.
Conradus Abbas Vrspergensis.
Honorius Augustudunensis.
Iacobus à Vitriaco.
Matthæus Paris, siue Parisiensis.
Vincentius Bellouacensis.
Nicephorus Callistus. Nicephoras Gregoras.
Io. Villanus. Flauius Blondus.
S. Antonius Florentinus.
AEnæas Syluius. Laonicus Chalcondyla.
Baptista Platina. Antonius Bonfinius.
Robertus Gaguinus. M. Ant. Sabellicus.
Io. Philippus Bergomensis.
Ioannes Nauclerus. Albertus Krantzius.
Iacobus VVimphelingius.
Io. Trithemius. Hector Boethius.

Et nostro tempore.

Cæsar Baronius Congregationis Oratori Presbyter, & postea S. R. E. Cardinalis incredibili labore, & diligentia historiam Ecclesiasticam vniuersam ab aduentu Domini vsque ad annum millesimum ducentesimum, tomis duodecim comprehendit.

INDEX CHRONOLOgorum.

Eusebius Cæsariensis scripsit tempora ab orbe condito vsque ad annum Domini 330.
S. Hieronymus continuauit vsque ad annum 381.
Sanctus Prosper continuauit vsque ad annum 448.
Cassiodorus perduxit ad annum 519.
Marcellinus Comes ad annum 525.
S. Isidorus Hispalensis ad annum 625.
Beda venerabilis ad annum 725.
Nicephorus Constantinopolitanus, ad annum 842.
Ado Viennensis ad annum 879.
Rhegino Abbas ad annum 905.
Hermannus Contractus, ad annum Domini 1050.
Lambertus Schaphnaburgensis, ad annum 1077.
Marianus Scotus ad annum 1083.
Leo Hostiensis ad annum 1087.
Bertoldus Constantiensis ad annum 1100.
Sigebertus Gemblacensis ad annum 1112.
Gothefridus Viterbiensis ad annum 1185.
Dodechinus continuator Mariani, ad annum 1200.
Robertus de monte continuator Sigeberti, ad annum 1212.
Martinus Polonus, ad annum 1285.
Siffridus Presbyter, ad annum 1307.
Matthæus Palmerius, ad annum 1449.
Matthias Palmerius, ad annum 1481.
VVernerus auctor Fasciculi temporum, ad annum 1484.
Ioannes Nauclerus, ad annum 1500.
Ioannes Linturius, continuator VVernerij, ad annum 1514.
Paulus Langius, ad annum 1515.
Alexander Scultetus, ad annum 1541.
Gilbertus Genebrardus ad annum 1566.
Onuphrius Panuinius, ad annum 1570.
Gerardus Mercator, ad annum 1577.
Robertus Bellarminus ab orbe condito, ad annum Domini 1612.

Henricus Samerius, Iacobus Gordonus, Augustinus Torniellus, } Ab orbe condito vsque ad Aduentum Christi.

CHRONOLOGIA BREVIS,

AB ORBE CONDITO, VSQVE AD annum Domini M. DC. XII.

CHRONOLOGIAE PARS PRIOR, ab anno Mundi 1. ad 4055.

Anni Mũdi	Patriarchæ.		Monarchæ Aſſyriorum.		Varia.
1	Adam vixit ann.	930			Quæ dicuntur de Adam, & cæteris Patriarchis, habentur in Geneſi cap. 5. & 11. præterquam de Cainan filio Arphaxad. is enim non habetur in textu Hebræo, ſed addidimus propter Lucæ auctoritatem ex interpretatione LXX.
130	Seth.	912			
235	Enos.	905			
315	Cainam.	910			
395	Malaleel.	895			
460	Iaret.	962			
622	Enoch.	365			Porrò annos Beli, & cæterorum Regum Aſſyriorũ annotauimus ex Euſebio, nec enim apud alium antiquiorem habentur. tamen initium huius regni poſuimus in loco altiore, quam fecerit Euſebius, tum vt eſſet locus Regibus Medorum, quos infra ſubiiciemus: tum etiam quia cum Belus ſit Nembroth nepos Cham, & Ninus ſit Aſſur nepos Noë, vt vult Aug. lib. 16. Ciuit. cap. 3. vel certè filius Nembrothi, nõ videtur credibile, eos non fuiſſe ante tempora Thare, qui fuit decimus à Noë.
687	Mathuſala.	969			
874	Lamech.	777			
1506	Noë.	950			
1556	Sem.	600			
1656	Diluuium durat ann.	1			
1658	Arphaxad.	338			
1693	Cainan.	568			
1723	Sale.	423			
1753	Heber.	464			
1787	Phalech.	239			
1791			Belus reg. an.	65	Belum eſſe Nembrothum, qui Geneſ. 10. ædificauit Babylonem; & Ninum eſſe Aſſur, qui Gen. 10. ædificauit Niniuem probari poteſt tum ex eo quod Abydenus apud Euſebium lib. 9. præparat. Euangel. cap. vltimo, teſtatur Babylonem à Belo conditam: & conſtat Niniuem à Nino ædificatam, de quo vide Diodorum libro 2. cap. 1. tum etiam ex eo quod primus Rex Orbi terrarum cognitus iuxta Scripturas ſacras eſt Nembroth, & iuxta profanas eſt Belus. ex quo non male coniicimus Nembrothum eſſe Belum. Mirum autem eſt cur Mercator Nembrothum velit eſſe Ninum, & tamen fateatur ante eum regnaſſe Belum, cum Scriptura apertè dicat, primum qui cœpit eſſe potens in terra fuiſſe Nembrothum.
1817	Reu.	239			
1849	Sarug.	230			
1856			Ninus.	52	
1879	Nachor.	148			
1908	Thare.	205	Semiramis.	42	
1950			Zameis.	38	
1978	Abraham.	175			
1988			Arius.	30	
2018			Analius.	40	
2058			Xerxes Balaneus.	30	
2078	Iſaac.	180			
2088			Armametres.	38	

Anni Mũdi	*Iudices Hebraeorum.*		*Monarchae Assyriorum.*		Varia.
2126			Belochus.	35	*Ann. 20. Armametris claruit Phoroneus legislator primus.*
2138	Iacob.	147			
2161			Baleus.	52	*Anno 26 Belochi fuit diluuium Ogigis.*
2213			Altadas.	32	
2229	Ioseph.	110			
2245			Mamitus.	30	*Anno 32. Spareti Cecrops Athenas condidit.*
2275			Mancaleus.	30	
2305			Iphareus.	20	
2325			Mamylas.	30	*Per idem tempus fuit diluuium Deucalionis.*
2355			Sparetus.	40	
2395			Ascades.	40	*Anno 6. Ascadis Isis venit in AEgyptum, & litteras docuit.*
2403	Moses.	120			
2435			Amyntas.	45	
2480			Belothus.	25	*Anno 1. Belothi Cadmus floruit, qui litteras Graecas dicitur inuenisse.*
2483	Moses ducit Populum annos	40.			
250			Bellopares.	30	*Eodem anno rapta fuit Europa, ex qua nati sunt Minos, & Radamantus.*
2523	Iosue.	26			
2535			Lamprides.	32	
2549	Interregnum ann.	10			*Pontificum Iudaeorum annos exacte descriptos non inuenimus. constat tamen à Mosis tempore vsque ad Machabaeos fuisse hos. 1. Aaron. 2. Eleazarum. 3. Finees. 4. Heli. 5. Achitoph. 6. Abiathar. 7. Sadoch. 8. Achimas. 9. Azariam. 10. Azariam alium, qui prohibuit Oziã adolere thus. 11. Vriam. 12. Sobnam tempore Ezechiae. 13. Eliachim tempore Manassae. 14. Helciam tempore Iosiae. 15. Saream occisum à Nabuchodonosor. 16. Iosedech in captiuitate. 17. Iesum filium Iosedech. 18. Ioacim. 19. Eliasib. 20. Ioadam. 21. Iohanem. 22. Iaddum. 23. Oniam. 24. Simonem. 25. Eleazarum. 26. Manassem. 27. Oniam. 28. Simonem. 29. Oniam. 30. Aleimum. 31. Iudam Machabaeum. Haec ex Chronologia Nicephori.*
2559	Othoniel Iudex annis	40			
2567			Sosares.	20	
2587			Lamparos.	30	
2599	Aoth.	80			
2617			Panias.	45	
2662			Sosarmus.	19	
2679	Barac, & Delbora.	40			
2681			Mitreus.	27	
2708	Gedeon.	40			
2740			Tanteus.	40	
2759	Abimelch.	3			
2762	Thola.	23			
2780			Thineus.	30	
2785	Iair.	22			
2807	Iephte.	6			
2810			Dercilus.	40	
2813	Abelan.	7			*Hunc Aialon Septuaginta non habent.*
2820	Aialon.	10			*Anno 2821. euersa fuit Troia.*

AEneas

Anni Múdi	*Iudices Hebræorum.*		*Monarchæ Assyriorum.*	Varia.
2830	Abdon. 8			
2838	Sampson. 20			
2850			Eupales. 38	*AEneas in Latio regnat. In annis Heli includuntur etiam anni Sampsonis, ideò 70. Interpretes solum 20. annos adscribunt Heli.*
2858	Heli. 40			
2878	Samuel. 20			
2888			Laosthenes. 45	*Anni Samuel, & Saul in Scriptura veteri non habentur, sed Act.13. dicuntur fuisse 40.*
	Reges Hebræorum.			
2898	Saul Rex. 20			
2919	Dauid. 40			
2933			Piriciades. 30	*Anno 2928. Carthago condita est. proinde merè fabulosa sunt, quæ scribit Virgilius de Didone, & AEnea.*
2959	Salomon. 40			
2963			Ophrateus. 20	
2983			Ophratanes. 50	
	Reges Iuda.	*Reges Israel.*		
2999	Roboam. 17	Hieroboam. 22		
3016	Abia. 3			
3019	Asa. 41			
3021		Nadab. 2		
3023		Baasa. 24		
3033			Ocrazapes. 41	
3047		Hela. 2		
3048		Zambri. dieb. 7 Amri. ann. 12		*Monarchia Assyriorum vsque ad Sardinapalum stetit an. 1330. quamuis Eusebius dicat 1240. & Iustinus lib.1. 1300. & Diodorus lib.2. 1400. & Orosius lib.1. 1160.* *Destructa fuit à Medis, quorum annos describimus ex Ctesiacnidio, qui ex publicis Annalibus eos refert apud Diodorum lib.2.*
3060	Iosaphat. 25	Achab. 22		
3074			Sardanapalus. 20	
3082		Ochozias. 2		
3083		Ioram. 12		
3085	Ioram. 5			
3090	Ochozias. 1 Athalia. 7	Iehu. 28	*Reges Medorum.*	
3094			Arbaces. 28	*Annos Assyriorum, & Babyloniorum partim ex Scriptura, partim ex Beroso apud Iosephum lib.1. contra Appionem petemus.*
3097	Ioas. 40			
3118		Ioachaz. 17		
3122			Mandanes. 50	
3135		Ioas. 16		
3137	Amasias. 29			
3151		Hieroboam. 41		

Anni Mūdi	*Reges Iudæ.*	*Reges Israel.*	*Reges Medorum.*	*Reges Assyriorum.*	Varia.
3163				Phul. 48	*Assyrij rursum incipiunt in Niniue regnare, regnantibus nihilominus etiam Medis. Huius Phul mentio fit. 4. Reg. 15.*
3166	Azarias 52. sedit cum patre annis 12. solus. 40				
3172			Sarsomenes. ann. 30		*Olympiades incipiunt anno 4. Ioathan, id est, anno mundi 3209. Nam constat Cyrum regnare cœpisse Olympiade 55. vt Eusebius, & omnes alij docent : porrò Cyrus regnare cœpit anno mundi 3425. non igitur rectè Eusebius earum initium ponit anno 50. Azariæ. Quod si initium regni Cyri ponatur anno 3547. Olympiades incipient anno 10. Achaz mundi 3232.*
3192		Zacharias m. 6. Sellum men. 1. Manaem an. 10			
3202		Phaceas. 2	Artecarmis. ann. 50		
3204		Phacee. 20			
3206	Ioathan. 16				
3211				Teglath Phalassar. ann. 25	
3222	Achaz. 16				*Roma conditur ann. 12. Achaz, mundi 3233.*
3224		Osee. 9			
3236				Salmanassar. 9	*Salmanasar transtulit decem tribus in captiuitatem. 4. Reg. 17. & Tob. 1.*
3238	Ezechias. 29				*Merodach Baladan regnabat in Babylone eo ipso tempore, quo Assar Addon in Niniue, vt patet ex 4. Reg. 19. & 20. Tamen posuimus eius initium hoc loco, quia post Assar Addon cœpit Merodach regnare etiã in Niniue, vnde non fit amplius mentio in Scripturis Regum Assyriorum, sed solum Babyloniorum.*
3245				Sennacherib. 7	
3252			Arbianus, seu Cardiceas. 22	Assar. Addon. 18	

Anni Mūdi	*Reges Iudæ.*	*Reges Medorum.*	*Reges Babylonis.*	Varia.
3267	Manasses. 55			
3270			Merodach Baladan. 40	*Hunc Merodac putamus esse eum, qui in libro Iudith dicitur Nabuchodonosor. Sicut etiam Arteum, seu Deiocem putamus esse Arphaxad de quo ibidem agitur. Porrò Deioci dedimus 53. annos, quia hunc numerum notauit Herodotus lib. 1. vbi etiam dicit à Deioce ædificatam Ecbatanam, quod in lib. Iudith tribuitur Arphaxad.*
3274		Arteus, qui & Deioces. 53		
3310			Ben Merodach. ann. 21	
3322	Amon ann. 2			
3324	Iosias. 31			*Ex numeris Regum Babyloniorum, qui habentur ex Beroso apud Iosephum lib. 1. cont. Appionē, solum mutauimus duos annos, quos tribuit Euilmerodacho Berosus in 22. annos: nam 4. Reg. vlt. dicitur Euilmerodach regnare cœpisse anno 37. transmigrationis Regis Ioachim : ex quo tempore vsque ad finem Regni Babylonici constat esse annos 44. qui tamen non colligerentur, nisi daremus Euilmerodacho 22. annos. credibile est esse errorem impressorum, præsertim cum omnes alij Chronologi dent ei 22. aut 23. annos.*
3327		Artines, qui & Phraorthes. annis. 22		
3331			Nabulassarus. 29	
3349		Artabanus, qui & Ciaxares. annis. 40		
3355	Ioachaz men. 3 Ioacim ann. 11			
3360			Nabuchodonosor magnus an. 43	

Cyrum

Anni Mūdi	*Reges Iuda.*	*Reges Medorum.*	*Reges Persarum.*	*Reges Babylonis.*	Varia.
3366	Ioachin.m. 3 Sedechias. 11				
3377	CAPTIVITAS annorum 70				
3389		Astiages. 38			
3403				Euilmerodach. 22	
3425			Cyrus. 29	Nirighssoor. ann. 4	
3429				Laboro Sordocus. m. 9	
3430				Baltasàr qui & Nabonidus. 17	

Cyrum posuimus ante Babylonem euersam multis de causis. Primò quia constat eum regnasse post Astiagem translato ad Persas Medorum Imperio, vt habetur Danielis 12. & apud Herodotum lib.1. Diodorum lib. 2. & Iustinum lib. 1. Secundò quia Berosus apud Iosephum lib.1.contra Appionem, & Herodotus libr.1. Iustinus lib.1. & alij dicunt, Cyrum post adeptum Imperium Asiæ tandem venisse contra Babylonem: non igitur incipit Regnum Cyri post euersam Babylonem, sed antea cœpit. Tertiò quia Herodotus lib.1. tribuit Cyro annos 29. Xenophon autem lib.vlt. Cyropediæ tribuit tantum septem, quorum vtrumque concordari potest, si dicamus, Cyrum regnasse in vniuersum annos 29. sed post adeptum imperium Babylonis annos septem. Quis igitur (inquies) est Darius Medus, qui regnauit anno vno post Balthassarem? Danielis 5. 6. & 9. dico eum esse Ciaxarem Astiagis filium, cuius meminit Xenophon. tametsi enim Medus iam nihil erat, nisi Cyri præfectus quidam, aut Regulus, placuit tamen Cyro honorare illum titulo regni Babylonici, quod consanguineus, & senior esset. Vide Iosephum lib.10. antiquitatum, cap.12. & Hieronym. in Danielem.

Anni	*Duces Iudæorum.*	*Monarchia Persarum.*
3447	Captiuitas soluitur.	Cyrus cum Dario ann. 1. solus ann. 7
3448	Zorobabel. 32	
3455		Cambises ann.7. menses. 6
3462		Magus cum fratre menses. 6
3463		Darius Idaspis. 36
3480	Resa. 46	
3499		Xerxes. 21
3520		Artabanus.men. 7
3521		Artaxerxes Longimanus. 40
3530	Ioannes. 40	
3561		Xerxes alius. men. 2 Sogdianus. men. 7
3562		Darius Nothus. 19
3570	Iudas. 14	
3581		Artaxerxes Mnemmon. 43
3584	Ioseph. 7	
3591	Semei. 11	
3602	Matathias. 12	
3614	Maat. 9	
3623	Nagge. 10	
3624		Artaxerxes Ochus. 23
3633	Helli. 8	

Annos Regum Persarum descripsimus ex Diodoro lib.11.13.& 17.item ex Herodoto lib. 2.& 3.& ex Eusebio: sed vbi non conueniunt, Diodorum sequuti sumus.

Alexander Magnus anno 7.Regni sui Macedonici expugnauit Darium, & transtulit Monarchiam Persarum ad Græcos: deinde cum imperasset adhuc annos quinque tandem mortuus est anno 33. ætatis, 12. Regni, & 6. Monarchiæ.post cuius obitum diuisa est Monarchia in plures Reges. Vide Diodorum lib.17. & 18.& Iosephum lib.12. antiquitatum.

Sapientes Gentium. Orpheus, & Linus temporibus Iudicum dicuntur floruisse. Homerus

Anni Mūdi	Duces Iudæorum.	Monarchia Persarum.				Varia.
3641	Nahum. 7					*tempore Salomonis Regis Hierusalem. Thales tempore Iosiæ Regis. Septem Sapientes ad finem captiuitatis. AEsopus eodem tempore. Pythagoras tempore Cyri. Herodotus tempore Xerxis. Socrates, Euclides, Xenophon, Pindarus, & Simonides tempore Artaxerxis. Plato, Isocrates, Demosthenes, AEschines, Aristoteles tempore Ochi, & successorum.*
3647		Arses. 4				
3648	Amos. 14					
3651		Darius. 6				
		Monarchia Græcorum.				
3657		Alexander Magnus. an. 5				
3662	Matathias. 10					
		Diuisio Monarchiæ in quatuor Regna.				
		Reges Macedoniæ.	*Reges AEgypti.*	*Reges Syriæ.*	*Reges Asiæ.*	
3663		Philippus Arrideus. 7	Ptolemæus Lagi. 40			*Theophrastus, Zeno, Epicurus & Menander tempore Ptolemai Largi.*
3668					Antigonus an. 18	
3670		Cassander. 19				
3672	Ioseph. 60					
3676				Seleucus Nicanor. ann. 32		*A Seleuco numerant libri Machabæorum annos Græcorum. Euseb.*
3686					Demetrius. ann. 17	*Demetrius Rex Asiæ à Seleuco captus Imperio priuatur: ita remanent tres tantum Alexandri successores. Eusebius.*
			Reges AEgypti.	*Reges Syriæ.*		
3689		Antigonus, & Alexander. 4				
3693		Demetrius. 6				
3699		Pyrrus m. 7				
3700		Lisimachus. 5				Res Romanæ.
3703			Ptolemæus Philadelphus. 38			*Roma condita est 11. kal. Maij. Plutarch. in Romulo, & in Eutropius lib. 1. Olympiade 7. anno 1. Solinus c. 2. Clemens Alexan. strom. 1. Dionys. Halicarnass. pagina 58. ex quo sequitur conditam eã fuisse an. 12. Achaz, mundi 3233. nam Olympiades cœperunt anno 4. Ioathan, mundi 3209.*
3705		Ptolemæus Ceraunus. 1				
3706		Meleager, m. 2. Antipater, d. 45. Softenes, an. 2				
3708		Antigonus, ann. 36		Antiochus Sother. 19		*Regnatum est Romæ annis 244. Liuius, & Dionys. Halicarn. nimirum regnauit Romulus an. 37. interregnum fuit ann. 1. Numa pompilius regnauit an. 43. Tullus Hostilius 32. Ancus Martius 24. L. Tarquinius Priscus 38. Seruius Tullus 44. L. Tarquinius Superbus 25.*
3727				Antiochus Theos. 15		
3732	Ioannes Hircanus. 17					
3742			Ptolemæus Euergetes ann. 26	Seleucus Gallinicus ann. 20.		

Con-

Anni Mūdi	*Duces Iudæorum.*	*Reges Macedoniæ.*	*Reges AEgypti.*	*Reges Syriæ.*	*Varia.*
3744		Demetrius, ann. 10			*Consules cœperunt anno mundi 3478. Olympiade 68. anno 15. Darij Idaspis. Durauit regimen consulare vsque ad Imperium Iulij Cæsaris annos 462.*
3754	Interregnum apud Iudæos.	Antigonus, ann. 15			
3762				Seleucus Ceraunus ann. 3	*Secessio plebis in sacrum montem, & creatio prima Tribunorum, accidit anno 261. ab Vrbe condita, anno mundi 3495. Olymp. 72. Liu. lib. 2.*
3765				Antiochus Magnus ann. 36	*Magistratus Decemuirorum cœpit anno Vrbis conditæ 303. durauit vix tres annos. Liu. lib. 3.*
3767			Ptolemæus Philopater ann. 17		
3769		Philippus. 42			
3783			Ptolemæus Epiphanes ann. 24		*Dictatorum prima creatio facta est anno Vrbis 253. creato T. Largio. Liu. lib. 2.*
3801				Seleucus Philopater ann. 12	*Tribuni militares Consulari potestate cœperunt anno Vrbis 311. Roma capitur à Gallis anno Vrbis 365. Dionys. lib. 1. Liu. lib. 5.*
3806			Ptolemæus Philometor an. 35		*Bellum Romanorum cum Pyrro Rege anno Vrbis 473. Liu. lib. 13.*
3811		Perses. 10			*Romani ingressi sunt mare, & primum bellū Punicum gesserunt Olympiade 129. anno Vrbis 489. mundi 3723. Polybius lib. 1. durauit 22. annos. Eutropius lib. 3.*
3813				Antiochus Epiphanes. ann. 11	
3821		Regnum Macedoniæ deficit.			*Initium secundi belli Punici fuit Olympiad. 140. anno Vrbis 537. mundi 3771. Polyb. lib. 3. durauit ann. 17. Liu. lib. 30.*
3822	Matathias, ann. 1				
3823	Iudas Machabæus. 6				*Bellum Romanorum cum Philippo Rege Macedoniæ cœpit anno Vrbis 554. mundi 3788. finitum est anno 3821. capto Perse Rege à L. AEmilio Paulo. Vide Liu. lib. 44. & 45.*
3824				Antiochus Eupator. 2	
3826				Demetrius Soter. 12	
3829	Ionathas, ann. 19				*Bellum Asiaticum feliciter confectum est à L. Scipione Africani Scipionis fratre contra Antiochum magnum Regem Syriæ anno Vrbis 564. mundi 3298. vide Liu. lib. 37.*
3838				Alexander ann. 10	

Anni Mūdi	*Duces Iudæorum.*	*Reges Macedoniæ.*	*Reges Ægypti.*	*Reges Syriæ.*	Varia.
3840			Ptolomæus Euerget. 29		*Bellum Punicum tertium cœpit anno Vrbis* 602. *mundi* 3836. *finitum est intra quinquennium à Scipione Africano minore. Florus* lib.49. & 51. *Eutrop.lib.*4.
3848	Simon. 8			Triphon ann. 4	
3851				Antiochus Sedetes. 9	
3856	Ioannes Hircanus. 26				*Bellum Numantinum anno Vrbis* 620.
3860				Demetrius iterum. 4	
3864				Antiochus Griphus. 12	*Bellum Iugurtinum anno Vrbis* 643. *mundi* 3877. *vide Sallustium. Bellum Cimbricum ante Iugurthinum cœpit, sed post Iugurthinum finitum est à* C. *Mario.*
3868			Ptolemæus Phiscon. 17		
3876	*Reges Iudæorum.*			Antiochus Cizicenus ann. 18	*Antiochum hunc Pompeius Regno spoliauit. Appianus Alexandrinus in Syriacis.*
3882	Aristobolus. 1				*Aristobolus primus post Regem Sedechiam, diadema sibi regium imposuit. Ioseph. lib.*15.*antiq.cap.*18.
3883	Ianneus Alexander. ann. 27				
3884		Ptolemæus Alexāder. 10			
3894		Ptolemæus Physcon iterum. 8	Philippus. 2		*Philippo à Gabinio capto cessat Regnum Syriæ. Eusebius in Chronico.*
3902		Ptolemæus Dionysius. 30	Regnum Syriæ deficit.		
3910	Alexandra. ann. 9				
3919	Hircanus. ann. 34		*Imperatores Romani.*		*Post mortem Alexandræ contendentibus filijs eius Aristobulo, & Hyrcano de Regno, Pompeius Iudæos tributarios fecit, & Aristobulum quidem Romam captum adduxit, Hyrcano Pontificatum confirmauit; procurationem Prouinciæ Antipatro tradidit, cuius filius Herodes postea ad Regnum peruenit. Ioseph. lib.*14.*antiquit.*
3932		Cleopatra. 22			
3937			Iulius Cæsar. ann. 4		
3941			Interregnum ann. 1. & ½.		
3942			Octauianus Augustus cum Triūuiris an.12. solus 44. Sueton.		
2953	Herodes Ascalonita. 37	Regnum Ægypti deficit.			

Hieru-

Anni Mũdi	*Reges Iudæorum.*	*Reges AEgypti.*	*Reges Syriæ.*	CHRISTVS.	Anni Dñi.	Varia.
3984				IESVS nascitur.	1	
3990	Archelaus ann. 9			Iesus redit ab AEgypto.	7	*Hierusalem capta, & destructa est anno 2. Vespasiani, 73. Christi, 4056. mundi. perierunt partim gladio, partim fame vndecies centena millia Iudæorũ: & alia centum millia capta, & vendita sunt. Iosephus, & Eusebius.*
3998	Herodes Antipas. 24		Tiberius an. 22. m. 6. d. 26. Suet.		15	
4013				Iesus baptizatur.	31	
4016				Iesus moritur, & resurgit.	34	
4022	Agrippa. 7				39	
4029	Agrippa iunior. 26				46	
4055	Regnum Iudæorum deficit.				72.	

CHRONOLOGIAE PARS ALTERA, ab anno Domini 1. ad 1612.

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
0		Iulius Cęsar. an. 4			*Anno 42. Augusti inchoante nascitur Iesus Christus. Nam an. 15. Tiberij cõpleuerat Iesus ann. 30. Luc. 3. ergo an. 1. Tiberij cõpleuerat Iesus an. 15. ergo si demas ex annis Augusti 15. annos, concurret annus primus Christi cum anno 42. Augusti.*
0		Augustus ann. 56			
17		Tiberius ann. 22. men. 6			
34	S. Petrus an. 35. m. 3				*Christus mortuus est, & resurrexit, & Petrum Ecclesiæ præfecit, anno suo 34. Scribit enim Beda lib. de ratione temporum cap. 45. Fidem Ecclesiæ habere, vixisse Christum in carne mortali paulò amplius 33. annis.*
39	S. Petrus Antiochię ann. 7	Caius ann. 3. men. 10	S. Petrus. S. Paulus. S. Matth.	*Simon Magus primus hæresiarcha, existimauit donum Dei pecunia poßideri. Act. 8. docuit præterea mundum nõ esse creatum à Deo: se esse Deum, qui in Samaria apparuit, vt Patrem, in Iudæa vt Filium, in gentibus, vt Spiritum sanctum, nõ esse liberum arbitrium: non esse necessaria opera bona: Animas migrare de corpore in corpus. Vide Irenæum lib. 1. cap. 20.*	
43		Claudius ann. 13. men. 8	S. Ioannes. S. Iacobus. S. Iudas.		*Concilium I. Hierosolymitanum sub S. Petro, anno Dom. 51.*
44	S. Petrus Rom. 25		S. Marcus. S. Lucas.		*Persecutio prima sub Neronė.*
57		Nero ann. 13. m. 7.	Philo.		*Eusebius in Chronico scribit, Neronem imperasse annis 14. m. 8. sed non ita est, imperauit enim annis 13. m. 7. ex Suetonio, Dione, & alijs. Proinde S. Petrus nõ fuit crucifixus anno 14. Neronis, vt S. Hieronym. Eusebium secutus scripsit, in lib. de Script. Eccles. sed an. 13. alioqui martyrium S. Petri non contigisset die 29. Iunij, vt Ecclesia celebrat. Obijt enim Nero die 10. Iunij an. 14.*
70	Linus. 11	Galba m. 7. d. 25.	Iosephus.		
71		Otho m. 3. Vitellius men. 8		*Menander, Saturninus, Basilides, Discipuli Simonis. Irenæus lib. 1. cap. 21. & 22.*	
72		Vespasianus an. 9. men. 11		*Nicolaus vnus ex 7. primis diaconis, docuit licere fornicari, & vesci idolothytis. Iren. lib. 1. c. 27. Alij tamen existimãt, Nicolaum diaconũ fuisse vi-*	
81	Cletus. 12	Titus an. 2. men. 2			*Anno 2. Vespasiani Hierusalem capitur, incenditur, euertitur, vt non remaneret in ea*

 lapis

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
83		Domitianus. ann. 15. m. 15	Hermes.	*se virum probum, sed Nicolaitas, qui arguuntur Apocal.2. & qui ea docebant, fuisse hæreticos, falso nomine Nicolaitas dictos. Vide Euseb. lib.3. hist. cap.23.*	*lapis super lapidem, iuxta prædictionem Domini. Luc.19.*
93	Clemēs. 9		Clemens.		*Secunda persecutio sub Domitiano.*
99		Nerua an. 1. m. 4	Ignatius. Polycarpus.		*Domitianus, qui se Dominū, ac Deum haberi, & dici volebat, miserè confoditur.*
100		Traianus ann. 19. men. 6	Dionysius Areopagita.		*Persecutio tertia sub Traiano.* *Hic Traianus vir optimus existimatus est ab infidelibus, ita vt acclamarent nouis Principibus, Augusto felicior, Traiano melior, Eutropio teste, fuit tamen vino deditus, & puerorum amoribus, Dione teste. quæ illi vitia non agnoscebant, cum sint enormia, & contra naturam.*
103	Anacletus an.9. m.3			*Cherinthus, & Ebion eius discipulus. Iesum esse purum hominem ex Iosepho, & Maria natum docuerunt. Iren. lib.3. cap.3. & lib.1. cap. 25. & 26.*	
112	Euaristus an.9. m.3				
120		Hadrianus ann. 20. m. 11	Aquila interpres Scripturę.		
121	Alexander an.10 men. 5				
132	Sixtus an. 10. m. 1		Iustinus.	*Chiliastæ, qui docent, Sanctos regnaturos mille annis post resurrectionem cum Christo in terris: cœperunt tempore S. Ioannis per Papiam eius discipulum. Vide Eusebium lib. 3. hist. cap.39.*	
140		Antoninus ann. 22. m. 8	Melito.		*Persecutio quarta sub Antonino.*
142	Telesphorus an.11. men. 9		Athenagoras.		
154	Hyginus ann. 4		Theophilus Antiochenus.		
158	Pius an. 9. men. 6		Egesippus.	*Gnostici, auctore Carpocrate, secundum Irenæum lib.1. c.24. vel Nicolao, secundùm Epiphanium hæresi 26. vel Valentio, secundùm Hieronymum in lib. de Script. Eccles. docuerunt, Animam esse de substantia Dei. Vnum esse Deum bonum, alterum malum, & alia id genus. vide Augustinum hæresi 6.*	
163		M. Aurel. L. Verus ann. 19	Tatianus.		*Hoc tempore quæstio de Festo Paschæ celebrādo die Dominico, an cum Hebræis 14. Luna, diù Ecclesiam vexauit.*
167	Anicetus an.8. m.9		Irenæus.		
175	Soter. 5				
179	Eleutherius ann. 15. d. 23		Hippolitus.	*Carpocrates docuit, Iesum Christum ex Ioseph natum, mundum ab Angelis factum. nihil esse bonum, vel malum, nisi opinione hominum. Omnia opera esse exercenda, quantumuis pessima, & toties animam ad corpus, quasi ad carcerem redituram, donec expleat, iuxta illud, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Iren. lib.1. cap.24.*	*Lucius Rex Britannorum ab Eleutherio Pontifice petit, & impetrat, qui eum cum sua gente Christianum faciant. Beda, Ado, & alij in Martyrologio. & Tertullian. lib. aduersus Iudæos cap.7.*
182		Commodus ann. 12. m. 9			
194	Victor an. 9. men. 1				

Quin-

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
195		Pertinax. men.3. Didius Iulianus. m. 2. Seuerus. an.17. m. 8		*Caiani inde dicti sunt, quòd Cainum, Iudam, Sodomitas, Chore, Dathan, & Abiron, saluatos esse dicunt. negant carnis resurrectionem. Iren.lib.1.cap.35.*	*Quinta persecutio sub Seuero; qui annis ferè decem Christianos pacem habere permisit, sed postea crudeliter occidi mandauit.*
203	Zephirinus an. 18. d. 18.		Tertullianus.	*Valentinus innumeras fabulas inuenit. de quo vide Iren.lib.1.cap.1.*	
213		Antoninꝰ Caracalla. an.6.m. 2		*Marcion duo principia posuit, vnum bonum, alterum malum. Iren. lib.1. cap.29.*	
219		Macrinus. an.1. m. 2		*Hermogenes posuit materiã Deo coæternam; & in Deo vnam tantum esse personam. Tertull. lib. contra Hermogenem.*	
220		M. Aurel. Antonin. Heliogabalus. an.3. men. 9	Iulius Africanus.	*Montanus Phrix, vnde Cataphrigæ, asseruit se paracletum esse, & plurimos seduxit, inter quos ipsum etiam Tertullianum. Epiphan. hæresi 48. August. hæresi 26. & 86.*	*Heliogabalus, & Seuerus adolescentes consobrini, vnus post alterum Imperium rexit, illo nihil turpius, & nequius: isto nihil iustius, & sanctius, si fides ei Christi non defuisset. Vbique scribi iubebat, Quod tibi non vis, alteri ne feceris.*
221	Calistus. an.5. m. 1		Minutius Felix.		
224		Alexāder Seuerus. ann. 13	Origenes.	*Origenes ex philosophia Platonis deceptus multa docuit contra fidei veritatem, præsertim de inæqualitate diuinarum personarum; de origine animarum; de resurrectione corporum; de saluatione dæmonum. vide Epipha. hæresi 64. & Hieron. ad Auitum, & ad Pammach. de erroribus Origenis, & 5. Synodum generalem.*	
227	Vrbanus. an.6. m. 7		Ammoniꝰ Alexand.		
233	Pontianus. an. 5		Gregorius Thaumaturgus.		
237		Maximinus. an. 3		*Helchesaitæ docebant, licitum esse fidem ore negare. modo in corde retineretur. vide Euseb. lib. 6. histor. cap. 28.*	*Sexta persecutio sub Maximino.*
238	Anterus. ann. 1				
239	Fabianus. ann. 14			*Rebaptizantes in Africa, Agrippino, qui S. Cyprianum in Episcopatu Cartaginensi præcessit, auctore exorti sunt. docuerunt baptizatos ab hæreticis, iterum esse in Ecclesia baptizandos. & quamuis Agrippinus, & S. Cyprianus hæretici appellari non poßint, cum Ecclesiæ communionem nunquam reliquerint: tamen posteri eorum Donatistæ, qui pertinaciter anabaptismum defenderunt, meritò hæretici habiti sunt. vide S. August. lib. 2. de baptismo contra Donatistas.*	*Fabianus descensu columbæ cœlitus missæ declaratus fuit à Deo Pontifex futurus. Euseb. lib. 6. hist. cap. 22.*
240		Maximus & Balbinus. an. 1			
241		Gordianus. ann. 5			
246		Filippus. ann. 6	Corneliꝰ. Cyprianꝰ.		*Septima persecutio sub Decio Imp. quam continuarunt Gallus, & Volusianus.*
253		Decius. an.1. m. 3	Pontius Diaconus.		*Primum schisma in Roman. Ecclesia Nouatiani antipapa cont. Corneliũ.*
254	Cornelius. an. 2	Gallus, & Volusianus. an. 3	Dionysius Alexādrinus.	*Nouatiani à Nouatiano presbytero Romano, & à Nouato presbytero Carthaginensi dicti sunt. docuerunt non esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata post baptismum commissa. neque baptizatos sacro chrismate confirmandos. & secundas nuptias esse illicitas. vide Epipha. hæresi 59. & August. hæresi 38.*	*Gothi Rom. Imperium infestari incipiunt.*
255	Lucius. an.1. m. 8				*Octaua persecutio sub Valeriano, quem Sapores Rex Persarum à se captum vilißimè habuit, vt etiã dorsum eius calcaret cum equum ascendere vellet.*
257	Stephanus. ann.3. men. 3	Valerianꝰ & Gallienus. ann. 8			

Nona

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperatores.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
260	Sixtus II. ann. 1.		Zeno.		
261	Dionysius ann. 11. men. 3.		Victorinus Pictabionensis.	*Sabellius Noeti discipulus, docuit Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, esse vnam personam, sed nomina tria. Epiphan. hær. 57.*	
263		Gallienus solus an. 7.			
269		Claudius ann. 3		*Paulus Samosatenus Episcopus affirmauit, Christum non esse Deum, sed hominem tantum. Circumcisionem seruandam. non baptizandum in nomine trium personarum diuinarum. Epiphan. hæresi 61. Augustinus hæresi 44.*	
271		Aurelianus an. 6			*Nona persecutio sub Aureliano, vel eius Præfectis.*
273	Felix an. 2. men. 5				
275	Eutychianus an. 8. m. 6. d. 4				
278		Tacitus men. 6. Florianus men. 2.		*Manes, siue Manichæus an. 4. Aureliani agnosci cœpit. docuit, duo esse principia coæterna, vnum bonum, alterum malum. nihil esse vere spirituale, sed omnia esse corporalia. hominem non esse liberi arbitrij, & omnium peccatorum causam esse naturam mali principij. Manichæum esse Spiritum sanctum paracletum, quem Christus promisit, carnem & vinum esse res immũdas natura sua; & ideo ab ijs abstinendum esse. Animas migrare de corpore in corpus. Vetus Testamentum esse à malo principio, & ideò reijciendum vide Epiphanium hæresi 66. & Augustinum hæresi 46.*	*Probus Imperator fortissimus à Chroco Rege Alemannorum Gallias liberat cæsis quadringentis millibus hostiũ. Vopiscus. & tũc simul Ecclesia Gallicana post longas persecutiones aliquantulu requieuit. Gregorius Turonicus lib. 1. cap. 32.*
279		Probus ann. 5			
284	Caius an. 12. men. 4	Carus cũ filiis Carino, & Numeriano ann. 2	Arnobius Afer.		*Carus Imperator, quamuis Ethnicus, Ecclesiã Tessalonicẽsem à tributis immunem facit. lib. 8. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.*
285		Diocletianus, & Maximianus. ann. 20	Lactãtius Firmianus.		*Diocletianus Curino deuicto, Maximianum collegam assumit anno Imperij tertio.*
297	Marcellinus an. 8.		Eusebius Cæsariensis.		*Decima persecutio sæuissima sub Diocletiano, & Maximiano, qui nihilominus cum nõ possent præualere, deposuerunt Imperium, tradentes illud Constantio, & Galerio. Galerius, Maximinum, & Licinium Imperatores fecit: & Romæ Maxentius, Maximiani filius, Imperium assumpsit. sed breui omnibus extinctis, solus Constantinus feliciter totum orbem Romanum diu tenuit.*
304	Marcellus ann. 5. m. 1. d. 25	Constantius & Galerius annos 3	Methodi⁹ martyr.		
306		Constantinus Magnus an. 31	Iuuencus presbyter.		
309	Eusebius an. 2. m. 7		Antonius Abbas.	*Donatus initio schisma fecit, postea hæresim condidit. docuit rebaptizãdos baptizatos ab hæreticis. In sola Africa, & in sola parte Donati esse Ecclesiam. August. hær. 69.*	
311	Miltiades an. 2. m. 2		Pachomi⁹. Machari⁹. Orcsiesis.		
314	Sylvester a. 21. m. 10			*Arius presbyter Alexandrinus docuit, filium Dei esse creaturam. non esse coæternũ Patri, non esse coessentialem Patri. Christum hominem non habere animam: sed eius loco esse Verbum. Epiphan. hær. 69. August. hæresi 49. Theodoretus lib. 4. de fabulis hæreticorum.*	
325			Athanasius.		*Concilium generale primum Nicææ habitum 318. Episcoporum, in quo Arius damnatus fuit.*
336	Marcus men. 8		Serapion.		

Perse-

Anni Dñi.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Scriptores.
337	Iulius an. 15. men. 5	Constantinus iunior an. 4. Constans ann. 13. Constantius an. 24		Iulius Firmicus. Lucifer. C.Harius. Victorinus. Hilarius.
352	Liberius an. 15. m. 4.			Greg. Beticus. Sebadius. Pacianus. Didymus.
358	Felix II. ann. 1. m. 3. viuẽte Liberio.			Optatus. Titus Bostren. Cyrillus Hierosol.
361		Iulianus an. 1. m. 9		Ephræm. Basilius.
364		Iouianus m. 7. d. 20		Greg. Nazian. Andreas
364		Valentinianus an. 12.	Valens ann. 25	Cæsarien. Epiphan. PhiloCarpathius.
367	Damasus an. 17. m. 3			Ambrof. Mediol.
375		Gratianus ann. 8. & Valentinianus iunior ann. 17.		Philastrius Idacius. Gregoriꝰ Nyssenus. Amphilochius. Hierony.
379			Theodosius an. 17	Theophilus Alexand.
381				Dorotheꝰ.
385	Siricius an. 13. m. 1			Diadochꝰ. Ruffinus.
395		Honorius an. 28. m. 5	Archadius an. 13. m. 3	Palladius. Gaudentiꝰ Prudẽtius.
398	Anastasius an. 4. m. 1			Chromat. Io. Chrysostom.
402	Innocentius an. 15. men. 1			Seuerianꝰ. Augustinꝰ
408			Theodosius iunior ann. 43	Maximus. Ausonius. Synesius. Paulinus.
417	Zozimus an. 1. m. 4			Sulpitius. Lucianus. Orosius.
419	Bonifacius an. 4. men. 10			Sedulius. Cyrillus Alexand. Theodor.
424	Cœlestinus an. 8. men. 5			Proclus. Eucherius Claudianꝰ

Hæresiarchæ.

Photinus Sirmiensis Episcopus docuit, Christum non esse Deum, sed purum hominem. Deum non esse trinum. Epiphan. hær. 71.

Macedonius Episcopus Constantinopolitanus docuit Filiũ quidem Dei esse Patri per omnia similẽ, sed Spiritum sanctum esse creaturam. Epipha. hæresi 78. August. hæresi 52.

Aetius, & Eunomius eius discipulus docuerunt, Filium Dei esse omnino dissimilem Patri. Spiritum S. esse creaturam Filij. Opera non esse necessaria, sed fidem solam sufficere ad salutem. Basilius lib. 1. & 2. in Eunomium, August. hæresi 54.

Aetius, quia Episcopatum obtinere non potuit, docere cœpit, Episcopos, & presbyteros esse omnino æquales. addidit, non esse orationes, & sacrificia offerenda pro defunctis. nõ esse seruanda ieiunia, & festa ab Ecclesia indicta. Epipha. hæresi 75. August. hæresi 53.

Apollinarius Laodicenus grammaticus, & poëta melior, quam Theologus, docuit Verbum Dei accepisse carnem humanam sine anima rationali: diuinas personas esse inæquales, magnum videlicet esse Spiritum S. maiorem Filium, maximum Patrem. Epiphan. hæresi 77. August in. hæresi 55.

Vadius, Anthropomorphitarum auctor docuit, Deũ habere formam humanã. Epiph. hæresi 70.

Heluidius docuit, B. Virginem post Christi natiuitatem, habuisse ex Ioseph alios filios. Hierony. contra Heluidium.

Priscillianus docuit, animas esse eiusdem substantiæ cum Deo; mundum creatum à Principe maligno, & alia multa stultissima. August. hæresi 70.

Iouinianus docuit, peccata esse paria, præmia Sanctorum esse æqualia, Virginitatem non præstare coniugio, & alia. Augustin. hæresi 82.

Varia.

Persecutio XI. sub Constantio Ariano.

Schisma secundũ Felicis cum Liberio: sed vterque aliquo tẽpore legitimus fuit.

Persecutio XII. sub Iuliano, atrox sed breuis.

Persecutio XIII. sub Valente Ariano.

Schisma III. Vrsicini contra Damasum.

Secunda Synodus generalis, prima Constantinopolitana, contra Macedonium, & alios negantes diuinitatem Spiritus sancti.

Circa hæc tempora S. Augustinus instituit Ordinẽ Clericorum Regularium; qui simul cum seipso vitam communem agebant.

Anno 410. Roma capta est ab Alarico Rege, anno 1102. ab eius conditione.

Schisma IV. Eulalij contra Bonifacium.

Hoc

Anni Dni.	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
425	.	Valentinianus III. ann. 30		Sidonius. Io. Cassianus.	*Vigilantius docuit, nõ esse honorandas reliquias Sanctorum, inanẽ esse inuocationem Sanctorũ. Hieron. contra Vigilant.*	*Hoc tempore conditur ciuitas Venetiarum. ann. Dom. 421.*
432	Sixtus III. an. 7. m. 11			Vincentius Lirinensis.		*Tertia Synodus generalis habetur Ephesi anno Domini 431. contra Nestorium.*
440	Leo Magnus. ann. 20. men. 11			Socrates. Sozomenus. Nilus.	*Pelagius Brito monachus an. Domini 415. cœpit docere, peccatum originale non esse in hominibus: sine Dei gratia posse impleri oĩa mandata, & alia. August. in hæresi 88.*	
451			Marcianus. ann. 6 men. 6	Simeon Stilita. Hilarius Arelatensis.		*Attila Rex Hunnorum, flagellat Italiam.*
455		Maximus. men. 3. Auitus. m. 10.		Prosper. Petrus Chrysologus.		
457		Maioranus. an. 4	Leo. an. 18		*Nestorius Episcopus Constãtinopolitanus an. 430. cœpit docere, B. Virginem non esse matrẽ Dei, & in Christo duas esse personas, alteram diuinã, alterã humanam Theodor. lib. 4. de fabulis hæret. & Prosp. in Chron.*	
461	Hilarius. an. 6. m. 10	Seuerus. ann. 5				*Quarta Synodus generalis habetur Chalcedone, anno 451. contra Eutychetem, & Dioscorum.*
467		Anthemius ann. 6				
468	Simplicius an. 15. m. 5			Isidorus Pelusiotes. Arnobius iunior.		*Vesuuius mons Campaniæ, qui anno primo Titi Imp. ingentem copiam minutissimi pulueris euomuerat, teste Suetonio, & alijs: iterum hoc tempore, an. 471. ita immensam copiam euomuit, vt totam ferè Europam obtenebraret. Marcellinus, & alij. & non diu postea tempore Theodorici Regis Italiæ idem accidit. quam eruptionem pulchrè describit Cassiodorus lib. 4. variarum, epistola quinquagesima.*
473		Olibrius. men. 7		Theodorus. Saluianus.	*Eutyches Abbas, vt Nestorio cõtradiceret, docuit in Christo vnam esse personam, & vnã naturã. Euagrius lib. 1. c. 9. & lib. 2. c. 4. Atque hæ duæ hæreses vsque in nostra tẽpora durant in partibus Orientis.*	
474		Glicerius ann. 1	Zeno. an. 18.	Salonius. Faustus.		
475		Iulius nepos mẽses paucos. Momyllus Augustulus. m. 10		AEneas Gazæus. Victor Vticensis. Cerealis. Gennadius.		
476	.	Odoacer Rex Italiæ ann. 16	Basiliscus occupat imperiũ, & tenet annis fere duobus, deinde iterum imperat Zeno.	Iulianus Pomerius. Gilda Sapiens. Gelasius Cyzicenus.	*Pacificantes dicti sunt, qui auctore Zenone Imperatore, vnione quandam facere volebãt inter catholicos, & Euthychianos. vide Euagrium lib. 3. cap 14. & 30.*	*In Augustulo defecit Imperium Occidentale, vt in Augusto cœpit. Iulius enim Cæsar Dictator perpetuus fuit, non propriè Imperator, quamuis reipsa imperaret.* *Odoacer etiam, & Theodoricus non Imperatores, sed Reges Italiæ dici voluerunt.*
483	Felix III. ann. 9					*Hoc tempore persecutio Vandalica in Africa Catholicos crudeliter vexabat.*
491			Anastasius ann. 27. men. 3			
492	Gelasius. ann. 4. me. 8.			Cæsarius Arelatensis.	*Petrus Gnapheus Episcopus Antiochenus, ad errores Eutychetis addidit, vt in trisagio poneretur crux, videlicet Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis, qui crucifixus es pro nobis*	*Hoc eodem tempore Imperator Anastasius Eutychianus hæreticus erat. Reges Italiæ, Hispaniæ, & Africæ Ariani. Reges Francorum, Anglorum, Germanorũ Pagani. & tamen Christiana Ecclesia destrui non potuit, quia fundata est super petram, & portæ inferi aduersus eam non præualebunt.*
493		Theodoricus Gothus. an. 34		Paschasius Diaconus. Vigilius.		
497	Anastasius II. an. 2			Fulgentius. Petrus Diaconus.		

Schisma

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperat. Græci.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
499	Symmachus an. 15. m. 8.			Ferrandus Diaconus.	*bis. ex quo videbatur sentire, totam Trinitatem*	*Schisma quintum Laurentij contra Symmachum.*
514	Hormisda ann. 9.			Io. Maxentius. Auitus Alchimus.	*fuisse crucifixam. vide Io. Damascenum lib. 3. de Fide cap. 10. & in epistola de trisagio;*	
518			Iustinus an. 9. m. 2.		*& epist. Felicis PP. III.*	
524	Ioannes an. 2. m. 9.			Victor Africanus.		*Ordo Monachorum sancti Benedicti hoc tempore incipit.*
526	Felix IV. an. 4. m. 2.	Athalaricus ann. 9.		Boëtius. Dionysius exiguus.		*Theodoricus Rex Arianus: sed alioqui prudens, & Ecclesiæ Romanæ, & summi Pontificu multum honoris deferens, & ideo*
527			Iustinianus an. 38.	Cassiodor. Victor Capuanus.		*feliciter regnans, vbi Ioannem Pontificem in carcerem coniecit, & Symmachum, ac Boetium interfecit, eodem anno miserrime*
530	Bonifacius II. an. 1. d. 2.			Iustus Orgelitanus.		*cum Regno vitam amisit.* *Bonifacius secundus, successorem sibi elegit Vigilium, sed cassauit paulò pòst electionē illam,*
532	Ioānes II. ann. 3.			Anastasius Sinaita.		*quam sentiebat omnibus displicere.*
534		Theodatus ann. 3.		Arator Subdiac.		
535	Agapitus ann. 2.			Iunilius. Primasius.		*Schisma VI. Dioscori contra Bonifacium II.*
537	Syluerius ann. 3.	Vitigis ann. 4.		Martinus Bracarēs.		*Schisma VII. per Vigilium contra Syluerium.*
540	Vigilius ann. 15.			Procopius Gazæus.		*Vigilius, qui corruptus ambitione schisma fecerat, & multa*
541		Theodobald. an. 1. Araricus men. 3.		Ioannes Climacus.		*malè promiserat Augustæ, mox vt legitimus Pontifex esse cœpit, à Deo mutatus constantißimè restitit Augustæ, & pro fide Catholica fortißimè dimicauit.*
542		Totila ann. 10.		Dacius Mediolan.	*Iulius Halicarnasseus auctor eorum, qui docuerunt Christi cor-*	*Quinta Synodus generalis Constantinopolitana secunda.*
553		Theias ann. 1.		Liberatus Archid.	*pus à Conceptione impaßibile. vide*	*Post Theiam nullus amplius fuit Rex Gothorum in Italia:*
554		Narses Eunuch. a. 17		Venantius Fortunat.	*Io. Damasc. in lib. de hæresibus, &*	*sed Narses titulo Ducis eam rexit. sed paulò pòst irritatus ab*
555	Pelagius an. 4. m. 10			Euagrius historicus.	*Euagrium lib. 4. cap. 38. & 39.*	*Vxore Iustiniani, Longobardos in Italiam vocauit.*
560	Ioannes III. ann. 13.					
566			Iustinus Iunior an. 16. m. 9.		*Agnoitæ auctore Temistio Diacono Timothæi Alexandrini Episcopi,*	
568		Alboinus an. 3. m. 6.			*ad errores Eutychetis, & Dioscori addiderūt,*	*Alboinus Rex Longobardorum, regnare cœpit in Italia an. 568. sed breui occisus fuit, vt etiam*
570		Clephis Daphom. an. 1. m. 5.			*Christum ignorare diem iudicij. vide*	*eius successor Clephis. deinde per annos decem Rege caruerūt Longobardi, & Duces multi*

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
573	Benedictus. an.4. m. 1.				*vide Ioan. Damascenum in libro de hæresibus, & liberatum in Breuiario cap.19.*	*Prouincias sibi diuiserunt, donec iterum Autaris Rex electus est. cæterum Longobardi numquam tota Italia potiti sunt: semper enim parte Italiæ cum ipsa Vrbe Imperatores Græci per Exarchos tenuerunt.*
578	Pelagius II. an. 12. men.3.					
582			Tiberius ann.5.			
585		Autaris Flauius.7.				
586			Mauritius ann. 17.	S.Gregor. Turonic⁹.	*Iacobus Syrus docuit candenti ferro inurendam frontem baptizatorum. Nicephor. lib.18. c.45.*	*Anno 589. inundatio Tyberis maxima, quam sequuta est pestis grauissima.*
590	Gregorius an.13. m.6. d.9.			S.Gregorius Papa. Isichius Hierosolymitanus.		*S.Gregorius Papa missis in Angliam sanctis Monachis, Augustino, & Socijs, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequētibus signis, magnam partem Angli Saxonum à Paganismo ad Fidem Christi conuertit, merito à Beda vocatus Apostolus Anglorum.*
591		Agilulphus an.25				
603			Phocas ann. 8.		*Io. Philoponus tritheitarum auctor fuit, qui tres personas diuinas, tres Deos esse volunt. Nicephorus lib.18. cap.46.& 48.*	
605	Sabinianus m.5.d. 19.					
606	Bonifacius III. m.8.d.23.					*Sub hoc Pontifice templum Agrippæ, quod Pantheon dicebatur consecratum fuit B. Mariæ Virgini, & omnibus sanctis Martyribus, Romæ, Phoca Imperatore consentiente.*
607	Bonifaci⁹ IV. ann.8. m.6. d.13.				*Armeni sequebātur errores Eutychianorum, & multa addebant. vide Nicephorum lib.18.c.53. Niconem de erroribus Armenorum, & Theoriani disputationem tom. 3. & 4. Bibliotheca Patrum.*	
610			Heraclius ann.31.			*Heraclius, dum Catholicus esset, à Deo protectus Persas magnis cladibus affecit, & lignum sanctæ Crucis recuperauit; sed postea hæreticus Monothelita factus, imbellis, & inglorius infelicissimo exitu perijt.*
615	Deusdedit an.3.					
616		Adaluualdus an. 10.				
618	Bonif. V. ann. 7. m. 10.d.25.					
626 630	Honorius an.12. m.5.	Arioualdus hæreticus Arianus an. 12.		Sophronius.	*Monothelitæ à Cyro Episcopo Alexandrino, & Sergio Constantinopolitano originem ducunt, initium huius hæresis fuit anno 630. doctrina eorum erat in Christo vnam tantū fuisse voluntatem, & vnam operationē. ex quo sequebatur, vnā tantum fuisse naturā. vide Io Damasc. in lib. de hæresibus.*	*Mahometes pestis orbis terrarum hoc tēpore sectam suam inchoauit, & anno Dom. 629. Regnum Saracenorum occupauit.*
639	Seuerinus men.11.	Rotaris an. 10.		Ioannes Moschus.		*Honorius Papa accusatur à Græcis, quod fauerit Monothelitis: sed egregiè defenditur à sancto Maximo Græco, auctore illius temporis, & Martyre.*
640	Ioannes IV. ann.1. m. 9.			Leontius. Ionas.		
641	Theodorus ann. 7. men.5.		Constans ann. 27.	Antioch⁹. S. Isidorus.		
649	Martinus an. 6. m.3. d.12.			S. Eligius. Berengosius.		

Ab hoc

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
654	Eugenius me.6.d.23.	Rodoaldus an.5.		Esaias Abbas. S. Maxim⁹ Martyr.		
655	Vitalianus an.14.m.5.			S. Ildephonsus.		
660		Aripertus ann.2.				
662		Gūdipertus ann. 1.				*Ab hoc anno Regnum Francorum per magistros domus gubernari cœpit, solo ferè nomine Regibus relicto: quod genus regiminis continuatum est vsque ad Pipinum, id est, vsque ad annum Dom.750. Sigebertus, & alij.*
663		Grimoaldus ann. 9.				
668			Cōstātinus Pogonatus. 17.			
669	Adeodatus ann.7. men. 2.					*Sub Adeodato Pontifice, ac de eius licentia Veneti Ducem eligere incipiunt. Petrus Iustinianus lib.1.hist.Ven.*
673		Garibaldus m.3. Pertarithus an.17				
676	Donus an. 1. m.5.					
678	Agatho. ann. 4.					*Hoc anno cometa tribus mensibus arsit, & tribus annis sequentibus non pluit.*
680				S. Iulianus Toletan⁹.		*Sexta Synodus Generalis Constantinopolitana tertia, contra Monothelitas.*
682	Vacat Sedes.					
683	Leo II. m.10. d.8.					*Anno 680. post eclypsim Lunæ, grauißima pestis grassari cœpit in Vrbe, quæ non cessauit, nisi altari sancto Sebastiano Martyri erecto in Ecclesia sancti Petri ad Vincula. Paulus Diaconus.*
684	Benedict⁹ II. an. 1.					
685	Ioannes V. ann. 1. d. 11.		Iustinianus Iunior ann.10.			
687	Conon. m.11.d.23.			Anastasius Nicenus.		
688	Sergius an.13.m.8.					*S. Kilianus Monachus Hibernus per hæc tempora Francis Orientalibus euangelizat fidem, & eorum appellatur Apostolus.*
691		Cunipertus Catholicus, & pius an.12.				*Anno 690. celebratur Synodus quinisexta, vnde sunt Canones Trullani: quam Beda meritò erraticam vocat, & à Sergio Papa reiectam fuisse testatur in lib. de sex ætatibus.*
694			Leontius ann. 3.			
696			Aasimarus Tiberius ann. 5.			
702	Ioan. VI. an.3. m.2.					

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Reges Italiæ.*	*Imperatores.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
703		Luiſpertus m. 8.	Iuſtinianus iunior, iterum ann. 8.			
704		Regimpert⁹ m. 3. Aripertus ann. 11.				*Hic Aripertus reſtituit alpes cottias Rom. Eccleſiæ. Paulus Diaconus, & Leo Oſtienſis.*
705	Ioannes VII. an. 2. men. 7.					
708	Siſinnius d. 20. Conſtantinus an. 6. men. 1.					*Conſtantino Pontifici Conſtantinopolim proficiſcenti, Nicomediæ Imperator occurrens proſtratus, publicè pedes deoſculatur. Anaſtaſius in vita Conſtantini.*
711			Philippicus ann. 1. men. 6.			*Per hac tempora regnat in Anglia Ina Rex, qui anno Domini 740. Gregorij tertij 10. fecit Regnum ſuum vectigale Apoſtolicæ Sedi. Polydorus.*
713			Anaſtaſius ann. 2.			
715	Gregorius II. an. 16. men. 8.		Theodoſius an. 1.	S. Gregorius ſecūdus.		
716		Alpirandus men. 3. Luitprandus an. 30.	Leo Iſaurus Iconomach⁹ an. 24. men. 2.	S. Athelmus. S. Marcellinus.	*Iconomachi, id eſt, oppugnatores ſacrarum Imaginum fuerūt ſemper Hebræi, & Maumethani: nā Ezides Rex Arabum perſuaſus à quodam Hebræo malefico, in toto regno ſuo iuſsit imagines è templis Chriſtianis auferri. & Leo Iſauricus alio Hebræo impulſore, edictū propoſuit, vt vbique ſacræ imagines de templis tollerentur: vnde Iconomachus dictus eſt, vt teſtantur Cedrenus, Zonaras, Paulus Diaconus, & alij hiſtorici.*	*Hoc anno contigit inundatio Tiberis maxima. Item admiranda viſio de pœnis Purgatorij, & Inferni, cuiuſdam qui à mortuis ſurrexit, & ſcripta eſt à S. Bonifacio Epiſcopo, & martyre in Epiſtola, quam integrè ponit Card. Baron. in tomo Annalium 9.*
731	Gregori⁹ III. an. 10. m. 9. d. 12.			S. Germanus. S. Beda.		
741			Conſtantinus Copronicus, Iconomachus ann. 34. m. 2.	S. Ioannes Damaſcenus.		*Rachis cum vt hoſtis contra Eccleſiā Romanam armatus veniret: à Zacharia Pontifice non ſolum placatus eſt, ſed etiam ita permotus, vt Monachus in monte Caſino factus fuerit.*
742	Zacharias ann. 10. m. 3.			S. Bonifacius Moguntinus.		
746		Hildebrādus me. 7. Rachis ann. 6.		Antonius Meliſſa.		*Hoc anno Pipinus auctoritate Pontificis Zachariæ Rex Francorum efficitur.*
750		Aiſtulphus an. 6.				*Schiſma octauum per Theophylactum Antipapam.*
752	Stephanus II. dies 4. Stephanus III. an. 5. d. 28.					*Conſtantinus Copronicus cum moreretur clamabat, viuens adhuc igni ſum inextinguibili traditus. Cedrenus, & alij.* *Notent, & horreant noſtri temporis Iconomachi.*
757	Paulus an. 10. m. 1. & vacat ſedes annū vnum.	Deſider.⁹ vltimus Longobardorum ann. 18.				

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
768	Stephanus IV. ann.3. m.5. d.28.					
772	Hadrianus an. 23. m. 10.			Hadrianus Papa Primus.	*Felix Vrgelitanus, & Elipandus Episcopus Toletanus docuerunt, Christum esse Filium Dei adoptiuum, & damnati sunt tanquam renouantes Nestorianismũ in Concilio Francfordiensi, & ab Hadriano Papa in epistola ad Episcopos Galleciæ. vide Adonem in Chronico.*	*Primus Episcopus datur Venetis ab Hadriano Papa, anno. 772. Obelatus nomine. Sabellicus Enn.8. lib.8.*
776			Leo IV. ann. 5.	Paul⁹ Diaconus.		*Anno 774. Carolus Rex Francorum singulos gradus scalarum Basilicæ S.Petri deosculans ad Pontificem ascendit, qui eum in atrio super gradus expectabat. Anast.*
780			Constantinus cum Irena matre an.10.	Paulinus Aquileiẽsis. Eginarthus.		
787			-	Albinus Alcuinus.		*Septima Synodus generalis, Nicena secunda.*
790			Constantinus solus an. 7.			*Anno 791. mense Decembri inaudita contigit Romæ inundatio Tyberis à Ponte Miluio vsque ad Pontem S.Petri, vt etiam supra muros Vrbis aqua eleuaretur. Anastasius.*
796	Leo III. ann. 20. m. 5.					
797			Irene sola ann.5.			*Leo Papa III. transfert Imperium Occidentale à Græcis ad Francos anno 800. in die natalis Domini, qui annus ab alijs dicitur 801. quia à natali Domini annos numerant.*
800		Carolus Magnus. ann.14.		S. Nicephorus Constantinopol.		
802			Nicephorus an. 10.	Vsuardus.		*Anno 797. Constantinus Imperator ab Irene matre excæcatus est: & Sol mirabili prodigio, per dies septemdecim obscuratus mansit.*
812			Michael Curopalates an.2.	S. Ludgerus.	*Claudius Episcopus Taurinẽsis docuit nõ esse venerandam Crucem Domini, nec sepulchra, & reliquias Sanctorum, peregrinationem ad limina Apostolorum esse inutilem. vide Ionam Aurelianẽsem lib. 3. de cultu Imaginum.*	
814		Ludouicus Pius an. 27.	Leo Armenius. an.7.	Aponius.		
816	Stephanus V. m.7.					
817	Paschalis an.7. m.3. d. 16.			S. Theodorus Studites.		
821			Michael Balb⁹ an.9	Paschasius Ratbert⁹.	*Michael Balbus Imperator, teste Cedreno, & Zonara, Resurrectionem corporũ negabat, Prophetas irridebat, dæmones esse non credebat, scortationem peccatum nõ esse dicebat, Iudam proditorem inter Beatos collocabat.*	
824	Eugenius II. ann. 3. m.2. d. 20.			Claudius Scotus. Ionas Aurelianẽsis.		*Schisma nouum per Zinzinum Antipapam.*
827	Valentinus d. 4.			Halitgarius.		
828	Gregorius IV. ann. 16.			Amalari⁹. Nithardus Freculph⁹.		
830			Theophilus an.12.	Hildum⁹. Theodulphus. Rabanus.		*Theophilus Balbi successor persecutionem in Catholicos continuat, ob cultum sacrarum imaginum.*

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
841		Lotharius ann. 15.		Strabus. S. Eulogi⁹ martyr.		*Anno 840. pridie Ascensionis Domini hora nona fuit Eclypsis Solis maxima, ita vt stellæ cernerentur, vt in verißima nocte. Aimoinus lib. 5. cap. 19.*
842			Michael cũ Theodora matre an. 25.	Haymo. Angelomus.		
844	Sergius I. ann. 3. m. 11.			Christian⁹ Drutmarus.		*Inter Leonem IV. & Benedictum III. fingitur Ioannes, femina.*
847	Leo IV. ann. 8. m. 3. d. 5.			Valfridus Strabo. Simeon Metaphrastes.		*Schisma decimum per Anastasium Antipapam.* *Anno 848. Leo IV. Vrbem Leoninam condidit aduersus irruptiones Saracenorum. Ita Basilica S. Petri, quæ extra Vrbem erat, intra Vrbem esse cœpit.*
855	Benedictus III. ann. 2. men. 6.					
856		Ludouicus iunior ann. 20.		Photius.		
858	Nicolaus ann. 9. m. 6. d. 20.			Nicetas Dauid.		*Nicolai primi tempore Tyberis ex alueo suo egressus, bis Vrbem grauißimè afflixit.*
867			Basilius Macedo. ann. 20.	Anastasius bibliothecarius. Hincmar⁹		
868	Hadrianus II. ann. 4. m. 17.					
869						*Octaua Synodus generalis, Constantinopolitana quarta, cõtra Photium pro sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano.*
873	Ioannes VIII. an. 10.			Ioannes Diaconus.		
876		Carolus Caluus ann. 2.		Aimoinus.		
878		Ludouic⁹ III. an. 1.		Ado Viennensis.		*His temporibus agitur alia Synodus Constantinopolitana, pro restitutione Photij, in qua vix credi potest, quanta impudentia Photius falsauerit literas Romani Pontificis, & Legatos eius deceperit. Vide Concilia generalia Romæ edita, an. 1611.*
881		Carolus Crassus 7.				
883	Marinus an. 1. d. 20.					
884	Hadrianus III. ann. 1. m. 3. d. 19.					*Post Carolum Crassum magna est orta perturbatio in Imperio. Alios enim creabant Germani, alios Itali. Vide tomum decimum Annal. Card. Baron.*
885	Stephanus VI. ann. 6.					
886			Leo VI. an. 25. m. 3.			*Imperatores Italici fuerunt Vido ann. 8. Ludouicus ann. 4. Lambertus an. 7. Berengarius ann. 8.*
888		Arnulph⁹ ann. 12.		Remigius Antiliodorensis.		

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
891	Formosus ann. 4. m. 6.			Ambrosius. Ansbertus.		*Schisma vndecimum Sergij Antipapa contra Formosum.*
895	Bonifacius VI. d. 15.					*Formosus Papa doctrina, & sanctitate insignis fuit, quicquid aliqui dicant. Id testatur Luitprandus, qui eo tempore vixit, & ex operibus eius id ipsum demonstrat Card. Baron. tom. 10. Annalium: quod autem in eius memoriam peccauit ex ignorãtia successor eius Stephan. VII. reformauit postea Ioannes IX.*
897	Stephanus VII. an. 4.					
900		Ludouic⁹ IV. ann. 6.		Leo Sapiens Imperator.		
901	Ioannes IX. an. 4.			Idiota.		
905	Benedictus IV. an. 3.			Marcus Eremita.		
906		Conradus ann. 7.		Rhegino Abbas.		
907	Leo V. d. 40.			Radulphus Flauiacẽsis.		
908	Christophorus m. 7 Sergius III. ann. 2.					
910	Anastasius III. ann. 2. men. 2.					*Ordo Cluniacensis.*
912	Lando m. aliquot. Ioannes X. ann. 16.	Henricus ann. 20.	Constantinus VIII. ann. 49.			*Anno 925. apud Cordubam nobilissimus, & formosissimus puer sanctus Pelagius, annorum tredecim, pro fide, & castitate fortiter pugnans crudelissimo supplicio interficitur à Rege Arabum, Habdarrhagman. Vide appendicem ad Eulogium.*
928	Leo VI. m. 7					
929	Stephanus VIII. an. 2.					
931	Ioannes XI. ann. 5.					
936	Leo VII. ann. 4.	Otho an. 26. titulo Regis.				*Anno 938. Sanctus Venceslaus Bohemiæ Princeps optimus à proprio Fratre necatus, inter sanctos Martyres numeratur.*
940	Stephan. IX. an. 3. m. 4.					
943	Marinus II. an. 3. men. 3. d. 13.					
946	Agapitus II. ann. 10. m. 10. d. 10.			Luitprand⁹. VVisichindus.		*Anno 950. Ramirus Rex Legionensis fortissimus Saracenos ad internecionem deleuit, prælio ingenti apud Talauera commisso.*
956	Ioannes XII. an. 9.			Stephanus Eduensis. Frodoardus		
961			Romanus ann. 2.	Moses Bar-Cepha.		
962		Otho idẽ vt Imperat. an. 21.				*Hoc anno Otho primus coronatur: ideò ab hoc anno multi numerant annos Imperij ipsius.*

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
963			Nicephorus Phocas ann. 7.			*Schisma duodecimum inter Leonem, & Benedictum, & Ioannem duodecimum.*
964	Leo VIII. ann. 1.					*Leo octauus initio non fuit legitimus Pontifex: quia creatus fuit ab Imperatore, Ioanne XII. adhuc viuente. Sed mortuo Ioanne, & abdicante se Benedicto, cœpit esse legitimus; sed non diu superuixit.*
965	Benedictus V. ann. 1.					
966	Ioannes XIII. an. 6. men. 11. d. 5.					
970			Ioãnes Zemiscis 6.			*Vide seculum infelix, in quo nulli Scriptores Illustres, nulla Concilia, Pontifices parum solliciti de rep. Sed diuina prouidentia fecit, vt nullæ surgerent hæreses nouæ.*
972	Donus II. men. 3.					
973	Benedictus VI. an. 1. m. 3	Otho II. ann. 10.				
975	Benedictus VII. ann. 9. d. 10.		Basilius, & Constãtinus ann. 50.			*Otho III. accusatus, quod innocentem Comitem occidisset, adductus precibus vxoris, quæ se ab illo de pudicitia postulatam dixerat: cum contra illa Comitem castissimum sollicitasset: paratus erat, & ipse occidi, nisi proceres impediuissent, & impudicam, ac iniustam vxorem comburi iussissent. vide Gothifredum Viterbiensem.*
984	Ioannes XIV. ann. 1.	Otho III. ann. 18.				
985	Ioannes XV. an. 10.					
995	Ioannes XVI. m. 4.					
996	Gregorius V. an. 2. m. 8					*Schisma XIII. per Antipapam Ioannem cõtra Gregorium quintum.*
999	Syluester II. 4. m. 6. d. 12.					*De hoc Syluestro multa fabulantur aliqui. Sed verè fuit vir magnus, doctus, & pius, vt ex inscriptione sepulchri eius, quæ extat in Ecclesia Lateranensi, cognosci potest.* *Sed quoniam Philosophiæ, & Geometriæ peritus erat, indoctũ vulgus existimauit, necromanticum fuisse, & cum diabolo pactum habuisse.*
1002		Henricus II. Rex, sed nondũ Imper. an. 12.				
1003	Ioannes XVII. m. 5. Ioannes XVIII. an. 6					
1009	Sergius IV. an. 2. men. 8.					*Ordo Camaldulensium, auctore S. Romualdo.*
1012	Benedictus VIII. ann. 12.			S. Fulbertus Carnotensis.		*Anno 1009. Princeps Babylonis à perfidis Iudæis excitatus Basilicam Hierosolymitanam, vbi Domini sepulchrum conseruatur, funditus euertit. Sed paulò pòst mater Principis eiusdem, quæ Christiana erat, eandem Basilicam maiori nobilitate, & splendore reædificandam curauit: & Iudæi vndique pelli cœperunt. Glaber.*
1014		Henricus Rex, hoc anno coronatur, & Imper. annis 11.		S. Burchardus Vormaciensis.		
1024	Ioannes XIX. an. 10.			Berno Augiensis.		

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
1025		Conradus II. an.15.				
1026			Constantinus solus an.3.			*His temporibus, quibus Pontifices Romani à pietate veterum degenerauerant, Principes sęculi sanctitate florebant; talis fuit Imperator Henricus cum vxore Chunegunda: Romanus, Imper. Græcus, Chnutus Rex Daniæ, & & Angliæ. Stephanus Rex Hungariæ cū filio sancto Emerico. Robertus sanctus Rex Francorum. Magnus Ferdinādus Rex Castellæ & Legionis cum vxore Sanctia.*
1029			Romanus ann.5.			
1034	Benedict⁹ IX. an.11.		Michael IV. an.8.			
1040		Henricus III. an.16.		Glaber Rodulph⁹.		
1042			Michael V. ann.1.			
1043			Constantinus Monomachus ann.12.			*Schisma XIV. Syluestri, & Ioannis Antipaparum, quibus sublatis, & Benedicto IX. renunciante creatus est Gregorius VI.*
1044	Gregori⁹ VI. ann.3.					
1047	Clemens II. men.9.					*Gregorius VI. depositus fuit tanquam simoniacus à Concilio quodā Sutrino. præsente Imperatore. Sed viri grauissimi sentiunt, Concilium illud egisse, quod non poterat: & Gregorium non fuisse simoniacum, sed virum optimum. vide Card. Baronium tom.11.*
1048	Damasius II. d.23. & vacat sedes ann.1.			Hermānus Contract⁹. Humbertus Card. Lamber:⁹ Schaphnaburgensis. Ingulphus PetrusDamiani. Lanfranc⁹ Guitmundus. Georgius Cedrenus. Bertoldus Theophylactus. Micrologus. Anselmus Canthuariensis. Anselmus Lucensis. Io. Curopalates. OEcumenius. Olympiodorus. Marianus. Scotus. Bruno. Iuo Carnotensis. Samuel Marochianus.	*Græci cœperunt quidem tempore Nicolai primi, auctore Photio, schisma facere: tamen hoc tempore apertissimè se ab Ecclesia Romana diuiserūt, & errores suos de processione Spiritus sancti à solo Patre; & de sacrificio nō celebrando in azymo, & de primatu summi Pontificis, & alios defendere cœperunt.* *S. Antoninus summæ hist. p.3. tit.22.*	
1049	Leo IX. ann.5. m.2. d.8.					
1055	Victor II. ann.2. mens.3. d 13.		Theodora Porphirogenita. an.1.m.9.			*Leo IX. miraculis claruit. Leo Ostiensis lib.2. cap.88.*
1057	Stephanus 10. men.9.	Henricus IV. an.50.	Michael VI. an.1.			
1058	Nicolaus II. ann. 2. men. 6.		Isaacius Connenus ann.4.		*Berengarius Archidiaconus Andegauensis, docuit in Eucharistia non esse verum Christi corpus, & sanguinem: deinde cum hunc errorem reuocasset, docuit cum corpore Christi esse etiam substantiam panis. addidit, paruulos non esse baptizandos, sed adultos tantum. Itaque viam aperuit hæreticis nostri temporis, Zuinglianis in primo errore, Lutheranis in secundo, & Anabaptistis in tertio: tandem tamen resipuit, & in fide Catholica obijt. Vide Lanfrancum, & Guitmundū contra Berengariū: & Blondum decadis 2. lib.3.*	*Schisma XV. per Benedictum Antipapam.*
1061	Alexander II. an. 11. men.6 d. 22.		Constantinus Duca an.7.			*Schisma XVI. per Honorium Antipapam, qui Cadalous dicebatur, contra Alexandrum, qui etiam miraculis claruit.*
1068			Romanus Diogenes an.4.			
1072			Michael VII. an.6.			
1073	Gregori⁹ VII. ann. 12. m.1. d.3					*Gregorius VII. miraculis multis claruit: teste Lamberto Schaphnaburgensi.*
1078			Nicephorus Boto. an.3.			*Schisma XVII. per Guibertum, qui Clemens dici voluit.*

Ordo

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
1081			Alexius Connenus ann. 38.			*Ordo vallis vmbrosæ, auctore S. Ioanne Gualberto.*
1084		Henricus I V. hoc anno coronatur, & Imperatoris nomen assumit.				*Petrus igneus Cardinalis sic nominatus, quod cum esset monachus, iussu sancti Ioan. Gualberti, per ignem maximum illæsus transiuit, vt probaret, Episcopum Florentinum per simoniam ascendisse ad Episcopatum.*
1086	Victor. I I I. ann. 1.					
1087	Vrbanus I I. ann. 11. m. 4. d. 18.				*Bogomiles auctore Basilio, qui ab Alexio Cumeno Imp. in theatro exustus fuit, docebant, nō esse in Deo Trinitatem, Deum humana forma præditū esse, Mundum à Demonibus creatum, & alia: testis Eutymius in Panoplia parte 2. tit. 23.*	
1099	Paschalis I I. an. 18. men. 5.					*Schisma XVIII. Alberti, & Theodorici contra Paschalem.*
1106		Henricus V. an. 20.		LeoOstiēsis. Zacharias		*Ordo Cisterciensis, auctore S. Roberto.*
1118	Gelasi⁹ I I. an. 1. d. 4.			Chrysop. Sigebertus	*Petrus de Bruis, & Henricus ex monacho apostata, docebant, paruulos nō baptizandos, cruces conculcandas, nullum esse in Ecclesia sacrificium, non esse inuocandos sanctos, nec pro mortuis orandum, & alia. S. Bernardus epist. 240. & Petrus Cluniacensis in epistola contra hanc heresim.*	*Ordo Canonicorum Regularium.*
1119	Callistus I I. 5. men. 10.		Io. Connenus an. 24.	Gemblacensis. Godefridus Vindocin.		*Ordo equitum S. Ioannis Hierosolymitani anno Dom. 1113. sub Paschali.*
1125	Honorius I I. ann. 5. m. 1. d. 17.	Lotharius I I. an. 14.		Eutymius Zigabenus Io. Zonaras.		*Concilium Generale, Lateranense primum anno 1119. sub Callisto I I. Pontifice.*
1130	Innoc. I I. an. 13. m. 7.			Rupertus		*Ordo Templariorum anno eodem 1119.*
1139		Conradus I I I. an. 3.		Tuitiensis. Hildebertus		
1143	Cœlestin⁹ I I. men. 5. d. 13.		Manuel Connenus ann. 38.	Turonensis. Algerus. S. Bernar.	*Petrus Abailardus, & Arnoldus Brixensis, Sancti Bernardi tempore, docebāt gradus esse inæquales in diuinis personis: fide sine ratione admittendā non esse, & alia id genus multa: testis S. Bernardus in epist. 190. resipuit postea, & sancte obijt, teste Petro Cluniacensi lib. 5. epist. 3. & 20.*	*Ordo Pramonstratensium. Ordo militum Theutonicorum.*
1144	Lucius I I. m. 11. d. 14.			Petrus Cluniacēsis.		*Schisma X I X. Petri Leonis contra Innocentium I I.*
1145	Eugenius III. ann. 8. m. 4. d. 13.			Hugo de S. Victore Richardus de S. Vict.		*Concilium Generale, Lateranense I I. sub Innocentio I I. an. 1139.*
1152		Fridericus AEnobarbus an. 37.		VVilhelmus Malmesberiensis.		
1153	Anastasius IV. ann. 1. m. 4. d. 14.			Gratianus Petrus Lombardus.	*Cathari, siue Patareni heretici docebant, mundum factum esse à dæmonibus, Sacramenta nihil valere: & alia, de quibus vide Io. de Turrecremata, in summa de Ecclesia, lib. 4. p. 2. cap. 35.*	
1154	Hadrian⁹ I V. an. 4. m. 8. d. 28.			PetrusComestor. Otho Frisingensis.		*Hadrianus Papa IV. natione Anglus, vir sapiens, & pius, Hiberniam Insulam Henrico secundo Regi Anglorum concessit, ea coditione, vt in ea Insula*
1160	Alexāder III. an. 22.			Theorianus.		

virtu-

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*
1181	Lucius III. ann. 4. m. 2. d. 28		Alexius Connenus an. 2.
1183			Andronicus Connenus. 3.
1186	Vrbanus III. ann. 1. m. 10. d. 25		Isaacius Angelus. an. 10.
1187	Gregorius VIII. m. 2.		
1188	Clemens III. ann. 3. m. 2. d. 26		
1191	Cœlestinus III. an. 6. m. 9. d. 11.	Henricus VI. an. 8.	
1195			Alexius Angelus. ann. 6.
1198	Innocentius III. an. 18. m. 6. d. 9.		
1200		Philippus ann. 9.	Balduinus Belga. ann. 9.
1209		Otho IV. ann. 4.	Henricus ann. 7.
1212		Fridericus II. an. 33.	
1216	Honorius III. an. 10. men. 8.		Petrus. m. aliquot Robertus ann. 11.
1227	Gregorius IX. ann. 14. men. 5.		Balduinus II. vltimus Latin. 34.
1241	Cœlestinus IV. d. 17. vacat Sedes an. 2		
1243	Innocentius IV. an. 11. m. 5. d. 14.		
1245		Imperium vacat ann. 28.	

Scriptores.

Hugo Etherianus. Arnoldus Carnotensis. Petrus Blesensis. Gulielm⁹ Tirius. Hermoldus. Gothifredus Viterbiensis.

Gulielm⁹ Neubrugensis. Rogerius Houeden. Theodor⁹ Balsamon. Ioachim⁹ Abbas. Innocentius. Gũtherus Helinãdus Nicetas Choniates. Honorius Augustudunensis. Conradus Abbas Vrspergensis. S. Antonius de Padua.

Raymundus de penna forti. Gulielm⁹ Antisior. Gulielm⁹ Parisiẽsis. Iacobus à Vitriaco. Edmũdus Cãthutar. Iurocentius. Alexãder de Hales. Hugo de S. Caro.

Hæresiarchæ.

Valdesius, vnde Valdenses, qui & pauperes de Lugduno anno 1170. docere cœpit non esse obediendum Pontifici Romano: potestatem absoluendi à peccatis, & cõficiendi Eucharistiam laicis etiã esse concessam. Indulgentias nihil valere; non extare Purgatorium. Sanctos nõ attendere precibus nostris. Festa, & ieiunia indicta non esse seruanda & alia. De quibus vide S. Antoninum in Summa p. 4. art. 11. c. 7. & Claudium Cussordium contra Valdenses

Petrus Ioannis hoc tempore docuit Christo latus perforatũ adhuc viuenti: animam rationalem non esse formam corporis: Ecclesiam vniuersalem esse Babylonem de Apocalypsi: & Papam esse mysticum Antichristum. Guido Carmelita, & Bernardus de Lutzemburgo in Catalogo heresum.

Almaricus Doctor Parisiensis docuit legem Dei Patris durasse vsque ad Aduentum Christi: legem Christi vsque ad Almarichum: legem Spiritus S. vsque ad finẽ mundi. Docuit multa alia perniciosissima. vide Io. de Turrecremata libr. 4. Summæ. par. 2. c. 35. & Vincentium in Speculo historiali lib. 99. cap. 107.

Albigenses tempore Innocentij III. & forte antea, exorti sunt, qui non solum concionibus, sed etiam armis Ecclesiam diu vexauerunt. Errores eorum recenset S. Antoninus in Summa Theologica, par. 4. tit. 11. c. 7. quod videlicet ponerent duo principia coæterna, vnum bonum, alterum malum, more Manichæorum: & alia id genus. vide S. Antoninum in Summa historiali, 3. par. tit. 19. cap. 1.

Varia.

virtutes plantaret, & vitia eradicaret: vt à singulis domibus quotannis denarium S. Petro pendi curaret: vt iura Ecclesiastica illibata seruaret. Extat diploma tom. 12. ann. Card. Baronij.

Schisma XXI. Victoris, Callisti, & Paschalis contra Alexandrum.

Concilium generale, Lateranense tertium, sub Alexandro III. an. 1180.

Ordo Carmelitarum confirmatur ab Alexandro III. ann. 1180. Item ab Innocentio III. anno 1199. Item ab Honorio III. anno 1216. mitigatur ab Innocentio IV. anno 1248.

Ordo Cruciferorum dicitur confirmatus à Cœlestino III. anno 1197.

Ordo Minorum confirmatur ab Innocentio III. & postea ab Honorio III.

Concilium generale, Lateranẽse quartum, sub Innocentio III. an. 1215.

Ordo redemptionis captiuorum, confirmatur ab Innocentio III.

Ordo Prædicatorum cõfirmatur ab Honorio III.

Ordo Sanctimonialium sanctæ Claræ, quæ sequũtur regulam fratrum Minorum confirmatur.

Ordo Eremitarum sancti Augustini ab Innocentio IV. hoc nomen accepit, cum antea Gugliemiti dicerentur.

Ordo Syluestrinorum confirmatur ab Innocentio IV. anno 1243.

Concilium generale, Lugdunense primum, sub Innocentio IV. in quo deponitur Fridericus Imperator, & decernitur expeditio pro terra sancta recuperanda.

Anni Mūdi	Pontifices.	Imperat. Occid.	Imperat. Orient.	Scriptores.	Hæresiarchæ.	Varia.
1254	Alexander I V. an.6. m.5. d.5.			Humbertus. Matthæus Parisiēsis. Martinus	*Gulielmus de S. amore Doctor Parisiensis tempore Alexandri Papæ I V. odio religiosorum mendicantium, docuit illicitum esse omnia relinquere, nisi quis cogatur. Quod idem Desiderius Longobardus docuit, & addidit, non esse licitum instituere, vel ingredi ordinem religiosum, qui non habeat possessiones, saltem in communi. Scripserunt contra hanc hæresim S. Thomas in opusculo contra impugnātes Religionem. & S. Bonauentura in opusculis varijs.*	*Ordo Eremitarum sancti Augustini ab Alexandro I V. reducitur ad vnum, & eundem habitum, qui hodie est in vsu.*
1261	Vrbanus I V. ann.3. men.1. d. 4.		Michael Paleologus an.33.	Polonus. Vincētius Bellouac. GuidoPapa.		
1265	Clemens I V. an. 3. men. 9. d. 25. vacat Sedes an. 2.men. 9.			Robertus Sorbona. Albertus magnus. S.Thom. S.Bonauētura.		*Albigensium ad centum millia vincuntur, diuino miraculo, ab octo millibus Catholicorum, Duce Simone, Comite Montis fortis. Æmilius lib.6.histor. Francorum.*
1271	Gregorius X. an. 4.men. 4. d.10.			Henricus Stero. Vdalricus Argentin.		*Concilium generale, Lugdunense secundum, sub Gregorio X. pro vnione Græcorum cum Latinis.*
1273		Rodulph⁹ ann.20.		Petrus de Tarantasia.		
1274				Rupertus de Russia.		
1276	Innocentius V. Ordin. Prædic. m.5. Hadrianus V. d. 19. Ioannes XX. m.8. d.8.				*Fraticelli auctore quodam Hermanno cum Dulcitio Nouatiensi, hæresim suam inchoarunt, docentes auctoritatem Roman. Ecclesiæ cessasse propter malitiam Prælatorum: se solos esse veram Ecclesiam, & perfectos, vt erāt Apostoli: se nulli debere obedire, & quod secta ipsorum sit immediate à Christo: quod omnes Pontifices à tempore sancti Syluestri fuerint præuaricatores, excepto Cœlestino V. Hæc & similia damnauit Bonif. V I I I. vide Nauclerum generat. 44. & Io.Turrecremata lib.4. summæ par.2.c.37.*	*Mirum, cur iste Ioannes Papa dici voluerit XXI. cum nullus præcesserit XX.*
1277	Nicolaus III. an.2. men. 8. d. 29.					
1281	Martinus II. dictus IV. an. 4. men.1.			GuidoArchidiac. Gulielm⁹ Durantes. Ægydius		
1285	Honorius IV.ann.2. d. 2.			Romanus. Raymundus Lull⁹.		
1288	Nicolaus I V. Ord. Min. ann. 4. men. 1. d.14.			Richardus de media villa. Henricus de Gandauo.		*Cœlestinus Papa, raro exemplo, dimissa sponte summa dignitate, ad monasterium redijt.*
1294	Cœlestinus V. me. 5.d.17. Bonifacius VIII. an.8. m.9. d.18.	Astaulphus ann. 6.	Andronicus an.40.	Dinus Mugellanus. Io. Parisiensis. Io.Scotus. Augustin⁹ deAncona	*Begardi, & Beghinæ, auctore Bogonato (erant autem Begardi, Monachi; & Beghinæ, Moniales; sed absque votis) docebant, hominem posse in hac vita fieri impeccabilem: & non teneri amplius ad ieiunia,*	*Ordo Cœlestinorum.* *Ordo Seruorum Beatæ Mariæ.*
1299		Albertus ann.10.		Barlaamus Hieracēsis		

Hoc

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Reges Turcarum.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
1300				Othomā-nus an. 28.	Nicephorus Callistus.	*iunia, vel orationem: & in gratia crescere non posse,*	*Hoc anno incipit Iubilæum, cētesimo quoq; anno celebrandum.*
1303	Benedictus X. dictus XI. Ord. Prædicat. m. 8. d. 6. vacat Sedes m. 11				Eberard⁹. Petrus Aureolus. Antonius Andreas. Pelagius Aluarus.	*& alia id genus. Vide Aluarum de planctu Ecclesiæ libro 2. c. 52. & Io. de Turrecremata lib. 4. part. 2. cap. 36.*	
1305	Clemens V. ann. 8. mens. 10. d. 16. vacat Sedes ann. 2.				Durandus Heruæus. Franciscus Maironis. Gulielm⁹ Okan. Monaldus		*Hic Pontifex transtulit sedem Apostolicā in Galliam, vbi mansit annis circiter septuaginta.*
1309		Henricus VII. an. 5.			Nicolaus de Lyra. Nicepho-	*Lollardus Gualterus docuit Luciferum iniustè à Deo damnatū,*	
1311					rus Gregoras. Petrus de	*vt testatur Trithemi⁹ in Chronico ann. 1315.*	*Concilium generale Viennense, sub Clemente V. in quo deletus fuit Ordo Templariorum.*
1315		Ludouicus IV. an. 33.			Palude. Io. Villan⁹ Guido	*vbi alios etiam errores.*	
1316	Ioannes XXI. dictus XXII. ann. 18. m. 3. d. 18.				Carmelita Astesanus. Adā Goddam. Landulphus.		*Anno 1327. opera Ludouici Imp. schisma 22 factū est Nicolai Antipapæ contra Ioannem.*
1328				Orchannes ann. 22	Lupoldus. Ioan. Andreas.	*Marsilius de Padua, & Ioan. de Ianduno multos errores do-*	
1334	Benedictus XI. dictus XII. an. 7. men. 4.		Andronicus iunior an. 14.		Bartholomæus Pisanus. Io. Calderinus.	*cuerūt, quos damnauit Ioannes XXII. in Extrauaganti, quæ incipit, Licet iuxta doctrinam. summa*	*Ordo equitum Christi in Lusitania incipit.*
1342	Clemens VI. an. 10. m. 7.				Io. de Bachone. Albericus. Simon de	*errorū est, quod sanctus Petrus non fuerit caput Ecclesiæ, & quod Christus soluerit*	
1348		Carolus IV. ann. 32.	Calo Ioannes ann. 30.		Cassia. Henricus Suso. Robertus	*dydrachma necessitate coactus, non ex condescensione.*	
1350				Sulaimanes, & mox Amorathes ann. 23.	Olkot. Greg. de Arimino. Thom. de Argētina.	*Flagellantes orti*	*Anno 1350. Clemens Papa reuocat Iubilæum ad annum quinquagesimum.*
1352	Innocentius VI. an. 9. men. 8. d. 26.				Franc. Petrarcha. Armachanus. Nicolaus	*quidem sunt in Italia, sed in Germania maximè propagati: Docebant, non posse*	
1362	Vrbanus V. an. 8. m. 2. d. 23.				Cabasila. Nicolaus Gorram. Io. Taule-	*saluari eos, qui non se baptizarent in proprio sanguine, flagellantes se nodosis funibus: sacramenta, &*	*Ordo Iesuatorum, auctore B. Ioanne Columbino Senense.*
1371	Gregori⁹ XI. an. 7. m. 6. d. 5.				rus. Alphōsus Vargas.	*cætera opera bona cōtemnebant. Purgatorium*	*Gregorius Papa reducit sedem ad Vrbem.*

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Imperat. Orient.*	*Reges Turcarum.*	*Scriptores.*	Hæresiarchæ.	Varia.
1373				Baiazetes ann. 25.	Manuel Caleca.	*rium in alia vita esse negabant. Denique plurimis errorib. laborabant. Vide Bernardum Lutzenburgensem in catalogo hæresum, & Nicolaum Sanderum, de visibili monarchia Ecclesiæ.*	*Ordo Montis Oliueti.*
1378	Vrbanus VI. an. 11. m. 6. d. 5.		Manuel ann. 2.		Io. Rusbrochius. Henricus de Hassia.		*Schisma 22. omnium grauissimũ, & longissimum, Clementis Antipapa contra Vrbanum VI. Nam Clementi successit in schismate Benedict. XIII. cui schismati volens Concil. Pisanum remedium adhibere, illud auxit, creato Alexandro V. inde enim tres Pontifices simul sedebant; Gregorius XII. Benedictus XIII. & Alexander V. & paulò pòst, Ioannes XXIII.*
1380		Venceslaus an. 22.	Andronicus III. ann. 39.		Petrus de Ancharano. Augustin'		
1389	Bonifacius IX. an. 14. m. 11.				de Butrio. Ioan. Capreolus.	*Ioannes VViclephus Anglus 1372. hæresim perniciosissimam docere cœpit: de qua vide Concilii Constantiense Sess. 8. & Ioannem Cochleum in historia Hussitarum lib. 3.*	
1398				Iosue ann. 4.	S. Vincentius. Franc. Zabarella.		
1402		Robertus ann. 10.		Mulsumanes an. 2.	Petrus ab Alliaco.		
1404	Innocent. VII. an. 2. d. 21.			Moses an. 2.	Io. Gersõ. Thomas Valdensis. Augustin'		
1406	Greg. XII. an. 8. m. 7. d. 5.			Maometh an. 13.	de Roma. Ioannes de Imola.	*Ioannes Hus Boemus ex libris VViclephi hæreses hausit & propagauit in Bohemia. Errores eius referuntur, & damnantur in Concilio Constantiensi sess. 15.*	
1409	Alexãder V. me. 10. viuente Greg. XII.				Io. de Anania. Io. de Ragusa. Henricus		
1410	Ioannes XXII. dictus XXIII. ann. 5. d. 15. viuente Gregor. XII.				Kalteisen. S. Bernardinus Senensis. Io. de Capistrano. Io. de Polemar.	*Vide de hac hæresi, quæ adhuc viget, historiam Io Cochlei, & Æneam Syluium in lib de origine Boemorum cap. 35.*	*Ordo S. Hieronymi.* *Ordo Scopetinorum.* *Ordo S. Georgij de Alga.*
1412		Sigismundus an. 27.			Alphõsus Tostatus.		*Concilium generale Constantiense, pro schismate tollendo, in quo Gregor. XII. abdicauit sponte; idẽ paulò pòst fecit Ioan. XXIII.* *Benedictus fuit depositus, sed noluit dimittere prætensam dignitatem.*
1417	Martinus III. dictus V. ann. 13 mens. 3. d. 10.				Flauius Blondus. Nicolaus Abbas Panormitanus.		
1419			Io. Paleologus an. 28.	Amorates iunior an. 23.	S. Antoninus Florẽtinus. Æneas	*Hussitæ diuiduntur in varias sectas. Alij enim dicuntur Orebitæ. Alij Thaboritæ. Alij Orphani. Alij Adamitæ, siue Pichardi, auctore quodam Gallo, qui dicebatur Pichardus, & Bohemos multos seduxit, dicens, se esse filium Dei, & vocari Adamum. Vide Æneam Syluium de origine Bohemorum, cap. 40. 41. 43. & 47.*	
1431	Eugenius IV. an. 15. m. 11. d. 21.				Syluius. Io. de Turrecrem. Bessarion.		
1440		Albertus iunior annis 2.			Andreas Barbatius. Georgius Scholarius.		*Schisma 25. Clementis Antipapa cõtra Martinum V. mortuo Benedicto XIII. anno 1424.*
1441		Fridericus III. an. 54.			Laonicus. Io. Ballolius.		
1447	Nicolaus V. ann. 8. d. 19.		Constantinus XI. ann. 6.	Mustapha ann. 3.	B. Laurẽt. Iustinian'.		*Schisma 26. Felicis Antipapa contra Eugenium IV. ann. 1439.*

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Tyran. Orient.*
1452			Maumethus Rex Turcarum euerso Imperio Orientali, an. 28.
1455	Callist. III an. 3. m. 4.		
1458	Pius II. an. 5. m. 11. d. 27.		
1464	Paulus II. an. 6. m. 10. d. 26.		
1471	Sixtus IV. an. 10. d. 4.		
1480			Baiazethes an. 32.
† 1484	Innocentius VIII. an. 7. men. 10. d. 27.		
1492	Alexander V I. ann. 11. m. 8.		
†† 1494		Maximilianus an. 26.	
1503	Pius III. d. 26.		
1503	Iulius II. ann. 9. me. 3.		
1512			Selimus ann. 8.
1513	Leo X. an. 8. m. 8. d. 20.		
* 1520		Carolus V. ann. 38.	Solimanus ann. 46.
1522	Hadrianus VI. ann. 1. menſ. 8. d. 6.		
1523	Clemens VII. ann. 10. m. 10.		
** 1534	Paulus III. ann. 15. d. 25.		

Scriptores.

Ioſephus Methon. Greg. Protoſincellus. Nicolaus de Cuſa. Diony. Carthuſ. Thom. de Kemp. Hēr. Harph. Alexan. de Im. Bapt. Plat. Amb. Cam. Gabriel Biel Io. Picus. Iacobus de Valentia. Marſilius Ficinus. Cypr. Benet. Robertus Gaguinus. M. Antonius Sabellicus. Iacobus Philippus Berg. Io. Naucler. Albertus Krantzius. Felin. Sandeus. Iacob. Vvimphelingius. Ant. Bonfinius. Hector Boet. Tho. Caiet. Iac. Almai Franciſcus Ferrarienſis. Ioan. Franciſcus Picus. Io Tabienſ. Io Maior. Hadrian. vj. Syluester Prieras Io Roffenſ. Tho. Morus Io. Echius. Io Faber. Ioan. Cochlæus. Iacobus Latomus. Ioan. Driedo. Franciſcus Victoria. Ambroſius Catharinus. Dom à Soto. Martinus Nauarrus.

Hæreſiarchæ.

† *Hermannus Rißuich natione Batauus, tempore Alexandri V I. docuit, animam mori cum corpore: nullum eſſe Infernum. Chriſtum fuiſſe ſtultum: fidem noſtram eſſe fabuloſam: Euangeliū falſum. Bernardus Luzenburgenſis in catalogo hæreticorum.*

†† *Martinus Lutherus Germanus hæreſiarcha, & Pater hæreſiarcharū an. Dom. 1517. perturbare cœpit Eccleſiam, & perturbauit vſque ad annum 1546. in quo miſerè obijt. Docuit errores plurimos. Sed præcipui ſunt, hominè ſola fide iuſtificari: liberum arbitrium periſſe per peccatum: Papam eſſe Antichriſtum: in Euchariſtia remanere ſubſtantiā panis cum corpore Chriſti. Indulgētias nihil valere: non eſſe Purgatorium: per Sacramenta non dari gratiā; peccata, cum remittuntur, non deleri, ſed non imputari. & alia id genus multa. vide Ioan. Cochlæum in libro de actis, & ſcriptis Martini Lutheri.*

* *Andreas Caroloſtadius, qui primus ex diſcipulis Lutheri vxorem publicè duxit, cùm eſſet Sacerdos, & cum eo Huldricus Zuinglius, & Ioan. OEcolampadius ſacramentariam hæreſim inchoarunt anno 1526. docentes, in Euchariſtia non eſſe corpus Chriſti, niſi in ſigno; & addiderunt, Imagines Chriſti, & Sanctorum eſſe confringendas, vide Ioan. Cochlæum in libro de actis Lutheri anno 1526.*

** *Balthaſſar Pacimontanus, & Bernardus Rothmannus ſectam Anabaptiſtarū inſtituerunt ann. 1527. quæ etiam proles Lutheraniſmi eſt, & in varias ſectas diuiſa. Docent hi non eſſe paruulos baptizandos, & ſi baptizati fuerint, iterum eſſe baptizandos, quādo adulti erunt. Alios plurimos*

Varia.

Concil. general. Florentinum ſub Eugenio I V. pro vnione Græcorum cū Latinis.

Conſtantinopolis capitur à Turcis anno 1452. in ipſis ferijs Pentecoſtes; ſic Deo vlciſcente perfidiam Græcorum circa proceſſionem Spiritus S. à Patre, & Filio.

Ordo Minimorum auctore S. Franciſco de Paula.

Sixtus I V. reuocat Iubilæū ad annos 25.

Hic Hermannus videtur fuiſſe omnium hæreticorū perditißimus, & ſtultißimus, quippè, qui cum doceret, animū mori cum corpore: tamè maluit viuus exuri, quam ſuam hæreſim reuocare.

Concilium generale Lateranenſe quintum inchoatur ſub Iulio an. 1511. & abſoluitur ſub Leone an. 1518.

Equitibus Rhodienſibus fortißimè reſiſtentibus, Rhodus Inſula capitur, non ſine magna clade Turcarum.

Ordo Clericorum Regularium cōfirmatur à Clemente VII. an. 1524.

Ordo Capucinorum ab eodem 1530.

Ordo Clericorum ſancti Pauli, ab eodem an. 1533.

Henricus VIII. Rex Angliæ anno 1535. ab Eccleſia Catholica deficiens caput Eccleſiæ Anglicanæ dici voluit: & repugnantes

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Tyran. Orient.*	Hæresiarchæ.	Varia.
				mos errores docent, de quibus vide Io. Cochlæum de actis Lutheri an. 1527. & Card. Hosium lib. 1. de hæres. nostri temporis.	*Ioannem Roffensem, & Thomam Morum cum aliys multis occidit.*
1540				*Philippus Melanchton, Lutheri discipulus Confessionem Augustanam cõposuit an. 1530. vnde Confeßioniſtæ, & molles Lutherani dicti sunt, qui eam sequuntur. Multos habent errores, vt quod partes pœnitentiæ sint duæ tantum. contritio, & fides, id est, terrores conscientiæ, & fides, qua credimus per Christum nobis remissa esse peccata. Vide Cochlæum in lib. de actis Lutheri.*	*Anno 1540. Ordo Societatis Iesu auctore B. Ignatio Loyola, confirmatur à Paulo III.*
1545				*Ioannes Caluinus Nouiodunensis Zuinglij discipulus, cõtempto magistro propriam familiam instituit an. 1538. docuit, filios baptizatorum nasci sanctos: gratiam semel habitam non posse amitti: omnes veros fideles esse prædestinatos. hæc, & his similia ha-*	*Concilium Tridentinum generale inchoatur anno 1545.*
1550	Iulius III. an. 5. m. 1. d. 16.			*bentur in libris quatuor Institutionis. Obijt anno 1564. morbo pediculari, teste Surio in historia ad hunc annum; & blasphemans, ac desperãs, teste Hierony. Bolseco in eius vita.*	*Regnum Angliæ sub Iulio Pontifice, & Maria Regina Angliæ, ad Ecclesiæ vnitatem re-*
1555	Marcellus II. d. 22. Paulus IV. ann. 5. mens. 2. d. 27.			*Michael Seruetus Hispanus cùm esset annorum 25. summum se orbis prophetam esse iactabat. Scripsit autem libros septem de erroribus Trinitatis. in quibus docuit, nullã esse in Deo realem generationem: non esse in Deo personalem distinctionẽ: non debere homines baptizari, nisi anno 30. tandem anno 1555. ab ipso Caluino Geneuæ igni traditus est. Vide Io. Cochlæum de actis Lutheri ad annũ 1532. & Surium in historia eiusdem anni.*	*dit: sed post paucos annos sub Elisabetha Regina hæretica iterum ad schisma, & hæresim reuertitur.*
1558		Ferdinandus. ann. 6.		*Dauid Georgius Delphis in Batauia natus, prædicauit se esse eximium Prophetarum, & Filium Dei Christo Iesu maiorem, & anno tertio post mortem resurrecturum, & Regnum Israel restituturũ. Sed iam anni circi-*	*Caluinistæ sub nomine Hugonottorũ Regnum Galliæ infestare incipiunt anno Domini 1560.*
1560	Pius IV. an. 5. m. 2. d. 15.			*ter sexaginta ab eius obitu præterierunt, & nondum surrexit, neque resurget, nisi in die nouißimo cum aliys impostoribus gehennæ æternis ignibus cruciandus. Vide totam histo-*	*Concilium Tridentinum generale concluditur sub Pio IV.*
1563				*riam apud Surium in historia anni 1555.*	*an. 1563. Melita Insula summa vi à Turcis*
1564		Maximilianus iunior. an. 12.		*Gaspar Svvenchfeldius, vnus ex Confessionistis propria dogmata adinuenit, Humanam Christi naturam post ascensionem in diuinam esse mutatam: & solo spiritu contentos nos esse debere, vocale verbum, tanquam occidentem literam esse reyciendum. Vide*	*oppugnatur, sed maiore virtute à Christianis defenditur. Caluinistæ sub nomi-*
1566	Pius V. Ord. Prædic. ann. 6. mens. 3. d. 24.		Selimus iunior. ann. 8.	*Fridericum Staphilum in lib. de concordia Lutheranorum. Andreas Osiander, vnus ex Confeßionistis, sed propter nouas hæreses, ipsis etiam Cõfessionistis hæreticus, docuit Charitatem, & Iustitiam, & Sapientiam quibus homo iustus, & sapiens est, esse ipsam Dei essentiam: & Christum iustificare homines solum iuxta*	*ne Geuseorum, id est, vilium personarũ Belgium tumultibus replere incipiunt, anno 1566. Hoc an. 1571. ingens victoria naualis de Turcarũ classe à Chri-*
1571				*naturam diuinam. Vide Fridericum loco citato, & Surium in hist. anni 1551.*	*stianis reportata est, cũ sancto fœdere iũcti*
1572	Gregorius XIII. ann. 12. mens. 10. d. 27.			*Io Brentius non minimus inter Confeßionistas, docuit, Christi humanitatem ab ipsa Incarnatione, semper fuisse vbique. Vnde nati sunt Vbiquistæ, aduersus quos acriter diu pugnarunt Theodorus Beza, & aly. Vide Surium in histor. anni 1564.*	*essent Pius V. Papa, Philippus II. Rex, & Resp. Venetorum. Anno 1572. mense Nouẽbri, apparuit noua stella miræ pul-*

chritu-

Anni Dñi.	*Pontifices.*	*Imperat. Occid.*	*Tyran. Orient.*	Hæresiarchæ.	Varia.
1574			Amurates III. ann. 20.	*Matthias Flaccius Illyricus auctor præcipuus historiæ Centuriatæ Magdeburgesis, & Lutheranorum rigidorũ Pater, præter alia stultissima dogmata, docuit peccatum originale esse substantiam. Vide in nostris controuersiis lib.5. de amissione gratiæ cap.1.*	*chritudinis in signo Cassiopeia & durauit vltra annum, & paulatim minui cœpit, donec euanesceret.*
1577		Rodulphus II. ann. 35.			
1585	Sixtus V. Ord. Min. an.5. m.4.			*Libertini auctore quodam Quintino Piccardo, docent, licitum esse simulare, & dissimulare fidem, & religionem, & cum omnibus communicare: vnum esse tantum spiritum immortalem; Angelos, & animas hominum non esse immortales: Christum non vere obiisse in cruce, sed opinione tantum. Alia multa docent, sed clam, & inter se. Quorum non alium auctorem habeo, nisi Ioannem Caluinum, hæresiarcham, in libro contra Libertinos, vbi dicit, sibi notum esse, multa millia esse in hac secta.*	*Ordo Clericorum Minorum à Sixto V. confirmatur an.1588.*
1590	Vrbanus VII. d. 12.				
1590	Gregorius XIV. mens. 10. d.10.				*Ordo Ministrantium infirmis confirmatur à Gregorio XIV. an. 1591.*
1591	Innocentius IX. men.2.				*Anno 1598. fuit inundatio Tiberis maxima in festo Natalis Domini, quanta non est visa, neque nostra, neq; Patrum nostrorum memoria.*
1592	Clemens VIII. ann. 13. mens.1. d. 3.			*Valentinus Gentilis, patria Consentinus anno 1558. Arianismum renouans docere cœpit, tres personas diuinas esse, tres spiritus æternos, essentiali numero differentes: sed Patrem esse maiorem filio, & Spiritu sancto. Ob quam hæresim ab ipsis hæreticis Bernæ capite plexus est, extat hæc historia apud Benedictum Aretium, auctorem damnatum, quem citamus, quia alios non habemus.*	
1595			Maumethus III. ann. 8.		*Clemens VIII. anno Iubilæi 1600. multa præbuit exempla pietatis, & humilitatis, non solum obiens frequenter septem Ecclesias: sed etiam peregrinis pedes lauans, & eorum victus largiter prospiciens.*
1603			Amath. ann.	*Franciscus David cum cæteris ministris Transiluanis, nouis Samosatenis, & Ebionitis: docent, solum Patrem esse Deum verum; Filium, & Spiritum sanctum esse virtutes Dei, non distinctas à Patre persona, vel relatione, vel essentia. Christum esse purum hominem, sed dici Verbum Dei, quia verba Dei annunciauit, quomodo Ioan. Baptista dicitur vox. Vide, si placet, in nostris controuersiis, lib.1. de Christo cap.1. & 2.*	
1605	Leo XI. d. 26.				
1605	Paulus V. ann.				
1612		Matthias ann.			



ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S. R. E. CARDINALIS,

DE TRANSLATIONE IMPERII ROMANI A GRAECIS AD FRANCOS,

Aduersus Matthiam Flaccium Illyricum,

LIBRI TRES.

SVMMA LIBRI PRIMI.

Romanum Imperium à Græcis ad Francos Summi Pontificis auctoritate translatum.

CAPITA LIBRI PRIMI.

CAP. I. *Contradictiones duodecim Illyrici detegit.*

II. *Mendacia viginti eiusdem Illyrici refellit.*

III. *Prolegomena aduersarij confutat, & eam controuersiam explicat, quæ fuit Hadriano Summo Pontifici cum Friderico Ænobarbo Imperatore.*

IV. *Testimonijs Historicorum supra triginta demonstrat, Imperium Romanum Summi Pontificis auctoritate ad Francos à Græcis esse translatum.*

V. *Testimonijs duodecim Principum idem confirmat.*

VI. *Idem asserit testimonijs septem Summorum Pontificum.*

VII. *Imperium Romanum non esse à Francis acquisitum iure belli.*

VIII. *Non accepisse Carolum Magnum à Deo immediatè Imperij dignitatem.*

IX. *Imperium Romanum non esse deuolutum ad Carolum Magnum iure successionis hæreditariæ.*

X. *Imperium Romanum non esse delatum ad Francos auctore Senatu Populoue Romano.*

XI. *Imperium Romanum non fuisse à Græco Imperatore Carolo Magno traditum.*

XII. *Summum Pontificem iure suo Romanum Imperium transferre potuisse, ac reipsa ad Francos transtulisse.*

XIII. *Obiectiones Illyrici dissoluit, aut iam antè dissolutas demonstrat.*

SVMMA LIBRI SECVNDI.

Romanum Imperium à familia Caroli Magni, & gente Francorum ad familiam Othonum, & gentem Saxonum, Summi Pontificis auctoritate transisse.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAP. I. *Successionem explicat Caroli Magni.*

II. *Othonem primum, non autem Henricum aut Chunradum, Imperatorem primum ex gente Saxonum fuisse demonstrat.*

III. *Eundem Othonem à Summo Pontifice Ioanne XII. ad Imperium prouectum ostendit.*

IV. *Obiectiones Illyrici diluit.*

SVMMA LIBRI TERTII.

Septem Electores Imperij à Summo Pontifice Gregorio V. potissimum institutos.

CAPITA LIBRI TERTII.

CAP. I. *Electores antè Gregorij decimi Pontificis, & Friderici secundi Imperatoris tempora designatos.*

II. *Obiectiones Onuphrij refellit.*

III. *Electores Imperij non ab Othone III. Imperatore, sed à Gregorio V. Pontifice Maximo institutos ostendit.*

IV. *Obiectiones Illyrici dissoluit, ac mendacia plurima auctoris eiusdem detegit, & redarguit.*

LIBER PRIMVS.

Argumentum, & Partitio huius libri.

SCRIPTVRVS *de Translatione Imperij Romani à Græcis ad Germanos, aduersus mendacissimum librum, quem ante paucos annos de eodem argumento edidit Matthias Flaccius Illyricus: operæpretium me facturum existimaui, si, quemadmodum ipse prolegomena quædam præmisit, ita quoq; & ego loco prolegomenorũ pauca quædam præmittam tum de contradictionibus, tum de mendacijs, eiusdem Illyrici manifestis, atque crassissimis. Ita enim spero fore, vt hominis huius inconstantia, & impudentia patefacta, simul etiam aditus patefiat veritati in aures, atque animos illorum, quos iam fortè falsitas occupauit, quibusq; ille suis artibus, & multa historiarum confusione, & varietate, tenebras offudit. Deinde ad rem ipsam aggrediar hoc ordine: Quoniam Illyricus, vt est inconstans, & varius, vno in loco docet non esse trãslatum Imperium Roman. Pontificis auctoritate à Græcis in Francos, seu Germanos, in alio verò fatetur id quidem, sed affirmat iniustè, & impiè factum, esseque hanc translationem præcipuum miraculum Antichristi: proptereà primum demonstrare conabor, verè translationẽ esse factam Summi Pontificis auctoritate: atque argumenta desumam ex*

consensu omnium Historicorum, ex confessione Imperatorum, ac demum ex refutatione omnium eorum iurium, vel titulorum, quos aduersarij praetendunt. Ostendam enim certissimis rationibus, Carolum Magnum, quem Imperatorem Romanum fuisse nec Illyricus, neque alius quispiam negat, ad eam dignitatem peruenisse, nec iure belli, atque armorũ, nec immediata vocatione Dei, nec successione haereditaria, nec dono Graecorum, nec denique electione Senatus Populiq; Romani: proinde aut Carolum à Pontifice Imperium habuisse, aut omnino non habuisse. Deindè planũ faciam, id quod Summus Pontifex in hac translatione Imperij fecit, ritè, ac iure esse factum. Addam postremò, vt nihil eorum, quae Illyricus tractat, praetermisisse videar, de translatione Imperij, si tamen translatio dicenda est, ex familia Caroli Magni in Saxones, & de institutione septem Imperij Electorum.

A

CAPVT PRIMVM.

Complectitur contradictiones Illyrici.

IGitur noster Illyricus (vt ordiamur ab eo, quod primo loco propositum est) pro sua grauitate, & constantia in afferendis sententijs, non tam quid sit in re, considerare solet, quàm quid proposito suo maximè deseruiat. Itaque si affirmare aliquid caussae, quam defendit, vtile est, confidenter affirmat; si rursum illud ipsum negare, rei suae conducere putat, audacter negat, parùm omninò laborans, cohaereantne scripta sua inter se, an secum ipsa pugnent, & vtrùm vnum alteri opem ferat, an potiùs, tanquam in bello sociali, vnum euertatur ab altero.

I. In libro quem nuper edidit de translatione Imperij, passim figmentum, & fabulas appellat, quod vulgò creditur, Imperium Romanum translatum à Graecis ad Germanos Summi Pontificis auctoritate. Atque, vt aliquem certum locum notemus, titulus secundae partis primi capitis hic est: *Quòd non sit facta per Papas Imperij translatio à Graecis ad Germanos.*

Sed nimirum cùm haec scriberet, oblitus erat, quid paulò antè scripsisset. Nam in libro contra primatum Papae penè extremo, notas Antichristi explicans, quinto loco hanc ponit de translatione Imperij, & quidem his verbis: *Antichristus apparebit cùm Romani Regni defectio fiet, & reddet Romanis libertatem, sub suo tamen nomine: hoc accidit ante annos 700. cùm Romanum Imperium ruebat, & à Papa non tanquam Caesare Dictatore, Consule, aut Senatore, sed vt à à Papa Romano nonnihil instauratum est: tunc enim Papa suam potentiam, & impietatem propagauit.* Sic Apocal. 13. *Laesa bestia ab alia simili agni bestia honoratur.* Nec solùm in eo libro, sed etiam in Centurijs idem affirmat Illyricus. Sic enim scribit Centur. 8. cap. 10. colum. 751. *Atque ita Imperium Romanum ad Carolum, & Francos* (Leo Tertius) *transtulit, & tamen sibi reseruauit ius Francis imperandi. atque hinc factum est deinceps, vt qui Imperij sceptrum acciperent, à Pontifice inaugurarentur, estque haec translatio praecipuum ex miraculis Antichristi*, Apocal. 13. & 17.

Quid hic Illyrice eliges? si transtulit Romanus Pontifex Imperium in Francos, totus liber tuus de translatione Imperij corruit: si non transtulit, corruunt partes non exiguae, tum ex libro tuo contra Primatum, tum ex Historiarum tuarum Centurijs. Immò verò, siue transtulit Papa Romanus Imperium in Francos, siue non transtulit, corruit liber tuus de translatione Imperij. Siquidem Papam esse Antichristum, ex verbo Dei efficacissima ducta ratione demonstrasse te putes in locis paulò antè citatis, quia videlicet Papa, dum Imperium Occidentale instaurauit, curauit (vt tu quidem interpretaris) plagam bestiae, quod est miraculum, & nota praecipua Antichristi, Apocal. 13. & 17. Igitur in libro de translatione Imperij, dum contendis tam acriter, non esse Papam auctorem Occidentalis Imperij: quid aliud contendis, quàm id efficere, vt credamus falsam esse tuam illam demonstrationem, qua ex verbo Dei probare volebas, Papam esse Antichristum? & tamen in hoc ipso libro, tertio quoque verbo repetis Papam esse Antichristum, in quo tu ipse tuam praecipuam demonstrationem labefactas, qua efficere credebas, Papam esse Antichristum. Sed pergamus ad caetera.

B

II. In hoc ipso libro de translatione Imperij, in epistola dedicatoria affirmat Illyricus ius in Imperium Romanum Germanos adeptos esse ante annos 1500. cùm videlicet Arminio duce duas Aquilas Romanis eripuerunt: atque in huius rei signum bicipitem Aquilam Germanos Imperatores in insignibus suis praeferre. *Huc* (inquit) *referre possis, quòd & mox post Iulium, sub Augusto Germani duas Aquilas Romanis iniustissimo bello abstulerunt.* Et infrà: *Quandocunque igitur volet Romanus sacrificus, aliique Imperij aemuli, cognoscere Germanorum monarchiae originem, ac ius, intueantur modò, ac contemplentur eius gloriosa insignia bicipitem Aquilam ostentantia: & mox ea illos de origine iureque suo abundè edocebunt, ac vel inuitos conuincent.* Haec ille.

C

Sed haec somnia, quae nos infrà, cap. 6. refutabimus, refellit etiam ipse idem Illyricus, cùm ita loquitur Cent. 9. cap. 16. colum. 621. *Aquila Romana in duo capita, statim in initio huius seculi* (quod est ab anno 800. ad 900.) *diuisa est. Nam Carolus Magnus à Leone Pontifice, cum consensu Senatus, & populi Romani, Imperator Occidentis solemni ritu inauguratur, anno Domini* 801. Quomodo, quaeso, ista cohaerent, vt ante annos 1500. coeperit Aquila biceps, & ius, atq; origo Imperij Germanici; & tamen Aquila Romana anno 801. id est, ante annos 700. diuisa primùm fuerit, cùm Carolus Magnus à Leone Pontifice Imperator Occidentis primus inauguratus est?

D

III. Rursum in libro de translatione Imperij, cap. 1. pag. 9. Audet (inquit Illyricus) Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem scribens, 15. quaest. 6. can. Alius, affirmare, Zachariam Papam deposuisse Hildericum Regem Francorum, & transtulisse regnum in Pipinum Caroli patrem. (Et infrà: Tale mendacium ausus est Papa confingere, & Gratianus suae rapsodiae Decretorum inserere.) Haec ibi. At in historia longè aliter. Sic enim scribit Cent. 8. cap. 10. col. 706. Pipino Zacharias Papa regnum Francorum dedit, idq; ei tutum prae-

ſtitit, depoſito, & in monachum conſecrato Carolomanno fratre eius, & Hilderico Rege priore. Poterat ne clariùs ſecum pugnare,& vno in loco deſtruere, quod in alio affirmauit?

IV. In libro eodem de tranſlatione Imperij, cap.1.pag.12. affirmat Illyricus,Summos Pontifices quondam ſeruos, & mancipia fuiſſe Caroli, nunc è contrario à Summis Pontificibus adigi Cæſares ad turpiſsima pedum oſcula. Quàm fœda (inquit) eſt iſta vanitas, quòd Papiſtæ fingunt, illos ſeruos, & mancipia Caroli, Imperium Romanum in Carolum tranſtuliſſe, cumque ſibi vt vaſallum quendam dato feudo obligaſſe: vt nunc arctiſſimis iuramentis Cæſares ſibi obſtringunt, & etiam ad turpiſsima pedum oſcula adigunt. Sed audi rurſum eiuſdem Illyrici verba ex Centuria octaua, cap.10. colum. 724. Pipinus (inquit) & Carolus filius eius, in terram proſtrati, pedes eius (Stephani Papæ) oſculati ſunt,& ſtapedes eius apprehenderunt, & frænum equi illius tenentes,ſtratoris officia ei præſtiterunt. Quid hîc dices Illyrice? Si Papa mancipium erat Caroli, qui factum eſt, vt non Papa Caroli, ſed Carolus Papæ ſtapedes apprehenderit,& ſtratoris officium ei præſtiterit? Et ſi nunc primùm cœpit Papa Principes adigere ad oſcula pedum,quo pacto ante annos propè 800. Pipinus, & Carolus humi ſtrati, Pontificis pedes, nullo cogente, niſi Dei metu, ac reuerentia, Chriſti Vicario debita, oſculabantur?

V. Eadem pag. 12. in libro de tranſlatione Imperij ita ſcribit Illyricus: Teſtantur quoque omnes Hiſtorici, etiam ij, qui Papis ſunt addictiſsimi, Leonem Papam mox vt electus fuit in Papam, miſiſſe ad Carolum Magnum legationē vna cum clauibus ſancti Petri, quod eſt Papale inſigne,& vexillis vrbis Romæ cum Aquilis, petijſſeque iuxta Synodum Adriani, confirmationem ſui, & vt aliquis mitteretur, qui Romanos Carolo denuò iuramento adſtringeret; quod fuit extremæ ſubiectionis indicium. Hæc ibi. In Centurijs contrarium legimus: nimirum petiiſſe Leonem, vt aliqui à Carolo mitterentur, qui Romanos non Carolo, ſed ipſi Papæ iuramento adſtringerent: ſic enim legimus Centur.8.cap. 10.colum.750. Legatos ergo inſcio Senatu cum muneribus ad Carolum mittit,eique ſacras claues, inſigne Pontificię dignitatis,& vexillum vrbis Romæ, ſeu Aquilam ſignum Imperij Romani offert, ſeque & vrbem Romam eius fidei commendat,ac poſtulat, vt ſuos Romam ableget, qui populum Romanum ad ſuam fidem, atque ſubiectionem Sacramento firmarent: iuxta annales Francorum. Quæ verba alij (hoc eſt; Illyricus idem in alio loco) intelligunt,quòd iuſſerit Romanos Francis fidem iurare: ſed id non tam facilè eſſet impetratum. Quare veriſimilius eſt, quòd petierit Romanos eò adigi, vt Pontifici iuſiurandum præſtarent. Quare Engelbertus, vel Agilbertus, Abbas ſancti Richarij iuſſu Caroli compulit Romanum populum fidelitatem iurare Pontifici.

VI. Pag. 22. Italiam ab Odoacre occupatam

A affirmat Leone Beſsicano Imperatore. At Centur.5. cap.16. col. 1526. ſcribit id accidiſſe ſub Zenone, qui poſt Leonem iuniorem Leoni ſeniori,id eſt,Beſsicano ſucceſsit.

VII. Pag. 26. & ſequentibus, Theodoricum Oſtrogothum,Imperatorem Romanorum,& Auguſtum,ac purpura Cæſarea ornatum fuiſſe fusè docet, ac multis teſtimonijs confirmat. At Centur.6.cap. 16.colum. 840. diſertis verbis dicit, Theodoricum eundem,nec nomen, nec inſignia Imperatorum Romanorum vmquam habuiſſe.

VIII. Pag. 49. Carolo Magno Imperium Occidentis donatum fuiſſe ſcribit ab Irene, antequam idem Carolus à Leone coronaretur. At Centur. 4. cap.16. colum.821. ſcribit Græcos in Imperium Caroli quodammodò conſenſiſſe, quòd non poſſent mutare quod

B Leo fecerat Romæ, quando Carolum Imperatorem appellauit.

IX. Neque verò de Electoribus Imperij minor eſt apud Illyricum, quàm de ipſa Imperij tranſlatione diſſenſio: nam in libro de tranſlatione Imperij,cap.5.pag. 89. habentur hæc verba: Hic quoque, vt vbique alibi, Pontificiorum paraſitarum mendacia graſſantur. dicunt enim quòd imperante Othone III. Gregorius V. Germanus malè à Romanis tractatus, ſuaque ſede pulſus, decretum tulerit, quòd ſeptem Germani Principes, loco Romani populi Senatusq; Imperatores in perpetuam poſteritatem eligere deberent. (quod eorum figmentum mox euidenter,Deo dante, redarguemus.At in hiſtoria Eccleſiaſtica,Cen-

C tur.10.cap.10.col.546.habentur hæc alia eiuſdem Illyrici verba, quæ pugnent, necne cum præcedentibus, vel ipſe Illyricus iudex eſto. Gregorius XI. ſui exilij menſe,priſtinæ dignitati per Imperatorem reſtitutus,ſuam patriam inſigni aliqua dignitate ornaturus, ſanxit, vt penes ſolos Germanos eligendi Regem eſſet ius, ac poteſtas, qui poſt diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator & Auguſtus appellaretur. Suntque Electores conſtituti, Moguntinus, Colonienſis,& Treuirenſis Archiepiſcopi, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ Dux,Marchio Brandeburgenſis,& Rex Bohemiæ,qui paribus ſuffragijs Electorum exiſtentibus,litem inter eos dirimat. Ne autem liber de tranſlatione Imperij ſolùm cum alijs eiuſdem Illyrici libris, & nō etiam ipſe ſecum pugnare videatur, annotemus adhuc vnam, vel

D alteram contradictionem.

X. In ipſo igitur libro de tranſlatione Imperij, cap. 1. pagina 5. ſic Illyricus loquitur: *Dei ſolius eſt iſte titulus: Mea ſunt omnia: ego do ea cui volo: ego transfero Regna, ac Monarchias de gente in gentem pro meo arbitrio. Horrenda ergo blaſphemia eſt, quòd Antichriſtus, ſicut in alijs omnibus ſe Deo exæquauit, imò & ſupra eum extulit, ita in hoc quoq; gloriatur, ſuum eſſe transferre Imperia, ac Regna ad quemcumque velit: ſeque tranſtuliſſe Imperium à Græcis ad Francos, & porrò à Francis ad Germanos.* Hæc ibi. At infrà cap.2. pag.21. nō vult ſolius Dei eſſe transferre imperia,ſed etiā hominum. Siquidem docet, nō ſemel tranſlatū fuiſſe Imperiū à Græcis ad Germanos: *Romani*, inquit, *aut potius Conſtātinopoli-*

tani

tani Imperatores, sæpius ius Occidentalis Imperij Germanis tradiderunt. Et mox pag. 22. *Prima igitur*, inquit, *translatio facta est sub Leone Besticano, Constantinopolitano Imperatore, circa annum 460. in Othacarum, aut Odoacrem.* Et infrà ponit secundam translationem factam à Zenone Imperatore in Theodoricum; tertiam ab Anastasio in Clodouæum, & quartam ab Irene in Carolum. Sed si horrenda blasphemia est, quòd Papa asserat, se transtulisse Imperium in Germanos, quia transferre imperia soli Deo conuenit. quomodo non est horrenda blasphemia, quòd Illyricus asserit, à Leone Besticano, vel eius militibus, translatum Imperium in Odoacrem, à Zenone in Theodoricum, ab Anastasio in Clodouæum, ab Irene in Carolum?

A

XI. Et si Antichristus est, & Deo se exæquat, vel super ipsum extollit, qui audet regna trãsferre, quod soli Deo est proprium; certè Antichristi fuerunt Leonis milites, necnon Zeno, Anastasius, & Irene Imperatores, qui re ipsa (vt Illyricus dicit) Imperium trãstulerunt, ac Dei potestatem vsurparunt. Papa verò non modò non est Antichristus, sed etiam Antichristo omninò contrarius, cùm non solùm Imperium non transtulerit, nec Deo se æquauerit, sed etiam (vt idem Illyricus scribit pag. 12.) se vt seruum, ac mancipium Imperatori subiecerit. nonne igitur Illyricus manifestè secum pugnat, cùm passim in hoc suo libro Papam Antichristum vocat, & quidem extollentem se supra ipsum Deum: & tamen in eodem libro tam humilem facit eundem Papam, vt se mancipium, & iuratum seruum Imperatoris esse fateatur?

B

XII. Rursum in eodem libro capite 1. pag. 12. *Ipsa*, inquit Illyricus, *vox translationis eos euidentissimè mendacij redarguit: nam si transtulerunt Papæ Imperium à Græcis ad Francos, sequitur Græcos esse planè priuatos Imperiali dignitate.* Hæc ibi. Sed paulò pòst pag. 22. & sequentibus numerat Illyricus quatuor translationes factas à Græcis ad Germanos, manente nihilominùs etiam Græcis Imperiali dignitate: quia videlicet non tantum Imperium, sed altera pars duntaxat, quæ Occidentale Imperiũ dicitur, translatum fuit. Aut igitur ipsa vox translationis Illyricum arguit euidentissimè mendacij, cùm ait, pag. 22. translatum Imperium à Græcis in Germanos à militibus, Zenone, Anastasio, & Irene: aut falsum est, quod scripsit pagina 12. nam vtrumque simul nulla ratione defendi potest.

C

XIII. Sed insignis contradictio, & contumeliosa in Romanum Imperium habetur ad finem epistolæ dedicatoriæ: vbi sic Illyricus de se ipse loquitur: *Testor* (inquit) *me ab omnibus sectis, erroribusque à Romano Imperio: & Augustana Confessione damnatis abhorrere.* Hæc enim verba manifestam implicant contradictionem, nisi Romanum Imperium Augustanæ Confessionis patronum, vel sectatorem Illyricus faciat. quod certè facere non poterit, nisi cum manifesta ratione pugnare velit: constat enim Confessioni Augustanæ solùm ex Romano Imperio adhæsisse, ac subscripsisse Electorem vnum, Principes sex, & ciuitates

D

libcras duas: eandem verò Confessionem in eodem Augustano conuentu publicè reprobatam, ac damnatam ab ipso Romanorum Imperatore Carolo eius nominis Quinto, ab electoribus quinque, à Principibus Imperij, partim Ecclesiasticis, partim secularibus septem supra centum, ac demum à liberis Imperialibus Ciuitatibus nouem, & triginta, tot enim fuisse Catholicos Principes, & Status Imperij, qui in damnationem Confessionis subscripserunt, & subscriptionem sigillis suis munierunt, testis est Ioannes Cochlæus; qui in eo conuentu præsens interfuit, in actis Lutheri anni millesimi quingentesimi trigesimi, & 1531. Cùm igitur Romanus Imperator cum longè maiore parte Principum, & Statuum Imperialium Augustanam Confessionem damnauerit, meritò ea ab Imperio Romano damnata existimanda est. nam si Imperator, vt caput Imperij, Imperium vniuersum repræsentat, quantò magis, & certius conuentus Principum, & Statuum fermè omnium vna cum ipso Cæsare Imperium vniuersum repræsentabit? Quocirca meritò Philippus Melanchthon in epistola ad Ioannem Obernburgerum ita scribit: Non delector recordatione Comitiorum Augustanorum, in quibus tristi, ac atroci sententia damnati sumus. Eligat iam Illyricus vtrum voluerit: aut sequitur Imperij Romani sententiam, & mentitur cùm ait, se adhærere Confessioni Augustanæ: aut sequitur Confessionem Augustanam, & mentitur cùm ait, se abhorrere ab erroribus ab Imperio Romano damnatis. vtrumque certè simul verum esse nullo modo potest.

CAPVT II.

Continet mendacia Illyrici.

VEniamus nunc ad alteram partem Prolegomenorum, id est, ad mendacia, quibus vndique scatet Illyrici libellus.

Ac primùm ipsam epistolam, qua librum suum dedicat Imperatori Maximiliano, omnibusq; Imperij Principibus, totam ferè mendacijs texuit; vt mirùm sit eum tam impudenter tantis viris imponere voluisse.

I. Non procul ab initio scribit politici Magistratus gloriam, & dignitatem per Lutheri doctrinam esse illustratam, & contra se ductores, & oppressores ornatam, & vindicatam. Hoc (inquit) tempore instaurati Euangelij non vno modo gloria dignitasque politici Magistratus est verbo Dei illustrata, & contra seductores, eiusque oppressores speciosè ornata, & vindicata; quantumuis illi contrarium fingant. At quàm hoc sit verum, testantur in primis libri ipsius Lutheri, quibus ita Principes omnes in contemptum, & inuidiam adduxit, vt nihil aliud meditari videretur, quàm principatum omnem de medio tollere. Sic enim loquitur in libro de potestate seculari, Principes mundani sunt; mundus autem inimicus est Deo: idcirco & ipsos quoque facere oportet, quod Deo contrarium, mundo autem consentaneum sit, vt scilicet non fiant infames, sed Principes mundani permaneant. ne mireris igitur, si contra Euangelium furunt, & fatuè agũt. Oportet ipsos titulo

nomi-

nominique suo satisfacere, & scire debes quòd ab initio mundi admodũ rara auis est Princeps prudens, adhuc multò rarior Princeps probus. Sunt cõmuniter maximi fatui, aut pessimi nebulones super terrã. Quapropter semper pessima quęq; ab ipsis exspectanda sunt, & parum boni sperandum est, præsertim in rebus diuinis, quæ ad salutem animarum pertinent. ipsi enim sunt lictores, & carnifices Dei, quibus vtitur ira diuina, &c. & infrà: Si Princeps prosperatur, vt sit prudens, probus, aut Christianus, hoc è magnis miraculis vnum est, & pretiosissimum signum diuinæ gratiæ super eam prouinciam. nam iuxta communem cursum euenit secundùm illud, Isaiæ tertio: *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* & Oseæ decimotertio: *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.* & infrà: Admodum pauci sunt Principes, qui non habeantur pro fatuis, aut nebulonibus. Causa huius est, quia & tales sese demonstrant, & populus communis fit intelligens: & Principum plaga, quam Deus contemptum vocat, potenter progreditur in plebe, & communi populo. & vereor ne prohiberi non possit, nisi Principes agant, vt principes decet, & incipiant rursum cum ratione, & modestia gubernare, non ferent, non possunt, nec volunt vestram tyrannidem petulantiamque diu perferre. Boni Principes, & Domini, secundùm hoc agere sciatis; Deus non vult diuinitùs permittere. non ampliùs nunc mundus est, vt olim, quando hominem sicut feras venabamini, &cæt. Item in lib. quem inscripsit, Duo Cæsarea mandata discordantia, & contraria, &cæt. propè finem, Oro (inquit) omnes pios Christianos, dignentur simul precari Deum pro eiusmodi miseris, & excæcatis Principibus, quibus nos Deus tribulauit in magna procul dubio ira, ne sequamur eos ad proficiscendum, aut ad contribuendum cõtra Turcas: quandoquidem Turca decies prudentior, & probior est principibus nostris. & infrà: De his conqueror ex imo corde, cunctis probis Christianis, vt mecum commiserescantur super eiusmodi stolidos, fatuos, insanos, furiosos, & amentes moriones. & in fine: Deus (inquit) nos ab ipsis liberet, aliosque nobis ex gratia det regentes, Amen. Ita nimirum nouit Lutherus Principes ornare, atque ad obedientiam, & reuerentiam magistratus populos adducere; sed ne solùm vnũ testem habeamus, quamuis omni exceptione maiorem, Illyriciani mendacij: proferamus & alterum testem omni fide dignissimum. Imperator Carolus V. in edicto VVormaciensi, quòd Imperij Principibus vniuersis consentientibus edidit anno millesimo quingentesimo vigesimoprimo, inter cætera de Luthero sic ait: Obedientiam (inquit) & regimen omne prorsus tollit, vnde populi ad defectionem, & rebellionem à suis, tam spiritualibus, quàm temporalibus dominis faciendam, ad rapinas, cædes, incẽdia, cum magno, & manifesto Christianæ Reipublicæ discrimine prouocentur. quinimò, cùm vitam quandam solutam, licentiosam, atque ab omni lege explicatam, & verè ferinam inducere conetur, ita exlex homo le-

A ges ipsas omnes damnat, & contemnit, vt decreta sanctorum Patrum, & sacros Canones publico igni comburere non formidauerit: facturus peiora ciuili iuri, si non magis sæculi gladium, quàm Pontificis excommunicationes, & censuras metuisset. Hæc Imperator. Quare si non mentitur Illyricus, mentitur Cęsar cum vniuerso Romano Imperio. vtrùm autem verisimilius sit, Augustum Cæsarem cum tot illustrissimis Principibus, an vnum Illyricum esse mentitum, nemo est qui non videat. Sed quid si addamus & tertium testem, qui iam non verbis, sed rebus ipsis, & factis clamet? vnde enim, quæso, prodiit ingens illa rebellio rusticorum aduersus Principes, anno 1525. ob quam breuissimo tẽpore in vna Franconia 292. nobilium arces euersæ sunt, & supra centum millia rusticorum cæsa, nisi ex doctri-
B na Lutheri? Quid aliud Principes Protestantes, anno 1546. in ipsum suum Imperatorem Carolum V. armauit, nisi doctrina Lutheri? Cur tot annos Galliæ vniuersæ in motu fuerunt, nisi ob doctrinam Lutheri? Quis tot rebelles populos Regibus Francorum, & Hispanorum fecit, nisi posteritas Lutheri? Quis denique Anabaptistas, qui palàm magistratum omnem de medio tollunt in Germania peperit, nisi Lutherus? Et audet tamen Illyricus scribere, per Lutheri euangelium defendi; atque ornari contra seductores Papistas politicos Magistratus.

Eadem pagina scribit Illyricus in hunc modum: *Cùm antea præstantes viri in politica gubernatione existentes falsa doctrina persuaderen-*
C *tur, se in quodam profano, carnali, Deoq; parum grato vitæ genere versari, ac propemodum de salute sua desperare cogerentur: eoque non rarò, deserta sua diuinitùs mandata statione, publicoque bono, sese in latibula, ignauumque otium monasteriorum abderent. nunc contra ex verbo Dei, certo sciunt nihil suo vitæ genere, si modo rectè, ac in fide Filij Dei obseruatur, vel Deo gratius, vel etiam hominum generi vtilius esse.* Hæc ille, qui vna breui sententia quatuor mendacia comprehendit.

II. Primùm enim nullus vnquam probatus auctor in Catholica nostra Ecclesia docuit, genus vitæ eorum, qui extra monasteria viuunt, parum Deo gratum esse, aut eiusmodi, vt qui in eo versantur, de salute desperare cogantur, quin potiùs in hæreticorum numero
D ponimus eos, qui talia docent. nam & sanctus Augustinus libro de hæresibus, cap. 40. & sanctus Thomas, qui Lutheranorum iudicio suprà modum Papista fuit, in 2.2. quæst. 66. artic. 2. scribunt, hæreticos esse illos, qui docent non habere spem salutis eos, qui ducunt vxores, & res proprias possident, & denique non eo modo viuant, quo ij, qui dicuntur in Ecclesia Monachi. nec solùm priuatos homines, sed etiam Principes, & Magistratus, atque adeò etiam milites, si Christianè viuant, Deo gratos esse. & & spem salutis habere, passim Catholici docent, ac præsertim sanctus Augustinus epistola quinta ad Marcellinum, & epistola 70. ad Bonifacium. & S. Thom. in libris de Regimine Principum. Denique Magister Sententiarũ, & cum eo Theologi Scholastici oẽs, li. 4. dist. 26.

& 33. apertissimè docent, statum matrimonij bonum, licitum, sanctum, ac Deo gratum esse. Itaque eos, qui in politica gubernatione versantur, in parùm Deo grato vitæ genere versari, vt pene desperare de salute cogantur, non doctrina Ecclesiæ, sed mendacium Illyrici existimandum est.

III. Deinde quòd Illyricus addit, eos qui à politica administratione ad monasteria se cõferunt, deserere diuinitùs sibi mandatam stationem, impudens quoq; mendacium est: nam vbi (quæso) Deus mandauit, vt qui in politica gubernatione versantur, in ea perseuerent vsque ad mortem? qui magistratu funguntur, si rationibus suis consulere iudicent, abdicare se magistratu; quo verbo Dei prohibentur id facere? Quis ante Illyricum reprehendit, aut non potiùs vehementer laudauit sanctissimos viros Basilium, Nazianzenum, Chrysostomum, Martinum, Paulinum, Augustinum, Gregorium, qui aut militia, aut foro, aut academia, aut senatu, aut prætura seculari relicta, Deo soli seruire in monasterijs maluerunt? Laudant Germani Historici Lotharium Imperatorē, & Rachim Longobardorū Regem, quòd in monasteriis potius, quàm in palatijs mori voluerint. Carolomannum; qui relicto principatu Francico, monachatū elegit, diuino succensum amore fuisse scribit Abbas Vrspergensis. de quo etiam, ac de Rachi multa præclara scribit Leo Hostiensis in historia Casinensi. De Coenredo Rege Merciorum in Britannia ita scribit Beda lib. 5. histor. gentis suæ, capite vigesimo: Coenredus, qui regno Merciorum nobilissimè tempore aliquanto præfuerat, nobilius multò sceptra regni reliquit: nam venit Romam, ibique attonsus, Pontificatum habente Constantino, ac monachus factus, ad Limina Apostolorum in precibus, ieiuniis, & eleemosynis vsque ad diem permansit vltimum. & infrà: Venit autem cum illo, & filius Sigheri Regis Orientalium Saxonum vocabulo Offa, iuuenis amantissimæ ætatis, & venustatis, totique suæ genti ad tenenda seruandaque regni sceptra exoptatissimus. qui pari ductus deuotione mentis, reliquit vxorem, agros, cognatos, & patriam propter Christum, & propter Euangelium, vt in hac vita centuplum acciperet, & in sæculo venturo vitam æternam. & ipse ergo, vbi ad loca Sancta Romam peruenerūt, attonsus, & in monachico vitam habitu complens, ad visionem beatorum Apostolorum in cœlis diu desideratam peruenit. Albertus Krantzius libro octauo Saxoniæ, cap. 7. posteaquam scripserat insignem conuersionem Adolphi Comitis Holsatię, qui propter Christum ex opulentissimo, & potentissimo Principe pauperrimus monachus factus est, ita subiunxit: Hic tum erat feruor in diuinam religionem apud nobilitatem. & infrà: Hęc est mutatio dexteræ excelsi. quis enim alius ex tam glorioso milite seculi faceret, tam humilem peditem Christi?

IV. Et quoniam Illyrico ignauum otium appellare placuit vitam, quam post relictum seculum præclari isti heroes duxerunt; addamus pauca quædam de isto ipso Adolpho ex eodem libro Krantzij, vt videamus, quam de-

A licato otio in Christi militia Adolphus frueretur. Monasterium (inquit Krantzius) sui Ordinis ipse manibus multa molitus in oppido Kiil, vbi nunc requiescit, curauit erigere, eleemosynas suorum quondam subditorum humiliter poscens, & accipiens: cumque multùm sollicitè laboraret in erectione dicti Monasterij in oppido Kiil, ibat ostiatim lac in hydriam mendicans, vt haberent operarij, & fratres, quo inter laborandum per æstum reficerentur. media iam platea, vbi declinare iter non poterat, ibat hydriam baiulans lacte plenam: & cùm obuios habuisset filios sublimes in equis, Comitum more secularium, passus est humanitus aliquid, vt rubore cœperit perfundi. sed ille infremuit, & robur mentis ad-

B uocans; cùm adhuc in conspectu essent filij, hydriam leuatam super caput euertit, sese totum à vertice lacte perfundens, dixitque. Infelix erubuisti Christi pauperiem, baiulare lac in manibus: nunc vel in capite ostende quid portaueris. quis non iure miretur tantam humilitatem, patientiam, fortitudinem? Hæc Albertus. Porrò his non dissimilia de Carolomanno refert Leo Hostiensis in hist. monasterij Casinensis.

V. Sed veniamus ad postremum illud, crassissimumq; mendacium, quòd Illyricus effutiit, cùm ait: ***Nunc contra ex verbo Dei certò sciunt nihil suo vitæ genere, si modò rectè, ac in fide Filij Dei obseruatur, vel Deo gratius, vel etiam hominum generi vtilius esse.*** Et vbi, quæso, est hoc verbum Dei? cur testimonium nullum

C profertur? nam si nihil Deo gratius est, quàm vt homines vitæ huius negotijs, politicæque administrationi se dedant; mentitur igitur Christus, cùm ait adolescenti diuiti: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me, Matthæi 19. & cùm Mariæ contemplationem Marthæ actioni apertissimè antepo suit, dicens: Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, porrò vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, Luc. 10. in quæ verba sanctus Augustinus sermone 27. de verbis Domini, Non tu malam, inquit, sed ista meliorem elegit. Et de loco superiore disputans idem Augustinus in epistola 89. Qui illius, inquit, perfectionis de vendendis rebus suis consilium, tam grande, tamque præclarum non re-

D ceperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum pauerunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter iudicatori, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer iudicandi. Sed quoniam de his rebus non est hic locus fusiùs disputandi, adijciam solùm testimonium Eusebij, quo simul & Catholicæ Ecclesiæ sententia explicatur, & quatuor prædicta Illyrici mendacia refelluntur. Sic igitur loquitur Eusebius libro primo Demonstrat. Euangel. cap. 8. Cæterùm ille quidem (Moyses) in tabulis inanimatis; hic autem Christus, in mentibus vita præditis perfecta noui Testamenti documenta descripsit. Et infrà, explicās hæc documenta, Duo, inquit, in Ecclesia Dei viuendi modi instituti sunt: alter quidem naturam nostram,

& com-

& communem hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens: totus autem prorsus à communi, & consueta cunctorum hominum vita abhorrens, & soli diuino cultui ex immenso rerum cœlestium amore addictus. qui hunc modum amplexi sunt, quasi ab hac mortali vita seiuncti, ipsumque duntaxat corpus in terra gerentes, cogitatione verò, atque animo in ipso cœlo degentes, quasi quidam cœlites, reliquorum hominum vitam despiciunt: quippè qui pro vniuerso genere supremo omnium Deo sacrati sint: idque non boum mactationibus, non cruoribus, non libationibus, aut nidore vllo, neque fumo, aut ignis deuoratione, consumptioneve corporum, sed rectis veræ pietatis sententiis, & purgati animi affectione, ad hæc operibus quoque, & verbis, quæ à virtute proficiscuntur, quibus rebus diuinitatem ipsam placantes, suum, & pro se ipsis, & pro aliis, qui eiusdem sint generis, administrant Sacerdotium, & talis quidem existit in Christianismo perfectus vitæ modus. alter verò remissior, atque humanior: hic & modesto coniugio, & sobolis procuratione implicatur, & rei familiaris curam assumit, & iustè militantibus, quæ sint agenda, describit: agros quoque, & mercaturam, aliumque magis ciuilem viuendi morem adiuncta religione non negligit. & his quidem secundus pietatis attributus est gradus, dum aptam huic ipsi generi vitæ præbet vtilitatem, vt nullus planè ab aduentu salutari separetur, sed omne genus hominum, tam Barbarorum, quàm Græcorum, Euangelicæ doctrinæ fructum percipiat. Hæc Eusebius.

VI. Pergit Illyricus in sequenti pagina, atque ait: *Sic etiam cùm anteà pedibus seductorum fœdissimè proculcarentur, nunc se verbo Dei super omnem animam exaltatos esse cernunt, lætanturq; de quo ingenti Dei beneficio meritò profectò omnes Magistratus illi maximas gratias agere deberent.* Non vnum, sed duo mendacia his paucis verbis comprehẽdi mihi videntur. Primùm enim, nec verbis, nec factis apud nos Magistratus, & Principes proculcantur; nisi proculcationem fortasse voces, quòd apertè docemus, non licere Principibus diripere templa, monasteria spoliare, & bona Ecclesiarum, quasi in prædam inuadere. Deindè quis vnquam fœdiùs, ac petulantiùs pedibus proculcauit Principes omnes, ac Magistratus, quàm Lutherus? quis enim Catholicorum vnquam ausus est Principes appellare pessimos nebulones, lictores, carnifices, fatuos, stolidos, insanos, furiosos, amentes, moriones, & ipso Turca decies stultiores, & peiores, vt non semel eos appellauit Lutherus?

VII. Alterum horribilius est mendacium. siquidem in ipsum Dei verbum mentitur Illyricus, cùm ait, Verbo Dei exaltatos esse Principes politicos super omnem animam. nec enim Paulus ait, Omnis anima potestatibus politicis subdita sit: sed, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. quocirca antequàm Principes politicos exaltare incipias super omnem animam, ac proinde super ipsum

A etiam Summum Pontificem (de hoc enim potissima quæstio est) demonstrandum tibi erit, sublimiorem esse potestatem magistratus politici, quàm Ecclesiastici. id enim si facere non potueris, non verbo Dei, sed adulatione, & mendacio tuo exaltabis Principes politicos super omnem animam. at quando, quæso, demonstrabis nobis politicum magistratum Ecclesiastico sublimiorem? num sanctus Apostolus non apertè omnes fideles, ne magistratu quidem excepto, Episcopis subiecit, cùm ait: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant, tanquam rationem pro animabus vestris reddituri? Nonne S. Gregorius Nazianzenus in oratione ad ciues timore perculsos, & Præsidem irascentem, hoc modo alloquitur Præsidem? An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque potestate meæ, meisque subselliis lex Christi subiicit; B Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstãtius, ac perfectius: nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere. Sanctus quoque Ambrosius in oratione de tradendis Basilicis; Nonne, ait, bonus Imperator intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam? & sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 4. in cap. 6. Isaiæ, Maior, inquit, hic principatus, propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis. Denique (vt plurima prætermittam) S. Bernardus in epistol. 183. ad Conradum Imperatorem, Legi, inquit, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: quam sententiam cupio vos custodire in exhibenda reuerentia Petri Vicario, sicut ipsam C vobis vultis ab vniuerso seruari imperio.

Sed audiamus quid paulò inferiùs in eadem præfatione Illyricus dicat: *Deus* (inquit) *dici seuerissimè mandat, constare iam fermè toti orbi terrarum, nunquam à quoquam fœdiùs, & diutius vexatum oppressumq; esse sacrosanctum Imperium, eius Monarchiam, & gloriosissimos Ordines, ac Status, & denique sedem eorum, amplissimam nempè, & vetustissimam gentem Germanorum, quàm à Romano Pontifice, vt omnes Historiæ vna voce copiosissimè narrant.* In his verbis triplex mendacium inest.

VIII. Ac primùm quidem omninò mirabile, & inopinabile, atque, vt Græci dicunt, παράδοξον est, quòd Illyricus dicit, Deum seuerissimè mandare, vt dicatur Imperium Romanum, à Romano Pontifice vexatũ, & oppressum fuisse. vbi enim est hoc Dei mandatũ? in quo Pro- D pheta, in quo Euangelista, in quo Apostolo hęc legisti? nisi fortè Lutherum, nõ solùm Heliam tertium, vt adhuc fecistis, sed etiam Deum alterum faciatis. Satis enim constat, Lutherum seuerissimè mandasse, vt quidquid mali fingi potest, in Romanum Pontificem dicatur.

IX. Alterum est mendacium, Germaniam à nullo vnquam fœdiùs oppressam, quàm à Romano Pontifice: cùm contra constet, à nullo vnquam plura beneficia Germaniam accepisse, quàm à Romano Pontifice. nam Dei agnitionem, quo beneficio nullum est maius, per sanctos Episcopos, Maternum, Chilianum, & Bonifacium diuersis temporibus à sede Romana missos, Germanos primùm accepisse, ne Illyricus quidem negare potest, quippè qui

disertis verbis id scripsit Cent. 1. lib. 2. cap. 10. colum. 624. & Centur. 7. cap. 2. colum. 31. & Cent. 8. capit. 2. col. 2. Porrò hoc vnum beneficium quot alia beneficia consequuta sint, facilè perspiciet, qui historias legerit. videbit enim, Germaniam, quæ ante id tempus in summa barbarie degebat, quæque nec vrbes habebat, nec literas nouerat, neque vllum ciuilem cultum ferre posse videbatur, paulatim suscepta fide ad eum cultum, & splendorem venisse, vt iam nulli prouinciæ cedat: Vide Senecam in libro de gubernatione mundi, capitulo quarto. Strabonem libro septimo de situ Orbis; Cornelium Tacitum de situ, & moribus Germanorum, C. Cæsarem libro sexto de bello Gallico. Deinde Imperium ipsum, quo vno maximè Germania gloriatur, & Electorum Principum dignitatem, qua Imperium solidissimè in Germania confirmatum est, negat quidem Illyricus à Romana sede ad Germaniam deuenisse: sed id agnoscunt, & gratissimè confitentur ipsi Principes Germani; extant enim litteræ publicæ, siue publicum instrumentum Principum Germanorum ad Nicolaum Pontificem eius nominis tertium, quarum literarum hoc est initium: *Complectens ab olim sibi Romana mater Ecclesia, quadam quasi Germana charitate Germaniam illam, eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod est super omne nomen temporaliter tantùm præsidentium super terram: plantans in ea Principes, tanquam arbores prælectas, & rigans illas gratiâ singulari: illud ei dedit incrementum miranda potentiæ, vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem, illum qui fræna Romani teneret Imperij, germinarent.*

X. Mendacium tertium, & quidem impudentissimum illud est, quòd omnes historiæ vna voce copiosissimè narrent, à nullo vmquam fœdiùs vexatam, & oppressam Germaniam, Cæsarem, Principes, atque Ordines Imperij, quàm à Romano Pontifice. Nam si vnum, aut alterum detrahas, qui odio nationis Italicæ, aut Pontificis Romani, inuectiuas potiùs, quàm historias conscripserunt, historici pene omnes ornatam Germaniam à Pontifice Romano, non vexatam scribunt, quorum testimonia suo loco infrà recitabuntur. Quòd si quis à nullo vmquam fœdiùs vexatam, & oppressam Germaniam, & Cæsares diceret, quàm à Luthero, atque Illyrico, is demùm sanè non mentiretur. quid enim grauiùs Germaniæ, atque Imperatori accidere poterat, quàm vt Caroli Magni imperium Antichristi opus esse diceretur, & scriberetur? Lutherus primus id affirmare ausus est, eumque Lutherani magno consensu sequuti sunt. nam vt Dauid Chytræus testatur in comment. c. 13. Apocalyp. Lutherus, & plerique Lutheranorum Imperium quidem Germanicum à Papa constitutum scribunt, sed Papam in ea re Antichristum, & bestiam in Apocalypsi descriptam præclarè egisse; proinde Germanicum Imperium non alio iure niti, quàm Antichristiano. Theodorus Bibliander in Chronico tabula decima extrema, Lutherum sequutus, Leonem Papam vsurpata auctoritate Imperium à Græcis ad Francos transtulisse scribit. Illyricus autem (vt supra diximus) Centuria octaua, cap. 10. columna 751. vnum ex præcipuis Antichristi miraculis hanc ipsam Imperij translationem vocat. Præclarè igitur Lutherus, & eius filij Chytræus, Bibliander, & Illyricus, de Germania, & Imperio meriti sunt, qui Cæsarum Germanorum potentiam, & gloriam, ad Antichristi præstigias, & tyrannidem referunt. Vide præterea de innumerabilibus detrimentis, quæ Germaniæ attulit hæresis Lutherana, præfationem Ioannis Cochlæi ad librum de actis, & scriptis Lutheri. Sed pergamus ad cætera.

XI. Non longè à mendacijs iam confutatis, Illyricus Henricum Quartum præclarissimum heroem appellat, atque iniustè à Papa oppressum fuisse scribit. Quod mendacium vno ore confutant scriptores fermè omnes, atque in primis Germani, quorum testimonia breuissimè adscribam, propterea quòd frequentissimè ex abdicatione huius Henrici, tum Illyricus, tum cæteri Lutherani, inuidiam Romano Pontifici conflare student.

Stephanus Alberstatensis, vir sanctus, & doctus, scripsit viuente Henrico IV. ad VValramum Episcopum prolixam epistolam, quæ exstat apud Dodechinum in additione ad Marianum Scotum anno 1090. in qua epistola sic ait: *Audi vera, non fucata: audi fortia, non faceta: omnis qui dignitates spirituales vendit, hæreticus est: dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Episcopatus, & Abbatias vendit; etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alios pro pecunia; Ratisbonensem, Augustensem, & Strasburgensem pro gladio, Abbatiam Fuldensem pro adulterio; Monasteriensem verò Episcopatum, quod dicere, & audire nefas est, pro Sodomitica immunditia vendidit: quæ si imprudenter negare volueris, teste Cœlo, teste terra, omnes etiam à furno redeuntes scioli concludent hoc, Dominus Henricus hæreticus est, pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec potestatem aliquam super nos, qui Catholici sumus, poterit exerceri.* Marianus Scotus, & ipse Henrici Quarti æqualis in Chronico anni 1075. *Hæc, inquit, & similia nefanda, & inaudita Henrici Regis flagitia videntes, & audientes fieri, Catholici viri per id tempus in Ecclesia constituti, cum Prophet a Helia zelo Domino zelantes pro domo Israel, directis Romam nuncijs ad Alexandrum Apostolicæ sedis Antistitem, hæc ei, & alia quàm plurima, quæ in regno Theutonico, insanientibus Simoniacis hæreticis, Rege Henrico auctore, & patrono dicta, & gesta sunt, tam litteris quàm viua voce gemendo, ac dolendo conquesti sunt.* Et infrà: *Gregorius*, inquit, *querimonijs, & clamoribus Catholicorum iustis aduersùs Henricum, & scelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accensus, iam dictum Regem excommunicatum pronunciauit, maximè propter Simoniam, quod factum Catholicis quidem viris bene placuit, Simoniacis vero, ac fautoribus Regis nimium displicuit.*

Ex quo Mariani testimonio non solùm habemus, qualis Henricus Quartus fuerit, sed etiam abdicationem eius ab ipsis Germanis procuratam fuisse: quod enim Gregorius Pontifex fecit, ad preces, & querimonias Principum

Germanorum fecit. Dodechinus Mariani continuator anno 1106. Henricum, inquit, hominem peruersum, & iusto iudicio ab Ecclesia eiectum, constat manifestè. Idem auctor in Chronico anni 1090. & 1093. adeò immania, & horribilia scelera Henrici refert, vt puduerit me hic adscribere. Conradus Abbas Vrspergensis in Chronico anni 1068. Henricus, inquit, adolescentiæ vsus libertate, Saxoniam solam ex omni Romano Imperio cœpit incolere, Principes despicere, Nobiles opprimere, inferiores sustollere, &c. Et infrà: Hic finis, hic interitus, hæc sors vltima Henrici; illo sub vocabulo, quarti Romanorum Imperatorum à suis appellati: à Catholicis verò, id est, cunctis beato Petro suisque successoribus fidem, & obedientiam lege Christiana conseruantibus, archipirata simul, & hæresiarcha, necnon & apostata, persequutorque plùs animarum, quàm corporum competenter dicebatur.

B Lambertus Schafnaburgensis, in historia Germanorum, quam Henrico Quarto regnante conscripsit, sic loquitur, dum refert acta Regis anno 1073. Rex (inquit) tamquam seuerissimo pædagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ, & temperantiæ frænis præcipitem se dedit. Albertus Krantzius libro quinto Saxoniæ, capite 24. Mirum, inquit, & incomparabile rerum humanarum spectaculum, & exemplum non vulgare, in quo contemplari possunt ima, & summa. Si laudes requiris (Henrici) nobilis, doctus, fortis, procerus, & Rege dignus vultus, qui summam Reipublicæ tenuerit annis quinquaginta. cæterùm si in C alteram partem respicis, incredibilia dictu flagitia, & pertinax superbia, adeò sibi hominem dimidiarunt, vt potiores sibi partes in vno vendicarent. habeant Reges speculum vtriusque fortunæ in homine, qui vbi tolerabiliter se gessit, in summo rerum mortalium fastigio effloruit: vbi verò versus est in reprobos mores, in extremam incidit calamitatem, non in morte luctum, non sepulturam accipiens.

Ioannes Auentinus (quo auctore mirificè oblectari solet Illyricus) libro quinto Annalium Boiorum, pagina 563. Henricum (inquit) stupris, amoribus, impudicitiæ, & adulterij flagrasse infamia, ne amici quidem negant. Ioannes Caluinus, Summi Pontificis hostis acerrimus, à veritate ipsa coactus, ita scribit lib. 4. D Instit. capit. 11. §. 3. Imperator Henricus eius nominis Quartus, homo leuis, & temerarius, nullius consilij, magnæ audaciæ, vitæ dissolutæ, Episcopatus totius Germaniæ habebat in aula sua, partim venales, partim prædæ expositos.

Habemus igitur quàm sit verum, quod Illyricus scribit, cùm tragicè deplorat iniustam oppressionem præclarissimi herois Henrici 4. Adduxi autem solùm testimonia Germanorum, aut hostium Pontificiorum, ne vlla suspicio mendacij nasci posset, si ex Gallis, & Italis scriptoribus testimonia peteremus: quamuis ea non desint, & præsertim sanctissimorum virorum, qualis in primis fuit S. Anselmus Episcopus Cantuariensis, qui Henrici æqualis cùm esset, præfatione libri de azymo ad VValramum, Henricum 4. Neronis, Domitiani, & Diocletiani successorem vocat. Sed de his hactenus.

XII. In eadem epistola dedicatoria non procul à fine scribit Illyricus: *Concilium Tridentinum finitum esse sine omni cleri reformatione, elusis Cæsaris aliorumque Principum admonitionibus, & petitionibus, qui reformationem cleri obnixè postulauerant.* At mendacium hoc apertè coarguit ipsum Concilium, quod plenum est decretis saluberrimis de reformatione: quodq; extat, & legitur, & multis in locis magno cum fructu seruatur.

XIII. Non procul ab eo loco subiungit Illyricus in hunc modum: *Extat etiam verè aureus libellus centum importabilium grauaminum à toto Imperio in Comitijs Norimberg. anno 1523. Papæ Adriano oblatus.* Mendacium hoc hominis impudentissimi detexit Ioannes Cochlæus in actis Lutheri, anni 1523. vbi scriptum reliquit, nullum eiusmodi libellum in Comitijs Imperialibus editum: sed cùm in eo conuentu proposita fuissent quædam grauamina, quibus grauari videbatur natio Germanica, non solùm à Rom. curia, verùm etiam ab Episcopis, & Prælatis Germaniæ, ea occasione Lutheranos edidisse librum de centum grauaminibus Germaniæ, omnia in Papæ odium augentes, aut malignè interpretantes.

XIV. Sed vt ad finem epistolæ veniamus, Illyricus more insignium Oratorum, ad extremam partem orationis suæ splendidissimum mendacium reseruauit. sic enim in extrema epistola loquitur: *Quod* (inquit) *ad meam personam attinet, testor coram Deo, me puram Christi religionem, secundùm Prophetica, & Apostolica scripta, triaque Symbola amplecti, cuius aliqua summa in Augustana Confessione comprehensa est, quæque cum primitiua Ecclesiæ religione optimè conuenit. Testor & insuper, me adeò ab omnibus sectis erroribusque à Romano Imperio, & Augustana Confessione damnatis abhorrere.* Hæc ille. Hoc esse mendacium, & quidem clarissimum, vt nullo modo tegi, vel excusari queat, duabus rationib. ostendi potest. Primùm ex eo, quòd propria quædam ipsius Illyrici dogmata, quale est illud, quòd peccatum originis sit substantia, quodque ipse homo totus sit peccatum, manifestè pugnat cum scriptis Prophetarum, & Apostolorum, cum doctrina Ecclesiæ primitiuæ, cum Symbolis fidei, & cum ipsa etiam Confessione Augustana. sed quia longum esset hæc persequi, & multi iam tum Catholici, tum Lutherani, editis libris hunc Illyrici errorem certissimis rationibus confutarunt: nihil hîc addemus ampliùs.

Altera ratio expeditior, & facilior est. Siquidem constat, Romanum Imperium non solùm perpetuò coluisse Apostolicam sedem, quam Illyricus tanquam Antichristi sedem execratur, verùm etiam nostro hoc seculo publico edicto damnasse Lutheranam hæresim, cuius se patronum singularem Illyricus profitetur: ita vt omninò necesse sit, aut mentitum esse Illyricum, cùm ait se abhorrere ab erroribus, ab Imperio Romano damnatis: aut certè eundem Illyricum non Lutheranum, sed

Papistam

Papiſtam fuiſſe, cùm hæc ſcripſit. Porrò Apoſtolicæ Sedi perpetuò ab Imperio Romano debitam reuerentiam exhibitam fuiſſe, nec vllum fuiſſe Imperatorem à Carolo Magno, vſque ad Rudolphum, qui nunc imperat, qui Romanum Pontificem vt verum Chriſti Vicarium non coluerit, in duodecimo capite demonſtrabo. adductis præcipuè eorum Imperatorum teſtimonijs, qui cum certis Pontificibus inimicitias geſsére, videlicet Henrici Quarti, & Quinti, Friderici Primi, & Secundi, Philippi, Othonis Quarti, & Ludouici item Quarti. Damnatam verò hæreſim Lutheranam ab Imperio vniuerſò perſpicuum eſt ex edicto VVormacienſi, quod editum fuit anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo. Sic enim in eo edicto loquitur Carolus Quintus Imperator: *Ad honorem Dei omnipotentis, Romaniq; Pontificis, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ debitam reuerentiam, pro Imperialis dignitatis officio, ac debito, necnon zelo, ac ſtudio, quo noſtrorum maiorum more, & ingenita etiam nobis vi, ad defenſionem Catholicæ fidei, ſanctæq; Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ honorem, tutelam, & protectionem omnes noſtras vires, & facultates, Imperium, Regna, Dominia, amicos, vitam deniq;, & animam ipſam noſtram exponere ſumus parati. Ex Imperiali, & Regia auctoritate, necnon conſilio, & aſſenſu* (Nota Lector) *Electorum, & omnium ſacri Romani Imperij Principum, Ordinum, & Statuum in hac celeberrima, & frequentiſsima Imperiali Dieta VVormatiæ congregatorum, ad perpetuam rei memoriam, in exequendo ſanctiſsimi Domini noſtri Papæ, veri in hac parte Iudicis, ſententiam, decretum, & condemnationem, in literis Apoſtolicis (vt ſuprà dictum eſt) ad nos directis contentam; Martinum Lutherum, vt membrum ab Eccleſia Dei alienum, vt obſtinatum ſchiſmaticum, & notorium hæreticum à nobis haberi declaramus, & vt talem à vobis omnibus, & ſingulis habendum decernimus, & edicimus.* Quid hic dices Illyrice? num adhuc teſtaris coram Deo te abhorrere ab omnibus erroribus ab Imperio Romano damnatis? cur igitur in omnibus ferè tuis operibus Lutherum tuum, vt Prophetam Germanicum, & Heliam tertium laudas, & in hoc ipſo libro, vbi iuras te ſequi doctrinam Imperij Romani, tam crebrò Romanum Pontificem Antichriſtum vocas: & nihil aliud omnibus viribus tuis contendis, quàm vt populos Chriſtianos ab antiqua religione, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia, & obedientia ad Lutheri hæreſes pertrahas tam apertè ab Imperio Romano damnatas? Sed nimirum certum eſt tibi millies potiùs mentiri, & mendacia iureiurando confirmare, quàm Lutherum deſerere.

Atque hactenus de epiſtola dedicatoria. Iam in reliquo libro non facilè numerus mendaciorum iniri poſſet: idcircò pauciſſimis annotatis, reliquam taceri libenter patiemur; nam & ad maiora feſtinamus, & ex paucis, quæ notabimus, facilè de reliquis coniecturam facere libebit.

XV. Igitur capite primo, pagina decimatertia: *Fingunt* (inquit Illyricus) *Carolum ignoraſſe Papæ conſilium, & decretum Senatus populiq; Romani de transferendo in eum Imperio. O mirum tum illorum ſilentium, tum & Caroli in explorandis rebus negligentiam, ac ſomnolentiam! Dicunt ei inuito, & recuſanti eſſe coronam, & nomen Imperatoris obſtruſum. O miram, & præpoſteram modeſtiam, aut etiam humilitatem Caroli!* Hæc ille. Atqui id fingi dicitur, quod ſine certo auctore aſſeritur. Ignoraſſe autem Carolum Papæ conſilium de transferendo in eum Imperio, & recuſanti planè atque inuito Imperium eſſe delatum, auctores certiſsimi fideque digniſsimi narrant. Eginarthus, qui Caroli tempore vixit, & vitam, ac res geſtas Caroli vt teſtis oculatus ſumma fide ſcripſit: Auguſti, inquit, nomen primò tantùm auerſatus eſt (Carolus) vt affirmaret ſe eo die, quamuis præcipua ſolennitas eſſet, Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium preſcire potuiſſet. Conradus Abbas Vrſpergenſis, vetuſtus, & diligens auctor, in rebus Germaniæ præcipuè deſcribendis. Dum, inquit, ante Confeſsionem Beati Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret (Carolus) nihil minus ſperanti, Leo Papa coronam impoſuit, & Imperatorem Romanum pronunciauit. Quod idẽ, ac iiſdem pænè verbis ſcripſit Ioannes Cuſpinianus ab Illyrico non ſemel laudatus in vita Caroli Magni, nec non Ioannes Auentinus, Illyrici delitiæ, libro quarto annalium Boiorũ, pagina 345. Non igitur Papiſtæ Italici finxerunt quod tot teſtibus, vel antiquiſsimis, vel hoſtibus Pontificum Germanis certè omnibus comprobamus. Sed addamus etiam teſtimonium Alberti Krantzij, auctoris Germani: & ab Illyrico ſæpè citati. ſic igitur libro ſecundo Saxoniæ, capitulo decimooctauo, Albertus Krantzius loquitur. Cùm nihil tale Carolus aut cogitaret, aut ſperaret, magiſque recuſaret alienum inuadere (vt ſuprà diximus) Imperatoris honorem, infra Miſſarum ſolemnia, dum ante Confeſsionem B. Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret, Papa ei coronam impoſuit, & Imperatorem Romanorum pronunciauit.

Addit paulò poſt & aliud inſigne mendacium. Fingunt, inquit, item die Natalis Domini illam tam ſolemnem actionem (Coronationis Caroli) idq; in templo eſſe habitam. Itane tam curtis diebus, tam ſacro feſto, & in tam multis ſacris actionibus, veriſimile eſt, politicam, eamque tam grandem, difficilemque actionem eſſe peractam? vt ſtata illorum ſacra, rituſque impedirentur à religioſo Imperatore. Hæc ille. Quis crederet tam impudentem hominem reperiri vnquam potuiſſe, qui rem decantatam hiſtoricorum pænè omnium vocibus, plurimiſque oculatis teſtibus confirmatam, aſſerat eſſe figmentum? Annales Francorum ipſo tempore Caroli Magni ſcripti ſic habent: Ipſe autem cum die ſacratiſsimo Natalis Domini ad Miſſarum ſolemnia Baſilicam Beati Petri Apoſtoli fuiſſet ingreſſus, & coram altari, vbi ad orationem ſe inclinauerat, aſsiſteret, Leo Papa coronam capiti eius impoſuit. Id ipſum cùm de tempore, tum de loco diſertis verbis teſtantur Eginarthus in vita Caroli: Paulus Diaconus, qui eiuſdẽ Caroli æqualis fuit, libro 23. rerum Romanarum: Rhegino Abbas libro 2. Chronicorum, Ado

Vennensis in Chronico ætate sexta. Aimoinus lib. 4. de gestis Francorum, cap. 90. Conradus Abbas Vrspergensis in Chronico anni 801. Denium recentiores plurimi, Paulus Æmilius, Albertus Krantzius, Ioannes Cuspinianus, Flauius Blondus, Baptista Platina, & alij. Sed fortasse hos auctores Illyricus non legit: imò legit, ac diligenter omnes euoluit, quippe qui eos tum in Centurijs, tũ in hoc lib. de translatione Imperij passim citat: & tamen adeò mendacijs delectatur, vt fingat se nihil eiusmodi vnquam legisse: & audacter asserat esse figmentum Papistarum, & rem nõ modò non veram, sed ne verisimilem quidem. Sed preterire non possum tergeminum quoddam mendacium, quod idem Illyricus in eodẽ c. 1. pag. 9. scriptum reliquit: Audet (inquit) Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem scribens 15. q. 6. can. Alius, affirmare Zachariã Papam deposuisse Hildericum Regem Francorum, & transtulisse in Pipinum Caroli patrem: de quo tamẽ mendacio eum illic Glossa propria, Annoninus historicus Francorum, & Rodulphus de Columna redarguunt. (& infra. Tale mendacium cùm ausus sit Papa ille confingere, &c.

XVII. Tria hîc sunt manifesta mendacia. Primum asserit Illyricus à Gelasio Papa mendacium esse confictum de tanslatione regni Francorum ab Hilderico in Pipinum. At Gelasius Papa, is qui ad Imperatorẽ Anastasium scribit, de quo loquitur Illyricus, obijt multò antè quàm Zacharias Pontifex, aut Pipinus, vel Hildericus Reges nascerentur: obijt enim Gelasius anno Domini 496. Zacharias autem, Pipinus, & Hildericus post annum Domini 700. floruerunt, de qua re nulla est inter historicos controuersia. Sed Illyricus (inquies) Gratianum sequutus est. At si mendacium erat in Gratiano, quomodo tantus historicus Illyricus id non aduertit? Aduertit omninò quippe qui in Centurijs, Gelasij, & Anastasij tempora amplius ducentis annis antiquiora fecit temporibus Zachariæ, Pipini, & Hilderici, cum illa ad Centuriam 5. hæc ad octauam retulerit: sed pro more suo nullam mentiendi occasionem vndecunque oblatam prætermittendam sibi esse censuit.

XVIII. Mentitur 2. cùm affirmat, figmentum, ac mendacium esse quòd nostri affirmant, à Zacharia Pontifice Regnum Francorum ab Hilderico in Pipinum esse translatum. Nam (vt supra diximus) id propriè fingitur, quod sine auctore probato dicitur: Plurimi verò grauissimique auctores constanter asserunt, quod nos dicimus. Annales Francorum vetustissimi sic habent: Data auctoritate sua (Zacharias) iussit Pipinum Regem constitui. Et infra: Secundùm Rom. Pontificis sanctionẽ Pipinus Rex Francorum appellatus est. Eginarthus in vita Caroli Magni: Pipinus, inquit, per auctoritatem Romani Pontificis ex Præfecto palatij, Rex constitutus est.

Aimoinus libro 4. de gestis Francorum, capite 61. Pontifex (inquit) data auctoritate sua iussit Pipinum Regem institui. Rhegino libro 2. Chronici: Zacharias, inquit, per auctoritatem Apostolicam iussit Pipinum Regem

A creari, & sanctæ vnctionis oleo inungi. Lambertus Scafnaburgensis in historia Germanica: Pipinus, inquit, decreto Zachariæ Papæ per vnctionem sancti Bonifacij rex appellatus est. Sigebertus in Chronico, Anno, inquit, 750. Pipinus Princeps auctoritate Apostolica & Frãcorum electione à sancto Bonifacio in regem vngitur, & consecratur. Anno 752. iterum inungitur in regem à Stephano Papa Hermãnus Contractus in Chronico, Anno, inquit, 752. Pipinus auctoritate Stephani Papæ deposito ac detonso rege Hilderico, rex Francorum factus regnauit annis quindecim. Marianus Scotus libro tertio Chronici, Zacharias, inquit, Papa ex auctoritate sancti Petri Apostoli mãdat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate regia vtebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus rex, qui vltimus Merouingorum Francis imperabat, depositus, &

B in Monasterium missus est. Conradus Abbas Vspergensis in Chronico, Anno, inquit, 750. Pipinus per auctoritatem Zachariæ papæ more Francorum electus ad regnum, per manus sancti Bonifacij eleuatus est in regni solium. Et infra: Stephanus (Papa) Pipinum sacra vnctione in regiæ dignitatis honore confirmauit. Otho Frisingensis lib. 5. hist. capitul. 22. Auctoritate (inquit) Zachariæ Papæ Pipinus ad regnum eligitur. Albertus Krantzius lib. 1. Metropolis, cap. 14. Merito (inquit) summus Pontifex, & Gallorum Rex mutuis se attollunt fauoribus, quando ab initio hæc sedes Domui Caroli hoc præstitit, vt regiam haberet dignitatem. Viderit iam Illyricus, vtrum

C nos finxerimus, Põtificis auctoritate Pipinum regem creatum: an ipse potiùs nos hæc finxisse, more solito mentiatur.

XIX. Postremum, sed dignum extremo loco, mendacium illud est, quo Illyricus affirmat, Papæ figmentum de translatione regni Francorum ab Hilderico in Pipinum, Annonij auctoritate coargui. Nam (vt paulò antè citauimus) Annonius, qui & Aimoinus ab alijs dicitur, non Papæ, sed Illyrici mendacium verbis clarissimis reprehendit. Sic enim ait libro quarto, capite sexagesimoprimo: Pontifex data auctoritate sua, iussit Pipinũ regem institui. Et infrà. Hoc anno, secundùm Romani Pontificis sanctionem, Pipinus rex Francorum appellatus est, & ad huius

D dignitatẽ honoris vnctus sacra vnctione manu sanctæ memoriæ Bonifacij Archiepiscopi, & Martyris. Quid clariùs? Sed finem faciam mendaciorum commemorandorum, si vnum adhuc addidero, quod toto passim libro repetitur.

XX. Siquidem in epistola dedicatoria, in prolegomenis, & in singulis ferè libri capitibus, Illyricus queritur de Pontificijs adulatoribus, & parasitis, quòd audeant Imperium à Pontifice Romano ad reges Francorum delatum scribere: nec veretur hanc ipsam translationem figmentum, & fabulas appellare. At nos paulò post supra triginta Historicorum testimonia proferemus, quorum cùm alij Græci, alij Galli, plurimi Germani, atque omnes penè veteres fuerint, ipsa tum nationis diuersitas, tum vetustatis auctoritas, omnem

ab eis

ab eis suspicionem falsitatis, atque adulationis excludit. Sed præter ea testimonia, quæ suo loco postea producentur, producam nunc Martinum Lutherum, teste Illyrico, omni exceptione maiorem, quippe Prophetam atque Euangelistam nouum, & Romani Pontificis non modò non parasitum, & adulatorem, sed etiam hostem acerrimum, atque infestissimum, cui comites addam Theodorum Bibliãdrum, ac Dauidem Chytræum, & ipsum quoque Flaccium Illyricum, qui in Romano Pontifice oppugnando, non multùm Luthero cedunt.

David igitur Chytræus in commentario, cap. 13. Apocalypsis, Lutheri sententiam, ac suam, & aliorum quorumdam Lutheranorum his verbis describit: *Lutherus, & alij hanc partem visionis de nouo Imperio Romano per Pontificem instaurato enarrant. cùm enim vetus Imperium Vrbis, & Cæsarum Romanorum per Francos, Gothos, Vandalos, & alias gentes laceratum, & planè extinctum esset: Romanus Pontifex Leo Tertius, veteris illius Romani Imperij imaginem, seu simulacrum, & vmbram aliquam excitauit, cùm Carolo Francorum Regi nomen, & titulum Imperatoris Romani anno Christi* 800. *attribuit, ei spiritum, ac vitam imagini à se effictæ dedit; vt formam aliquam veteris Imperij referret, & loqueretur, ac leges sanciret de obedientia bestiæ, & imagini ipsius præstanda. Nihil enim ferè potestatis, & iuris habuit, vel vsurpare ausus fuit Imperator Romanus in hac noua Imperij forma, nisi quantum Romanus Pontifex, aut bestia ei concessit.* Hęc ille.

Theodorus autem Bibliander in Chronico suo, Tabula decima propè extrema, de eadem Imperij translatione, sic loquitur: *Vt per Longobardos Imperatorem noua Romæ Papa veteris Romæ expulit ex Italia: ita Longobardos armis Francorum oppressit: eodemq́; iure, ac potestate Regnum Francorum trãstulit à Merouingis ad Germanos Principes, & Romanum Imperium à Græcis in Carolum Magnum.* & infra in tabula vndecima: *In Natali*, inquit, *die Christi Seruatoris post solemnia sacra in templo sancti Petri magna voce proclamauit* (Leo Papa) *Carolum Imperatorem Augustum, ac diademate ornatum inunxit: simulqúe filium Pipinum inunxit Italiæ Regem. Ita imperium Occidentis, quod post Augustulum ab Oendacaro Germano depositum iacuerat annis* 300. *per Romanum Papam excitatum rursùm, & in Regem Francorum, atque Germanorum translatum est. Papa quidem Romanus videri voluit gratiam referre Carolo de Romana Ecclesia optimè merito, appellans more Romano, Patritium, & Augustum, & Cæsarem Romanum, occulto autem iudicio Dei ad eam nationem Auctore Papa, & applaudente acclamanteqúe populo Romano, Carolo Augusto à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatori vita, & victoria: Imperium translatum est.* Et infra: *Auctoribus Papis à Pipino, & Carolo Germanis Principibus, Longobardi Regnum Italiæ amiserunt: quod Papa Leo, cum præclaro auctario, videlicet, Carolo Magno resignauit.* Hæc Theodorus. Illyrici, ac sociorum eius Magdeburgensium Centuriatorum testimonium supra retulimus capite 1. habemus igitur multorum hostium Pontificiorum testimonia de translatione Imperij auctore Pontifice facta, vsque adeò clara, atque illustria, vt planè nesciam, an vlli scriptores ex ijs, quos Illyricus parasitos Pontificis vocat, clarius de eadem re loqui potuerint. Atq; hæc Illyrici mendacia hoc loco satis esse visa sunt. nam si singula persequi velimus, totus liber in mendacijs numerandis, & refellendis consumendus sit.

Sed ne fortè Illyricus glorietur, ex Apocalypsi Ioannis demonstrari Pontificem Romanum esse Antichristum, obseruet prudens Lector, apud Ioannem nusquam legi, ab Antichristo sanandam eam bestiam, qua Romanum Imperium significatur. Siquidem vnum illud caput bestiæ, quod in Apocalypsi capite 13. dicitur moriturum, & paulò pòst opera draconis resurrecturum, non Imperium, vel Imperatorem, sed ipsum Antichristum designat, qui finget se mortuum, & operâ draconis, id est, arte diabolica, paulò pòst iterum seipse excitare videbitur, vt imitetur veram Christi mortem, & resurrectionem. Ita hunc locum exponunt veteres, Gregorius libro 11. epistola 3. Primasius, Beda, Ahimo, Anselmus, Richardus, Victorinus, & Rupertus Tuitiensis in commentario huius loci, & textus ipse omninò cogit, vt per illud bestiæ caput, non Carolum Magnum, vt Lutherani volunt, sed Antichristum accipiamus. Illud enim caput bestiæ, vt Ioannes scribit, potestatem habuit solùm mensibus quadraginta duobus, & blasphemabat Deum, & eos qui in cœlo habitant: & imperauit in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt illud omnes, qui habitant in terra, quarum rerum nulla conuenit in Carolum, aut in aliquem successorum eius. omnes verò omnium consensu in Antichristum quadrant. Neq; enim Carolus Magnus, in quo Imperium quodammodo reuixit, potestatem habuit mensibus tantùm quadraginta duobus, sed annis ferè quatuordecim. neque Deum, aut Sanctos, Carolus, vel eius successores blasphemarunt, sed eos potiùs mirificè coluerunt. denique neque Carolus, neque vllus successorum eius, aut omnibus gentibus imperauit, aut ab omnibus gentibus adoratus est: Sed de his satis. nam in libro tertio de summo Pontifice totum hoc argumentum accuratè tractauimus.

CAPVT III.

Refelluntur prolegomena Illyrici.

ETsi prolegomena Illyrici nihil sint àliud, nisi ingens quoddam mendacium: quia tamen eius mendacij refutatio longior erit quàm vt ad caput, quo mendacia continentur, commodè possit adiungi: rectiùs esse duxi, si propriam disputationem ad prolegomena refellenda instituerem. Igitur Illyrici prolegomena tota consumuntur in varijs fragmentis diuersorum auctorum recitandis, ex quibus ipse colligi dicit, ante annos quadringentos inter Adrianum quartum Pôtificem, & Fridericum primum Imperatorem litigatum esse, vtrum beneficio Papæ Germani Cæsares imperent: ac tandem post longam

concertationem definitum, figmentum esse, quod vulgò fertur, Germanos Cæsares Romanorum Pontificum beneficio imperare. sic autem exorditur: *Tota ista controuersia, an Imperium ex dono beneficióve Papæ ad Germanos peruenerit, iam olim, nēpe ante 400. annos inter Fridericum Primum, & Adrianum Papam Quartum grauißimè agitata, definitaq; fuit, vt ex sequentibus locis historiæ Othonis Frisingensis, & epistolis illorum ipsorum Monarcharū ab Othone sua historia insertis patebit, quas hic ordine adscribam.* Hæc ille. Vbi mentitur primò, cùm ait, cōtrouersiam hanc ante annos 400. agitatam, & definitam. controuersia enim quædam eo tempore agitata est, esset, nec ne Imperium Romanum beneficium, id est, (vt ipsi loquuntur) feudum Pontificis. vtrum autem imperium à Græcis ad Germanos, Pontificis auctoritate, translatum esset, in controuersiam tunc non venit. Sed res tota paulò post apertior fiet.

Mentitur secundò, cùm addit ex historia Othonis Frisingensis narrationem hanc à se desumptam. non enim ex Othone, sed ex Radeuico eam desumpsit. Otho siquidem vir grauis, & doctus, dedita opera narrationem illam totam in suo opere prætermisit: tamquam indignam, videlicet quæ inter alias res gestas Friderici, quem ipse laudandum susceperat, locum haberet. alioqui autem eidem Othoni res tota perspecta erat, quippe qui præsens interfuit, & litteras summi Pontificis ea de causa missas Imperatori interpretatus est, vt ex Radeuico cognosci potest lib. 1. cap. 22.

Mentitur tertiò, cùm se ordine rem totam adscripturum dicit, cùm contrà potiùs studiosè nullum ordinem sequi videatur, vt ex enumeratione, & discussione eorum, quæ profert, manifestum fiet.

Primùm igitur adfert narrationem Radeuici (quem ipse falsò vocat Othonem Frisingensem) ex lib. 1. de rebus gestis Friderici, capite 8. qua narratione continetur legatio duorum Cardinalium à Pontifice Adriano ad Imperatorem Fridericum missa. de qua nihil est quod dicamus, cùm simplex rei gestæ narratio sit. Secundò adiungit fragmentum epistolæ Adriani, quam legati illi attulerant. Fragmentum autem referre voluit Illyricus, nō totam epistolam, vt lectori suo persuaderet, id potissimum in ea epistola egisse Pontificem, vt se Imperij Germanorum auctorem ostenderet. neque Imperium aliud esse, nisi beneficium, seu feudum Ecclesiæ Romanæ. nos igitur totam epistolam producemus, vt omnes intelligant caussam, ob quam Summus Pontifex scripsit, non fuisse, vt Imperium Germanorum beneficium suum esse iactaret, cuius rei obiter solùm mentionem facit, sed vt Imperatorem officij admoneret in sacrilegis hominibus puniendis.

EXEMPLVM EPISTOLAE
Adriani Quarti ad Fridericum Primum, ex lib. 1. c. 9. Radeuici Frisingensis.

*ADrianus Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilecto filio Friderico illustri Romanorum Imperatori salutem, & Apostolicam benedictionem. Imperatoriæ maiestati paucis retroactis die*A*bus recolimus scripsisse illud horrendum, & execrabile facinus, & piaculare flagitium tempore nostro commissum in Teutonicis partibus, sicut credimus aliquando intentatum, excellentia tua ad memoriam reuocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quod absque digna seueritate vindicta, vsque nunc transire passus sis tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis Frater noster Episcopus Lundonensis Archiepiscopus, dum à Sede Apostolica remearet, à quibusdam impijs, & scelestis, quod sine grandi mœrore non dicimus, in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodia teneatur: Qualiter etiam in ipsa captione prædicta viri impietatis, semen nequam, filij scelerati, in eum, & in suos euaginatis gladijs violenter exarserint, & eos, ablatis omnibus, quàm turpiter, atque inhonestè tractauerint, & tua serenißima* B *Celsitudo cognoscit, atque ad longinquas, & remotißimas regiones fama tanti sceleris iam peruenit. Ad cuius vtique vehementißimi facinoris vltionem, sicut is, cui bona placere, mala verò displicere credimus, constantius exsurgere debuisti, & gladium, qui tibi ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum est ex diuina prouisione concessus, in ceruicem desæuire oportuit impiorum, & grauißimè conterere præsumptores. tu verò ad ipsum ita dißimulasse diceris, sæuitiam neglexisse, quod eosdem non est quare pœniteat commisisse reatum: quia impunitatem sacrilegij, quod gesserunt, iamiam sentiunt inuenisse. cuius quidem dißimulationis, & negligentiæ caussam penitus ignoramus: quoniam nos in aliquo Serenitatis tuæ gloriam offendisse, conscientiæ scrupulus nostrum animum non accusat: sed personam tuam* C *sicut charißimi, & specialis filij nostri, & Principis Christianißimi, quem in Apostolicæ confeßionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, sincera semper dileximus charitate, & debita tractauimus benignitatis affectu. debes enim, gloriosißime fili, ante oculos mentis reducere, quàm gratanter, & quàm iucundè alio anno mater tua sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit: quanta cordis affectione tractauerit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, & honoris: & qualiter imperialis insigne coronæ libentißimè conferens, benignißimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confouere: nihil prorsus efficient, quod Regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obuiare. neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus impleuisse, sed si maiora beneficia excellentia tua de ma*D*nu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesia Dei, & nobis per te incrementa poßint, & commoda prouenire, non immeritò gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus, quod in contumeliam vniuersalis Ecclesiæ, & Imperij tui noscitur etiam commissum, negligere, ac dißimulare videris: suspicamur vtique, ac veremur ne fortè in hanc dißimulationem, & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quòd suggestione peruersi hominis zizania seminantis aduersùs clementißimam matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & nos ipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorē ob hoc igitur, & ob alia negotia, quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus, & charioribus, quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros Bernardum S. Clementis presbyterum,*

Rolan-

Rolandum sancti Marci presbyterum Cardinalem, & Cancellarium nostrum, viros vtiq; religione, prudentia, & honestate conspicuos, Serenitati tuæ de latere nostro ad præsens duximus destinandos, excellentiam tuam rogantes attentiùs, quatenus eos tam honorificè quàm benignè recipias. honestè tractes, & ea, quæ ipsi super hoc & alijs ad honorē Dei, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad decus etiam, & exaltationem Imperij proposuerint dignitati, sicut si ab ore nostro procedant, absque vlla hæsitatione suscipias, & ipsorum verbis, tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

Hæc est epistola Adriani, ex qua perspicuum est modicè admodum, idque necessariò, attigisse Pontificem coronationem Imperatoris, quæ anno superiore peracta fuerat: cùm tamen præcipuum argumentum aliò spectaret.

Tertiò loco ponit Illyricus reliquam narrationem historiæ ex eodem Radeuico libro primo, cap. decimo. Summa verò eius historiæ hæc est: Lectis Pontificijs literis Imperator, & qui cum illo erant Imperij Principes, cùm verba illa Pontificis: *Si maiora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, non immeritò gauderemus,* in eum sensum accepissent, quasi dictum esset, Regnum atque Imperium Germanorum non absolutum liberumq; imperium, sed feudum Romani Pontificis esse: in tantam iracundiam exarserunt, vt parùm abfuerit, quin duos illos Cardinales continuò trucidarent. qui Cardinales, quamuis tandem à periculo vitæ liberati fuerint, tamen sine vllo honore, sine literis Imperatoris, sine vlla responsione dimissi, iussi sunt quàm primùm, via recta, id est, breuissima excedere ex Prouincijs Imperio subiectis, seuerissimeq; interdictum illis est, ne ad vlla Episcoporum, vel Abbatum Germaniæ loca diuerterent. Interim verò Imperator literas plenas acerbitatis scripsit ad oēs Imperio Romano subiectos. quibus literis ne verbum quidē facit de criminibus, quorum à Pontifice admonitus, ac paternè castigatus fuerat: sed solùm questus est, planè tragicè, iniuriam sibi à Pontifice factam, dum is Imperij coronam suum beneficium appellauit. Hęc est illius historiæ summa, in qua multa profectò admiranda occurrunt. primùm, quòd Imperator ad tam horrenda sacrilegia, quorum in epistola Summi Pontificis admonebatur, omninò tacuerit, quasi ad se nihil attinerent. Deinde quòd ex vnius verbi ambiguitate, quod tamen secundùm propriam significationem nihil offensionis habebat, tantam tragædiam excitauerit, vt vix maior excitanda fuerit, si totius Imperij extrema ruina, certissimumque exitium impendisset. Tertiò, quòd in ea epistola Romanum Pontificem, sanctæ Ecclesiæ caput, ac proinde se membrum eius (nisi ipse extra Ecclesiam esse velit) appellet: & tamen non modò isti capiti suo, isti Principi populi sui, acerbissimè maledixerit, sed etiam legatos eius (qui apud quosuis Barbaros, atque etiam Ethnicos iure gentium tuti fuissent, contra omne ius, & fas indignissimè violauerit. Postremò quòd vbi tandē ad firmamenta, atq; præsidia causæ suę explicanda peruenit, nihil attulerit, præter vnā, eamq; leuissimam, ne dicam ineptam, ac puerilem argumentationem. *Cùm* (inquit) *per electionem Principum à solo Deo Regnum, & Imperium nostrum sit, qui in passione Christi Filij sui duobus gladijs necessarijs regendum Orbem subiecit, eumq; Petrus Apostolus hac doctrina mundum informauerit, Deum timete, Regem honorificate: quicunque nos Imperialem coronam pro beneficio à Domino Papa suscepisse dixerit, diuinæ institutioni, & doctrinæ Petri contrarius est, & mendacij reus erit.* Hæc ille. Quæ certè argumentatio, si ad veræ rationis trutinam reuocetur, vereor ne prorsus indigna tanto Principe videatur: nam quod attinet ad duos illos gladios, quorum in passione Domini mentio fit, si quis paulò attentius Euangelium legat, non Cæsaris vnum, alterum Ecclesiæ: sed vtrumque gladium Ecclesiæ, ac potissimum Petri esse videbit. quocirca si alterum Cæsar habet, non à solo Deo (vt Fridericus Imperator dicit) sed à Deo per Petrum habet. ita Imperatoris argumentatio aduersus ipsum suum auctorem pugnat.

Sed placet de hac ipsa re S. Bernardi testimonium in medium adferre. Sic enim scribit li. 4. de Consideratione, cap. 3. Quid tu denuò vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini, dicētis sic; (Conuerte gladium tuum in vaginam) tuus ergo, & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, euaginandus. alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus, Satis est, sed, Nimis est. vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est. iste Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris. Hæc Bernardus.

Illa autem qualis, quæso, argumentatio est: S. Petrus ait, Deum timete, Regem honorificate: ergo cum Petro pugnat, & reus mendacij est, quicunque dixerit, Imperatorem Summi Pontificis beneficio imperare? quæ est hæc noua Dialectica? an ille Rex fortasse (iuxta præceptum S. Petri) honorificandus non erit, qui ab alio regnum acceperit? quis ita insaniat, vt hoc dicat? Rex Catholicus, ac potentissimus Philippus regnū Neapolitanum feudum esse Romani Pontificis quotannis publicè profitetur: & tamen quis dicere auderet, non esse Regem Philippum à populo Neapolitano honorificandum, aut verba S. Petri ad eum Regem nihil pertinere? quid quòd non solùm Imperatoris Friderici argumentatio nihil efficit, sed etiam illa eius sententia Regnum, atq; Imperium suum esse à solo Deo, nulla ratione defendi potest? nam quis omniū ignorat, humana Regna iure gentium constitui, dum populi communi cōsensu in vnum aliquem potestatem suam transferunt? id certè (vt cætera taceam) Leges ipsæ Imperatoriæ, disertè testantur. L. ex hoc iure gentium, ff. de iustitia, & iure. Si verò potestas Regis à populo est, quid est, quod Fridericus ait, Regnū nostrum à solo Deo est? quod si & Imperiū post translationē à Græcis in Germanos, nō à Pontifice, sed à Deo est, quæ causa fuit, cur Fridericus in Italiam ad Pōtificem veniret, atq; ab eo ad Imperiū pro-

uehi postularet? hæc enim sunt verba, quæ nomine Friderici ipso præsente Friderico ad Pōtificem Adrianum Bambergensis Episcopus fecit: *Notum tibi esse volumus, Reuerende Pater, quia omnis Ecclesia de finibus orbis ad honorem Regni collecta, adduxit Principem suum ad tuam Beatitudinem, prouehendum per te ad culmen Imperij. Hoc meretur nobilitas, prudentia, fortitudo, Dei timor, & Catholicæ pacis amor in corde illius regnans, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cultus non vulgaris. Ecce te venientem excepit venerabundus tuis sanctißimis vestigijs humiliter prouolutus. Ergo, venerande Pater, tu circa ipsum peragas, vt quæ ei desunt de plenitudine Imperialis culminis, per tuæ Beatitudinis munificentiam suppleantur.* Hæc ille, teste Alberto Krantzio lib. 6. Saxoniæ, c. 16. Qua ratione igitur Imperium Friderici à solo Deo fuit, si Pontifex Adrianus ad Imperiū illum prouexit, & Imperialis culminis plenitudinē, quę illi deerat, contulit? & si munificentiā Pontificis Episcopus Bambergensis, Friderici ipsius orator, appellare nō timuit illam coronationem Imperatoriam: quid est cur beneficium Pontificis eadem illa coronatio dici non posit? Sed pergamus ad cætera.

Quarto loco addit Illyricus epistolam quandam Adriani Papę ad Archiepiscopos Moguntinum, Coloniensem, & Treuirensem, quam ex Auentino descripsit. de qua epistola nihil est quod dicamus, cùm ea tota nostra sit. Id vnum annotandum erit, mentiri Illyricum, cùm ait: Adrianus nodum in scirpo quærit, Imperium esse beneficium Romani Sacerdotis, Augustumque precariò duntaxat regnare asserit. Siquidem in tota epistola nusquam legitur nomen beneficij. neque Pontifex Adrianus ex loco asserit Augustum, precariò duntaxat regnare: quin contrà potiùs affirmat, Regnum habere illum ex electione Principum suorum, à se autem nomen Imperatoris. Ex electione (inquit) Principum suorum habet nomen Regni, ex consecratione nostra habet nomen Imperatoris.

Quintò Illyricus adiungit epistolam quandam Friderici ad Adrianum ex Nauclero, quæ neque est ordine suo posita, neq; facit ad rem. non enim illa scripta est tempore huius controuersiæ, de qua nunc agimus, sed aut anteà, si credimus Nauclero in Chronico, Generatione trigesima: aut posteà, vt ex Radeuico libro secundo, capite decimo octauo colligi videtur, si tamen hæc epistola illa est, cuius meminit eo loco Radeuicus, & non potiùs alia ab aliquo conficta. Scribit enim Radeuicus, Fridericum Imperatorem, vt indignationem conceptam in Adrianum solaretur, notario suo imperasse, vt in scribendis epistolis ad Pontificem nomen suum nomini Pontificis anteponeret, & distinctionibus singularis numeri ipsum alloqueretur. Hæc autem epistola, quam ex Nauclero produxit Illyricus, cōtendit quidem nomen Imperatoris præponi debere, cùm Imperator ad Pontificem scribit, perpetuò tamen Pontificem alloquitur in numero multitudinis. Quid quòd hęc ipsa epistola non parùm officit causæ eiusdem Friderici? Nam inter cætera scribit epistolæ auctor, Siluestrum ante Constantini donationem nihil regalium

A habuisse: ex quo satis apertè videtur agnoscere vt veram atque legitimam Constantini donationem, quæ apud Gratianum habetur distinctione nonagesima sexta, canon. Constantinus. porrò illa donatio non solùm vrbē Romam, atque Italiam vniuersam, sed etiam omnes Occidentalis Imperij Prouincias complectebatur. quod si ita est, vnde posteà Occidentale Imperium ad Carolum, & successores peruenit, nisi ex dono, ac beneficio pontificum Romanorum? nisi fortè Carolus Magnus (quod nefas est cogitare) sacrilegè eripuerit sancto Petro, quod ei piè donauerat Constantinus. Vides igitur hāc epistolam vel esse confictam, vel ipsi causæ Friderici, atque Illyrici maius detrimentum adferre, quàm attulerint omnia verba, atq; omnes legationes Pontificis Adriani, nec enim Adrianus vnquā tam luculēter dixit, aut scripsit, Germanos Reges Apostolicæ Sedis beneficio imperare, quàm idipsum Fridericus scripsit, si ipsi^a illa epistola est.

Sextò producit Illyricus ex Othone Frisingensi lib. 2. de rebus gestis Friderici, cap. 21. legationem populi Romani ad Fridericum, & Friderici responsionē. nihil autem horum loco suo ponitur, nec ad rem facit. nam ista legatio populi Romani missa est ad Fridericum, cùm is ad Vrbem propinquaret causa coronæ Imperialis à Pontifice petendæ: controuersia aūt illa de Imperio sit ne beneficium Pontificis, an non, sequenti anno, coronatione iam peracta, exorta est. porrò ad rem ista nō faciūt, cum non sit nostra quæstio de populo, sed de Pontifice Romano. tantùm verò abest, vt ea legatio populi Romani Pontificis iussu, vel consilio, aut consensu missa sit ad Fridericum, vt potiùs (Othone teste ibidē) Adrianus legationem illam improbauerit, & paulò pòst, ijsdem repugnantibus Romanis, Fridericum coronauerit. Vides igitur (Lector) quàm verè initio dixerit Illyricus, se ordine subiecturum quæ ad præsentem controuersiam pertinerent.

Septimò addit ex Radeuico (quem falsò Othonem vocat) lib. 2. cap. 30. de rebus gestis Friderici, epistolam Eberhardi Episcopi Bambergensis: ad Eberhardum Archiepiscopum Saltzburgensem, nec non responsionem quandam Friderici Imperatoris ad quandam summi Pontificis legationem. quæ similia sunt superioribus, id est, neque narrantur ordine suo, neque pertinent vllo modo ad rem.

D Octauò profert ex lib. 1. cap. 15. & 16. Radeuici (quē ipse omninò Othonē Frisingēsem vult videri) fragmentū epistolę Adriani ad Episcopos quosdam Germanos, & responsionem eorundem ad Pontificem. Ac nunc tandem Illyricus post longos errores domum redit. istæ siquidē duæ epistolæ (si ordo tenendus sit) propriè sequuntur post eam narrationem, quā tertio loco Illyricus recitauerat. cætera quæ interiecta sunt, ac præcipuè quintum, sextū, & septimum, inter parerga numerari possunt. neque alia de causa inserta videntur, nisi vt augeant prolegomena, & lectoris mentem confundant. tametsi autem hæc omnia, quæ octauo loco ab Illyrico producuntur, ad rem præsentem faciant: nihil tamen habent quod referendum sit; cùm nihil ferè aliud conti-

neant,

neant, quàm repetitionem superiorum. vnum est duntaxat, quod non tam refutatione quàm animaduersione indiget, argumentum videlicet, quod Illyricus præmittit ante epistolam Præsulum Germaniæ ad summum Pontificem, quod quidem eiusmodi est: *Responsio Præsulum Germanorum ad prædictas litteras Pontificis, quibus reprehendunt illud Papale figmentum, & monent, vt id noua legatione, ac scriptione reuocet.* Præterea nouam illam elegantiam sermonis: *Responsio Præsulum, quibus reprehēdunt:* Sed mendacium præterire non possum; neque enim in tota illa epistola vlla mentio fit Papalis figmenti; neque admonetur Pontifex vt reuocet quidquam, sed solùm vt exulceratum animum Principis ex verbi cuiusdam ambiguitate, nouis literis lenire, ac mitigare velit. hæc enim sunt illorum verba: *De cætero Sanctitatem vestram suppliciter rogamus, & obsecramus, vt nostræ parcatis infirmitati, vtque magnanimitatem filij vestri, sicut bonus Pastor, leniatis scriptis vestris, scripta priora suauitate mellita dulcorantibus.*

B Nonò addit legationem, ac litteras Pontificis Adriani ad Fridericum, quibus verbi ambiguitate exposita, continuò animus Principis mitigatus est. Sed verba Illyrici audiamus: *Noua* (inquit) *literæ, ac legatio Papæ, quæ totum illud suum figmentum de beneficio Imperij Germanis collato, artificiosa interpretatione tollit, ac non obscurè recantat, polliceturq́; se posthac Imperij iura minimè violaturum esse.* Hæc sunt Illyrici verba, in quibus duo splendida mendacia continentur: extant enim literæ integræ Pontificis Adriani apud Radeuicum lib. 1. c. 22. in ijs autem nō retractat Pontifex vllum figmentum, nec se iura Imperij posthac nō violaturū promittit, sed arguit imperitiam eorum, qui Friderico suggesserant, beneficium coronationis feudum significare. Hæc enim est epistola Pontificia.

C *Ex quo vniuersalis Ecclesiæ curam, Deo, prout ipsi placuit, disponente, suscepimus, ita in cunctis negotijs magnificentiam tuam honorare curauimus, vt de die in diem animus tuus magis, ac magis in amore nostro, & veneratione Sedis Apostolicæ debuisset accendi. vnde sine grandi admiratione non ferimus, quod cùm audito, ex suggestione quorundam animum tuum aliquantulum cōtra nos fuisse commotum, duos de melioribus, & maioribus fratribus nostris, Rolandum scilicet Cancellarium tituli sancti Marci, & Bernardum tituli S. Clementis presbyteros Cardinales, qui pro tua maiestatis honore in Romana Ecclesia soliciti semper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione ad tuam præsentiam destinauimus, aliter quàm Imperialem decuerit honorificentiam, sunt tractati: occasione siquidem cuiusdā verbi, quod est (beneficium) tuus animus sicut dicitur) est commotus, quod vtiq; nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animū meritò commouisset: Licet enim hoc nomen, quod est beneficiū, apud quosdam in alia significatione quam ex impositione habeat, assumitur: tūc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quā nos ipsi posuimus, & quā ex institutione sua noscitur retinere, hoc enim nomen ex bono, & facto est editum, & dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factū; in qua significatione in vniuerso Scripturæ sacræ corpore inuenitur, vbi ex beneficio Deo, non tanquam*

D A *ex feudo, sed velut ex benedictione, & bono facto ipsius gubernari dicimur, & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquidò recognoscit, quòd nos ita benè, & honorificè Imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari vnde quidam verbum hoc, & illud, scilicet, (contulimus tibi insigne Imperialis coronæ) à sensu suo visi sunt ad alium retorquere, non ex merito causæ, sed de voluntate propria, & illorum suggestione, qui pacem Regni, & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. per hoc enim vocabulum (contulimus) nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, imposuimus. Sanè quòd postmodum personas Ecclesiasticas à debita Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vsitatione (vt dicitur) reuocare iussisti, si ita est, quàm inconuenienter actum sit, tua, fili in Christo charissime, discretio, vt credimus, recognoscit. nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas,*

B *per nuncios, & litteras tuas fuerat intimandum, & nos honori tuo curauissemus, sicut filij charissimi, prouidere. Nunc igitur ad commonitionem dilecti filij nostri Henrici Baioariæ, & Saxoniæ Ducis, duos de fratribus nostri Henrici tituli S. Nerei, & Achillei, & Iacinctum sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconum, Cardinales prudentes siquidem, & honestos viros ad tuam præsentiam destinauimus, celsitudinem tuam monentes, & hortantes in Domino, quatenus eos honestè, & benignè recipias, & quod ab eis ex parte nostra tuæ magnificentiæ fuerit intimatum, à sinceritate cordis nostri nouerit tua excellentia processisse, ac per hoc cum eisdem filijs nostris, mediante iam dicto filio nostro Duce, ita celsitudo tua studeat conuenire, vt inter te, ac matrem tuam Sacrosanctā Romanam Ecclesiam nullius discordiæ seminarium debeat remanere.*

C Hanc epistolam totam, ne vno quidem verbo omisso, adscribere volui, vt Illyrici mendacia ex ipsa epistola refutarentur. Vbi enim, obsecro, est illa figmenti Pontificij retractatio? Dixerat Pontifex in priore epistola, quam etiam suprà totam adscripsimus, se Friderico, cùm is Romam ad coronam accipiendam venisset, læto animo occurrisse, ac plenitudinem dignitatis, id est, Imperialis coronæ insignia contulisse. quod ipsum Friderici nomine orator ipsius Episcopus Bambergēsis (vt ex Krantzio suprà citauimus) à Pontifice postulauerat. deinde de hac ipsa coronatione loquens addiderat in literis suis idem Pontifex, non modò se non molestè ferre, quòd ea contulisset, sed etiam non immeritò gauisurum, si maiora beneficia de manu sua Cæsar accepisset.

D quo loco beneficium, quod in Imperatorem à Pontifice significatur collatum, non potest vllo modo aliter accipi, nisi quis de industria cauillari velit, quàm vt ad coronationem Imperialem referatur. quid igitur Papa retractat, quid reuocat, quid recantat, (vt verbo vtar Illyrici) cùm nomine beneficij non se feudum aliquod, sed coronationis munus intellexisse dicit: Neque verò rectè colliget iam Illyricus, Non dicit Papa Imperium Germanorum feudum esse Pontificis, ergo figmentum est quod Adrianus, quod Innocentius Tertius, quod omnes historici dicunt, Imperium à Græcis ad Francos Pontificis auctoritate esse translatum. nam etsi non dixit Adrianus, Imperium esse feudum, non tamen

dixit

dixit non esse: & licet non esse dixisset, non tamen continuò sequeretur, falsam esse translationem Imperij. aliud enim est, Imperium ab vna gente ad aliam transferre: aliud verò, feudum constituere.

Deinde in quo angulo epistolæ Adriani latet id, quod Illyricus in argumento posuit, cùm ait: *Pollicetur se posthac Imperij iura minimè violaturum?* certè epistolam totam audiuimus, ac ne syllabam quidem vnam de hac pollicitatione reperimus. Sed video vbi fundamentum mendacij sui Illyricus constituerit, quòd nimirùm Radeuicus Frisingēsis, posteaquàm epistolam Adriani operi suo inseruerat, subiunxerit continuò, illis literis Imperatorem placatum, benignè deinceps cum legatis Romani Pontificis egisse. Legatos verò Imperatori promisisse, Præsulem Romanum honorem, atque iustitiam Imperij illibatam semper conseruaturum. At illa pollicitatio Legatorum fuit, non ipsius Pontificis: neque Legati polliciti sunt Præsulem Romanum iura Imperij posthac non violaturum, quasi aliquando anteà violasset, sed illibata, vt semper fecerat, perpetuò conseruaturum. Siquidem ijdem Legati (Radeuico teste) cùm primùm Imperatorem alloquerentur, eique litteras Apostolicas traderent, præfati sunt, sine vlla iusta causa aduersus Romanam Ecclesiam Imperatorem fuisse commotum. hæc enim sunt illorum verba: *Quanta dilectione sancta Romana Ecclesia amplitudinem, & honorem Imperij vestri amplectatur, quàm sine conscientia peccati vestram satis inuita sustinuerit indignationem, & scripta præsentia, & in ore nostro posita viua vocis officium declarabit.* Ex quibus verbis satis profectò manifestè colligitur, nunquā venisse in mentem Legatis, vt violata fuisse à Romano Pontifice iura Imperij dicerent. proinde mendacium est Illyrici, promisisse Pontificem Friderico, se posthac Imperij iura minimè violaturum.

Addit postremò in prologomenis suis Illyricus ex historia Abbatis Vrspergēsis, Adrianum Pontificem iterum ab Imperatore dissidere cœpisse, atque eò vsque progressum dissidium, vt tandem Imperator à Pontifice excommunicaretur, sed paulò pòst diuino miraculo Pontificem, dum is recentem aquam ex fonte biberet, à musca, quæ os eius simul cum aqua intrauerat, apud Anagniam exstinctum. Veruntamen hanc non veram historiam, sed improbabilem fabellam esse, ex eo potest intelligi, quòd Abbas Vrspergensis ex Ioanne quodam Cremonēsi, auctore obscuro, & schismatico, eam narrationem refert: ille verò nō alium testem producit, quàm incertum rumorem vulgi: *Cùm venisset* (inquit) *ad quendam fontem, hausit de potu illius, & continuò (vt dicitur) musca quædam os eius intrauit, & gutturi eius adhæsit, nulloque artificio medicorum auelli potuit, quoad vsque spiritum exhalaret.* Hæc ille. Quocirca tota fides huius rei pendet ex illo (vt dicitur) hoc est, ex falso rumore, quem æmuli fortè sparserunt.

Porrò Radeuicus libro secundo, capite quadragesimo tertio, honorificè describit obitū, ac sepulturam Adriani, quod idem faciūt Platina, Martinus Polonus, & alij, qui Pontificum vitas describunt. Ioannes Nauclerus in Chronico, generatione trigesima nona, scribit suspicari se narrationem illam Cremonensis affectu potius, quàm veritate scriptam. Sanctus autem Antoninus in Summa historica, parte secunda, titulo decimoseptimo, capite primo, §. nono, ex Helinando refert, Adrianum virum optimum fuisse, vt nullo modo probabile sit eum talem exitum habiturum, qualem Cremonensis dicit. Denique si res esset vera, quî fieri posset, vt mors tam noua, & insolens à nullo certo scriptore annotata fuisset?

At Fridericum Imperatorem, qui non solùm cum Adriano diu contendit, sed etiam Alexandrum, successorem Adriani, ita vexauit, vt res Antipapas aduersus eum Imperiali potentia fouerit, non incertus rumor, sed testes certissimi, id est, omnes Historici testantur, in Armenia à flumine quodam absorptum miserrimè periisse. de quo sic scribit Gulielmus Neubrigensis eius temporis auctor, in libro quarto rerum Anglicarum capite 13. *Fridericus Imperator Teutonicus, iter Hierosolymitanum ingressus, cùm in gurgitem fluuij equo stimulato prosiliisset, in momento suffocatus interijt. O abyssus multa iudiciorum Dei! vir tantus, & qui diuino quodam feruore relictis delicijs, opibusque Imperij, mille se exposuerat propter Christum periculis, tam subitò miseroque casu absumitur. peccatum tamen eius tantum, & tale elucet, quòd fortè in Imperialibus non potuerit delicijs expiari, atque ideò oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia diuinitatis prouisione in hac vita seuerius castigari, Siquidem nefarij schismatis sub venerabili Papa Alexandro principalis fautor exstiterat: & pacis Ecclesiasticæ per Imperialem potentiam multo tempore perturbator. tandem verò perspicuè dans palmam veritati, minus tamen in delicijs palatij piaculare malum defleuerat.* Hæc ille. Addit autem Abbas Vrspergensis in Chronico, post absorptum (vt dictum est) à flumine Fridericum, exercitum eius, aut aëris intemperie, aut abundantia ciborum morbo contracto penè totum breuissimo tempore consumptum. Ita sententiam Adriani Pontificis, quæ exstat in epistola ad Episcopos Germaniæ apud Radeuicum libro primo, capite decimo sexto, verissimum fuisse, rei euentus comprobauit. sic enim ille scripserat: *Non acquiescat idem filius noster consilijs iniquorum, consideret nouissima, & antiqua, & per illam viam incedat, per quam Iustinianus, & alij Catholici Imperatores incessisse noscuntur. exemplo siquidem, & imitatione illorum, & bonorum in terris, & felicitatem in cælis sibi poterit cumulare. Vos etiam si eum ad rectam semitam reduxeritis, & Beato Petro Apostolorum Principi gratum dependetis obsequium, & vobis, & Ecclesiis vestris conseruabitis libertatem. Alioquin nouerit antedictus filius noster ex admonitione vestra, nouerit ex promissionis Euangelicæ veritate, quòd Sacrosancta Romana Ecclesia super firmissimam petram, Deo collocante, fundata, quantocunque ventorum turbine quatiatur, in sua firmitate, protegēte Domino, in seculum seculi permanebit.* Hęc ille, tum cùm ardore iuuenili, & Imperiali

riali potentia Fridericus Ecclesiæ minaretur. Sed cum finem tragœdia illa habuit, quem Adrianus prædixerat. Siquidem post annum decimumnonum grauissimæ persecutionis, præualuit tandem Ecclesia, & Fridericus Imperator, Calisto Antipapa, quem ad eam diem fouerat, abdicare coacto, sese verò Pontifici Alexandro subiecit; vt scribunt probati historici, Abbas Vrspergensis in Chronico, Platina in vita Alexandri, Gulielmus Neubrigensis rerum Anglicarum lib.3. cap.2. Gulielmus Episcopus Tyri de bello sacro, libro decimo octauo, capite vigesimo sexto, & alij. neque tamen hac humilitate illud à Deo impetrare potuit, vt non etiam morte horribili, ac totius exercitus interitu peccatum eius in Ecclesiam seuerissimè puniretur. Atque hæc de prolegomenis.

CAPVT IV.

Imperium Romanum translatum à Græcis ad Francos, Summi Pontificis auctoritate, Historicorum testimonijs demonstratur.

Tempus iam est, vt ad ipsam causam propiùs accedamus; atque, vt ordine progrediamur, principio quid sit quod quæritur, siue statum causæ breuiter exponemus; deinde sententiam nostram certissimis rationibus comprobabimus.

Igitur Romanum Imperium, tametsi ante Constantini tempora, modò ab vno, modò à pluribus Augustis pari potestate regeretur: vnum tamen, atque indiuisum censebatur. Deinde verò postcaquam Magnus Constantinus Constantinopolim, quasi alteram Romam ędificauit, & cùm ea alterum Consulem, alterum Senatum, & omnia Romanæ Vrbis priuilegia communicauit, diuisum est imperium in partes duas; quarum altera imperium Orientis, altera Occidentis appellari cępta est. & quemadmodum ante Constantinum Principem, indiuisum Imperium aliquando plures Augusti administrabant, sæpiùs vnus, ac solus regebat; ita post Constantinum, Imperium iam diuisum plerumque duo Cæsares tenuerunt, raro vnus, ac solus Princeps gubernauit. Siquidem Constantino vita functo anno Domini 341. Occidentale Imperium Constantino iuniori, & Constanti, Imperiũ Orientis Constantio cessit. post Constantini autem, & Constantis excessum, anno 353. Constantius solus vniuerso Imperio præfuit. Constantio Iulianus, Iouianus Iuliano successit. Sed post obitum Iouiani, Valentinianus, qui Iouiano successerat, Imperio Occidentis contentus, Orientale Imperium Valenti fratri attribuit, anno Domini 368. atque ex eo tempore vsque ad annum Domini 476. id est, vsque ad Augustulum, Imperatores diuersi diuisum Imperium tenuerunt. Augustulo verò ab Odoacre Herulo abdicare coacto, atque Imperio Occidentis à Barbaris occupato, soli Imperatores Orientis, & in solo Oriente regnarunt vsque ad Iustinianum. Sed cùm is opera Belisarij, & Narsetis, fortissimorum Ducum, Africam, & Italiam, inde Vandalis, hinc Gothis exactis, recuperasset: tandem anno Domini 556. iterum ab vno Imperatore Oriens,

A & Occidens administrari cœptus est. Sed cùm Imperator Græcus esset, & Italiam per Exarchos regeret, nec eam ab infestatione Longobardorum tueri iam posset: anno 801. ineunte, ipso die Natalis Domini, creato in vrbe Roma nouo Imperatore Carolo Magno Rege Francorum, ac per hoc translato Occidentali Imperio à potestate Græcorum, ad Francorum ditionem, iterum Romana Respublica redijt ad eum statum, in quo eam Constantinus Magnus instituerat, & in quo permanserat à Valentiniano seniore, vsq; ad Augustulum. Quanquam illud negari non potest, quin paulò maior Imperij diuisio fuerit à tempore Caroli Magni, quàm antea: siquidem à Constantino ad Augustulum, etsi diuisæ erant Imperij Romani Prouinciæ inter duos Imperatores, quod
B attinet ad regimen, & administrationem: erat tamen ita commune Imperium, vt leges vtriusque Imperatoris nomine toti Imperio darentur: & si alter sine liberis decedebat, ad alterum totius Imperij gubernatio, & prouidentia pertineret. Quocirca Paulus Orosius libro 7. scribit Arcadio Orientis, Honorio Occidentis Prouincias gubernantibus, commune Imperium, diuisis tantùm sedibus fuisse: at post tempora Caroli Magni, neque leges à Latino Græcoque Imperatore communiter latæ sunt, neque deinceps vnquam, aut Latinus Orientem, aut Græcus Occidentem gubernauit. Quæritur igitur, quisnam huius translationis auctor fuerit, quisve Carolo Magno, ac successoribus eius, nomen, dignitatem, ac potestatem Imperatoris Romanorum, ac
C Cæsaris Augusti in Occidente tribuerit. Respondemus id, quod clamat consensus omnium gentium, Leonem Tertium Pontificem Maximum, aut solum, aut præcipuum, & primarium auctorem huius translationis fuisse, eique Germanicam nationem Imperium acceptum referre debere. negat Illyricus, & odio Pontificum nescio quos alios auctores comminiscitur, atque ita se versat in omnem partem, vt historiam alioqui clarissimam, & fide Orbis terrarum tot iam seculis confirmatam, omnino obscurare nitatur. Accedant igitur Historici omnes, tum veteres, tum recentiores, & auctoritatis suæ pondere, leuitatem, & impudentiam vnius hominis comprimant.

I. Ioannes Zonaras, auctor Græcus, qui Ro-
D mano Pontifici adulari non nouerat, tomo tertio Annalium in vita Constantini, & Irenes, vbi de hac translatione loquitur, nullam senatus, nullam populi, nullam exercitus mentionem facit, sed rem totam Leoni Papæ adscribit: Roma (inquit) prorsus Franci potiti sunt, Carolo à Leone coronato, & Romanorum Imperatore appellato. Et infrà, sub Constantino, & Irene, Papa Leo Franco etiam Romam admisit. sic & Italia vniuersa, & ipsa Roma sunt potiti. Et infrà, At Francorum Dux Carolus, Imperator Romanorum à Papa Leone, vt dictum est, appellatus, missis ad Irenem Legatis, nuptias illius ambijt, cùm nec illa ab eo coniugio abhorreret.

II. Georgius Cedrenus in compendio historiarum in vita Constantini, & Irenes, eadẽ ferè,

quæ

quæ Zonaras refert, sed breuius. Venerunt (inquit) etiam à Carolo, quem Leo Papa Romæ coronauerat, Legati ad Irenem, eam Carolo in vxorem ambientes.

III. Paulus Diaconus, qui tempore Caroli Magni floruit, & eidem Carolo familiaris fuit, lib.23. rerum Romanarum, postea quam narrauerat Leonem Tertium Pontificem à Carolo Rege Francorum in sedem suam restitutum, subiungit: Cæterùm (Leo) vicem Carolo recompensans in Imperatorem coronauit eum in templo sancti Petri Apostoli perungẽs oleo à capite vsq; ad pedes, & circundans Imperatoria veste, atque corona, 8. Kalen. Ianuarij, indict. 9. In quibus verbis Pauli Diaconi duo sunt annotanda. vnum est, nullam fieri mentionem in eius verbis Senatus, aut populi Romani, quam certè prætermittere non debuisset fidelis Historicus, si translatio Imperij à Græcis ad Francos munus Senatus populiq; Romani potius quàm Pontificis Leonis fuisset. Alterum est, hanc translationem, quæ facta est in ipsa Caroli Magni coronatione beneficium Leonis collatum in Carolum Paulo Diacono agnosci, & appellari. Siquidem illa verba; Cæterùm Leo vicem Carolo recompensans, satis apertè significant, ita fuisse beneficium Pontificis in Regem coronationem Imperatoris, vt anteà fuerat beneficium Regis in Pontificem restitutio in propriam sedem.

IV. Eginarthus Pauli Diaconi æqualis, nec minùs, quàm Paulus Carolo Magno notus, & familiaris (quippè qui Cancellarius eius fuit, teste Trithemio) in vita eiusdem Caroli ita describit hanc translationem, vt soli Pontifici Leoni rem totam tribuat. Augusti nomen (inquit) primò in tantum auersatus est, vt affirmaret, se eo die, quamuis præcipua solemnitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Perpende lector hæc verba, (Si Pontificis consilium præscire potuisset.) cur enim non ait: Si consilium Senatus populique Romani præsciri potuisset; nisi quia rem totam à Pontificis voluntate, & auctoritate pendere intelligebat?

V. Annales Francorum incerto auctore, sed omnium consensu fidelissimo, & qui Caroli tempore vixit, ita habet in enarratione rerum gestarum anno 801. Ipse autem cùm die sacratissimo Natalis Domini ad Missarum solemnia Basilicam beati Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram altari, vbi ad orationem se inclinauerat, assisteret; Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante, Carolo Augusto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria. Hic primùm mentio fit populi Romani, sed acclamantis post coronationem, non Imperatorem appellantis ante coronationem.

VI. Aimonius, siue (vt ab aliis vocatur) Ammonius, vel Annonius, vixit tempore Ludouici Pij, vt ipse indicat, lib.5. cap.17. Is igitur in libr.4. de rebus gestis Francorum cap. 90. describit exordium Imperij Caroli Magni ijsdẽ ferè verbis, quibus Francorum Annales suprà citati, nihilque tribuit populo Romano præter acclamationem Carolo iam à Pontifice coronato.

VII. Ado Episcopus Viennensis, qui temporibus nepotum Caroli Magni floruit, in Chronico suo ætate 6. sic habet: In die sancto Natiuitatis Domini, ante confessionem B. Petri Apostoli, cùm gloriosus Rex Carolus ab oratione surrexisset, Leo Pontifex capiti eius coronam imposuit, sicque ab vniuerso populo acclamatum est; Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria. Hic etiam auctor nullam facit Senatus, aut populi mentionem, nisi post coronationem iam peractam.

VIII. Rhegino Abbas Prumiensis, qui ante 606. annos floruit, lib.2. Chronici, coronationem Caroli Magni ijsdem verbis describit, quibus Ado Viennensis, quæ non duxi repetenda, ne fastidium gignerent. Sed vt intelligamus apud Rheginonem, non simpliciter coronari Imperatorem à Summo Pontifice, sed planè creari, & ordinari: referam verba eius de Arnulphi, & Othonis primi coronatione: Anno (inquit) Dominicæ Incarnationis 896. Arnulphus ciuitatem ingressus, à Formoso Apostolicæ sedis Præsule magno honore susceptus, ante confessionem S. Petri coronatus, Imperator creatus est. Et infrà: Anno 962. Rex (Otho primus) Romæ fauorabiliter susceptus, acclamatione totius Rom. populi, & Cleri, & ab Apostolico Ioanne Imperator, & Augustus vocatur, & ordinatur. Hic planè vides, Regem festiua acclamatione à populo suscipi; non autem à populo, sed ab Apostolico, Ioanne Imperatorem dici, & ordinari.

IX. Vitichindus Corbeiensis monachus, Rheginonis æqualis lib.3. regnorum Saxonicorum propè extremo. de Othone II. Imperatore sic loquitur: Licèt (inquit) iam olim vnctus esset in Regem, & à Beato Apostolico designatus in Imperatorem. Vbi vides apertè distingui Regnum Germaniæ ab Imperio Romano: & regnum quidem illud à Germaniæ proceribus, Imperium verò Romanum à Pontifice dari, eius enim est magistratum, vel Principem designare, cuius est & creari. alioqui frustrà designat, qui nequit perficere.

X. Luitprandus Diaconus Ticinensis, Othone primo viuente scripsit historiam rerum in Europa suo tempore gestarum, vt ipse significat, lib.1. cap. 7. Is igitur lib.6. Historiæ cap.6. de Othone primo sic loquitur: Dehinc Romam similia facturus adijt, vbi miro ornatu, miroque apparatu susceptus, ab eodem Summo Pontifice, & vniuersali Papa Ioanne vnctionem suscepit Imperij. Porrò idem auctor apertè declarat, non simplicem cæremoniam vnctionis, sed nomen etiam. & dignitatem Imperialem à Pontifice suscepisse Othonem, cùm ita loquitur in eodem capite, Pijssimo (inquit) tunc Regi, nunc Augusto Cæsari Othoni, quã phrasim tum ipse, tum alij veteres obseruare solent, vt ante Pontificiam coronationem, Reges, post eam coronationem, Imperatores, & Augustos appellent.

XI. Hermannus Contractus, Comitis nobilissimi filius, & monachus sancti Galli, qui

floruit

floruit ante annos 500. tempore sancti Henrici Imperatoris, in Chronico suo sic ait; Anno 801. Carolus Imperiali benedictione sublimatus, Augustus, & Cæsar Romano more appellatur. Et infrà: Anno 816. Leo Papa obijt, & Ludouicus Imperator à Stephano Papa factus est. Et infrà: Anno 962. Otho Rex ab Octauiano Ioanne Papa Imperator ordinatur. Et infrà: Anno 1026. Conradus Rex filium suum Henricum Regem fecit, & ipse Romam pergens, Imperator efficitur. Hæc ille. Non potuit certè hic auctor clarius exprimere, per ipsam Pontificis coronationem Imperatorem verè fieri.

XII. Marianus Scotus, qui natus est anno 1028. vt ipse in Chronico annotauit, & Hermanni Contracti æqualis fuit, lib. tertio Chronici Caroli Magni ad Imperium promotionem breuissimè his verbis attingit: Carolus hoc tempore à Romanis Augustus appellatus est. Quæ verba, nec testimonijs vetustiorum historicorum iam citatis, & sequentibus eiusdem Mariani sententiis repugnent, sic accipi debent, vt intelligamus, Carolum à Romanis omnibus (id est) Pontifice, Clero, Senatu, & populo, Augustum appellatum; sed ordine quodam, nimirum Pontifice præeunte, cæteris sequentibus. nam vt ex historijs præcedentibus didicimus, appellauit Leo Pontifex Carolum Imperatorem, & simul inunxit, & coronauit: cæteri verò acclamatione probarunt. Sed Mariani ipsius aliquot sententias proferamus. Anno 875. Carolus Romam perueniens, datis Ioanni Papæ magnis muneribus, Imperator factus est. Anno 896. Arnulphus vrbem ingressus cum magno honore à Formoso Papa susceptus, & ante Confessionem sancti Petri Imperator factus est. his igitur aliisque similibus sententijs satis apertè Marianus testatur, à Romano Pontifice Imperatores Romanos fieri.

XIII. Dodechinus Mariani continuator, cùm de Lothario Henrici Imperatoris successore scriberet; Legati (inquit) pro confirmando Rege Romam mittuntur. Et infrà, Plenitudinem (inquit) Imperij in eadem Romana ciuitate sicut decebat offerens Dominus Papa Regem Lotharium Romam inuitabat. Fridericus (inquit) ab Adriano Papa Imperator factus est. Vides igitur à Pontifice Romano electum Regem Romanorum confirmari, ac deinde ab eodem plenitudinem Imperij accipere, & sic tandem Imperatorem fieri.

XIV. Lambertus Schafnaburgensis, qui circa annum 1070. floruit, in historia Germanica de Carolo Magno nihil addit ad verba Mariani Scoti; vt vel Marianus à Lamberto, vel à Mariano Lambertus accepisse videatur. Veruntamen cùm de Othone primo & III. loquitur, clariùs explicat sententiam suã. sic enim de Othone I. scribit: Otho Rex perrexit Romam, eumq; Ioannes Papa gratanter suscipiẽs honorificè super cathedrã Augustalem posuit, & benedictione, atq; consecratione sua Imperatorem fecit. Et infrà de Othone III. Otho Rex contra Crecentium Romam venit, vbi & Brunonem in sede Apostolica constituit, à quo & ipse Imperator factus est.

A XV. Otho Episcopus Frisingensis ante annos 400. floruit, genere, & eruditione nobilissimus, quippè qui (teste Radeuico lib. 2. de rebus gestis Friderici cap. 11.) quatuor Imperatoribus ita coniunctus fuit, vt Henrici IV. nepos, Henrici quinti sororius, Conradi Regis frater vterinus, & Friderici primi patruus esset, atque historiam ab orbe condito libris octo satis feliciter comprehendit. is igitur libro 5. cap. 31. hoc modo scribit: Anno ab incarnatione Domini 801. ab vrbe condita 1552. Carolus Rex XXXIII. Regni sui anno, à summo Pontifice, ablato patricij nomine, coronatus, omni populo tunc acclamante, Carolo Augusto à Deo coronato, Magno & pacifico Imperatori vita & victoria, LXIX. ab Augusto Imperator, & Augustus vocatur. Ex hinc Regnum Romanorum, quod à Constantino vsque ad id tempus in vrbe regia, scilicet, Constantinopoli fuit, ad Francos deriuatum est. In his Othonis verbis tria video summo Pontifici tribui, ablationem minoris dignitatis, quæ patriciatus dicebatur; coronationem; & appellationem Imperatoris, & Augusti: Romano populo solam acclamationem. Idem quoque Otho lib. 7. cap. 11. non veretur Henricum Quartum auum suum non verum Imperatorem Romanorum appellare, quòd Imperium à schismatico Papa suscepisset. Principes (inquit) seditionem vulgi timentes, ei (Henrico Quarto) apud Inglinheim occurrunt, ibique multis modis commonitum, vel iuxta alios, circumuentum, ac coactum, insignia regni resignare, ac filio mittere 43. Regni sui post mortem patris, Imperij V. anno (ad quod tamen potenter magis quàm iustè à Guiberto capta vrbe sublimatus fuerat) persuadét. Obserua hoc loco lector, Henricum Quartum, non fuisse Othoni Frisingensi Imperatorem, sed Regem dumtaxat, donec à Papa Guiberto, qui & Clemens dictus est, ad Imperium sublimaretur. & rursum ad Imperium potenter, non iustè sublimatum, quòd Guibertus eum Imperatorem fecerit, qui in Schismate contra Gregorium VII. verum Pontificem, sederit. tam enim non potuit Guibertus verum Imperatorem facere, quàm ipse verus Papa non fuit. quid autem est aliud, quæso te, à Pontifice aliquem ad Imperium sublimari, quàm Imperatorem à Pontifice fieri? & cur ab Antipapa sublimatus, Imperator non legitimè factus censetur, nisi quia solius veri, ac legitimi Summi Pontificis est, Imperij dignitatem nomenque conferre?

XVI. Godefridus Viterbiensis, qui Othone paulò posterior fuit, in suo Chronico vniuersali, quod Pantheon appellauit, iisdẽ ferè verbis, quibus Otho Frisingensis, exordium Imperij Francorum describit. Anno (inquit) ab incarnatione Domini 801. Carolus Magnus XXXIII. regni sui anno à Leone Tertio Summo Pontifice coronatur, omni populo Romano tunc acclamante, & laudes Imperiales canente.

XVII. Conradus Abbas Vrspergensis, Godefridi ferme æqualis, in Chronico suo, in quo res Germanicas diligentissimè persequutus est, Anno (inquit) 796. Leo Papa XCVI. ordina-

tur. sedit annis 20. hic Carolum fecit Imperatorem. Et infrà: Anno (inquit) Dominicæ Incarnationis 801. Vrbe verò condita 1552. Carolus Magnus Rex Francorum, Pipini Regis filius, 73. loco ab Augusto Romanorum Imperator consecratus est anno regni sui 33. sic imperauit annis 14. Cùm enim pro calumnia Leoni Papæ ingesta Romam veniret, & Natale Domini ibi celebraret: in ipsa die sacratissima ad Missarum solemnia veniens, dum ante Confessionem B. Petri Apostoli ab oratione surgeret, nihil minùs speranti Leo Papa coronam imposuit, & Imperatorem Romanũ pronunciauit. Hæc ille: qui sicut hoc loco translationem Imperij, & Caroli creationem soli Pontifici tribuit: ita quoque in reliquo Chronico semper sibi similis, de aliorum Imperatorũ creatione loquitur. quarum duas exempli gratia hîc subiiciemus. Anno (inquit) 875. Carolus (Caluus) Romam tendens, à Ioanne Papa efficitur Imperator. Et infrà: Anno 962. Otho rogatu Ioannis Papæ, & querimonia multorum de Berengario, & filio proclamantium Romam tendit, ibique Imperator ab eodem Papa factus Berengarium capit.

XVIII. Lupoldus Bambergensis in proœmio libri de iuribus Imperij, De Sacri (inquit) Regni & Imperij Romanorum iuribus à tempore, & post tempus translationis ipsius Imperij de Græcis Imperatoribus in personam Caroli Magni ad Reges Francorum, & ad Germanos, per Sacrosanctam Romanam Ecclesiam factæ, secundùm mei modicitatem ingenij tractaturus, &c. Et infrà in 1. cap. Dum, inquit, in sacratissima die Natalis Domini, sub anno eiusdem Domini 801. in Ecclesia sancti Petri ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit: & à cuncto populo acclamatum est, Carolo Augusto, &c.

XIX. Matthæus Palmerius in Chronico anni 801. Carolus, inquit, à Leone Pontifice Augustus est appellatus, & obliteratum iam penè in Italia Romanum Imperium resumpsit, primusque post Augustulum apud Romanos imperauit annos 14.

XX. Blondus Flauius Decadis 2. lib. 1. Leo, inquit, Pontifex, populi Romani scito precibusque Carolum Imperatorem Romanorum declaratum diademate, vetusto Imperatorum capitis gestamine, coronauit.

XXI. Æneas Syluius in Abbreuiatione Blondi, & XXII. Baptista Platina in vita Leonis Papæ Tertij, iisdem omninò verbis rem eandem declarant. Atque hic primùm inuenimus scitum populi Romani nominatim in creatione Caroli Imperatoris. Sed nihil causæ nostræ officit. tum quòd meritò his duobus auctoribus, qui ante annos centum floruerunt, anteponere possimus vetustissimos, & plurimos scriptores, qui nihil eiusmodi tradiderunt: tum etiam quòd scitum populi Romani, cuius hic mentio fit, non ad Carolum Imperatorem creandum, sed ad eius creationem à Summo Pontifice impetrandam pertineat. id enim significat adiuncta illa vox, *precibusque*. Quorum enim preces ad Romanum Antistitem, vt is Carolum Imperatorem diceret, si populi scito (id est) populi auctoritate Imperator

A creari poterat? Si quid ergo tum populus Romanus decreuit, id certè solùm decreuit, vt à Romano Pontifice peteretur, vt ipse, qui solus id facere posset, Imperium à Græcis ad Francos transferret.

XXIII. Ioannes Trithemius in Catalogo scriptorum, Leo, inquit, Papa tertius natione Romanus, post Adrianum Pontificẽ sedit annis 20. vir in Scripturis, tam diuinis, quàm secularibus valde eruditus, morum quoque, & vitæ sanctimonia clarissimus, Carolum cognomento, & opere Magnum, ad Imperium Romanorum vnxit, & hanc dignitatem à Græcis in Francos transtulit.

XXIV. Antoninus in Historia, part. 2. tit. 14. cap. 4. Carolus Magnus, inquit, primus Francorum Romanum Imperium accepit, conferente sibi illud, seu confirmante Leone Papa.

B In quibus verbis, illud *seu cõfirmante* ea de causa additum videtur, quia magnam partem prouinciarum Imperii Occidentalis iam Carolus tenebat titulo Regis Francorum, & Longobardorum: voluit enim Pontifex, non solùm nouo Imperatori ius dare ad ea, quæ nondum acquisierat, sed etiam confirmare quod acquisierat.

XXV. Ioannes Nauclerus in Chronologia sua, Generatione 27. Eo die (Natali Domini) Imperium Romanum à Græcis in persona Caroli Magni translatum est in Germanos. Et infrà: Sic Monarchia mundi, quæ stetit apud Græcos quingentos fermè annos, residet apud Germanos, non sine felici auspicio Ecclesiæ Romanæ.

C XXVI. Robertus Gaguinus lib. 4. Compendij de rebus gestis Francorum, Carolus (inquit) Pontificem restituit: restitutori suo gratificaturus. Leo III. Sacerdotum habito Concilio 8. Kalend. Ianuarij, cùm Francorum regnum tres, & triginta annos administrasset, Augustum appellat, gratum nomen Romanis.

XXVII. Philippus Bergomensis lib. 11. Supplementi, Pontifex (inquit) infamia liber, Carolo aliquam relaturus gratiam, cùm videret Imperatores Constantinopolitanos ægrè id nomen tueri: Idibus Decembris anno salutis nostræ 800. in Basilica B. Petri post sacra solemnia, populi Romani precibus rogatus, Carolum Romanum Imperatorem declaratum diademate decorauit, acclamante ter populo:

D Carolo Augusto, à Deo coronato, Magno & pacifico Imperatori vita, & victoria. In quibus verbis illud solùm est obseruandum, retulisse Philippum Caroli coronationem ad annum Domini 800. non ad 801. vt superiores omnes Historici: quòd annum veteres inchoarent à Natali Domini: hic verò auctor more nostro à Kalendis Ianuarij. Itaque nulla inter eos dissensio de anno est. cur autem Philippus Idibus Decembris, contra veterum omnium sententiam, scripserit Caroli coronationem esse factam, non certò scio: neque res tanta est, vt in ea diligentiùs inuestiganda desudandum sit.

XXVIII. Ioannes Cuspinianus, quem Illyricus maximi facere solet, in vita Caroli Magni: Cùm magno (inquit) illo Natalis Saluatoris nostri die templum oraturus (Carolus) ingre-

deretur,

deretur, nihil minùs speranti Leo Pontifex coronam capiti suo imposuit, Imperatoremq; Romanum pronunciauit: cui ab vniuerso populo acclamatum est, Carolo piissimo Augusto, à Deo coronato,&c. Item in vita Caroli Calui, Interim (inquit) Carolus Italiam ingreditur,quem Ioannes VIII. Summus Pontifex benignissimè accepit diademate Imperiali, ac Augusti nomine adornat: acceptis tamen ab eo multis magnisque muneribus.

XXIX. Iacobus VVimphelingius in Epitome rerum Germanicarum cap.9. Pontifex (inquit) Carolo aliquam gratiam relaturus, cùm videret Imperatores Constantinopolitanos ægrè id nomen tueri, ac ob eam rem Vrbem,& Italiam ipsam magnas calamitates passam, in Basilica Petri post solemnia sacra, populi Romani scito, & precibus ipsum Carolum magna voce Imperatorem decernit, ac diademate donat.

XXX. Polydorus Virgilius lib.4.de inuentoribus rerum, cap.7. aliàs 10. Quas ob res, inquit, Leo Tertius ipsum Carolum Magnum fecit Imperatorem.

XXXI. Raphael Volaterranus lib. 3. Geographię,Leonem Tertium,inquit,Pontificem à Romanis expulsum,ac eius auxilium implorantem per Legatos confestim, deinde per se tertiò veniens in Italiam,compressa seditione, ac inimicis expulsis (Carolus Magnus) restituit. pro quibus meritis ab ipso primùm Imperator consalutatus,nomen, quod annos ferè 330. cessauerat,Occidenti restituit.

XXXII. Donatus Acciaiolus in vita Caroli Magni, Primo aduentu,inquit,omni motu sedato,noxiis supplicio affectis, Pontificem Romanum cum ingenti gloria in Vrbem (Carolus) restituit: à quo mox pro suis egregijs meritis,& singulari erga libertatem omniũ Christianorum fide, Augustus appellatus, Imperatorium nomen,dignitatemque suscepit: non solùm assentiente, sed etiam applaudente populo Romanò.

XXXIII. Albertus Krantzius, auctor & Germanus, & diligens, & Illyrico præter cæteros familiaris, tandem aliquando coronam hanc insignium virorum, ac testium,claudat. Is igitur libro 2. Saxoniæ, cap.18. Tum verò (inquit) in die nati Saluatoris, primo post 800. inchoante anno, cùm nihil tale Carolus, aut cogitaret,aut speraret, magisque recusaret alienum inuadere imperatoris honorem, infra Missarum solemnia, dum ante Confessionem Beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Papa ei coronam imposuit,& Imperatorem Romanum pronunciauit. Idem lib.1.Metropolis, cap.decimoquarto: Olim,inquit,Imperatores non passi viuere Pontifices, ad supplicia deuocabant, & Græculi postquam apud eos extincta stirpe Constantini, & deinde Magni Theodosij,nõ habuère Pontificem, nisi quem ipsi confirmassent: mutatæ sunt vices, vt non habeatur Imperator,nisi quem Romanus Pontifex confirmarit, & consecrarit. Domini est terra,& plenitudo eius. ipse transfert Regna, & Imperia, dignissimeque ad suum in terris Vicarium hoc sacrum ministerium delegauit.

A Habemus igitur ex continuata serie Historicorum, translationem Imperij Romani à Græcis ad Francos, eamque Romano Pontifice auctore factam, non fictã, nec fabulosam, vt Illyricus mentiebatur, sed certam,atq; exploratam esse: vt iam in dubium reuocari, nisi ab Illyrico, homine impudentissimo, vel etiam parum sano, non possit.

CAPVT V.

Proferuntur testimonia,& confessiones Principum de translatione Imperij à Græcis ad Germanos per Romanum Pontificem facta.

ETsi ad eam rem, quam probandam suscepimus, tot clarissimorum Historicorum testimonia in medium allata sufficerent: statui tamen ipsorum etiam Imperatorum,tum Latinorum,tum Græcorum,nec-B non quorundam aliorum Principum confessionem, & sententiam addere: vt (si fieri possit) erubescat aduersarius id negare, quòd ipsi Principes,quorum maximè interest, vltrò grauissimè confitentur.

I. Principio Carolus Magnus, qui primus Imperium à Romano Pontifice delatum suscepit, primus quoque id ab eo se accepisse testatus est. Siquidem cum testamento Imperium Filijs diuisisset,rem totam à Leone Pontifice confirmari voluit, vt non sine consensu eius,à quo illud acceperat Imperium alijs tradere videretur. Aimonius lib. 4. de rebus gestis Francorum,cap.94. Testamentum(inquit) Caroli Leoni Papæ missum est, vt approbaretur: quod & factum est. Ado Viennensis in C Chronico 6. ætate, Imperator (inquit) inter filios suos regna diuidit: vt sciret quisque, si superstes esset, quam partem tueri, & regere debuisset. Testamentum inde factum, & iureiurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & Leoni Papæ missum,vt sua manu subscriberet. Denique Annales Francorum vetustissimi sic habent: Hæc omnia literis mandata sunt,& Leoni Papæ, vt ipse sua manu subscriberet, per Eginarthum missa. quibus Pontifex lectis,& assensum prębuit,& propria manu subscripsit.

II. Lotharius Ludouici filius, Caroli nepos, vt Ado scribit in Chronico, Ludouicum filiũ suum per se Regem Italię fecit,sed cùm Imperatorem quoque illum fieri vellet,Romam ad Pontificem misit per Drogonem patruum D suum. atque eo modo Ludouicus iunior à Sergio Papa Imperator creatus est. Vides igitur Lotharij primi confessione,Regem ab Imperatore fieri posse;Imperatorem non itẽ,nisi Summi Pontificis confirmatio, & consecratio accedat. Neque verum est, quod quidam obiiciunt, à Carolo Magno Ludouicum filium Imperatorem, & Augustum appellatum ante Pontificis confirmationem: nam (vt paulò antè diximus) testamentum, quo Carolus Imperium filiis relinquebat, à Leone Papa, ipso Carolo petente,confirmatum est. Constat autem ex Historicis, Ludouicum non ante confirmatum illud testamentum, sed aliquantò pòst à patre appellatum Augustum. nam Annales Francorum ponunt testamenti cõfirmationem anno 806. Ludouici autem assumptio-

nem ad Imperium anno 813. Itaque Ludouicum Imperatorem Leo III. confirmauit, ac posteà Stephanus IV. coronauit.

III. Carolus Caluus, Ludouici iunioris in Imperio successor, insigne testimonium nobis præbet. nam cùm esset ei cum Ludouico fratre, Germaniç Rege, de Imperio adipiscendo contentio, mira celeritate Romam accurrit, & multis magnisque muneribus aditum sibi ad Pontificis gratiam, ac per eam ad Imperium patefecit. Sed verba Historicorum audiamus. Ioannes Cuspinianus in vita Caroli Calui, Ipse (Carolus) omni mora abiecta, summa cum festinatiõe Alpibus superatis, in Longobardiam contendit, vt hinc rectà Romam proficiscatur pro corona Imperiali, in Franciam Cæsarum nomen allaturus. Ludouicus Germaniæ Rex filium mittit Carolum, vt iter prohibeat: & cùm is cederet, indignatus pater, alium quoque filium cum exercitu mittit, qui Carolum auertat: sed cum copiis præstaret, & potentiam ferre non posset; reuersus ad patrem, missus in Franciam cum exercitu diris incursionibus eam vexat. Interim Carolus Italiam ingreditur, quem Ioannes Octauus Summus Pontifex benignissimè accepit, diademate Imperiali, ac Augusti nomine adornat: acceptis tamen ab eo multis magnisque muneribus. Item Rhegino lib. 2. Chronici de re eadem sic loquitur: Anno 877. Carolus (Caluus) Romam secundò profectus est, vbi iampridem Imperatoris nomen à Præsule sedis Apostolicæ Ioanne ingenti pretio emerat. Rursum Marianus Scotus lib. 3. Chronici: Carolus (inquit) Romam perueniens, datis Ioanni Papæ magnis muneribus, Imperator factus est. Hic ergo libenter quærerem ab Illyrico: Si nihil Imperatori, quod ad Imperium attinet, aut solam cæremoniam Coronationis Papa dare solet; quorsùm Ludouicus Rex Germaniæ, tanto studio fratrem Carolum Caluum ab itinere Romano auertere conabatur? quorsùm Carolus ipse tanto labore, ac dispendio Romam ad Pontificem venit? quorsùm tam diligẽter pretiosis etiam muneribus, Pontificis animum sibi conciliauit? cur maluit potiùs cum fratris exercitu in certamen descendere, ac pati, vt regnum suum à fratris exercitu vastaretur, quàm Imperij coronam de manu Pontificis non accipere?

IV. Albertus Imperator (vt auctor est in Chronico suo Albertus Argentinensis, qui illo ipso tempore vixit) à Bonifacio Papa VIII. vehementer contendit, vt Imperium sibi, & hæredibus cõfirmaret. id quod minimè impetrauit. voluit enim Summus Pontifex Imperatorem Romanum eligi, non nasci. Sed ex illa Alberti contentione quis non videt, quæ fuerit eius sententia de potestate Summi Pontificis in euehendis hominibus ad Imperium?

V. Henricus VII. Alberto successit electus ex Comite Lucemburgensi. de eo sic loquitur Conradus Vercerius in libro de rebus gestis Henrici VII. Lucemburgius (inquit) mittit in oram Narbonensem, qui à Clemente (Papa V.) postulent, vt ratam sibi facere subrogationem pro more dignaretur.

VI. Ludouicus IV. qui post Henricum VII.

A imperauit, tametsi cum Romano Pontifice perpetuas inimicitias gesserit, quòd ab eo non modò non confirmatus, sed etiam excommunicatus, & deiectus de sede Imperatoria fuisset: tamen nunquam destitit occasiones quærere, quibus in gratiam Pontificis rediret, & ab eo restitutionem in Imperium impetraret. Scribit enim Albertus Argentinensis in Chronico, eundem Ludouicum defuncto Ioanne Papa XXII. misisse ad Benedictum XII. qui Ioanni successerat, Legatos, qui demississimis precibus peterent absolutionem, & restitutionem.

VII. Conradus IV. (inquit Theodoricus de Nihem in Nemore, tract. 6. cap. 33.) procurauit talem, qualem electionem dicti VVencestai Regis per Vrbanum Sextum, orto iam Schismate, ac in eius principio fecit approbari.

B Et per hoc acquisiuit idem Vrbanus, quod dictus Carolus Imperator adhærebat eidem.

VIII. Fridericus Primus cùm in Italiam ad Pontificem Adrianum IV. venisset, ita coronam per Oratorem suum à Pontifice petijt, vt apertissimè testaretur, agnoscere se summam Imperij dignitatem, & (vt ipse loquitur) plenitudinem, nisi à Summo Pontifice haberi non posse. Sic enim ea de re scribit Albertus Krantzius lib. 6. Saxoniæ, cap. 16. *Pontifex dignatione sua flectere contenderat Germanorũ formidatam insolentiam, & venit in castra Regis cum solemni, Pontificeq; Summo digno comitatu. Rex concitus occurrit venienti, & ab iumento descendenti strepam fertur tenuisse sellæ, acceptumq; reuerenter per manum in sua tentoria perduxisse.*

C *Bambergensis Episcopus verbum Regis proloquutus, ait: Honorabilem tuæ sanctitatis præsentiam, Apostolice Pontifex, sicut dudum desideranter optauimus, ita nunc lætanter suscipimus: gratias agentes omnium largitori bonorum Deo, qui nos deduxit in hunc locum, & sacratißima visitatione tua nos dignos fecit. Notum ergo tibi esse volumus, Reuerende Pater, quia omnis Ecclesia, de finibus orbis ad honorem regni collecta, adduxit Principem suum ad tuam Beatitudinem, prouehẽdum per te ad culmen Imperij. Hoc meretur nobilitas, prudentia, fortitudo, Dei timor, & Catholicæ pacis amor in corde illius regnans, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ cultus non vulgaris. Ecce te venientem excepit venerabundus, tuis sanctißimis vestigijs humiliter prouolutus Ergo venerande Pater, tu circa ipsum peragas, vt quæ ei desunt de plenitudine Imperialis culmi-*

D *nis, per tuæ Beatitudinis munificentiam suppleantur.* Et infrà, cap. 17. *Consedentibus iterum* (inquit) *Papa verbum fecit; Solebant* (inquit) *qui ad coronam petendam venerant priscæ ætatis Principes, insigni aliquo facto Romanæ Ecclesiæ beneuolentiam promereri, vt suo velut officio præuenientes benedictionem, iam debitam coronam omnibus præclaro facinore testarentur. Sic Carolus dum domuit Longobardos, Otho dum compescuit Berengarios; nouißimus Lotharius dum Normanos reprimeret, coronam Imperij meruêre. quocirca Serenißimus Rex Apuliam, Rom. Ecclesiæ peculiarem prouinciam, iam à Normannis occupatam, nobis Ecclesiæq; restituat: deinde, quæ nostra sunt, facilè exequemur. Principes respondent, ab longo itinere, & multiplici per viam labore attenuatas esse vires exercitus, nec posse Regem illis copijs magnam*

inuadere

inuadere Prouinciam. Impleat in Rege benedictionem Pontifex, non se certasse priorem officio pœnitebit: restitutos in sua Principes cumulatioribus armis cum suo Rege redituros, facturosq; qua in rem Ecclesiæ videbuntur. Cessit Papa contentioni facturum spondens qua peterentur.

Hæc tam prolixè recitare volui, vt omnes intelligerent, quanti fecerint semper Reges Germaniæ Pontificiam coronationem. nam si nihil ea coronatione Papa confert, aut inanem solùm cæremoniam eamque debitam electo iam Principi exhibet, cur is qui coronandus est, ad Imperiale culmen prouehendus dicitur? nihil ne tribuit, qui ad culmen Imperij aliquẽ prouehit? Deinde cur tam humiliter corona à Pontifice postulatur? cur singulari aliquo facinore Romanæ Ecclesiæ beneuolentia est antè promerenda? cur deniq; petenti Pontifici, vt Rex Apuliam de potestate Normannorum eriperet, Ecclesiæque restitueret, si coronam Imperij adipisci vellet, nemo Principum respondit iniquam esse conditionem, sed cùm afflictum exercitum dicerent, tempus commodius postularunt? Neque verò Latini solùm Imperatores, sed etiam Græci Romanum Pontificem auctorem Occidentalis Imperij agnouerunt, & professi sunt.

IX. Michael siquidem Imperator Constantinopolitanus, cùm accepisset Carolum Magnum à Leone Pontifice Imperatorem Occidentis appellatum: Legatos ad eum misit, qui pacem, ac fœdus inirent inter vtrunque Imperatorem. pacis verò capitula non à solo Cæsare, sed etiam à Pontifice voluit approbari; tunc enim demum stabilem pacem futuram inter se, & Carolum censuit, si is eam probasset, cuius auctoritate Carolus imperabat. Ado Viennensis in Chronico anni 812. Michael (inquit) Imperator curatur, cuius Legati Aquisgranum ad Imperatorem Carolum missi, laudes more suo dixerunt, Imperatorem, & Basileum illum appellantes. & pacis libello ab Imperatore accepto, & denuo à Leone Papa Romæ, reuersi sunt.

Item Rhegino Prumiensis Abbas lib. 2. Chronici, Anno (inquit) 812. Legati Græcorum de pace libellum acceperunt à Carolo, & deinde à Leone Papa.

X. Emanuel Comnenus, qui tum Orientale Imperium gubernabat, cùm Occidentali Fridericus primus præesset, obtulit per Legatos non semel, sed bis Alexandro Pontifici magnam vim pecuniarum, exercitum non contemnendum, & quod pluris faciendum erat, vnionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, sub vno summo Pastore Rom. Pontifice, si modò is Occidentale Imperium, à quo Fridericus Primus iure excidisse videbatur, iterum cum Orientali coniungi, atque Imperatori Constantinopolitano restitueretur. Testes sunt Blondus Decade 2. lib. 5. Abbreuiator Blondi. AEneas Syluius ibidem. Platina in Alexandro tertio, & Ioannes Nauclerus in Chronico, generatione trigesima nona, pag. octingentesima quadragesima octaua.

XI. Philippus Rex Francorum vacante sede Imperiali ob mortem Alberti Imperatoris, & Romano Pontifice Clemente Quinto per id

A tempus in Gallijs commorante, ratus venisse tempus quo Imperium ad Gallos à Germanis transferretur, cum proceribus suis consilium habuit, in quo tandem illud decretum est, vt id à Pontifice per solemnes nuncios peteretur. cui enim (inquit Rex) fiat iniuria, si vacantis Imperij conditio permitteretur? idem fecerunt olim Pontifices alij. Verùm Summus Pontifex, cùm id, quod in Consilio Regis decretum erat, continuò rescisset, ne aut Regem offendere, aut cõtra voluntatem suam aliquid cõcedere cogeretur, Electoribus Imperij scripsit, vt maturarent electionem, & Henricum Lucemburgium Comitem, si eis videretur, eligerent, alioqui periculum esse, ne vnà cum Imperio potestatem etiam eligendi deinceps amitterent. Delatis ad Germanos epistolis,

B reque intellecta, comitiorum solemnia maturantur, eligitur Lucemburgius: quæ omnia accuratè scripsit Conradus Vercerius, in libro de rebus gestis Henrici VII. Colligimus autem ex hac historia, non modò Regem Gallorum cum vniuerso cœtu procerum Franciæ, sed etiam Imperij Electores in ea sententia fuisse, vt existimarent à Summo Pontifice translatum fuisse Imperium à Græcis in Germanos, rursum ab eodem Pontifice à Germanis in Gallos posse transferri. nam & Rex in publico procerum conuentu id affirmauit, & Electores festinata electione Henrici VII. idem apertissimè comprobarunt.

XII. Accedit ad hæc clarissimum testimonium eorundem Electorum in quodam publico instrumento, quod infrà subiiciemus, ac suprà citauimus. hoc enim eius instrumen-

C ti principium est, Complectens ab olim sibi Romana Mater Ecclesia quadam quasi germana charitate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod est super omne nomen, temporaliter tantùm præsidentium super terram. Hæc igitur tot Principum ingenua verissimaque confessio, quamuis nulla alia argumenta suppeterent, an non satis esse ad causam istam finiendam deberet? Veruntamen addam etiam Summorum Pontificum testimonia, non quòd ea magni fieri credam ab aduersarijs, sed tum propter Catholicos, quibus Sacrosancta est (vt debet) Pontificum auctoritas, tum etiam aduersarius videat, quæ Pontifices dicunt, à probatis historijs, & Principum confessione non

D dissentire, quam etiam ob causam hoc genus testimoniorum, quòd si auctoritatem spectes, primum locum merebatur, in tertium distuli.

CAPVT VI.

Idem asseritur testimonijs Pontificum.

I.

PRimum igitur Pontificum testimonium illud esse poterit, quod de Gregorio IV. refert Paulus AEmilius. sic enim ait libro tertio de rebus gestis Francorum. Lugduni concilium Episcoporum, quos Ludouici Imperatoris filij contraxerant, habitum, Imperiumque patri abrogatum. quod decretum inox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est. Eodem pertinet quod scribit Marianus

Scotus libro tertio Chronici, Rex (inquit) Ludouicus Reginam Aquis obuiam ei venientem iubente Papa Gregorio accepit. siquidem filij Ludouici non solùm Imperium patri abrogauerant, sed etiam vxorem Iuditham ei ademerant. Sed vtrumque iubente Gregorio recepit. ex quo refellitur (vt obiter hoc annotemus) quod Sigebertus in Chronico scribit, Gregorium Papam cum filijs Ludouici aduersus patrem eorum conspirasse. nec solùm Marianus Scotus, & Paulus AEmilius, sed etiam Rhegino libr. 2. Chronic. & Aimoinus libro quinto, de rebus gestis Francorum, cap. 14. & 16. aliique Sigeberto antiquiores Historici, Gregorium Papam Ludouico Imperatori fauisse testantur. Sed hoc (vt dixi) obiter admonui: illud est proprium huius loci, à Gregorio Papa decretum Francorum esse rescissum, quo illi Ludouico Imperium abrogauerant. nec enim id Gregorius ausus fuisset, nisi ab Apostolica sede Imperium ad Francos delatum, atque ab eadem sede pendere intellexisset.

II. Adrianus II. Pontifex Maximus cùm accepisset Imperium Ludouici iunioris Imperatoris à Carolo Caluo Rege armis tentari, continuò ad Carolum Legatos, & literas misit plenas auctoritatis: de quibus sic loquitur Aimoinus libro quinto, capit. vigesimoquarto. In epistolis (inquit) Papæ continebatur, vt regnum quondam Lotharij, quod Ludouico Imperatori, spirituali filio eius, hæreditario iure debebatur, & quod ad eum post mortem eiusdem Lotharij rediit, vel homines in eo degentes, mortalium nullus inuaderet, nullus commoueret, nullus ad se conaretur inflectere, quod si quis præsumeret, non solùm per suæ auctoritatis ministerium infirmaretur, verùm etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis priuatus, cum diabolo omninò locaretur. Et infrà capitulo 27. idem Aimoinus narrat, Carolum quidem his literis acceptis molestè tulisse, quòd regnum suum propagare prohiberetur: interim tamen non contempsisse Apostolicum mandatum, sed legatos cum magnis muneribus ad Summum Pontificem destinasse.

III. Adrianus IV. in epistola ad Episcopos Germaniæ, quam refert Ioannes Auentinus lib. 4. Annal. Boiorum. Ideò (inquit) Imperium à regno Græcorum trāslatum est in Alemannos, vt Rex Teutonicorum nō antè quàm à Pontifice Roman. consecraretur, Imperator vocaretur, & esset Augustus. Pontifex Romanus promouit Carolum, fecit ei nomen grande, vt esset Imperator.

IV. Alexander III. legatis Imperatoris Græcorum, qui Occidentale Imperium iterum cum Orientali coniungi cupiebant, respondit, Platina teste, se nolle id in vnum coniungere, quod olim de industria maiores sui disiunxissent.

V. Innocentius III. in epistola ad Ducem Thuringiæ, vnde extat caput, Venerabilem, extra de electione. Illis (inquit) Principibus ius, & potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum permouendum recognoscimus, vt debemus: ad quos iure, ac antiqua A consuetudine noscitur pertinere, præsertim cùm ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica sede peruenerit, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit ad Germanos.

VI. Clemens V. vniuersali Concilio approbante decretum edidit de iuramento, quod Imperatores Pontificibus præstant: vnde extat Clementina, Romani principes, de iureiurando. eius decreti hoc est initium: Romani principes Orthodoxæ fidei professores, Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cuius caput est Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem eiusdem Redemptoris vicarium feruore fidei, & claræ deuotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbationem personæ ad B Imperialis celsitudinis apicem assumendę, necnon vnctionem, consecrationē, & Imperij coronationem accipiunt, sua submittere capita, non reputarunt indignum: seque illi, & eidem Ecclesiæ, quæ à Græcis Imperium trāstulit in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes ius, & potestas eligendi Regem in Imperatorem postmodum promouendum, peruenit, adstringere vinculo iuramenti, prout tam mos obseruationis antiquæ, temporibus nouissimis renouatæ, quàm forma iuramenti huiusmodi sacris inserta canonibus manifestant.

VII. Pius II. in epistola ad regem Turcorum Mahumetum, quæ est inter eius epistolas 396. Hortatur ad fidem Christi amplectendam eundem Mahumetum, eique, si id faciat, ius ac titulum Orientalis Imperij pol- C licetur: *Nos, inquit, te Græcorum, & Orientis Imperatorem appellabimus, & quod modò vi occupas, & cum iniuria tenes, possidebis iure.* Et infrà: *Et sicut antecessores nostri Stephanus, Adrianus, Leo aduersus Hestulphum, & Desiderium gentis Longobardicæ Reges, Pipinū, & Carolum Magnum accersiuerunt, & liberati de manu tyrannica Imperium à Græcis ad ipsos liberatores transtulerunt: & nos in Ecclesia necessitatibus tuo patrocinio vteremur, & vicè redderemus accepti beneficij.* Cùm igitur in gratiam Cæsarum, & in odium Pontificum controuersia hæc ab Illyrico in medium sit allata, si inter se ipsi consentiunt, vt reuerà eos consentire vtrorumque testimonijs demonstrauimus: quid nos ampliùs disceptare necesse est? Sed accedamus tamen ad rationem, & titulos omnes excutiamus, quibus ad- D uersarij fingunt, Imperium Romanum ad Carolum peruenisse.

CAPVT VII.

Imperium Germanorum non esse acquisitum iure belli.

SEx omninò tituli sunt, quibus homines regna, atque Imperia possidere solent, Ius belli, Beneficium diuinum, Successio hæreditaria, Electio populi, Donum Principis, Summi totius Ecclesiæ Præsulis decretum. aut enim aliquis per se Imperium occupat, aut accipit illud ab alio; si per se occupat, iure belli dicitur possidere, qui est primus titulus: quo titulo Cyrus, Alexander, Iulius, alijq; nōnulli summa Imperia tenuerūt. Si accipit ab alio, aut

à Deo

à Deo singulari vocatione, aut ab hominibus: si à Deo, iam est secundus titulus, isque omniū iustissimus; quo titulo, Moyses, Aaron, Saul, Dauid, Petrus principatum vel Ecclesiasticū, vel Politicum adepti sunt. Si verò ab hominibus: aut naturali successione, aut electione voluntaria: si naturali successione, iure hæreditario regnare dicitur, qui est titulus tertius, quo Salomon Dauid, Tiberius Augusto, Ludouicus Carolo, atque alij alijs successerunt: si electione voluntaria: aut multitudo eligit, aut princeps: si multitudo, inde est quartus titulus, quo Claudius, Galba, Vespasianus, ac cæteri deinceps Romani Imperatores, vt plurimum electi sunt: Si à solo Principe: aut is Politicus est, aut Ecclesiasticus: si Politicus, oritur quintus titulus, quo titulo imperarūt Lucius Verus à Marco Antonino, Maximianus à Diocletiano, Valens à Valentiniano, Theodosius à Gratiano, & si qui sunt alij Principes à præcedentibus Principibus ad Imperium vocati. Si denique à Principe Ecclesiastico Imperator dicatur, existet titulus sextus, quo nos asserimus, Carolum Magnum, & qui eum sequuti sunt, Germanos Imperatores sui Imperij esse adeptos.

Quæ cùm ita sint, si primos quinque titulos in Imperio Germanorum locum non habere demonstrauerimus, efficiemus profectò, Carolum Magnum aut à Pontifice Maximo Imperium habuisse, aut omninò non habuisse. quomodo enim habuit, quod nec ipse armis occupauit, nec successione hæreditaria, nec diuina, aut humana electione suscepit? quod si Carolus Magnus Imperator non fuit, certè nec cæteri Francorum, Germanorumve Reges Imperatores fuerunt: nec Rodulphus, qui nunc est in Imperio, iure Imperator dici potest. Viderit igitur Illyricus, ne dum Imperatoribus adulatur, eosque multis falsis titulis onerat, eosdem vero iure imperandi priuet, ac de solio Cæsarum deturbat imprudēs.

Ordiamur à primo titulo, quem Illyricus præter cæteros asserit, ac pro viribus propugnat. Obtinuit Carolus Magnus paterna hæreditate regnum Francorum, expugnauit deinde Longobardos, atque ex ea victoria Rex etiam Longobardorum appellari cœpit: at cum Romanis nunquam pugnauit, Romanam vrbem vi nunquam intrauit, semper socius, & amicus, deinde etiam patricius Romanorum; hostis, & inimicus nunquam fuit. id quod Historici omnes clamant, ac præsertim Albertus Krantzius li. 2. Saxoniæ, & Eginarthus in vita Caroli. nec poterit Illyricus vnam syllabam contra producere. qua ratione igitur iure belli Romanos subiectos habuit, qui cum Romanis bellum nunquam habuit?

At (inquies) regnum Longobardorum in Italia, quod Carolus armis adeptus est, aliquādo Romana prouincia fuit. Sed si omnes, qui Romanas prouincias occuparunt, Imperatores Romani dicendi essent: nimium multos Imperatores haberemus. nam (vt cætera nunc omittam) Gallia, Hispania, Anglia, quæ nunc à Regibus tenentur, Romanæ prouinciæ aliquando fuerunt: num igitur rectè facerent Reges Gallorum, Hispanorum, atque Anglo-

A rum, si se Romanos Cæsares appellarent? non opinor hoc dicturum Illyricum, aut eorum aliquem, qui decus Imperij in sola Germania conseruari cupiunt. Quare neque Carolus eo solùm nomine Romanus Imperator dici potuit, quòd Longobardis regnum Italiæ eripuerit, quòd antea Romanorum prouincia fuerat.

Deinde si Carolus iure belli Romanum Imperium sibi parauit, quo tempore id fecit? an ante coronationem à Leone Papa acceptā, an posteà? si anteà, cur igitur vsque ad eam diem neque ipse se in suis diplomatibus, quorum nonnulla apud Ioannem Auentinum extant, Imperatorem Romanorum vocat, neq; ab vllo Historicorum hoc nomine appellatur? si posteà, cur igitur ab eo die, cùm Imperium nondum haberet, Imperator, & Augustus cum in proprijs litteris, tum in omnibus B historijs incipit appellari? sed fortasse neque anteà, neq; posteà: sed illo ipso tempore, quo armis Imperium occupauit: coronam etiam, & consecrationem accepit. Id verò dici non potest: nam ex Adone, alijsque Historicis suprà notatis constat, Carolum quo anno à Pontifice coronatus est, Romam venisse, non vt hostem ad expugnandam Vrbem, sed vt Patricium: tum orationis gratia, vt inquit Ado, tum etiam, vt exitus probauit, ad causam cognoscendam, quæ inter Pontificem, & seditiosos quosdam ciues fuerat exorta.

Ac ne fortè hic aduersarius audito nomine Iudicij, à Rege Pontificem iudicandum esse clamet, placet ex lib. 2. Pauli AEmilij adscri- C bere, qualis eius iudicij forma fuerit: *Cogniturus* (inquit AEmilius) *de Leone venerat Rex: cùm verò ad rogandas sententias descendit, tunc Episcopi magis sacrosanctæ potestatis, quàm Regis maiestatis consentienti ore reclamauère, summum optimumq; Regem esse Carolum: sed cuinam tandem de Pontifice Maximo iudicium facere fas esse? susciperet Leo in gremium causam suam: quiq; in cæteros clauium ius haberet, de se quoq; ipse incorruptè iudicaret, solo numine vel teste conscientiæ, vel vindice. ita Leo (haud ægrè ferente Francorum demptum sibi graue onus de Pontifice Maximo iudicandi) suggestum conscendit, crimen iureiurādo diluit.* hæc AEmilius. consentiunt Platina in vita Leonis Tertij, Iacobus VVimphelingius in Epitome rerum Germanicarum c. 9. & alij. Sed hæc præter causàm dicta sunt, vt D lapidem in via occurrentem remoueremus.

Quod autem ad rem præsentem pertinet, ex Historicis omnibus apertè colligitur, Carolum non illo ipso anno, quo coronatus est, Imperium armis occupasse. nam præter ea, quæ dicta sunt, scribit Abbas Rhegino libro 2. Chronici, Carolum ex Rauenna misso filio Pipino cum exercitu Beneuentum, sine milite Romam venisse, atque à Pontifice, Clero, Senatu, Populo, amicè magnificeque susceptum. quanquam neque in hoc anxiè laborandum erat. Siquidem aduersarius in hoc ipso libro de translatione Imperij, quem refutandum suscepimus, pluribus locis, quod volumus, confitetur: sic enim ait pag. 7. *Carolus iure, ac vi belli occupauit Occidentale Imperium antequā Leo eum coronaret.* & pag. 15. *Constat* (inquit)

Carolum amplius viginti annis ante illam Leoninã (penè dixissem vulpinam) Papæ coronationem, totum Occidentale Imperium occupasse, & tenuisse. Redit igitur argumentum nostrum, si amplius viginti annis ante illam, quam tu vocas Leoninam, coronationem occupauerat Carolus totum Occidentale Imperium, atque ea de causa Imperator Romanorum erat: cur amplius viginti annis Imperatorio nomine abstinuit? cur omnes Historici à coronatione Caroli primum annum eius Imperij numerãt? cur annos solum 14. quot videlicet à coronatione ad obitum eius fluxerunt, Carolo Imperatori tribuunt? cur vsque ad eam diem in Oriente Imperium fuisse, ac tum demum in Occidentem translatum esse dicunt? Hæc enim omnia falsa sint necesse est, si (vt Illyricus dicit) viginti annis ante Leoninam coronationem Carolus Magnus Imperator fuerat.

Audi Abbatem Vrspergensem, à quo non dissentiunt cæteri scriptores: *Anno* (inquit) *Dominicæ Incarnationis* 801. *ab vrbe verò condita* 1551. *Carolus Magnus, Rex Francorum, Pipini Regis filius,* 74. *ab Augusto Romanorum Imperator consecratus est, anno regni sui* 33. *Sic imperauit annis* 14. Et infrà: *Hic est annus regni eius* 33. *Imperij verò primus.* Et ibidem paulò antè, *Hucusque Romanum Imperium à temporibus apud Constantinopolim, Constantini Magni Helenæ filij, in Græcorum Imperatoribus mansit: ex hoc iam ad Reges Francorum, & ad Imperatorẽ per Carolum transit.* Sed habet fortasse Illyricus firmissima præsidia, quibus sententiam suam tueatur. Imò verò tam sunt inepta, & ridicula argumenta quæ profert, vt me illa propemodum pudeat commemorare.

I. Primum igitur in epistola dedicatoria argumentum ducit ex historia Lucij Flori, qui in eo prælio, quo Pompeius à Cæsare victus est, & Romana Monarchia quodammodo cõstituta, initium victoriæ Cæsaris factum esse scribit à quibusdam Germanorũ cohortibus, quæ in exercitu Cæsaris militabant. *Possis* (inquit Illyricus) *verissimè dicere, non tantùm tempore Caroli Magni Germanorum sanguine, ac virtute Imperium acquisitum, sed etiam mox ab initio constitutum: nam nemo dubitat, à Iulio Cæsare, idq; potissimum Pharsalico prælio contra Pompeium, Imperium Romanum partũ, constitutumq; esse. At ibi sex illæ (teste Lucio Floro) Germanorum cohortes in subsidijs collocatæ, quæ subitò, & quasi vno impetu tum numerosissimum equitatum Pompeij in montes fugarãt, tum ingentem sagittariorum, ac leuis armaturæ eiusdem numerum conciderunt, & deniq; etiam legiones ipsas Pompeij validissimas in fugam conuerterunt, principium, & caput totius eius victoriæ, vt omnes historici testantur, fuerunt.*

Quis hoc Illyrici argumentum non rideat? nam imprimis omninò credibile est, eas cohortes (tres autem fuerunt vt Cæsar significat libro 3. de bello ciuili, non sex, vt Illyricus ex Floro falsò citat) quæ initium victoriæ dederunt, non Germanorum militum fuisse: & vel corruptum esse Flori codicem, vitio librariorum, vel Florum ipsum errore esse deceptum. nam Appianus Alexandrinus libr. 2. de bello ciuili, & Dion Cassius libr. 41. histor. enumerant diligenter eas gentes quæ in exercitu Cæsaris erant, ac Germanorum nullam omninò mentionem faciunt, sed solùm Italorum, Gallorum, Hispanorum, atq; Græcorũ. Deinde Appianus loco notato scribit Cæsarem maximam spem victoriæ in Italicis militibus posuisse: ipse autem Cæsar lib. 3. de bello ciuili, disertis verbis testatur, posuisse se spem victoriæ in illis tribus cohortibus, quas in subsidium collocauerat, & à quibus, vt ipse præuiderat, atque monuerat, initium victoriæ factum est. ex collatione igitur Appiani, & Cæsaris, eas cohortes, quæ victoriam Cæsari attulerunt, Italicorum, non Germanorum fuisse manifestè colligitur. Ad hæc Cæsar lib. 7. de bello Gallico indicat se interdum vsum esse in bello aduersus Gallos opera Germanorũ, sed equitum dũtaxat, aut peditum leuis armaturæ: qui inter equos pugnare soliti essent. At cohortes illæ, de quibus nunc loquimur, non equitum, nec peditum leuis armaturæ, sed instructissimarum legionum cohortes erant, vt idem Cæsar in 3. lib. de bello ciuili demõstrat. deniq; cùm prælium illud Pharsalicum celeberrimum fuerit, & ab ipso Cæsare, ab abbreuiatore Liuij, à Plutarcho, Appiano, Paterculo, Lucano, Tranquillo, Dione, Eutropio, Orosio, totque alijs illustribus scriptoribus memoriæ proditum sit: qui factum est, quæso, vt nulli eorum in mentem venerint Germanicæ istæ cohortes, quæ sua virtute tantam victoriam pepererunt.

Verùm quid opus est de hac re amplius litigare? etiamsi verum esset quod Florus dicit, quid tandem Illyricus lucraretur? num propterea Germani Romanum Imperium sibi iure vindicare possunt, quia in exercitu Iulij tres Germanorum cohortes acerrimè pugnauerunt? quid enim aliud eis præter stipendiũ pro opere, gratia pro fide, laus pro virtute debebatur? quæ omnia cùm à liberalissimo Imperatore sine dubitatione cumulatissimè fuerint persoluta, quid quærunt amplius? Deniq; si præter stipendium, Imperium ipsum Romanum Germani milites illo die sibi pararunt: cur illud à Iulio, vel Augusto, vel cæteris Principibus non repetebant? cur annis amplius Octingentis de re tanta siluerunt? cur omnes scriptores, vt suprà docuimus, primordia Germanici Imperij à Carolo Magno deducunt? Sed nolo diutiùs in his nugis tempus terere, præsertim cum his nugis aliæ nugæ successuræ sint, quæ me, velim, nolim, non paruo tempore detinebunt.

II. Igitur 2. Illyrici argumentum ducitur ab ea victoria, quam Germani duce Arminio de tribus Romanorum legionibus retulerũt. quod argumentum his verbis Illyricus proponit in eadem epistola dedicatoria: *Huc,* inquit, *referre possis, quod & mox post Iulium, sub Augusto, Germani duas Aquilas Romanis iustissimo bello abstulerunt. Sicut & inter alios historicos idem Lucius Florus inquit: Duas Aquilas Germani, cæso exercitu, Romanis abstulerunt, & adhuc retinent. Quibus iure belli, virtuteq; partis insignibus, etiamnum Germanorum Imperium in protestationem, defensionemq; iuris sui, contra omnes aduersarios constanter vtitur, cùm antè Romani*

simpli-

simplicibus Aquilis in suis insignibus vterentur. Et intrà: *Quandocunque ergo volet Romanus Sacrificus, alijque Imperij amuli cognoscere Germanorum Monarchia originem, ac ius: intueantur modò, ac contemplentur eius gloriosa insignia, bicipitem Aquilam ostentantia, & mox ea illos de origine iureque suo abundè edocebunt, ac vel inuitos conuincent.* Hæc ille. Enumeremus nos modò huius argumenti peccata. primum superiori argumento repugnat. nam si Pharsalica victoria Imperium Germanis peperit, vt superiore argumento concludere conabatur Illyricus, quî fieri potest, vt origo Germanici Imperij tum cœperit, cùm Germani Romanis duas aquilas eripuerunt: quod longo post tempore factum est: Deinde falsum est, iustissimo bello virtuteque Germanorum (vt Illyricus iactat) duas aquilas Romanis ereptas: non enim bellum, sed rebellio illa Germanorum fuit, vt Paulus Orosius scribit libro sexto, siue potiùs perfidiæ scelus, vt eam Velleius appellat libro secundo: neque enim in acie collatis signis Germani vicerunt, sed improuisos adorti Romanos ciciderunt. sic enim Florus tradit libro quarto: *Itaq, (inquit) improuidum, & nihil tale metuentem improuisò adorti, cùm ille (ô securitas!) ad tribunal citaret, vndique inuadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur.* Varus perditas res eodē, quo Cannensem diem Paulus, & fato est & animo sequutus. nihil illa cæde per paludes, perque siluas cruentius, nihil insultatione barbarorum intolerantiùs, præcipuè tamen in causarum patronos: alijs oculos, alijs manus amputabant: vnius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus: Tandem (inquit) vipera sibilare desiste. ipsius quoque Consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum, signa, & aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer, priùs quàm in manus hostium veniret, euullit, mersamque intra baltei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit. Hæc Florus, cuius verbis non legitimum prælium, sed excitatam repentè seditionem, & furorem barbaricum descriptum videmus. Adhæc figmentum est Illyrici, quòd Romani Imperatores bicipitem aquilam in insignibus ferāt ob duas illas aquilas ab Arminio quondam Vari Legionibus detractas. non enim duas aquilas in insignibus Imperatores gerunt, sed vnam diuisam in duo capita: cuius rei causa illa est, quòd Imperium esset inter duos Principes diuisum, quorum alter in Occidente, alter in Oriente, sedem habebat. quod præter alios scriptores, ipse etiam Illyricus probat Cent. nona, capite decimo sexto, col. 621. Denique non rectè colligit Illyricus, Germanos ius adeptos in Imperium Romanum, quia duas aquilas Romanis eripuerunt. nam si ita liceret colligere, multò iustius sibi Carthaginenses, Parthi, Persæ, aliæque gentes Romanum Imperium vendicarent, quàm Germani: Siquidem Annibal Carthaginensium Imperator, non duas aquilas ex insidijs rapuit, sed ad Ticinum primò, deinde ad Trebiam, tertiò ad Trasimenum, quartò ad Cannas, totos Consulares exercitus fudit, idq; tanta Romæ nobilitatis strage, vt ex postrema hac victoria, duos modios annulorum aureorum Carthaginem miserit, cuius rei, vt omittam cæteros, testis est Lucius Florus, libro 2. Parthi postmodum, Orode rege, eodem Floro teste lib. 3. cap. 11. cum Crasso Rom. Imperatore congressi, vndecim legionibus Romanorum deletis, signis quoque, & aquilis ereptis, & ipso Imperatore occiso, victoriam de Romanis maximam retulerunt. Sapores verò Persarum Rex, non exercitum solùm Romanorum profligauit, sed etiā Romanum Principem Valerianum vi cepit, eumque ad extremam vsque senectutem, ignominiosissimam seruitutem seruire coegit, vt scribit Eutropius libro 6. Orosius lib. 7. alijque permulti: nec tamen vmquam vel Annibal, vel Orodes, vel Sapores Romanorum se Imperatores appellarunt. verùm ne Arminius quidem id nomen sibi vsurpare auderet, nisi iam tandem post mille quingentos annos eum purpura, & diademate vel inuitum ornare decreuisset Illyricus.

III. Veniamus ad 3. Illyrici argumentum, quod ex verbo Dei, admirabili artificio scilicet contexitur. Regna atque Imperia (inquit Illyricus pag. 2. 3. 4. & 5.) non sacrificiorum cærimonijs, sed gladio, ac iure belli Deus trāsferre solet: testatur id Deus illa nobili monarchiarum pictura diuinitus Danieli monstrata, Daniel. 2. & quarto. Idem perpetua experientia confirmat. sic Nembrotus, Ninus, Semiramis, & alij facti sunt robusti venatores coram Deo. Sic iure ac vi belli, aut gladij, Imperium transiuit à Babyloniis ad Persas, à Persis ad Macedonas, à Macedonibus ad Romanos, & à Romanis ad Germanos. Hanc rationem transferendi regna, ac dominia declarat Deus Hiere. 27. & Isa. 45. Hac igitur diuinitùs ordinata via, Germanica natio longè amplissima, & robustissima, (Occidentale Imperium occupauit.) Hæc ille. Hîc ego primùm quæro, an Deus plerunq; solùm, an verò omninò semper regna transferre solet vi gladij. si enim plerunque, non autem semper, dixeris; iam argumentum per se concidet. non enim rectè colliges: Plerunq; regna transferuntur vi gladij: igitur regni Romani trāslatio à Græcis ad Francos vi gladij facta est, quod enim plerumq; fit, potest etiam aliquando non fieri. Sin aūt, semper omnino, responderis, falsum assumes. nam translatio Reipub. Hebræorum à Iudicum potestate ad regiam gubernationem: & rursus translatio eiusdem Imperij à Saule ad Dauidem: ac deinde à Ioramo, & Iehu, prophetica vnctione, non vi gladij facta est. 1. Reg. 9. & 16. & 4. Reg. 9. tametsi enim bellum fuerit Dauidi cū Isboset filio Saulis; tamen sine bello regnum obtinuerat super domum Iuda. Iehu verò etsi regem Ioram, & Iezabel reginam, & stirpem omnem regiam interfecit: id tamen non bellū fuit, sed vltio diuina: nec enim vllus restitit Iehu, aut cum eo more belli pugnauit. Viderit igitur Illyricus, an sit falsum, & cōtra Dei verbum, quod ipse confidenter asseruit, Deū non cæremonijs Sacrifici, sed iure ac vi belli regna transferre. deinde trāslatio maximæ partis regni Hebræorum à Roboam ad Hieroboā sine bello facta est 3. Reg. 12. trāslationem eiusdem

regni post Babylonicam captiuitatem à domo Iuda ad domum Leui, hoc est, à Ducibus ad Sacerdotes, certè non bellũ, sed populi cõsensus fecit. translationẽ alterius partis Romani principatus ab Vrbe Roma ad Constantinopolitanam ciuitatẽ, ex qua factum est postea, vt Græci aliquãdo Romanis imperarẽt, nonne sine gladio sola Constantini voluntas effecit? translatio regni Francorum à Merouingis (vt Historici loquuntur) ad Carolinguos, nonne Pontificis auctoritate, & procerum consensu sine armis facta est? denique vt alia multa prætercam, translatio Imperij Rom. à Francis ad Saxones, nonne cum incredibili omnium pace & tranquillitate, sine vllius sanguine facta est? non igitur est verum quod Illyricus ait, perpetuam experientiam testari, Regna, atq; Imperia vi gladij solere transferri.

Sed rursus ab Illyrico quæro, vtrum Nembrorum, Ninum, Semiramidem, Nabuchodonosor, Cyrum, Alexandrum, Iulium, quorum similem videri voluit Carolum Magnum, iure, an iniuria, regna occupasse velit? si enim iniuria, responderit; iniuriam faciet Carolo, &, qui ei successerunt, Germanis omnibus Imperatoribus: cùm titulum iustissimum, quẽ nos Historicorum omnium testimonio Imperatores nostros habere defendimus, ipse illis detrahat, & pro eo latrocinium Tyrannidemque substituat. sin autem iure, dixerit, quod eius verba satis apertè indicare videntur: tum sine dubio cum verbo Dei, & ipsa ratione pugnabit. nam etsi Deus sit, qui, vt Scripturæ loquũtur, transfert Regna, atq; imperia, quiq; Nabuchodonosor, & Cyro, alijsq; Monarchis, regna maxima attribuit: non tamen propterea illi iustè regna aliena inuadebant, & igni, ac ferro omnia deuastantes, viam sibi ad summam potentiam, & gloriam patefaciebant.

Certè de his Monarchis S. Augustinus ita scripsit libro quarto de Ciuitate Dei, cap. 6. *Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola Regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum est?* Neque huic sententiæ testimonia illa repugnant, quæ Deum auctorem translationis, ac mutationis Regnorũ faciũt. Deus enim vtitur mala voluntate (quã tamen ipse non fecit) aliquorum hominum, ad aliorum peccata punienda: & sic interdum admirabili ratione prouidentiæ suæ quibusdam Regna adimit, quibusdam largitur: vt & qui Regno cadit, iustissimè cadat, nec tamen iustè possideat, qui regnum inuadit. Ac longè alia ratione Deus prouinciam Palęstinę filijs Israel possidendam tradidit, quàm illam eandem vel Samanassar, vel Nabuchodonosor postea tradiderit. siquidem filij Israel duce Iosue laudabili obedientia cum Palæstinis pugnabant: illisque ad internecionem deletis, terras eorum sibi vindicabant. Salmanassar, & Nabuchodonosor detestabili sacrilegio Dei populum captiuum ducebant, nec imperio Dei, sed prauæ suæ cupiditati obsequebantur; tametsi Deus ipsis etiam ignorantibus, & nolẽtibus vtebatur ad id, quod iustissimè fieri ipse volebat. Explicant hanc rem accuratè S. Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio, cap. 20. & 21. & Hugo

A de S. Victore libro 1. de Sacramentis, parte 5. cap. 29. Sed nobis vnum Scripturæ testimoniũ hoc loco satisfaciet. Isaiæ 10. sic loquitur Dominus ad Regem Assyriorum: *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manus eius indignatio mea. ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in cõculcationem quasi lutum platearum. ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit, sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. dicet enim, Nunquid non Principes mei simul Reges sunt?* Et infrà: *Erit cũ impleuerit Deus cuncta opera sua in monte Sion, & in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. dixit enim: In fortitudine manus mea feci, &c.* Hoc enim loco apertè videmus, missum fuisse à Deo regem Assyriorum ad occu-

B pandum, & diripiẽdam prouinciam Hebræorum, quòd ita essent eorum peccata promerita: ipsum tamen Regem Assyriorum non eo animo profectum, vt tamquam Dei minister peccata puniret: sed vt per aliorum cladem, & subiectionem ipse cresceret, & semper longiùs latiusque regnaret. Quare nec ita missum fuisse intelligere debemus, quasi præceptum habuerit, vbi obediẽtia laudaretur; sed quia permisit Deus, vt cupiditatem suam expleret in eum populum, qui tali vexatione dignus erat, puniendus etiam ipse postea, quòd alienã prouinciam nullo iure sibi vendicasset. Quod etiã hoc tempore de Turcarum Imperio dici posse, nemo piorum, & prudentium Christianorũ

C dubitat. quis enim ambigere potest, quin diuina prouidentia, quæ transfert Regna, atque Imperia, factum sit, vt ad nostra punienda peccata, Rex Turcarum Græcis prouincias vniuersas; & nuper etiam Rhodum, Chium, Cyprum, & magnam Pannoniæ partem Latinis eripuerit? & contra tamen nemo nisi Turca, aut Turcarum amicus negabit, quin per summam iniustitiam Othomãnus alienas prouincias occuparit. Hæc ego paulò fusiùs tractaui, quòd Illyric⁹ ita loquatur de hac re ambiguè, vt verissima latrocinia pallio prouidentiæ diuinæ tegere, & Principes ad aliena regna occupanda exhortari voluisse videatur. Sed de hoc tertio argumento satis diximus. Sequitur 4.

IV. *Imperialem* (inquit Illyr. pag. 44. & 45.) *dignitatẽ inde habuit* (Carolus) *quòd, sicut Theodo-*

D *ricus primus Gothicus Rex fuit adoptatus à Zenone Imperatore, accepitq; dono Romã & Italiam vna cũ suis successoribus, ac insuper ea dignitate Odoacrem exuit: ita porrò Longobardi, cõprobante & iuuante Constantinopolitano Imperatore, eadẽ gloria, iure, & possessione exuerunt Gothos, ac deniq; Reges Lõgobardicos Francici Reges, præsertim verò Carolus Magnus, vicit & dignitate possessioneq; Occidẽtalis Imperij super Roma, ac Italia exuit, ipseq; eo iure belli potitus est. quare etiã mox Romani post victos Lõgobardos illi iurarunt, quod factũ est amplius 20. annis ante illã actione sub Leone Papa (vt isti aiũt) factã, per quam Papistæ dicũt esse trãslatũ Imperiũ ad Frãcos.* Hæc ille. Huius argumenti tot mihi videtur esse mẽdacia, quot sunt sententiæ. Principiò nõ exuerunt Lõgobardi Gothos possessione Italiæ, sed Greci Imper. duces Belisarius,

& Nar

& Narses: vt Procopius, Agathius, Iornandes Leonardus Aretinus, Paulus Diaconus, & alij omnes testantur, qui de bellis Gothorum, & Longobardorum scripserunt. Tantum verò abest vt Imperatore comprobante, & iuuante Longobardi Italiam occupauerint, vt potiùs cum ipso Imperatore, & eius Exarchis longo tempore de Italiæ possessione pugnauerint, vt ex libris Pauli Diaconi de rebus gestis Longobardorum, & ex alijs Historicis cognosci potest. Quid, quòd Paulus Diaconus in vita Iustiniani senioris scribit, Longobardos in Italiam à Narsete inuitatos fuisse, vt Imperatorem eius prouinciæ possessione spoliarent? Quemadmodū autem Franci potuerunt Longobardis Vrbem Romam eripere, quam illi nunquam possiderunt: siquidem ex historijs omnibus illius temporis constat, Longobardos etsi magna Italiæ parte potirentur, nunquam tamen Vrbem Romam, aut prouincias Italiæ, Campaniam, Apuliam, & Calabriam, Græcis Imperatoribus adimere potuisse. En igitur quanta fide sit dignus Illyricus, qui nouas historias, repugnantibus Historicis omnibus, comminiscitur.

Porrò Ciues Romani, exactis Italia Longobardis, si Carolo Magno iurarunt (nec enim eiusmodi iusiurandum apud idoneos auctores inuenio) non vt Principi, aut domino, sed vt Patricio, & defensori iurarunt. Hadrianus enim Pontifex cùm fideli opera Caroli Magni vsus esset in expellēdis Longobardis, qui perpetuis excursionibus ditionem Romanā infestabant, Patricium eum Romanorum, & defensorem appellauit, vt Gratianus scribit dist. 63. can. Hadrianus. & can. In Synodo. Neque de ea re dubitari potest; cum & Hadrianus Papa in epistola ad Tarasium Episcopum Constantinopolitanum, Carolum Francorum, & Longobardorum, ducem, Patriciumque Romanorum appellet, & ipse se eisdem nominibus in diplomatib. suis appellare consueuerit.

V. Restat argumentum postremum, quod Illyricus ex quatuor testimonijs texit. Primo loco pag. 45. testimonium petit ab Hermanno Comite Nouæ aquilæ, qui libellum de Francorum origine, & sedibus ad Carolum quintum scripsit, cuius auctoris verba, vt etiam quædam alia aliorum, Illyricus aliquoties repetit, & tanta prolixitate, vt planè metuere libro suo videretur, si paulò tenuior appareret. Deinde pag. 57. addit testimoniū Andreæ Alciati nobilis Iureconsulti. & pag. 58. & 59. adiungit his Gothfridum Viterbiensem, ac Blondum Flauium pag. 60. Quid igitur hæc testimonia valeant, breuiter expendamus.

Hermannum Comitem, & Alciatum, quòd nostro sæculo vixerint, non cogimur magnifacere: præsertim cùm eis plurimos auctores, eosq; antiquissimos, & integerrimos obijcere possimus. Videtur tamen Hermannus, vt etiam Fridericus Imperator, quem ipse citat, nō tam de iure, ac titulo Imperatoris, quàm de possessione Imperij loqui. qua in re ab eo non dissentimus. nec enim affirmamus Leonem Pontificem armis Imperium de manu Græcorum eripuisse, ac deinde sic partum, & acquisitum Carolo donauisse: sed ius ipsum, quod

A Græcus Imperator in prouincias Occidentalis Imperij habebat, nec non titulos, honores, ac dignitates Augustorum, à Leone Pontif. Carolo impertitas asserimus, qua communicatione factum est, vt Carolus, & ea, quæ iam bello sibi pepererat, iusto titulo, vt legimus Imperator possideret: & ius item haberet ad ea recuperanda, quæ Romani Imperatoris antè fuissent. Itaque non pugnat quod Hermannus scribit, Francorum sanguine partum Imperium, cum eo quòd Historici veteres summo consensu tradunt, Imperium à Græcis ad Francos Pontificis auctoritate translatum, si ille de possessione, isti de iure loquuti esse intelligantur. Quod quidem tam perspicuè etiam Alciatus scribit, vt mirari satis non possim, cur hunc auctorem in sentētiam suam Illyricus pertrahere voluerit. Hæc enim sunt Alciati verba, quæ Illyricus producit pag. 57.

B *Igitur*, inquit, *Carolus Maximi hac expeditione apud omnes nationes nomine acquisito, nulli non formidabilis, cùm arma per Germaniam omnem Pannoniasque circumtulisset, & non Italiam tantùm, sed & Illyrici aliquas regiones Græco eripuisset: vt iustum aliquem titulum adepto Imperio prætendere posset, Cæsarem se, & Rom. Imperatorem à Pontifice, populoque Rom. designari procurauit.* Audisne, Illyrice, quid tuus Alciatus dicat? iustum titulum accepisse dicit Carolum à Pontifice populoq; Romano. si autem iustum titulum dare, nihil tibi esse videtur: cur paulò ante dicebas, Italiam à Zenone Imperatore Theodorico Regi fuisse donatam? neque enim Italiam à se expugnatam Zeno tradit Theodorico, sed ius duntaxat expugnandi, & occupan-

C di dedit. Quare quemadmodum (te auctore) Zeno Italiam Theodorico verè donauit, cùm ius ad eam tribuit, quam ille tamen suo labore, & Gothorum sanguine sibi parauit: ita nos patiaris, cum tot suprà citatis auctoribus dicere, Occidentale Imperium à Pontifice Leone Carolo Regi verè esse donatum, cùm iustum titulum tribuerit, licèt possessio armis quærenda, & retinenda fuerit. Vnum tamen hoc loco non est prætereundum, quod Alciatus scribit, à Carolo Imperium procuratum, non modò sine certo auctore, sed etiā repugnantib. plerisq; veterib. auctoribus scribit. Eginarthus enim, Caroli Cancellarius, Conradus Abbas Vrspergensis, Albertus Krantzius, & Ioannes Cuspinianus quos capite secundo, mendacio

D quintodecimo, suprà citauimus, testantur Carolo nihil tale speranti, vel etiam recusanti, Imperium à Pontifice esse delatum. quibus certè auctoribus quin maior fides, quàm vni Alciato, habenda sit, dubiū esse nemini potest.

Sequitur testimonium Gothfridi Viterbiēsis, & Blondi Flauij. Sic igitur Gothfridus: *Carolus, vt fungi statuit diademate mundi, Pontifici is summi manibus decreuit inungi.* Blondus vero: *Otho pater* (inquit) *filium Othonem (rem in Saracenos Græcosque bene gesta, reuersum, consortē Imperij adsciuit, voluitque Imperatorem à Rom. Populo ex prisca consuetudine acclamari, què Pontifex inunctū Imperiali diademate insigniuit.* Ex his testimonijs colligit Illyricus, nihil omninò Pontificē Imperatori cōferre, nisi theatralē & pōpaticā cæremoniā, eamq; nō arbitratu suo, sed

Principis iussu, vel nutu. Ad id non rectè colligi, facilè ex his, quæ diximus, demonstrabitur. non enim Carolus ita fungi statuit (vt Gothfridus loquitur) mundi diademate, vt illud sibi, nullo dante, per se arripere, ac vindicare voluerit. id enim nec ab vllo antiquo scriptore asseritur, & multis apertè repugnat. nec scriptoribus modò, sed etiam moribus, & pietati Caroli Magni repugnare videtur. Itaque non antè Carolus Imperium sibi assumendum statuit, quàm illud sibi à Pontifice Maximo offerri vidit, cum verò etsi initio recusaret, vt veteres auctores scribunt, tandem tamen assensus est, & (vt Gothfridus dicit) tum demùm statuit diadema Cęsareum, & vnctionem Imperialem, de manibus summi Pontificis accipere.

Eadem est ferè Blondi sententia de Imperio secundi Othonis. adscitum enim illum dicit à patre ad consortium Imperij; sed non negat id Pontifice consentiente factum esse. & quod Blondus non negat, quamuis nec afferat, afferit Vitichindus, qui Othonis æqualis fuit. nam lib. 3. de rebus Saxonicis extremo scribit, secũdum Othonem iam anteà inunctum fuisse Regem, & à beato Apostolico designatum Imperatorem. Quapropter Otho senior nullam Pontifici fecit iniuriam, si cum in Imperij societatem assumpsit, quem ab ipso Pontifice successorem designatum acceperat. Sed iam solutis omnibus Illyrici argumentis, & primo illo titulo profligato, quo potissimùm aduersarius nitebatur, minùs erit in confutandis ceteris laborandum.

CAPVT VIII.

Non accepisse Carolum Magnum à Deo immediatè Imperij dignitatem.

ALter erat titulus, Dei solius donum. nã quemadmodum Aaronem in Republica Iudæorum, & Petrum in Ecclesia Christiana non humana electio, sed Dei solius benignitas summos Antistites fecit; & Mosem, Iosue, Othonielem, Gedeonem, Saulem Imperatores, ac Principes solus Deus populo suo dedit: sic etiam fieri potuisset, vt Carolus Magnus sine vlla humana vel ope, vel vi, siue arte, aut industria, solius Dei voluntate ad Imperium vocaretur. Sed eiusmodi titulum Carolo Magno non conuenire, isti omnes auctores docent, quos ca. 4. 5. & 6. suprà citauimus. ac ne ipse quidem Illyricus, si sibi constare velit, id negare potest. dum enim contendit, Carolum iure belli Imperium sibi parasse, & rursus illud idem, successione hæreditaria, donatione Græcorum, & electione Romanorum obtinuisse: simul certè contendit, non accepisse id munus à solo Deo.

Duo tamen sunt loca in eo Illyrici libro, quem refellendum suscepimus, quę satis apertè significant, traditum Imperium Carolo Magno fuisse diuinitus. prior locus est pag. 5. vbi ex eo probat Illyricus, non potuisse Papam transferre Imperium: quia Dei solius est posse dicere, Mea sunt omnia, ego do ea cui volo: ego transfero Regna, ac Monarchias de gente in gentem meo arbitrio. Sed si hoc argumentum aliquid efficeret, efficeret etiam, nul-

A lum omninò Principem electione hominum fieri, & quoniam non solùm Dei solius est Regna transferre, sed etiam non est potestas nisi à Deo, vt Apostolus ait Rom. 13. rursus efficiemus, nec Regem prætori, nec populum magistratui, nec dominum seruis, nec parentem liberis vllam potestatem posse tribuere.

Si quis verò pro Illyrico fortè respondeat, ita esse Deum auctorem primum, ac præcipuũ omnis potestatis, atque ab eo potissimùm ita Imperia omnia, & Regna transferri: vt modò tamen id per se, modò per alios faciat: is quoque pro nobis poterit Illyrico respõdere, Imperium Romanum à Græcis ad Francos, Pontificis auctoritate translatum, à Deo esse translatum. id enim Deus fecit, sed opera Vicarij sui. nam quod Vicarius accepta à Principe auctoritate facit, id etiam Princeps ipse facit.

B Posterior locus est pag. 61. vbi ex, nescio, qua visione Constantini Imperatoris Constantinopolitani, Illyricus probat, diuino mandato Carolum Magnum Imperatorem esse constitutum. Sed indignum est argumentum, cui respondeatur. Primùm enim auctor eius visionis non satis magnam fidem apud homines doctos habere solet. nam etsi vir probus, ac pius fuerit, multa tamen fabulosa operi suo inseruit. Itaque more suo mentitur Illyricus, cùm auctorem hunc antiquissimum, atque ita authenticum esse dicit, vt eius scripta Catholicis, quasi propria adyta, & quasi sacra esse videantur. Deinde ipsa visio (seu vera, seu falsa fuerit) nullam mentionem Imperij facit. hæc enim est summa visionis: *Vincentius li. 24. Speculi ca. 4.* Cùm egeret auxilio aduersus barbaros

C Imperator Constantinus Copronymus, per quietem à Deo monitus est, vt Carolum Regem Francorum adiutorem in eo bello susciperet. Ergo quod Illyricus addit, tum diuino iussu datum esse Carolo Imperium Occidentis à Constantino, figmentum Illyrici est, nisi fortè ipse quoq; in quiete somniũ aliquod vidisse se dicat. Sed fac postremò, & visionem Constantini veram esse, & ea Carolo Imperiũ Occidentis promissum; quid aliud inde colligi posset, quàm id Imperatori Græco à Deo fuisse diuinitus indicatum, quod postea est factum, cùm Carolus Pontificis Maximi auctoritate Imperator Occidentis salutatus est? sic enim & Nabuchodonosor somnio diuinitus immisso didicit Imperium suum ad Persas, &

D Medos, inde ad Græcos, postremò ad Rom. transferendum, nec vllus inde colligit, iussum fuisse à Deo Nabuchodonosor Regem, Regnũ suum cum Persis, & Medis communicare.

CAPVT IX.

Imperium Romanum non venisse ad Carolum iure hæreditario.

TErtius expendendus titulus est, ius successionis hæreditariæ. quo titulo non peruenisse ad Carolum Imperium Romanorum, nemo negare potest, nisi qui aut nimium sit impudens, aut in historijs nihil legerit. siquidem extra controuersiã est, Pipinum, Caroli Magni patrem, ex præfecto, siue magistro aulæ, Regem Francorum dictum esse; idq; Zachariæ, & Stephani Romanorum Pontificum

auctoritate. Auctores nos suprà citauimus, cap. 2. mendacio 19. Imperatorem Romanorum fuisse Pipinũ nemo scripsit. Quare cum ex Pipini patris successione nihil aliud Carolus habere potuerit, nisi quod Pipinus habuit: efficitur profectò, Carolum iure hæreditario non Imperatorem Romanorum, sed Francorum Regem solùm, idque non sine Pontificis Maximi beneficio, in patrem eius anteà collocato, esse potuisse.

Deinde certum exploratumque est, Carolum Magnum, post obitum patris, ab Hadriano Pontifice Patricium Romanorum (quæ est dignitas secunda post Imperatoriam) esse creatum, vt nos suprà demonstrauimus. quis verò sibi persuadeat, Carolum Magnum passurum fuisse, fieri se ex Imperatore Patricium? idem enim fuisset, ac si aliquis hoc tempore in suo regno, aut Prorex, aut Præfectus vrbis, honoris ergò diceretur.

Accedit postremò, fieri nullo modo posse, vt successione hæreditaria Romanum Imperium Carolus Magnus acceperit, nisi falsum sit, quod omnes Historici summa consensione tradunt, fuisse Carolum Magnum, primum Imperatorem ex gente Francorum.

Sed videamus, quid Illyricus contrà proferat. Is igitur Odoacrem Herulum, Theodoricum Gothum, & Clodouæum Francum, Romanos Imperatores fuisse contendit: & quoniam ij Germani, vel certè ex Germania oriundi erant, eorum imperium hæreditaria successione ad Carolum Magnum deuolutum esse colligit, ac primùm pag. 21. 22. 23. 24. & 25. Odoacrem Imperatorem fuisse, sex rationibus probat, quas ego, Deo iuuante, sex mendacia esse demonstrabo.

Affirmat primò à Leone Bessicano, Græco Imperatore, tributum fuisse Odoacri Imperium Occidentis: ita Odoacrem Imperatoris auctoritate Imperatorem legitimè creatum. *Romani* (inquit Illyricus) *seu potius Constantinopolitani Imperatores, sæpius ius Occidentalis Imperij Germanis tradiderunt, quod authenticis historijs, Christo iuuante, contra Papalium adulatorum mendacia probabimus. Prima igitur translatio facta est sub Leone Bessicano Constantinopolitano Imperatore, circa annum 460. in Othacarum, aut Odoacrem, à militibus Romanis, teste Alciato.* Hæc ille. qui etsi non dicat à Leone, sed sub Leone Imperium translatum esse in Odoacrem: necesse tamen est, vt aut velit Leonis authoritate id factum esse, aut ipse non sibi constet. proposuit enim se probaturum, sæpiùs Imperium à Græcis Imperatoribus traditum esse Germanis: & continuò subiungit primam communicationem sub Leone Bessicano esse factam. siue autem Alciatus id scripserit (neque enim vsquam id in Alciato reperire potui) siue non scripserit, falsum est quod hîc asseritur. Cassiodorus enim in Chronico, sub Zenone, qui tertius fuit à Leone Bessicano, scribit Odoacrem Italiæ Regem factum, Leone Bessicano iam defuncto: quod idem scribunt, & cæteri grauiores Historici, vt Beda de sex ætatibus in Zenone, Marcellinus Comes in Chronico, Paulus Diaconus lib. 16. rerum Romanarum, Ado Viennensis in Chronico, Abbas Vrspergensis

A item in Chronico, Otho Frisingensis lib. 4. cap. 30. Ioannes Nauclerus generat 16. Onuphrius in lib. primo de Principibus Romanis: &, quod magis est mirandum, Illyricus ipse Centuria 5. cap. vlt. col. vltima: vt iam eum non solùm mentiri, sed etiam sibi repugnare necesse sit. Itaque falsum est, quod de Leone Bessicano hoc loco scribit Illyricus.

Sed fortè erratum est solùm in nomine, & Zeno Imperator Imperium Odoacri tradidit: quod fecisse Leonem, falsò dictum fuerat. Imò nõ solũ in nomine, sed etiã in re ipsa erratũ est. tantùm enim abest, vt Zeno Imperator Imperium Occidentis Odoacri tradiderit, vt nihil grauiùs tulerit, quàm ab eo Italiam per vim, & tyrannidem occupatã, vt enim Abbas Vrspergensis scribit, Odoacer regnum Italiæ inuito

B Zenone possedit: ac propterea Theodoricum Gothum, cum exercitu ad Italiam Zeno misit, vt inde Odoacrem Tyrannum, atque oppressorem Vrbis, & Italiæ expelleret: quod etiam plerique alij scripserunt, vt Procopius lib. 1. de bello Gothorum, Iornandes in commentario de rebus Geticis, Leonardus Aretinus in primo libro de bello Italico, Paulus Diaconus lib. 16. rerum Romanarum, Blondus Decadis primæ libro 3. Nauclerus generat 26. Freculphus tomo secundo Chronicorum, lib. 5. cap. 18. nec vllum omninò me legisse memini, qui contrà scriberet, præter vnum Illyricum.

Addit 2. Illyricus Odoacrem à militibus Romanis in Monarcham electum, cùm esset

C ipse etiam vnus ex primoribus Ducibus, ac Principibus Romanorum. Sed hîc quoque duo mendacia sunt. nam Historici omnes suprà citati testantur, Odoacrem non alios milites habuisse nisi barbaros, reliquias videlicet exercitus Attilæ Regis Hunnorum: atque ab ijs militibus Regem appellatum, cùm capto Ticino, Romanas legiones ad internecionem deleuisset, scribit Carolus Sigonius lib. 14. de Imperio Occidentali. quod planè congruit cum eo quod scribit Procopius lib. 1. de bello Gothico, Odoacrem non à Romanis, sed à Gothis militibus petijsse vt se Romanum Regem constituerent.

Porrò summa dignitas, quam apud Romanos adeptus est, antequàm Regnum in Italia sibi vindicaret, ea fuit (si Procopio credimus lib. 1.

D de bello Gothorum) vt armiger esset Orestis, magistri militiæ Romanorum. quo circa non Dux, aut Princeps in exercitu Romano, sed famulus vnius ex Ducibus Romanis Odoacer anteà fuerat. Sed placuit Illyrico eum ex armigero Principem facere; & ex ordine seruorum, in ordinem Senatorum mendacio suo prouehere, quamquam eo tempore, quo Rex Italiæ creatus est, nihil omninò commune cum Romanis habebat. discesserat enim iam anteà ex Italia; & in patriam profectus, multitudinem variam barbarorum collegerat, vt cum ea Italiam, dissensionibus Principum laborantem, opprimeret: nec solùm Romani Principis dignitatem eo tempore non habebat, sed neque ciuilem vllum cultum, ac ne indumenta quidem, nisi rusticana, & barbara. siquidem iter facienti Odoacri cum exercitu per Nori-

corum rura (vt scribit Paulus Diaconus in vita Augustuli, & post eum Abbas Vrspergensis in Chronico. S. Seuerinus victoriam in hæc verba predixit; Vade nunc ad Italiam, vade Odoacer, vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis citò plura largiturus.

Tertiam rationem sumit Illyricus ex ambiguis quibusdam verbis Blondi Flauij. Quòd enim Blondus scripsit lib. 2. Decadis primæ, turbinem illum irruptionis Odoacris in Italiam à Romanis ciuibus Augustuli æmulis, suscitatum, sic Illyricus interpretatur, vt primarij Romanorum Odoacrem vocauerint, ac Romanum Imperatorem contra Augustulum, appellauerint. atque addit, non defuisse graues causas creandi noui Imperatoris, & suscipiendi arma contra Augustulum. Sed hæc interpretatio cum ipso Blondo pugnat. Blondus enim in eodem libro non modò non meminit illius expeditionis Romanorum pro Odoacre aduersùs Augustulum; sed etiã disertis verbis testatur, nullum nouum Imperatorem post Augustulum esse creatum à Romanis, sed in Augustulo perijsse, atque omninò exstinctum fuisse Occidentale Imperium; Odoacrem verò non Romanorum Imperatorem, sed Italiæ duntaxat Regem fuisse. Itaq; verba illa Blondi de turbine irruptionis Odoacris ab æmulis Augustuli suscitato, si cum alijs Blondi, ac cæterorum Historicorum sententijs consentire debent, nihil aliud significare possunt, quàm ex mutuis odijs, & contentionibus Principum Romanorum, quibus ad extremam debilitatem Imperium Occidẽtale paulatim peruenerat, occasionem accepisse Odoacrem Italiam occupandi. Quod planiùs loco paulò antè notato his verbis Sigonius explicauit: Odoacer fama rerum, quæ seditiosè gererentur in Italia percitus, vehementiùs ad illius cupiditatem exarsit, animum verò eius incendit, ac propè certa victoriæ fiducia incitauit ipse Imperator Momyllus, cuius in tanta populorum dissensione infirmissimas opes esse comperiebat.

Quarta Illyrici ratio similis est superiori. Nam quia Blondus Flauius lib. 3. Decadis primæ, scriptum reliquit, Odoacrem à Romano populo summis honoribus affectum; inde ipse colligit, Odoacrem à Romano populo Imperatorem sine dubio salutatum. Qui poterant (inquit) alij esse isti summi honores à populo tam cupidè oblati Odoacri, nisi Imperium, de quo nunc prior Imperator victus nouo victorique cedebat? Sed non est cur in hoc argumento diluendo diutiùs hæreamus: explicat enim eodem loco Blondus, qui fuerint summi illi honores, dum ait: Odoacrem ab vniuerso populo Regem Italiæ salutatum, & in Capitolium, tamquam Vrbis dominum, festiuis acclamationibus deductum. deinde quidquid ei honoris Populus, aut Senatus obtulerit, Imperatoris certè titulum Odoacer numquam admisit. siue enim verecundia Augustalis maiestatis, vt quidam volunt, permotus fuerit: siue barbara superbia euersi potiùs quàm parti Imperij gloriam maluerit: illud ex Mariano Scoto, & Aurelio Cassiodoro in Chronico constat, solo cum Regio nomine contentum, purpura, & diademate, alijsque regalibus insignibus perpetuò caruisse.

Ex quo soluitur etiam quintum Illyrici argumentum, quod ex iure belli depromptum est. id enim ius belli postulare videtur, vt victoris fiant, quæ is, qui victus est, anteà possidebat. Sed præterquàm quòd Odoacer, vt suprà dictum est, solo Italiæ regno contentus, ad ius vniuersi Imperij, & Augustalem dignitatem, minimè aspirauit: non ius, sed iniustitia belli dicenda est, cùm quis alienam prouinciam, nulla iniuria prouocatus, sola regnandi cupiditate inuadit: quod Odoacrem fecisse Procopius scribit libro 1. de bello Gothico. Hoc pacto (inquit) sibi tyrannidem cùm comparasset, ad decimum annum tyrannidem stabiliuit. neque à Procopio scriptores cæteri dissentiunt.

Sextum denique, ac potissimum argumentum Illyricus ducit ex Augustali abdicatione. Quoniam enim Odoacre Italiam inuadente, Augustulus Imperator sponte purpuram abiecit, atq; ab Odoacre vita donatus est, ratiocinatur Illyricus Augustulũ Imperatorẽ Imperiũ suum Odoacri pacificè tradidisse: *Non est dubitandum* (inquit Illyricus) *quin id ipsemet Regi Odoacri renunciauerit, vt sibi modò vitam largiretur.* At leuior coniectura est, quàm vt opponi possit tot Historicorum testimonijs, qui in Augustulo Occidentale Imperium defecisse constanter affirmant. nec enim in Augustulo defecisset, si Odoacrem successorem Augustulus habuisset. quia verò eodem in loco bis mentitur Illyricus, cùm ait, Italicos scriptores solos tunc scripsisse, & ex inuidentia inter Imperatores Romanorum Odoacrem numerare noluisse: adscribere hîc operæ pretium duxi testimonia Germanorum, qui cum Italicis in hac re describenda mirificè consentiunt.

Iornandes Gothus ante omnes Italicos de hac re scripsit, cùm Iustiniani tẽpore floruerit ante annos 1000. is igitur sic loquitur in lib. de rebus Geticis, Odoacer (inquit) Turcillingorum Rex habens secum Scyros, Herulos diuersarum gentium auxiliarios, Italiam occupauit: & Oreste interfecto, Augustulum filium eius de regno pulsum, in Lucullo Campaniæ Castello exilij pœna damnauit. Sic quoque Hesperium Romanæ gentis Imperium, quod 709. Vrbis conditæ anno primus Augustorum obtinuit Octauianus, cum hoc Augustulo perijt, anno decessorum, prædecessorumve regni 522. Quod idem repetit in libro de regnorum, ac temporum successione.

Idem tradit, ac propè verbis ijsdem, Freculphus Lexouiensis tomo 2. Chronicorum lib. 5. cap. 17. qui auctor, cùm tempore Ludouici Pij ante annos ferè 800. vixerit, sine dubio plerosque Italicos scriptores antecessit. Id ipsum testantur Otho Frisingensis libro 4. Historicæ capite 31. & Conradus Abbas Vrspergensis in Chronico, cuius verba (quia diligentissimè annorum numerum continent) hîc adscribam: *Augustulus*, inquit. *sponte purpuram abiecit, & Imperialem maiestatem deposuit. Ita Romanum Imperium toto orbe venerandum, & Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octauiano* 709.

à condita Vrbe anno cœpit, in hoc Augustulo perijt, anno ab Vrbe condita 1227. à Cæsare verò, qui primus singularem in ea principatum arripuit, anno 524. ab Incarnatione Domini anno 477. Hæc ille. Consentiunt Ioann. Nauclerus generat. 16. & Albertus Krantzius lib. 1. Vandaliæ cap. 35. qui Imperium in Occidente ab Augustulo vsque ad Carolum magnum annis plusquàm trecentis vacasse scribunt. Quid igitur Illyricus somniabat, cùm scriberet solos Italicos tunc scripsisse, & ex inuidentia Odoacrem Imperatorem appellare noluisse? Sed Martinus Polonus (inquit Illyricus) contraria disertis verbis scribit. sic enim ait, Augustulus cùm videret Odeneum (vt ipse eum nominat) interfecto suo patre Oreste, iam totam Italiam tenere, sponte ei, exuens purpuram, de Imperio cessit. At non rectè legisti, aut de industria, more tuo, Illyrice, peruertisti veba Martini. Ille enim Conradum (vt videtur) sequutus, sic ad verbum scribit: Augustulus sponte purpuram abijciens, Imperialem deposuit maiestatem. Abiecit igitur, ac deposuit Imperium Augustulus: sed neque ipse illud Odoacri tradidit; neque Odoacer, vt iam satis perspicuè à nobis est demonstratum, assumpsit.

Sed fac si placet, Odoacrem Imperatorem Romanorum fuisse, adde etiam, ab exercitu dictum, à Senatu, & Populo confirmatum; atque (vt nihil desit) voluntas quoque Græci Imperatoris accesserit: quid hæc ad Carolū Magnū? Odoacer Herulus fuit, Carolus Francus. qua igitur lege hic illius hæres constituitur? Odoacer paulò pòst quàm Italiā occupasset, à Theodorico Rege Gothorum, & vita, & regno spoliatus est. qua ratione igitur amissam hæreditatem ad posteros transmisit? Odoacer Carolum annis trecentis, & triginta circiter antecessit, atque interim Italia dominos sæpe mutauit Gothos, Græcos, Longobardos. quis igitur post tot sæcula, totque rerum mutationes, Odoacris hæreditatem integram Carolo repræsentauit? Ad Germanos (inquit Illyricus) Imperium pertinet: Odoacer enim Herulus fuit, proinde Germanus. at cùm tam Heruli quàm Franci, Germani sint; cur ad Francos potiùs, quàm ad Herulos Imperium delatum est? Deinde Odoacer fuit Germanus: ita Seuerus, Africanus, Heliogabalus Syrus, Maximus Thrax, Philippus Arabs, Decius Pannonius, Claudius iunior, Illyricus, Diocletianus Dalmata, Theodosius Hispanus, atque, vt alias nationes omittā, quæ Imperatores Romano populo dederūt, Iulius, Octauius, Tiberius, Caius, & cæteri quā plurimi, Itali fuerunt. quo iure igitur propter vnum Odoacrē Imperium ad Germanos pertinebit: propter alios tam multos ad alias nationes, atque ad Italicam præcipuè, non pertinebit? quare non necessariò ad eam nationem Imperium pertinet, ex qua eligitur Imperator. Quòd verò post tempora Caroli Magni sola Germania sedes Imperij facta sit, non virtus Odoacris, neque Imperij ratio, ac natura, sed solius Apostolicæ Sedis auctoritas fecit.

Atque hactenus de Odoacre, nunc de Theodorico, & Clodoueo faciliùs explicabimus. eadem enim ferè horum, atque illius est ratio. Igitur à p. 26. vsque ad 35. de Theodorico Rege Gothorum scribit, ac docet, eum quoque Romanum Imperatorem fuisse, & per eum ad Carolum Magnum, quod vterque Germanus esset, Imperium hæreditario iure peruenisse. *Secunda* (inquit) *translatio aut communicatio Imperij erga Germanos, facta est à Zenone Imperatore Constantinopolitano, qui de consensu totius Senatus Imperialis adoptauit sibi Theodoricum Gothorum Regem, qui sine controuersia Germanus fuit, eiq; Romam, Italiam, & totum Occidentale Imperium largitus est.* Hic primùm dicere possemus, quod de Odoacre diximus: quid Carolo, Theodorico, cùm ille Francus, iste Gothus fuerit? & rursus Theodorici successores à Iustiniano Imperatore Italia pulsi profligatiq; fuerint, atque adeò Imperium Theodorici (si hoc nomine appellari debet) penitus interierit: quod est illud Imperium, quod à Theodorico ad Carolum hæreditario iure peruenit? Sed hæc omitto, ne aduersarium imitari videar, qui ijsdem sæpiùs iterandis, incredibili tædio lectorem suum fatigat.

Id vnum hoc loco statuo, Theodoricum à Zenone sibi filium adoptatum, Consulemque ordinarium, & Regem Italiæ dictum, non tamen Imperatorem, & Augustum appellatum; proinde Regem Imperio subiectum, non collegam, & consortem Imperij ab Augusto assumptum, Theodoricum fuisse. Ita verò se rem habere testantur Historici penè omnes, qui ab Augustulo vsque ad Carolum Occidentis Imperium vacasse scribunt. testantur quotquot nomina, tempora, numeros Imperatorum edidêre. Siquidem in tanto numero Chronologorum, neque vnus reperitur: qui Theodoricum in Imperatorum Romanorum seriem, & numerum retulerit: ac ne ipse quidem Cassiodorus, qui Theodorici Cancellarius erat, & in Chronico suo Imperatores, & Consules Romanos accuratissimè descripsit. testatur ipse Theodoricus, qui in tot epistolis, quas scripsit, quæque apud Cassiodorum exstant, nunquam se Cæsarem, nunquam Augustum, nunquam Imperatorem vocat. testatur Procopius, qui lib. 1. de bello Gothico, Theodoricus (inquit) Romani Imperatoris, nec insignia, nec nomen sibi desumpsit, sed quoad vixit, Rex est appellatus, quo nomine suos barbari nuncupant duces. Testatur denique ipsemet noster aduersarius Illyricus. Sic enim scribit Centur. 6. cap. 16. col. 840. *Theodoricus* (inquit) *Romani Imperatoris, nec insignia quidem, nec nomen sibi vendicauit: sed Rex est appellatus, sicut barbari Duces vocare solent.* Ac, ne fortè soli sibi non crederemus, idem confirmauit ex Ioan. Cuspiniano. quod sanè Illyrici testimonium satis esse deberet, nisi cum homine ageremus, qui modò ait, modò negat. Subiectum verò Imperatori Regem Theodoricum fuisse testatur in primis ipsa adoptio, cuius meminêre plerique Historici; Iornandes de rebus Gothicis, Procopius lib. de bello Gothico, Abbas Vrspergensis in Chronico, & alij. Siquidem propterea Imperator Zeno Theodoricum Italiæ regno donatum, sibi filium adoptauit, vt subiectionis, atque obedientiæ memor esset, quam Imperatori Rex, & patri filius deberet. testatur deinde Theodoricus ipse; qui, Iornande in lib.

Romanum Pontificem pertinere, cui B. Petri meritum, Domini iussio, & Conciliorum auctoritas, singularem tradidissent in Ecclesijs potestatem, nec vnquam tantæ sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio: tum verò Rex ipsum quoque Papam in congreganda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse significauit, quas etiam literas, Episcopis postulantibus, continuò exhiberi præcepit: ac demum legatis concilij ad se venientibus ait, in Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reuerentiam, de Ecclesiasticis negotijs pertinere. Hæc ille tum, cùm, Historicorum omnium consensu, regijs virtutibus mirificè floreret. Sed cùm posteà sub extremum vitæ suæ tempus, moderatum regimen in apertam tyrannidem commutasset, (quod ne ipse quidem Olaus Gothus libro suprà citato negat) id fecit in Ioannem Pontificem, quod tyranni, atque hæretici solent: quodque ante illum Nero Domitianus, Decius, Maxentius, Constantius in sanctos sui temporis Pontifices, & martyres fecerant.

Iam verò quod Illyricus nugatur de nominibus Imperatoris, & Regis, ea solere confundi: proinde in idem recidere, siue quis Rex Italiæ, siue Romanus Imperator dicatur: leuius est, quàm vt longa refutatione indigeat. Etsi enim ante Iulij, & Augusti tempora Regium nomen Imperatorio maius, ac venerabilius erat: tamen post constitutam Cæsarum Monarchiam, nihil in terris augustius esse cœpit nomine Imperatoris. Itaque cùm aliquando Caius Imperator de nomine, ac diademate regio assumendo cogitaret, admonitus est, inquit Tranquillus, se, quòd Imperator Romanorum esset, Principum, ac Regum excessisse fastigia, ac licèt posterioribus temporibus Imperatores Græci, & Germani Regio nomine interdum vsi fuerint: numquam tamen qui solùm essent Reges, Imperatorium nomen vsurparunt. id quod in Epistolis Theodorici, Athalarici, & Theodahati Italiæ Regum, ad Imperatores Anastasium, & Iustinianum, apud Cassiodorum perspicuè cernitur. numquam enim in tot epistolis nomina (quæ promiscua esse Illyricus contendit) ita commutantur, vt Iustinianus, vel Anastasius Rex Theodoricus, vel Theodahatus Imperator appelletur. Ipse etiam Carolus Magnus Imperator, filium suum Pipinum, deinde eo mortuo, Bernardum nepotem, Italiæ Regem fecit, atque ad eundem modum longo tempore Rex Italiæ, non Imperator, sed Princeps Imperio subiectus fuit. ex quo manifestè colligitur, non esse idem, Regem Italiæ, & Imperatorem Romanorum. Deinde Lupoldus, quem imprudenter Illyricus pro se citat, cùm contrà ipsum maximè faciat, in libro de Iuribus Imperij, cap. 5. testatur, Henricum 2. non se Imperatorem, sed Regem dumtaxat appellasse ante coronationem, quod idem de alijs etiam Imperatoribus, ex antiquis Historicis nullo negotio demonstrare possemus.

Venit postremò Illyricus ad Clodoueum; atque eius hæreditate Imperium ad Carolum

A peruenisse his verbis docet pag. trigesima quinta, & sequentibus: *Tertia communicatio Imperij Germanis facta est paulò pòst præcedentem ab Anastasio Imperatore Constantinopolitano, qui de vnanimi consensu totius Senatus, aut Principum, largitus est Augustale nomen, ac dignitatem Clodoueo Regi Francorum, qui primus ex illis Regibus baptizatus est. quare dignitas Imperialis semel Regibus Francorum donata, necessariò etiam ad posteros per ordinem successionis permanauit, atque ita etiam ad Carolum Magnum idem ius peruenit. quòd autem Anastasius Imperator Augusti nomen, ac dignitatem communicauerit Clodoueo, & Francorum Regibus, ex hisce sequentibus prorsus authenticis testimonijs liquidò patet, vbi clarè tum Augusti, tum & Imperatoris nomen legis illis à Constantinopolitano Cæsare communicatum esse.* Et in-

B trà post recitatâ ad id probandum testimonia Gregorij Turonici, Adonis, Hannonis, Iuonis, Sigeberti, Sabellici, & Bergomensis, ita subiungit: *Quare id decus eodem iure etiam ad Carolum Magnum vnà cum reliquis Franciæ Monarchiæ insignibus peruenit, non ex donatione Papæ.* Hæc ille.

Ego verò in hac breui narratione quatuor mendacia inesse video. Primùm enim, quòd Illyricus dicit à septem illis suprà nominatis scriptoribus memoriæ proditum, id esse falsum ipsi ijdem auctores docent. siquidem Cõsulatus, vel Principatus insignia Clodoueo donata ab Anastasio, omnes illi auctores testantur: Augustalem dignitatem, vel appellationem soli posteriores. Addunt quidem Turonicus, Ado, & quidam alij, post acceptâ

C Consulatus insignia appellatum Clodoueum etiam Augustum: sed à Francis, non à Romanis additam fuisse eam appellationem testatur Blondus libr. 3. Decad. 1. & Albertus Krantzius lib. 3. Suetiæ, cap. 17. nec à vero aberrant. Hæc enim sunt Gregorij verba lib. 2. Histor Francorum, cap. 38. *Igitur ab Anastasio Imperatore codicillos de consulatu accepit.* Et infrà: *Ab ea die tanquam Consul, & Augustus est vocitatus.*

Ado vero sic loquitur in Chronico ætate 6. Hic Anastasius codicillos Clodoueo Regi pro Consulatu misit, ab eo die, & Consul, & Augustus est appellatus. Hanno lib. 1. Chronicorum; Legationem (inquit) suscepit Anastasij Constantinopolitani Principis, munera epistolasque ei mittentis; in quibus literis hoc con-

D tinebatur, quòd complacuerit sibi, & Senatoribus, eum esse amicum Imperatorum, Patriciumque Romanum. His ille perlectis Consulari trabea insignitus, ascenso equo, in atrio, quod inter basilicam sancti Martini, & Ciuitatem situm erat, largissima populo contulit munera ab illa die Consul, & Augustus meruit nuncupari. Sigebertus in Chronico. Clodoueus Rex ab Anastasio Imperatore codicillos de Consulatu, & coronam auream cum gemmis, & tunicam blacteam accepit. & ex ea de Consul, & Augustus est appellatus. Ipse verò Rex coronam auream cum gemmis Romam sancto Petro misit.

Itaque vides quàm apertè auctores isti antiquiores distinguant Consulatus insignia, quæ Clodoueus ab Imperatore accepit, à nomine Augusti, quo illum posteà appellatum

in Francia scribunt. Porrò Historici cæteri etiam ij, qui Francis maximè fauent, Consulatum duntaxat, & patriciatum Clodoueo donatum scribunt, nulla Imperialis nominis facta mentione. Vide Rheginonem lib. 1. Chronici, Othonem Frisingensem lib. 5. cap. 2. Abbatem Vrspergensem in Chronico, Robertum Gaguinum, & Paulum AEmilium in vita Clodouei, ac demum Albertum Krantzium libro tertio Sueciæ, capite decimoseptimo.

Deinde mentitur rursus Illyricus, cùm ait, ipsum Imperium Romanum communicatum fuisse cum Clodoueo ab Anastasio Imperatore: nihil enim ille Clodoueo dedit, præter titulos, & insignia: nam nec Consulatum ipsum, cuius ferè omnes meminerunt, re ipsa Clodoueus gessit, sed solo nomine Consulis donatus, solo nomine fuit contentus. Id testantur quotquot Fastos Consulares literis mandauerunt, Cassiodorus, Marianus Scotus, Gregorius Haloander, Onuphrius, Mercator, & cæteri. nullus enim Clodoueum Regem inter Consules numerauit. Anno verò Domini 510. quo iuxta Chronicum Francicum Ioann. Tilij, Clodoueus Consulis nomine, & insignibus donatus est, Consules veri fuerunt Anastasius, & Venantius, si Holoandrum sequimur: vel Eutharicus, & Boëtius, si Onuphriū. Quamobrem nisi tres eo anno Consules fuerint, quod est planè inauditum, Clodoueus Consul non fuit. Quod etiam de Imperio dici posset. quòd enim nullus Historicus, aut Chronologus Clodouæum inter Imperatores Romanos vmquam retulerit, argumento est, eum Imperatorem Romanum re ipsa non fuisse, quidquid de nomine, & insignibus fuerit.

Tertium Illyrici mendacium in ea sententia est, cùm nomina, & insignia Clodouæo ab Imperatore collata, ad posteros eius pertinere contendit, atque inde iure hæreditario ad Carolum peruenisse. Nam cùm post obitum Clodouæi nullus omninò ex Francorum Regibus Consul, aut Patricius, nedum Imperator. & Augustus ante Carolum Magnum, aut se ipse appellauerit, aut ab alijs fuerit appellatus, mirùm est, vnde Illyricus colligere potuerit, munus illud Anastasij, non proprium Clodouæi, sed cùm omnibus Regibus Francorum fuisse commune. Deinde cum inter Clodouæum, & Carolum trecenti anni circiter intercesserint: qua ratione, quæso, id potuit Carolus à Clodouæo hæreditaria successione accipere, quòd intermedij Reges numquam habuerunt?

Postremum, idque certissimum, crassissimumque mendacium est, Clodouæi Monarchiam ad Carolum Magnum sine Romani Pontificis authoritate, successione hæreditaria peruenisse. Quis enim Historicorum tacuit, Carolum Magnum Pipino patri successisse: Pipinum autem non iure hæreditario, sed Pontificis Maximi sanctione, Regnum Francorum adeptum, cùm anteà in Hilderici Regno, Præfecti aulę munere fungeretur? testimonia suprà citata sunt cap. 2. mendacio 10. ac ne vnum quidem scriptorem contrà Illyricus proferre potuit, aut vmquam potuisset. siquidem id Historici omnes summa consensione, & quasi vna

A voce testantur. Cùm igitur Pipinus, non iure hæreditario, sed Papæ beneficio (vt loquitur Ioann. Tillius in Chronico Francico) regnum Galliæ obtinuerit: certè eidem Pontifici Carolus Magnus Pipini filius idem regnum acceptum referre debet. adde quòd etsi solùm Pipinum S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus inunxit, postea tamen Stephanus Papa in Gallias veniens, Pipinum simul, & filios eius, Carolum Magnum, & Carolomannum, Reges Francorum inunxit, ijsq; perpetuò possidendum confirmauit, vt ijdem Historici testantur. Mentitur igitur Illyricus, cùm ait, Carolo Magno sine Pontificis auctoritate Monarchiam Clodouæi esse delatam.

CAPVT X.

B *Non accepisse Carolum Magnum Imperij dignitatem auctore Senatu, populove Romano.*

QVartus erat titulus, Beneficium S. P. Q. R. Illyricus enim, vt nihil intactum relinqueret, tametsi aliquoties in suo libro significauerit, nihil à Senatu, populóve Romano Carolum accepisse: tamen obiecit etiam aliquot auctores, qui populo, ac Senatui potiùs, quàm Pontifici Imperium à Germanis acceptum referri debere scripserint. hi sunt Sigebertus, Blondus, Leopoldus, AEneas, Vincentius, & Onuphrius, quorum sententias sic refert Illyricus pag. 7. 55. & 56. vt licèt non omninò eas recipiat, tamen probabiliores existimet ijs, quæ trāslationem Imperij Romano Pontifici tribuunt. At nos in primis ijs auctoribus,
C quos testes producit Illyricus, opponere possumus illos omnes, quos suprà citauimus, hoc est, plures paucioribus, & antiquiores recentioribus. illi enim supra triginta erant: isti sex, illorum nonnulli scripserant ipso Carolo viuente: multi non diu posteà, ex istis autem vnus Sigebertus trecentis annis Carolo posterior fuit: reliqui quingentis, aut sexcentis, aut etiam septingentis, & eo ampliùs annis posteriores fuerunt. quis igitur non videat vtri maiorem fidem mereantur, quos nos citauimus, an quos Illyricus citat?

Neque tamen concedimus sex istos scriptores omninò esse à nostra sententia alienos. nam Sigebertus, qui eorum est vetustissimus, & qui Sigebertum sequutus est Vincentius Beluacensis, nihil tribuit Romano populo in Imperij translatione præter assensum, & acclama-
D tionem. Hęc enim sunt verba Sigeberti, & Vincentij: Romani, qui ab Imperatore Constantinopolitano iamdiu animo desciuerant, nunc accepta occasionis opportunitate, quia mulier, excæcato Imperatore Constantino filio suo, eis imperabat, vno omnium consensu Carolo Regi Imperatorias laudes acclamant, eumque per manus Leonis Papæ coronant, Cæsarem, & Augustum appellant: Pipinum verò filium eius Regem Italiæ ordinatum collaudant. Hîc nullam Plebisciti, nullam Senatusconsulti mentionem fieri audio, sed solius laudis, & acclamationis, & quamquam non apertè Sigebertus explicet, vtrùm populi acclamatio coronationem, an coronatio acclamationem præcesserit: tamen dubium esse nemini debet, quin coronationem Pontificiam præ-

cessisse

A cessisse Sigebertus intellexerit. alioqui enim pugnaret cum omnibus historicis, qui ante ipsum de eadem coronatione, & acclamatione scripserunt.

Quòd verò Sigebertus ait, à populo Carolum per manus Leonis coronatum, non rectè interpretatur Illyricus, Leonem vt ministrum, ac delegatum populi, coronam imperialem Carolo imposuisse: cùm potiùs ea verba significent, sic placuisse populo id, quod Princeps eorum, & Pastor summus fecit, ac si ipsi per manus eius id fecissent. quod quidem ex sequentibus verbis illustrari potest. Nam de Pipino, quem ex consensu omnium Historicorum Leo Papa, tum Regem Italiæ declarauit, cùm ipsum Carolum Imperatorem fecit, sic loquitur Sigebertus: Pipinum verò filium eius, Regem Italiæ ordinatum collaudant. Vbi vides ordina- B tionem Regis, Pontifici, laudationem, quæ sequuta est, populo tribui.

Iam verò Blondus nihil omninò sententiæ nostræ officit. nam (vt notauimus cap. 3.) etsi scitum populi Romani in coronatione Caroli non defuisse scribat, tamen id contra fidem antiquorum tradit. ac præterea non significat eiusmodi plebiscito Imperatorem Carolum appellatum, sed eum ad Imperium à Pontifice Maximo postulatum. nam, ibidem Blondus ait, precibus populi Romani Leo Pontifex Carolum Imperatorem dixit.

Porrò Lupoldus non meminit plebiscìti, aut senatusconsulti, sed solùm recitat cap. 3. extrema verba Vincentij, quæ sunt illa, quæ habet Sigebertus, de quibus iam diximus, ex propria autem sententia passim Lupoldus repetit trans- C lationem factam esse per Pontificem, ac præter alia sic ait c. 4. de Iuribus Imperij: *Leo Papa, cōsideratis omnibus, quæ dignè, ac benè sufficiebant pro translatione Imperij de Imperatoribus Constantinopolitanis ad Reges Francorum faciendâ, ipsum Carolum Romæ in Ecclesia S. Petri in die Natalis Domini, sub anno eiusdem Domini 801. acclamante ac petente populo Romano vnxit, & coronauit Imperatorem, & Augustum, per quas vnctionem, & coronationem dicta translatio peracta fuit: vt etiam dixi suprà capitulo primo, & capitulo præcedenti in fine.* Et intrà ca. 12. proponit opinionem quorūdam, qui dicebant, populum Romanum posse leges condere, & Imperium transferre. deinde subiungit: *Sed hæc responsio, saluo meliori iudicio, mihi non placet. ex quo enim Imperium Romanorū* D *tempore dictæ translationis, & etiam lōgo tempore ante ipsam, non fuit apud Romanos, sed potiùs apud Græcos: nec etiam hodie apud Romanos, sed apud Germanos existit: non occurrit ratio, quare populus Romanus tempore translationis prædictæ habuerit, vel etiam hodie habeat maiorem potestatem circa translationem Imperij, quàm quicumque alius populus Imperio Romano subiectus.* hæc ille.

Videtur igitur Illyricus, qua fide auctores citet. certè Lupoldus non poterat clariùs negare, id quod ab eo affirmari Illyricus scripsit. De Æneâ Syluio facilis responsio est. nam & in ijs verbis, quæ Illyricus citat (quæ tamen, vt verū fatear, adhuc in operibus Æneæ inuenire non potui) non excluditur consensus Romani Pōtificis. & in abbreuiatione Blondi lib. 1. decadis 2. precibus Romanorum scribit idem Æneas à Leone Pontifice Carolum coronatum: & denique in epistola ad Regem Turcorum, quam suprà citauimus, disertis verbis idem auctor affirmat, à Pontificibus, prædecessoribus suis (fuit enim & ipse Summus Pontifex) in Reges Francorum Imperium esse translatum.

Solus igitur Onuphrius est, quem pro se Illyricus allegare potest. cuius testimonium tribus rationibus non modò infirmari, sed omninò refelli, ac profligari potest. Primum, constat aliquando Imperatores inuito, ac repugnāte populo Romano, creatos fuisse, quos tamen veros, ac legitimos Imperatores cùm ipse Illyricus, tum etiam Historici omnes agnoscunt. Exemplo esse potest Fridericus primus, quem, repugnante populo Romano, coronauit Romę in templo sancti Petri Adrianus Papa Quartus. quam Historiam vide apud Othonem Frisingensem lib. 2. de rebus gestis Friderici, cap. 22. Deinde cùm Historici vetustissimi, tum Latini, vt Eginarthus, Paulus Diaconus, Aimoinus, Ado, Rhegino, & ceteri: tum Græci, vt Cedrenus, & Zonaras, in describenda translatione Imperij, aut nullum populi atque Senatus mentionem fecerint: aut ei solam acclamationem, Carolo iam coronato, tribuerint: vnde, quæso, post octingentos fermè annos Onuphrius S.P.Q.R. suffragijs Carolum Magnum Imperatorem, & Augustum appellatum?

At credibile est ita rem accidisse: ita enim fieri decuit. Respondebo, quod Onuphrius ipse rectè monuit in libro de Comitijs Imperatorijs, non esse fidelis Historici rem describere vt fieri debuisset, sed vt facta est. alioqui enim nō res gestæ scribuntur, sed mendacia obtruduntur. Quid autem factum sit, non ex Philosophiæ promptuarijs hauriendum est, sed ex eorum narratione, ac fide, qui interfuerunt: vel qui ab ijs, qui interfuerunt, acceperunt: aut certè qui aliorum testimonio sibi commendata, literis ac memoriæ tradiderunt. Deinde Romani Principes post constitutam à Iulio, & Augusto Monarchiam, aut ab alio Principe nominabātur, aut ab exercitu creabantur, quos Senatus, aut populus creauit, ij, & paucissimi fuere, & non diu tolerati. Certè in tanto numero Principum Romanorum, tres tantùm Onuphrius in libro de Comitijs Imperatorijs nominat à Senatu electos, Neruam, Maximum cum Balbino, & Tacitum: Neruam à Senatu creatū, Dion Cassius, quem solùm Onuphrius citat, non dicit: Aurelius Victor arbitrio legionum (quamquam id non in omnibus codicibus haberi animaduerti) Neruam Imperatorem factum scripsit. Eutropius libro octauo fauore Præfecti prætorio Neruæ delatum Imperium testatur. ipse quoque Onuphrius sic à Senatu Neruam creatum Imperatorem scripsit, vt non negauerit accepisse etiam suffragium militum prætorianorum, sine quo videlicet irrita fuisset electio. Maximus & Balbinus inuito exercitu lecti, prima data occasione à militibus interfecti sunt. siquidem (vt scribit Herodianus libro octauo) indignabantur milites sibi à Senatu Principes datos, quos & Senatorios Imperatores per ludibrium appellabant.

Tacitus à Senatu quidem dictus est, sed militibus iubentibus: vt Flauius Vopiscus scribit in eius vita: senatus enim ad milites Imperatoris electionem reijciebat, probe intelligens, non placiturum militibus Principem, quem ipsi nō elegissent. Itaque rectè S. Hieronymus in epist. 85. ad Euagrium, Imperatorem ab exercitu creari dicit.

Cum igitur hæc fuerit apud Romanos elegendi Principis ratio, multorum seculorum consuetudine roborata, quis credat post annos 800. Romanum Senatum, aut populum, quando nullius ferme auctoritatis erat, id fuisse ausurum in electione Principis, quod ante, cum floreret, minime audebat? Quare consultius fecit Ioannes Auentinus, quem Illyricus, & Onuphrius præter ceteros laudant; is enim cū Senatusconsultum, & Plebiscitum in Imperij translatione omnino habere vellet: & tamen non auderet contra fidem omnium veterum id asserere, tacitus Senatusconsultum, & Plebiscitum factum fuisse scribit, & primas partes eius actioni Pontifici Romano attribuit. Sic enim loquitur lib. 4. Annalium Boiorum: *Pontifex, Senatus, populusque Romanus Imperium transferre iure suo in Germanos, Carolumque tacito Senatusconsulto, Plebiscitoque decernunt.* Nimirum sic interpretari voluit hic auctor acclamationem populi Romani, Carolo à Pontifice coronato. de qua veteres loquuntur, vt videlicet illa acclamatio quoddam veluti Plebiscitū fuisse videretur. Sed de his satis. nam neque aduersarius (vt supra diximus) hunc Imperij titulum agnoscit.

CAPVT XI.

Non deuenisse ad Germanos Imperium donatione Græcorum.

Restat postremus titulus, Principis Orientalis donatio, siue cōmunicatio. quem titulum Illyricus non solum agnoscit, sed etiam pro viribus defendere nititur. tot vero fraudibus, & mendacijs, in hac vna re explicanda vtitur, vt mirum sit, si non ipse sibi apud sanos lectores existimationem, fidemque detraxerit.

Nobis autem ad hunc titulum explodendum duplex via, eaque expeditissima, sese offert. Primum enim Historici, tum veteres, tum recentiores scribunt, Græcos Imperatores, cum primum ad eos fama perlata est coronationis Caroli, vehementer commotos, atque indignatos fuisse. quod sane argumentum est euidens, Imperium Carolo non esse Græcorum donatione tributum. Sed verba Historicorum audiamus. Eginarthus, Caroli Magni (vt supra diximus) Cancellarius in vita eiusdem Caroli, postea quam exposuit coronationem, ita subiecit: Inuidiam suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longè præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epistolis fratres eos appellando. Sigebertus in Chronico anni 805. & Conradus, Abbas Vrspergensis in Chronico, vbi refert compendio res gestas Caroli, ijsdem fere verbis indignationem Imperatorū Græcorum describunt. quos sequutus Albertus Krantzius lib. 2. Saxoniæ, cap. 8. ita scripsit: Inuidiam suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus non dissimulantibus, magna superauit pecunia: vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua Græculis multum præstabat.

Deinde ex historijs constat, Græcos Imperatores agnouisse tandem, vel inuitos Imperiū Caroli, sed non antequam is à Pontifice Imperator appellatus, & Augustali diademate insignitus est. vt non nisi impudentissimo mendacio Illyricus scribere potuerit pag. 48. & 51. multis annis ante Caroli coronationem cōcessum eidem Carolo fuisse Imperium Occidentis ab Imperatore Græco.

Exstant Annales Francorum accuratissimi, ipso Caroli tempore conscripti. In his anno Domini 798. ponitur prima legatio Irenes Imperatricis ad Carolum nondum Imperatorem, qua legatione non Imperii communicatio tractata est, sed restitutio captiuorum. Deinde anno 801. adscribitur Caroli coronatio, Romæ facta à Pontifice Leone. Tum anno 802. qui fuit vltimus Irenes, narratur alia legatio eiusdem Irenes ad Carolum Imperatorem, pro pace inter Græcos, & Francos impetranda. Sed neque in ea legatione vlla mentio communicationis Imperij facta est. Anno 803. describitur legatio Nicephori Imperatoris, qui Irenæ successerat, ad eumdem Carolum pro impetrāda pace: de Imperij communicatione nulla mentio. pacem enim optabant Græci à Rege Francorum potentissimo, sed nondum (quod ex veteribus colligatur) Carolum salutare Imperatorem, & Augustum dignabantur. Anno 812. qui fuit vltimus Nicephori, commemoratur legatio Michaelis, qui successerat Nicephoro, ad eumdem Carolum, & tum demum scribit auctor Annalium, à Legatis Græci Imperatoris Carolum magnum, cum iam annos duodecim imperaret, Imperatorem, & Augustum salutatum. Denique anno 814. scribit auctor obitum Caroli, quem annis quatuordecim in Imperio fuisse testatur, ac proinde non numerat annos Imperij à consensu Græcorum, sed à coronatione, quam à Leone Pontifice Romæ susceperat: consentiunt his Annalibus omnes Historici grauiores, Aimoinus lib. 4. c. 90. & 91. Paulus Diaconus lib. 23. rerum Roman. Ado Viennensis in Chronico 6. ætate, Rhegino Prumiensis libro 2. Chronic. Otho Frisingensis lib. 5. c. 31. & sequentibus, Cedrenus in Compendio historiarum, Zonaras in annalibus, Abbas Vrspergensis, Hermanus Contractus, & Sigebertus in Chronico, Blondus libro primo Decadis 2. Platina in vita Leonis tertij, & (quod magis est admirandum) Illyricus Cent. 9. c. 16. col. 621.

Videamus nunc quid Illyricus in libro de translatione Imperij aduersus hanc notissimam certissimamque historiam, aduersus scripta sua priora, & (ni fallor etiam aduersus propriam mentem, & conscientiam adferat, *Habuit* (inquit pag. 47.) *Carolus Magnus Imperialem dignitatem concessione, ac consensu Constantinopolitanorum Imperatorum, quod aliquantò clarius ordine-*

que deinceps exponam. Nec nos diffitemur, consensisse tandem Græcos in Imperium Caroli, sed inuitos: &, vt tu ipse loco notato in Centurijs dicis, quòd mutare non possent, quod à Leone Pontifice iam factum erat. sed perge, & expone quod proposuisti. *Platina vt homo Italus, & Papis suis addictißimus, studio rem totam obscurat: ac cùm narrasset, Romæ Carolum, acclamante ei populo (vt Imperatori) à Leone coronatum esse, mox addit hæc verba, Intereà verò Constantinopolitana Imperatrix missis in Italiam Legatis, cum Carolo fœdus, & pacem iniit, Imperiumque hisce terminis diuisit, &c. quibus verbis ostendit quidem Imperatricem proculdubio de consensu Imperialis Senatus Carolo Magno consensisse Occidentale Imperium, & haud dubiè etiam nomen ipsum cum re, sicut omnes alij Historici scribunt: sed tamen non vult clarè dicere, an antea Papa populusque eum coronauerint, aut verò Imperatrix illi eam dignitatem, & potentiam concesserit.*

At certè Platina satis clarè expresit, post peractam Caroli coronationem, Legatos de pace ab Irene ad Carolum venisse. Sed fac Platinam, vt Italicum, & Papis addictum, rem obscurasse: quid respondebis ad Annales Francorum, ad tot Historicos suprà citatos, Græcos, Germanos, Gallos, ad te ipsum denique? certè illi nec Italici erant, nec Papis addictissimi: & tamen coronationem Caroli antea factam quam Legati de pace ab Irene mitterentur, clarissimè docuerunt.

Quòd autem addis, omnes historicos testari, nomen Imperatorium cum ipsa re, quæ tanto nomini responderet, Carolo ab Irene concessum, mendacium est apertissimum: nullum enim Historicorum reperire potui (euolui autem plurimos) qui id vllo verbo significaret, quod tu dicis, quin potiùs annales Francorum, Ado Viennensis, & Rhegino Prumiensis in Chronicis anno 812. tanquam rem nouam, & insolitam referunt, quòd legati Michaelis, qui tertius fuit ab Irene laudes Imperatorias Carolo dixerint, eumque Imperatorem, & Basileum appellauerint. Perge: *Verùm quod antea Imperatrix id fecerit quàm Papa, vel populus, inde liquidißimè apparet, quia, teste Matthæo Palmerio Florentino, & Martino Polono, antea est Irene Imperatoria dignitate spoliata per Nicephorum, quàm Papa Leo, populusque eam actionem cum Carolo Romæ habuit. Sunt verò isti duo vel diligentissimi supputatores temporum.* Et hic, ni fallor, contra conscientiam loqueris.

Nam in primis, qua fronte audes Martinum Polonum diligentissimum temporum supputatorem appellare, quem constat omnium ferè Historicorum fuisse negligentissimum? ac ne longiùs abeamus, in descriptione annorum Irenes, Nicephori, Michaelis & Caroli Imperatorum, quæ omnia vix duas paginas explent, sex commisit errores. Primùm Irenem solam tribus annis imperasse dicit. at Paulus Diaconus, qui Irenes tempore vixit, lib. 23. rerum Romanarum, quinque annos, & aliquot menses illi tribuit, & singulorum annorum acta describit. Idem facit auctor Annalium Francorum, qui Pauli Diaconi æqualis fuit. Idem Cedrenus, Græcus auctor, in compendio Historiarum. Idem alij veteres, & ex recentioribus Onuphrius libro secundo de Principibus Romanis, Irenæ soli tribuit annos quinque, menses vndecim, dies sedecim. Deinde Nicephorum, qui Irenæ successit, Martinus Polonus solùm mensibus nouem imperasse scribit. at Paulus Diaconus, Cedrenus, Annales Francorum, & omnes alij veteres, octo annos, & eo amplius Nicephoro tribuunt: Onuphrius libro secundo de Principibus Romanis, annos octo, menses octo, dies viginti sex, & ne putetur esse librariorum error in numero: quid singulis annis Nicephorus egerit, Paulus Diaconus, & Cedrenus diligenter perscripserunt. Tertiò Michaelis Imperium constituit Martinus Polonus anno 800. contra omnium aliorum Historicorum tum veterum, tum recentiorum fidem. Quartò Caroli Magni initium ponit anno 802. neque errore librariorum id factum existimari debet, siquidem eodem in loco Carolum imperasse dicit annis quatuordecim, mense vno, & diebus quatuor, ac deinde consequenter initium Ludouici, qui Carolo succesit, ponit anno 816. At Carolum imperare cœpisse primo die anni 801. si à Natali Domini initium anni sumatur: vel octo diebus ante exitum anni 800. si exordium anni ducatur à Kalendis Ianuarij: tot, & tam graues auctores scribunt, vt mirum sit Martinum Polonum vigilasse, ista cùm scriberet. Vide testimonia, quæ suprà citauimus capite quarto. Quintò idem Martinus ibidem Leonem tertium, qui Carolum coronauit, quartum, appellat, contra ceteros omnes Historicos, eique tribuit ędificationem vrbis Leoninę: quam tamen constabat ab alio Leone esse factam, quem alij omnes quartum, ipse verò quintum vocat. Sextò in eadem pagina idem Martinus scribit anno 814. Stephanum Papam quartum venisse in Gallias, & honorificè susceptum à Ludouico Imperatore. At si Ludouicus imperare cœpit anno 816. vt paulò idem Martinus docet: quomodo potuit anno 814. Imperator Ludouicus Stephanum Pontificem ad se venientem suscipere? Itaque Martinus Polonus, diligentissimus scilicet supputator annorum: tam Pontificum, quàm Cæsarum annos vt plurimùm perperam disponit.

Quòd verò idem Illyricus ait, ex Matthæo Palmerio liquidissimè apparere, Irenem antè Imperio spoliatam fuisse, quàm Pontifex Leo Carolum coronauerit, liquidissimum quoque mendacium est. Palmerius enim in additione ad Chronicum Eusebij, tametsi in eo labitur, quòd Irene post filij excęcationem solùm quatuor annos tribuit, cùm Paulus Diaconus, Annales Francorum, & Cedrenus quinque annos, & aliquot menses illi tribuant, tamen ipse idem coronationem Caroli ponit anno 801. & initium Imperij Nicephori anno 802. constat autem ex Cedreno, & Paulo Diacono, eadem die Nicephorum imperare cœpisse, qua Irene se abdicare Imperio coacta est. ex quo intelligimus Palmerium, non solùm quatuor annos integros, sed etiam aliquot menses Irenæ tribuendos existimasse, licèt solùm perfectum numerum expresserit. proinde ex Palmerij sententia posterius Irenem Imperio spoliatam, quàm Carolus fuerit coronatus.

Sed audiamus iam cetera. *Testatur quoque Platina, Nicephorum Imperatorem, oppressorem, aut successorem Irenes, mox initiò fœdus Irenes de Imperij diuisione cum Carolo renouasse: vt hac quoque fuerit confirmatio Imperij Occidentalis à Constantinopolitanis Carolo facta. porrò Nicephorum hunc Imperatorem collocat Martinus Polonus Pœnitentiarius Papæ, & Archiepiscopus Consentinus, in annum Domini 799. omninò eum clarissimè præponit illi Romanæ coronationi Caroli, sicut & Sebastianus Francus, quin & Iacobus Philippus Bergomensis.* De Martino Polono iam antè respondimus, eum in manifesto errore versari, cùm Imperium Nicephori refert ad annum Domini septingentesimum nonagesimumnonum, quod ad annum octingentesimum secundum referre debuisset. Sebastianum Francum non vidi: nec multùm laboro, quid ille dixerit, cùm auctor fuerit admodum recens, & à Catholica Religione alienus.

Iacobum Philippum Bergomensem more tuo fraudulenter citas. ille enim etsi libro vndecimo supplementi commemoret diuisionem Imperij inter Carolum, & Irenem, antequam narret eiusdem Caroli coronationem Romæ factam, tamen id facit per anticipationem, vt expediat ea, quæ ad Græcorum Imperium pertinent. nam postea loco suo ad ordinem temporum rediens, disertis verbis docet Imperium à Græcis ad Francos translatum fuisse Pontificis auctoritate anno Domini 800. exeunte, vt etiam suprà citauimus in 4. cap.

Præponit quoque (addit Illyricus) *Martinus Michaelem Imperatorem eidem coronationi, qui ibidem illud fœdus renouauit cum Carolo. Denique, & Chronicon D. D. Achillis Gassari initium principatus Nicephori ponit in annum 798. facta verò est illa renouatio concessi Imperij à Nicephoro mox initiò sui Imperij. quare ex hisce licet colligere, vt minimùm tres donationes, aut concessiones Imperij per Constantinopolitanos Imperatores factas ante illam Romanam actionem, nempe Irenes, Nicephori, & Michaelis, vel certè illas duas priores.*

Colligebat olim Virgilius aurum ex Ennij stercore: at noster Illyricus (vt video) ex Historicorum auro stercus colligit. nam cùm veteres ac probati Historici, & illi ipsi, qui tempore Caroli Magni vixerunt, tam perspicuè tradant, anno quinto Irenes Carolum Magnum à Pontifice Maximo coronatum, ac deinde post eam coronationem, Irene successisse Nicephorum, & Nicephoro Michaelem: quis non intelligit errasse Martinum Polonum, & qui eum sequuti sunt, recentiores Historicos, qui sine vlla ratione ex sola imperitia veteribus contradicunt? quanta autem impudentia est, eiusmodi errores tam diligenter consectari, & demum in obscuris auctoribus vix repertos ita proponere, ac si nihil verius literis mandari potuisset? & tamen pergit Illyricus, atque ait: *Ex hisce etiam licet colligere, temerè, vel potiùs fraudulenter à Sabellico concessionem Imperij ab Irene post factam coronationem Leonis Papæ poni. redarguitur enim manifestè ratione temporum. plerique sanè omnes Irenem aiunt postremò ab Imperio depositam esse ante illam actionem Romanam. aliqui autem eodem anno. Igitur oportet translationem Imperij antea in Carolum factam esse à Constantinopolitanis, quàm à Romanis.*

At si temerè, vel fraudulenter Sabellicus anteposuit Caroli coronationem Irenes abdicationi: num etiam Paulus Diaconus, Annales Francorum, Cedrenus, Zonaras, Ado, Rhegino, Otho, Conradus, Sigebertus, & alij veteres, temerè, vel fraudulenter id egerunt? Certè Sabellicus veteres Historicos sequutus est. Et qui nam sunt, Illyrice, illi plerique omnes, qui Irenem aiunt postremò ab Imperio depositam esse ante illam actionem Romanam? nimirum Martinus Polonus, qui vnus est instar omnium. an non te pudet tam apertè mentiri? sed perge.

Porrò illam translationem de pace, Imperioque inter Irenem, & Carolum factam, collocant Ado Viennensis, & Annales Caroli in annum Domini 798. præponunt igitur eam vt minimùm integro quadriennio coronationi Leoninæ. Paulus quoque AEmilius in sua Francorum Historia affirmat seriam, sollicitamque actionem, & legationem Irenes ad Carolum longè præcessisse illam Romanam Coronationem. Id verò, Illyrice, non est solùm audacter mentiri, sed etiam configere oculos hominibus, vt non videant ea, quæ clarissimè patent. siquidem Ado Viennensis, & Annales Francorum duas ponunt legationes Irenes ad Carolum, vnam pro pace, & restitutione captiuorum, ante Caroli coronationem, anno 978 alteram pro pace iterum renouanda, post Caroli coronationem, anno 802. & quamuis Platina dicat hac legatione posteriore procuratam esse Imperij diuisionem: tamen Ado Viennensis, & Annales Francorum nullam imperij mentionem faciunt, nisi multò inferiùs, vbi describunt legationem Michaelis anno 812. Hæc enim sunt verba Adonis: Anno 798. Irene ad excellentissimum Regem Carolum legationem pro pace seruanda misit. Et infrà, postquam narrauerat coronationem Caroli factam anno 801. ita subiungit: Anno 802. Irene Imperatrix ad Imperatorem Carolum misit pro pace inter Francos, & Græcos firmanda. Et infrà, Anno 803. Irene ab Imperio deposita est: & Nicephorus Imperator Constantinopoli creatus, qui Legatos suos, vnà cum Legatis Imperatoris Caroli remisit: nam Imperator Carolus Iesse Episcopum Ambienensem, & Elinigandum Comitem, Constantinopolim direxerat. Susceperunt autem legati Nicephori Imperatoris epistolam inscriptam de fœdere pacis, sicque tali pacto Constantinopolim reuersi sunt. Denique infrà anno 812. In eius locum Michael gener eius Imperator creatur, cuius legati Aquisgrani ad Imperatorem Carolum missi laudes more suo dixerunt, Imperatorem, Basileum illum appellantes. His consentiunt tum Annales Francorum (nam inde hæc omnia Ado Viennensis accepit) tum etiam Paulus AEmilius in lib. 3. de rebus Francorum, vt quiuis per se cognoscere potest.

Nouum enim mendacium est, quod paulò pòst Illyricus addit, cùm ait: *Mihi verisimile*

est, mox initio illius instaurati regni Irenes esse factam talem transactionem de Imperio inter eam, & Carolum quo constabiliret adhuc principio dubium, & inuidiosum regnum, quod & AEmilius affirmat. Hoc (inquam) apertum mendacium est cùm Paulus AEmilius non solùm non dicat vllam factam esse transactionem de Imperio inter Irenem, & Carolum, sed contrà potiùs asserat inuita Irene, & Nicephoro Augustis, Carolum à Pontifice magno procerum Romanorum assensu, Imperatorem factum. id illa verba indicant de legatis, quos Irene misit ad Carolum iam à Pontifice coronatum, Augustæ legati fœdus petebant, ægritudine animi interim dissimulata. & illa de Nicephoro: Hactenus Carolum Augustum, magno patientissimoque animo Nicephori simultatem inuidiamque tulisse.

Sed pergamus ad reliquas nugas Illyrici, vt hunc locum aliquando claudamus. *Credibile* (inquit Illyricus) *tamen profectò valde est, Irenem cum filio Constantino multò antea illam dignitatem, & possessionem Imperij cum Carolo communicasse.* Vnde autem id credibile sit, multis verbis conatur ostendere. sed summa est, quia Carolus deuictis Longobardis, iam magna Italiæ parte, & ipsa Vrbe potiebatur: & Constantinus Imperator Constantinopolitanus filiam Caroli in matrimonium sibi dari petierat. *Expendat* (inquit) *quæso, totum hoc negotium quiuis intelligens: quomodo potuit Constantinus Imperator ambire aut impetrare filiam Caroli non facta pace? quomodo autem potuit inter eos fieri pax: non concesso Carolo Occidentali Imperio, quod iam fortiter occupauerat, & firmiter retinebat? necessariò igitur in tali nuptiarum filia Caroli pactione diuisio Imperij facta est.* Egregia sanè demonstratio, quasi non possit Imperator cum Rege potentissimo pacem facere, & affinitatem contrahere, nisi Imperialem dignitatem cum eo communicare voluerit. qua igitur ratione Carolus quintus Imperator cum Francisco Rege Francorum pacem fecit, & Leonoram sororem ei in matrimonium collocauit, nec tamen eum in Imperio collegam accepit? At Carolus Magnus Occidentale Imperium armis acquisitum possidebat: nec pacem cum Imperatore Constantinopolitano fecisset, nisi ei Imperium iam occupatum retinere permissum esset. Verùm, non est, vt suprà diximus, de possessione prouinciarum Imperialium quæstio: sed de titulo, de iure, de nomine, de dignitate, ac Maiestate Augustali tota controuersia est. neque enim inficiamur, Carolum bellica virtute Longobardos ex Italia exegisse, eamque prouinciam suam fecisse, quæ aliquando Romani Imperij prouincia fuerat. sed quemadmodum hoc tempore Reges Francorum, & Hispanorum, Romani Imperij prouincias tenent, nec tamen sunt Romani Imperatores, & Imperator cum eis pacem, & affinitatem habet, ita quoque fieri potuit, vt Carolus Magnus aliquot Romani Imperij prouincias sine nomine, & Iure Imperatorio teneret, & tamen cum eo Imperator Constantinopolitanus pacem, atque affinitatem habere cuperet.

* * *

CAPVT XII.

Romanum Pontificem iure suo Imperium à Græcis in Germanos transtulisse.

DEmonstrauimus hactenus, Carolum Magnum, quem Imperatorem Romanorum fuisse nemo negat, eiusmodi Imperium nullo alio titulo adeptum, nisi Pontificis Maximi auctoritate. Nunc quoniam Illyricus inter alia argumenta, quibus efficere nititur, Imperium non peruenisse ad Carolum Magnum Pontificia auctoritate: etiam illud affert, quod Romanus Pontifex non habeat ius Imperia transferendi: nos contrà Deo iuuante, ad demonstrandum aggredimur, posse Romanum Pontificem, si causa postulet, id facere, non quidem Regia, aut Imperatoria, sed Apostolica, id est, summa, atque eminentissima Ecclesiastica potestate.

Pendet autem tota hæc res ex duabus sententijs: altera, Romanum Pontificem totius Ecclesiæ, id est, omnium Christianorum Patrem, & Pastorem esse; altera, summum Ecclesiæ totius Pastorem, ita non modò priuatis hominibus, sed etiam Regibus, & Imperatoribus Christianis præesse: vt, si causa Christi, & Ecclesiæ id exigat, possit eos Regnis, atque Imperijs exuere, eaque regna, & Imperia ab alijs ad alios transferre. nemo est enim, qui non intelligat, si hæ duæ sententiæ veræ sint, continuò illud etiam effici, vt Romanus Pontifex certis de causis Imperia transferre possit.

Priorem sententiam multi ex nostris accuratissimè, ac fusissimè demonstrarunt. quod etiam nos præstitimus in libris quinque, quos de summi Pontificis institutione, & potestate scripsimus, quare hoc loco satis erit, si eam sententiam confirmemus testimonijs Imperatorum, atque eorum potissimùm, qui Romanæ sedi infesti fuerunt. si enim ipsos Imperatores, vbi de iure ipsorum agitur, testes habemus, frustrà aliorum testimonia desideramus.

Carolus Magnus Imperator primus ex gente Francorum, non semel primatum Romani Pontificis agnoscere se, ac venerari professus est. Exstat priuilegium eiusdem Caroli, quod Bremensi Ecclesiæ dedit, apud Albertum Krantzium libro primo Metropolis capite septimo, in hæc verba: *Summi Pontificis, & vniuersalis Papæ Hadriani præcepto, necnon & Moguntinensis Episcopi Lullenis, omniumque, qui affuêre Pontificum consilio, eandem Bremensem Ecclesiam cum omnibus suis appendicijs, Villehado, probabilis vitæ, coram Deo, & Sanctis eius commisimus.* Exstant item libri nomine Caroli Magni aduersus Synodum Græcorum de cultu imaginum: quos libros etsi ego non esse Caroli Magni arbitror, tamen quia ab aduersarijs Carolo tribui constanter video, sumam etiam inde testimonium. Sic igitur habet liber primus capite sexto: *Sicut ceteris discipulis Apostoli, & Apostolis omnibus Petrus eminet: ita nimirum ceteris sedibus Apostolica, & Apostolicis Romana eminere dignoscitur. Hæc enim nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesijs prælata est, sed ipsius Domini auctoritate primatum habet.* Denique, vt ex Platina in vit

Leonis Tertij, & Paulo AEmilio libro tertio de rebus gestis Francorum, ac Iacobo VVimpelingio in epitome rerum Germanicarum capite nono cognosci potest, cùm aliquando idem Carolus Romę sententias Episcoporum, qui ex tota Italia, & Francia conuenerant, rogasset de vita, & moribus Papæ Leonis, atque ab ijs vna voce responsum esset, Sedem Apostolicam, omnium Ecclesiarum caput, à nemine iudicari debere: continuò acquieuit, ac permisit, vt summus Pontifex Leo solo iureiurando crimen, quod ei falsò obijciebatur, dilueret.

A

Otho Magnus, qui primus ex gente Saxonica Romani Imperij gubernacula rexit, eundem primatum Romanę Ecclesię disertis verbis confessus est in epistola, quam scripsit ad Ioannem 12. Rom. Pontificem, quę exstat apud Luithprandum Ticinensem lib. 6. capite 9. Hæc enim est inscriptio literarum: *Summo Pontifici, & vniuersali Papa Domino Ioanni, Otho diuina respectu clementia Imperator Augustus.* Fuit quoque hic Otho Magnus Romanæ Ecclesiæ, & acerrimus defensor, vt Iacobus VVimpelingius testatur in Epitome rerum Germanicarum cap. 18. Vt autem omnes intelligant non solùm Imperatores amicos, sed etiam hostes Romanæ Ecclesiæ, Pontificis primatum agnouisse, subijciam testimonia omnium ferè Imperatorum, qui Romanam Ecclesiam hostiliter persecuti sunt.

B

Henricus quartus, qui primus ex Germanicis Imperatoribus cum Romano Pontifice graues inimicitias gesit: etsi certis de causis Gregorium septimum Pontificem oderat, auctoritatem tamen Romanæ sedis super omnes homines, atque adeò super ipsos Reges, & Imperatores, nunquam negauit. Exstat epistola eius ad Principes Imperij, quam totam refert Conradus Abbas Vrspergensis in Chronico anni 1106. In epist. hæc habentur: *Præterea* (inquit) *Domino Papa in præsentia Legati sui, & vestra obedire parati sumus: & nunc parati sumus ei omnem debitam reuerentiam, & obedientiam sincero corde, & deuotione præsentialiter exhibere.* Et infrà: *Rogamus vos per auctoritatem Romana Ecclesia, cui nos committimus, & honorem Regni, ne super nos, & fideles nostros veniatis.* Et infrà: *Si interpellatio vestra, nullaque alia interuentio ad præsens prodesse poterit: appellamus Romanum Pontificem, & sanctam vniuersalem Romanam sedem, & Ecclesiam.* Hęc ibi. Rursus autem idem Henricus quartus in postrema epistola ad Principes: *Appellauimus* (inquit) *& tertiò appellamus Dominum Romanum Pontificem Paschalem, & sanctam, & vniuersalem Sedem, & Romanam Ecclesiam.*

C

Henricus quintus tametsi non paruo tempore, propter Episcoporum inuestituras Romanam Ecclesiam vexauit, & afflixit, eius tamen primatum semper agnouit. Sic enim de eo scribit Abbas Vrspergensis in Chronico anni 1110.

D

In Epiphania Domini Ratisponæ Henricus colloquium cum Principibus faciens, animi sui propositum eis aperuit, scilicet, quòd Transalpinis partibus se exhibere vellet, quatenus & benedictionem Imperialem à Summo Pontifice, Romana, qua caput mundi est, in Vrbe perciperet, & latas Italia prouincias in societatem regni Germanici fraterna pace, & iustitijs, ac legibus antiquis componeret: insuper ad omnia, qua defensio posceret Ecclesiastica, ad nutum Patris Apostolici se promptum demonstraret. Et infrà: in Chronico anni 1117. vbi exposuisset Abbas terrifica signa, quæ de cœlo ostendebantur aduersus impietatem eiusdem Henrici, qui summum Pontificem captiuum facere, atque ab eo per vim extorquere inuestituras Episcoporum ausus esset; ita subiungit: *His, & eiusmodi cladibus Rex Henricus corde tenus sauciatus, non cessat legationes satisfactorias ad Apostolicam sedem destinare.* Et infrà in Chronico anni 1122. pacem inter Calixtum Pontificem, & eundem Henricum Imperatorem his verbis Abbas describit: *Facto* (inquit) *vniuersali conuentu apud vrbem Vangionum, qua nunc VVormacia dicitur, sicut longum, ita & incredibile memoratu est, quàm prudenti, quàm instanti, quamque per omnia solicito cunctorum procerum consilio, pro pace, & concordia per vnam, vel amplius, hebdomadam certatum sit: donec ipse, in cuius manu cor Regis est, omnem animositatem Augusti sub Apostolica reuerentia obedientiam, causa matris Ecclesia, etiam vltra spem plurimorum, inflexit.*

Fridericus primus Imperator, & Romani Pontificis Alexandri tertij hostis acerrimus, Romanæ Ecclesiæ primatum, & rebus, & verbis confessus est. Nam cùm in Italiam venisset, Hadrianum quartum Pontificem ita veneratus est, vt ad eius pedes primùm venerabundus accideret. deinde descendenti ex equo stapedem teneret: vt refert Albertus Krantius libro 6. Saxoniæ, cap. 16. Quod idem postea fecit etiam Victori, quem verum Pontificem, cùm Schismaticus esset, existimabat. Sic enim scribit Radeuicus lib. 2. de rebus gestis Friderici primi, cap. 70. *Ibi* (inquit) *religiosissimus Imperator ante ianuas Ecclesia eum suscepit, & descendenti de equo strepam humiliter tenuit, & apprehensum per manum vsque ad altare perduxit, & pedes eius est osculatus.* Itaque Fridericus Imperator re ipsa, & factis declarauit, quo loco Romanus Pontifex haberi deberet. Nec tamen solis factis, sed etiam verbis sententiam suam aperuit. nam in epistola ad omnes Imperio Romano subiectos, quæ exstat apud Radeuicum lib. 1. cap. 10. Romanum Pontificem caput Sanctæ Ecclesiæ nominat: & rursus in epistola ad Hadrianum. Quartum Pontificem, apud Radeuicum lib. 2. cap. 16. Romanam Ecclesiam matrem omnium Ecclesiarum, & ipsius Imperij vocat. denique in epistola ad Hermannum Episcopum Brixinensem, apud eundem Radeuicum lib. 2. cap. 56. vbi deplorat Schisma, quod in Romana Ecclesia fuerat exortum, ita loquitur: *Cum* (inquit) *vnus Deus, vnus Papa, vnus Imperator sufficiat, & vna Ecclesia Dei esse debeant, quod sine dolore dicere non possumus: duos Apostolicos in Romana Ecclesia habere videmur.* Et infrà: *Pro tanta namque, & tam perniciosa Ecclesia iactura, tota nimirum Italica Ecclesia conturbatur: & dissensiones, Schismate orto in capite, iam in inferiora membra defluxissent, & totum Ecclesia corpus defœdassent, nisi nos consilio, & auxilio religiosorum virorum, qui spiritu Dei aguntur, tam impudica iniquitati iustitia rigorem opposuissemus.*

Et in-

Et infrà: *Vt iusto declaretur examine, quis illorum regimen vniuersalis Ecclesiæ de iure debeat obtinere.* Vides certè, Lector, ex sententia Imperatoris Friderici, vnum esse debere Papam, qui vt caput toti corpori Ecclesiæ præsit, & cui Ecclesiæ vniuersalis regimen debeatur.

Philippus Imperator creatus in schismate cõtra Othonem IV. licèt à Pontifice Innocentio Tertio ab Imperio repulsus esset: is tamen (vt scribit Abbas Vrspergensis in Chronico) cũ audisset se in excõmunicationem Pontificiam incidisse, humiliter à Legato Pontificis absolutionẽ petijt. quod certè numquã fecisset, nisi summum Pontificem, pastorem suum, ac proinde aliorũ etiam Principum, & Regum fuisse credidisset. si enim sola Romana ciuitas, non Ecclesia vniuersa, ad curam Romani Pontificis pertineret: quamobrem Princeps Germanus Romani Pontificis censuram tantopere timuisset?

Fridericus II. Ecclesiæ Romanæ longo tempore hostis, & persequutor, timuit tamen Romani Pontificis, vt veri Christi Vicarij, latã in se Ecclesiasticam cẽsuram; sic enim scribit de hoc Friderico Abbas Vrspergẽsis in extremo Chronico: *Nihilominus quoq; omni tempore, quãdiu denũciabat eum Papa excommunicatũ, beneficium absolutionis humiliter cum omni obedientia, & deuotione, & iustitiæ exhibitione postulauit.* & Iacobus VVymphelingius in Epitome rerum Germanicarum, c.15. *Fridericus* (inquit) *secundus in Cyprum vsq; nauigans: Aconem tandem peruenit, nuncijs rogans Pontificem, vt se absolueret anathemate: quoniã in eius potestate deinceps semper sit mãsurus.*

Ludouicus Quartus Imperator, & armis, & scriptis Ioannẽ XXII. Pontificem oppugnauit: tantum tamen abest; vt existimauerit summi Pontificis auctoritatẽ de Ecclesia esse tollendã (vt eam Illyricus sublatam cupit) vt cùm verũ Pontificem sibi fauẽtem habere non posset, falsum Pontificem creandũ curauerit: nec interim tamen vmquam destiterit varias rationes quærere, quib. vero legitimoq; Pontifici recõciliari posset. nam per Ioannem Regem Boemiæ, & literis, & nuncijs tentauit, si posset in gratiam Ioannis Pontificis redire, paratus Antipapam suum deponere, seque reum grauissimi criminis agnoscere, ac misericordiæ Pontificiæ totũ permittere. De qua re vide literas Ioannis Pontificis ad Ioannem Regem, apud Robertum Arboricensem tom. 2. de vtroq; gladio, theorem. 7. Deinde mortuo Ioanne Pontifice, cũ audiuisset idem Ludouicus Imperator, Benedictum Papam ad amicitiam suam esse propensum, cõtinuò ad eũ legatos misit, qui demilissimis precib. absolutionem ab excommunicatione, & restitutionem ad Imperium peterẽt. cuius rei testis est Albertus Argentinẽsis in Chronico, qui illo ipso Benedicti, & Ludouici tẽpore floruit.

Neq; solùm post tempora Caroli Magni, sed etiam anteà, Romani Imperatores Pontificem Romanum Ecclesiæ Catholicæ caput esse professi sunt. Atq; vt nomine omnium aliorũ duo testimonia, vnum Latini Imperatoris, & Græci alterum proferamus: exstat epistola Valent. Tertij ad Theodosium iuniorem inter epistolas præambulares ad Conciliũ Chalcedonense. in ea epistola sic loquitur Imperator: *Debemus dignitatẽ propriæ venerationis B. Apostolo Petro in*

A *nostris temporib. conseruare: quatenus Beatiss. Romanæ ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas cõtulit, locũ habeat, & facultatẽ de fide sacerdotib. iudicandi.* Exstat quoq; epist. Iustiniani Græci Imperatoris ad Ioannẽ II. Romanum Pontificem in ipso primo titulo Codicis; in qua epistola hæc habentur verba: *Nec.n. patimur quidquã quod ad Ecclesiarũ statum pertinet, quod non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.*

Habemus igitur Imperatorum testimonia, veterum, recentiorũ: Latinorum, Græcorum: amicorum, & inimicorum, quibus testimonijs prior illa sententia, quam confirmandam suscepimus, satis munita, quod ad præsentem controuersiam de translatione Imperij facit, & constituta esse videtur.

B Iam verò summum Ecclesiasticę Hierarchię Principem (quæ erat altera sententia) Regna, atque Imperia Christianorum, si necessitas Ecclesiæ id postulet, posse transferre, demonstratum est à nobis in lib. 5 de Pontifice, ex quo libro hoc vnam, vel alteram rationem transferemus.

Primum igitur, licet potestas Ecclesiastica, quæ in summo Pontifice potissimum residet, & potestas politica, quã præter ceteros Principes Imperator Romanus habet, nõ modò duæ sint, ac distinctæ finibus, & officijs, sed etiam separatæ interdum inueniantur (nam aliquando Ecclesia nullos habuit politicos Principes, & nunc etiam multi sunt Principes, ac Reges extra Ecclesiam) tamen quando Principes sunt Christiani, & in Ecclesiæ Catholicæ membris, ac filijs numerantur, duæ illæ potestates ita coniungũtur, ac conueniunt inter se, vt vnam Rempublicam, vnum regnum, vnã familiam, imò & vnũ

C corpus efficiant. *vnum enim,* vt Apost. ait Roma. 12. *sumus corpus in Christo: singuli autẽ alter alterius membra.* In hoc autem corpore mystico Ecclesiæ, potestas Ecclesiastica veluti animus quidam est; politica autẽ veluti corpus, vt sanctus Gregorius Nazianzenus docet in Oratione ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem. Neq; in controuersiam id reuocari potest; cùm constet Ecclesiasticam potestatem spiritalem ac cœlestem esse; politicam verò, humanã ac terrenam: & rursus illius finis æterna beatitudo sit: huius autem, pax & tranquillitas temporalis: illa animos, & corda potissimùm regat; ista in corporibus vim suam habeat: illa legibus diuinis, & cœlestib. oraculis: ista iure ciuili, ac

D gentium nitatur: illa deniq; auctorem immediatum Deum habeat. ista per ius gentium, & cõsensum populorum ad Principes deriuetur. Igitur quemadmodum distincta sunt animi, & carnis munera, & separata etiam inueniuntur in Angelis, qui corpore vacant: & belluis, quæ rationis sunt expertes: & tamen in homine, quia vnam hypostasim efficiunt, ita conueniunt, & coniunguntur: vt animus præsit, caro subijciatur: & possit animus iure suo carnem ieiunijs, vigilijs, alijsque laborib. coercere, ne impediat munera spiritus, vel etiam, si opus sit ad finem ipsius spiritus consequendum, possit spiritus carni imperare, vt se, ac sua exponat omnia, etiã cum detrimento vitæ, vt sanctos Martyres facere videmus: pari ratione in Ecclesia Christi, si verè vnum corpus sit, tantã esse oportet coniũ-

ctionem Ecclesiasticæ, ac politicæ potestatis, tantumque inter eos ordinem,& vnius ad alteram subiectionem,vt in his,quę ad æternã salutem adipiscendam pertinent, Ecclesiastica potestas politicã dirigat,eique imperet,&, si opus sit,cohibeat, & coerceat, ne adeptionẽ proprij finis impediat etiam cum detrimento propriæ potestatis: vt eo modo,iuxta B. Gregorij sententiam l b.2.epist. 61. terrestre regnum cælesti regno famuletur.

Huc accedit, quòd cùm Principes politici ad Ecclesiã veniunt,vt Christiani fiant,recipiũtur illi quidem,sed cũ pacto expresso, vel tacito,vt sceptra sua Christo subijciant, & Ecclesiã Catholicã non euertant,sed tueantur pro virib. ac defendant:& nisi id fecerint, puniri possint etiam Regni amissione. non. n. est aptus regno Dei,nec tutò ad Sacram.Bapt. admitti potest, B qui non est paratus Christo seruire: & propter ipsum amittere,quidquid habet: cũ Dominus dicat in Euangelio,Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum,& matrẽ,& vxorem, & filios,& fratres,adhuc autem,& animam suam, nõ potest meus esse discipulus.* & rursus in eodẽ loco. *Sic ergo omnis ex vobis qui nõ renunciat omnib. quæ possidet,non potest meus esse discipulus.* Quæ loca(vt sanctus August.rectè exponit in epist.5. ad Marcellinum) sic intelligenda sunt,vt is non possit Christi esse discipulus,qui non est paratus carere potiùs vxore,liberis,parentib.opibus,honoribus,atq; ipsa etiam vita,quàm vt Christũ offendat. Quæ cùm ita sint,nullam profectò iniuriam facit summo Principi politico Princeps summus Ecclesiæ,si eum admoneat, illiq; imperet,vt politica sua potestate rectè vtatur,legib. C & pœnis impios,ac blasphemos coerceat,fidem Catholicam protegat,aduersùs infideles Ecclesiam oppugnãtes arma suscipiat. Quòd si is aut ex oue lupus euadat, & hæreticos, ac sectarios sequens, fidẽ Catholicam destruat,aut velut aries furiosus contẽpto pastore in oues sibi subiectas grassetur,aut certè instar lãguidi,ac timidi canis,propter ignauiam,ac segnitiem, gregẽ Domini à luporum morsib.defendere non audeat:cur,quæso,non poterit summus Pastor,& qui Christi ipsius vices in terris gerit, lupũ illũ ab ouili arcere,atq; ouibus imperare, ne illum vltrà sequãtur:& arietem furiosum recludere, ac prohibere,ne gregẽ deinceps ducat:ac denique imbecillo cani valentiorem alium substituere,qui gregem,vt oportet, custodiat ac defendat; D Ergo hac potestate Ioiada Pontifex Athaliam Reginam,tyrannidem in populo exercentem,à regno amouit,& Ioas Regem constituit;vt legimus lib.4.Reg.cap.11.& lib.2 Paralipomenon,cap.23.

Hac potestate Gregorius Papa II. Leonem Imperatorem Iconoclastarum hæresi studentem, atq; eam in Italiam inducere molientem non solùm excommunicauit,sed etiam vectigalib.Italiæ prohibuit,vt Cedrenus,& Zonaras in eiusdem Leonis vita scriptum reliquerũt. Hac potestate Pontifex Zacharias Hilderici regnũ, quòd eius socordia Catholica religio in Gallijs non modicum detrimentum pateretur,in Pipinum,& filios eius transtulit,vt suprà multis testimonijs demonstrauimus.

Hac potestate Leo Tertius Pontifex, Regẽ Nordamhumbrorum Regno suo iniquè pulsum,atq; ad se,tamquam omniũ Christianorũ caput,& Principem fugientẽ, per Legatos suos in regnum restituit,vt Aimonius scribit lib. 4. de rebus gestis Francorum c.96.& Rhegino l.2. Chronici anno 808.

Hic deniq; idem Leo Romanum Imperiũ à Græcis ad Francos transtulit: quòd iam longo vsu didicisset, Græcos aut non posse, aut nolle laboranti Ecclesiæ opem ferre: ac tum maximè id metuendũ videretur,cùm, Imperatore Constantino fraude suorũ excæcato,fœmina, quòd antea nunquã acciderat,Rom. Imp. præsideret.

Porrò diuino consilio eam translationẽ factam,testantur in primis victoriæ,ac triumphi, quos de omnib. suis hostib.Carolus reportauit. Vt.n.Deus ostenderet suum esse illud opus, ita Carolum Magnum pietate,fortitudine,iustitia, clementia,omnibusq;regijs virtutib.ornauit,eiusque Imperium tantis opibus, tanta beneuolentia populorũ,tot clarissimis victorijs,tot sacrarum ædium magnificentissimis ędificijs nobilitauit,vt post Magnum Constantinũ nullus Imperator felicior,nullus Ecclesię vtilior fuisse videatur,testatur deinde cõsensus, & approbatio Orbis terræ. siquidem Carolo Magno à Leone Pontifice Imperatore appellato, nõ modò Romanus populus lætissimis vocib. acclamauit;nec solùm vniuersa Italia, Gallia, Germania,Pannonia,totus deniq; Occidens, nouũ Imperatorem gratissimè excepit:sed etiã ab Asia,& Africa maximorũ Regum legationes gratulatoriæ,cum magnis munerib.ad Carolũ aduenerunt.ipsi etiam Gręci Imperatores,tametsi alioquin æmuli,& hostes Latinorum (vt suprà demonstrauimus)per Legatos Imperiũ Caroli agnouerunt,eumq; Imperatorem, & Augustũ salutarũt.De quib.legationibus,vide,si placet, Annales Francorum,Adonem, Rheginonem, Abbatem Vrspergensem in Chronico anni 801. 802.803 807.& 812.necnon Othonẽ Frisingensem lib.5.Hist.cap.31.& 32. Testantur denique omnes consequentes ætates, siquidem ab anno Domini 801.quo anno in Germanos Imperium translatũ esse constat, omnes omninò Christiani Rom. Imp.apud Germanos esse crediderũt; neque vllus fuit Princeps,aut Rex Christianus, qui Caroli Magni successores,vt veros, legitimosq; Imperatores non agnouerit,aut qui se eis posthabitum ægrè tulerit.Soli sunt Lutherani, qui dum Germanicum Imperium Antichristi miraculum esse cõtendunt, Germaniã suam legitimo Imp.sine dubitatione spoliare nitũtur.

Sed occurrit Illyricus, & aduersùs ea, quæ hactenus diximus,obijcit ius Canonicum,& diuinum, quo politica potestas omninò Pontificib.interdicitur.Sic.n.probat in lib.suo de trãslatione Imperij,p.6.nõ esse translatum Imperiũ à Græcis ad Francos Pontificis Maximi auctoritate:*Quia Papæ,*inquit,*testantib. id ipsorum proprijs Iuribus.non sunt à Deo constituti domini, aut gubernatores temporaliũ dominiorum:sicut ipsemet Christus negat suum regnum esse de hoc mundo, negat se esse constitutum iudicem rerum,ac litium terrenarum:prohibet quoq; Apostolis,ne dominẽtur politicè,inquiens,Reges gentiũ dominantur, vos autẽ non sic.iubet eos esse seruos,& omniũ minimos. quin D.Petrus,quo se illi fundatore iactant,iubet presby-*

teros,

teros politicis gubernatoribus obtemperare. quod igitur ius Christus hic in terris non habuit, & non tātùm non tradidit suis Apostolis, sed etiam seuerissimè prohibuit: id profectò nec Petrus, nec Papa, etiam si centies vicarij Christi essent, habere poterunt.

Verùm tota hæc Illyrici argumentatio vno verbo destrui potest. nam tametsi fateremur, Romanum Pontificem, neq; re ipsa habere, neque etiam habere posse vllam politicā potestatem: non tamen inde rectè colligeretur, Imperiū à Græcis ad Germanos ab eodem Romano Pontifice non potuisse transferri: non.n. politica, sed Ecclesiastica potestate, quæ politica lōgè maior & sublimior est, quæq; politicæ præest, eamq; regit, ac dirigit, vt suprà diximus, eā translatio facta est. siquidē Papa, non quòd esset Rex regū, aut summus temporalis Monarcha, qualis Augustus, & Constantinus fuere, Occidentale Imperiū à Græcis ad Francos trāstulit: sed quòd Pastor Ecclesiæ vniuersæ à Christo ipso cum summa potestate constitutus, inter oues suas etiam Reges, & Imperatores numeraret, posset que, ac deberet operam dare, ne Reges, & Regna Christianorum, Christi regnum impediant, nevè Ecclesiæ obsint, sed eius potiùs honori, atque vtilitati deseruiant.

Sed ne fortè quæratur Illyricus suam argumentationem nimis breuiter refutatā, excutiamus paulò diligētiùs. Ait primò, Summos Pōtifices (testantib. id proprijs ipsorum Iuribus) nō esse constitutos à Deo, dominos, aut gubernatores tēporalium dominorū. At ijsdem Iuribus testantib. constituti Pontifices sunt pastores ac præsules animarū, quarum æternæ saluti omnia temporalia bona deseruire debent: proinde licèt, dum Reges Christiani regna sua (vt Christianos decet) administrant, nō debeat Sūmus Pōtifex eorum regnorum curis, ac negotijs se implicare, vbi tamē ij cœperint à via deflectere, & in detrimentum animarum regnis suis abuti, potest, ac debet remedia congruentia (vt sæpe diximus) adhibere. quare translationem Imperij à Græcis ad Germanos, Apostolicæ Sedis auctoritate factam esse, omnia Iura clamant. vide quæ suprà citauimus, cap. 6.

Ait 2. Illyricus Christum ipsum non fuisse Regem de hoc mundo, nec iudicē litium terrenarum. at nō negabit (opinor) Illyricus, potuisse Christum nihilominùs, si ita expedire iudicasset, regna mutare, atq; transferre. neq; idcirco non fuit Christus Rex tēporalis, nec lites terrenas iudicauit, quia non potuit, sed quia noluit. Addit 3. interdictum seuerè Apostolis, ne dominarentur, sicut gentes faciunt, & cōtrà eis imperatum, vt essent minimi, atq; omnium serui. sed facilis responsio est. siquidem hæc omnia ad commendationem humilitatis faciūt, quæ virtus cum superbia pugnat, non cum potestate. nam vbi Christus Apostolis imperauit, vt non dominarentur more Gentiliū, sed minimi essent, ac serui; ibidem de se ait: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* & rursus: *Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat.* & tamen idem ipse dixerat se habere potestatem omnis carnis, & sibi omnia tradita esse in manus, & se esse Dominū, & magistrum.

Addit Illyricus postremò, Apostolum Petrum presbyteris mandasse, vt politicis gubernatoribus obtemperarent. qui locus in neutra beati Petri epistola inuenitur. hæc enim sola de presbyteris verba leguntur apud Apostolum Petrum: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro cōsenior, & testis Christi passionum, qui & eius, quæ in futuro reuelāda est, gloriæ communicator, pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neq; vt dominantes in cleris: sed forma facti gregis ex animo, & cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* 1. Petri 5. quæ verba non presbyteros magistratibus politicis, sed magistratus potiùs, vt ceteros laicos, presbyteris subijciunt.

CAPVT XIII.

Soluuntur, aut soluta demonstrantur argumenta Illyrici.

ETsi ex ijs, quæ hactenus dicta fuut, profligata videtur omnis controuersia, & argumenta omnia, quæ ab aduersario adferebantur, dissolùta: quia tamen Illyricus in ipso primo capite sexdecim obiectiones, quasi totidem cohortes, aut legiones produxit in aciem, quas non eodem ordine, sed prout se obtulit occasio, varijs in locis confecimus: operæpretium visum est, hoc loco singulas iterum inspicere, & vel locū annotare, vbi solutæ sunt, vel breuiter refellere, si qua fortè adhuc restat, quæ caput attollere videatur. Ita igitur ille pręfatur: Quòd non sit facta per Papas Imperij translatio à Græcis ad Germanos, probatur sequentibus argumentis.

Primò, quia id asserunt probantq; duo summi viri, idq; non temerè, suóve arbitrio, sed ex vetustis historijs, nempe Nicolaus Cusanus Cardinalis, & Henricus Kaltheisen, Archiepiscopus Nidrosiensis, & Papa domesticus, qui ante centū annos mortui sunt, quorum testimonia in fine adijciam. Non opinor duos istos tuos milites tam esse temerarios, vt audacter stare velint in acie aduersùs nostros circiter quinquaginta, partim historicos, partim etiam Summos Principes, & Pontifices. Sed quid, si demonstrare potuero, ne istos quidem, Illyrice, tibi fauere?

Nicolaus Cusanus, vir alioqui doctus, & pius, iniuria temporum, tanta librorum veterū penuria laborauit, vt apertè dicat l. 3. Concordantiæ Catholicæ, c. 3. quem solùm locum Illyricus citauit, in nullis historijs se reperisse Carolum Magnum verum Imperatorem fuisse: proinde contendit Germanorum Imperium in Othone primo ita cœpisse, vt nullus prædecessorum eius inde vsque ad Carolum Magnū Imperator fuerit. placet ne tibi Illyrice, vt auctore Cusano, negemus etiam nos, Carolum, Ludouicum, L[illegible]um, & ceteros tā multos Imperatores fuisse? Deinde nullum omninò Historicum, neq; priscū, neq; recentē Cusanus nominatim citat, excepto Luithprando Ticinēsi: quid igitur tibi volebas cùm diceres, Cusanum non temerè, suove arbitrio, sed ex vetustis historijs sententiam suam munire? Ad hæc tuus ille Cusanus tota illa disputatione sua nihil molitur aliud, nisi Imperiū non esse translatum à Græcis ad Francos, Hadriani, vel Stephani Rom. ac Pontificum auctoritate: nam de

Leone tertio, cui omnes Historici veteres translationem hanc Imperij tribuunt, nihil omninò Cusanus dixit, ac Leonem tertium, nec nominauit quidem. quæ igitur est hæc noua Dialectica: Hadrianus, & Stephanus Carolū Magnū, Patricium Romanorum, non Imperatorem, & Augustum appellarunt: nemo igitur posteà Rom. Pontifex eumdem Carolum Imperatorem fecit?

Sed annotabo alium etiam insignem lapsum Cusani, vt Illyricus discat in alijs rebus magis, quàm in historijs, fidem habendam esse Cusano. Scribit igitur Cusanus loco notato, in generali Concilio Basileensi primo, anno 1061. Cadolum Parmensem à Legatis Romanis, cómuni omnium consilio electum Papam; Anselmum verò Lucensem à certis Romanis, & Normannis item electum cathedram occupasse. At vnde ista Cusanus hauserit, ipse viderit. constat enim ex Lamberto Schaphnaburgensi, qui tum viuebat, Cadolum Parmensem non in Concilio generali, neque anno 1061. neque à Legatis Romanis, sed ab Imperatore Henrico puero, & aliquot Principibus intrusum in Sedem Apostolicam anno 1063. contra verò Anselmum, qui in Pontificatu Alexander secundus appellatus est, Romæ communi consensu Romanorum electū, ac deinceps ab omni Ecclesia, & ab ipso etiam Imperatore Hērico, qui Cadolum elegerat, verum Christi Vicarium habitum. nec dissentiunt ab historia Germanica Lamberti, Chronica Mariani Scoti (qui etiā tunc viuebat) Othonis Frisingensis, Sigeberti, Martini Poloni, & aliorum. Atq; hactenus de Cusano. De Henrico Kalteisen nihil est quod dicam. nam ipse etiam Illyricus cùm aduertisset, nihil in eo esse præsidij, nullum eius testimonium protulit. Pergamus ad cetera.

Secunda, inquit, *ratio sit, quia Papæ, testantibus id ipsorum proprijs Iuribus, non sunt à Deo constituti Domini, &c.* Vide solutionem capite præcedente, vbi totam hanc Illyrici argumentationem exculsimus.

Tertiò, quia ipsemet Carolus iure, ac vi belli occupauit Occidentale Imperium. Vide solutionem cap. 7.

Quartò, quia alij historici id factum Senatui, populóque Romano tribuunt, non Papæ. Vide solutionem cap. 10.

Quintò, quia eam dignitatem habuit Carolus multiplici iure à suis maioribus, iure gladij, & insuper ex concessione Constantinopolitanorum Imperatorum. Vide solutionem cap. 7. & 10.

Sextò, quia incertissimæ narrationes illius translationis eam vanitatis redarguunt. Respondeo omnes probatos Historicos summa consensione translationem factam literis mandasse à Leone 3. anno 801. inchoante, ipso die Natalis Domini in Basilica sancti Petri. testimonia suprà scripta sunt in cap. 3. nam Ioannem Andream, Vincentium Gallum, Antonium Rosellum, & Glossam Decretalium, quos auctores inter se dissidentes Illyricus citat, nihil moramur, quòd illi, & posteriores sint, & in historijs parùm omnino versati.

Septimò, quia euidens indicium falsitatis istius translationis illud quoq; est, quòd Gratianus, qui diligentissimè talia congessit, nullam istius translationis Imperij mentionem facit, cùm alioqui ambitiosè omnia Pontificum decora ostentet, imò amplificet, & si quid in Imperatores beneficij contulerint, prædicet. Respondeo, Gratianū decreta, & canones, tum ex Pontificum epistolis & Conciliorum definitionibus, tum ex libris sanctorum Patrū satis diligenter collegisse; de rebus gestis Pōtificum, & Imperatorum non laborasse. Quare nemini mirum videri debet, cùm de translatione Imperij nullum sit factum decretum, sed res tantùm publicè gesta, si de ea re Gratianus mentionem non fecit. Porrò Gratianum ambitiosè ostentare, atque amplificare omnia Pōtificum decora, tam est à veritate alienum, quā quòd maximè. Sed non miror Illyricum tam liberè mentiri de Gratiano. quoniam enim iādudum apud Lutheranos Gratianus publico igni exustus fuit, existimauit Illyricus, saltem apud suos mendacia esse in tuto: quippe quæ codicibus iam sublatis detegi non possent.

Octauò, cognatum huic est, quòd Leo Octauus in restitutione, aut recognitione priuilegiorum Othoni Primo facta, cùm confessionis, aut potiùs concessionis Adriani secundi, qua se cum populo Romano Carolo subiecerat mentionem honorificam faciat, nihil prorsus, ne verbulo quidem vnico, de translatione Imperij dicit, cùm multò profectò istius huius tantæ rei meminisse debuisset. quærit enim in veteribus actis fundamentum huius suæ nouæ concessionis, aut largitionis, quod cētuplo iustiùs potuisset in illa, tam gloriosa Imperij translatione, si qua à Leone facta fuisset, vt isti fingunt, quàm in Adriani sola patriciatus confessione. quare cùm in illa, tam seria, solemnique actione inter Leonem Octauum, aut potius totam eius Synodum, & Othonem primū nulla prorsus mentio fiat istius translationis, merum profectò figmentum esse liquidò patet. Hæc profectò euidentissima demonstratio est.

Multa sunt hoc loco Illyrici ornamenta numeranda, atq; admiranda: primùm insignis memoria, aut historiarum peritia, cùm Adriano secundo tribuat, quod annis plus octoginta ante Adriani secundi Pontificatum gestum esse constat. deinde non vulgare studium veritatis, cùm scribat Adriani confessionem exstare, qua se cum populo Romano Carolo Magno subiecerit, & ea confessio tamen nusquam exstet; nam apud Gratianum can. Adrianus, & can. In Synodo, distinct. 63. ad quæ loca Illyricus respexit, legimus quidem concessum ab Adriano Carolo Regi ius eligendi Romanum Pontificem; at ius imperandi Pontifici, eumve iudicandi, quod verè, ac propriè ad subiectionem Pontificis pertinuisset, concessum non legimus. non est autem idem, ius eligendi Pontificem, & ius Pontifici imperandi, alioqui etiam Cardinales Pontifici imperarent; & Canonici Episcopo, & populus Regi, & Principes Imperatori; quòd Pontifices à Cardinalib. Episcopi à Canonicis, Reges à populis, & Imperatores à Principib. eligantur. Tertiò cernimus in Illyrico egregiā Iuris cognitionem, qui id in Iure perspicere potuit, quòd ibi numquā fuit. nam Leo Octauus (vt ex can. in Synodo iā citato, intelligi potest) renouare voluit maiorum suorū decretum de electione Pontificū, atq; id Othoni primo concedere, quod illi Carolo Magno concesserant, videlicet, vt ius esset Imperatori

nominan-

nominandi, tũ ipsum Romanũ Pontificẽ, tum etiam Episcopos ceteros. quoniam autem Carolo Magno Leo Tertius nihil eiusmodi dederat, sed Adrianus primus cum Episcopis sui tẽporis id fecerat: propterea Leo Octauus exẽplum sequi se dixit Adriani, in ea concessione; Leonis autẽ Tertij nõ meminit, quòd eius mẽtio ad rem non pertineret. quòd si in eo decreto Leo Octauus mentionem fecit patriciatus, quem Adrianus Carolo eodẽ tempore tribuit, id ea de causa fecit, quia simul, & iure electionum, & patricij dignitate Adrianus Carolum ornauerat. noluit enim ea separare, quæ coniũcta erunt, tametsi ad rem suam, aut solùm, aut certè potissimùm pertineret concessio iuris Pontificis eligendi. Agnoscimus postremò nouam in Illyrico formam demonstrationum, cùm hæc sit (illo auctore) euidentissima demõstratio: Leo Octauus in suo quodam decreto non dicit: Imperium translatum ad Francos, siue Germanos Romani Pontificis auctoritate: igitur merũ figmẽtum esse liquet, quidquid Historici tradunt de illa translatione. Egregiè omninò, quasi continuò debeat esse falsum, quidquid Leo Octauus non dixit.

Nonò, quia multi id factum adscribunt Senatui, populóque Romano: alij ipsi Carolo, qui sibi id vltrò sumpserit suo arbitrio, ac iure, &c. Sed hæc est mera repetitio tertij, & quarti argumenti.

Decimò, quid impudẽtius, aut vanius fingi potest, quàm Papam, aut plebem Romanam, potuisse, vel etiam ausos esse transferre, aut donare cuiquã supra se Imperium, qui iamdudum amissa libertate, iurata mancipia Imperatorum erant: ipsimet Carolo iã amplius viginti annis antea sub Adriano, omnem potestatem Imperatorũ Constantinopolitanorũ in Romã, Italiam, & Papas ipsos (quã ipse alioqui armis acquisierat) Pontifex, ac Romani, integráque Synodus, adbibitis etiã iuramentis, & Anathematib. consenserant, eiúsq; sese subditos, & veluti mancipia recognouerant, aut confessi fuerant, vt id ipsum proprium eorum ius, distinct. 63. & omnes historia testantur. Diximus de hac re satis multa in secundo capite: verumtamen nihil oberit hic adscribere, quidquid habetur apud Gratianum dist. 63. vt Illyrici mendacia eo teste detegantur, quem ipse pro se protulit. Sic igitur loquitur Gratianus. Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad defendendas res Ecclesiæ postulauit. Carolus verò Romam veniens, Papiam obsedit; ibique relicto exercitu, in sancta Resurrectione ab Hadriano Papa honorificè susceptus est. post sanctam Resurrectionẽ reuersus Papiã, cœpit Desiderium Regem. deinde Romã reuersus, constituit ibi Synodũ cum Hadriano Papa in Patriarchatu Lateranensi, in Ecclesia sancti Saluatoris: quæ Synodus celebrata est à 153. Episcopis, Religiosis, & Abbatib. Hadrianus autẽ Papa cum vniuersa Synodo tradiderunt Carolo ius, & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicã Sedem: dignitatem quoq; patriciatus ei concesserunt, insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit, vt, nisi à Rege laudetur, & inuestiatur Episcopus, à nemine consecretur, & quicũque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit: & nisi resipisceret, bona eius publicari præcepit. Hæc Gratianus, quę ad verbum reperiuntur etiam apud Sigebertũ in Chronico anno 773. ceteri autem Historici veteres Rhegino, Ado, Otho Frisingensis, Lãbertus Schaphnaburgẽsis, Marianus Scotus, & Abbas Vrspergensis in Chronicis eiusdẽ anni, & sequentiũ, nihil omninò hac de re scripserũt.

Dicat igitur nobis Illyricus, vbi sit in verbis Gratiani, & Historicorũ, datam esse Carolo ab Hadriano omnẽ potestatem Imperatoris Cõstantinopolitani; item datum esse Carolo Imp. in Romanos Pontifices; item adhibitũ iusiurãdum, quo Papa subijceretur Regi; itẽ agnouisse, & confessos esse Pontifices se Caroli esse mancipia, nihil certè horũ legitur, nec in Gratiano, nec in vllo scriptore. proinde necesse est Illyrici esse mendacia. Deinde quo pacto non secum ipse pugnasset Hadrianus, si se Regis mãcipium agnouisset, & tamen eidẽ dignitatẽ patriciatus, & ius eligendi Pontifices concessisset? nisi fortè illius temporis mancipia ea prædita auctoritate erant, vt etiam patricios facere, & Reges ipsos nouis dignitatib. augere possent. quid quòd Rhegino in Chronico an. 787. scribit, Carolũ Regem, & patricium subditum se Hadriani Pontificis agnouisse? Rex aũt (inquit Rhegino) ad postulata respondit, se per multa tempora quæsiuisse, sed minimè obtinere potuisse: ne tamen inobediens videretur esse monitis Apostolicis, asseruit se in eiusdem Papæ præsentia, cũ eiusdẽ missis pacẽ velle firmare.

Vndecimò: Testantur quoq; omnes Historici, etiã ij, qui Papis sunt addictissimi, Leonem Papam, mox vt electus fuit in Papam, misisse ad Carolum Magnum legationem vnà cum clauibus sancti Petri, quod est Papale insigne, & vexillis Vrbis Romæ cum aquilis: petijsseq; iuxta Synodum Hadriani confirmationem sui, & vt aliquis mitteretur, qui Romanos Carolo denuò iuramento adstringeret, quod fuit extremæ subiectionis indicium. quare etiam paulò post orto dissidio inter Papam, & Romanos, tum ipse Papa ad Cæsarem, vt suum superiorem confugit, tum & Romani eodem suos accusatores miserunt, vt sic vtriq; sint testati eum esse suum legitimum iudicem, ac dominum. quàm fœda ergo tandem est ista vanitas, quòd Papistæ fingunt illos seruos, aut mancipia Caroli Imperium in Romanum in Carolum transtulisse, eúmque sibi, vt vasallum quemdam dato feudo obligasse: vt nunc arctissimis iuramentis Cæsares sibi obstringunt, & etiam ad turpissima pedum oscula adigunt. Non satis; scio, quid in hac obiectione magis admirer. imperitiã, an impudentiã: Claues sancti Petri à Leone ad Carolum missas, doctus Illyricus Papale insigne interpretatur, quasi Pontifex Leo Pontificatum suum Carolo Magno, vel dono dederit, vel certè subiecerit. At claues illæ nihil erant aliud, nisi thecæ quædam pretiosæ, quib. reliquiarum fragmenta seruabantur. Solebant enim Pontifices, cùm summo aliquem munere afficere voluissent, rasuram catenarum sancti Petri, aut aliquid aliud generis eiusdem, clauicula aurea, vel argẽtea inclusum mittere. Audi sanctum Gregoriũ epist. 23. lib. 6 ad Theotistum, & Andream: Pręterea (inquit) benedictionem sancti Petri Apostoli, clauem à sacratissimo eius corpore trãsmisi. Et in epist. 126. libri septimi ad Recharedum Regem Visigothorum; Clauem (inquit)

Paruulam à sacratissimo beati Petri Apostoli corpore pro eius benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis eius inclusum; vt quod collū illius ad martyrium ligauerat, vestrum ab omnibus peccatis soluat. Crucem quoq; dedi latori præsentium vobis offerendā, in qua lignum Dominicæ crucis inest, & capilli B. Ioannis Baptistæ: ex qua semper solatium nostri Saluatoris, per intercessionem præcursoris eius, habeatis. Talem igitur clauem non insigne Papale, sed religiosum munus Christianissimo Principi Summus Pontifex misit. nam idcirco Rhegino in Chronico anni 769. Ado Viennensis in Chronico, sexta ætate, & Abbas Vrspergensis item in Chronico eiusdem anni, has ipsas claues, confessionis sancti Petri, id est, sepulchri, claues appellant, & pro munere missas à Leone ad Carolum scribunt. qui etiam auctores in Chronico anni 800. simile quoddam donum ab Episcopo Hierosolymæ ad eumdē Carolum transmissum, his verbis tradunt: *Eadem die Zacharias pater cum duobus monachis, vno de monte Oliueti, altero de Bethlehem, Romam venit, quos Episcopus Hierosolymorum ad Regem direxit, qui benedictionis causa claues sepulchri Domini, ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis cū vexillo detulerunt.* hæc illi. Nec sanè dubitari vlla ratione potest, quin fuerint omnia illa religiosa munuscula, nō insignia dignitatum: quare Paulus AEmilius in vita Caroli, pia magis, quàm magnifica munera esse dixit.

Quod secundo loco addit Illyricus, postulasse Leonem, vt à Carolo mitterētur, qui Romanos eidem Carolo iuramento adstringerēt, iam suprà discussum est in primo capite, vbi ex ipso Illyrico demonstrauimus, Leonem à Carolo postulasse, qui Romanos iureiurando adstringeret, non Carolo, sed Leoni, & sanè ratio erat magna, cur nouo Pontifici Leoni nouum sacramentū populus præstaret: cur autem Carolo præstaret, nulla erat. Quæ cùm ita sint, euanuit (credo) illud iam extremæ subiectionis indicium, quod ex missis clauibus, & Legatis postulatis, qui ad iurandum Romanos adigerent, Illyricus fabricauerat.

At, inquit, *dissidio inter Papam, & Romanos exorto, vtriq; Carolum Dominum, ac iudicem appellarunt.* Nusquam illa nomina legi, iudicis, & Domini. res autem gesta narratur ab Othone Frisingensi lib. 5. c. 30. his verbis:

Anno ab Incarnatione Domini 799 Leo Papa, qui Adriano successerat, in Litania maiore à Romanis flagitiosissimè, ita vt oculi eius eruti viderētur, tractatur: qui ad Regem Carolū veniens, euentum rerū deplorat. Igitur Carolus victoriosissimus, qui iā subiugatis sibi Baioarijs, Aquitanis, Saxonibus, Danis, Normannis, Britannis, Pannonijs, multisq; alijs prouincijs, regnū Francorū plurimum dilatauerat, dignus qui altius proueheretur, Papam vlturus ad vrbem tendebat, cui pridie quàm Vrbem intraret, Leo ad duodecimum lapidem occurrit, eúmque honorificè suscepit. manè facto Vrbem ingressus, à Pōtifice, ac cuncto populo susceptus, in Ecclesiam beati Petri inducitur. pòst, septem diebus transactis, Rex cōcione facta, causam aduētus sui exponit. Leo quoq;, cui æmuli sui magnū crimen imposuerant, nemine cogente, ex bona conscientia de obiecto crimine coram omnib. supra sacrosancta Euāgelia se purgauit. hęc ille. ex qua narratione discimus, Carolum Romam venisse, non vt Pontificem iudicaret, sed vt iniuriam illi factam vlcisceretur, & Leonē Pontificem nō ab aliquo iudicatū, sed à se ipso, nemine cogente, iureiurando purgatū. nec dissentiunt Historici ceteri; sed Rhegino, atq; Abbas illud etiā addunt, Pontificem ad Carolum veniētem summo cum honore ab eodē Carolo susceptum; quod vtrùm vilissimis mācipijs satis conueniat (quales fuisse eo tempore Summos Pontifices mentitur Illyricus) Illyricus, ipse iudex esto.

Iam verò quod in postremis verbis Illyricus habet, adigi nunc à Pontificib. Imperatores ad iusiurandum, & oscula pedū, Otho Magnus, & Fridericus primus (vt alios prætermittam) nobis etiam tacentib. satis refellunt. siquidem ille Ioanni 12. Pontifici iurisiurandi sacramentum, antequàm Vrbem ingrederetur, à nemine coactus, nisi ab ipso iure, & æquitate præstitit: quod exstat adhuc apud Gratianum can. Tibi Domino Ioanni, dist. 63. iste autem (vt capite superiore ex Krantzio, & Radeuico demōstrauimus) Hadrianum Quartum humi prostratus spōte sua veneratus est, & Victori Quarto, quē ipse Pontificem in Schismate quodāmodo fecerat, nemine cogēte pedes osculari corā vniuersa Ecclesia nō erubuit. Sed de hac obiectione satis multa dicta sunt. pergamus ad ceteras.

Duodecimò, ipsa vox translatio eos euidentissimè mendacij redarguit. nam si transtulerunt Imperiū à Græcis ad Francos: sequitur Græcos esse planè priuatos Imperiali dignitate. Et infrà: *Decretalis, Solita, clarè Constantinopolitanum Regem vocat Imperatorem Romanorum.* At hæc obiectio nulla est. non enim Imperium vniuersum, sed Occidentale solùm translatum esse diximus à Græcis ad Francos. Græci siquidem cum Gothos, Belisario, & Narsete ducibus, Italia exegissent, Occidentale Imperiū Orientali iterum adiunxerunt: posteà verò quàm à Leone Pontifice Carolus Magnus Occidētalis Imperij iure donatus est; Græcus Imperator Occidentali Imperio caruit, Orientale retinuit, atque ex eo tempore Augusti duo pari potestate Romanum Imperium tenuerunt.

Decimotertiò, quacumq; omninò parte, aut quasi lacinia quis istam narrationem translationis Imperij apprehendit, mox liquidò animaduertit esse vanissimum mendacium. fingunt enim illi Carolum ignorasse Papæ consilium, &c.

Ista verò est noua forma Syllogismi. cōstat enim tota argumentatio ex tribus manifestissimis crassissimisq; mendacijs, quæ sunt à nobis suprà ca. 2. notata, & refutata. vide igitur cap. 2. mendacia 15. & 16.

Decimoquintò (nam decimum quartum præ festinatione Illyrico excidisse videtur, nisi fortè sit error in numeris.) Quis (inquit) dubitat, si Papa, ac Romani sponte, suóq; arbitrio Imperium à Græcis in Francos trāsferre tunc potuissent, voluissentq;, eos certis firmisq; pactionib. ac conditionib. cum Carolo acturos fuisse, quib. tum sibi, tum etiā alijs regionib. & hominib. cauissent de certa quadā libertate, &c. An tu ridiculus non es, Illyrice, cùm pactū de libertate retinenda commemoras, vbi de Imperatore, ac domino constituendo agitur? quibus enim, quæso, iste Cęsar imperabit, si omnes

homi-

homines, ac regiones, quæ ad illius Imperium pertinent, sibi diligenter de libertate cõseruanda caueant? Sed nimirum magistrum tuum sequutus es Lutherum, qui in libro de votis monasticis iubet monachos futuros hac forma verborum vti, cùm Deo sua vota nuncupant: Voueo paupertatem, castitatem, & obedientiã vsque ad mortem liberè, id est, vt mutare possim, quando volo, nec vnquam ea vota tenear obseruare. Audi igitur Illyrice: si pacta nulla inter Leonem, & Carolum intercessissent, mirùm videri certè non deberet: dabatur enim Imperium virtutibus Caroli, dabatur meritis eius, necnon patris, & aui, quæ multa, & magna in Ecclesiam Romanam exstabant. verùm tamen accesserunt etiam pacta, nõ quidem, vt tu dicis, de libertate gentium, & populorum conseruandæ, sed de Ecclesia vniuersa, ac potissimùm de Apostolica Sede perpetuò defendenda. est enim Imperator Romanus (vt iura passim loquuntur) proprius Ecclesiæ Catholicæ, atque præcipuus aduocatus. Porrò continetur hoc pactum, tum in eo sacramento, quod Reges Romanorum Pontifici Romano præstare solent, cùm ad coronam accipiendam veniunt: tum etiam in ipsa voce translationis Imperij: idcirco enim non nouum Imperium erectum, sed antiquum translatum ad Germanos dicitur, vt meminerint Germani Imperatores, non modò ius, & potestatem imperandi, sed etiam curam, & sollicitudinem Ecclesiæ tuendæ, Constantini, Theodosij, Martiani, Iustini, Tiberij, aliorumque veterum, ac piorum Cæsarum ad se translatam, quæ etiam causa est, vt aliquando Romani Pontifices certos Imperatores, & Ecclesiæ communione, & Imperij dignitate priuarint; quòd videlicet aduersùs inita, & iurata pacta, non se illi aduocatos, sed hostes Ecclesiæ præstitissent. Sed de his satis.

Decimosextò, Verùm, inquit, *vt hisce quoque argumentationibus, sententiæq́, finem imponamus: hoc vnum quæro à Pontificijs seductoribus: cùm constet Carolum ampliùs viginti annis ante illam Leoninam (penè dixissem vulpinam) Papæ coronationem totum Occidentale Imperium occupasse, & tenuisse, hoc (inquam) quæro, num iure occupauit, & tenuit, fuitq́, legitimus eius Monarchiæ possessor? Iniustè eum occupasse, ac tenuisse: non audebunt (credo) dicere. Si verò iustè occupauit, ac tenuit totum Occidentale Imperium tot annis ante Papatum Leonis, quomodo potuit Leo Imperium Romanum in eum transtulisse, aut quid tandem ei adiecit?* Sed hæc obiectio soluta est in sexto capite, vbi ostendimus, Carolum Magnum ante Leonis III. Pontificatum, iusto bello occupasse, ac tenuisse, non quidem vniuersum (vt Illyricus dicit) Occidentis Imperium (nec enim Hispaniam, Africam, Illyricum, Britanniam, Apuliam, Calabriam, Siciliam, aliasque nonnullas Occidentalis Imperij prouincias eo tempore Carolus occupauerat) sed magnam tamen eius partem, id est, Galliam, Germaniam, Pannoniam, atque Italiæ partem quandam. cæterùm ea ipsa loca non iure Cæsaris, sed partim iure regio, partim iure patricio Carolum possedisse. Id igitur Imperij translatio effecit, vt Carolus Magnus illa ipsa, quæ iam habebat, non tantùm vt Rex, aut Patricius, sed vt verus Imperator, & Augustus retineret: vtque ius haberet ad alias item prouincias, quas Occidentalis Imperij fuisse, atque iniuria ab alijs occupatas esse constaret: vt denique nominibus, titulis, honoribus omnibus veterum Cæsarum vteretur, atque eo nomine omnes alios Reges, Principes, tum eius successores, ac posteri anteirent, etiamsi aliquando contingeret, vt essent alij Christiani Reges, ipso Cæsare longè potentiores. Ac ne id parùm fortasse Illyrico videatur, reuocet ad memoriam, quæ de Zenone, & Theodorico ipse scripsit. non modò enim affirmauit, sed etiam multis testibus asserere conatus est, Theodoricum Gothum, Zenonis Imperatoris beneficio, Occidentale Imperium accepisse, cui si nunc obijciamus, Theodoricum ne vno quidem milite, aut obolo à Zenone adiutum, sua tantùm, ac suorum virtute, multis exantlatis laboribus, multoque sanguine effuso Italiæ possessionem adeptum, nihil aliud inueniet, quod respondeat, nisi ideò verè Theodoricum à Zenone Imperium (vel Regnum potiùs Italiæ) accepisse, quòd ab eo, ius, titulum, dignitatem, ac potestatem regiam accepisset.

LIBER SECVNDVS.

SVMMA.

Imperium Romanum de gente Francorum ad gentem Saxonum Summi Pontificis auctoritate transisse.

CAPVT I.

Successionem explicat Caroli Magni.

SEQVITVR altera controuersia apud Illyricum de translatione Imperij à Francis ad Saxones: quam translationem Illyricus non modò, non auctore Romano Pontifice, sed etiã eo inuito factam esse contendit. Sed vt res tota faciliùs perspiciatur, historia successionis Imperatorum à Carolo vsque ad Othonem paulò altiùs repetenda erit. Igitur Carolus Magnus à Leone III. Pontifice Romæ anno 800. coronatus, successorem habuit Ludouicum filium, quem Stephanus IV. aliàs V. Papa Remis in Gallia coronauit ann. 815. teste Othone Frisingensi lib. 5. cap. 33. Ludouico Lotharius filius successit, quem Paschalis Papa Romæ coronauit anno 822. eodem teste Othone lib. 5. cap. 34. Lothario successit filius Ludouicus, quem Sergius Papa II. Romæ coronauit anno 844. teste Adone Viennẽsi in Chronico, 6. ætate. Ludouico Carolus successit, qui huius Ludouici patruus erat, Lotharij videlicet frater ex patre Ludouico seniore: coronauit autem Carolum Caluum Romæ Ioannes VIII. anno 874. teste Rheginone lib. 2. Chronici. Carolo Caluo Ludouicus Balbus filius successit anno 877. teste Rheginone ibidem. coronauit autem eum idem Ioannes Papa VIII. teste Onuphrio in additione ad Platinã in vita eiusdem Põtificis Ioannis. Ludouico Balbo successit Carolus Crassus, Ludouici Regis Germaniæ

filius, qui Ludouicus Caroli Magni ex Ludouico filio nepos erat. Coronauit eũ idẽ Ioannes VIII. Romæ an. 878. teste Othone Frisin. li. 6. c. 8. Carolo Crasso Arnulphus successit, quem Papa Formosus coronauit Romæ an. 896. teste Rheginone in Chronico. Fuit aũt Arnulphus Carolomãni filius, Ludouici Regis Germaniæ nepos. Arnulpho successit filius Ludouicus, Ludouico Chũradus, Arnulphi ex alio Chunrado nepos. atq; hîc series desijt Caroli Magni, & gentis Francorũ, vt ex Abbate Vrspergen. in Chronico anni 914. cognosci potest. Chunrado successit Henricus I. ex gente Saxonum cognomento Auceps. nam etsi is Henricus nepos erat Arnulphi Imperatoris ex filia, vt Albert. Krantzius demonstrat li. 2. Saxoniæ c. 33. tamẽ ex patre nõ Francus erat, sed Saxo. porrò nullus horũ triũ coronã Imperialẽ habuit, vt Historici omnes testantur. Henrico autẽ filius Otho successit, quem Ioannes Papa XII. Romæ, vt infrà demonstrabimus, coronauit.

Quæstio igitur est, cœperit ne Saxonum Imperium in Henrico, an in Othone? & quidem in Henrico cepisse, Illyricus totis viribus cõtendit: siquidem inde rectissimè deduci putat, inuito Romano Pontifice Saxonicum Imperium cõstitutum: quoniam is Henricus nec Romam ad Pontificem venit, nec ab eo vnctionem, vel coronationem vllam postulauit. Ego verò Imperatorem primum ex gente Saxonum Othonem Magnum fuisse, eumque à Romano Pontifice Imperium accepisse, nullo negotio demonstrari posse censeo.

CAPVT II.

Othonem I. non autem Henricum, aut Chunradum Imperatorem primum ex gente Saxonum fuisse, demonstrat.

PRimùm igitur, Henricum patrem Othonis, Regem tantùm, non Imperatorẽ fuisse, testis est ipse idem Henricus, qui Regio nomine contentus, insignia, appellationesque cæteras, necnon vnctionem, & coronationem sponte recusauit, vt custos Imperij potiùs, quã Imperator dici possit. Vitichindus, qui huius Henrici tempore vixit, lib. 1. gestorum Saxonicorum, de hoc ipso Henrico ita loquitur: *Cùm ei offerretur vnctio cum diademate à Summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, nõ spreuit, nec tamen suscepit, satis, inquiens, mihi est, vt præ meis maioribus Rex dicar, & designer, diuina annuente gratia, ac vestra pietate: penes meliores verò nobis vnctio, & diadema sit: tanto honore nos indignos arbitramur.* Hæc Vitichindus, quem sequutus Abbas Vrspergen. in Chronico anni 920. Henricus, inquit, renuit diadema, & vnctionẽ, solo nomine Regis cõtentus. Albertus Krantzius li. 3. Saxoniæ, c. 2. Henricus, inquit, Dux Saxoniæ, primus ex ea familia ad Romani regni culmen ascendit, quod ea domus per aliquot cõtinuata secula perseueranter seruauit, vt in contextu docebimus, cui, si in Italiam prædecessorum more venire dignaretur, diadema cum cõsecratione ad Imperatoriam dignitatem Ioannes eius nominis X. Summus Pontifex repromisit. Henricus autem satis sibi videri respondit, quòd primus ad regni culmen immeritus peruenisset; diadema Imperij maioribus debitum: se nihil ambire supra id, quod accepisset, etiam sic maiora, quàm obire posset, sustollentem onera. Habemus igitur in primis Henrici ipsius ingenuum planeque Germanicum testimonium.

Sed accedant secundo loco sequentiũ Principum, eiusdem nominis testimonia. nam (vt Onuphrius Panuinus testatur in libro de Comitijs Imperatoris) S. Henricus, Chunradus, & tres alij Henrici, qui post Othonem III. imperarunt, in diplomatibus suis ita nomina sua inscribunt, vt nullo loco Chunradum, & Henricũ, qui ante Othones regnauerunt, inter Imperatores habuisse videantur. non enim se scribũt Chunradum II. & Henricos II. III. IV. V. sed Chunradum I. & Henricos I. II. III. & IV. quibus etiam numerorum notis distingui sepulchra Chunradi, & posteriorum trium Henricorum, quæ adhuc Spiræ exstant, idem Onuphrius testis est: vt iam non leuis temeritas eorum esse videatur, qui contra ipsa Imperatorũ diplomata, & literas in monumentis ante tot annorum centurias incisas Chunradum I. & Henricum I. Secundos; necnon Henricum II. III. & III. IV. & IV. V. appellandos esse contendunt. De Ludouicis autem res adeò manifesta est, vt non possit Illyricus Ludouicum, Arnulphi Imperatoris filium, qui corona Imperij caruit, inter Imperatores numerare, quin sibi ipse repugnet. nam si is Ludouicus Imperator fuit, necesse est quartus fuerit. tres enim ante ipsum Ludouici præcesserant, senior, iunior, & Balbus; at si quartus est Arnulphi filius, qua ratione Ludouicus Bauarus, & se ipse quartum, non quintum, in omnibus suis diplomatibus vocat: & quartus, non quintus, ab omnibus auctoribus, & ab ipso Illyrico in hoc lib. de translatione Imperij, aliquoties appellatur? Quòd si Ludouicus illeè numero Imperatorum eximitur, quia corona, & vnctione Apostolica caruit, licèt alioqui de stirpe Caroli, & filius Imperatoris fuerit: quantò magis Henricus Saxo ex Imperatorum numero eximendus erit, qui nihil horum habuit, & coronam, ac dignitatem Imperatoriam recusauit?

Accedant postremò testimona etiam veterum grauissimorumque Historicorum. Lambertus Schafnaburgensis in historia Germanica, Anno, inquit, 1024. Henricus primus Rex, II. Rex Imperator obijt. Vbi vides, Lector, Lãberti Historici grauissimi, & Germani, & qui illo ipso seculo floruit, iudicio, Henricum I. Regem tantùm; secundum autem, Regem, Imperatorem fuisse. Rhegino, & Sigebertus non dissentiunt à Lamberto: siquidem tres illos Reges, Ludouicum Arnulphi Imperatoris filium, Chunradum & Henricum, qui coronam Imperij à Romano Pontifice non habuerunt, nunquam Imperatores, sed perpetuò Reges vocant, cùm tamen præcedentes, & sequentes Reges, qui à Romano Pontifice coronati fuère, Imperatores semper appellent. Otho Frisingensis pluribus in locis sententiam nostram apertè confirmat. Sed antequàm verba illius ponam, operæpretium esse duxi, Lectorem præmonere, quòd Otho Frisingensis scribit, & sæpè repetit, virtute Othonis I. Imperium transisse ad Francos Orientales, non sic esse accipiendum, quasi Otho I. sine Pontificis

Max. auctoritate Imperium obtinuerit. id .n. paulò post apertissimis argumentis refutabitur. Id igitur solùm Otho Frisingensis significare voluit, in Othone I. translationem factam esse Romani Imperij ab Occidentalibus Francis ad Orientales, eius autem translationis caussam fuisse virtutem eiusdem Othonis, qui & à Pontifice Summo promotionem ad eam dignitatem facilè promeruit, & armis hostes Imperij fortissimè domuit. Ille igitur sic loquitur lib. 6. hist. c. 17. *Ex hoc,* inquit, *quidam post Francorum regnum supputant Teutonicorum. unde filiũ Othonem in decretis Pontificum, Leonem Papam, primum Regem Teutonicorum vocasse dicũt.* nam iste, de quo agimus, Henricus, oblatam sibi à Summo Pontifice dignitatem renuisse perhibetur. Et infrà: Otho, inquit, qui Imperium à Lõgobardis vsurpatum deduxit ad Teutonicos Orientales Francos; forsan dictus est primus Rex Teutonicorum, non quòd primus apud Teutonicos regnauerit, sed quòd primus post eos, qui à Carolo Carolingi, sicut à Merouco Merouingi, dicti sunt, ex alio, id est, Saxonum sanguine natus, Imperium ad Teutonicos Frãcos reuocauerit. Et cap. 22. vbi narrauit coronationem Othonis Romæ celebratam, ita subiungit: Ex hinc Regnum Romanorum post Francos, & Longobardos ad Teutonicos, vel, vt alijs videtur, iterum ad Francos, vnde quodammodo elapsum fuerat, translatum est. Et cap. 24. Hinc, inquit, est Otho, qui post multas victorias Græcos quoque in Apulia, & Calabria superauit. ac Imperium Romanorum virtute sua ad Francos Oriẽtales reduxit. Et paulò antè: Vide, inquit, regnum Teutonicũ cum regno Francorum affine, & quodammodo cognatum principium habere. ibi primùm Carolus (Martellus) sine Regis nomine honorẽ Regis gerebat: hic Magnus Otho Saxonum Dux (Othonis Imperatoris auus) Regibus adhuc ex stirpe Caroli manentibus, regni summam administrabat. Illius filius Pipinus non solùm re, sed etiam nomine Rex cœpit esse, & dici; huius simili modo filius Henricus Regis nomine meruit honorari. illius filius Carolus Magnus non solùm regnum, sed etiam Imperium capto Desiderio prim⁹ obtinuit ex Francis. istius filius Otho Magnus post multos triumphos, primus ex Teutonicis post Carolos capto Berengario Romanis imperauit. Hæc ille.

Neque ab hoc numero veterum Historicorum separandus est Luithprandus Diaconus his omnibus antiquior. siquidem ipse lib. 6 c. 6. cum Othonem I. ante coronationem Imperialem pijssimũ Regẽ tantùm, deinde autẽ etiam Imperatorem Augustum fuisse dicat: manifestè significat, Henricum Othonis patrem, qui coronatus nunquam fuit, Imperatorem nunquam fuisse. Philippus Bergomensis lib. 11. supplementi Chronicorum, apertè docet, à Ludouico Arnulphi filio vsque ad Othonem I. non fuisse in Germania Imperatores, sed Reges dũtaxat. deinde lib. 12. addit in Othone I. Imperiũ Germanis iterum restitutum. Lupoldus quoq; in lib. de Iuribus Imperij c. 2. & 5. vt ipse Illyricus citat pag. 105. Othonem Imperatorem primum ex gente Saxonum facit.

Addamus, si placet, etiam testimonium Cu-

A spiniani, quoniam eo auctore Illyricus mirificè delectari videtur. Othonem (inquit Ioannes Cuspinianus in vita eiusdem Othonis) pleriq; scriptores primum Germanorum Imperatorum numerant, quod Imperium à iusta sobole, agnationeque Caroli Magni ablatum, primus hic Otho iustus princeps, vir belli, pacisque insignis, recuperauit Pontificis Maximi auctoritate. Habemus igitur testimonijs Historicorũ, Principum, & ipsius Henrici patris Othonis, non Henricum patrem, sed Othonem filium Imperatorem primũ ex gente Saxonum fuisse. quòd etiam cognomen Magni satis apertè significare videtur. nam propterea inter omnes Imperatores Occidentis, soli Carolus, & Otho Magni cognomen inuenerunt, quòd ille ad Francos, ille ad Saxones, Imperij Romani de-

B cus attulerit.

CAPVT III.

Eundem Othonem à Summo Pontifice Ioanne XII. ad Imperium prouectum ostendit.

IAm verò demonstrandum superest, hunc ipsum Othonẽ à Pontifice Romano ad Imperium vocatum, prouectumque fuisse. Id verò Historici omnes vna voce tradunt, atque vt à posterioribus sursùm versus ascendamus: Cuspinianum modò dicentem audiuimus, ab Othone quidem recuperatum Imperium, sed Pontificis Maximi auctoritate. Albertus Krantzius lib. 4. Saxoniæ, c. 9. Cùm appropinquaret, inquit, Vrbi, insigni pompa à Romanis est introductus, & Imperij coronam cum consecratione, & Imperatorio honore suscepit.

C Ioannes Nauclerus in Chronographia sua, gener. 33. Otho, inquit, à Ioanne Papa Augustus vocatur, & ordinatur, vnctione Imperiali, ac benedictione sublimatus. Idem quoque docet Blondus lib. 3. decad. 2. Platina in vita Ioannis 12. quem ipse tamen 13. vocat. Philippus Bergomensis lib. 12. Supplementi, & Iacobus VVympheling ius in Epitome rerum Germanicarum, cap. 18. Sigebertus in Chronico: Anno, inquit, 963. Otho I. à Ioanne Papa coronatur. Lambertus Scafnaburgensis in historia Germanica: Otho Rex, inquit, perrexit Romam: cumque Ioannes Papa gratanter suscipiens honorificè super Cathedram Augustalem posuit, & benedictione, atque consecratione sua Imperatorem fecit. Otho Frisingensis lib. 6. c. 22. Otho, inquit, gloriosus Rex à Papia vsque ad Vrbem progrediens, honorificè à summo Pontifice

D Ioanne, ac toto populo susceptus, applaudentibus cunctis, Imperatoris, & Augusti nomen sortitur.

Abbas Vrspergensis in Chronico: Ipse, inquit, Romam veniens mirifico apparatu susceptus, & ab eodem Apostolico Ioanne Imperiali vnctione, & benedictione sublimatus, Imperator, & Augustus est appellatus.

Marianus Scotus in Chronico: Otho Rex, inquit, Romam veniens, Imperator efficitur à Ioanne Papa.

Rhegino Abbas lib. 2. Chronici, Rex, inquit, Otho Romæ fauorabiliter susceptus, acclamatione totius Rom. populi, & Cleri, ab Apostolico Ioanne Imperator, & Augustus vocatur, & ordinatur.

Luithprandus Diaconus Ticinensis, qui

tempore

tempore ipsius Othonis floruit, lib. 6. de rebus per Europam gestis. c. 6. Romam, inquit, veniens (Otho I.) miro ornatu, miroque apparatu susceptus, ab eodē summo Pontifice, & vniuersali Papa Ioanne vnctionem suscepit Imperij.

CAPVT IV.

Obiectiones Illyrici diluit.

VIdeamus nunc quid pro sententia sua Illyricus adferat, quamquam valdè suspicor fore, vt mendacia potiùs, quàm argumenta nobis refellenda sint.

Sic igitur incipit pagina, 64. *Indicatum est, quomodo Imperij possessio, & dignitas peruenerit à Græcis ad Carolum Francum, aut Germanum.* Et infrà: *Porrò quomodo à Francis, ad reliquos Germanos peruenerit, nunc indicandum est. nam hic quoq; Papæ adulatores, vt vbique, mendacijs omnia conspurcant, ac corrumpunt.* Videlicet Illyrico magna religio est mentiri, idcircò cōfidenter alios mendacij reprehendit: sed quàm verè id faciat, testantur, quæ suprà diximus, & quæ continuò Illyricus ipse subiungit. sic enim pergit: *Dicunt enim illi, quòd deficiente virtute stirpis Carolinæ, Cardinales scripserint ad Othonem I. eumq; creauerint Imperatorem. quod tamen nullis certis documentis probare possunt.* At non hoc dicunt scriptores, qui sunt alicuius nominis apud Catholicos, quos tu falsò Papæ adulatores vocas; plerique Othonem I. à Romano Pontifice Ioanne XII. Imperatorem creatum esse tradunt, non à Cardinalibus, testimonia paulò antè citata sūt. atque, vt verum fatear, nullum omninò auctorem me legisse memini, qui à Cardinalibus Imperium Othoni delatum scripserit. Scripserūt quidem Cardinales duo ad Othonem Imperatorem quędam aduersùs Ioannem Pontificem: sed posteaquā idem Otho ab eodē Ioanne Imperator fuerat appellatus, & coronatus, vt Illyricus ipse testatur in historia Magdeburgensi Cent. 10. c. 10. col. 535. Itaque literæ illæ Cardinalium nihil omninò ad rem præsentem faciunt. Pergit Illyricus: *Vera autem historia illius translationis exstat prolixè apud Nauclerum, & Cuspinianum. ex qua narratione liquidò patet, non potestate, aut voluntate Papæ factam esse.* Id verò iam impudens est mendacium. Cuspinianus. n. (vt paulò antè citauimus) in vita Othonis ita loquitur: Imperium à iusta sobole, agnationeque Caroli Magni ablatum, primus hic Otho iustus princeps, vir belli, pacisque insignis recuperauit Pontificis Maximi auctoritate.

Quid hîc dicis Illyrice? liquidóne patet ex his verbis Imperium translatum ad Germanos sine Pontificis voluntate, & potestate, an te potiùs egregiè esse mentitum? Porrò Nauclerus etsi zelo patriæ (vt ipse fatetur) conatur asserere Henricum patrem Othonis Imperatorem, vel certè Regē Romanorū fuisse: nō tamē sine voluntate Romani Pontificis fuisse docet (vt Illyricus noster mentitur) quin potiùs sententiā suam Nauclerus ex decretis Pontificū adstruere conatur, nimirùm profert ca. Venerabilē, de electione. & Clementinā, Romani Principes, de iureiurando: vbi legimus Imperiū Romanū auctoritate Sedis Apostolicæ translatum à Græcis ad Germanos in persona Caroli Magni. ex quibus decretis Nauclerus colligit, Henricum, & eius præcessores Conradum, & Ludouicum, Imperatores fuisse, quia Romani Pontifices, qui Imperium transtulerunt, apud Germanos, non apud Gallos, aut Italos illud esse voluerūt.

Sed hæc eius argumentatio, nec apud Illyricum, nec apud nos vllius momenti est. neque enim Illyricus admittit, Pontificis auctoritate ad Germanos Imperium esse translatum: licèt pro sua cōstantia Nauclerum, qui illud docet, passim pro se testem adducat. nos autē fatemur quidem, vt potiùs asserimus, & defendimus, translationem Imperij auctore Pontifice factā esse: non tamen inde rectè posse colligi arbitramur, Ludouicum, Conradum, & Henricum, qui corona Imperij caruere, Imperatores Romanorum fuisse, nisi fortè designatos: quemadmodum olim Cæsares dicebantur, qui Augusti futuri erant: licet nondum essent re ipsa. siquidē illi ipsi textus, quos Nauclerus citat, apertè docent, Germaniæ Principes potestatem habere eligendi Regem, in Imperatorem postmodum à Pontifice promouendum. quare tres illi, qui à Principibus electi ad Regnum, non autem à Pontifice ad Imperium promoti fuēre: Reges duntaxat, non Imperatores, secundùm ea capitula, dici possunt.

Addit posteà Nauclerus, Henricum patrem Othonis ideò verum Imperatorem habēdum, quòd à summo Pontifice Imperator habitus videatur, cùm exstet apud Gratianum distinct. 63. constitutio primi Henrici, & primi Othonis cum Romanis Pontificibus. Sed hoc totum vt aduersùs Illyricum mirificè pugnat, ita nobis parum omninò nocet. nam etiamsi in ea cōstitutione nominetur primo loco Henricus, non tamen necesse est eum Henricum illum esse, qui Othonem præcessit: imò verò probabilissimum est, illum esse, qui Othonem III. sequutus est. is enim verè primus Henricus Imperator fuit, & magnam cum Romanis Pontificibus amicitiam habuit. cur autem ante Othonem nominetur, causa esse videtur, quòd eius constitutio notior, & recentior esset. Adde quòd in ea constitutione nulla Imperij mētio fit, nec Henricus ille primus Imperator nominatur: quare ad causam nostram non facit, quis ille Henricus fuerit.

Pergit Illyricus: *Nam quod attinet ad illam scriptionem Cardinalium ad Othonem, ea fuit nihil aliud, quàm accusatio Ioannis XII hominis impurissimi, ac petitio, vt deposito eo, alium meliorem Episcopum, aut Papam in eius locum sufficeret: quod etiam Otho I. strenuè effectum dedit. nam tunc, & olim per omnem vetustatem erat iuris, & auctoritatis Cæsareæ, impuros Papas castigare. historia habetur prolixè apud Luithprandum Ticinensem Historicum fide dignissimum. Veritas huius sententiæ, & falsitas Papistica, etiam ex eo elucescit, quia si verè de creatione noui Imperatoris actum fuisset, eaq; (vt isti volunt) iuris, ac potestatis Pontificiæ fuisset, non Cardinales aliquot, sed ipsemet Papa de ea scripsisset, eamq; peregisset.* An igitur si ex ipso Luithprando demonstrauero, non Cardinales, sed Papam ad Othonem scripsisse, & eundem Othonem Imperatorem creasse: non continuò fabula illa de Cardinaliū literis, & querimonia euanescet: & luce clariùs apparebit, veram esse sententiam nostram, Illyrico teste, & ipsum

eundem

eundem Illyricum, qui nos ad Luithprandum remisit, suo se gladio iugulasse? Hæc igitur sunt verba Luithprandi libro 6. de rebus per Europam gestis, c. 6. *Ioannes summus Pontifex, & vniuersalis Papa, Legatos S. R. E. Ioannem videlicet Cardinalem Diaconum, & Azonem Scrinarium serenissimo, atque piissimo tunc Regi, nunc Augusto Cæsari Othoni destinauit, suppliciter literis, & Regum signis orans, quatenus pro Dei amore, sanctorumq; Apostolorum Petri, & Pauli, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibique commissam sanctam Romanam Ecclesiam, ex illorum (Berengarij, & Alberti) faucibus liberaret, ac saluti, & libertati pristinæ restitueret.* Hæc ille. qui etiam paulò pòst subiungit, quod suprà citauimus, Othonem literis Papæ acceptis, mox in Italiam venisse, atque ab eodem Papa Imperialem coronam, & Augusti nomē, & dignitatem accepisse: Neque verò Luithprandus solus (quamquam is etiam solus sufficeret, cùm & res gestas sui temporis scripserit, & Illyrico teste, Historicus fide dignissimus fuerit) sed etiā alij grauissimi scriptores, non Cardinalium, sed Pontificis Maximi literis Othonem Regē ad Vrbem vocatum, & ab eodem Pontifice Imperatorem creatum scribunt. (Abbas Vrspergensis in Chronico anni 962. Otho, inquit, rogatu Ioannis Papæ, & querimonia multorum de Berengario, & filio proclamantium, Romam tendit: ibique Imperator ab eodem Papa factus Berengarium capit. Otho Frisingensis libro sexto histor. capit. 21. Ioannes, inquit, Diaconus, & Azo Scrinarius ab Apostolica Sede missi ad Regem (Othonem) veniunt, tam de tyrannide Berengarij querimoniam facientes, quàm ipsum ad defensionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac totius Italiæ inuitantes. Capite verò sequēti describit idem auctor Othonis coronationē à Romano Pontifice factā.

Sed vt videas, Lector, non solùm impudentiam, sed etiam inconstantiam, & leuitatem Illyrici, legito historiam eius Ecclesiasticam, Cent. 10. cap. 10. col. 535. ibi siquidem omnia reperies, quæ nos accersitis hinc inde testimonijs confirmare nitimur. *Ipse Ioannes*, inquit Illyricus, *Othonem Imperatorem tum suo, tum Romanorum nomine missis ad eum Legatis, ad Berengarij tyrannidem auertendam, in Italiam denuò accersiuit.* Et infrà: *Imperator externo rerum statu aliquo modo in Italia pacato, Romam adijt: ac præstito prius Romanis iuramento, de suo erga Vrbem, & Ecclesiam in defesso studio, intra mœnia receptus est: à Pontifice autem, totoq; populo honorificè excipitur, ac paulò pòst Imperium diademate vnà cum filio, septem vix annorum, accepto: insuper Germaniæ, Pannoniæq; titulo, publico, & solemni ritu, in B. Petri basilica ante altare à Ioanne ornatur.* Hæc ille. Ex his igitur testimonijs, & ijs, quæ paulò antè citauimus de coronatione Othonis: manifestissimè colligitur, ipso etiam teste Illyrico, inde elucere veritatem sententiæ nostræ, vnde ipse falsitatem eiusdem nostræ sententiæ elucere arbitrabatur.

Sed enim aliud quoque mendacium in verbis Illyrici suprà citatis inest, quod non est vlla ratione prætereundum. Quod enim Illyricus ait, ab Othone Ioannem Pontificem se abdicare coactum: & olim, ac per omnem vetustatem iuris, & potestatis Imperatoriæ fuisse Pontifices castigare, mendacium est impudentissimum. Siquidem omissis primis illis Pontificibus, sanctissimisque martyribus. Petro, Lino, Cleto, Clemente, & ceteris fermè ad Syluestrum vsque, quos ab Ethnicis iniquissmè cæsos Illyricus etiam confitetur: necnon paucis quibusdam, quos ab hæreticis Principibus fidei causa iniustè vexatos constat, quales fuēre Liberius, Felix II. Ioannes, Sylucrius, & Martinus: cæteri omnes vsque ad Ioannem XII. ab Imperatoribus Christianis religiosè (vt par erat) obseruati, summisque honoribus semper affecti sunt, nec poterit Illyricus vllum scriptorem testem producere, quemadmodum nec producit, aut in lib. de translatione Imperij, aut in historia Magdeburgensi, qui contrarium scripserit. Quanta igitur impudentia est, affirmare, per omnem vetustatem iuris Cæsarei fuisse, castigare Pontifices: cùm totius vetustatis exempla contrarium clament? Sed nec Ioannem XII. Otho deposuit, vt Illyricus iactat: neque enim id sibi arrogare ausus est pius Princeps, quod ei vel inuito Illyricus obtrudit. nam vt scribit Luithprandus libr. 6. capit. 6. & 7. & ex Luithprando Illyricus ipse Cent. 10. capite 9. col. 434. & seq. Otho Imperator cùm Ioannem Pontificem multorum criminum reum fieri videret, non ausus ipse iudicem iudicis sui se facere, Synodum Episcoporum Romæ coegit, atque eidem Synodo causæ cognitionem permisit. Hæc enim sunt verba Othonis in Synodo apud Luithprandum. Quid super hoc sancta Synodus decernat, edicat. Quin etiam in eodem libro duas epistolas Othonis ad Ioannem Luithprandus refert, quibus Otho Imperator Ioannem Pontificem honorificè admodum appellat, neque illi imperat, sed eum rogat, vt ad Synodum veniat: hoc autem est initium epistolæ prioris;

Summo Pontifici, & vniuersali Papæ Domino Ioanni, Otho diuina respectu clementiæ Imperator Augustus, cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino salutem. Romam ob seruitium Dei venientes, dum filios vestros, Romanos scilicet Episcopos, Cardinales, Presbyteros, Diaconos, & vniuersam plebem de vestra absentia percūctaremur, & quid causæ esset, quòd nos Ecclesiæ vestræ, vestriq; defensores videre noluissetis: talia de vobis, tamq; obscœna protulerunt, vt si de histrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. quæ ne magnitudinem vestram omnia lateant, quædam vobis sub breuitate describimus. Et infrà: *Oramus itaque Paternitatem vestram obnixè, venire, atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis.*

Nec illud hoc loco prætermittendum est, ne ipsi quidem Concilio licuisse in summum Pontificē sententiam dicere. semper enim hæc vox omnium veterum Synodorum fuit, primam sedem (extra causam hæresis) à nemine iudicari posse. ac licèt mirandum non sit, Othonem Imperatorem, qui Synodo intererat, minùs peritum fuisse rerum Ecclesiasticarum: ipsi tamen Synodo nullo modo ignosci potest. si quidem ea Synodus (vt est apud Luithprandū loco notato) non solum sine vllo exemplo antiquitatis Episcopum primæ sedis iudicare

ausa est, sed etiam illius excommunicationem contempsit, eo prætextu, quòd malus Episcopus nec ligare possit, nec soluere. quem esse manifestum errorem, ne Illyricus quidem negaret. quare non immeritò Otho Frisingensis lib. 6. c. 23. modestè Othonem Imperatorem, atque eius Synodum reprehendit. sed de his satis.

Pergit hinc Illyricus, & fusè admodum, sed præter rem, ac solùm, vt librum suum paulò grādiorem faceret, historiam recitat electionis Conradi, & Henrici, qui Othonem Magnum proximè præcesserunt, ex Nauclero, Cuspiniano, Vitichindo, Luithprando, Othone Frisingensi, Abbate Vrspergensi, & Rheginone. ac demùm non sine insigni mendacio ita concludit: *En audis plurimos, fideq́; dignissimos Historicos vno ore testari, Imperium à Francorum Regibus ad reliquos Germanos non per Papas, aut etiam de cōsilio, aut consensu Paparum, quin potiùs contra eorum voluntatem, qui id suis Italis asserere conabantur, quos Italicos pseudoimperatorculos octo Onuphrius nominat: sed voluntaria electione, ac cessione Gallicorum Regum, & libera electione Principum trāslatum esse.* Sed non rectè dixi, insigni mendacio hanc Illyrici vel narrationem, vel disputationem esse conclusam: nō enim vnum tantùm; sed quatuor insignia mendacia hac breui sententia continentur.

Primùm enim ex tot historicis nullus affirmat (Cuspiniano, & Nauclero omnium recentissimis exceptis) Imperium translatum à Frācis ad Germanos in electione Conradi, aut Henrici, de quibus Illyricus loquitur. solùm enim scribunt illi, à Francis, atque Saxonibus electos Reges Conradum, atque Henricum: de Imperij translatione nihil dicunt. nos autem contrà demonstrauimus, neutrum illorum Imperatorem Romanorum fuisse. nisi fortè designatum tantùm, vt Cuspinianus, & Nauclerus dicere videntur. cuius rei Lectoris cuiuslibet, modo sani, appello iudicium.

Deinde nullus eorum scriptorum, quos Illyricus testes producit, contra voluntatem Summi Pontificis Imperium ad Saxones translatum scribit. nam cùm de Conrado, & Henrico (Regibus) Scriptores notati narrant, nullam Summi Pontificis mentionem faciunt, vno excepto Nauclero: cùm autem ad Othonem Imperatorem veniunt, omnes vno ore testantur, eum à Summo Pontifice Ioan. XII. Imp. creatum, & coronatum.

Quod autem Nauclerus dicit, Romanos Pontifices temporibus Conradi, & Henrici, Longobardos, siue Italicos Principes quosdam ad Imperium admisisse: non significat inuito Pontifice Conradum, & Henricum Reges electos, & Cæsares designatos: sed id tantùm significat, cùm Reges Germaniæ ad coronam Imperij, & Italiæ possessionem capiendam venire, aut non possent, aut non vellent, Duces Longobardorum sibi regnum Italiæ vindicasse, & coronam Imperij à Summis Pontificibus extorsisse, veruntamen promptum etiam tum fuisse Pontificem ad Germanos Principes coronandos, si ij ad Vrbem accedere voluissent, dubium esse non potest: cùm ex Rheginone constet, aut Papa Formoso, anno 894. Lambertum Longobardum Italiæ Regem, & Imperatorem dictum: & deinde tamen anno 896. Arnulphum Germaniæ Regem Romam venientem, summo fauore exceptum, atque ab eodem Pontifice Imperij corona donatum.

Iam verò, quod addit Illyricus Imperatores Italicos, qui regnātibus in Germania, Lodouico, Conrado, & Henrico, in Italia imperarunt, ab Onuphrio pseudoimperatorculos nominari: ipsi Onuphrio manifestè repugnat. siquidē Onuphrius in libris de principibus Romanis honorificè admodùm loquitur de Imperijs Vidonis, Lamberti, Ludouici, & Berengarij, quos & Imperatores atque Augustos passim vocat, & à Romanis Pontificibus coronatos fuisse demonstrat. In libro verò de Fastis, & Triumphis Romanis, Berengarij, & Alberti Regum Italiæ meminit, Vidonis Lamberti, & Lodouici non meminit, neque vsquam in eo libro vllos pseudoimperatorculos vocat. In libro autem de Comitijs Imperatorijs grauiter inuehitur in eos, qui (vt Illyricus facit) omnes Germaniæ Reges Imperatores Romanorum appellandos censent, etiamsi Imperij coronam à Romano Pontifice non acceperint.

Non possum, inquit, *non vehementer mirari, & reprehendere aliquot recentiorum Germanicarum rerum scriptorum audaciam (ne dicam temeritatem) qui vndique clamant, Italos omnes, & præsertim Romanos malè agere, rem indignā facere, quòd non omnes Germaniæ Reges, Imperatores appellant. neque omnium ipsorum ratio habeatur in eis numerorum notis, quibus distinguūtur inter se ij Principes, qui idem nomen habent. nam volunt omnes Germaniæ Reges, quamuis à Romanis Pontificibus inaugurati non fuerint, Imperatores, & Augustos appellari.* Hæc ille. qui eodem in loco ex ipsorum Imperatorum diplomatibus ostendit, Conradum, & Henricum, qui Othonem Magnum præcesserunt, inter Imperatores habitos non fuisse. quid, quòd Illyricus si sibi constare velit, Longobardos illos Imperatores nulla ratione contemnere, aut pseudoimperatores appellare potest? eo siquidem belli iure illi Imperium Italiæ sibi vindicarunt, ac Germaniæ Regibus eripuerunt, quo ipse docet, à Carolo Magno Longobardis, & Græcis quondam ereptum, atque ad Francorum regnum adiunctū fuisse. Huc accedit quòd Otho Magnus iam Imperator factus, in priuilegio quod Episcopo Patauij Coslino dedit, quodque exstat apud Carolum Sigonium lib. 7. de regno Italiæ, Berengarium Imperatorem, ac prædecessorem suum appellat. cuius Othonis iudicium meritò apud omnes, maximè apud Illyricum, magnum momentum habere debet.

Postremùm, idque clarissimum in Illyrici narratione mendacium est, Imperium Romanum translatum esse à Francis ad Saxones voluntaria electione, ac cessione Gallicorum Regum. Id enim in primis nullus omninò auctor ex ijs, quos citauit Illyricus, prodidit: deinde contrarium ex Historicis omnibus manifestè colligitur, cùm satis constet inter eos, qui Italiæ regnum occuparunt, ac de Imperio toto eo tempore cum Berengarijs, Vidone, & Lamberto contenderunt, fuisse Rodolphum Burgundionem Galliæ Regem post Carolum Simplicem:

cem: nec non Ludouicum Regem Prouinciæ, item Gallum, atque Hugonem Regem Arelatensium,& Lotharium eius filium.quocircà, vt mentitur apertissimè Illyricus: ita verum est quod scribit Nauclerus gen.31. post Arnulphũ Imperatorem magnam fuisse inter Italos,Longobardos, Germanos, seu Francos Orientales, & Francos Occidentales, seu Gallos,de possessione Imperij concertationem.

LIBER TERTIVS.

SVMMA.

Septem Electores Imperij à Romano Pontifice constitutos.

CAPVT I.

Electores ante Gregorij X. Pontificis, & Friderici II. Imperatoris tempora designatos.



POSTREMA restat quæstio de septem Electoribus, quam Illyricus fusissimè persequitur à pagina 89. vsque ad 138.& quoniam tres auctorum sententias de hac ipsa quæstione fuisse video: quarum vna Gregorio V.Romano Pontifici: altera Gregorio X.item Romano Pontifici: postrema Othoni III. Imperatori institutionem hanc Septem virorum Principum adscribit: vt primam sententiam, quæ verissima est, corroboremus, duas posteriores confutare pro viribus aggrediemur.

Principio igitur Ioannes Auentinus primus est (quod sciam) qui communi, & multorum auctorum sententijs trito itinere prætermisso, nouam quandam semitam aperuit. is enim lib. 5.Annalium Boiorum pag. 510. de septem Electoribus loquens, Ego, inquit, illos demum post fata Friderici II. institutos, & à Gregorio X.confirmatos esse compertum habeo.

Auentinum sequutus est Onuphrius Panuinus in libro de Comitiis Imperatoriis,tametsi enim ignorare se dicit,quando,& à quo septem Electorum institutio manauit:affirmat tamen, se certò comperisse,incidisse eam in illud tempus,quod inter mortem Friderici II. & creationem Rudolphi Imperatoris intercessit. Illud etiam addit probabile videri,illam institutionem Gregorij X. auctoritate in Oecumenico Consilio Lugdunensi factam esse. quæ sententia præsenti causæ nostræ nihil officit (quid enim nostra interest V. ne, an X. Gregorius is Pontifex fuerit, qui Electores instituit, modò Pontifex aliquis instituerit?) verùm tamen falsa est, atque adeò perspicuè falsa, vt Auentini, & Onuphrij temeritas nulla ratione excusari queat. siquidem Auentinus (vt paulò ante audiuimus) compertum sibi esse dicit, post fata Friderici II.Septéuiros institutos: Onuphrius autem in libro de Comitijs Imperatorijs, hæc verba scribere ausus est. Itaque cùm nullus nec Germanus, nec Italus, nec cuiusuis gentis auctor, qui tamen ante Friderici obitum vixerit, vel verbum quidem de hac re faciat: profectò necesse est, vt longo tempore post Othonis tempus hoc institutum fuerit.

A Videamus igitur, an reperire possimus auctorem, qui ante obitum Friderici secundi vixerit,& Electorum Imperij meminerit.Martinus Polonus Pœnitentiarius fuit Innocentij Papæ quarti. vt Onuphrius testatur in additione ad Platinam,vbi fabulam Ioannis Octaui fœminę refellit.vixit igitur idem Martinus,Onuphrio teste,ante obitum Friderici Secũdi. nam cùm Innocentius Papa ante Fridericum obierit, vt idem Martinus scribit in vita eiusdem Innocentij: non potuit certè Martinus Innocentij Pœnitentiarius esse,nisi ante obitum Friderici vixerit. neque multùm refert quòd Onuphrius Fridericum annis quatuor ante Innocentium obijsse scripsit. nam ne sic quidem potuit Martinus Pœnitentiarium apud Innocentium agere, nisi multos annos ætatis exegerit ante obitum Friderici, nisi Pœnitentiarius,

B infantulus,atque adeò quadriennis fuerit. Hic igitur Martinus in vita Othonis III. ita scribit: Et licèt isti tres Othones per successionem generis regnauerint:tamen posteà fuit institutum,vt per Officiales Imperij, Imperator eligeretur.qui sunt septem: videlicet primò tres Cancellarij isti, Moguntinensis Germaniæ, Treuirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ: Marchio Brandeburgensis Camerarius est: Palatin. Dapifer: Dux Saxoniæ ensem portat: Rex Bohemus pincernam agit.vnde versus:

Moguntinensis,Treuirensis,Coloniensis,
Quilibet Imperij fit Cancellarius horum:
Et Palatinus Dapifer· Dux portitor ensis:
Marchio præpositus Cameræ:pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summũ.

C Habemus igitur auctorem vnum,qui disertis verbis electorum meminit, cùm tamen ante obitum Friderici vixerit. Sed accedat etiam secundus testis.S.Thom.Aquinas non modò ante obitum Friderici II. vixit, sed etiam obijt ante Lugdunense Concilium,in quo vult Onuphrius septem Electores Imperij à Gregorio X. institutos. nam Fridericus II. obijt (Onuphrio teste) anno Domini 1250. sanctus autem Thomas in cœlum ex hac vita migrauit, anno Domini 1274. cùm ad Concilium Lugdunense proficisceretur, & annum vitæ ageret quinquagesimum, vt sanctus Antoninus scribit, tertia parte Summæ historialis tit. 23. cap.7.§.11.ex quo sequitur, vt sanctus Thomas annum egerit sextum,& vigesimum, quo tempore Fridericus II. moriebatur. Hæc autem

D sunt verba S.Thomæ,lib.3 de regimine Principum,capite 19. Otho,inquit, Imperium tenuit vsque ad tertiam generationem. quorum quilibet vocatus est Otho. & ex tunc (vt historiæ tradunt) per Gregorium V. genere similiter Teutonicum prouisa est electio, vt videlicet per septem Principes Alemaniæ fiat,quæ vsque ad ista tempora perseuerat, quod est spacium ducentorum septuaginta annorum, vel circà, & tantùm durabit,quantùm Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in principatu tenet? Christi fidelibus expediens iudicauerit. Hæc S.Thomas. Quòd si quis objciat, hunc librum non videri S. Thomæ, cùm in eodem libro tertio, capite vicesimo mentionem faciat Adolphi,& Alberti Imperatorum, qui post eius obitum imperare cœperunt: respondebimus,

aut ab aliquo alio insertam fuisse in opere S. Thomæ illam narrationem de imperio Adolphi.& Alberti: vel certè si liber S. Thomæ non sit, auctorem tamen libri tam esse antiquum, vt ante obitum Friderici II. viuere potuerit, vt ex annorum supputatione colligitur.

Prodeat verò & tertius testis B. Augustinus Triumphus (vt ex Epitaphio constat, quod exstat incisum in sepulcro eius Neapoli, in Ecclesia Eremitarum Augustiniarorum, obijt anno Domini 1328. cùm vixisset annos octoginta quinque, quocirca necesse est eum anno Domini 1250. quo Fridericus II. obijt, fuisse annorum septem, & anno 1274. quo Lugdunense Concilium à Gregorio X. coactum est, annorum fuisse vnius, & triginta, proinde vixisse non modò ante Concilium Lugdunense, & Gregorij X. Pontificatum; sed etiam antequam Fridericus II. moreretur. Hic igitur auctor in Summa de potestate Ecclesiæ q.35.art.2. ita loquitur: Gregorius V. tempore Othonis Imperatoris, conuocatis, & requisitis Principibus Alemaniæ, septem Electores instituit, officiales ipsius curiæ Imperialis: quatuor laicos, vt Regem Bohemię, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, & Marchionem Brandeburgensem, & tres clericos, Archiepiscopum Moguntinensem, Treuirensem, & Coloniensem. Iam verò si tres isti testes Onuphrio, atque Auentino minimè satisfaciunt: accedat etiam quartus: Henricus Cardinalis Hostiensis, qui, teste Trithemio in lib. de scriptoribus anno 1240. florebat, nimirum anno decimo ante obitum Friderici, & trigesimo quarto ante Concilium Lugdunēse à Gregorio X. celebratum. is enim explicans Decretalem Innocentij, quæ incipit, Venerabilem; septem numerat, ac nominat Principes, ad quos Electio Imperatoris antiquo iure pertineat. Accedat etiam quintus testis, quem Illyricus antagonista noster producit. exstat enim (vt ipse ait) Chronicum manu scriptum, ex quo plurima Albertus Krantzius ad verbum descripsit. Est autem Chronici illius auctor Friderici II. æqualis, & ante obitum eius sine dubitatione vixit, cùm ipse testetur cœptum à se scribi Chronicum illud anno Domini 1240. id est, decennio ante mortem Friderici. in eo igitur Chronico sic auctor loquitur; Papa Gregorius (IX.) insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens, Principes super electione alterius sollicitauit, sed nihil profecit. quia quidam Principum ei rescripserunt, non esse sui iuris Imperatorem substituere, sed tantùm electum à Principibus coronare. electio enim ad illos dignoscitur pertinere. Ex prætaxatione Principum, & consensu, eligunt Imperatorē, Treuerensis, Moguntinus, & Coloniensis. Palatinus eligit quia Dapifer est; Dux Saxoniæ, quia Marscalcus, & Margrauius de Brandeburga, quia Camerarius. Rex Bohemiæ, quia pincerna est, non eligit, quia Teutonicus non est. Hæc ille.

Neque mirari debet quisquam, quòd hîc auctor Regem Bohemiæ à numero Electorum excluserit, cùm is, tamen septimus Elector numerari soleat. nam reuerà Bohemiæ Rex non eligit cum cæteris: sed solùm quando sex Electores inter se ita diuiduntur, vt tres vni, & tres alteri suffragentur, tum ille ius habet ex duobus electis alterutrum nominandi. Sic enim loquitur Hostiensis in c. Venerabilem, de elect. Septimus est dux Bohemiæ, qui modò est Rex; sed iste secundùm quosdam non est necessarius, nisi quando alij discordarent. Idem cum Hostiense docent glossa in cap. Ad Apostolicę, de sent. & re iudic. lib. 6. Albericus in l. Bene à Zenone. C. de quadrien. præscript. Baldus in Margarita, verbo Annus. Card. Florentinus in cap. Venerabilem, de elect. §. 1. num. 6. & alij.

Cùm igitur tempore Gregorij IX. electio Imperatoris ad Septemuiros pertineret, vt is auctor disertis verbis testatur, qui tum viuebat: quis Auentini, atq; Onuphrij temeritatem excusare poterit, qui tā confidenter scribunt, ibi compertū esse, Electores Imperij nō ante Gregorij X. tempora, & Friderici obitū institutos?

His addo tres alios testes, quos etsi non constat vixisse ante obitum Friderici, constat tamen aut tum vixisse, aut certè non diu posteà, vt nullo modo ignorare potuerint, quid egerit Gregorius X. cuius temporibus ipsi vixerunt. Hi sunt, Lupoldus Bambergensis, Aluarus Pelagius, & Ioannes Villanus, qui omnes florebant sedente in Apostolica sede Ioanne XXII. id est, anno secundo, & quadragesimo post Lugdunense Concilium à Gregorio X. celebratum, ac Lupoldus quidem in libro de Iuribus Imperij cap. 2. sic ait: Tempore Othonis III. qui filijs caruit, fuit institutum, vt per certos Principes Germaniæ, scilicet per Officiatos Imperij, seu Curię Imperialis, eligeretur Imperator. Hæc ille, qui etiam paulò post septem illos Principes enumerat, atque eosdē versiculos adscribit, quos suprà ex Martino Polono retulimus. Pelagius lib. 1. de planctu Ecclesiæ, artic. 41. de ijsdem septem Electoribus loquens, Ista, inquit, electio incepit anno Domini 1003. & perseuerabit, quantum Ecclesia Romana permiserit, cuius est regna transferre. Ioannes Villanus lib. 4. historiæ Florentinæ cap. 2. Italicis verbis tradit post obitum Othonis III. constitutum fuisse, idque summi Pōtificis auctoritate, vt deinceps à septem Imperij Principibus Imperator diceretur, quos etiam ibidem enumerat, eorumque officia circa obsequium Imperatoris describit. Accedat postremò testimonium ipsorum Electorum, quorum publicæ literæ scriptæ anno 1279. Romæ exstant authenticæ. (Hoc testimonium habes inferiùs cap. 3. integrè adscriptum.) in ijs enim literis fatentur ipsi, iam olim à Sede Apostolica Electores Imperij in Germania constitutos. non est autem credibile, per eam vocem (olim) eos intelligere voluisse tempora Gregorij X. aut Concilij Lugdunensis, cùm epist. scripta sit tantùm quatuor annis post obitum Gregorij; quinque verò post Concilium Lugdunense. neque illud hoc loco prætereundum videtur, eos Principes, qui epistolam iam dictam scripserunt, aut omnes, aut certè eorum aliquos vixisse ante obitum Friderici II. cùm inter Friderici obitum, & tempus epistolæ anni tantùm 29. intercesserint. Itaq; vndique Onuphrij, ante Auentini iudicium non modò falsitatis manifestæ, verùm etiam intolerandæ temeritatis arguitur.

CAPVT

CAPVT II.

Obiectiones Onuphrij refellit.

SED occurrit Onuphrius, ac duobus grauissimis argumentis cum sententiam nostram refellit, tum suam corroborat. In primis illud adducit: quòd si verùm esset, quod nos defendimus, Gregorij V. atque Othonis III. tempore, Electores Imperij constitutos; incredibilis negligentiæ accusandi essent plurimi scriptores, qui rem tantam silentio inuoluerũt. nihil. n. de hac re Vitichindus, nihil Luithprãdus, nihil Lambertus, nihil Rhegino, nihil Marianus, nihil Otho Frisingẽsis, nihil Abbas Vrspergensis, nihil Sigebertus, nihil alij veteres scripserunt. Deinde percurrit electiones Imperatorum ab Othone III. vsq; ad Fridericum II. ac demonstrat eos electos fuisse nõ à septẽ duntaxat Principibus, sed ab omnibus quotquot ex Germania, & Italia interesse voluissent. cuius demonstrationis hîc breuem subijciã summã. Henricum II. Regem, sed Imperatorẽ primũ, qui Othoni III. proximè succesit, electũ ab omnibus totius regni primoribus scribit Otho Frisingens. lib. 6. c. 27. Chunradum item Regẽ secundũ, & primum Imperatorem, cõmuni omnium procerum consensu electum scribit idem Otho Frisingens. lib. 6. c. 28. necnon Abbas Vrspergensis in Chronico anni 125. vbi inter alios Electores numerat Episcopum Bambergensem. Henricum IV. Regem, tertium Imperatorem electum ab Episcopis, ac Principibus Germaniæ, scribit Abbas Vrspergẽsis in Chronico anni 1053. Henricũ V. Regẽ Imperatorem quartum electum ab vniuersis totius Imperij Romani Principibus, tum Ecclesiasticis, tũ Laicis, qui duo, & quinquaginta numerabãtur, scribit Abbas Vrspergensis in Chronico anni 1106. vbi etiam addit, solùm abfuisse Saxoniæ Ducẽ, nec tamen vllam rationem eius absentiæ habitam esse dicit. Lotharium II. electũ ab Archiepiscopis duobus, Episcopis octo, Abbatib' permultis, & eminentioribus aulæ regalis Primatibus, scribit continuator Sigeberti in Chronico anni 1126. quo tẽpore auctor ille florebat. Chũradum III. Regẽ, secundum Imperatorem, electum à multis Principibus, nõ vocato Duce Saxoniæ, & Duce Noricorum, vacante etiam sede Moguntina, scribit Otho Frisingen. lib. 7. c. 22. Fridericũ I. ab omnib' totius Germaniæ Principibus electum, scribit Otho Frisingensis lib. 2. de rebus gestis Friderici, cap. 1. Philippum à Sueuis, & Saxonibus, & Bauaris, & Bohemis, & Principibus Vrspergensis in Chronico. Othonem IV. à Colonensibus, & Argentinensibus, alijsq; nonnullis electum, scribit idem Abbas in eodẽ loco. Fridericum II. adhuc puerulum ab Alemaniæ Principibus penè omnibus, viuente patre electum; ac deinde rursus in Schismate aduersùs Othonem IV. à Rege Bohemiæ, Duce Austriç, Duce Bauariç, Lantgrauio Thuringiç, alijsque plurimis Principibus electum, scribit idem auctor ibidem.

Hæc sanè argumenta, negare non possum, quin grauia sint, & nullo modo à viris prudentibus contemnenda: quamquam ad eam cõtrouersiam, quam nos præcipuè explicandã suscepimus, nihil ferè pertineãt. nos. n. (vt suprà diximus) nõ multũ laboramus, vtrum Gregorius V. an X. an aliquis alius ius eligendi Principem certis Electoribus dederit, modò qui id fecit, Romanus Pontifex fuerit: quod quidem paulò post aduersùs Illyricum clarissimè demonstrabimus. tametsi autem ad causam nostram parũ faciat definire, vtra verior sit opinio, ea ne, quę Gregorium V. auctorem facit eius decreti: an illa, quæ alteri cuidam Pontifici rem totam tribuit: quia tamen prior opinio verior est, nitemur eam paucis explicare.

Igitur ex ijs, quæ dicta sunt, vnũ exploratũ, ac certũ haberi debet: alterũ in quæstionẽ vocari potest. Exploratũ, ac certum haberi debet, sanctionẽ illã de Electoribus non tempore Friderici II. sed annis plus ducentis ante Imperiũ Friderici, factã esse. Nam cùm soli Auentinus, atq; Onuphrius, qui hoc nostro seculo scripserunt, eam sanctionem editam esse dicant post obitum Friderici II. contrà verò S. Thomas, B. Augustinus Triumphus, Martinus Polonus, Henricus Hostiensis, auctor innominatus Hẽrici æqualis, Lupoldus Bambergensis, Aluarus Pelagius, Ioannes Villanus, ipsi deniq; Electores Principes, qui vel Friderico II. viuente, vel paulò post eius obitum scripserunt, constanter affirment, eandem illam sanctionẽ nõ esse editã suo tempore, sed ante annos plus ducentos: nec vllus omninò inueniatur auctor antiquus, qui eam sanctionẽ post obitum Friderici II. editã significauerit: quis non videt Onuphriũ, & Auentinũ maluisse temerè diuinare, quã rẽ certã, & exploratam ab idoneis testibus accipere?

Quòd in quæstionẽ vocari potest, illud est, vnde factum sit, vt tot Imperatores post Othonem III. ab Electoribs multò pluribus, quàm septem electi fuisse inueniantur. Ad quam sanè quæstionem duplex responsio adhiberi potest. Prima responsio est, plures omninò, quàm septẽm ad electionem conuenire solitos, sed qui non tam eligerent, quàm à septem viris electũ agnoscerent, eique præsentia sua fauerent. nam hoc etiam tempore multò plures conueniunt ad electionem, quàm septem, & omnium habetur ratio: licèt soli Septemuiri propriè ius habeant eligendi.

Quòd aũt in argumento Onuphrij dicitur in Henrici V. & Chunradi III. electione Ducẽ Saxoniæ non adfuisse, verum est quidẽ: sed non potest inde colligi, non fuisse Ducem Saxoniæ vnum ex numero Septemuirum Electorum. Abbas. n. Vrspergensis disertis verbis scribit, in electione Henrici V. Ducẽ Saxoniæ non adfuisse, quòd senectute impediretur, ex quo intelligimus eum adesse debuisse: & vel per Legatos aut epistolam adfuisse, vel certè iuri suo cessisse. In electione autẽ Chunradi III. scribit Otho Frisingensis loco notato Ducẽ Saxoniæ, qui exspectatus nõ fuerat, eam electionem pro illegitima, atque irrita habuisse: quamuis posteà pro bono pacis assensum præbuerit, & electionem factam suo etiam calculo confirmauerit.

Altera respõsio esse posset, sanctionẽ illam à Gregorio V. Pontifice, Othone III. Imperatore cõsentiente factã esse, sed nõ cõtinuò omnes partes eius decreti in mores induci potuisse. quatuor. n. eius decreti videtur esse partes: Vna, vt non hæreditate, sed electione ad Imperium veniatur.

veniatur. Altera, vt soli Principes, non etiã populus eligat. Tertia, vt ij Principes Germani sint, ad quos nimirum initiò translatum Imperiũ fuerat. Postrema, vt non omnes Principes Germani, sed sex duntaxat, aut septem Imperatorẽ eligãt. Et quidẽ pars prima iam anteà in vsu esse cœperat, sed tunc primũ sanctione stabilita esse videtur. nam in familia Caroli Magni Imperium hæreditariũ fuerat vsq; ad Ludouicũ Arnulphi Imperatoris filiũ: deinceps electio locũ habuit. Veruntamen certum decretum, vt electione duntaxat, non propagatione naturali ad Imperium veniatur, nullũ legitur exstitisse ante Othonis III. tempora: meminit huius rei Otho Frisingensis lib. 2. de rebus gestis Friderici I. c. 1. Id iuris, inquit, Romani Imperij apex, videlicet non per sanguinis propaginem, sed per Principũ electionẽ Reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat prærogatiua. meminit eiusdẽ Innocentius III. Pontifex in epist. suprà notata ad Ducem Thuringię, vbi monet Principes, vt caueant, ne ius suum eligẽdi Regẽ Romanorũ amittãt, si sæpius filios parentibus in Imperio succedere patiantur.

Altera itẽ decreti illius pars continuò à morte Othonis III. vsu recepta est. nã vsq; ad illud tempus, non soli Principes, sed vniuersùs populus ad electionẽ cõuenire solitus erat. Chunradũ. n. qui Ludouico Arnulphi Imperatoris filio successit, omnis populus Francorũ, & Saxonũ elegit, teste Vitichindo lib. 1. rerũ Saxonicarũ, & Luithprando lib. 2. c. 7. rerum in Europa gestarũ. Henricum successorẽ Chunradi ab omni populo Francorum & Saxonum Regem creatum, scribit idem Vitichindus in eodem lib. Othonem Magnum, Henrici Regis filium, ab vniuerso populo electum, Vitichindus lib. 2. eiusdem operis testatur, Othonem II. Regẽ appellatum ab omni populo, omnibusq; proceribus scribit Cõtinuator Rheginonis in Chronico an. 961. Othonem III. Regem creatũ à Germanis, qui tum frequentes Romæ aderant, vbi paulò antè Otho II. obierat, testatur Platina in vita Benedicti VII. Deinceps aũt (quod sciam) electioni populus nunquã interfuit, sed valuit decretum, vt soli Principes Regem eligerent.

Tertia porrò pars, vt soli Germani, non etiã Itali interessent, diu postea vim suam obtinuit. & quoniam hoc loco Illyricus more suo mendacia admiscet, paucis ea refutanda sunt. sic igitur ille pag. 13. *Illud*, inquit, *non possum bona conscientia retinere, nequaquam probandum esse, quod Onuphrius iste indicans, quinam ab initio, ante constitutos septem Electores, Imperatores elegerint; primo loco inter illos vetustiores Electores nominat Pontificem, seu eius Legatos: secundò Comitẽ Taurinensem, & Marchionem Montisferrati: quibus in genere addit, Et alij quidam Itali: postea demũ illis adiungit omnes principes Germaniæ. Hanc suã enumerationẽ cùm profiteatur se veterũ Historicorum testimonijs probare velle, proferatq; multorũ dicta: nec vnus quidẽ ex illis, vel Pontifice, aut Põtificis Legatos, vel aliquẽ Italicũ Principẽ Imperatorum electioni interfuisse testatur: sed tantùm Germanicos Principes, omnes vno ore testantur elegisse Imperatorem.* Ego verò nunquã credidissem, Illyricũ tam fuisse mendaciorũ amicũ, vt etiã diceret, se nõ potuisse bona cõscientia ea reticere, quæ sũt mendacia manifesta. quid. n. hoc aliud significat, nisi nõ potuisse eũ bona cõscientia nõ mentiri? Audi. n. veteres Historicos: Inter Electores Imperatoris modò Romanũ Pontificẽ, modò eius Legatos, modò Italicos Principes numerãtes. Abbas Vrspergensis in Chronico anni 1053. Filiũ, inquit, suũ Henricũ, Romani Pontificis, cunctorumq; Pontificũ, & Principũ regni Electione Regẽ cõstituit. Cõtinuator Sigeberti in Chronico anni 1126. Mense Augusto, inquit, Legati Apostolicæ Sedis, & Archiepiscopi cum Episcopis, & Optimatibus Imperij ex cõdicto cõuenientes Moguntiæ, consultant sibi, & toti Romani Imperio de substituẽdo Rege. Lotharius Dux Saxonum, vir sapiens, & industrius, & Ecclesiastico iuri deuotus, præpotens diuitijs, & victorijs, omniũ cõsensu eligitur. Otho Frisingensis lib. 2. de rebus gestis Friderici I. cap. 1. Anno, inquit, ab Vrbe condita 1800. ab Incarnatione verò Domini 1152. decedente ab hac luce, vernali tempore, id est, sexta feria proxima, vt dictum est, post caput Ieiunij, in ciuitate Bãbergensi pijssimo Rege Chunrado, 3. Nonas Martij, id est, tertia feria post Oculi mei, in oppido Franconefurt, de tam immensa Transalpini regni latitudine vniuersum (mirum dictu) Principũ robur non sine quibusdã ex Italia Baronibus, tanquã in vnum corpus coadunari potuit, vbi cùm de eligẽdo Principe Primates cõsultarent, (nam id iuris Romani Imperij apex, videlicet non per sanguinis propaginẽ descendere, sed per Principum electionẽ Reges creare, sibi tanquã ex singulari vendicat prærogatiua) tandẽ ab omnib⁹ Fridericus Sueuorũ Dux, Friderici Ducis filius, petitur, cunctorumque fauore in Regẽ sublimatur. Hæc ille. Idem Otho Frising. li. 7. hist. c. 22. Chunradum, inquit, Imperatoris Henrici sororiũ præsente Theoduino Episcopo Cardinali, ac S.R.E. Legato, Summi Pontificis, ac totius Romani populi, vrbiumq; Italiæ assensum promittente, nonagesimum tertium ab Augusto Regem creant. Hæc ille.

Habemus igitur Romanum Pontificem per se, vel per Legatos, necnon Italicos Principes cum Germanis aliquando electioni interfuisse. Posteà tamen, vt diximus, paulatim solis Germanis Principibus id iuris relictum est, vt Regem Romanorum eligerent: Romanus autem Pontifex, electione cõfirmata, eundem ad Imperium promoueret: vt Innocentius III. apertissimè confitetur in epist. ad Ducẽ Thuringię, vnde exstat cap. Venerabilem, de electione.

Postremam decreti illius partem, quæ numerum Electorum ad septenarium redigit, post electionem Friderici II. vsu recipi cœptã esse constat ex omnibus historicis, qui post illa tempora scripserunt. Credibile verò est, constitutionem istam, quatenus excludebat omnes Principes ab electione, septem duntaxat exceptis, ideò nõ fuisse initio admissam, quia odiosa erat, & nec Principes facilè se patiebantur excludi, nec Imperator audebat tot Principes sibi infestos reddere: sed tamẽ occasione schismatum, quæ temporibus Friderici II. in Imperio quotidie exoriebantur, tandem aliquando omnium consensu esse receptam.

CAPVT

CAPVT III.

Electores Imperij non ab Othone III. Imperatore, sed à Gregorio V. Pontifice Max. institutos ostendit.

SED iam Auentino, atq; Onuphrio dimissis, ad Illyricum veniamus. Institutos igitur septē Electores antiquis temporibus non negat Illyricus: id vnum negat, eam cōstitutionem Summi Pontificis auctoritate factam esse, remque totam Imperatori adscribit. Nos contrà Summam rei Pontifici Maximo tribuimus, etsi consensum quoque Imperatoris adhibitum non negamus. Quia verò quæstio historica est, atque à testium idoneorum fide, & multitudine pendet, proferamus nos primùm testes nostros, deinde quid Illyricus adferat videamus.

Primus igitur testis sit, Innocentius III. quē Illyricus pagina centesima vigesima, testē esse dicit omni exceptione maiorē. is enim disertis verbis testatur, à Sede Apostolica ad certos Germaniæ Principes potestatem eligendi Reges Romanorum peruenisse: *Verùm* (inquit in epist. ad Ducem Thuringiæ, vnde extat ca. Venerabilē, de electione) *illis Principibus ius, & potestatē eligendi Regē, in Imperatorē postmodū promouendū recognoscimus, vt debemus, ad quos de iure, & antiqua consuetudine noscitur pertinere: præsertim cùm ad eos ius, & potestas huiusmodi ab Apostolica Sede peruenerit, quæ Romanum imperium in persona magnifici Caroli à Græcis trāstulit in Germanos.* Hæc ille. qui etsi non meminit Gregorij V. tamen id affirmat, quod potissimùm hoc loco probare contendimus. Innocentium sequuntur ex Italicis, & Gallicis scriptoribus Henricus Hostiensis, Sanctus Thomas Aquinas, B. Augustinus Triumphus, Aluarus Pelagius, & Ioannes Villanus, suprà citati: nec non Philippus Bergomensis lib. 12. supplementi Chronicorum: Blondus Flauius lib. 3. Decadis 2. Baptista in vita Gregorij V. Raphael Volaterranus libro 22. Anthropologiæ: Polydorus Virgilius li. 4. de Inuentoribus rerum, c. 7. aliàs 10. Item Ioannes Andreas in c. Ad Apostolicæ, de sent. & re iudic. lib. 6. & in cap. Venerabilem, de elect. Card. Floren. in idem cap. Venerabilē, §. 1. col. 3. in 6. q. num. 7. Albericus in l. Bene à Zenone, num. 5. de quadrien. præscrip. Baldus in sua Margarita, verbo Annus, S. Antoninus part. 3. titul. 22. ca. 5. §. 13. Andreas Alciatus (quē virum doctissimum, atque historiarum peritissimum vocat Illyricus pag. 57.) in Commentario legis, Bona ciuitatis, ff. de verborū significatione, & in libro de singulari certamine, cap. 32. Multi prætereà cum Iureconsulti, tum Historici, quos longum esset recensere.

Ex Germanis habemus in primis Iordanum quendam, quem ipse Illyricus citat pag. 90. cuius hæc sunt verba in lib. de Translatione imperij: *Factum est, quòd S. Carolus Magnus Imperator de consensu, & mandato Romani Pontificis ordinationem sibi diuinitùs inspiratam instituit, & præcepit, vt Imperium Romanorum apud electionem Canonicam Principum Germanorum in perpetuum remaneret.* Hęc ille. Certè autem si Carolus Imperator iussu Romani Pontificis Electores Imperatoris instituit: eius institutionis auctor primus, ac præcipuus Summus Pontifex fuit. Siquidē in re quauis, maior est auctoritas eius, qui iubet, quàm eius, qui alterius iussum exequitur.

Neque hoc Iordani testimonium pugnat cum eo, quod alij ferè omnes scribunt, tempore Othonis III. qui ducentis annis Carolo Magno posterior fuit, eam sanctionem editā. nam Carolus Magnus instituit quidem, vt electio penes Principes esset: sed neq; dignitatē Electorū ad certos Principes restrinxit: neq; voluit, vt electio locū haberet, nisi deficiēte successione legitima filiorum. constat enim, vt suprà diximus, Imperium hæreditarium fuisse Caroli Magni filijs, & nepotibus; temporibus autem tertij Othonis, Gregorius V. Pontifex, hæreditaria successione exclusa, solam electionem certorum Principum in Imperio locum habere voluit.

Iacobus Vvymphelingius, auctor item Germanus, in Epitome rerum Germanicarum, ca. 20. sic ait: Gregorius cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortunæ: vtque is, qui cæteris virtute præstaret, præesset etiam dignitate: sanctionem tulit, haud abnuente Othone, de Imperatore deligendo, anno Christi 1002. quā vsq; ad nostra tempora seruatam videmus, videlicet solis Germanis licere Principem eligere, qui Cæsar, & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator, & Augustus haberetur, si eum Romanus Pontifex inunxisset.

Albertus Krantzius, & ipse Germanus lib. 4. Saxoniæ, cap. 25. Gregorius (inquit) ad vndecimum, quo abfuerat, mensem restitutus, acerrimam de accepta à Romanis iniuria vltionem sumpsit. paulò enim posteà quàm redierat, eam fecit de Imperatoris electione sanctionē, quàm hucusque per annos iam quingentos seruatam videmus, solis licere Germanis, qui inde Electores sunt dicti, Principem deligere; qui Cæsar tunc, & Romanorum Rex dictus, si à Romano Pontifice coronabitur, Imperator Augustus appelletur.

Ioannes Nauclerus natione Germanus: in 2. volumine Chronographiæ, generatione 34. ita scribit: Saluari potest, quod ex monumentis Aquileiensis Ecclesiæ traditum inuenitur, sanctionem de Imperatore à Germanis diligendo, Syluestri temporibus factam esse, etsi Gregorius sanctionem instituerit, ille tamen Syluester electionem primam iuxta sanctionem factam approbauit. Et infrà: Anno salutis secundo supra millesimum, Othone III. mortuo, Germani Electores concesso iuri per sanctionem Gregorij V. & Othonis III. primùm innitentes, Henricum Ducem Bauariæ, Comitem Bambergensem, Claudium posteà dictum, Cęsarem declarant. Hæc ille.

His adde Ioannem Carionem lib. 3. Chronici, & Ioannem Cuspinianum in vita Othonis III. & ipsum Illyricum cum collegis suis Magdeburgensibus Centuriatoribus. omnes enim isti disertis verbis docent, aut Gregorium Pōtificem, aut certè Othonem, ope & auctoritate Gregorij sanctionem illam de Electoribus edidisse. Ac vt Illyricus intelligat quanti faciamus grauissimam eius, collegarumq; ipsius auctoritatem, testimonium iam anteà in 1. cap. adscriptū, hoc etiam loco in eius gratiam iterum adscri-

adscribemus. Sic igitur habet Cent. 10. cap. 10. col. 546. *Gregorius suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit, vt penes solos Germanos ius esset eligendi Regem, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Augustus appellaretur.* Hæc ille.

Accedat postremò duo grauissima testimonia, vnum Concilij Generalis, alterum ipsorũ Imperij Electorum. Exstat enim in Clementina, Romani Principes, De iureiurando, decretum Concilij Viennensis generalis, in quo hæc habētur verba: *Ecclesia Romana à Græcis Imperiũ transtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum Principes ius, & potestas eligendi Regem, in Imperatorẽ postmodũ promouendũ, peruenit.* Exstat item Electorũ Imperij publicũ instrumentũ ad Nicolaum III. Pontificẽ missum, quod, ad maiorem fidem, totum hoc loco subijciemus, descriptum ex autographo, quod Romæ in arce sancti Angeli conseruatur.

INSTRVMENTVM PVBLICVM Germanorum Principum.

NOs Principes Imperij vniuersis præsentẽ paginam inspecturis. Complectens ab olim sibi Romana Mater Ecclesia quadam quasi germana caritate Germaniam, illam eo terreno dignitatis nomine decorauit, quod est super omne nomen, temporaliter tãtùm præsidentium super terrã, plantans in ea Principes tanquã arbores praelectas, & rigans illas gratia singulari, illud eis dedit incremẽtum mirandæ potentiæ, vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut germen electum per ipsorum electionem, illum, qui fræna Romani teneret Imperij, germinarēt. Hic est illud luminare minus in firmamẽto militãtis Ecclesiæ: per luminare maius, Christi Vicarium illustratum. Hic est qui materialem gladiũ ad ipsius nutum excutit, & cõuertit, vt eius præsidio pastorũ Pastor adiutus, oues sibi creditas spirituali gladio protegendo cõmuniat, temporali refrænet, & corrigat, ad vindictã malefactorũ, laude verò credentium, & bonorũ. Vt igitur omnis materia dissensionis, & scandali, seu etiam rancoris occasio inter ipsam Ecclesiã, & Imperiũ auferantur, & ij duo gladij in domo Domini cõstituti, debito fœdere copulati, se ipsos exerceant, in vtilẽ reformationẽ regiminis vniuersi, & nos in actu voluntatis, & operis inueniamur filij deuotionis, & pacis: qui tam Ecclesiam, quàm Imperium confouere tenemur: quidquid per Dominum nostrũ R. Dei gratia Romanorum Regem semper Augustũ, sanctissimo Patri, & Domino nostro, D. Nicolao Papæ III. eiusq; successoribus, & ipsi Romanæ Ecclesiæ recognitum, confirmatũ, ratificatum, innouatũ, de nouo donatũ, declaratũ, siue cõcessum, iuratum, & actum, seu factum est per priuilegia, vel quæcunq; alia scripta, quorumcunq; tenorum super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innouationibus, cõfirmationibus, donationibus, cõcessionibus, & factis seu gestis, tam aliorũ Imperatorũ, & Regum Romanorũ prædecessorũ Regis eiusdẽ, quã ipsius Regis, & specialiter super fidelitate, obedientia, honorificentia, & reuerentia per Romanos Imperatores, & Reges Romanis Pontificibus, & ipsi Ecclesiæ impendendis, ac possessionibus, honoribus, & iuribus eiusdẽ Ecclesiæ: Et nominatim super tota terra, quæ est à Radicofano, v. q. Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, Terra Comitissæ Matildis, Ciuitate Rauennæ, & Emilia, Bobio, Cesena, Foropopuli, Forliuio, Fauentia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclo, Adrianis, atq; Gabello, Arimino, Vrbino, Monteferetri, Territorio Balnen. Comitatu Brettenorij, Exarchatu Rauennæ, Pentapoli, Massa trabaria cum adiacentibus terris, & omnibus alijs ad prædictã Ecclesiã pertinẽtibus, cum omnibus finibus, Territorijs, atq; Insulis in terra, mariq; ad Prouincias, Ciuitates, Territoria, & loca prædicta quoquomodo spectantibus. necnon super ciuitate Romana, & Regno Siciliæ cum omnibus ad ipsam spectãtibus, tam citra Farum, quàm vltrà, Corsica quoq;, atque Sardinia, & cæteris terris, ac iuribus ad ipsam Ecclesiã pertinentibus: Nos nostri nomine Principatus in omnibus, & per omnia approbamus, & ratificamus, ac ijsdem omnibus, & singulis, & quibuscunque alijs super eisdem per eundem Regem quoquomodo factis, & in posterum faciendis, voluntatem nostrã, assensum, atq; consensum vnanimiter, & cõcorditer exhibemus. Et promittimus, quòd contra præmissa, vel aliquod præmissorum, nullo vnquam tempore veniemus: sed ea omnia, & singula pro posse nostro procurabimus inuiolabiliter obseruari, & vt hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus, atq; promissio à nobis eisdẽ Romanis Pontificibus, & Ecclesiæ in perpetuum obseruẽtur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorumq; sigillorum munimine roboratum. Actum & Datum Anno Domini 1279. Indictione 7. regnante Domino nostro prædicto D. R. Romanorum Rege glorioso Regni eius Anno 6.

Hos igitur nos testes habemus, Pontifices, Concilia, Principes, Theologos, Iureconsultos, Historicos, eosque veteres, & recentiores; Germanicos, & Italicos.

CAPVT IV.

Obiectiones Illyrici dissoluit, ac mendacia plurima auctoris eiusdem detegit, & redarguit.

NVnc verò quid pro se adferat Illyricus videamus. sic igitur præfatur pag. 89. *Restat, vt dicatur de Electoribus, & iure electionis noui Imperatoris, decedente priore. nam hic quoq;, vt vbique alibi, Pontificiorum parasitorum mendacia grassantur. dicunt enim, quòd Imperante Othone III. Gregorius Quintus Germanus malè à Romanis tractatus, suaq; sede pulsus decretum tulerit, quòd septem Germani Principes, loco Romani populi, Senatusq;, Imperatorem in perpetuam posteritatem eligere deberent. quod eorum figmentum mox euidenter Deo dante redarguemus.* Hæc est Illyrici præfatio: quæ si vera sit, necesse iam erit, vt idẽ Illyricus fateatur, non modò paucos quosdam Scriptores Italicos, sed etiam multos Germanos, & ipsos Electores, atq; adeò Illyricum, & collegas eius fingere, ac mentiri, vt Romani Pontificis gratiam aucupentur. Sed videamus quàm euidenter Pontificiorum parasitorum (vt ipse vocat) figmentum redarguat.

Primò loco testem producit Iordanum, qui in lib. de Translat. Imperij scribit, à Carolo Magno Electores institutos. At idem Iordanus addit, id fecisse Carolum de consensu, & mandato Romani Pontificis, vt suprà ex verbis eius ostendimus. neq; nos terret Illyrici annotatio illa: *Suppositiuum planè videtur esse illud verbum, de mandato Papæ: nam tunc Papæ fuerunt subditi iurati Principum Romanorum, atque adeò Caroli ipsius: non autem eorum domini, qui aliud eis mandare possent, aut auderent.* Hæc, inquam, annota-

tio nos neq; terret, neque mouet. siquidem Pótifices Romanos Imperatorum subditos iuratos aliquando fuisse dixit aliquoties iam Illyricus, sed numquam probauit. nos verò contrà demonstrauimus ex Chronico Mariani Scoti, Ludouicum Imperatoré, Caroli Magni filiũ, iubente Papa Gregorio (sic enim loquitur Marianus) coniugem recepisse: & ex Aimoino lib. 5. de rebus Gallorum, cap. 24. mandato Adriani Papæ recessisse Carolum Caluum ab infestatione Ludouici iunioris, Imperatoris Romanorum: deniq; (vt omittam alia innumerabilia exempla suprà citata) ex Radeuico canonico Frisingensi lib. 2. de rebus gestis Friderici I. c. 70. Fridericum Imperatorem Pontificis pedes osculatum, eique ex equo descendenti strepam tenuisse.

Secundo loco producit testem Nauclerum: *Porrò Nauclerus*, inquit, *generatione 34. ordinationem Electorum tribuit Othoni III hisce verbis: Hoc tu tempore Electores Imperij instituti leguntur: de quo aliqui scribunt, quòd Otho III. cùm hæredes ex se descendentes non haberet, constituit ex consilio Principum Germaniæ, vt, Imperatore mortuo in oppido Francofurt perpetuò fieret electio, Electo... constituit tres Archiepiscopos, &c.* At Illyricus nõ satis germana fide sequentia verba prætermisit, quæ ita habent: Itaque aiunt Gregorium V. cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortunæ: vtq; is, qui cæteris virtute præstaret, præesset etiam dignitate: sanctionem tulisse de Imperatore deligendo, &c. Vide etiam quæ suprà citauimus ex Nauclero, & planè perspicies, quàm bona fide auctores citet Illyricus.

Tertium testem esse vult, nescio quam additionem ad epistolas Decretales: *Quin*, inquit, *& Decretalium exemplaria quædam recens Lugduni impressa, habent additionem super cap. Venerabilem, quæ constitutionem septem Electorum Othoni III. tribuit, cui sanè aliqua fides à Papistis tribuenda est.* Ista verò additio nihil omninò nos mouet, tum quòd sit Caroli Molinæi, hominis hæretici, & qui Romanum Pontificem non minùs, quàm Illyricus oderat: tum quòd sit glossa destruens textum, cùm in ipso cap. Venerabilem, apertissimis verbis legatur, potestatem eligendi Regem Romanorum, ad Principes Germaniæ ab Apostolica sede peruenisse.

Quartum testem producit Theodoricum à Niem: *Eodẽ modo*, inquit, *& Theodoricus Niemus, qui primùm fuit multorum Paparum secretarius, posteà Episcopus Verdensis, eidem Othoni Cæsari, & Principibus Imperij constitutionem septem Electorum adscribit.* Hic verò non solùm fidem, sed etiam prudentiam in Illyrico desiderare cogor. siquidem Theodoricus à Niem in suo Nemore, vt ipse etiam Illyricus post quatuor pagellas prolixè citat, nihil eiusmodi scribit: quin etiam (quod attinet ad Othonem III.) clarissimis verbis Illyrici mendacium coarguit. ait enim Electores primùm institutos post obitum Henrici sancti, qui Othoni III. successerat in Imperio. quo pacto autem Othoni tertio tribuere potuit Niemus, id quod ipse scribit factum post obitum successoris eius?

Quinto loco Albertum Krantzium testem profert: Quod, inquit, & Albertus Krantzius

A in sua Metropoli facit disertis verbis, sicut & in alijs suis historijs.

Nunc planè Illyrice sapere cœpisti, cui diserta illa verba Krantzij non adscripsisti. sed adscribemus nos, vt candorem pectoris tui omnes agnoscant. Sic igitur Krantzius l. 3. Metropolis, c. 40. *Ita perijt sine prole (Otho III.) præualuitque electio, quam idem Imperator cum Gregorio V. propinquo suo fecisset, quæque durat in hodiernum, vt non legitima successione quæratur Imperator (quomodo à memoria Magni Caroli videbatur inolitum) sed electione septem primitiuorum Principum assumatur.* Hæc sunt illa diserta verba Krantzij, vbi vides Gregorium Pontificem nominari, cum de constitutione Electorum agitur. Sed magis adhuc diserta sunt verba eiusdem Krantzij in libro quarto Saxoniæ, cap. 25. à nobis suprà citata. in ijs enim verbis illud ipsum legitur, quod Illyricus in præfatione huius disputationis parasitorum Pon-

B tificiorum mendaciũ, & figmentum appellauit.

Sexto loco Nicolaum Cusanum testem producit, cuius integrum c. 4. l. 3. de Concordantia Catholica suo libello inseruit. Sed is auctor ab Illyrico multùm dissentit. etsi enim docet non à solo Pótifice Electores Imperij institutos, sed à communi consensu Imperij vniuersi: docet tamen Summi Pontificis consensum, ad eam institutionem legitimè faciendam primo loco necessariò requisitum: non secus atque in concilio vniuersali auctoritas, & consensus Præsidis requiratur: *Concurrebat*, inquit, *ad hoc consensus ipsius Gregorij Quinti tamquam vnius Pontificis Romani, qui iuxta gradum suum in consentien-*

C *do in communem Imperatorem interesse habet, rectè, sicut in Concilijs vniuersalibus concurrit in primo gradu auctoritas ipsius per consensum cum alijs omnibus ipsum concilium celebrantibus: vigor nihilominùs definitionis non ab ipso primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium, & ipsius, & aliorum consensu dependet.* Et infrà: *ita quòd puto in veritate consensum Romani Pontificis à principio interuenisse, dum isti Electores constituerentur. vnde ipsi communi fungentes legatione omnium, qui Imperio subsunt, etiam totius sacerdotij, & Romani Pontificis, eligunt.* Hæc ille. Nihil igitur aliud Cusanus docet, nisi Summum Pontificem non per se solùm, sed adhibito etiam aliorum consilio, & consensu, eam sanctionem edidisse.

Verumtamẽ in eo ab isto auctore dissentire

D cogimur, quòd ipse auctoritatem præcipuam eius institutionis ad consensum omnium corũ referat, qui ad Imperium pertinent. quod quidẽ nullo teste probat, nec probare potest. nullus enim Historicus refert talem aliquem popularem conuentum, qualem Cusanus fingit, ad instituendos Imperij Electores celebratum esse, neq; mirùm videri debet, si Cusanus, vir alioqui doctissimus, & diligentissimus, in eiusmodi rebus, quæ ab historiarum cognitione pendent, hallucinatus sit. siquidem ipsius ætate adeò magna erat vbiq; penuria veterum historicorum, vt ipse capite superiore eiusdem libri aliquoties referat, se apud nullum veterem auctorem legisse, Imperium Romanum translatum fuisse à Græcis ad Carolum Magnum: & inde etiam colligat, neq; Carolũ Magnum, neq; cæteros Principes successores eius,

vsque ad Magnum Othonem, verè ac propriè fuisse Imperatores Romanorum. At hos manifestos esse errores, atq; ex librorum inopia natos, ne Illyricus quidem negabit.

Accedit postremò, libros illos de Concordantia Catholica scriptos esse à Nicolao Cusano adhuc iuuene, & in gratiam Concilij Basileensis, atq; eorum, qui tum nihil aliud magis optabât, quàm aliquid dici, vel scribi, quo Romani Pontificis auctoritas minueretur. ex quo etiam fonte manauerunt illa verba: Vigor nihilominùs definitionis, non ab ipso primo omnium Pontifice, &c.

Itaque idem ipse posteà maturior, multis de rebus aliter sensit, & scripsit. nam cùm in secundo lib. de Concordantia Catholica passim euehat in sublimẽ Concilij Basileensis auctoritatem: posteà tamen in epistola prima, quæ est ad Rodericum, eiusdem Concilij acta his verbis reprehendit: Visi sunt, inquit, illi obcæcatissimi viri in spiritu furoris fuisse, quando supra sacrum Principem Ecclesiæ, nescio qualem iudiciariam sibi vendicabant potestatem, & horridum nefas attentarunt, in sacrum Principem suum sæuientes, seipsos ab eodem, & vniuersa per orbem Catholica Ecclesia perniciosissimè secantes. Hæc ille. qui sine vlla dubitatione (si occasio se obtulisset) de hac etiam quæstione nostra lõgè aliter posteà scripsisset. Atque hæc paulò fusiùs de Cusano differere placuit, ob eius viri eruditionem. nam alioqui facilè potuissem vnum auctorem, eumq; recẽtissimum, contemnere: cùm tot haberem veteres Theologos, Iureconsultos, Historicos, ipsum denique Summum Pontificem, ac Principes Electores, quos vni illi obijcerem.

Pergit deinde Illyricus, atque ait: *Martinus Polonus Paparum familiaris, differens de constitutione Electorum, non tribuit eam Papæ, facturus proculdubio si verè potuisset. sic & Antoninus, Episcopus Florentinus. Sic & Leopoldus de Bamberga, sæpe dicens de constitutione septem Electorum, nusquam tamen id Papis, aut Romanæ Ecclesiæ adscribit, cuius alioqui studiosissimus fuit.* Rectè facit Illyricus, vt ad testes mutos prouocet. nam, vt est solertis ingenij, facilè præuidebat fore, vt loquentes testes ab ipsis ipsorum testimonijs nullo negotio refellerentur. At quid, quæso, valent tres muti testes, aduersùs tam multos loquentes, fideq; dignissimos, quos nos protulimus? sanè in quouis tribunali multò plùs ponderis habent duo, tresve homines, qui affirment, quàm viginti, qui neque asserant, neque negent. quantò igitur magis pluris faciẽdi sunt viginti, & eò ampliùs, qui disertis verbis testãtur, Electores à Pontifice constitutos; quàm tres, qui id neque negent, neq; affirmant, sed vt rem notam, & peruulgatam prætereunt?

Pergit igitur Illyricus, his omissis, ad argumẽta quædam longiùs petita, atque ex eo probare conatur, à Gregorio V. nullam editam sanctionem de Electoribus Imperij, quòd eius antecessor Benedictus, Othone II. Romæ vita functo, Germanos orauerit, vt bonum Principem eligerent. *Scribit*, inquit, *etiam Platina, Benedictum Pontificem ibi tunc apud omnes institisse, & orasse, vt in tanta rerũ difficultate tótque periculis, maximè idoneum deligerent: quo ille disertè cõfessus est, ipsorum esse, non suum, eligere Imperatorem si verum esset, quod Paparum adulatores contendunt, Papas Carolo dedisse Imperiũ, Papas Othoni Imperium tradidisse, Papas deniq; post Othonem III. ius eligendi Cæsares Germanis tradidisse: an non ibi mortuo secundo Othone suum illud tam plenariũ ius eligendi, & creandi Imperatores, vel maximè Papa demõstrasset, cũ tanta esset de ea re cõtrouersia, cumq; Romæ in sede Papali negotiũ ageretur?*

At quid est hoc aliud Illyrice, nisi aerẽ verberare? Quis enim Catholicorũ scriptorũ dicit, ad Põtificem pertinere, Imperatores eligere? elegit ille quondam Carolum Magnum: sed cum eius persona (vt Innocentius loquitur) ad Germanos Imperium transtulisset, ius etiam electionis illis concessit; sibi verò id retinuit, vt electum, si is idoneus videretur, confirmaret, inungeret, coronaret. quod ius Põtificium confirmandæ electionis, Principes Electores agnoscere debere, & in sua præsentia agnouisse, testatur Innocentius Pontifex in cap. Venerabilem, aliquoties iam citato. Itaq; idem Platina, qui scribit à Benedicto Pontifice exoratos Electores, vt idoneum Principem designarẽt, scribit etiam quod Illyricus non satis germana fide reticuit ab eodẽ Pontifice Othonis III. electionem confirmatam, & eo modo schisma sublatũ, quod in Imperio oriri iam cœperat, cum alij Othonem, alij Henricum, alij Crescẽtium Imperatorem delegissent. quo sanè facto summa apparuit in Summo Pontifice potestas: quemadmodùm etiam ante illa tempora, cum Carolus Caluus, & Ludouicus Rex Germaniæ de Imperio disceptarent, ille obtinuit causam, quẽ Summus Pontifex coronauit, vt nos suprà c. 5. ex probatis historijs demonstrauimus, &, post tẽpora Benedicti, cũ Lotharius, & Conradus (vt verbis vtar Innocentij in ca. Venerabilem) in discordia fuissent electi, Romanus Põtifex Lotharium coronauit & Imperium obtinuit coronatus, eodem Conrado tunc demum ad eius gratiam redeunte.

Sed veniamus ad aliud Illyrici argumentũ. *At*, inquit, *quòd Pontificij adulatores clamãt, Gregoriũ V. eam potestatem Germanis tradidisse, & ista ratione (vt nunc sunt) constituisse: nullo certò testimonio probari potest, & insuper rationi repugnat.* Et infrà: *Denique proferant, si possunt, exemplar istius decreti, quod à Papa Gregorio V. factum esse aiunt.*

Non laborabimus (credo) in hac diluenda obiectione, si Illyricus sibi constare velit. nam (vt omittam testes illos tam multos, & tã probatos, quos anteà in medium adduxi) in eadem pagina, vbi obijcit nobis testium idoneorum penuriam, pronunciat ipse sine vllis testibus, sanctionem illam de septem Electoribus ab Othone III. esse factam, cum is in Germaniam ex vrbe redijsset. quæro igitur ab Illyrico: qui sunt historici, qui scripserunt, Othonem III. in Germania sanctionem illam edidisse? ego sanè nullum omninò legi, qui aliquid eiusmodi scripserit: quos autem Illyricus suprà citauit, nihil iuuare causam eius, suprà demonstraui. Deinde proferat, si potest, Illyricus exemplar istius decreti, quod ab Othone III. factum esse dicit: qui in historia illa centuriata ita omnia collegit, vt nihil planè præteriisse videatur:

cur non

cur non etiam decretum illud Othonis III. de septem Electoribus in eam retulit? cur igitur nobis obijcere non veretur, quòd æquè sibi, ac suis obijci posse videt? vt igitur vno verbo respondeam: vbi decretum illud Gregorianum lateat, si tamē vsquam hoc tempore exstat, nescio: quod tamen aliquando factum esse, facilè mihi persuadent insignes illi viri, qui in libris suis narrationem huius facti inserendam censuerunt. nam etiamsi exstaret, non aliunde certiùs cognosceretur esse Gregorij, quàm ex traditione, & fide Historicorum.

Postremùm, idque grauissimum Illyrici argumentum sumitur ab ipsa naturali ratione. *Sed pugnat*, inquit, *cum omni ratione hoc figmentum. nam primum electionis ius veteri more statim in ipsa Imperatoria dignitate continebatur, cùm Imperium fuit adhuc hæreditarium, vt Carolus, aliúsve aliquis cùm semel fuit factus Imperator, non tantùm ipse pro arbitrio imperauit: sed potuit etiā eam dignitatem communicare alteri, cui voluit, vt Carolus cōmunicauit Ludouico filio, is porrò Lothario. potuit igitur idē Imperator ex plenitudine suæ potestatis etiam alijs illud ius eligendi tradere, aut constitutionem aliquam, decretúmque de ea facere, non expectato Papæ mandato, qui tunc eius iuratus subditus fuit cum omnibus Romanistis: sicut Sergius iurauit Lothario fidelitatem cum suis Romanis, & plurimi alij Papæ. Deinde creato semel Imperatore, & translato Imperio in aliquam gentem, vt isti gloriantur se transtulisse in Francos, & Germanos: non tantùm ipse vnus homo habuit illam plenitudinem Imperatoriæ potestatis, sed etiam principes potestatis illius participes fuerunt. Imperium enim non in vno solo homine, sed in toto eorum corpore, & præsertim in eius principibus consistit.*

Sed hæc omnia, aliaq; permulta, quæ Illyricus repetit, & inculcat vsque ad nauseam, nihil aliud efficiunt, nisi ius eligendi Imperatorē penes Germanos fuisse ab ipsa translatione Imperij: quod nos certè minimè negamus. quin potiùs Innocentius Pontifex, loco suprà citato, ex eo probat, potestatem eligendi Imperatorē ad Germanos ab Apostolica sede peruenisse, quod eadem Apostolica sedes in persona magnifici Caroli Imperium à Græcis transtulerit in Germanos. At non rectè colliges ex eo, quòd Apostolica Sedes ius eligendi Germanis in Carolo Magno tribuit illo ipso tempore, quo in eos imperium transtulit: non potuisse Gregorium Quintum posteà sanctionē aliquam circa electionem Imperatoris, ipso præsertim Imperatore, Germanisque Principibus consentientibus, edere.

Nam etsi Pontifex Imperium transtulit, & ius eligendi Principem dedit: non transtulit tamen, neque dedit illam suam, quam in omnem Ecclesiam ab ipso Christo habet, summam, atque plenissimam potestatem. Quare sicut potuit Ecclesiæ causa id exigente, Imperiū à Græcis ad Germanos transferre: ita quoque transferre posset, si eadem causa nunc occurreret à Germanis ad aliam nationem. pari ratione, sicut ius eligendi Principem potuit Summus Pōtifex Leo eius nominis III. Germanis tribuere: ita quoq; potuit Gregorius V. ad impedienda schismata, bella, & seditiones, quæ ex multitudine Electorum nascebantur, ad certum numerum Principū Electores eiusmodi reuocare; præsertim (vt suprà dixi) ipso quoq; Imperatore assentiente, vel etiam petente, ac rogante. omninò enim verisimile est, Imperatorē, quod ipse facere non audebat, vt tot Principes ab electionis iure excluderet, à Summo Pontifice id postulasse.

Iam verò quòd Sergium Papam Lothario fidelitatē iurasse Illyricus scribit, non aliò pertinet, quàm ad cumulum augendum eius mēdaciorum. nam neq; Ado, neq; Rhegino, neq; Otho Frisingensis, neq; Abbas Vrspergensis, neq; Marianus Scotus, neq; Sigebertus, neque Martinus Polonus, neq; Platina, neq; Nauclerus, neq; alius vllus (quod sciam) hoc dicit. ac ne ipse quidem Illyricus in vita Sergij, quam scribit Centur. 9. c. 10. col. 497. & 498. Sed video vnde occasionem mentiendi arripuerit Illyricus. Liber Pontificalis in vita Sergij II. & Ioannes Nauclerus in Chronico, generatione 39. tradunt rogatum fuisse Sergium Pontificē, vt permitteret Romanam nobilitatem iurare fidelitatem Ludouico Lotharij filio, quem idē Sergius Regem Italiæ declarauerat: Pontificem autem nullo pacto concedere voluisse, vt Romani Ludouico iurarent, idq; tantùm permisisse, vt Lothario Imperatori iusiurandū, quod petebatur, præstarent. quoniam igitur Sergius Papa Romanos proceres Imperatori Lothario iurare permisit, id Illyricus pro sua mentiendi auctoritate ita interpretatus est, ac si Pontifex ipse Imperatori iusiurandum præstitisset.

Ac vt videas, Lector, quàm sibi ipse constet Illyricus, adscribam hic pauca de isto ipso Sergio ex loco citato historiæ centuriatæ eiusdem Illyrici; ibi enim Sergium Papam, vt Monarcham Orbis terræ, & Dominum Regum, atque Imperatorum describit, quem hoc loco subditum iuratum Imperatoris facit. Sic igitur ille Cent. 9. c. 10. col. 498. *Maiestatem spreuit. nam sese passus est ordinari in Pontificem, non expectato Imperatoris assensu: quod erat contra priuilegia eius. deinde noluit committere, vt populus Romanus Ludouico filio Lotharij sacramentum præstaret: licèt Drogo Metensis, & alij Archiepiscopi, qui ex Gallijs cum Ludouico aduenerant, acriter ea de re cum ipso contenderent. inquit enim ad Episcopos, & legatos: si vultis Domino Lothario Imperatori magno hoc sacramentū, vt faciant, solummodò consentio, & permitto. nam Ludouico eius filio, vt hoc peragatur, nec ego, nec omnis nobilitas consentit. Regna huius mundi, & gloriam eius affectauit, penes se enim voluit esse potestatē, Reges, & Imperatores, quos vellet, inaugurandi. nam Lotharium coronauit, & Ludouicum eius filium Regem Longobardorum designauit: Ludouici filios, de regno digladiātes, ad pacē per legatos cohortatus est; & regni partitionē approbauit, & Siconulpho Beneuentano in terrā prostrato pedes suos osculandos præbuit.* Hæc ille. qui si verba sua inspicere non grauetur, per se ipse facilè iudicabit, vtrū ille iuratus subditus, atq;, vt suprà vidimus, iuratū mancipium Regū iure appellatur, qui Imperatores, quos vult, coronat: qui filios Imperatoris Reges designat, cui duces humi prostrati pedes osculantur, ad cuius nutum populi sacramētum fidelitatis Imperatori præstant, quo demum repugnante, ijdem populi in verba Ludouici Regis præsentis, atq;

armati,

armati, iurare non audent. Sed iam libri totius Illyriciani conclusionem audiamus.

Hactenus, inquit, *Spiritu Domini nos in omnem veritatem manuducente, & dolos, fraudésque Antichristi, eiúsque Symmystarum patefaciente, ostendimus veram translationem, aut etiam communicationem Romani Imperij in Germanos factam, qua etiam nunc Dei beneficio fruuntur. & simul contra recepta historicorum, clericorumq́; figmenta probaui, nec translationem Imperij, nec ius Electorum, eis Papæ beneficio contigisse, &c.*

Non possum equidem non vehementer mirari, cur Summum Pontificem Antichristum, tam confidenter Illyricus nominet. nouimus enim ex Daniele cap. 11. & Paulo 2. Thessalon. 2. Antichristum nullum Deum curaturum, séque ipsum supra omne, quòd dicitur Deus, exaltaturum. & rursus ex Illyrico in hoc ipso libro sæpiùs audiuimus, Romanos Pontifices seruos, & mancipia Imperatorum fuisse; ex Centuria verò 8. & 9. cap. 10. iam antè didicimus eosdem Pontifices, tot Dijs sese subijcere solitos, quot sunt in cœlo Sancti, quot in terris imagines, quot sub terram reliquiæ: quis igitur capiat, eum extollere se super omne, quod dicitur Deus, & nullum Deum curare, qui non modò Deos innumerabiles publicè colat, sed etiā adeò sit humilis, atque abiectus, vt se mancipium iuratum Principum terrenorum esse fateatur? Sed quid opus est in hoc mendacio refellendo diutiùs laborare, cùm totus liber ex mendacijs constet? sic nimirum loqui, sic disputare oportuit discipulum eius, qui in veritate non stetit. Sed quid ego de illa incredibili impudentia, vel sacrilega potiùs impietate dicā, qua tot mendaciorum auctorem Spiritum sanctum facit? *Hactenus*, inquit, *Spiritu Domini nos in omnem veritatem manuducente, dolos, & fraudes Antichristi ostendimus.* Hoc sanè deerat ad cumulum mendaciorum, vt disputationem mendacijs vndique scatentem, vel potiùs totā ex mendacijs, fraudibusq́; contextam, Spiritui sancto tribueret, omnemque veritatem appellaret. est ne aliquid vltrà, quò progredi audacia, atque impietas possint? si mentiri scelus est apud Christianos: quid erit, religioni sibi ducere non mentiri? quid ipsa mendacia in Spiritum sanctum auctorem conferre?

Sed ego non iam Illyricum miror confidentissimè mentientem, ac religioni sibi ducentē non mentiri, & demum ipsa sua mendacia Spiritui veritatis adscribentem; nam impius cùm in profundum venerit peccatorum, cōtemnit. Illos miror, qui cùm viri prudentes, & graues videri velint, sibi tamen ab eiusmodi portentis imponi, atque illudi tam facilè patiuntur. quæ enim maior cogitari, aut fingi potest, vel negligentia, vel cæcitas, vel etiam stupiditas, quàm ijs hominibus fidem habere, quorum tanta est leuitas, & inconstantia, vt perpetuò secum ipsi pugnent: tanta mentiendi libido, vt in exiguis libellis tantos aceruos mendaciorum inferant, vt plura mendacia sint penè, quàm verba?

Sed si eorum desidia non immeritò reprehenditur, qui mendacissimos libros facilè sibi obtrudi sinunt: intoleranda deinceps non iam desidia, sed improbitas erit, si detecta, & confutata mendacia ab oculis suis, atque auribus non repellant. quamquam ego meliora de Germanis, vt corpore candidis, sic etiam animo sinceris, & veritatis amantibus sperare debeo. iniuriam enim facerem nobilissimæ nationi, si eos crederem mendacijs potiùs, quàm explorata veritate delectari.

Vnum illud oro, atque obsecro Germanos omnes, vt secum ipsi cogitent, qui sint, vnde genus duxerint, quos maiores habuerint: quantùm denique intersit inter præclarissimos illos heroes, Carolum Magnum, Ludouicum Pium, S. Henricum, Lotharios, Othones, Chunrados, qui nihil antiquius habebant, quàm vt Apostolicam B. Petri sedem certatim honorarēt, atque ornarent: & nescio quos Illyricos homines obscuros, seditiosos, ac turbulentos, qui totis viribus laborant, vt eandem illam Sedem imposturis, ac fraudibus euertant. neque enim dubito, quin, si ista paulò attentiùs cogitauerint, illorum potiùs, quàm istorum similes videri volent: multoque magis eorum pietatem, grauitatem, constantiam sectandā sibi esse statuēt, qui Germanicum nomen toto orbe terrarum celeberrimum sua virtute fecerunt: quàm impios istorum furores, temeritatem, & inconstātiam, qui Germaniam vniuersam sectis, seditionibus, ac tumultibus repleuerunt. Illud certè historicorum omnium literis, ac vocibus testatum extra cōtrouersiam est, numquam magis potentia, atq; opibus floruisse Germaniam, quàm cùm illi imperarent, qui Sedem Apostolicam in primis venerabantur.

Ad finem libri sui de translatione Imperij adiecit Illyricus longissimam appendicem: in quam primo loco retulit integrum cap. 3. l. 3. de Concordantia Catholica Nicolai Cusani. Secūdò integram epistolam Innocentij III. quæ incipit, Venerabilem, & habetur inter epistolas decretales, tit. de Electione. Tertiò epistolam Friderici I. Imperatoris ex Radeuico lib. 3. c. 10. quàm etiam suprà posuerat in prolegomenis. Quartò historiam quamdam de rebus gestis Paschalis Papæ, & Henrici Imperatoris, ex Dodechini Abbatis appendice ad Marianum Scotum. Quintò Ludouici IV. Imperatoris Apologiam. Ex quib. omnib. nihil est, quod respōsionem desideret, præter Apologiam Ludouici IV. nam de testimonio Cusani diximus suprà c. 13. & 15. Epist. Innocentij causæ nostræ maximè fauet. De epistola Friderici disseruimus, c. 3. Historia Paschalis, & Henrici ad rem præsentē nihil facit. non enim inter eos quæstio erat de Imperij trāslatione, sed de inuestituris Episcoporum. & præterea imperfecta historia est, quā ex Dodechino refert Illyricus: perfecta ex Abbate Vrspergensi petēda est. ex qua quisq; perspicere poterit, contentionem illam longè aliū exitum habuisse, quam optasset Illyricus. coact' enim fuit Imperator, terroribus, plagisque immissis diuinitus, Ecclesiæ collum subijcere, atq; inuestituras Episcoporum, pro quib. retinēdis tamdiu laborauerat, vel inuitus dimittere. Sola igitur restat Ludouici IV. Apologia: quæ quoniam ab Alberto Pighio egregiè refutata est, ne actum agere videar ad ipsius Alberti responsionem Lectorem censui remittendum.



ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S R. E. CARDINALIS,

DE INDVLGENTIIS, LIBRI DVO.

DE INDVLGENTIIS LIBER PRIMVS.

PRAEFATIO.



Va prima controuersiarum hoc nostro seculo fuit, ea non electione, sed casu postremo loco à nobis tractanda suscipitur. Nam cùm locũ huic controuersiæ post libros de pœnitentia designauissem, & casu factum esset, vt libri illi prope ferias autumnales absoluerentur, & Typographus illo ipso tempore extremam manum secundo tomo imponere vellet, implere non potui, quod maximè cupiebam. Deinde superuenerunt alia, atque alia occupationes, tum publicæ, tum priuatæ, quibus impeditus, vix otium paucorum mensium pro tertio tomo (quod opus maioru momenti esse videbatur) perficiendo inuenire potui. Sed cùm præter spem hoc anno aliquid vacui temporis nactus fuissem, & simul anni sexcentesimi supra millesimum iam imminentis expectatio nos admoneret celeberrimi Iubilæi, solemniumque Indulgentiarum, quibus is annus vetere instituto consecratus est, non potui diutiùs huius debiti solutionem differre, quam multi à me iure, ac meritò expetebant. Quamuis autem eas potißimùm controuersias explicandas susceperim, quæ de Indulgentijs inter Catholicos, Hæreticosque versantur: tamen attingam etiam illas, quæ inter Catholicos salua fide, veritatis indagandæ, vel illustrandæ gratia disputantur. Igitur vniuersæ disputationis hic erit ordo. Primùm de nomine Indulgentiæ, & Iubilæi breuiter differemus, & simul qui pro defensione Indulgentiarum, qui contra easdem scripserint, indicabimus. Deinde an Indulgentiæ sint, prosequemur, vbi duo tractanda erunt, alterum de thesauro quodam spirituali Ecclesiæ: alterum de potestate eum thesaurum distribuendi. Tertio, quid propriè sit Indulgentia, id est, in quo præcipuè natura eius posita sit, inuestigabimus. vbi alia duo explicanda erunt, vnum, sitne Indulgentia solutio, vel absolutio: alterum, à quo vinculo soluat, vel absoluat. Quartò, qualis Indulgentia sit, id est, de multiplici formâ, & varietate eius differemus. Quintò propter quid siue cuius rei gratia sit, hoc est, de fructu, & vtilitate Indulgentiæ disputabimus. Sextò, quis posit Indulgentias concedere, & quam ob caussam, inquiremus. Septimò, quis eas suscipere posit, & quæ dispositio ad eas suscipiendas requiratur, videbimus. Octauò, an, & quomodo defunctis Indulgentiæ prosint, aperiemus. A *Atque hæc omnia in priore libro breuiter, & perspicuè explicare conabor In posteriore verò libro mendacia, fraudes, & imposturas, argumenta quoque, siue à testimonijs Scripturæ, & Patrum. siue ab ipsa ratione petita, Lutheri, Caluini, Heshusii, & Kemnitij, qui præter cæteros in hoc argumento laborasse videntur, aperiam, discutiam, & refellam.*

CAPVT I.

De nomine Indulgentiæ, & Iubilæi.

AC vt à nomine exordiamur, Indulgentia remissionem, & facilitatem, siue (vt sic loquamur) condescensionem in Scripturis sanctis, alijsque auctoribus, præsertim Ecclesiasticis, significare solet. Et quidem priore notione vsurpatur hoc nomen apud Isaiam c. 61. sancto Luca interprete cap. 4. Euangelij. Nam quòd legimus in Isaia, *Prædicare captiuis Indulgentiam*: in Euangelio Lucæ redditum videmus, *Prædicare captiuis remißionem*. Eadem B notione paßim veteres Patres vsi sunt, Cyprianus in sermone de lapsis, & in epist. ad Iubaianum, Hieronymus in commentario ad cap. 4. Danielis, & Augustinus in Psalmum 101. explicans illa verba, cinerem tamquam panem manducabam. posteriore significatione, qua nomen Indulgentiæ pro lenitate, &, vt diximus, condescẽsione accipitur, vsus est Apostolus in priore ad Cor. c. 7. in illis verbis, *Hoc autem dico secundùm Indulgentiam, non secundùm imperium.* Eadem significatio, apud alios scriptores tum sacros, tum profanos frequentißima est.

C Ecclesia igitur, & Scholæ Theologorum, vtramque significationem coniungentes, Indulgentias vocant remissiones pœnarum, quæ sæpe remanent eluendæ post remissionem culparum, & reconciliationem in Sacramento pœnitentiæ adeptam: quas remissiones Summi Pontifices ex paterna lenitate, & condescẽsione in filios suos, compatiẽtes eorum infirmitati, certis temporibus, & non sine iusta aliqua, & rationabili caussa concedere solent. Videtur autem Ecclesia ad hanc rem significandam nomẽ hoc deriuasse ab vsu veterum Imperatorum, & Iureconsultorum. siquidem illi Indulgentiam solemni, proprioque vocabulo appellant remissionem generalem criminum, quam aliquando Principes seculi publicæ lætitiæ causa faciebant: vide Codicem Theo-

A dosianum libro 9. tit. 38. qui est de Indulgentijs criminum, & nominatim inuenies lege 3. Indulgentiam fuisse remissionem criminum, quò ad solam pœnam legibus debitam. & lege 4. inuenies Indulgentiam nunc remissionem, nunc absolutionem appellari. Vide etiam l. Lucius, ff. ad Senatusconsultum Turpill. & l. Indulgentia, C. de generali abolitione. & Ammianum Marcellinum lib. 16. vbi etiam indicat, nomen Indulgentiæ esse antiquum, & solemne, cùm ait, *ne per Indulgentias, quos appellant, &c.* Atque hæc de nomine Indulgentiæ hic sufficiant, nam definitionem accuratam Indulgentię posteà suo loco trademus.

Porrò Iubilæus dicitur à voce Hebræa יובל *Iobel*, & quamuis aliqui malint Iobelæum, vel Iobilæum, quam Iubilæum dicere: nos tamen B S. Hieronymum sequimur, qui vocem Iobel, perpetuò Iubilæum reddidit. non enim in conuertendis vocibus tam superstitiosi esse debemus, vt propterea S. Hieronymum, virum doctissimum, & prudentissimum, & ab ipsa Ecclesia approbatum deserere debeamus. Significat autem Iubilæus annum remissionis, qui apud Hebræos erat quinquagesimus, vt perspicuum est ex capite 25. & 27. Leuitici, & capite postremo Numerorum, siquidem eo anno remittebantur labores omnes agriculturæ, non enim arabatur, nec serebatur, nec metebatur, sed ex frugibus anni superioris, quas Dominus triplo plures suppeditabat, omnes commodè sustentari poterant, restituebantur etiam agri, ac domus venditæ prioribus dominis, & qui seruituti addicti fuerant, libertati pristinæ redC debantur. De etymologia verò Iubilæi, Grãmatici certant, & adhuc sub Iudice lis est. Ego tamen non assentior Rabbinis, qui docent Iubilæum à sonitu cornu arietini sic nominari, quòd eiusmodi sonitu indiceretur annus remissionis. Nam tametsi vno in loco, videlicet Exod. 19. videatur Iobel sonum buccinæ, vel ipsam buccinam significare: tamen vbi agitur propriè de Iubilæo, nimirum Leuit. 25. sonitus buccinæ, quo indicebatur Iubilæus, non vocatur Iobel; sed תרועה *theruhha*, qua etiam voce vtitur Dauid in Psal. vbicumque Iubilũ, vel Iubilationem nominat. Et certè si Iubilæus Hebraicè diceretur à sonitu buccinæ, debuisset omninò Moses Leuit. 25. vbi ait, *Et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in vniuersa terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis reD missionem cunctis habitatoribus terræ tuæ. Ipse est enim Iubilæus.* Debuisset, inquam, vti voce Iobelim designando sonitum buccinæ. Quod tamen non fecit, sed vsus est, voce theruhha, vt diximus. Itaque non dicitur Hebraicè Iubilæus à Iubilatione, cum ille Iobel, ista theruhha dicatur: sed dicitur, vt existimo, à יבל *Iabal*, quod significat germinare, & producere, vnde est nomen יבול, *Iebul*, quo fruges, & fructus omnes significari solent. Dicitur igitur Iubilæus, quasi annus germinans, vtilis, & fructuosus, quia sine labore adducit fructus terræ, & sine sumptibus restituit agros, & domos antiquis dominis, & sine vlla vi reddit seruis pristinam libertatem.) fuit autem sine vllo dubio Iubilæus Hebræorum, typus, & figura Euangelij, per quod homines remissionem peccatorum, liberationem à seruitute Diaboli, possessionem paradisi, & domum cœlestem, ac denique fructus bonorum operum, & alia innumerabilia beneficia per Christum acquirunt. Ad quod alludens Isaias c. 61. in persona Christi, sic ait: *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis Indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino.*

Hinc Pontifex Maximus, Clemens eius nominis sextus, annum illum celebrem, in quo Indulgentiæ maximæ adeuntibus Apostolorũ basilicas more veteri conceduntur, Iubilæi nomine appellandum censuit, præsertim cùm ad similitudinem veteris Iubilæi annũ quinquagesimũ pro centesimo, qui anteà fuerat in vsu, ipse designasset. Denique idem Iubilæi nomen deriuatum est ad omnes Indulgentias, quæ in amplissima forma subinde concedi solent, etiam extra annum illum, qui propriè Iubilæi nomen inuenit. Quamuis autem Indulgentia Pontificia, vt posteà suo loco probabimus, solam pœnam temporalem peccatis debitam remittat, atque ob id solùm ex parte, nonnullam habeat cum veteri Iubilæo similitudinem, tanti tamen fructus pœnitentiæ, tot conuersiones hominum sceleratorum, tam multa, & tam præclara pietatis opera Indulgentiam illam, vel præcedunt, vel comitantur, vt meritò annus ille, sanctus, placabilis Domino, germinans, & fructuosus, quod nomine Iubilæi significari diximus, appellari possit. Extat libellus, in quo recensentur ordine opera pietatis egregia, ac penè innumerabilia, quæ in proximo Iubilæo sub Gregorio XIII. Pontifice Maximo edita sunt: nec minora speramus visuros nos esse in eo, qui nunc imminet anno millesimo sexcentesimo sub Clemente VIII. Pontifice optimo, atque sanctissimo.

Ac vt possint, qui volunt auctores consulere, qui de Indulgentijs præclarè scripserunt, adscribam eorum nomina, quorum libri ad manus meas venerunt: Primi igitur sunt Gulielmus Altisiodorensis in Summa Theologica li. 4. tract. 6. cap. 9. & Alexander Alensis in Summa item Theologica parte quarta, quæst. 23. Hos sequuti sunt Albertus Magnus, Sanctus Thomas, Sanctus Bonauentura. & ceteri Scholastici Theologi in Commentarijs ad quartum lib. Sententiarum, dist. 19. aut 20. aut 45. quibus addi possunt Interpretes Iuris Canonici, Panormitanus, & alij, in varia capita tituli de pœnitentijs, & remissionibus: tum in epistolis Decretalibus, tum in Sexto, & Extrauagantibus. necnon Ioannes de Turrecremata, in commentario ad Gratiani Decretum, de pœnitentia dist. 1. ca. Quis vidit aliquando, §. Item in Leuitico, Felinus in sermone, siue Tractatu de Indulgentijs, & sanctus Antoninus in Summa, par. 1. tit. 10. cap. 3. His postremò adiungendi sunt, qui post natam Lutheranã hæresim scripserunt, Siluester Prieras, tum in libello aduersus Lutherum, tum in Summa, Verbo, Indulgentia. Ioannes Eckius in Enchiridio cap. 24. Adrianus Papa VI. in cõmẽtario ad quartum librum Sententiarum, in Tractatu de Indulgentijs.

dulgentijs. Thomas Caietanus Cardinalis in 1. Tomo opusculorum, Tract.8.9.10.15.& 16. Ioannes Episc. Roffensis in refutatione assertionis articulorum Lutheri, artic.17.18.19.20. 21.& 22. Dominicus à Soto in quartum Sentent. distinct.21. Petrus Soto in Institutione Sacerdotum, lect.1.2.& 3. de Indulgentijs. Iacobus Latomus in defensione septimi articuli Louaniensium. Martinus Ledesmius in secunda parte 4. sentent.quæst.27.28.& 29. Michael Medina in disputat.de Indulgentijs. Antoninus Cordubensis in quæstionibus de Indulgentijs. Ioannes Baptista Paulianus in libris de Iobilæo,& Indulgentijs. Martinus Nauarrus in Commentario de Iubilæo, & Indulgentijs. Franciscus Turrianus lib. 4. de dogmaticis characteribus verbi Dei. Gregorius de Valentia in libro de Indulgentijs. Iacobus Nachantus tract.10.

Porrò ex Ecclesiæ hostibus primi, qui Indulgentias contempserunt,& oppugnauerunt, fuerũt VValdenses, qui pauperes de Lugduno appellati sunt. Horum errores referuntur à S.Antonino in 4.part. Summæ, tit.11. cap.7. §.2. & à Ioanne de Turrecremata lib.4. Summæ, parte secunda, cap.35. Octauus eorum error fuit, Indulgentias, quæ à Summo Pontifice conceduntur, nihil prorsus valere.

Secutus est VValdenses Io. VVicleffus, cuius errores recensentur, & damnantur in Synodo Constantiensi, Sess. 8. eorum errorum quadragesimus secundus est, fatuum esse credere Indulgentijs Papæ,& Episcoporum.

VVicleffum secuti sunt Hussitæ, vt intelligi potest ex primo libro Ioannis Cochlæi de Historia Hussitarum. Hos maiores, & parentes habuit Martinus Lutherus, qui nostro seculo ab Indulgentiarum reprehensione principium fecit sectæ suæ propagandæ, vt perspicuum est ex Resolutionibus de Indulgentijs, ex Assertionibus articulorum à Leone X. damnatorum, ex initio libri de captiuitate Babylonica,& ex alijs eius libellis.

Lutherum sequutus est ipsius Achates Philippus Melanchton, in Apologia Confessionis Augustanæ, artic. 12. Matthias Illyricus in Centurijs, Cent.4.cap.15.col.1529. Tilmannus Heshusius in lib. de erroribus Pontificiorum, tit.32. Sed copiosiùs Indulgentias oppugnauit Ioan. Caluinus in Institutione Christiana lib.3. capite 5. & in alia editione, libro vnico,cap.9. numer.38. & sequentibus: copiosissimè verò Martinus Kemnitius in quarta parte examinis Tridentini Concilij.

CAPVT II.

Extare thesaurum aliquem in Ecclesia, qui sit Indulgentiarum fundamentum.

VT inuestigemus an Indulgentiæ sint, quod erat secundo loco propositum, duo quærenda sunt. Vnum, an extet in Ecclesia thesaurus aliquis satisfactionũ Christi,& Sanctorum, qui applicari possit iis, qui rei sunt pœnæ luendæ post culpã in Sacramẽto pœnitentiæ remissam. Alterum, an sit in Pontifice Maximo, alijsq; Episcopis potestas applicandi hunc thesaurum,& eo modo absoluendi homines à reatu pœnæ temporalis. Nam hæc duo necessaria esse ad Indulgentias constituendas, quales à Catholicis auctoribus defenduntur, nemo negare potest.

Quod igitur ad primum attinet, non defuerunt ex antiquis Theologis Scholasticis, qui tametsi Indulgentias admitterent, tamen de thesauro dubitarent. Nam Franciscus Maironis, in 4.sent.dist.14.quæst.2. thesaurum satisfactionum Christi superefluentium, & apud Ecclesiam reconditarum, in dubium reuocauit. Durandus verò in 4.dist. 20.qu.3. in quæstionem vertit, an ad hunc thesaurum pertinerent satis factiones Sanctorum. Vterque autem paratus erat iudicio Ecclesiæ acquiescere, si fortè aliter saperet. Hæc enim sunt verba Durandi in præfatione Commentariorum suorũ in Magistrum: *Et quoniam interpretatio dubiorum sacræ Scripturæ ad sanctam Ecclesiam Romanam,& Catholicam pertinet, omnia opera eius correctioni totaliter suppono.* Cæterùm communis aliorum Theologorum, tum antiquiorum, vt sancti Thomæ, & S. Bonauenturæ, tum recentiorum omnium sententia, thesaurum satisfactionum tum Christi, tum Sanctorum semper agnouit,& secundùm eam sentẽtiam Clemens VI. Pontifex Maximus paulò post obitum Maironis,& Durandi, de ea re decretum edidit, in Constitutione, quæ incipit, Vnigenitus.

Cæterùm Martinus Lutherus, Ioannes Caluinus,& alij suprà citati huius temporis sectarij, vt in alijs rebus multis, sic etiam in articulo de thesauro satisfactionum ab Ecclesiç Catholicç sententia,& Pontificis Maximi iudicio recesserunt. Nos igitur, vt rem totam faciliùs explicemus,& probemus, aliquot propositiones in medium adferemus.

Prima propositio; *In bonis actionibus hominum iustorum duplex valor, siue pretium assignari potest, meriti videlicet,& satisfactionis.* Hanc distinctionem Lutherus in assertione art. 7. figmentũ esse dixit, sed nullo argumento eam refutare tentauit. Non esse autem figmẽtum, sed rem verissimam, paruo negotio demonstrari potest. Dicimus igitur, in vno, atq; eodẽ opere bono, vt eleemosyna, vel ieiunio, & meritũ,& satisfactionem reperiri, & vnum horũ ab altero seiungi posse, neque vnũ ab altero impediri. Probatur primùm ex Scripturis. Eleemosyna delet peccatum, quod est satisfactorium esse. Tob.4. *Eleemosyna ab omni peccato,& à morte liberat.* Ecclesiast. 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* S. Ioan. Chrysostom. homil.25. in Acta Apostolorum: *Non est*, inquit, *peccatum, quod non possit purgare eleemosyna.* S. Cyprianus in serm. de Eleemosyna: *Eleemosynis*, inquit, *atque operibus iustis, delictorũ flamma sopitur.* Et tamen eadẽ eleemosyna, quia est opus bonum,& Deo gratum, meritoria est vitæ æternæ, vt perspicuum est ex cap.25. Matt. *Percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esuriui enim,& dedistis mihi manducare,&c.* Neque responderi potest, non conuenire eidem eleemosynæ, vt sit satisfactoria,& meritoria, sed aliam esse satisfactoriam, & aliã meritoriã. Nam esse satisfactoriã cõuenit eleemosynæ, quia est opus laboriosum, & pœnale: esse meritoriã conuenit eidẽ, quia est opus bonum ex charitate factũ: non est autem eleemo-

fyna minùs bona, & ex charitate, quia laboriosa, & pœnalis, neq; contrà: Igitur vna, & eadem vtrumque fructum parit. Idem dici potest de de Ieiunio, est enim verè satisfactorium, quia pœnale, vt perspicuum est ex facto Niniuitarũ, Ionæ vltimo, & tamen est meritoriũ si fiat ex charitate, cùm Dominus dicat Matth. 6. *Tu aũt cùm ieiunas, vnge caput tuũ, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quid aũt reddet, nisi mercedẽ? Sic enim paulò antè de Hypocritis dicitur, *qui cupiunt videri ab hominibus ieiunantes, Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Idem de oratione dici potest: nam in oratione Dominica petimus, vt dimittantur nobis debita nostra, atque hac petitione satisfacimus pro peccatis venialibus, vt S. Augustinus affirmat in Enchiridio capit. decimoseptimo. *De quotidianis* inquit, *breuibus, leuibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit.* Et tamen de eadem oratione Dominus dicit in Euangelio cap. 6 *Tu autem cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Denique de operibus pœnitentiæ generatim, quòd simul satisfactoria, & meritoria esse possint, extat memorabilis sentẽtia S. Cypriani in ser. de Lapsis extremo: *Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus, & virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore cõceperit exauditus, & adiutus à Domino, quã contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiã, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* Addamus his testimonijs rationes ex Theologia petitas. Principio, Opus bonum ex charitate factum meritorium est vitæ æternæ, vt copiosè demonstrauimus lib. 5. de iustificatione: At nihil detrahitur de bonitate, & dignitate eius operis, si acceptetur à Deo ad satisfactionem pro pœna: igitur idem opus meritorium, & satisfactorium erit. Ad hæc, qui orat pro alijs, eisque impetrat remissionem peccati, vel quoduis aliud beneficium Dei, certè non minùs benè operatur, & Deo placet ita orãdo, quàm si pro se tantùm oraret, imò meliùs facit, ac magis Deo placet, quia simul exercet charitatem in Deum, & in proximum, igitur nõ perdit mercedem suam apud Deum, quamuis etiam proximo beneficiũ aliquod illo ipso opere impetrauerit. Quare poterit eadem oratio simul esse impetratoria, & meritoria. Quod si ita est, quid impedit, quo minùs possit esse simul satisfactoria, & meritoria? Quemadmodũ enim ille meretur apud Deum dignam operis sui mercedem, qui ex charitate orando impetrat aliquid proximo: sic etiã merebitur apud Deum dignam operis sui mercedem, qui ex charitate orando, vel ieiunando, vel eleemosynas tribuendo, pro aliorum peccatis nititur satisfacere. Præterea, si duo pij viri, cum æquali charitate, & pietate erga Deum orent, aut eleemosynas tribuant, & vni remittatur pœna aliqua temporalis, cui erat obnoxius, alter non egeat vlla remissione, quæro, an par præmium in vita æterna sibi acquirunt, an diuersum? si par, igitur opus bonũ meritoriũ, & satisfactoriũ simul esse potest, neq; aliquid amittit de ratione meriti, proptereà quòd ratio satisfactionis accedat. si diuersum; igitur opus bonũ, aut meritorium nõ integram à Deo mercedem accipit. nam non potest tam parũ detrahi de præmio vitæ æternæ, & augmenti gratiæ, quin sit illud multò pretiosius, & maius, quàm remissio cuiuscunq; pœnæ temporalis. Est autẽ absurdum, opus bonum, & meritorium, non accipere à Deo integram mercedem: Igitur par præmium duo illi viri obtinebunt, etiamsi alteri tantùm pœna temporalis remittatur. nam alteri non remittitur, non quia non posit, sed quia non est necesse.

Postremò, potest vni atque eidem operi duplex merces deberi, altera ex iustitia commutatiua, altera ex distributiua: atqui operi satisfactorio debetur remissio pœnæ, ex iustitia commutatiua, operi meritorio debetur præmium, ex iustitia distributiua secundùm substantiam, vt S. Thomas docet in 1. p. qu. 21. art. 1. & lib. 1. contra Gentes cap. 93. quamuis secundùm modum debeatur, & reddatur secundùm commutatiuam, ex eodem S. Thoma in 2. 2. qu. 61. art. 4. ad primum. Igitur potest vnum atq; idem opus bonum simul satisfactorium esse, & meritorium. Propositio huius argumenti certissima est, nam Euangelizanti debetur ex iustitia cõmutatiua victus, & vestitus. *Dignus est enim operarius mercede sua,* Luc. 10. & Apostolus affirmat. 1. Cor. 9. Dominum ordinasse, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant, ac, vt ostendat id exigi secundùm iustitiam cõmutatiuam, mercedem illam stipendiũ appellat: *Quis,* inquit, *militat suis stipendijs vnquam?* Eidem verò Euangelizanti debetur præmium in æterna vita secundùm iustitiam distributiuam. id enim est quod promittit Scriptura 1. Petri 2. cùm ait: *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, & cùm apparuerit Princeps Pastorum; accipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* De quo præmio loquens B. Paulus 1. Cor. 3. *Vnusquisque,* inquit, *mercedem accipiet secundùm suũ laborem.* Idem etiam quotidie videmus in rebus humanis. Miles enim, qui fideliter, fortiterq; se gerit in bello, meretur ex iustitia commutatiua stipendium ordinarium, & rursus ex distributiua meretur gratiam Ducis, ac vt in distributione graduum, atq; honorum militarium, alijs præferatur, qui minùs fideliter, aut minùs fortiter se gesserunt. Porrò assumptio eiusdem argumenti nõ minùs est certa. Quòd enim compensatio pœnæ pertineat ad iustitiã commutatiuam, perspicuum est ex sacris literis. Deuteron. 25. Pro mensura peccati erit, & plagarum modus. Neque de hac re vlla dubitatio esse potest. quòd autem meritis operum bonorum respondeat præmium secundùm iustitiam distributiuam saltem secundùm substantiam; docent Theologi ex eo, quod in Scripturis Deus, vt Iudex distribuit vnicuique secundùm opera, vt patet Matt. 25. in parabola de talentis, & ex illo Apostoli 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* & passim in sacris literis, vt Act. 10. Rom. 2. & alibi dicitur Deus nõ esse acceptator personarũ, quòd vitium cõtrarium est iustitiæ distributiuæ, vt S. Thom. docet in 2. 2. qu. 63. art. 1. Igitur satis constat, idem

opus

opus bonum posse meritoriũ esse vitæ æternæ, & simul satisfactorium pro temporali pœna: nec minùs meritorium, quia satisfactorium.

Secunda Propositio. *Opus bonum, qua parte meritorium est, non potest alij applicari. potest tamen, qua satisfactorium est.* Prior huius sententiæ pars extra controuersiam est; nam is dicitur mereri, qui benè operatur, & ex bono opere dignus est præmio: non potest aũt fieri, vt ex eo, quòd vnus benè operatur, alter censeatur benè operari, vel dignus præmio habeatur. Deindè nemo potest proprio merito spoliari, quantumuis pro alijs oret, vel ieiunet, vel eleemosynas faciat, non igitur meritum suũ cum alijs communicare potest, & hoc est, quod Scripturæ passim docent, cùm dicunt, vnusquisque propriam mercedem accipiet, 1. Corin. 3. & reddet vnicuique secundùm opera sua, Psal. 61. potest quidem vnusquisq; per opera sua bona, impetrare alijs diuina aliqua beneficia, potest etiam communicare opera sua bona, quod attinet ad satisfactioné pro reatu pœnæ, vel ad gaudium, quod inde percipitur. sic enim Dauid affirmat, se participem fuisse omnium timentiũ Deum, Psal. 118. Sed vt alius ex merito alterius fit dignus præmio, vel vt qui benè operat⁹ est, merito suo priuetur, fieri non potest. Posterior pars eiusdem sententiæ nõ difficulter probari potest. nam satisfactio est compensatio pœnæ, vel solutio debiti: potest aũt vnus ita pro alio pœnã compensare, vel debitum soluere, vt ille satisfecisse merito dici posit. Præterea, qui pro alio satisfacit, nõ potest eodẽ opere pro se satisfacere, igitur verè satisfactioné suam cum altero communicauit. Et possunt hæc omnia familiaribus exẽplis illustrari. Nam potest ciuis propria pecunia debitum alterius ciuis ita dissoluere, vt nõ possit eadẽ pecunia debitum aliquod suũ simul dissoluere: & rursus non potest vnus ciuis bonis operibus suis efficere, vt alius ciuis dignus sit Magistratu, quod ad iustitiam distributiuam pertinet, cùm tamen possit debito pecuniario eum liberare, vt satisfecisse dici posit, si pro eo debitum soluat, quod pertinet ad cõmutatiuam. sic igitur nemo potest meritum proprium, cui debetur præmium ex iustitia distributiua, alteri applicare, potest tamen applicare satisfactionem, quæ ex iustitia commutatiua exigitur pro pœna.

Tertia Propositio: *Extat in Ecclesia thesaurus satisfactionum ex Christi passionibus infinitus, qui nunquam exhauriri poterit.* Hæc propositio in dubium reuocari non potest: Nam Christi passio pretij fuit infiniti, cùm esset passio personæ infinitæ, Verbi videlicet incarnati. Sic enim loquitur Apostolus Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Itaq; Deus est, qui sanguinem fudit pro Ecclesia, sed in carne humana hypostaticè assumpta illum fudit, vt ait B. Petrus in priore epist. cap. 4. *Christo*, inquit, *in carne passo.* Dignitas autem satisfactionis, mensuram accipit à dignitate personæ satisfacientis, quemadmodũ grauitas offensionis à dignitate personæ læsæ. Deinde Christus pro hominibus omnibus mortuus est, vt Apostolus scribit, 1. Corinth. 5. *Pro omnibus*, inquit, *mortuus est Christus.* & vt S. ait Ioan. in priori epist. c. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Certum est autem non omnibus hominibus, qui hactenus vixerunt, pretium mortis Christi re ipsa applicatum fuisse ad eorum expianda peccata, immò maiorem partem hominum morti æternæ addictam esse: *multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, Matt. 20. *Et lata est porta, & spaciosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam*, Matth. 7. Superest igitur multùm illius pretij, quod semper applicari possit, etiam si infinitum non esset, sicut reuera est, & semper redundabit. præsertim cùm tota Christi satisfactio nobis applicari posit, cùm ipse per se nulla satisfactione indiguerit, qui peccatum non fecit, nec facere potuit. Nam vt dicit Apostolus ad Hebr. 7. non habuit Christus necesse priùs pro suis delictis sacrificium offerre, deinde pro populi; cùm fuerit semper sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus. & vt idem ait, 2. Corin. 5. *factus est peccatum, id est, hostia pro peccatis is, qui peccatum non nouerat. Ipse enim peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, 1. Pet. 2.

Quarta Propositio: *Ad hunc thesaurum superfluentium satisfactionum, pertinent etiam passiones B. Mariæ Virginis, & omnium aliorum Sanctorum, qui plus passi sunt, quàm eorum peccata requirerent.* Hanc propositionem nullo modo audire possunt Hæretici nostri temporis, ac potissimùm Ioannes Caluinus, & Martinus Kemnitius, quorum argumenta suo loco soluemus. Asserimus igitur non paucos sanctos homines multò plura propter Deum, & iustitiam esse perpessos, quàm exigeret reatus pœnæ temporalis, cui fuerunt obnoxij propter culpas ab ipsis commissas. Nam culpam ipsam, & reatum pœnæ sempiternæ non ipsorum satisfactionibus, sed Christi sanguine expiari Ecclesia Catholica docet. Probatur hæc veritas, primùm ex passionibus B. Virginis. Constat enim Virginem Mariam nullo actuali peccato maculatam fuisse; pium quoque est existimare, ab originali quoq; peccato immuné illam fuisse, vt alibi docuimus, sed hoc in præsenti ad rẽ nostram non pertinet. Actuali aũt peccato caruisse Virginem sanctissimam, cõmunis est totius Ecclesiæ sensus, vt Concil. Tridentin. affirmat, Sess. 6. Can. 23. S. quoq; Ambrosius ser. vlt. in Psalm. 118. scribit B. Virginem fuisse ab omni integram labe peccati. Et S. Augustinus libro de natura, & gratia, cap. 36. dicit ei tantùm gratiæ collatum, vt peccatum omni ex parte vinceret. Quod idem docet S. Bernardus in epist. 174. Liturgiæ Græcorum Basilij, & Chrysostomi prædicãt Virginé Mariam prorsus irreprehensam, & incontaminatam, immò puriorem, & sanctiorem ipsis Cherubim & Seraphim. Denique verba illa Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Nulli particulari personæ aptiùs quàm B. Virgini conueniunt. Non igitur eguit Virgo Maria vlla satisfactione pro se, & tamen plurima passa est propter Deum, ac præsertim cùm animam eius gladius doloris pertransiit, iuxta Simeonis vaticinium, Luc. 2. Secundò, idem probari potest ex passionibus Sancti Ioannis Ba-

ptistæ, quem constat in vtero sanctificatum vitam innocentissimam duxisse, vt vix leuissimis culpis, & paucissimis obnoxius fuerit, vt non immeritò de ipso canatur:

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens, petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Et tamen ex Euangelio discimus, totam eius vitam adeò seuerè, & duriter actam, vt exemplar pœnitentiæ omnibus esse potuerit, & tandem pro veritate vincula, carcerem, & ipsam capitis obtruncationem passum esse. Quare in dubium reuocare non potest, quin ingens omninò cumulus passionum ei superfuerit, quo ipse ad expianda propria peccata non eguit. Tertiò idem ostendi potest ex passionibus sanctorum Prophetarum. Fuerunt enim omnes viri sanctissimi, ita vt modica omninò pro suis culpis satisfactione opus habuerint: & tamen tot angustijs, & afflictionibus oppressi fuerũt, vt plurima, & maxima peccata expiare potuerint. De se B. Iob, vnus ex vetustissimis Prophetis, sic ait cap. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Similia dicere potuissent Helias, Helisæus, Isaias, Hieremias, Ezechiel, & alij sanctissimi Prophetæ, qui grauissimas persecutiones ab impijs, vel etiam ipsam mortem pertulerunt. De his enim scribit Apostolus ad Hebr. 11. *Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat Mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Quartò idem clarissimè demonstrari potest ex passionibus Apostolorum. Nam de se B. Paulus in epist. posteriore ad Corint. cap. 11. *Ministri*, inquit, *Christi sunt, & ego, vt minùs sapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, & cæt.* & tamen quàm parum deberet pro suis ipse culpis satisfacere, indicat in priore ad Corint. cap. 4. cùm ait: *Nihil mihi conscius sum.* & 2. Corint. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei conuersati sumus in hoc mundo.* Porrò de omnibus Apostolis idem B. Paulus, 1. Corinth. 4. *Puto*, inquit, *quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos:* & infrà: *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.* Sextò idem probatur ex passionibus Martyrum, qui planè innumerabiles fuerunt. constat enim Martyrum tam plenam satisfactionem esse, vt expiare posit reatum contractum ex quantouis ingenti numero, & magnitudine peccatorum. Nam dummodò constet aliquem esse verè Martyrem, Ecclesia non dubitat, eum inter Sanctos, & Beatos numerare, etiam si ante Martyrium multis flagitijs fuerit coopertus. Promissio enim Domini

A generalis est, Matt. 10. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Quare B. Cyprianus l. 4. epist. 2. affirmat, Martyres omnes statim à morte cęlum ascẽdere ad coronam percipiendam. Sanctus quoque Augustinus tract. 84. in Ioannem dicit pro Martyribus in Ecclesia nõ orari, cùm nos potiùs debeamus eorum orationibus commendari. & serm. 17. de verbis Apostoli: *Iniuriam*, inquit, *facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Quod idem scribit Innocentius c. Cùm Marthæ, de celebr. miss. nec vllus Catholicorum contradicit. Cùm igitur Martyrium, omnem reatum, quamuis grauissimum expiare possit: & multi Martyres reatus leuissimos, aut etiam nullos habuerint ipso tempore martyrij, certè

B sequitur, vt ingens cumulus satisfactionum Martyribus superfuerit. Sextò denique idem probatur ex fructibus pœnitentiæ plurimis, & maximis, quos protulerunt tam multi S. Confessores, ac pręsertim Eremitæ, qui longissimo tempore vitam Sanctissimam, & laboriosissimam, id est, asperrimam, & durissimam peregerunt, quos non est dubium in hoc spiritale ærarium multum omninò satisfactionum contulisse.

Quare rectè Clemens VI. Pontifex in Constitutione Extrauagantis, quæ incipit, Vnigenitus, titulo de pœnitentijs, & remissionibus, declarauit, extare in Ecclesia thesaurum spiritalem ex passionibus Christi, & Sanctorum omnium conflatum. Quo thesauri nomine nihil aliud intelligimus, nisi passiones plurimas,

C quibus non eguerunt ad propria delicta expianda, qui eas perpessi sunt, & tamen non perierunt, nec obliuioni traditæ sunt, sed viuunt, ac permanent ante oculos Dei.

CAPVT III.

Esse in Ecclesia potestatem applicandi thesaurum satisfactionum, ac per hoc Indulgentias concedendi.

Demonstrauimus hactenus extare in Ecclesia thesaurum satisfactionum ex passionibus Christi, & Sanctorum, quæ ipsis ad expiandum reatum proprium necessariæ non fuerunt. Sequitur nunc, vt ostendamus, esse potestatem in Ecclesia thesaurum eiusmodi applicandi alijs, qui indigent. quod vt planius fiat, propositiones aliquot in medium

D adferemus.

Prima propositio: *Satisfactiones Christi, & Sanctis superuacaneæ, applicari possunt alijs, qui rei sunt luendæ pœnæ temporalis.* Probatur primò ex articulo Symboli Apostolici, Communionem Sanctorum. Docemur enim in hoc articulo, fideles omnes esse inuicem membra, & quasi viuum quoddam corpus, vt etiã B. Paulus affirmat Rom. 12. & 1. Corinth. 12. & sicut membra viua se inuicem iuuant, ita fideles inter se bona sua communicare, præsertim cùm ea, quæ vni superflua sunt, alteri necessaria, vel valdè vtilia esse possunt. Secundò probari potest ex verbis Apostoli Pauli 2. Corint. 12. *Ego libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro vobis.* Et 2. Timot. 2 *Omnia sustineo propter electos.* & Coloss. 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis,*

& ad-

& adimpleo, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia. Quamuis enim possint hæc verba ita exponi, vt significent, Apostolum passum esse multa propter electos, & propter Ecclesiam, quia non potuit Euangelium prædicare, nisi se multis periculis exponeret, & multos labores subiret, & rursum passum esse propter electos, & propter Ecclesiam, vt exemplo suo infirmos cõfirmaret, & ad brauium supernæ vocationis accenderet: tamen negari non potest, quin possint etiam rectè exponi de communicatione satisfactionum: nam isti sensus inter se non pugnant, & possunt omnes simul admitti. Optauit enim Apostolus fidelibus prodesse omnibus modis, quibus id fieri poterat; nihil enim excipit, qui dicit: *libentissimè impendar ipse pro vobis.* Potuit autem prodesse communicando passiones suas ad expiandum reatum temporalem, cùm sibi eiusmodi satisfactiones abundarent, vt iam ostendimus, igitur optauit, & voluit etiam hac ratione fidelibus prodesse. quare patiendo adimplebat ea, quæ deerant passionum Christi, id est, quæ Christus in sanctis suis adhuc passurus erat, pro corpore ipso Ecclesiæ, siue instruẽdo prædicationibus, siue confirmando exẽplis, siue expiando satisfactionibus. Quod aût Apost. Paulus optauit, optarunt sine dubio cæteri S. Apostoli, alijque pij viri, qui Dei, & proximi caritate flagrabant. Certè S. Augustinus tract. in Psalm. 61. satis apertè colligit ex hoc loco Apostoli, conferri in commune bonum Reipublicæ Christianæ passiones Sanctorum, quę adiunctæ passionibus Christi hactenus sunt, & vsque ad mundi finem adiungentur.

Secunda propositio: *Ecclesiæ Pastoribus auctoritas diuinitùs concessa est, thesaurum satisfactionum dispensandi, ac per hoc Indulgentias concedendi.* Probatur primò ex verbis illis Domini, Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* est enim hæc promissio amplissima, ac generalis, nec restringitur ad peccata, qualis est illa Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* Sed complectitur omnia vincula, quæ impedire possunt homines à consecutione salutis æternæ. Itaque in hoc verbo fundatur potestas nõ solùm absoluendi à peccatis in Sacramento pœnitentiæ, sed etiam absoluendi à censuris quibuscunque, necnon dispensandi in legibus, in votis, in iuramentis, dum causa rationabilis adest. Promittitur enim his verbis Apostolo Petro supremum tribunal Ecclesiasticæ potestatis, vt loco Christi Ecclesiam omnem regere, & iudicare summa cum potestate posit, quod ei tunc demum exhibitum est, cùm à Christo audiuit Ioan. 21. *Pasce oues meas.* De qua re multa scripsimus in libro primo de Summo Pontifice, vbi etiam obiectiones Hæreticorum refutauimus. Quare quemadmodum Petrus, vt supremus Iudex, loco Christi, absoluere potest homines peccatores ritè dispositos à culpis quibuscumque, applicando illis per Sacramentum Baptismi, vel pœnitentiæ Christi merita, ita etiam potest absoluere eosdem extra Sacramentum à pœnis temporalibus, applicando eisdem Christi, & Sanctorum passiones. Ratio autem cur

A reatus culpæ soluatur in Sacramento, reatus autem pœnæ extra Sacramentum, est in promptu. quamuis enim potestas soluendi sit generalis, tamen debent omnia solui prout exigit eorum natura, culpæ lethales non soluuntur sine infusione gratiæ: infusio autem gratiæ nõ datur ministerio humano, nisi per Sacramẽta: reatus autem pœnæ remanentis post dimissam culpam, soluuntur extra Sacramentum, quia non requirit infusionem nouæ gratiæ: sed eam iam adeptam præsupponit. Porrò superesse sæpenumero pęnam temporariam luendam post dimissam culpam, probatum est à nobis fusissimè in lib. 4. de pœnitentia, quæ non sunt hoc loco repetenda. Posse autem reatum earum pœnarum expiari Christi, & Sanctorum passionibus, quæ in thesauro Ecclesiæ reconditæ asseruantur, paulò antè demonstratum est.

B Eodem pertinent illa verba, Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Ne quis enim Ecclesiam contemneret, de qua dictum erat paulò antè in eodem loco: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus:* addit Christus tantam fore potestatem Præsulum Ecclesię, vt quæcumque ipsi ligauerint, vel soluerint, sint etiã apud Deum ligata, vel soluta, cùm ipsos loco suo Iudices, & Principes Ecclesiæ esse voluerit. & cùm hæc etiam promissio generalis sit, nulla est ratio, cur non possit extendi ad solutionem reatus pœnæ temporalis, præsertim cùm diuinæ iustitiæ satisfiat ex redundantibus satisfactionibus Christi, & Sanctorum, cur enim potiùs colligatur

C ex his verbis potestas absoluendi à reatu culpæ etiam lethalis per applicationem meritorum Christi: quàm absolutio à reatu pœnæ per applicationem eorundem meritorum, cùm constet vtrumq; reatum solubilem esse, & verba Domini generalia sint? Secundò probatur hæc eadem potestas ex praxi, & vsu perpetuo Ecclesiæ Catholicæ. quod enim Ecclesia semper in vsu habuit, dubitari non potest, quin sit à Deo, etiamsi fortè fundamẽtum eius consuetudinis nos lateret. Ipso Apostolorum tempore concessam fuisse Indulgentiam, perspicuum est ex verbis illis Beati Pauli 2. Corinth. 2. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego, quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur à Satana.*

D Rogauerunt Corinthij Beatum Paulum, vt Theodoretus, & S. Thomas hoc loco docent, vt incestuoso excommunicato, & seriam pœnitentiam agenti ignosceret, & condonaret quod superaret pœnitentiæ, annuit Beatus Paulus, & iussit, vt ipsi nomine suo indulgerent. ac vt videamus nihil defuisse eorum, quæ ad iustam Indulgentiam pertinent, quæ tria numerantur à Theologis, & à nobis suo loco fusiùs tractabuntur: nimirum auctoritas in cõcedente, pietas in causa, & status gratiæ in suscipiente: Apostolus in persona Christi, id est, auctoritate à Christo accepta indulgere se dicit, idque propter ipsos, id est, propter communem ipsorum vtilitatem, vt non detur locus insidijs Diaboli ob nimiã Prælati seueritatem. Denique constat ex eadem epistola Co-

rinthium incestuosum tantùm de suo peccato dolorem concepisse, vt periculum esset, ne nimia tristitia absorberetur: ex quo intelligimus, eum per veram pœnitentiam ad statum gratiæ peruenisse.

Post Apostolica tempora extant testimonia Tertulliani, & Cypriani de remissione pœnæ, quam Pontifices faciebant, vel ad Martyrum intercessionem, vel aliis de causis, neque multùm referr, quòd Pontifices illi non dicerent se ex thesauro satisfactionum Indulgentiam dare. nam neque dicebant cùm per Baptismi, vel Pœnitentiæ sacramentum peccata remittebant, sed id facere applicando merita Christi: & tamen sine dubio Christi merita applicabant, vt etiam Aduersarij concedunt, debet enim diuinæ iustitiæ satisfieri, siue in sacramento, siue extra sacramentum peccatorum debita remittantur. quanquam nec omninò de thesauro siluerunt, vt statim dicemus. Sed testimonia ipsa videamus: Tertullianus in libro ad Martyres cap. 1. *Quam pacem*, inquit, *quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueuerunt. & ideò ea etiam propterea in vobis habere, & fouere, & custodire debetis, vt si fortè & alijs præstare possitis.*

Sanctus Cyprianus lib. 3 epist. 15. quæ in editione Pameliana est epistola 11. scribit S. Martyribus, qui pacem dari lapsis petierant, eosq; monet, vt cautè, & cum delectu lapsos commendent Episcopis: *Petitiones*, inquit, *& desideria vestra Episcopo seruent, & ad pacem vobis petentibus dandam, maturum & pacatum tempus expectent.* Et infrà: *Oro vos quibus possum precibus, vt Euangelij memores, & considerantes, quæ, & qualia in præteritum antecessores vestri Martyres concesserint, quam solliciti in omnibus fuerint; vos quoque solliciti, & cautè petentium desideria ponderetis, vtpotè amici Domini, & cum illo postmodum iudicaturi inspiciatis, & actu, & opera, & merita singulorũ, ipsorum quoque delictorũ genera, & qualitates cogitetis, ne si quid abruptè, & indignè, vel à vobis promissum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoq; ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat.* Idem in sermone de lapsis extremo: *Pœnitenti*, inquit, *operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Hæc ille. Non est autem credibile pœnitentes ambiuisse patrocinia Martyrum in carceribus constitutorum, quando integram pœnitentiam peragere volebant: sed quando pacem, id est, absolutionem, & communicationem sibi dari cupiebãt, nõ peracta integra pœnitentia, proinde à Martyribus petebant, vt sibi ab Episcopis partem pœnitentiæ condonari, hoc est, Indulgentiam dari precarentur.

Illud quoque obseruandum est, Episcopos dare solitos Indulgentiam ad preces Martyrũ, non solùm, vt Martyres honorarent, & ad cõsummandũ Martyriũ accenderent, sed etiam quia videbant, merita Martyrũ posse cõmunicari pęnitentibus, & acceptari passiones eorum pro satisfactione, quæ lapsis pœnitentibus deerat. atque ita vetus etiam Ecclesia ad thesaurũ respiciebat, cùm Indulgẽtias daret. Id quod ex Tertulliano colligi potest; qui posteaquàm

A Hæreticus esse cœpit, in lib. de pudicitia, ca. 22. negauit, quod anteà in lib. ad Martyres cõcesserat, posse videlicet ad preces Martyrum indulgeri lapsis reconciliationem, & rationẽ adfert, quia nõ supersunt Martyribus satisfactiones, quas cum lapsis cõmunicare possint: *Sufficiat*, inquit, *Martyri propria delicta purgasse. Ingrati, vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit cõsecutus.* & infrà sic Martyrem alloquitur: *Si peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere, & tibi, & mihi poterit.* Ex cuius verbis manifestè colligitur, Martyrum passiones applicari solitas illis, qui ad petitionem ipsorũ Martyrum indulgentiã consequebantur. Nec ratio Tertulliani solida est, cùm iam ostẽderimus plurimorũ Martyrum passiones verè potuisse, non solùm ipsorũ Martyrum, sed etiam aliorum hominum debita expiare, quod attinet ad reatum pœnæ temporalis.

B Post illa tempora extant Concilia Ecclesiæ antiquissima, partim generalia, partim etiam diuersarum Prouinciarum, in quibus per Episcopos Indulgentiæ pœnitentibus conceduntur. Concilium Nicænum I. Cano. 11. vel in alia editione 12. statuit, vt qui seriò pœnitentiam agunt, possint Indulgentiam aliquam ab Episcopo obtinere: *Licebit*, inquit, *Episcopo de his aliquid humanius cogitare*: negligentiores autem iubet idem Concilium, vt definitum tempus pęnitentiæ omninò explere debeant. Quid autẽ hoc est, nisi prioribus aliquid, posterioribus nihil indulgere? Similia habentur in Concilio Ancyrano can. 5. in Concilio Laodiceno can. 2. quorum alterum non

C diu ante Nicænum, alterum non diu post Nicænum celebratũ fuit. Idem etiam docet sanctus Basilius in epist. suis Canonicis, quę habentur in Nomocanone Photij Can. 73 A tempore autem S. Gregorij vsus Indulgentiarum vsque adeò notus, & perspicuus fuit, vt ne Aduersarij quidem id negare, nisi omninò impudenter, valeant. Nam S. Greg. Indulgentias in diebus stationum populo concessisse testantur grauissimi auctores. S. Thom. in 4. sent. d. 20. q. 1. art. 3 quæstiun. 2. & qui eum præcessit Gulielmus Altisiodorensis lib. 4. Summæ Theologicæ, tract. 6. c. 9. Leonem III. Pontificẽ ante annos 800. Indulgentias concessisse, testis est S. Ludgerus in epist. de S. Svviberto, quę extat apud Sur. to. 2. post vitam S. Svviberti à S. Marcellino descripta. Sic enim loquitur in epist.

D S. Ludgerus c. 9. *Idem S. Leo Papa ann. Dominicæ Incarnationis 804. cum magna solemnitate suorũ Cardinaliũ, Archiepiscoporum, Episcoporũ, & Prælatorum ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodẽ Imperatore imperialiter cum suis susceptus, inter multa pietatis suæ opera, instantia eiusde Serenissimi Imperatoris, & Regis, Aquisgrani in palatio dedicauit Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eandem Ecclesiam multis Indulgentijs.* & infrà: *Et Coloniæ Agrippinæ tam ad S. Martinum, quàm in Capitolio altaria consecrauit, & multa alia Monasteria, & altaria, ac capellas per Alemanniam, & Galliam consecrauit: vbique multas Indulgentias conferendo.* & infrà: *Obtulit idem S. Papa eidem Ecclesiæ speciales Indulgentias cunctis fidelibus celebrantibus festum S. Svviberti Episcopi, & ad diuina confluentibus.*

Hæc

Hæc ille. Sergium iuniorem Pontificem, qui sedit circa annum 844. concessisse Indulgentiam trium annorum, & trium quadragenarum visitantibus Ecclesiam S. Martini in montibus in die festo eiusdem Ecclesiæ, constat ex memoria huius rei, quæ extat in marmore inciso literis antiquissimis in eadem Ecclesia, vt nulla fingi possit suspicio fraudis. Neque vllo modo credibile est, Leonem III. aut Sergium II. aut Gregorium I. cum viri Sanctissimi essent, ausos fuisse rem nouam instituere, quam à prædecessoribus non accepissent. & modus ipse loquendi sancti Ludgeri, & verba in marmore incisa iussu Sergij, apertè indicant, rem solitam fuisse Indulgentiarum concessionem. Multa his similia de posterioribus Pontificibus, vt Gregorio VII. Alexandro III. & alijs referre possemus. sed Aduersarij non negant, quin à posterioribus Pontificibus Indulgentię concessæ fuerint. Tertiò probatur eadem hæc potestas ex Concilijs Generalibus Ecclesię Catholicæ, in quibus Indulgentiæ conceduntur, vel probantur. quod enim Concilia Generalia docent, id vniuersa Ecclesia docet. Habemus anno 1096. Concilium Claromontanum Generale teste S. Antonino 2. p. hist. tit. 16. c. 1. §. 23. in quo Vrbanus II. Papa Indulgentiam plenariam tribuit ijs, qui ad sacrum bellum proficiscebantur. Paulò post, anno videlicet 1116. in Concilio Lateranensi Generali, & numerosissimo Paschalis II. Papa concessit Indulgentiam 40. dierum ijs, qui ad Concilium prædictum venerant, teste Abbate Vrspergensi, qui tunc viuebat, in Chronico anni 1116. Rursus anno 1213. teste Abbate Vrspergensi Innocentius III. concessit Indulgentiam plenariam pro auxilio terræ Sanctæ, & simul indixit Concilium Generale Lateranense frequentissimum, quod celebratum est anno Domini 1215. atque in eo de Indulgentijs quoq; actum est, & emendati abusus, qui circa Indulgentias paulatim irrepserant, vt patet ex cap. Cùm ex eo, de pœniten. & remiss. emendatio verò abusuum testatur rem esse antiquissimam, non enim irrepunt abusus, nisi in ijs rebus, quæ diu fuerunt in vsu. Similis emendatio legitur in Concilio Generali Lugdunensi, vt habemus in Sexto, de pœnit. & remiss. cap. 1. & in Concilio Generali Viennensi, vt habemus in 2. Clementina, eodem titulo. In Concilio verò Constantiensi item Generali, non solùm damnantur errores de Indulgentijs Ioannis VVicleffi, sess. 8. sed etiam in vltima sessione concedit Martinus V. Indulgentiam plenariam. Denique Tridentinum Concilium sess. 25. iterum probat vsum Indulgentiarum, & emendat abusus. Quamuis autem hoc argumentum ab auctoritate tot Generalium Conciliorum ab Hæreticis nostri temporis contemnatur: tamen re vera grauissimum est argumentum. Nam Ariani quoque nihili faciebant Concilium Nicænum, Nestoriani Ephesinum primum, Euthychiani Chalcedonense, & cæteri variorum temporum Concilia eorum Episcoporum, à quibus damnabantur, & tamen semper Ecclesia Catholica hunc morem seruauit, vt in Concilijs Hæreses damnarentur, & vt Sanctus Augustinus ad Ianuarium scribit

A in epistola 118. semper fuit in Ecclesia plenariorum Conciliorum saluberrima auctoritas.

Quartò probatur ratione petita ab ijs signis, ex quibus internoscuntur Catholica dogmata ab Hæresibus. nam Catholicorum dogmatum hoc est proprium, vt non inueniatur eorum origo, nisi ad Euangelium, vel Apostolos ascendamus. Hæresum autem semper designari potest certus auctor, & locus, & tempus, in quo exoriri cœperunt. Iam verò nullus hactenus indicare potuit auctorem Indulgentiarum, neque locum, vel tempus, quo prædicari cœperint. Omnes enim, qui de Indulgentijs mentionem faciunt, siue Doctores sint, siue Pontifices, siue etiam Concilia, ita de ijs loquuntur, vt de re visitata, & recepta. B Quare Martinus Kemnitius in quarta parte Examinis pag. 329. fatetur originem Indulgentiarum non satis luculenter in historijs notatam fuisse, & quod paulò post pag. 333. affirmat, Indulgentias cœpisse circa annum Domini 1200. manifestè falsum esse conuincitur ex ijs, quæ citauimus de Indulgentijs concessis à Paschali II. Vrbano II. Sergio III. & potissimùm à Leone III. qui sedit anno Domini 800. id est, quadringentis annis ante millesimum ducentesimum à Kemnitio notatum. Initium autem Hæresis contra Indulgentias notissimum est. Constat enim non solùm ex Catholicis, sed etiam ex ipso Kemnitio pag. 375. primos fuisse VValdenses, qui doctrinam Ecclesiæ de Indulgentijs oppugnare cœperunt. VValdenses autem, quorum auctor C Valdesius ciuis Lugdunensis fuit, à qua ciuitate Pauperes de Lugduno appellati sunt, constat mundo apparuisse circa annum Domini 1170. ex Claudio Cussordio in libro contra VValdenses extremo. Ex quo etiam confutatur error Kemnitij de origine Indulgentiarum. Nam si VValdenses, qui Indulgentias oppugnabant, exorti sunt circa annum Domini 1170. quomodo fieri potest, vt Indulgentiæ ipsæ cœperint circa annum Domini 1200.

Quintò probatur ex diuinis testimonijs reuelationum, & miraculorum. Nam S. Bernardus prædicauit multis in locis Indulgentias, quas Eugenius III. Papa concessit ijs, qui accepta Cruce ad bellum sacrum Hierosolymitanum proficiscerentur, & prædicationem suam miraculis plurimis, & maximis confirmauit, D vt cognosci potest ex vita eius fideliter scripta lib. 3. ca. 4. & ex initio libri secundi de Consideratione eiusdem Bernardi. Sanctus quoq; Franciscus diuina reuelatione Indulgentiam à Domino, & ab eius Vicario Romano Pontifice obtinuit pro Ecclesia sanctæ Mariæ de Angelis. de qua Indulgentia plura dicemus in 2. lib. cap. vlt. ad quem locum Lectorem remittimus. S. Brigitta Vidua sanctissima, cuius reuelationes diligenter examinatæ, & approbatæ per viros doctissimos fuerunt, ab ipso Christo non semel admonita est de Indulgẽtijs maximis, quæ sunt Romæ. Vide libr. 6. Reuelationum c. 102. & 105.

Sextò & vltimò probatur ratione ducta à simili. Nam in omni bene instituta Republica pertinet ad Principem, vel Magistratum

dispensatio communium bonorum, & rursus ad eosdem pertinet admittere satisfactionem vnius pro altero, si ita iudicent expedire vtilitati eiusdem Reipublicæ. Vt exempli gratia, si Princeps aliquis debeat stipendia multa militibus,& rursum habeat in carceribus multos, qui ob fraudes fisci rationibus illatas, debeant pœnam luere, vel in pecunia, vel in corpore, si fortè milites illi ex direptis ciuitatibus locupletati, stipendijs non egeant, eaque Reipublicæ condonent pro arbitrio Principis eroganda, certè poterit Princeps ob vtilitatem aliquam Reipublicæ ex militaribus illis stipendijs fisco suo pro debitis miserorum, qui carcerib. detinentur, satisfacere, & miseros illos absoluere. At certum est, Episcopos, Principes esse populi Christiani, & Romanum Pontificem in vniuersa Ecclesia loco Christi Summum Magistratum gerere: nec minus est certum, extare in Ecclesia thesaurum satisfactionum ex passionibus Christi,& Sanctorum,quo ipsi non egent, & in communem fidelium vtilitatem erogari desiderant: denique certum est, multos esse fideles homines, & Dei filios, & amicos, qui tamen reatu pœnæ temporali adhuc teneantur obstricti: cur igitur non poterunt Episcopi, ac potissimùm Pontifex Maximus, si rationabilis causa subsit, ex thesauro illo pro debitoribus satisfacere Deo, & nomine ipsius Dei, eandem satisfactionem pro debitoribus illis acceptare, atque ea ratione Indulgentiam illis dare, eosq; à reatu pœnæ temporalis absoluere?

Tertia Propositio: ***Prælati Ecclesiæ dispensare possunt Christi passionem, tum per sacramenta, tum per Indulgentias, passiones verò sanctorum non nisi per Indulgentias.*** Ratio est in promptu. Nam Christi passio,qua parte dispensatur pro iustificatione, & reconciliatione peccatorum, non potest ab Ecclesiæ Prælatis dispensari, nisi per Sacramenta. gratiam enim, & gloriam(vt omnes Theologi fatentur) non potest donare extrà sacramenta, nisi Deus potestate propria, & Christus per potestatem sibi communicatam à Deo, quam vocant excellentiæ. Qua parte autem eadem Christi passio dispensatur pro remissione pœnæ temporalis, potest & per sacramenta,& extra sacramenta dispensari. Nam in sacramēto Baptismi virtute passionis Christi remittitur omnis pœna siue temporalis, siue æterna: in sacramento verò pœnitentiæ remittitur semper pœna sempiterna, & pars aliqua pœnæ temporalis. Passiones verò Sanctorum per sacramenta dispensari non queunt. numquam enim in sacramentis remittitur pœna,sine remissione culpæ: culpæ autem passionibus Sanctorum expiari non possunt.vt illud omittam, quòd Sacramenta instrumenta sunt passionis solius Christi, nec vllam vim habent à passionibus Sanctorum, cùm ipsi etiam Sancti per Christi Sacramenta sanctificati fuerint. Restat igitur, vt passiones Sanctorum, si vllo modo dispensari debeant extra sacramenta solùm, idque pro solutione solius reatus pœnæ temporalis dispensari debeant. Quòd si passiones Sanctorum extra Sacramenta dispensentur, dubium esse non debet, quin etiam Christi passio pro solutione reatus pœnæ temporalis extra sacramenta dispensari possit. Atque hæc ad explicandam, & confirmandam veritatem in præsenti sufficiant. nam in sequenti cap. ex obiectionum solutione veritas ipsa magis elucescet.

A

CAPVT IV.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam duorum capitum superiorum.

ADuersus ea, quæ dicta sunt capite secundo, & tertio multa obijciuntur ab Aduersarijs, quæ sunt breuiter diluenda. Omittam autem in præsentia Lutheri, & cæterorum Hæreticorum argumenta, tum quoniam ea simul omnia in secundo libro refellam: tum quia tam malè inter se cohærent, vt vix præ se ferant speciem, vel vmbram argumenti. quo magis mirum est propter tam debiles, & ineptas rationes potuisse tot populos ab antiqua fide deficere. Adferam igitur solùm Durandi, & Maironis obiectiones.

B

Prima obiectio, Deus Pater Christi meritis, atque in primis acerbissimæ passioni eius, & morti cumulatissimum præmium reddidit, vt Apostolus docet in epistola ad Philippenses capite secundo,cùm ait: ***Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.*** Non igitur supersunt passiones aliquæ non remuneratæ,quę in thesauro recondantur. Responsio: Christi passiones, qua parte merita dici poterant, actiones, videlicet virtutum obedientiæ,patientiæ, humilitatis, ac potissimùm caritatis, premium aliquod habuerunt, gloriam corporis, & nominis exaltationem, vt Apostolus scribit: sed qua parte satisfactiones erant, vt opera bona, & pœnalia, nullum omninò præmium in ipsa Christi persona sortitæ sunt, cùm ipse nulla peccata propria haberet, pro quibus satisfacere teneretur. Itaque vniuersæ Christi afflictiones, vt rationem satisfactionis habent,superuacaneæ ipsi fuerunt, & in thesauro iure continentur. quamquam neque integrum præmium Christus habuit laborum suorum, qua parte meritorij erant. Nam gloriam animæ essentialem sine meritis habuit in primo instanti conceptionis suæ, vt Theologi docent: & cùm ea merita infiniti pretij essent, certè non fuit integrum eorum præmium sola corporis gloria, & nominis exaltatio. Quare Theologi rectè statuunt Christum meruisse de rigore iustitiæ gratiam, & gloriam omnibus hominibus, etiamsi illi infiniti futuri fuissent.

C

D

Secunda obiectio, Culpa lethalis est infiniti damni causa, quod ad se attinet, cùm sit offensa Dei, qui est summum, & infinitum bonum. igitur ad culpam lethalem tollendam, necessaria fuit infiniti pretij satisfactio. Tota igitur Christi passio, quamuis infiniti meriti fuerit, in redemptione, & expiatione culpæ lethalis consumitur; ac per hoc nihil superest, quòd pro expiandis pœnis in thesauro reponatur. Responsio, Si argumentum propositum aliquid efficeret, probaret vnicam solùm culpam lethalem Christi passione deleri

potuisse: & iam non solùm pro tollendis pœnis, sed etiam pro tollendis plurimis culpis nihil in thesauro remansisse. sed non ita est: nam multæ culpæ, quarum vnaquæque sit offensio infinita, non requirunt ad sui expiationem multas infinitas satisfactiones: sed vna satisfactio verè infinita, qualis fuit quælibet Christi afflictio, sufficit ad expiandas omnes alias culpas, & pœnas pro eis debitas. nihil enim maius infinito dari potest. Quare verissimè scripsit Clemens VI. in Constitutione, quæ incipit Vnigenitus, vnam sanguinis guttam Christi, propter vnionem ad Verbum, toti mundo reconciliando satis esse potuisse. Et cùm Dominus Christus non vnam sanguinis guttam, sed totum sanguinem pro nobis fuderit, & ab ipsa conceptione vsque ad mortem ardentissima caritate grauissimos labores pertulerit, vt Deo Patri nos reconciliaret, proque culpis nostris diuinæ iustitiæ satisfaceret, dubium esse non potest, quin semper supersit pretium, idque iustissimum, quo debita nostra solui possint.

Tertia obiectio; Satisfactio Christi est infinita, vt iam dictum est: non igitur opus est, vt ad satisfactionem Christi adiungantur satisfactiones ex passionibus Sanctorum. Responsio, Non est quidem opus, vt adiungantur passiones Sanctorum passionibus Christi, quasi hæ per se non sufficiant: sed adiunguntur tamen, quia æquum est, vt passiones illæ coram Deo non sint inanes, præsertim cùm id sit, tum gloriosum Christo, à quo manat omne bonum Sanctorum, tum ipsis etiam Sanctis perhonorificum. Quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus Sanctorum, id est, an applicetur pars vna satisfactionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus Sanctorum. an verò integra satisfactio accipiatur semper ex passionib. Christi, & superaddantur ad cumulum satisfactionis passiones Sanctorum, non videtur nimis curiosè inuestigandum. Illud videtur certum, passiones Christi, quæ sunt infiniti pretij, applicari per Indulgentias finito modo, & ideò aliquid re vera superaddi, cùm passiones Sanctorum illis adiunguntur, quod rectè annotauit Dominicus à Soto in 4. sent. dist. 21. q. 1. artic. 2.

Quarta obiectio, Sancti omnes plenam mercedem laborum suorum acceperunt, immò supra condignum Sanctos omnes à Deo remuneratos rectè colligunt Theologi ex diuinis literis, cùm Dominus dicat, Luc. 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* & Apostolus ad Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nihil igitur superest ex laboribus Sanctorum, quod ad expiationem alienorum peccatorum insumi possit, & ad hunc finem in thesauro Ecclesiæ conseruetur. Responsio, Iam suprà docuimus in bonis operibus Sanctorum, quæ laboriosa, & pœnalia fuerunt, duplicem esse rationem, alteram meriti, alteram satisfactionis. Quod igitur attinet ad rationem meriti, plenam mercedem, immò etiam confertam, & coagitatam, & superefluentem mensuram præmij sancti omnes pro suis laboribus acceperunt. Quod autem pertinet ad rationem satisfactionis, multi labores Sanctorum inanes, & sine fructu essent, nisi pro reatibus aliorum consumerentur, cùm ipsi sancti, aut nullis, aut certè minoribus laboribus pro suis expiandis reatibus indigerent.

A

Quinta obiectio, Nihil omninò Sancti fecerunt, vel pertulerunt propter Deum, quod facere, vel perferre non tenerentur: nihil igitur illis superest, quod cum alijs communicare possint. Antecedens colligitur ex multis testimonijs sacræ Scripturæ, sed ex eo potissimùm, quod habetur, Luc. 17. *Cùm feceritis hæc omnia, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Quare prudentes virgines, Matthæi 25. non sine causa fatuis dicentibus: *Date nobis de oleo vestro*, responderunt: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Responsio, Non est necesse hoc loco de operibus supererogationis disputare, de quibus in lib. de Monachis disseruimus. Nam etiamsi admitteremus, quod tamen falsum esse loco notato demonstrauimus, nihil omninò sanctos viros fecisse, vel pertulisse propter Deum, quod facere, vel tolerare non tenerentur; nihil tamen argumentum concluderet. nam ipsa obedientia legis, ad quam implendā sine dubitatione tenemur, meritoria & satisfactoria est, & potest fieri, vt ea satisfactione pro suis delictis non egeat, qui legis obedientiam præstat, ac propterea cum alijs eam communicare possit. Neque virgines prudentes de satisfactione loquuntur, sed de oleo gratiæ, & caritatis, sine quo salui esse nō possumus. quod quidem oleum vnusquisque retinet sibi, neq; in alios effundere potest, cùm sit opus solius Dei, effusio tam pretiosi olei. *Caritas Dei*, inquit Apost. ad Rom. 5. *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

B

C

Sexta obiectio, Si Sanctorum passionib. expiari possent nostra delicta: non esset absurdum eos appellare nostros Redemptores, saltem ex parte. At solus Christus est Redemptor generis humani, de quo dicit Apostolus, 1. Cor. 1. *Qui factus est nobis iustitia, & redemptio*, & 1. Corint. 5. *Empti estis pretio magnō.* Responsio, Propter hoc argumentum non defuerunt aliqui ex recentioribus, qui dicerent, passiones Sanctorum non ita nobis applicari per Indulgentias, vt sint iustæ compensationes pro pœnis, quas nos debemus Deo, hoc est, veræ satisfactiones: sed esse aliquid, quod moueat Deum, vt nobis Christi satisfactionem applicet. Sed hæc opinio reprobata est à Pio V. Pontifice, & à Gregorio XIII. qui sententiam Pij confirmauit. Damnauit enim Pius V. multos articulos quorundam Louaniensium. quorum vnus erat: *Solius Christi satisfactionibus remitti pœnam temporalem, Sanctorum autem passiones offerri Deo, vt Deus illarum intuitu applicet nobis merita Christi.* Præterea repugnat eadem illa opinio Constitutioni Clementis Sexti, quæ incipit Vnigenitus, & Bullæ Leonis Decimi, in qua damnantur errores Lutheri, & communi consensui Theologorum. Ad hæc, si non possent nobis applicari Sanctorum passiones ad redimendas pœnas,

D

quas

quas pro peccatis Deo debemus, ne sancti Redemptores nostri esse videantur, certè, neque nos ipsi proprijs laboribus, pœnas easdem redimere possemus, ne nos ipsi Redemptores nostri esse videamur. Atqui Concilium Tridentinum sess. 14. capit. 8. & canon. 13. & 14. apertissimè docet contrarium. Ad argumentum igitur respondemus, si propriè, & absolutè nomen Redemptoris accipiatur: solum Christum esse Redemptorem. is enim dicitur propriè, & absolutè Redemptor, qui redimit à captiuitate, non qui soluit pro alio debitum aliquod parui momenti. Nos autem tunc solùm captiui dicimur, cùm venundati sub peccato, vt Scripturæ loquuntur, & cum laqueis Diaboli vincti tenemur ad ipsius voluntatem, id quod tunc solùm fit, cùm per lethale peccatum à gratia Dei excidimus: ab hac autem seruitute, & captiuitate solo Christi sanguine redimi possumus, proinde ipse solus verè, proprieque Redemptor dici debet. At si largo modo Redemptor appelletur quicumque liberat alium ab aliquo debito, non erit absurdum, si sancti viri Redemptores nostri aliquo modo, id est, secundùm aliquid, non simpliciter, & largo modo, non in rigore verborum esse dicantur. Nam si Propheta Daniel Regi Nabuchodonosor non ineptè dixit: *Peccata tua eleemosynis redime*, Daniel. 4. cur ineptè dicantur sancti viri aliquo modo passionibus suis delicta nostra posse redimere? & si B. Paulus de se scripsit, 1. Corin. 9. *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos:* cur non etiam scribere potuit, vt omnes redimerem? non enim minus est proprium Christo nomen Saluatoris, quàm Redemptoris.

CAPVT V.

Quid propriè sit Indulgentia, solutióne, an absolutio.

DEmonstratum est hactenus, Indulgentias esse: nunc quid sint, id est, in qua re potissimùm Indulgentiæ ratio, & natura posita sit explicandum erit: Disputatio bipartita erit: primùm enim quæremus, an Indulgentia propriè sit absolutio, vel solutio: deinde cuius debiti sit solutio, vel à quo debito absolutio. His enim duobus explicatis, in promptu erit vera, ac propria Indulgentiæ definitio. Quod ad primum attinet, non defuêre, qui Indulgentias nihil esse aliud voluerunt, nisi solutionem, id est, compensationem pœnarum ex thesauro meritorum Christi, ac Sanctorum depromptam, & applicatam auctoritate Pontificis. Ita sensisse videntur Durandus in 4. distin. 20. q. 3. Paludanus ibidem q. 4. Sanctus Antoninus in p. parte Summæ Theologiæ, titul. 10. ca. 3. Hadrianus VI. Pontifex in 4. sent. q. de Indulgentijs. Syluester in Summa, Verbo, Indulgentia, num. 3. & videtur in eadem fuisse sententia sanctus Thomas in 4. distinct. 20. q. 1. art. 3. ad 2. & 3. Contrà verò Franciscus Mayrones loco suprà citato, contendit Indulgentias nihil esse, nisi iudiciariam absolutionem, cui prima fronte fauere videntur exempla vetustissimorum Conciliorum, in quibus videmus ab Episcopis absolui pœnitentes ab aliqua parte mulctæ impositæ, nulla facta mentione

A thesauri spiritualis, vnde compensentur debita illa pœnarum.

Ceterùm re tota diligentiùs considerata, posteriores Theologi definierunt vtrumque simul in Indulgentijs reperiri, absolutionem, & solutionem: neque veteres Theologos scholasticos negasse iudiciariam absolutionem, quamuis solutionis tantùm ferè meminerint, vetustissimos Patres negasse solutionem ex thesauro, licèt solius absolutionis meminisse videantur. Ita docet Cardinalis Caietanus, tract. 15. ad Iulium Medicem, ca. 6. Dominicus à Soto in 4. distinct. 21. q. 1. articul. 2. Petrus à Soto lect. 2. de Indulgentijs, in institutione sacerdotum. Martinus Ledesmius in 2. parte, 4. sentent. q. 38. articul. 1. & alij passim. & expressè idem docuit ex antiquis S. Bona-

B uentura in 4. dist. 20. par. 2. q. 5. sit igitur:

Prima propositio, *Indulgentia propriè est absolutio iudiciaria, annexam habens solutionem ex thesauro*. Probatur pars prior propositionis primùm ex testimonijs Scripturæ, in quibus fundari diximus Indulgentias. Nam illud Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* & illud Matth. 18. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* intelliguntur sine dubio de potestate iudiciaria absoluendi. Secundò probatur ex testimonijs sacrorum Canonum. Siquidem Alexander III. Pontifex in epistola ad Episcopum Cantuariensem, vt habemus c. Quod autem consuluisti, de pœnit. & remiss. docet, neminem posse concede-

C re Indulgentias nisi proprijs subditis, & rationem reddit: quia non potest nisi proprius Iudex absoluere, vel ligare. quibus verbis Alexander satis apertè Indulgentiam absolutionem iudiciariam esse docuit. Sic etiam Martinus V. Pontifex in fine Concilij Constantiensis concedens Indulgentiam plenariam, dicit se absolutionem plenariam concedere. Gregorius VII. in multis epistolis Indulgentiam tribuens, vt plurimùm vtitur verbo absolutionis. Tertiò probatur ratione. nam cur, quæso, pro defunctis non conceduntur Indulgentiæ, nisi per modum suffragij: certè nulla est ratio, vt suo loco demonstrabimus, nisi quia defuncti non possunt propriè iudicialiter absolui; ergo Indulgentia, quæ viuentibus simpliciter datur, absolutio iudiciaria est. Deni-

D que si non esset necessaria Iurisdictio ad Indulgentias concedendas, quicunq; applicare vellet alteri satisfactionem suam, is dici posset Indulgentiam dare, quòd tamen est omninò inauditum.

Iam verò posterior propositionis nostræ pars, quod videlicet Indulgentiæ præter absolutionem contineant applicationem thesauri, probari potest primùm auctoritate Clementis Sexti, qui in Extrauagant. Vnigenitus, manifestè hoc docet. Deinde ratione, quoniã Prælati Ecclesiæ, & ipsi etiam Summi Pontifices non sunt absoluti Domini, vt possint pro arbitrio, sine vlla compensatione condonare hominib. culpas, vel pœnas, quarũ rei sunt in foro Dei. Sed sunt Iudices à Deo constituti, qui possunt quidẽ pro potestate sibi à Deo concessa remittere culpas, & pœnas nomine Dei, sic tamẽ, vt

iustitiæ satisfiat. & confirmatur à simili. nam cùm sacerdotes in sacramento pœnitentiæ absoluunt reos pœnitentes à culpis, & ab aliqua parte pœnæ temporalis, non id faciunt sine compensatione, sed applicant pretium sanguinis Domini, vt diuinæ iustitiæ satisfiat: Igitur eodem modo cùm per Indulgentias Prælati Ecclesiæ subditos suos absoluunt à pœnæ temporalis reatu, id faciunt applicando satisfactiones Christi, & Sanctorum. Generalis enim est Apostoli sententia ad Hebr. 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Quare minus considerate loquutus est Petrus Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. cùm ait, hoc interesse inter remissionem, quæ datur per sacramenta, & eam quę datur per Indulgentias, quod prior sit omninò liberalis, posterior verò compensationem aliquam requirat.

Secunda propositio, *Quamuis in Indulgentijs absolutio cum solutione ordinariè coniungatur: posset tamen Summus Pontifex Indulgentiam concedere per solā solutionem, non tamen per solam absolutionem.* Quòd per solam solutionem, certe est ex Indulgentijs, quæ dantur pro defunctis. nam quemadmodum defunctis Indulgentiæ conceduntur per hoc solùm quòd Summus Pontifex applicat ex thesauro quantùm satis est ad compensandam pœnam, quam illi in Purgatorio luituri erant: sic etiam posset viuenti alicui applicare satisfactionem ex thesauro Ecclesiæ, & eo modo eum liberare à debito pœnæ, etiamsi non propriè illum absolueret. Ceterùm ista non esset Indulgentia eiusdem rationis cum ea, quæ ordinariè viuentibus tribuitur. Quòd autem non possit concedi Indulgentia per solam absolutionem sine applicatione thesauri, perspicuum est ex ijs, quæ suprà diximus.

CAPVT VII.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam capitis superioris.

SEd aduersus ea, quæ in his propositionibus continētur, pauca quædam obijci possunt, quæ breuiter dissoluenda sunt.

Prima Obiectio, Si posset Pontifex absoluere iudicialiter per Indulgentias à pœna temporali, posset consequenter absoluere à pœna, quam aliquis in Purgatorio daturus esset: si cum reatu illius pœnę moreretur: at in pœnas Purgatorij non habet Pontifex auctoritatem, igitur non potest eam tollere per suam absolutionem, sed solùm per applicationem thesauri, vt facit cùm Indulgentias pro defunctis cōcedit. Responsio, An summus Pontifex potestatem habeat in animas, quæ in Purgatorio degunt, postea videbimus. Sed in pœnam Purgatorij, immò etiam in pœnam æternam Gehennæ sine dubio potestatem habet, saltem consequenter, & indirectè, quia dum absoluit per sacramentum pœnitentiæ à culpa lethali, liberat consequenter hominem à debito pœnę sempiternæ, & eodem modo dum per Indulgentias absoluit hominem à pœnitentia iniuncta, vel iniungenda, absoluit eundem consequenter à pœna Purgatorij, quam is luiturus esset, si eam pœnitentiam non expleuisset, vel

A ab ea absolutus non fuisset. Sed hoc non est habere potestatem in Purgatorium, vel in Gehennam, sed in homines fideles, qui rei sunt culpæ, vel pœnæ. Quare meritò damnata fuit sententia Petri Oxomensis à Sixto IV. Pontifice, & Concilio Complutensi, qui docebat, nō posse Summum Pontificem indulgere alicui viuenti in carne pœnam Purgatorij, & sola contritione deleri peccata quoad culpam, & pœnam alterius vitę, sine ordine ad claues. Vide, si libet, condemnationem huius erroris apud Alphonsum de Castro in libro aduersus hæreses, verbo Confessio, vel in Summa Conciliorum in decretis Sixti Quarti Pontificis.

Secunda obiectio, Per applicationem thesauri fit integra compensatio pro debito pœnę temporalis, igitur superuacanea est absolutio

B iudicialis. Responsio, Argumentum non rectè concludit, quoniam Iudex non tenetur dimittere reum alicuius pœnæ, etiam si iusta compensatio offeratur ab alio, præsertim si compensatio non sit eiusdem rationis: & ideò si Iudex admittat compensationem, & absoluat reum, verè dicitur gratiam illi pręstare, vt exempli causa, si quis damnatus sit ad triremes, vel vt publicè virgis cędatur, & aliquis offerat pro illius rei liberatione magnam pecunię summam, certè non tenebitur Iudex acceptare pecunias, & reum liberare: sed si voluerit id facere, gratiam illi pręstabit, atque eum absoluet. Itaque si propriè loqui velimus, non dicetur tollere obligationem ad pœnam is, qui compensationem offert, sed is, qui admissa

C compensatione reum ab illa obligatione absoluit. Dat igitur verè Indulgentiam subditis suis Pontifex, quia nomine Dei, cuius vices in terris gerit, admittit compensationem ex thesauro depromptam, & ea admissa pœnitentes à reatu pœnę temporalis absoluit. Contra autem, defunctis non dicitur dare simpliciter Indulgentiam, sed per modum suffragij, quia non ipse, sed Deus acceptat compensationem pro defunctis, & eosdem defunctos absoluit: Pontifex autem solùm offert ex thesauro iustam compensationem.

Tertia obiectio, Absolutio iudicialis dari potest etiam inuito, vt patet de absolutione ab excommunicatione: sed Indulgentia inuito dari non potest: igitur Indulgentia non est absolutio, sed mera solutio. Responsio, Non o-

D mnis absolutio dari potest inuito, sed ea sola, quę non requirit necessariò aliquam actionem, vel dispositionem in eo, cui datur. Itaque absolutio sacramentalis, quę requirit contritionem, confessionem, & satisfactionem, non potest in inuitum conferri: absolutio ab excommunicatione alijsq; censuris, quia non pendet necessariò nisi à voluntate Prelati, potest in inuitum conferri. Porrò Indulgentia exigit in suscipiente primùm, vt sit in statu gratię, deinde vt faciat quę pręscribuntur in literis Indulgentię, visitet Basilicas, oret, ieiunet, eleemosynas faciat, quę omnia sic à libero arbitrio pendent, vt ab inuito extorqueri non possint. Quare Indulgentia, quamuis sit absolutio, non est mirùm si in inuitum conferri nequeat.

Quarta obiectio: Absolutio requirit cognitionem causæ: sed Indulgentiæ sæpè dantur in communi omnibus, qui hoc aut illud egerint, non cognitis causis eorum, quibus Indulgentiæ tribuuntur: non igitur Indulgentia iudicialis absolutio dicenda est. Responsio, Absolutio particularis, & absoluta, vt etiam condemnatio, quia feruntur secundùm allegata, & probata, sine dubio requirunt particularem, & accuratam cognitionem causæ. At absolutio quædam generalis, & conditionata, non requirit cognitionem causæ, nisi generatim. prior absolutio dicitur sententia ab homine, posterior à iure. atque Indulgentiæ quidem, quæ dantur singulis pœnitentibus, quæ apud veteres vsitatissimæ erant, similes sunt priori absolutioni, & ideo tunc exigitur cognitio causæ in particulari: eæ verò quæ dantur omnibus generatim, & cum conditione certi operis faciendi, vt militādi aduersus Mahumetanos pro recuperanda Hierosolyma, similes sunt posteriori absolutioni, & propterea satis est generatim cognoscere iustam caussam adesse talis Indulgentiæ concedendæ.

Quinta obiectio, Archiepiscopus ad totam Prouinciam Indulgētiam suam extendere potest, vt habetur c. Nostro, de pœnit. & remiss. At nō sunt propriè subditi Archiepiscopo oēs prouinciales, sed ij soli, qui ad eius diœcesim pertinent: Igitur Indulgentia non est absolutio propriè dicta, quæ iurisdictionem exigit. Respondeo, Non sunt quidem omnes prouinciales absolutè subditi Archiepiscopo, sed sunt tamen omnes subditi in certis casibus, quorum vnus est Indulgentiæ condonatio.

Postrema obiectio: Si Indulgentia esset iudicialis absolutio, non posset Summus Pontifex vllius Indulgentiæ particeps esse, cùm se ipse iudicialiter absoluere nequeat, nec se, vel alium superiorem habeat. Atqui id videtur absurdum, vt Summus Pontifex illis Indulgentijs frui non posſit, quæ sunt communes omnibus fidelibus. Quod idem argumentum fieri potest de Episcopis, quod attinet ad Indulgentias, quæ ab illis toti populo conceduntur. Responsio, Non defuerunt qui negarint, Summum Pontificem, aut Episcopos participes esse posse Indulgentiarum, quas ipsi cæteris in commune largiuntur. Certè Archidiaconus in cap. Indulgentiæ, de pœnit. & remiss. in Sexto, ita docet. atque in eamdem sententiam paucos alios citat Syluester in Summa, Verbo, Indulgentia, n. 21. Contra tamen sentiunt omnes alij, tum Theologi, vt S. Thomas, Durandus, Richardus, & alij, in 4. distin. 20. & Sotus distinct. 21. tum Iuris Canonici interpretes, in c. Nostro, de pœnit. & remiss. & in c. Indulgentiæ, eodem in Sexto. Quibus accedit Nauarrus, in tractatu de Iubilæo, notab. 20. n. 19. Quamuis autem hæc sententia communis verissima sit, & omninò consentanea rationi, tamen argumentum contrarium non facilè soluitur. Illa enim principia certissima sunt, neminem posse ligari, vel solui, nisi à superiore: & neminem sui ipsius superiorem esse: vnde etiam fit, vt nemo se in Sacramento pœnitentiæ absoluere vmquam sit ausus. Posset igitur fortasse dici Summum Pontificem, & Episcopos erga alios vti absolutione, erga se verò solutione duntaxat. Posset item dici, non posse quidem Pontificem immediatè seipsum absoluere per Indulgentiam, sed posse per alium id facere, cui ipse potestatem tribuat. cur enim possit Confessario suo facultatem dare, vt se à peccatis absoluat, quod omnes admittunt, & non posſit eidem potestatem facere, vt sibi Indulgentiam conferat? Certè hæc responsio probabilis visa est Cardinali Caietano tractatu 15. cap. 5. & ante eum Richardo in 4. distin. 20. art. 4. p. 3. in solutione argumenti. Quamuis enim Indulgentia non pertineat ad Sacramentum pœnitentiæ, pertinet tamen ad forum interius, & pœnitentiale, in quo Summus Pontifex potest se alteri subijcere, qui in se ministerio clauium vtatur. Potest etiam postremò, & optimè dici, posse Pontificem indirectè participem fieri Indulgentiæ à se, vel à Prædecessore generatim propositæ, etiamsi nolit vti opere Confessarij, sed solùm ea præstare, quæ ab alijs exiguntur ad Indulgentiam consequendam. quoniam vt rectè ait S. Thomas in 4. distinct. 20. q. 1. art. 5. q. 4. ad vlt. non potest quidem Pontifex se ipse directè absoluere, sed potest vti ijs rebus, quas ipse alijs ex iurisdictione concesſit. Tales autem sunt Indulgentiæ, ad quas ipse percipiendas accedit, non vt Pastor, sed vt vnus de grege, subiectus clauibus Ecclesiæ, ac per hoc indirectè, & per accidens subiectus sibi. Addit Dominicus à Soto loco citato hanc ipsam subiectionem indirectam, nō esse etiam coactiuam, quoniam absolutio, quæ datur in Indulgentia, non est quasi sententia personalis ab homine lata, neq; etiam quasi lata à iure, & coactiua: sed quasi lata à iure communi, & non continens coactionē, sed remissionem cum conditione talis operis faciendi.

CAPVT VII.

A quo vinculo per Indulgentias soluamur, vel absoluamur.

CVm demonstratum sit Indulgentiam esse absolutionem cum annexa solutione: sequitur, vt explicemus, à quo vinculo nos Indulgentia soluat, vel absoluat. sic enim constabit, quæ sit propria ratio, definitio, ac natura Indulgentiæ. Sciendum igitur est, duplex esse vinculum, siue debitum, siue reatum peccati, alterum culpæ, alterum pœnæ. Rursus autem reatum pœnæ, iterum esse duplicem, alterum pœnæ naturalis, quæ consequitur originale peccatum, qualis est morbus, mors, ignorantia, concupiscentia, & similes. alterum pœnæ personalis, quæ consequitur peccatum actuale, qualis fuit pestis immissa in populum ob peccatum Dauidis. Rursus, reatum pœnæ personalis, alterum pertinere ad forum externum, alterum ad internum. Rursum reatum pœnæ debitæ in foro interno, siue pœnitentiali, alterum esse pœnitentiæ iniunctæ, alterum iniungendæ. Deniq; reatum eiusdem pœnæ siue iniunctæ, siue iniungendæ, vel esse debitum, vt satisfiat soli Ecclesiæ, vel vt satisfiat etiam Deo. His diuisionibus expositis, propositiones more solito adijciendæ sunt.

A Prima propositio, *Per Indulgentias non absoluimur, nec soluimur à reatu culpæ vllius, id est, nec lethalis, nec venialis.* Et quidem de culpa lethali nulla dubitatio esse potest: nam cùm ea tolli non possit sine infusione gratiæ, & gratia non infundatur ministerio humano nisi per Sacramenta, pro comperto habendum est, eam per Indulgentias non posse tolli. De veniali autem videtur quidem Petrus Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. existimare, tolli eam per Indulgentiam: sed longè probabilior est aliorum communis sententia, per Indulgentias non tolli, nisi reatum pœnæ temporalis, qui remanet culpa dimissa. Siquidem Indulgentia supplet locum satisfactionis pœnitentialis, & ideò dicitur ab Innocentio, c. Cùm ex eo, de pœniten. & remiss. eneruare pœnitentialem satisfactionem cùm est Indulgentia indiscreta. B Præterea, cùm Pontifices Indulgentias concedunt, sæpe declarant se condonare pœnitentiam iniunctam, sæpè etiam dicunt, se largiri certum numerum annorum, vel dierum Indulgentiæ, quæ nullo modo ad peccata venialia, sed ad solas pœnas accommodari possunt. Itaque si quando in literis Indulgentiarum legatur concedi absolutionem à culpa, & pœna: intelligendum est id propterea dici, quod Indulgentia coniungitur ordinariè cum confessione sacramentali, & facit, vt qui per Sacramentum pœnitentiæ fuit absolutus à culpa, per Indulgentiam absoluatur à pœna. Pari ratione, cùm dicunt Pontifices, se per Indulgentias absoluere pœnitentes à peccatis, vel condonare omnia peccata, vel dimidiam, aut tertiam partem peccatorum; C semper loquuntur de peccatis quoad pœnam, non quoad culpam, quæ ante Indulgentiam remissa esse creditur.

Secunda propositio, *Per Indulgentias non liberamur à pœnis naturalibus:* In hac omnes auctores conueniunt, constat enim definitum esse à Deo, vt pœnę illæ naturales non tollantur, nisi cum natura ipsa mutabitur, id est, cùm per resurrectionem mortale hoc induet immortalitatem, 1. Cor. 15. & cùm adoptionem filiorum Dei perfectam consequemur, redemptionem videlicet corporis nostri. Rom. 8.

Tertia propositio, *Nec pœnas quæ in foro externo. & contentioso siue Ecclesiastico, siue seculari infliguntur, Indulgentiæ tollere possunt.*

Docet hoc S. Thomas in 4. d. 20. q. 1. art. 5. quæst. 2. nec dissentiunt alij scriptores: siquidem pœnæ fori externi propter bonum Reipublicæ D infliguntur, vt facinorosi deterreantur à peccatis, & probi homines securitate fruantur. Præterea, Indulgentiæ non conceduntur, nisi pœnitentibus, & Deo reconciliatis: pœnæ autem illæ fori externi infliguntur maximè pertinacibus, & rebellibus. Denique Indulgentiæ, vt dictum est, locum obtinent satisfactionis pœnitentialis: quare non aliam pœnam tollunt, nisi quam debemus in foro secreto, & pœnitentiali.

Quarta propositio, *Indulgentiæ liberant homines à reatu pœnæ non solùm coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.* Hæc propositio negabatur olim à nonnullis, quorum sententiam referũt, & refellunt Theologi veteres, S. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. articul. 3. & alij. Eadem hoc tempore negatur à Luthero, Caluino, ceterisque sectarijs, qui docent Indulgentiam apud veteres non fuisse aliud, nisi relaxationẽ mulctæ, quam Ecclesia ipsa imperauerat, non vt per eam satisfieret Deo, sed exempli, & disciplinæ causa, vt omnes intelligerent, illum, qui eiusmodi pœnam luebat, verè resipuisse. Et quidem aduersus Catholicos in hac re minus rectè sentientes, probatur nostra propositio his argumentis. Primò, quoniam si solùm deberet Ecclesiæ satisfieri, siue tolli præceptum agendæ pœnitentiæ ab Ecclesia positum, non esset opus thesauro meritorum Christi, & Sanctorum. Secundò non esset vtilis, sed noxia Indulgentia, & Ecclesia filios suos in re maximè graui decipere videretur. liberaret enim eos à pœna huius vitæ mitissima, & remitteret ad pœnam atrocissimam Purgatorij. Tertiò non possent concedi Indulgentiæ pro defunctis: quippe, qui non ligantur iam Ecclesiæ præceptis, neque aut ipsi disciplina indigent, aut alijs exemplo esse possunt.

Quartò multi fideles Indulgentias percepturi, confitentur sacerdotibus peccata, & satisfactionem iniunctam explent: interdum etiam Pontifices in literis Indulgentiarum præscribunt, vt sacerdotes iniungant pœnitentias salutares ijs, qui Indulgentiam consequi desiderant. igitur, & populi, qui suscipiunt Indulgentias, & Pontifices, qui eas tribuunt, eius sententiæ se esse testantur, vt Indulgentiæ potissimum prosint ad pœnam Purgatorij expiandam. Deniq; hoc significare videntur verba illa, de vera Indulgentia, quæ addi solent cùm Indulgentiæ in sacello Pontificio promulgantur. vera enim Indulgentia dicitur, quæ reatum pœnæ non solùm coram Ecclesia, sed etiam coram Deo verè tollit.

Iam verò aduersus Hæreticos non est cur multùm laboremus in hac re comprobanda. Ipsi enim propterea negant Indulgentijs tolli reatum pœnæ coram Deo, quoniam existimant, post remissionem culpæ nullum superesse reatum pœnæ coram Deo, nullaque opus esse vera satisfactione. & quia negare non possunt, apud veteres extare plurima testimonia pœnarum, quæ pœnitentibus iniungebantur, vel relaxabantur, ideò docent, eas pœnas infligi solitas exempli, & disciplinæ causa. Ceterùm hæc omnia satis copiosè tractauimus in quarto libro de pœnitentia, vbi etiam omnia argumenta diluimus, quæ à Luthero, Philippo, & Caluino in medium allata fuerant. Ne tamen hoc locó nihil omninò dixisse videamur, probare possumus Indulgentias valere Christi ad relaxandam pœnam etiam coram Deo, primò ex verbis sæpe citatis Matthæi 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælo.* & Matth. 18. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo:* quorsum enim additur, & in cœlo, si non soluitur vinculum nisi humanum? Secundò ex Patribus, qui passim affirmant, per iniunctas, vel spontè assumptas pœnas, satisfieri Deo. Tertullianus in libro de pœnitentia loquens de ijs, qui dum agunt pœnitentiam, redeunt ad peccata, ita inquit, *Qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, Diabolo per aliam pœnitentia*

pœnitentiam satisfaciet. Sanctus Cyprianus in sermone 5. de lapsis, *Dominus*, inquit, *orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus*. Sanctus Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam, *In quantùm*, inquit, *pœnæ vestræ non peperceritis, in tantùm vobis Deus parcet*. Sanctus Augustinus homilia. 50. ex libro quinquaginta homiliarum cap. 11. *Veniat*, inquit, *ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur, accipiat satisfactionis suæ modum, & id agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum*. & cap. 15. *Non sufficit*, inquit, *mores in melius mutare, nisi etiam de ijs, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificiũ, cooperantibus eleemosynis*. Petrus Damiani in sermone 2. de sancto Andræa: *Ne tibi*, inquit, *blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel dissimulante dictatur, cùm in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quidquid hic minus feceris*.

B Ex his testimonijs manifestè colligimus, per iniunctas pœnitentias satisfieri Deo, ac per hoc Indulgentias, quæ ab eiusmodi pœnitentijs absoluunt, expiare pœnæ temporalis reatum etiam coram Deo. Multa possent alia testimonia veterum adduci, sed non sunt omnia vbique repetenda. Tertiò probatur ratione ducta à simili. pœnitentiæ siquidem à Sacerdotibus impositæ, &, ea quæ spontè assumuntur, sunt omninò similes. constant enim ex ijsdem rebus, oratione videlicet, ieiunijs, & eleemosynis, & ad eundem finem tendunt, & aliæ alias iuuant, C immò Sacerdotes cùm pœnitentias imponunt, hortantur pœnitentes, vt ipsi etiam spontè assumant alias, cùm credibile sit, impositas non esse æquales criminibus. Et Cyprianus dicat in serm. de lapsis, *Pœnitentia crimine minor non sit*. quod idem alij Patres docent. Certum autem est, per pœnitentias spontè assumptas satisfieri Deo, vt perspicuum est ex eo, quòd occultæ esse solent, iuxta illud Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Igitur, & pœnitentiæ a Sacerdotibus non solùm exempli, vel disciplinæ causa, sed etiam ad satisfaciendum Deo imponi solebant. Præterea, pœnitentiæ pro occultis criminibus occultè iniungebantur, sicut, & ipsa confessio secreta esse debebat, vt patet ex epistola sancti Leonis I. ad Episcopos Campaniæ: non igitur semper iniungebantur exempli, vel disciplinæ causa. D Denique omnia argumenta, quibus in primo libro de Purgatorio demonstrauimus, post hanc vitam extare loca pœnalia, in quibus exerceantur animæ illorum, qui dum viuerent, pro suis peccatis non integrè satisfecerunt Deo: probant etiam Indulgentias liberare homines à reatu pœnę non solùm coram Ecclesia, sed etiam coram Deo. Nam nec ipsi Lutherani Indulgentias negarēt, si Purgatorium crederent. Est tamen hoc loco animaduertendum, Indulgentias, quæ conceduntur in hac vita immediatè, & principaliter liberare à debito pœnæ subeundæ in hac vita, mediatè verò, & quasi secundario à debito pœnæ subeundæ in Purgatorio: quemadmodum enim pœna Purgatorij succedit pœnæ, quæ non est in hac vita integrè expiata: sic

A etiam Indulgentia liberans à debito totius pœnæ temporalis quæ in hac vita persoluenda fuisset: consequenter liberat à pœna Purgatorij, quæ illi fortè successisset.

Quinta propositio, *Cùm in forma Indulgentiæ palam exprimitur concedi remissionem pœnitentiæ iniunctæ: non intelligitur concedi remissio nisi eius pœnitentiæ, quam sacerdos in sacramento confessionis iniunxit*. Est hæc propositio aduersus nonnullos, qui per iniunctam pœnitentiam intelligi volunt omnem omninò pœnitentiam, quoniam, vt ipsi existimant, omnis pœnitentia peccatis debita, iniuncta dici potest, vel à sacerdote, vel à canone pœnitentiali, vel certè à Deo. Ita docuit quidam Thomas Elysius in Clypeo piorum Catholicorum q. 44. articul. 7. sed contrà sentiunt plerique omnes viri docti, vt Thomas Caietanus tract. 15. c. 7. Dominicus à Soto in 4. d. 21. q. 2. art. 2. conclus. 3. Martinus Ledesmius in 3. sent. parte 2. q. 27. art. 2. Nauarrus in tract. de Iubilæo, & Indulgentijs, notabil. 11. numer. 12. Antonius Cordubensis de Indulg. quæst. 9. proposit. 3. Syluester, verbo, Indulgentia quæst. 8. nu. 12. & quæst. 10. num. 11. Gabriel in Supplemento, libro 4. sentent. distinct. 41. quæstione 3. articulo 2. propos. 10. ac præterea Petrus Paludanus, Hadrianus, Petrus à Soto, & alij nominandi in sequenti propositione. Et certè res non videtur esse dubia. Nam pœnitentia non dicitur propriè iniungi nisi à sacerdote, qui in particulari obligat præcepto suo pœnitentem ad certa opera pœnalia peragenda. Canones enim pœnitentiales exprimunt quidem generatim, quæ pœnitentia quibus peccatis conueniat, sed quoniam non satis est ad iustam pœnitentiam imponendam, scire quid congruat peccato secundùm se, nisi simul attendantur variæ circumstantiæ, maximè circa personam pœnitentis, ideò non potest à Canone pœnitentiali pœnitentia absolutè iniungi: neque vllus tenetur ad eam pœnitentiam subeundam, quæ notatur in Canone pœnitentiali, nisi ab aliquo Iudice iniungatur. Pari ratione Deus non dicitur propriè iniungere pœnitentiam, sed exigere eam, quæ sequitur ex natura rei, ad peccati grauitatem. Accedit prętereà, quòd cùm Indulgentiæ concessio secundùm iura sit res odiosa, quippè quę relaxat pœnitentiæ rigorem, vt rectè docet, & probat Nauarrus in tractatu de Iubilæo, notab. 9. num. 9. non debent extendi verba literarum Pontificiarum ad pœnitentias iniunctas largo modo, & impropriè, sed restringi ad iniunctas propriè, quales non sunt nisi eæ, quæ à sacerdotibus in sacramento pœnitentiæ iniunguntur. Quæ enim definiuntur in canonibus, vel exiguntur, non possunt dici iniuncta, nisi largo modo, & impropriè.

Sexta conclusio, *Cùm non sit mentio iniunctarum pœnitentiarum, sed absolutè conceduntur Indulgentiæ: intelligendum est, condonari omnes pœnitentias, siue iniunctæ sint, siue iniungi potuerint*. Hæc propositio est aduersus graues auctores, Alexandrum Alensem in Summa Theologica part. 4. q. 23. memb. 2. Durandum, & Paludanum in 4. sentent. distinct. 20. quæst. 4. Hadrianum 6. in 4. sentent. q. de Indulgentijs. 5.

Sed ex hoc petes vlteriùs. Petrum à Soto, lect. 2. de Indulgentijs prope finem. & Card. Caietanum tract. 15. c. 7. qui docent, Indulgentias nunquam dari, nisi de iniunctis. Sed tamen habemus nostræ sententiæ patronos alios auctores, nec pauciores, nec minùs graues, S. Thomam in 4. dist. 20. q. 1. ar. 3. Ioan. Maiorem in 4. dist. 20. q. 2. §. dubitatur, Syluestrum verbo Indulgentia, q. 2. nu. 1. Dominicum à Soto in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. Michaelem Medinam disput. 4. de Indulg. Ledesmium in 2. p. q. 27. art. 2. Antonium Corduben. q. 9. de Indulg. Nauarrum tract. de Iubilæo, notab. 11. nu. 18. & ex veteribus Canonistis Panormitanum, & Ioan. Andræam in cap. Quòd autem, de pœnit. & remiss. Denique fatetur Caietanus hanc esse communem sententiam, nec immeritò. nam illi quoque, quos pro ipso citauimus, excepto Petro à Soto, non tam apertè loquuntur, vt certum sit eos eiusdem esse sententiæ, quamuis in eam propédere videantur. Probatur igitur nostra propositio, primò ex constitutione in Extrauag. Bonifacij VIII. quæ incipit, Antiquorum, in qua legimus, Indulgentiam datam esse plenam, largiorem, & plenissimam. At certè si non concederetur Indulgentia, nisi de iniunctis pœnitentijs, satis fuisset dicere concedi plenam, siue plenariam. Quid igitur sibi vult plenior, & plenissima? Adde, quòd auctor Glossæ in hanc Extrauagantem scribit, Bonifacium de hac re interrogatum respondisse, per plenissimam Indulgentiam se intellexisse illam omnem Indulgentiam, ad quam se claues Ecclesiæ possunt extendere. non potest autem dubitari, vt etiam Caietanus, & Petrus à Soto fatentur, quin claues Ecclesiæ ad indulgendas pœnitentias non iniunctas, sed tamen debitas in iudicio Dei possint extendi. Adde prætereà, quòd Paludanus loco notato testatur, ab eodem Bonifacio fuisse prohibitum Pœnitentiarium, ne confitentibus peccata anno illo Iubilæi satisfactiones iniungeret: Non igitur dubitari potest, quin Pontifex Bonifacius Indulgentias de non iniunctis dare voluerit. Simile est, quod de Pio V. Pontifice Maximo, & optimo testatur Bartholomæus ab Angelo, in libro Italico, qui inscribitur: *Consolatione de pœnitenti*, libro 1. capite 4. pag. 13. scribit enim hic auctor, Pium V. priuatim interrogatum affirmasse, Indulgentias absolutè pronunciatas, non restringi ad pœnitentias iniunctas, sed extendi etiam ad non iniunctas. Et quamuis duo isti Pontifices non ediderint publicam huius quæstionis explicationem per rescriptum aliquod Pontificium: tamen non est leuis momenti tantorum virorum etiam priuata sententia. Secundò probatur ex consuetudine nostrorum temporum. nunc enim vix vmquam iniunguntur pœnitentiæ multorum annorum, & tamen Pontifices, qui hoc non ignorant, adhuc promulgant Indulgentias septem, vel decem annorum, atque alias similes, igitur non volunt Pontifices, hoc saltem tempore, Indulgentias restringere ad pœnitentias iniunctas, sed extendunt etiam ad eas, quę meritò iniungi possent, si pœnitentiæ criminibus æquales iniungerentur: Præterea, vt suprà diximus, hoc tempore, qui se parant ad Indul-

A gentias consequendas, confiteri solent peccata sacerdoti, & iniunctam satisfactionem implere. non igitur existimant sibi tantum iniunctas pœnitentias condonari, sed alias longè maiores: quòd si hæc populorum existimatio non esset vera, manifestè falleretur populus, & huius deceptionis causa in Prælatos Ecclesiæ referri posset. Denique in literis Indulgentiarum aliquando ponitur, vt sacerdotes imponant salutares pœnitentias ijs, qui Indulgentias consequuturi sunt: non igitur Indulgentia earum literarum ad iniunctas pœnitentias, sed ad non iniunctas pertinet. neque enim Pontifices relaxare intendunt pœnitentias illas salutares, quas iubent imponi.

CAPVT VIII.

Soluuntur argumenta contraria

B ADuersus doctrinam capitis superioris non desunt obiectiones, vel calumniæ Lutheranorum: sed eas in librũ sequentem deferre maluimus. Hoc autem loco solùm diluemus argumenta, quæ fieri solent aduersus postremam propositionem capitis superioris.

Prima obiectio; In iure Canonico additur particula de iniunctis, cùm de Indulgentijs concedendis agitur: igitur ea particula subintelligi debet, etiam cùm non exprimitur. debet enim Indulgentiarum concessio semper explicari ad formam iuris. Id quod expressè testatur forma Indulgentiarum, quæ in sacello Pontificio promulgantur. dicuntur enim dari Indulgentiæ secundùm formam Ecclesiæ consuetam.

C Responsio. Additur quidem nonnunquam ea particula, de iniunctis, in iure Canonico: sed sæpè etiam non additur. proinde nihil efficit hoc argumentum. porrò sæpè non addi eam particulam facile demonstrari potest. nam in Extrauaganti Antiquorum: In extrauaganti, Vnigenitus: in Extrauaganti, Quemadmodum, de pœnit. & remiss. nunquam illius particulæ fit mentio. Innocentius III. in Bulla expeditionis pro terra sancta recuperanda, quæ habetur in tomis Conciliorum post Concilium Lateranense, concedit plenariam Indulgentiam sine vlla mentione pœnitentiæ iniunctæ. Gregorius VII. Pontifex in epistola ad Monachos Massilienses, & in alijs passim Indulgentias absolutè concedit. Denique Sergius iunior ante annos fermè 800. vt suprà notauimus,

D Indulgentiam dedit trium annorum, & trium quadragenarum, sine vlla adiunctione de iniunctis, vel non iniunctis pœnitentijs. Ex quo intelligimus per formam Ecclesiæ cõsuetam, non significari Indulgentiam de iniunctis, sed alia, quæ in suscipiendis Indulgentijs semper obseruantur, vt videlicet qui eas suscipit, si peccatorum lethalium consciẽtiam habeat, cor contritum gerat, cum proposito confitendi suo tempore eadem peccata sacerdoti; præterea preces fundat pro Ecclesia, pro summo Pontifice, pro alijs rebus in forma Indulgentiarũ expressis; deniq; illa omnia perficiat, quæ pro assequenda Indulgentia præscribuntur.

Secunda obiectio; Non dicuntur propriè remitti, nisi debita: nemo autem debitor est

pœnitentię agendę tribus, vel septem, vel pluribus certi numeri annis, nisi ea pœnitentia à sacerdote sibi fuerit iniuncta: igitur cùm Indulgentiæ remittunt tres, vel septem, vel plures annos pœnitentiæ, de iniunctis intelligendæ sunt, etiam si fortè nomen, iniunctæ, tacitũ fuerit. Responsio, fateor equidem, formam condonandi certum numerum annorum, vel dierum, vel quadragenarũ pœnitentiæ ex antiquo vsu relictã esse. nam ideò certus numerus annorum, vel dierũ in Indulgentijs exprimebatur, quia certus etiam numerus annorum vel dierum pœnitentibus iniungebatur, vt eo tempore se in bonis operibus laboriosis, & pœnalibus exercerent. Ceterùm hoc tempore nõ iniungitur quidem pœnitentia tam seuera, tamen verè debitores sunt, qui peccata grauia B commiserunt, pœnitentiæ agendæ multis, vel annis, vel diebus, & ideò per Indulgentias remittuntur hoc tempore pœnitentiæ certorum annorum, vel dierum, id est, remittitur debitum pœnæ, cui satisfecissent, si tot annis, vel diebus pœnitentiam egissent.

Tertia obiectio, Innocentius III. in Concilio Lateranensi, vt habemus c. Cùm ex eo, de pœn. & rem. restringit Episcoporum potestatem in Indulgentijs conferendis ad condonationem vnius anni de iniunctis pœnitentijs. At si Indulgentiæ secundùm iura dari possent tam de iniunctis, quàm de non iniunctis, Pontifex restringens solũ Indulgentias de iniunctis, inane decretum fecisset, voluit enim resecare Indulgentias superfluas, & indiscretas, per quas satisfactio pœnitẽtialis, vt ipse loquitur, eneruatur, non autem resecasset, si possent Indul- C gentiæ dari de non iniunctis, de quibus ipse nihil decreuit. Quòd si respondeas, Pontificem dum resecauit superfluas Indulgentias de iniunctis pœnitentijs, censeri maiore ratione resecasse Indulgentias de non iniunctis: contrà obijcietur, quòd grauiores sint pœnitentiæ iniunctæ, quàm non iniunctæ, quia illæ obstringunt coram Deo, & Ecclesia, istæ autem corã Deo tantùm: & cùm tollantur grauiora, non censentur sublata etiã leuiora. Responsio, Primùm dici posset, iniunctas pœnitẽtias esse grauiores aliquando, & secundùm quid: non iniunctas autem vt plurimùm, & simpliciter. potest enim accidere, vt alicui pœnitentia iniungatur, non quidem integra & æqualis, sed tamẽ eiusmodi, vt plus pœnæ per eam expietur; quã D expiandum relinquatur: tamẽ vt plurimũ longè plus est, quod expiandum restat per non iniunctas pœnitentias, quàm quod expiatur per iniunctas: pari ratione tantò minus est obstringi coram Deo, & coram Ecclesia ad agendam pœnitentiam iniunctam leuissimam, & fortè vnius horæ, quàm obstringi corã solo Deo ad perferendum cruciatum acerrimum multorũ annorum: vt illud dici possit grauius secundũ quid, hoc autẽ grauius simpliciter. Quare qui restringit Indulgentias de pœnitẽtijs iniunctis iure censetur restringere etiam Indulgẽtias de non iniunctis, si reuerà modum ponere voluit Indulgentijs. Deinde responderi potest breuius & facilius: in decreto Innocentij duas restrictiones contineri, vnam quoad tempus, vt non liceat Episcopis excedere vnum annum in In- A dulgentijs condonandis: alteram quoad genus, siue qualitatem, vt non liceat eisdem Indulgẽtias concedere absolutè, sed solùm de iniunctis pœnitentijs, per hoc enim omnia, quæ possunt fieri, argumẽta cessant. Est autem hoc loco obseruandum, quòd quamuis nõ teneatur qui Indulgentias percipit, iniunctam pœnitentiã explere, nisi fortè Indulgentia minor sit, quã debitum ipsius, aut impletio pœnitentię iniunctę sit vna ex conditionib. expressis in literis Pontificijs pro Indulgentia obtinenda: tamen hortandi, ac monendi sunt pœnitentes, vt iniunctã pœnitentiam diligenter, deuoteq; perficiant, tum quia pœnitentia illa medicinalis, tũ quia meritoria erit: tum quia fieri potest, vt Indulgentiam, quam se percepturum sperat, ob aliquod impedimentũ non verè percipiat. de qua re vide S. Tho. in 4. d. 20. q. 1. ar. 3. q. 1. ad 4. Panormitanum in c. Quòd autẽ de pœn. & rem. Gabrielem in supplemento 4. d. 45. q. 3. artic. 2. propositione 11. Angelum in Summa, verbo, Indulgentia, n. 1. Syluestrum, verbo eodem, q. 9. nu. 23. & Anton. Cordub. q. 10. de Indulg. coroll. 4.

Ex his quę hactenus dicta sunt colligi potest integra Indulgentiæ definitio, quæ talis erit; Indulgentia est absolutio iudicialis à reatu pœnę Deo debitę in foro pœnitentiario, extra Sacramẽtum data per applicationem satisfactionũ, quæ thesauro Ecclesiæ continentur. Quòd si quis definitionem extendere velit ad Indulgentias, quæ pro defunctis accipiuntur, quæ sunt Indulgentiæ per modum suffragij, non simpliciter, & absolutè: mutare poterit illud initium, est absolutio iudicialis à reatu, &c. & dicere, Est remissio pœnæ, &c. Porrò Caietani definitio, Indulgentia est absolutio à pœna iniuncta in foro pœnitẽtiæ, quæ habetur tract. 15. c. 2. partim videtur redundans, propter verbum iniuncta, partim deficiens, propter omissam mentionem thesauri. Definitio Dominici à Soto in 4. d. 21. q. 1. art. 1. Indulgentia est relaxatio pœnæ peccato debitæ, quæ extra Sacramentum fit, nimium est diminuta, cùm neque explicet, an Indulgentia sit propriè absolutio, neq; docet à qua pœna hominem liberet, neq; thesauri mentionem faciat.

CAPVT IX.

De varietate Indulgentiarum.

EXplicuimus hactenus de Indulgentijs, an sint, & quid sint: nunc quales sint paucis expediemus. Nihil enim aliud circa Indulgentiarum qualitatem quæri posse video, nisi quæ sit indulgentiarum varietas. Inuenio autem Indulgentias quinq; modis consueuisse concedi. Interdum enim conceduntur aliquot dies, vel anni Indulgentiarum. Interdum quadragenæ dierum; Interdum tertia vel quarta, vel alia peccatorum pars. Interdum Indulgentia plenaria. Interdum Indulgentia plena, plenior, & plenissima in forma Iubilæi, & rursus hæc omnia, vel conceduntur in vita, vel in articulo mortis: & deniq; vel sunt Indulgentiæ temporariæ, vel perpetuæ. Et quidem Indulgentia tot dierum, vel annorum, secundũ veriorem sententiam significat remissionem pœnitentiæ, quæ peragenda fuisset tot diebus, vel

annis,

annis, secundū Ecclesiæ ritum. Constat enim ex Tertulliano in lib. de pœnit. & apertiùs ex Concilio Triburiensi, can. 54. & ex lib. 19. Burchardi, pœnitentibus multa fuisse imperata, multa etiam interdicta, vt exempli gratia, imperabatur ieiunium feria 2. 4. & 6. interdicebatur vsus balnei, equitationis, vxoris etiam interdum, potissimùm sacræ communionis.

Indulgentia quadragenę significat remissionem pœnitentiæ, quæ 40. continuatis diebus in ieiunijs, alijsque laboriosis operibus agenda fuisset. Quæ quadragena, quando imperabatur acrior, ita vt solo pane, & aqua contenti esse deberent, qui eam peragebant, carena dici solebat, quòd videlicet carentiam omnium ferè ciborum contineret. eiusmodi carenā præmitti solitam ante septennem pœnitentiam, testantur Concilium Triburiense, & Burchardus locis notatis. Porrò cùm Indulgentia condonat aliquam partem, vt tertiam vel quartā peccatorum, nihil significatur aliud, nisi remitti pœnitentiam, quæ pro tanta parte pœnæ peccatis debitæ expianda necessaria fuisset. Indulgentia verò plenaria totum pœnæ reatum tollit, qui post culpam remissam fortè remansit. Deniq; Indulgentia plenior, vel plenissima etiam in Iubilæo, re vera non differt à plenaria simpliciter, & absolutè concessa. neq; solida est illa quorundam distinctio, quòd plena referatur ad solam pœnam peccatis mortalibus debitam: plenior addat remissionem pœnæ debitam peccatis venialibus: plenissima adiungat absolutionem non solùm à pœna, sed etiam à culpa, saltem veniali. Posset tamen fieri, vt Bonifacius VIII. qui in Extrauaganti Antiquorum, primus vsus est illis vocibus, Indulgentiam plenam, largiorem, & plenissimam: retulerit plenam ad remissionem totius pœnitentiæ iniunctæ: pleniorem, siue largiorem ad remissionem totius pœnitentiæ, quæ secundùm Canones iniungi debuisset: plenissimam, ad remissionem totius pœnitentiæ, quæ à diuino iudicio posset exigi. Vide de hac tota re Ioannem de Turrecremata in commentario distinctionis primæ de pœnitentia, super illud, Item in Leuitico, q. 4. Nauarrum in tract. de Iubilæo, notab. 9. & 31. & Antonium Cordubensem quæst. 32. de Indulgentijs.

Existit autem hoc loco dubitatio, num Indulgentiæ aliquot dierum, vel annorum huius vitæ, respondeat in Purgatorio relaxatio pœnę totidem dierum, vel annorum. Et quidem omnes conueniunt, cùm per Indulgentias condonantur pœnitentiæ aliquot dierum, vel annorum, consequenter etiam remitti pœnā Purgatorij, quæ pœnitētiæ condonatæ respondet: sed vtrum pœnitentia vnius diei, vel vnius anni in hac vita, tantum reatus pœnæ coram Deo expiare valeat, quantū expiaret vnus dies, vel annus in Purgatorio exactus, quæstio est. Nam Dominicus à Soto in 4. d. 21. q. 2. ar. 1. contēdit pœnam Purgatorij tantò esse acriorem pœnis huius vitæ, vt vnus dies in Purgatorio exactus multò amplius de reatu pœnæ peccatis debitæ detrahat, quā multi anni vitæ præsentis in pœnitentia seuerissimè agenda consumpti, ex quo ipse colligit, neminē quantumuis insignē peccatorem in Purgatorio, pœnam daturū ad 20. annos, & fortasse ad 10. vel pauciores. Sed communis sent. contrarium docet, vt videre est apud Paludanum in 4. d. 20. q. 4. Hadrianum in tract. de Indulg. §. Petet fortasse. Nauarrum de Iubilæo notab. 11. n. 22. Cordubensem qu. 32. de Indulg. proposit. 3. & alios, quos citat Syluester in Summa, verbo Indulg. nu. 8. Quamuis enim pœna Purgatorij sit acrior omnib. pœnis, quas in hac vita experti sumus, vt docent SS. Patres, Augustinus in Psalm. 37. Gregorius in Psalm. 3. pœnitentialem, Beda in eundem Psal. Anselmus in commentario capitis 3. prioris epist. ad Corin. & Bernardus in ser. de obitu Humberti Monachi: tamen ad expiandum reatum pœnę efficacior est pœna voluntaria huius vitæ, quā pœna acrior Purgatorij, quoniam hoc est tempus misericordiæ, illud iustitiæ. Itaque in hac vita non est debitum vllum pœnæ tam grande, quod non posit vno die, vel etiam vna hora per martyrium omninò dissolui: pro quo tamen soluendo in Purgatorio vix multi anni sufficerent. sic enim loquitur S. Cyprianus li. 4. epist. 2. *Aliud est longo tempore pro peccatis cruciatum emendari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse.* Quod idem de vehementissima contritione dici potest, de qua re multa extant exempla in historijs. sed illud vnum hoc loco sufficiet, quod se præsente contigisse narrat Io. Climacus in lib. suo de scala Paradisi, gra. 4. scribit enim, latronem quendam omni genere scelerum coopertum tanto ardore animi peccata sua publicè patefecisse, vt reuelatum sit sanctis aliquibus viris, ea omnia continuò illa satisfactione purgata fuisse, atq; deleta. Constat præterea ex venerabili Beda li. 5. historiæ Anglicanæ, c. 13. alijsq; probatis auctoribus, plurimas animas in Purgatorio vsq; ad diem Iudicij, id est, per multas annorum centurias cruciandas: cùm tamē nulla sit multitudo, vel grauitas peccatorum, quæ non possit in hac vita per pœnitentiam deleri non solū quò ad culpam, sed etiam quò ad pœnam. Deniq; legimus in auctoribus grauissimis viros aliquos sanctos ob vnum solum peccatum non paruo tempore in Purgatorio cruciatos, vt patet de Paschasio Card. Romano apud S. Gregorium lib. 4. Dialogorum, c. 40. & de Seuerino Coloniensi Episcopo apud S. Petrum Damiani in epi. de miraculis sui temporis ad Desiderium, & de sancta quadam Virgine apud Gregorium Turonicum li. de gloria Confessorum, cap. 5. In præsenti autem vita eiusmodi peccata leui, ac breui pœnitentia dilui potuissent. Sed contrà obijci potest, quòd aliqui homines rei sunt pœnę luendę multis annorum millibus: quod probatur ex Indulgentijs, quę interdum continent condonationem pœnitētiæ quindecim, vel viginti millium annorum: at si longiori tempore reatus pœnę expiatur in Purgatorio, & non potius tempore longè, ac longè breuiore, quàm in hac vita, sequitur omninò multa peccata post diem Iudicij inexpiata mansura. Responsio, Non desunt, qui negent Indulgentias illas, quę continent condonationem pœnitentię multorum millium annorum esse à Pontificibus datas, & à Quęstuarijs confictas dicant. Ita sentiunt Ioan. Gerson in tract. de absolutione Sacramentali, & Do-

minicus à Soto in 4.d. 21. q. 2. art. 1. Pontifices enim non solebant Indulgentias concedere nisi tot annorum, quot annorum pœnitentiæ iniungebantur: pœnitentiæ verò non solebant iniungi, nisi vnius, duorum, trium, quinque, septem, decem, viginti annorum, aut ad summum per totam vitam, quæ vltra centum annos porrigi non solet. Sed quidquid de hoc sit, non videtur negandum, posse aliquos reos fieri pœnitentiæ agendæ secundùm Canones per spacium aliquot millium annorum. Nam si peccatis lethalibus singulis debetur, secundùm Canones pœnitentia trium, vel septem annorum; quis enumeret annos pœnitentiæ, qui secundum Canones præscribi deberent ijs, qui consuetudinem habent peierandi, vel blasphemandi ad singula propè momenta, & frequentissimè homicidia, furta, sacrilegia, adulteria perpetrant, ac denique, vt legimus in lib. Iob. c. 15. ***Bibunt quasi aquam iniquitatem?*** atque huc sine dubio respexerunt Summi Pontifices, si qui sunt, qui reuera Indulgentias dederint decem, vel viginti millium annorum. Sed quemadmodum in hac vita pœnitentia multorum annorum potest vna hora persolui, si pœnitentes temporis diuturnitatem vehementia charitatis, & extensionem pœnitentiæ intensione compensent: sic etiam fieri potest, vt in Purgatorio diutius quidem crucientur, quàm in hac vita, qui cum tam ingenti debito decesserint: tamen ibi quoq; acerbitatis vehementia faciat, vt debitum 20. millium annorũ, annis trecentis, vel quadringentis expiari queat.

Iam verò de alia varietate, qua dicebamus, Indulgentias concedi in vita, vel in mortis articulo: nonnulla quæstio esse potest, quid intelligendum sit per mortis articulum. Sed responsio facilis est; nam si in literis Pontificijs exprimatur mortis articulus verus, tunc sine dubio non assequitur Indulgentiam illam, nisi qui re vera paulò post acceptam absolutionem moritur. Si vero non exprimatur, sed generatim dicatur: In mortis articulo, tum sententia communior est Indulgentiam obtineri etiam in mortis articulo præsumpto, quamuis re vera mors non sequatur. An autem, qui Indulgentiam consequutus est in mortis articulo præsumpto, possit rursus eandem assequi cum iterum veniet ad mortis articulum, Doctores dissentiunt, sed istæ quæstiones, vt plurimum ex inspectione literarum dissolui possunt. Vide Nauarrum de Iubilæo notab. 30. num. 3. 4. & 5. & Cordubensem, q. 39. de Indulg.

Restat vltima varietas de Indulgentijs temporarijs, vel perpetuis. Dicuntur enim temporariæ, quæ conceduntur definito spacio temporum, quo Indulgentia percipi potest, vt cùm definiuntur vigintiquatuor horæ, vel vna, aut altera hebdomada, vel integer annus, vt in Iubilæis. Perpetuæ verò dicuntur, quæ sunt alligatæ certis locis, vt Ecclesijs, vel altaribus, vel etiam rebus mobilibus, vt Rosarijs, vel Granis benedictis, sine vlla temporis determinatione, quales fuerunt, quas concesserunt Leo III. & Sergius II. vt annotauimus suprà cap. 3.

A

CAPVT X.

Vtilem esse Indulgentiam omnium hominum generi.

IAm verò de vtilitate Indulgentiæ breuiter disserendum est, vt ad illam etiam quæstionem respondeamus, Propter quid, siue cuius rei gratia Indulgentia detur, vel accipiatur. Sed de causa, cur Indulgentia detur, disputandum erit paulò post, cùm explicabimus quid requiratur in eo, qui Indulgentiam concedit. ostendimus enim requiri duo, auctoritatem legitimam, & causam piam. Nunc solùm de causa, cur Indulgentiæ quæruntur, & accipiuntur, dicendum est. Et quidem dubitari nõ potest, quin potissima causa sit remissio pœnæ temporalis. hic enim est fructus, hæc præcipua vtilitas Indulgentiæ. de qua re id solùm quæri potest,

B

an sit vtilis omnium hominum generi remissio pœnæ temporalis. Lutherus enim præter alios errores suos, id etiam docuit, Indulgentias non esse vtiles, nisi publicis, & scelestissimis peccatoribus, vt perspicuum est ex assert. art. 18. Sed apud Catholicos res certissima est, Indulgentias omnibus esse vtiles, & ab ijs etiam qui perfectioni dant operam, rectè quæri, & suscipi posse. Nam omnibus vtile est liberari ab ijs rebus, quæ retardare possunt adeptionem summi boni, talis autem est reatus pœnæ temporalis, cum quo, si quis ex hac vita migrauerit, non poterit continuò pertingere ad vitam æternam, sed expiare debebit eum reatum in locis Purgatorij. Prętereà, Indulgentię non solùm expediunt ab impedimento iam dicto, sed

C

etiam contrà non impediunt vllum bonũ meritum, aut vllum maius bonum: neque enim prohibentur, qui suscipiunt Indulgentias, operam dare ieiunijs, eleemosynis, precibus, alijsque operibus bonis. Quare nulla ratio est, cur non sint dicendæ vtiles, & salutares omni hominum generi. Sed obijciunt aliqui, Perfectorum hominum non est fugere pœnas, sed eas potius quærere, tum ob exercitium patientiæ, tum ob imitationem Christi patientis. ***Christus enim passus est pro nobis, relinquens nobis exemplũ, vt sequamur vestigia eius***, 1. Petr. 2. Responsio, Perfectorum est non fugere pœnas, quæ iuuãt ad promerendum Deum, & promouent ad salutem citius acquirendam, quale est Martyriũ, & aliæ pœnę sponte susceptæ, atq; ad eiusmodi pœnas libenter perferendas S. Petrus adhortatur.

D

Est tamen perfectorum fugere debitũ pœnæ, cùm per illud impediantur, & retardentur, vt diximus, ab ingressu patriæ cœlestis. Immò propterea quærunt pœnas huius vitæ, & seueram pœnitentiam agunt, vt liberentur à reatu illo, & non cogantur post mortem diutius in Purgatorio pœnas dare. Quare libentissimè propter eandem causam suscipiunt Indulgentias, vt tantò facilius à reatu illo expediantur.

Obijciunt rursus, Indulgentia non est opus meritorium, sed solùm satisfactorium, non igitur vtilis est perfectis, qui modica, vel nulla satisfactione indigent. Responsio, Indulgentia per se non est meritoria, sed satisfactoria: tamen meritoria etiam esse potest ratione operis iniuncti. si quis enim ex charitate

Dei iniuncta opera exequatur, ieiunia, eleemosynas, preces, & similia, sine dubio per hæc opera ex caritate facta meritū non exiguū sibi parabit. ipsa quoq; susceptio Indulgentiæ meritoria erit, si quis eam ex amore Dei suscipiat, vt expeditus reatu illo pœnæ liberiùs ad ipsum Deum videndum, & perpetuò laudādum euolare possit. Et quamuis viri perfecti modica satisfactione egeant, tamen rari sunt, qui non aliqua egeant, ac per hoc non sint illis etiam vtiles Indulgentiæ.

Denique obijciunt ex communi sententia vtilius esse pro se proprijs operibus satisfacere, quàm alienam satisfactionem quærere; Responsio, Vtilius quidē est, & tutius pro se satisfacere, quàm Indulgentias quærere, sed vtroque vtilius est illud facere; & istud non omittere. & hoc est, quòd boni auctores consulunt, vt qui suscipiunt Indulgentiam, non cessent à pœnitentiæ fructibus producendis, qui meritorij, & medicinales plerumque esse solent, & vtilius est, duobus pedibus iter facere, quàm vno tantùm.

Præter hanc vtilitatem sunt etiam aliæ adiunctæ, quando in forma Iubilæi Indulgentiæ publicantur. nam & datur facultas eligendi Confessarium, ex approbatis tamen, iuxta decretum Concilij Tridentini, Sess. 23. ca. 15. nam alioqui non iudicantur idonei Confessarij, & Summus Pontifex in Iubilæis non permittit facultatem non idoneos eligendi. Item datur auctoritas confessarijs absoluendi à multis casibus reseruatis, multisque censuris Ecclesiasticis, necnon vota nonnulla in alia pia opera commutandi, atque alia id genus, quæ notissima sunt. Sed existunt hoc loco dubitationes duæ.

Prima, si quis tempore Iubilæi absolutionem à reseruatis accipiat, & posteà tamen negligat ea perficere, quæ ad Indulgentiam consequendam necessaria sunt, an absolutio illa rata sit. Responsio communis est, ratam esse, quoniam absolutio non pendet à futura conditione, neque pendere potest.

Altera dubitatio: Si quis spe futuri Iubilæi in peccatum reseruatum sponte incidat, an ab eo peccato possit absolui? Respondent aliqui, non posse, in quibus est Sanctus Antoninus 1. part. tit. decimo, cap. tertio, §. ... Sed alij contrà sentiunt, vt Nauarrus in tract. de Iubilæo, notab. 34. num. quarto, & sexto. Cordubensis quæst. 33. de Indulgent. propositione tertia, & alij.

CAPVT XI.

Quis possit Indulgentias concedere.

SEquitur nunc, vt explicemus, quid requiratur ad hoc, vt Indulgentia rata sit, tum ex parte concedentis, tum ex parte suscipientis. Et quidem ex parte concedentis duo requiri videntur, auctoritas legitima, & causa iusta: ex parte suscipientis alia duo, status gratiæ, & exequutio operis iniuncti. De quibus ordine dicendum erit. Principio igitur auctoritatem requiri extra controuersiam est. nam absoluere, vel ligare non potest, nisi is, qui iurisdictionem habet; Indulgentias autem dare, absoluere est, vt suprà demōstrauimus ex cap.

A Quod autem, de pœnit. & remiss. Præterea, distribuere bona communia non potest, nisi Magistratus, vel Princeps, cui bonorum communium administratio, & dispensatio credita est: Indulgentiæ verò præter absolutionem, continent etiam applicationem thesauri spiritualis, vt ostendimus loco notato. Porrò hæc auctoritas potissimùm residet in Summo Pontifice, ac propterea potest ipse Indulgentias etiam plenarias omnibus fidelibus elargiri. De qua re nulla dissentio est. Nam constat Apostolo Petro, cui Summus Pontifex succedit, propriè dictum esse à Domino, Matt. 16. *Quodcumque solueris, &c.* Deinde constat ex iure Canonico, ca. Cùm ex eo, de pœnit. & remiss. in Summo Pontifice ad Indulgentias concedendas esse plenitudinem potestatis. Deniq; constat, re ipsa frequentissimè Summos Pontifices

B Indulgentias plenarias concessisse.

De Episcopis, ac Metropolitanis res est etiam extra cōtrouersiam, posse illos in sua diœcesi, istos in sua Prouincia Indulgentias tribuere: sic tamen, vt Indulgentiam vnius anni in die Dedicationis Ecclesiæ, vel quadraginta dierum alijs temporibus, de iniunctis pęnitentijs non excedant. Ita enim habemus c. Cùm ex eo, & c. Nostro, de pœnit. & remiss. & c. Indulgentiæ, eodem in 6. Nec minùs certum est, non requiri potestatem ordinis, sed solam potestatem iurisdictionis ad Indulgentias concedendas. Proinde poterit Pontifex Maximus, vel Episcopus Indulgentias concedere, etiam si nondum sit sacris Ordinibus insignitus, vt docet S. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. art. 4. quæst. 2.

C Neque amittitur hæc potestas per peccatum lethale, vt idem S. Thomas docet in eodem art. 4. quæstiunc. 4.

De legatis Apostolicis, posse eos concedere ex commissione speciali, vel generali Summi Pontificis Indulgentias in omni loco, ad quem suæ legationes se extendunt, nemo dubitat. Summum Pœnitentiarium, posse concedere centum dies Indulgentiæ testatur Petrus Paludanus in 4. dist. 20. quæst. 4. art. 2. quod idem de aliis Cardinalibus testatur Nauarrus in tractat. de Iubilæo, notab. 31. numer. 17. quamuis id magis consuetudine, quàm lege nitatur. Atque hæc quidem videntur esse certa, & rata. Nunc de ijs, quæ dubia sunt breuiter disseremus. Primùm igitur de Concilio generali quæri potest, an possit plenarias Indulgentias dare. id enim affirmant Felinus, in serm. de

D Indulgent. numer. 28. Dominicus à Soto, in 4. distinct. 21. q. 1. art. 4. Nauarrus de Iubilæo, notab. 31. numer. 2. & Cordubensis quæst. 12. de Indulg. proposit. 8. Quamuis autem neminem legerim, qui expressè doceat Concilium Generale non posse id facere: tamen videtur hoc sentire omnes alij auctores, qui scribunt ad solum Pontificem Summū spectare potestatem concedendi plenarias Indulgentias, & de Concilio Generali nihil dicunt. Et sanè verissima mihi esse videtur posterior hęc sententia. Nam nullum huius rei exemplū habemus, nisi Concilij Basileensis, Sess. 24. quod Concilium eo tempore Schismaticum erat, neque eius decreta, & multò minùs exempla certam fidem faciunt. Concilium autem Constantiēse, Sess. 17.

propè finem, Indulgentias concedit non plenarias, sed solùm centum, vel quadraginta dierum: quod rectè poterat facere, cùm in eo Cócilio essent multi non solùm Episcopi, & Archiepiscopi, sed etiam Cardinales. Prætereà primus, qui docuit à Concilio Generali concedi posse plenarias Indulgentias, & quem Felinus alijque sequuti sunt, Panormitanus fuit in serm. habito in Synodo Basileensi, vt Felinus refert. Quid autem mirùm, si Panormitanus hoc docuit in eo loco, vbi Concilium supra Papam esse clamabant omnes? Postremò Concilium Generale, secluso Papa, non habet Papalem auctoritatem, nec formaliter, nec eminenter, nec vllo alio modo, vt rectissimè Caietan. docet, & probat tract. 1. de auctoritate Papæ, & Concilij, cap. 11. & 12. & tract. 2. cap. 6. & nos etiam docuimus, & probauimus in lib. 2. de Concilijs, cap. 16. Non igitur potest Concilium secluso Papa, ea facere, quæ propriè ad Summum Pontificem pertinent, sed ea solùm, ad quæ se extendit Episcopalis auctoritas. Constat autem non posse Episcopos, etiam multos simul coniunctos Indulgentiam dare, nisi vnius anni, vel quadraginta dierum, vt expressè habetur ca. Cùm ex eo, de pœnit. & remiss. & Cap. Indulgentiæ, eodem in 6.

Altera dubitatio est de iure, quo Episcopi possunt Indulgentias elargiri. Aliqui enim existimant, Episcopos iure diuino id posse, alij negant. Sed hæc quæstio ex alia pendet, vtrùm Iurisdictionem Episcopi accipiant à Deo immediatè, an verò per Summum Pontificem. Quam quæstionem nos explicuimus in libro quarto, de Summo Pontifice, ca. 23. & duobus sequentibus, neque est cur hoc loco eadem repetamus. Igitur iuxta ea, quæ loco notato diximus, existimamus Episcopos à Summo Pontifice iurisdictionem omnem, ac per hoc potestatem Indulgentias conferendi accipere. cuius rei argumentum est etiam, quòd videamus à Summo Pontifice restrictam, & limitatam Episcopis hanc potestatem fuisse: neque dubium est, quin ab eodem penitùs tolli, vel etiam augeri, & extendi possit. Quòd si adeò immediatè illã haberent, posset quidem Summus Pontifex interdicere illis vsum eius potestatis, tamen si obstinatè ea vti vellent, non posset Summus Pontifex impedire, quominùs ratum esset, quod illi fecissent. quemadmodum cùm Pontifex alicui Episcopo interdicit, ne vtatur facultate, quam habet à Deo, conferendi Sacramentum Confirmationis, vel Ordinis; peccat quidem Episcopus non obtemperans Pontifici Maximo, tamen collatio illa Sacramenti Confirmationis, vel Ordinis rata est: neque videtur posse reddi vlla ratio, cur posit Summus Pontifex efficere, vt Indulgentia ab Episcopo concessa non sit rata, & non posit idem efficere de collatione Sacramenti Confirmationis, vel Ordinis, nisi quia priorem potestatem habent Episcopi à Pontifice, posteriorem à Deo.

Tertia quæstio est de Abbatibus, Parochis, alijsque Sacerdotibus, an possint Indulgentias tribuere. Nam Abbates iurisdictionem habent in suos Monachos, non secus ac Episcopi in

A populum. Solent etiam tum Abbates, tum alij ordinum Religiosorum Præpositi communicare cum alijs merita, & satisfactiones suorum ordinum: quod nihil esse videtur aliud, nisi Indulgentias quasdam tribuere. Denique Angelus in Summa, verbo, Indulgent. numer. 5. & Bartholomæus Fumus in Summa, verbo, Indulgent. numer. 2. docent omnes Parochos, aliosque Sacerdotes, qui ius habent Confessiones audiẽdi, posse in ipso Sacramento confessionis Indulgẽtias concedere, remittendo id quod superest expiandum, quando minor pœnitentia iniungitur, quàm vt sufficiat ad totam pœnam peccatis debitam exhauriendam. & adducunt pro hac sententia Innocentium in Comment. cap. Cùm ex eo, de pœnit. & remiss. Panormitanum in cap. Sicut dignum, de homicid. volunt. & alios Iuris Canonici Interpretes. At sententia communis

B contrarium docet, nullos omninò Sacerdotes Episcopis inferiores posse iure communi tribuere Indulgentias, sed solùm ex commissione Pontificis Maximi, vel Episcoporum. Nam extat expressus textus iuris cap. Accedentibus, de excess. Prælatorum, vbi habetur, non licere Abbatibus, neque alijs quibuscumq; inferioris ordinis, quàm Episcopalis Indulgentias concedere.

Prætereà sanctus Thomas in 4. distinct. 20. quest. 1. art. 4. quæstiuncula prima, pulchrè docet, nullos esse absolutè Prælatos, nisi Episcopos. ipsi enim sunt Rectores integri populi, & quasi Reges in paruo Regno, atque ita præsunt hominibus omnium ordinum, ætatum, sexuum, conditionum; Abbates autem sunt

C quasi Patres vnius familiæ, ac domus, & præsunt solis Monachis. Parochi quoq; non præsunt, nisi vni parœciæ, quasi vni familiæ. potestas autem dispensandi thesaurum Ecclesiæ nõ conuenit, nisi veris Prælatis, qui sunt Principes populi Dei. Quare tum ipsi Abbates, tum Parochi, aliique omnes, siue clerici, siue laici, siue Regulares, siue seculares aliquo modo subiiciuntur Episcopo, & ideò participes fieri possunt Indulgentiæ ab Episcopo in commune propositæ, vt docet Paludanus in 4. distinct. 20. quæst. 4. art. 3. conclus. prima, sicut etiam tenentur, licèt aliàs Regulares vt plurimùm sint exempti, dies festos ab Episcopo toti ciuitati indictos obseruare. Verum tamen est, quòd si opus iniunctum ab Episcopo pro Indulgen-

D tia consequenda, non possit impleri à Regularibus absque Præpositi facultate, tenentur eam facultatem à Præposito petere, si velint Indulgentiæ participes fieri. non enim debet regularis obseruantia propter assequendas Indulgentias violari, vel relaxari, vt monet sanctus Thomas in 4. distinct. 20. quæst. 1. artic. 5. quæstiuncul. 2. Neque his repugnat communicatio illa meritorum, vel satisfactionum, quas Præpositi ordinum Religiosorum benè merentibus de ipso ordine concedere solent. Illa enim cõmunicatio non est Indulgentia, vt perspicuum est: tum quia non absoluit à pœnitentia iniuncta à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ: tum quia non cõmunicat merita, vel satisfactiones iam preteritas, cùm illæ si superfluæ fuerũt, in thesauro reconditæ sint; sed

solùm futuras post illam communicationem: tum quia ista communicatio magna ex parte prodest per modum impetrationis, quod non conuenit Indulgentijs. orant enim religiosi assiduè pro sua Congregatione, pro amicis, & benefactoribus, & pro alijs, vel personis, vel necessitatibus ad intentionem Præpositorum. Neque Innocentius, aut Panormitanus ab Angelo, & Bartholomæo allegati loquuntur de Indulgentijs, sed solùm dicunt, posse Parochũ, & alios Confessarios iniungere pœnitentiam minorem, quàm Canones præscribant, si eis videatur ita esse faciendum iustis de causis. Sed hoc non est dare Indulgentiam, quia quod minùs illi iniungunt, expiandum erit, vel in hac vita per opera pœnalia spontè assumpta, vel in Purgatorio. Vide Syluestrum verbo Indulgentia, numer. 12. Cordubensem de Indulgent. qu. 12. & Nauarrum de Iubilæo, notab. 31. num. 9.

CAPVT XII.

An requiratur causa iusta, vt Indulgentia sit rata.

DIsseruimus de auctoritate, nunc de causa disserendum est. Nam hæc duo requiri diximus, vt Indulgentia ritè concedatur. Ac vt seiũgamus certa ab incertis, Conuenit primò inter omnes scriptores, sine iusta causa ratam esse Indulgentiæ concessionem, quò ad ea, quæ pendent ex solo iure Ecclesiastico, qualia sunt priuilegia eligendi confessarium, qui possit etiam à reseruatis peccatis absoluere, & alia id genus. docet Nauarrus de Iubilæo, notab. 15. num. 12. & Dominicus à Soto in 4. dist. 21. q. 2. art. 2. concl. 2. & ratio est, quoniam cùm Summus Pontifex dispensat in iure Ecclesiastico, dispensatio est rata, etiamsi non adsit causa iusta. Satis enim est, si constet, eum voluisse dispensare, cum id totum ab eius arbitrio, & voluntate dependeat.

Secundò conuenit inter omnes, sine iusta causa, Indulgentiam non esse ratam, quòd attinet ad expiandum reatum pœnę coram Deo, vel in hac vita, vel in alia. Docent S. Thomas, S. Bonauentura, Durandus, Gabriel, & alij, in in 4. dist. 20. & recentiores omnes. Ratio verò est, quoniam hæc pœna expianda est iure diuino. non potest autem Summus Pontifex sine iusta causa dispensare in ijs, quæ aliquo modo pertinent ad ius diuinum, quoniam minister Dei est, non dominus. Id quod etiam videmus accidere in dispensatione iuramenti, & voti. relaxat enim obligationem nomine Dei, quando causam habet eiusmodi, vt credibile sit id placiturum Domino. Quod si pro arbitrio, sine illa iusta causa dispenset, Deus non habet ratam dispensationem. Præterea Summus Pontifex non solùm non est suprà ius diuinum, vt possit illud pro arbitrio tollere, sed neque est dominus, sed dispensator thesauri spiritualis: dispensator autem fidelis, & prudens esse debet, alioqui non dispensator, sed dissipator dicendus erit. Quare Clemens VI. in extrauaganti, Vnigenitus, cùm scribit, Summum Pontificem posse thesaurum spiritualem dispensare, addit, iustis ex causis, & post finem Concilij Constantiensis in Constitutione Martini V. interrogari iubentur suspecti de fide, an credant Summum Pontificem Indulgentiam iustis de causis posse concedere. & semper in literis Indulgẽtiarum exprimitur causa, cur Indulgentiæ concedantur. Denique, cur dicuntur in Concilio Lateranensi Generali sub Innocentio III. Indulgentiæ quædam, non solùm indiscretæ, sed etiam superfluæ, nisi quia otiosæ, inanes, & irritæ sunt? de quibus rectè dici potest illud sancti Cypriani serm. de lapsis, *Irrita pax, perniciosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.*

Tertiò conuenit inter omnes, ad iustam causam non requiri, vt opus iniunctum sit in se ita satisfactorium, vt planè compenset debitum pœnæ, quòd remittitur per Indulgẽtiam: tunc enim Indulgentia non esset remissio, sed commutatio, vel redemptio. Quæstio igitur in eo solùm versatur, an ad iustam causam requiritur proportio aliqua operis iniuncti cum Indulgentia, ita vt pro maiori Indulgentia maior causa requiratur, an verò possit pro opere minimo dari Indulgentia maxima? De qua re duæ sunt opiniones. prior est eorum, qui docent, non requiri proportionem vllam, sed satis esse, si causa sit pia; id est, modò non cõcedatur Indulgẽtia pro opere malo, vel pro opere merè temporali, aut pro opere vano, & nihil ad diuinam gloriam pertinente, sed pro quocunque opere, quod ad honorem Dei, vel Ecclesiæ vtilitatem cedat, Indulgentia rata erit. Ita docuit sanctus Thomas in 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. Durandus, & Paludanus in eadem distinct. 20. quæst. 4. Sanctus Antoninus 1. part. tit. 10. ca. 3. §. 1. Ioannes de Turrecremata in Comment. distinct. 1. de pœnitent. can. Quis aliquando, 6. Item in Leuitico, quæst. 4. Glossa in Extrauagantem Bonifacij VIII. Antiquorum, de pœn. & remiss. Syluester in Summa, verbo, Indulgentia, numer. 19. Ioan. Tabiensis, verbo, Indulgent. numer. 10. & noster Gregorius de Valentia in tractat. de Indulgent. cap. 7. Rationes huius sententiæ ducuntur ferè omnes ab vsu Ecclesiæ. nam videmus pro eadem causa dari Indulgentias aliquando maiores, aliquando minores. Item videmus interdum pro causa leuissima dari Indulgentias maximas, vt cùm datur Indulgentia plenaria omnibus, qui ante fores Basilicæ sancti Petri astant, dum Summus Pontifex in die Paschæ populo solemniter benedicit. Ad hæc si Indulgentiæ sine causa satis magna concessæ non essent ratæ, Christianus populus à Pastoribus suis grauiter deciperetur, quod non videtur vllo modo asserendum. Præterea commune pronunciatũ Theologorum est, Indulgentias tantum valere, quantum sonant: igitur si pro leuissima causa Indulgentia maximè in literis Pontificijs dari significetur, Indulgentia illa rata esse debebit. Denique Indulgentiæ non nituntur ista causa operis iniuncti, quamuis hæc etiam adesse debeat, sed thesauro infinito meritorum Christi, & Sanctorum, quæ est causa sufficiens, immò superans, & transcendens omnem Indulgentię condonationem.

Posterior sententia est aliorum, qui contendunt ad iustam causam requiri aliquid non solùm pium, & vtile, sed etiam quod pro-

portionem habeat cum Indulgentia;ita vt non sit ratum, si detur pro causa leuissima Indulgentia maxima. Ita docent ex veteribus Scholasticis S. Bonauentura in 4. distinct.20. parte secunda, quæst.vltima. Richardus in eadem distinct.20. quæst.vltima. Augustinus de Ancona in Summa de potestate Ecclesiæ,quæst. 30.artic.4.& 5. Ioan.Gerson in tractat.de Absolutione sacramentali.Gabriel in supplemento 4.distinct.45.q.3.art.1. & in Canonem Missæ,lect.57. Ex auctoribus nostri sæculi idem docuit Hadrianus Papa in tract.4. de Indulg. Cardinalis Caietanus in tractatu de causa Indulgentiæ,& in alio tractatu ad Iulium Mediceem,capit.8.Ioan.Maior in quarta distinct.20. quæst.2. Martinus Ledesmius part. 2.4. sent. q.27.art.2.Dominicus à Soto in 4.dist.21.qu.2. art.2.Petrus à Soto lect.2.de Indulgen. Nauarrus de Iubilæo, Notab. 5.num.3.& 4.Cordubensis quæst. 20. de Indulgent. His addi possunt Innocentius in cap. Quod autem,de pœnitent. & remiss. & Felinus in serm. de Indulgentijs. Huius posterioris sententiæ rationes hæ sunt. Prima, quoniam videntur abuti vocabulis, qui dicunt, requiri iustam causam ad concessionem Indulgentiarum, & tamen volunt pro opere quocunque etiam leuissimo concedi posse Indulgentiam maximam. Quomodo enim iusta causa dici potest,quæ nullam habet proportionem cum effectu? Secunda, quoniam non solùm infidelis dispensator dicitur, qui nulla de causa donat bona Domini sui, sed etiam qui pro re minima profudit, ac prodegit thesauros pretiosos eiusdem domini sui. Tertia,quoniam si pro quacunque pia causa concessæ Indulgentiæ ratæ essent, nullæ dici possent superfluæ, vel indiscretæ, cùm semper sit in promptu aliqua pia causa, quæ allegari possit. Quarta, quoniam non est dissimilis Indulgentiæ largitio dispensationi votorum. In votis autem conueniunt omnes, non posse dispensari nisi pro maxima causa, quæ magis placeat Deo, quàm ipsa impletio voti. Quinta, quoniam si esset vera ea sententia, posset Summus Pontifex in momento liberare omnes animas Purgatorij: quia posset dici non deesse causam piam, cùm ad gloriam Dei pertineat, vt tot animæ citissimè volent ad cœlum, vbi perpetuò Deum laudabunt. Possunt fortasse conciliari hæ sententiæ aliquo modo: sed absolutè posterior, vt est communior, ita etiam verior mihi esse videtur. Sed vt magis res explicetur, obseruandum est primùm, ad causam iustam, vt plurimùm duo requiri, primò finem aliquem pium, ac Deo gratum, cuius assequutio magis placeat Deo, quàm pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur. is enim fidelis,& prudens est dispensator cœlestis thesauri,qui fideliter agit causam domini sui, & iuxta eius voluntatem operatur. Secundò opus aliquod, per quod re vera finis ille probabiliter obtineri possit. Nam si finis quidem valde placeat Deo, sed per opus iniunctum nullo modo valeat obtineri, non videtur iusta causa dandæ Indulgentiæ. Vt exempli gratia, si detur Indulgentia plenaria ijs, qui semel recitant orationem Dominicam pro conuersione Hæretico-

A rum, causa non videbitur iusta, quoniã tametsi cõuersio Hæreticorum res est maxima,& Deo gratior, quàm pęnitentialis satisfactio multorum fidelium: tamen non est probabile conuertendos Hæreticos per eam solam, breuissimamque orationem. Quomodo etiam si detur Indulgentia ijs,qui nummum vnum exponunt pro recuperanda Hierosolyma, non videbitur iusta causa tantę Indulgẽtiæ,quia opus illud non est eiusmodi, vt per ipsum Hierosolyma recuperari possit. Obseruandum est secundò, non requiri ad proportionem causæ cum Indulgentia, vt opus iniunctum sit in se valdè meritorium,vel satisfactorium, vel difficile,& laboriosum, quamuis hæc etiam spectari debeant, sed requiri, vt sit medium aptum,atque vtile ad consequendum finem, cuius gratia conceditur Indulgentia. Itaque fie-

B ri potest, vt per opus in se satis leue, & facile magna Indulgentia acquiri possit; quoniam opus illud leue, ac facile est remedium ad finem Deo gratissimum assequendum. Talis est exempli gratia, assistentia illa præ foribus Basilicæ sancti Petri Romæ, dum Summus Pontifex solemni cæremonia populo benedicit. Illam enim assistentiam prior opinio rem leuissimam, & causam minimam appellabat, talis enim est si per se absolutè consideretur. at eandem assistentiam posterior opinio magnam causam, & iustam esse diceret, quoniam frequentia illa populi eo tempore medium est aptum, & vtile ad protestationem fidei de capite Ecclesiæ, atque ad honorem sedis Apostolicæ, qui est finis illius indulgentiæ.

C Obseruandum est tertiò, nõ eodem modo iudicandum esse de causa Indulgentiæ, cùm datur vni alicui particulari,& cùm datur in commune multis. Nam cùm datur vni particulari, oportet vt opus iniunctum illi soli sit proportionatum fini,cuius gratia datur Indulgentia: at cùm datur in cõmune multis, non est necesse,vt opus singulorũ, sed tantùm vt opus omnium simul sit proportionatum fini. atq; hinc accidere potest, vt Indulgentia maxima sit iustissima, etiamsi opus iniunctũ singulis videatur leue. Exempli causa,si necesse sit ædificari Basilicam, vel Xenodochium, & detur Indulgentia septem,vel decem annorũ, vel etiã plenaria conferentibus certam auri summam: si respiciatur opus singulorum, non videbitur causa iusta, sed tamen si tota summa ab omni-

D bus collata consideretur, iam erit iusta causa, quia poterit ijs sumptibus ædificari Basilica, vel Xenodochium,quæ ædificatio erit gratior Deo, & vtilior Ecclesiæ, quàm pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur. Obseruandum est quartò, suprà dictum esse, plerumq; in causa iusta duo contineri, finem, & media ad finem: quoniam aliquando solus finis satis esse videtur, sine vllis medijs, id est, sine aliquo opere iniuncto, quando videlicet finis non pendet ab aliquo opere, & per se sufficit ad Indulgentiam iustam efficiendam. sic olim ad petitionem Martyrum (vt suprà ex Tertulliano,& Cypriano probauimus)dabantur Indulgentiæ sine aliquo opere iniuncto, quia iudicabat Ecclesia satis magnam causam esse, petitionem Martyrum, vt vide-

licet homines ad Martyrium accenderentur, cùm viderent tanti fieri Martyrum preces. Vocantur autem in his locis Martyres, qui in carceribus inclusi, & iam aliquid passi fuerant ob confessionem fidei, & consummationem Martyrij expectabant. Quomodò etiam in articulo mortis hominibus benè meritis de Ecclesia dantur aliquando Indulgentiæ, neque opus vllum iniungitur, quià videtur causa esse satis iusta ipsa necessitas extrema, coniuncta cum præcedentibus meritis. Ità legitur Gregorius VII. Indulgentias sine vllo iniuncto opere dedisse, lib. 1. epist. 34. lib. 2. epistol. 61. & libro sexto, epistol. 15. Itaque sine opere iniuncto concedi potest aliquando Indulgentia, sine causa verò, eaq; iusta, & rationabili nunquam potest. Obseruandum est vltimo, iustam quidem semper causam requiri, sed non esse subditorum iudicare, vtrùm causa sit iusta, vel iniusta: debent enim simpliciter existimare iustam esse. Nihilominùs tamen sicut probandum non est, quòd aliqui pio zelo, sed nimio fortasse de Indulgentijs quibusdam, leuibus de causis concessis obloquuntur, quod faciunt Ioan. Gerson in tractat. de Absolutione sacramentali, Dominicus à Soto in 4. distinct. 21. quæst. 2. artic. 2. conclus. 5. & Andræas Vega in Concilium Tridentinum lib. 13. cap. vltimo. Sic laudandus meritò est Clemens VIII. Pontifex Maximus, qui nunc sedet, quòd decretum Concilij Lateranensis sub Innocentio III. de moderandis indiscretis Indulgentijs, & decretum Concilij Tridentini sess. 25. de reuocandis Indulgentijs ad veterem, & probatam Ecclesiæ cõsuetudinem, executioni mandare studet. Veteres enim parcissimos fuisse in Indulgentijs conferendis notissimum est. Siquidem Sergius Secundus (vt citauimus c. 3.) trium tantùm annorum Indulgentiam dedit; & Paschalis Secundus, quadraginta solùm dierum. Testatur quoque Innocentius III. capite, Cùm ex eo, de pœnitent. & remiss. Apostolicam Sedem solitam esse ordinariè non extendere Indulgentias vltra condonationem pœnitentiæ vnius anni, vel quadraginta dierum. & iuxta hoc Innocentij dictum, Nicolaus IV. in Indulgentijs variis, quas concessit Ecclesiæ sanctæ Praxedis, quæ leguntur in introitu capellę sancti Zenonis, nunquam excedit annum vnum, vel dies quadraginta. Denique sanctus Thomas in quartum, distinctio. 20. quæstione prima, articul. 3. quæstiunc. 2. ad 4. scribit, venientibus ad limina Apostolorum ex regionibus vltramarinis dari Indulgentiam quinque annorum; ex regionibus vltramontanis, trium annorum, ex alijs locis vicinioribus, vnius anni dumtaxat.

Ex his ad argumenta pro priore opinione facilè responderi potest. Ad illud, quòd propter eandem causam dentur Indulgentiæ modò maiores, modò minores, respõderi potest, id posse accidere duplici de causa. aliquando enim datur Indulgentia minor, quam pro magnitudine causæ dari posset. & hoc modo datur pro eadem causa modò maior, modò minor Indulgentia, & nunquam superat Indulgentiæ magnitudo magnitudinem causæ. Potest etiam fieri, vt idem opus bonum sit vno

A tempore magis proportionatum fini, cuius gratia datur Indulgentia, & magis vtile, vel necessarium, quàm alio tempore, vt vigente magna necessitate eadẽ eleemosyna plùs conferet ad subsidium pauperum, quàm si ea caritas annonæ non vigeret: & imminente grauissimo periculo eadem oratio cum eodem ieiunio, & eleemosyna magis necessaria erit ad placandum Deum, quàm si illud periculum non immineret. Ex quo sequitur, vt idem sit opus bonum secundum se, sed ex accidente diuersum, & causa re vera non sit eadem, & ideò non sit mirum, si dentur variæ Indulgẽtiæ pro illo opere, quod vno tempore maiorem causam, alio tempore minorem offert.

Ad aliud, quòd pro causa leuissima dentur Indulgentiæ maximæ, iam suprà responsum
B est, id fieri, quoniam causa, quæ est in se leuissima, si attendatur labor, aut sumptus, aut aliquid eiusmodi, sæpè maxima est, si consideretur proportio ad finem, ad quem obtinendum Indulgentiæ proponuntur.

Ad tertium illud de populi deceptione respondemus, vt plurimùm nullum esse deceptionis periculum, quoniam nõ existimamus, Indulgentias à Sede Apostolica sine iusta causa dari, tamen sicut potest fieri, vt aliquando Indulgentia nõ sortiatur effectum ob defectum eius, qui illam suscipit, vel ob defectum auctoritatis in eo, qui illam concedit, ità non debet videri absurdum, si aliquando idem accidat ob defectum causæ, & Christianus populus non ignorat ad fidem pertinere, quòd sit in Ecclesia potestas Indulgentias concedendi, non au-
C tem quod in particulari nõ possit fieri, vt Indulgentia, vel non sit rata, vel non prosit, & ideò sic accipiunt prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, vt simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere.

Ad quartum de illo communi pronunciato, Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant, respondemus, pronunciatum illud verissimum esse, sed intelligi de Indulgentia, cui non desunt necessariæ conditiones, auctoritas in concedente, caritas in suscipiente, & iustitia, ac pietas in causa. Fuit autem celebris apud veteres Scholasticos quæstio illa, an Indulgentiæ tantùm valeant, quantùm sonant, vel quantùm ab Ecclesia prædicantur, propter nonnullos errores, qui tunc vigebant, cùm alij
D dicerent, Indulgentias non valere, nisi pro mensura deuotionis, alij tantùm valere, quantùm opus iniunctum ex se ad satisfaciendum prodest; alij tantùm valere coram Ecclesia, non coram Deo: Qui errores à Sancto Thoma, aliisque veteribus confutati, extincti iam sunt.

Ad postremum de thesauro meritorum Christi, Sanctorum, qui dicitur esse vera causa Indulgentiarũ, respondemus, thesaurũ meritorum Christi, & Sanctorum, esse veram causam, cur Indulgentiæ concedi possint: sed præter istam causam requiri aliam, quæ moueat ad dispensandum thesaurum hoc tempore potiùs quam alio, & nunc magis, nunc minùs liberaliter: non enim debent Pontifices relaxare pœnitentialem satisfactionem, neque

recur-

recurrere ad thesaurum, nisi quando iudicant id esse necessarium, vel vtile ad gloriam Dei, & animarum salutem.

CAPVT XIII.

De dispositione suscipientis Indulgentias.

IN eo, qui cupit re vera fructum ex Indulgentijs capere, duo requiri diximus, vt sit in statu gratiæ, & vt perficiat, quod pro Indulgentia fuerit iniunctum. Et quidem exigi statum gratiæ docent communiter Theologi in 4. distinct. 20. & ratio est apertissima, quoniam Indulgentia cùm remittat reatum pœnæ temporalis relictum post remissionem culpæ, sine dubio requirit, vt culpa sit iam remissa, ac per hoc translatus sit homo per infusionem gratiæ, & caritatis de statu peccati in statum filiorum Dei. Præterea nulla ratio patitur, vt pœna remittatur ei, qui adhuc hæret in culpa, vel debitum illi condonetur nomine Dei, qui adhuc est auersus à Deo, & hostis, ac inimicus. Denique nomen ipsum Indulgentiæ, vt initio diximus, sonat paternam facilitatem in filios, quæ non debet esse communis cum seruis, maximè fugitiuis, quales sunt omnes, qui Deo deserto Diabolum sequuntur. Pari ratione exigi, vt opus iniunctum perficiatur, conuenit inter omnes, vt patet ex sancto Thoma in 4. distinction. 20. quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 3. & ex alijs. Sed his positis tanquam certis, & exploratis multæ supersunt quæstiones. Prima est, an requiratur status gratiæ solùm eo tempore quo percipitur Indulgentia; an etiam cùm perficiuntur opera iniuncta, vel etiam cùm primùm Indulgentiæ pronunciantur, aut earum literæ recipiuntur. Nam Caietanus tract. 10. quæst. 2. & tract. 15. cap. 9. Petrus de Soto lect. 3. de Indulg. & alij contendunt non requiri statum gratiæ, cùm Indulgentiæ publicantur, vel literæ Indulgentiarum recipiuntur, nisi fortè idem sit tempus publicationis, & perceptionis: vt cùm in sacello Pontificio dantur Indulgentiæ omnibus, qui diuinis officiis in eo loco interfuerunt, tamen requiri statum gratiæ non solùm, cùm Indulgentia percipitur, sed etiam cùm perficitur opus iniunctum. Ratio huius sententiæ est, tum quia in ipsis literis Pontificijs, vt plurimum exprimitur, Indulgentias concedi ijs, qui verè pœnitentes Ecclesiam visitauerint, aut tale, vel tale opus fecerint. tum etiam quia Indulgentia non acquiritur, nisi per opera viua, verè meritoria, & satisfactoria, qualia non sunt, nisi ea, quæ fiunt in statu gratiæ.

Alij tamen grauissimi auctores, vt Petrus Paludanus in 4. distinct. 20. quæst. 4. articul. 3. conclus. 1. S. Antoninus 1. part. tit. 10. cap. 3. §. 5. in fine, & Antonius Cordubensis, quæst. 24. de Indulgent. & alij contra sentiunt, Non requiri statum gratiæ, nisi cùm ipsa Indulgentia percipienda est. Ratio posterioris huius sententiæ est, quia Indulgentia non nititur nostra satisfactione, sed Christi, & ideò non videtur necessarium, vt opus iniunctum sit opus viuum, & satisfactorium. Deinde quia Bonifacius VIII. in Extrauaganti, Antiquorum, dicit, se concedere Indulgentiam ijs, qui visitabunt Ecclesias pœnitentes, & confessi, vel

A qui pœnitebunt, & confitebuntur. Ex his sententijs prior sine dubio tutior est, vt sanctus Antoninus etiam notauit. Est etiam certa, quando opus iniunctum in literis Pontificijs expressè iubetur perfici in statu gratiæ, vt cùm in Extrauaganti, Vnigenitus, de pœnitent. & remiss. Item in Constitutionibus de indictione Iubilæi Clementis VII. Iulij III. & Gregorij XIII. expressè habetur, vt qui Indulgentiam consequi volunt, verè pœnitentes, & confessi visitent Ecclesias, orent, &c. Denique verior mihi esse videtur, etiamsi in literis Pontificijs id non exprimatur, quando opus iniunctum tale est, vt non conferat ad finem, nisi fiat in statu gratiæ. vt si finis Indulgentiæ sit placare Deum Christiano populo, & ideò iniunguntur preces, ieiunia, eleemosynæ, visitationes Ecclesiarum, & similia. cùm Deus non placetur per opera mortua, necessariù esse videtur,
B vt opera illa fiant in statu gratiæ, alioqui nihil conferunt ad finem, & proinde non est intentio concedentis, vt Indulgentiam lucrentur, qui in statu peccati illa opera faciunt. At posterior opinio vera esse videtur, quando opus iniunctum vtile est ad finem, pro quo datur Indulgentia, etiamsi non fiat in statu gratiæ. Vt exempli gratia, si finis Indulgentiæ sit ædificatio Basilicæ, vel subuentio pauperum, aut recuperatio Hierosolymæ, & propter ista dentur Indulgentiæ contribuentibus pecunias, vel arma; quia non minùs ad finem conducunt pecuniæ illæ, vel arma, si dentur ab homine peccatore, quàm à iusto; probabile est, prodesse illa opera, etiamsi facta sint in statu peccati,
C modò is, qui ea fecit, sit in statu gratiæ, quando reipsa percipit Indulgentiam.

Altera quæstio est, vtrùm non solùm requiratur status gratiæ ad Indulgentiam obtinendam, sed etiam carentia omnis culpæ venialis? Sed facilis responsio est, si distinctione vtamur. Nam vel quæstio est de tempore, quo perficiuntur opera iniuncta, vel de tempore, quo percipitur fructus Indulgentiæ. Si de priore tempore quæstio sit, rursus alia distinctione opus est. nam vel peccatum veniale vitiat opus bonum iniunctum, vt si quis oret, vel ieiunet ex vana gloria: vel non vitiat, sed per accidens ei coniunguntur, vt si quis dum eleemosynam facit, vel Ecclesiam visitat, loquatur verbum aliquod otiosum. Quod si bonum opus non vitietur, certum est non impediri
D fructum Indulgentiæ; si verò bonum opus vitietur, ita vt ipsum efficiatur veniale peccatum, tum sine dubio impeditur fructus Indulgentiæ, si opus illud erat faciendum ad placandum Deum, vel satisfaciendum pro peccato: nõ enim per peccatum veniale placatur Deus, neque satisfit Deo. Et hæc est sententia Hadriani in 4. tractat. de Indulgent. conclus. 4. & Petri de Soto lect. 3. de Indulgent. Quòd si opus faciendum nõ erat ad placandum Deum, neque ad satisfaciendum, sed solùm ad subuentionem pauperum, vel alium finem, qui potest obtineri, etiamsi opus non fiat in statu gratiæ, tum non impeditur fructus Indulgentiæ, quamuis opus peccato veniali fuerit vitiatum.

At si de posteriore tempore quæstio sit, respon-

spondendum erit, non impediri fructum Indulgentiæ, si quis eo tempore habeat, vel committat veniale peccatum, nisi quo ad remissionem pœnæ debitæ propter illam culpam venialem. nō enim dimittitur pœna, nisi priùs dimissa fuerit culpa. nulla autem ratio est, cur non possit percipi fructus Indulgentiæ quoad remissionem pœnæ debitæ propter alias culpas, siue lethales, siue veniales iam remissas, etiamsi culpa aliqua venialis adhuc hæreat in anima. Nam peccatum veniale non impedit statum gratiæ, qui requiritur ad hoc, vt homo sit capax Indulgentiæ.

Tertia quæstio est de Confessione, quæ vt plurimum requiritur, vt pars operis iniuncti, an exigatur semper in re, an verò sufficiat in proposito? Responsio facilis est: Nam quando in forma Indulgentiæ disertè ponitur, vt qui eam lucrari cupiunt, confiteantur peccata sua intra tot dies: tunc sine dubio exigitur confessio in re. quoniam ponitur in forma Indulgentiæ, vt conditio quædam, siue vt pars operis iniuncti, & non solùm ad hoc, vt homo transferatur de statu peccati ad statum gratiæ. Quando autem in forma Indulgentiæ non iniungitur expressè opus confessionis, sed simpliciter dicitur concedi Indulgentiam verè pœnitentibus, & confessis: tum non videtur requiri confessio, vt pars operis iniuncti, sed solùm vt homo sit in statu gratiæ, & ideò si quis non habeat peccata lethalia, non necessariò confiteri tenebitur, & si habeat peccata lethalia, probabile est, sufficere illi contritionem cum proposito confitendi: nam per hæc adipiscetur statum gratiæ. Ita docent Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. art. 2. Syluester verbo Indulgentia, nu. 20. Panormitanus in c. Omnis vtriusque, de pœnit. & remiss. Felinus in ser. de Indulgentijs, nu. 12. & alij. Tamen tutiùs, & probabiliùs videtur requiri confessionem in re, & nō solùm in voto, quotiescunque dicitur, Indulgentiam concedi pœnitentibus, & confessis, vt docent sanctus Antoninus, 1. p. tit. 10. c. 3. Hadrianus in 4. sent. tract. de Indulg. Caietanus tract. 15. de Indulgen. cap. 10. Nauarrus de Iubilæo, notab. 18. num. 2. & Glossa in Extrauagantem, Antiquorum, de pœnit. & remiss.

Quarta quæstio est, an percipiat Indulgentiam, qui non perficit omnia opera iniuncta, sed aliqua tantùm, ob inopiam, vel morbum, vel alia iusta causa impeditus? Responsio communis est sancti Thomæ, Durandi, & aliorum in 4. dist. 20. non percipi Indulgentiam, nisi ab ijs, qui integrè omnia opera iniuncta perficiūt. concessio enim conditionata non valet, nisi conditio impleatur. Atque in hanc quoq; sententiam allegari solet dictum illud commune, Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant: Nam Summi Pontifices, quando volunt percipi Indulgentiam ab ijs, qui legitimè impediti non perficiunt omnia opera iniuncta, addere solent, vt Confessarij commutent opera iniuncta in alia pia opera: vel disertis verbis explicant, obtineri indulgentiam ab ijs, qui inchoarunt opera iniuncta, & perficere non potuerūt, vt habetur in Extrauaganti, Vnigenitus, & in alijs similibus, in quibus annus Iubilæi publicatur.

A Quinta quæstio est, An requiratur alia dispositio in suscipiente Indulgentias præter statum gratiæ, & adimpletionem operum iniunctorum. Nam Card. Caietanus in tract. 10. qui est de suscipientibus Indulgentias, quæst. prima docet, requiri tertiam conditionem, vt videlicet qui vult consequi Indulgentias, habeat propositum satisfaciendi Deo proprijs laboribus quo ad poterit: ijs autem, qui nolunt pro se ipsi satisfacere, cùm possint, negat prodesse Indulgentias. ex quo etiam colligit, paucos admodum re vera frui Pontificijs Indulgētijs ex tanto numero adeuntium Ecclesias temporibus stationum, aliarumque similium Indulgentiarum. Quæ sententia vtilis est, & pia, sed fortasse non vera, præsertim cùm sit contraria communi aliorum doctrinæ, vt ipse etiam B Caietanus fatetur: nec enim legi vllum auctorem, qui Caietanum sequatur, præter Bartholomæum Fumum in Summa, quæ Armilla dicitur: Verbo Indulg. n. 13. Nec video quemadmodum Summi Pontifices non deciperent populos, si Indulgentias cum ea conditione proponere vellent, quam numquam explicarent. Neque argumenta Caietani talia sunt, vt solui non possint. Ille enim sic ratiocinatur, Qui non vult satisfacere Deo per se, cùm possit, indignus est, cui applicetur aliena satisfactio: At non intendit. Ecclesia cōferre hoc beneficium Indulgentiæ in indignos, igitur non prosunt Indulgentiæ ijs, qui nolunt per se satisfacere, cùm possint. propositionem argumenti probat Caietanus his rationibus. primò, quia non C decet ab amico petere, vt pro te satisfaciat, cùm ipse possis per te satisfacere. Secundò, quia in Republica bene instituta non sunt dispensanda bona communia pro liberandis illis ciuibus ære alieno, qui per se suum æs alienum dissoluere possunt. Tertiò, quia in forma Indulgentiæ addi solet, verè pœnitentibus Indulgentias tribui: non sunt autem verè pœnitētes, qui recusant facere fructus dignos pœnitētiæ. Quartò, quia dantur Indulgentiæ de iniunctis pœnitentijs à sacerdote: vel igitur qui iniunctam pœnitentiam accepit, id fecit animo eam perficiendi, & sic habemus, quod volumus; vel animo fallendi: & indignissimus est, qui ex fallacia sua lucrum reportet. Respondemus eum, qui non vult per se satisfacere, cùm possit: non esse indignum, sed tantùm non dignum, cui a- D liena satisfactio applicetur. Ecclesia autem non intendit conferre hoc beneficium in indignos, sed bene potest velle conferre in non dignos. quoniam Indulgentia ex misericordia, & liberalitate datur, non ex iustitia, & meritis. Ad primam rationem respondemus, non fieri iniuriam amico, quia non petitur eius satisfactio ex iustitia, sed ex gratia, & petitur satisfactio, quæ non est ei necessaria, sed omninò superuacanea. Ad secundam respondeo, dispēsatorem bonorum communium in Republica instituta, non dissoluere sine causa æs alienum eorum ciuium, qui soluendo sunt per se: tamen posse dari causam, cur vtile sit Reipublicæ ex communi ærario soluere debita eorum, qui per se illa soluere potuissent. Ad tertiam respondeo verè pœnitentes dici eos, qui contritionem habent cum proposito satisfaciendi, nisi aliun-

de pro eis satisfiat. Ad quartam respondeo, plerumq; Indulgentias dari de non iniunctis, vt suprà probauimus, & eos, qui Indulgentias quærunt, velle perficere pœnitentiam iniunctam, sed nolle alium laborem sponte sumere pro reliqua pœna expianda, si possint per Indulgentias ab ea liberari. Addo etiam, quòd si Indulgentiæ non darentur, nisi de iniunctis, possent homines iniunctam pœnitentiam accipere animo perficiendi, nisi possint alia ratione ab eo reatu liberari.

CAPVT XIV.

De Indulgentijs, quæ accipiuntur pro defunctis.

DE Indulgentijs, quibus iuuantur animæ defunctorum, sex quæstiones sunt. Prima, an prosint. Secunda, an per modum absolutionis dari possint. Tertia, quid sit dari Indulgentias defunctis per modum suffragij. Quarta, an ex iustitia, an ex misericordia liberentur animæ, quibus Indulgentiæ applicantur. Quinta, quid requiratur, vt Indulgentiæ prosint defunctis. Sexta, an Indulgentiæ prosint in particulari certis animabus, an solùm omnibus in communi.

Quod ad primam quæstionem attinet, Hæretici omnes, tum recentiores, tum antiquiores, qui Purgatorium negauerunt, consequenter etiam suffragia, & Indulgentias mortuis prodesse negauerunt. Ex Catholicis Ostiensis in Summa lib. 5. tit. de Remissionibus, num. 9. & Gabr. lect. 57. in Canonem Missæ docuerunt Indulgentias defunctis non prodesse: sed Gabriel citò correxit errorem, vt perspicuum est ex additione ad eamdem lectionem. Res autem certissima est, & apud Catholicos indubitata, Indulgentijs iuuari posse animas, quæ in Purgatorio pœnas luunt. Id quod primùm probari potest ratione deducta ex Scripturis, Concilijs, & Patrib. Constat enim, animas defunctorum posse iuuari suffragijs viuentium, id est, eleemosynis, precibus, ieiunijs, sacrificijs Missarum, alijsque pijs operibus, vt copiosè ostensum est à nobis in lib. 1. de Purgatorio ferè toto, & libro 2. capite 15. quæ non sunt hoc loco repetenda. Et quamuis suffragia defunctis per modum impetrationis prosint, ac præsertim preces, & oblatio sacrificij: tamen nulla ratio reddi potest, cur non prosint etiam per modum satisfactionis, ac præcipuè ieiunia, & eleemosynæ. nam hæc opera satisfactoria esse, satis à nobis probatum est in quarto libro de pœnitentia, & in libris de operibus bonis in particulari. & defunctos, quibus hæc suffragia à viuis applicantur, satisfactione indigere non dubium est. Constat præterea illam esse rationem, cur suffragia viuentium prodesse possint defunctis, quia fideles defuncti ita coniuncti sunt cum fidelibus viuentibus, eiusdem fidei, & charitatis vinculo, vt vnam Ecclesiam, & vnum corpus efficiant. Neque enim (inquit S. Augustinus libro vigesimo de Ciuit. Dei, cap. nono) piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est Regnum Christi. Ex his duobus fundamentis apertè colligitur,

A posse etiam priuatos homines offerre Deo pro defunctis, tamquam membris eiusdem corporis satisfactiones suas, ieiunia, eleemosynas, peregrinationes, & similia opera laboriosa. Quòd si priuati homines possunt applicare defunctis, tamquam membris eiusdem corporis, satisfactiones suas, cur non potest Sūmus Pontifex applicare eisdem satisfactiones Christi, & Sanctorum, quæ sunt in thesauro spirituali, cuius ipse dispensator est? Præterea idem probatur ex vsu Ecclesiæ. constat enim Paschalem Summum Pontificem ante annos 700. concessisse Indulgentiam pro defunctis, quæ habetur in Ecclesia S. Praxedis in introitu capellæ S. Zenonis, cuius Indulgentiæ meminit etiam Gabriel loco notato: sed non rectè vocat Paschasium V. cum sit re vera Paschalis primus.

B Multi etiam Pontifices alij, vt ibidem refert Gabriel, pro defunctis Indulgentias concesserunt. Denique consentiunt Theologi, vt sanctus Thomas in 4. distinct. 45. qu. 2. art. 3. quæst. 2. Sanctus Bonauentura in 4. d. 20. p. 2. quæst. 5. Richardus d. 20. art. 3. q. 5. & alij. necnon Canonistæ, vt Innocentius in c. Quod autem, de pœnit. & remiss. Felinus in serm. de Indulg. & alij. Neque ijs repugnat, quod Io. Maior in 4. dist. 20. quæst. 2. dicat, multos Theologos contrà sentire. Nam loquitur de Indulgentia per modum absolutionis iudicialis, non de Indulgentia absolutè.

Altera quæstio difficilior est, de modo, quo Indulgentiæ defunctis prodesse possunt, an videlicet summus Pontifex possit animas defunctorum, quæ sunt in Purgatorio iudi-

C cialiter absoluere, vt facit cum hominibus viuentibus, dum Indulgentias eis concedit. Nam Michael Medina disputat. 7. cap. 34. & disputat. 8. ca. 41. de Indulgentijs, contendit animas defunctorum, quæ sunt in Purgatorio, pertinere ad Iurisdictionem Summi Pontificis, & posse ab eo Indulgentias percipere per modum absolutionis. Sed contrà sentiunt ferè omnes alij scriptores, vt S. Bonauentura, Richardus, Gabriel, & Ioan. Maior locis citatis. Qui postremus auctor testatur suo tempore à Schola Parisiensi fuisse damnatam sententiam contrariam. item Caietanus tract. 15. cap. 5. Dominicus à Soto in 4. dist. 21. q. 2. art. 1. conclus. 3. Petrus de Soto lect. 3. de Indulgentijs. Nauarrus de Iubilæo notab. 22. num. 6. Antonius Cordubensis q. 15. de Indulg.

D & alij. & probatur hæc sententia posterior, primò, quoniam Sanctus Leo in epist. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, & habetur apud Gratianum 24. quæst. 2. can. 1. sic ait, De communione priuatis, & ita defunctis, eorum causa iudicio Dei reseruanda est. & Gelasius Papa in Epistolis ad Faustum, & in altera ad Episcopos Dardaniæ, vt est apud eumdem Gratianum 24. qu. 2. can. Legatur. & Canon. Nec quisquam, disertis verbis docet, homines mortuos, qui sunt in diuino iudicio constituti, non posse ab Ecclesia iudicari: Secundò quia non potest Ecclesia mortuorum animas citare, non potest earum causam cognoscere, non potest eas cogere ad obedientiam, non igitur potest absoluere, vel ligare. Tertiò, Pontifex non habet auctoritatem nisi in oues,

quas

quas pascendas suscepit, iuxta illud Ioan. 21. *Pasce oues meas.* At animæ defunctorum non possunt pasci à Pontifice, cùm non possint ab eo doctrinam, vel sacramenta, vel leges, & iura percipere: non igitur sunt ei subiectæ, ac proinde non possunt ab eo ligari, vel solui: Quartò, quoniam Pontifices ordinariè, cùm extendunt Indulgentias ad mortuos, addunt particulam, per modum suffragij, vt perspicuum est ex Constitutionibus Alexandri VI. Clementis VII. de indictione Iubilæi. Refert etiam Gabriel in additione ad lectionem 57. super Canonem se vidisse declaratione Sixti IV. quòd Indulgentiæ prosint defunctis per modum suffragij. Quod (vt mox dicemus) opponitur ei, quod est, per modum absolutionis. At obijciunt aliqui verba Domini, Mat. 16. Quodcúque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, & probat illud, *super terram*, non referri ad eos, qui soluuntur, sed ad eum qui soluit, vt sensus sit: Quodcumque solueris tu super terram degens, erit solutum à me, qui sum in cœlis. Præterea dicunt, Defunctos, qui sunt in Purgatorio adhuc esse viatores, & auxilio egentes, ac proinde videri esse subiectos Pontificis iurisdictioni. Denique ostendunt ex Can. Sane, 24. q. 2. sæpe ab Ecclesia excommunicari defunctos, & rursus absolui ab excommunicatione, ex quo sequi videtur vt propriè sint Ecclesiæ iudicio subditi. Sed facilis est responsio. Nam ad primum dici posset, Gelasium, cuius magna est in Ecclesia auctoritas, exposuisse illud (super terram) vt referatur ad eos, qui soluuntur, non ad eum, qui soluit, vt patet ex can. legatur iam citato. Sed esto, referri possit ad eum qui soluit, nihil tamen ex eo sequitur: quia debet intelligi de solutione circa eos, qui sunt ei subiecti. alioqui posset Summus Pontifex ligare, & soluere eos etiam, qui sunt in cœlo, vel in Gehenna, si ita vniuersaliter accipiatur ligandi, vel soluendi potestas. Ad secundum responderi potest, non omnes viatores esse propriè subiectos Pontifici, sed solùm eos, qui sunt oues visibiles huius ouilis, & membra huius visibilis Ecclesiæ. Quod autem defuncti, qui in Purgatorio degunt, aliquo modo sint viatores, & egentes auxilio Ecclesiæ, & cũ ipsa Ecclesia visibili inuisibiliter coniuncti per fidem, & charitatem, facit, vt possint ab Ecclesia nostra iuuari, & indulgentijs frui, non vt subditi per modum absolutionis, sed vt amici absentes per modum suffragij. Ad tertium respondemus, Defunctos ab Ecclesia posse excommunicari, & ab excommunicatione absolui, solùm quo ad ea, quæ à viuentibus fieri debent: nam cùm defunctus excommunicatur, id fit, quia post mortem detegitur eius pertinacia in hæresi, aut aliquid eiusmodi, & id solùm ex illa excommunicatione sequitur, vt pro ipso non fiant suffragia, non sepeliatur in loco sacro, & similia. & contrà, si detegatur aliquis per errorem excõmunicatus, & ideò absoluatur, effectus absolutionis erit, vt pro ipso oretur, & sacrificetur, eiusque cadauer honorificè sepeliatur. Itaque excommunicatio, vel absolutio defunctorum est potiùs declaratio sententiæ, quæ ferenda fuisset, si meritum eorum nõ latuisset, quàm noua aliqua pœna, quæ

A ad animas ipsas pertingat. Quod autem legitur in 2. libro Dialogorum sancti Gregorij, ca. 23. de Sanctimonialibus à B. Benedicto excommunicatis, quæ de sepulchris exire videbãtur, & de Ecclesia recedere, quando inter Missarũ solemnia Diaconus clamabat: Qui non communicant, recedant: inter miracula referendum videtur. Voluit enim Deus eo signo demonstrare, quanti faciẽdæ sunt admonitiones Sanctorum: nam alioqui S. Benedictus non eas excommunicauerat, sed solùm excommunicationem minatus fuerat, vt sanctus Gregorius ibidem dicit. Præterea non eas excommunicauit post mortem, sed in vita (si tamen ea excõmunicatio dicenda sit) neque eas propriè per sententiam posteà absoluit, sed per intercessionem, mittendo oblationem, quæ pro
B eis Domino offerretur. At (inquies) S. Gregorius ibidem, vt ostendat, non esse mirum, si S. Benedictus potuit in carne mortali degens de spiritibus defunctorum iudicare, allegauit illud Euangelicum, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Respondeo, S. Gregorium argumentum à simili ducere voluisse. Nam quemadmodum diuina potestate sibi collata possunt Prælati, cùm sint homines in carne mortali degentes, iudicare de rebus spiritualibus: ita potuit S. Benedictus in carne adhuc mortali degens, extraordinario priuilegio sibi collato à Deo, ligatas tenere, vel soluere animas earum, quibus dum viuerent, excommunicationis sententiam fuerat comminatus. Neque credibile est S. Gregorium S. Leoni repugnare voluisse, qui in epist. ad Rusti-
C cum, iam citata, disertis verbis docet, non posse ab Ecclesia solui eos, qui communione priuati de hac vita recedunt, cùm iam sint in diuino iudicio constituti.

Tertia quæstio est, quid significet illud (per modum suffragij) cùm Pontifices dicunt, Indulgentias valere defunctis per modum suffragij, Non desunt, qui existiment. Indulgentias pro defunctis per modum suffragij, quia prosunt eis suffragia, id est, Missæ, preces, & alia pia opera, quæ Pontifex iniungit, cùm Indulgentias tribuit. Sed hoc non est Indulgentias prodesse. nam etiamsi Pontifex ea opera non iniungeret, valerent illa suffragia ad refrigerium defunctorum. Itaque frustra darentur Indulgentiæ defunctis, si nihil adderent
D præter valorem suffragiorum. neque Pontifices dicerent, Indulgentias prodesse per modũ suffragij, sed dicerent cum Hostiensi, Indulgentias non prodesse defunctis vt Indulgẽtiæ, sed sola vi suffragiorum adiunctorum. Alij existimarunt Indulgentias defunctis prodesse per modum suffragij, quia tametsi ipsæ Indulgentiæ re vera prosint, tamen prosunt per suffragia viuentibus imperata. Pontifex enim applicat satisfactiones Christi, & Sanctorum ex thesauro, tam viuentibus, quàm defunctis: sed viuentibus applicat per opera ipsis viuentibus iniuncta, defunctis verò per opera eisdẽ viuentibus imperata, quæ opera, cùm fiant nomine defunctorum, suffragia quædam defunctorum dici possunt. Sed neque hæc sententia rationem idoneam reddit illorum verborum: neque enim hoc est Indulgentias pro-

desse per modum suffragij, sed est prodesse per ipsa suffragia. Vera igitur sententia est, Indulgentias prodesse per modum suffragij, quia nõ prosunt per modum absolutionis iuridicæ, sed per modum solutionis, quo modo prosunt suffragia, quæ vel publicè, vel priuatim pro defunctis fieri solent. Sed cum suffragia tribus modis defunctos iuuent, per modum meriti de congruo, per modum impetrationis, & per modum satisfactionis: Indulgentiæ autem non sint nisi satisfactoriæ: intelligendum est Indulgentias dari defunctis per modum suffragij tãtùm satisfactorij. Itaq; quemadmodum cùm quis dat eleemosynam, vel ieiunat, vel peregrinatur ad loca sancta pro defunctis, non absoluit defunctos à reatu pœnæ, sed offert Deo satisfactionem illam pro defunctis, vt Deus eam acceptans liberet defunctos à debito pœnæ, quam luituri erant: sic Pontifex non absoluit animas defunctorum, sed offert Deo ex thesauro satisfactionum, quantùm necesse est ad eas liberandas: & Deus acceptans alienam satisfactionem communicatam animabus defunctorum, eas liberat à reatu illo pœnæ. Sed hoc interest inter suffragia, & Indulgentias, quod vt suffragia offerantur, non requiritur aliqua iurisdictio, sed vt Indulgentiæ dentur requiritur iurisdictio, quia non potest thesaurum dispensare, nisi qui habet claues Ecclesiasticas. Præterea qui offert suffragia, nescit, an id, quod offert, sufficiat, ad animam liberandam, vel solùm refrigerandam: at Pontifex potest offerre ex thesauro illo infinito quantùm requiritur ad satisfaciendum integrè pro reatu cuiuscumque pœnæ: & ideò dicitur dare Indulgentiam plenariam, atque animas liberare per modum suffragij, quia offert quantùm ad plenam satisfactionem satis est. Vide Caietanum tract. 16. de Indulg. q. 6. & Cordubensem q. 15. de Indulgentijs.

Quarta quæstio difficillima omnium, ea est, vtrùm ex Iustitia, siue certa lege, & ex cõdigno prosint Indulgẽtiæ defunctis, an solùm ex benignitate Dei, & ex congruo. Aliqui docent, Indulgentias ex condigno, siue ex iustitia defunctis prodesse. Ita enim scribit Dominicus à Soto in 4. d. 21. qu. 2. art. 3. quem sequitur Nauarrus de Iubilæo notab. 22. numer. 20. Ratio eorum est, quoniam potest vnus viuens pro alio viuente ex condigno satisfacere, igitur potest etiam viuens pro mortuo satisfacere ex condigno. eadem enim est ratio vtriusque satisfactionis, vnio videlicet, quæ est inter membra eiusdem corporis Ecclesiæ, nam viuens pro viuente satisfacit ex condigno, quia sunt membra eiusdem corporis glutino fidei, & charitatis vnita: at sunt etiam mortui, qui in Purgatorio degunt membra eiusdem corporis glutino fidei, & charitatis vnita. Quòd si priuatorum suffragia ex condigno defunctis prosunt, quatenus satisfactiones sunt, certe multò magis satisfactiones Christi, & Sanctorum ijsdem mortuis fidelibus à capite Ecclesiæ, id est, à Pontifice Maximo applicatæ proderunt ex condigno.

Alij contrà sentiunt, Indulgentias, quæ defunctis dantur, nisi misericordia, & benignitate Dei, ac per hoc ex congruo non ex condi-

A gno eis prodesse. Ita docet Caietanus tract. 16. quæstion. 5. quem sequuntur Petrus de Soto lect. 3. de Indulgentijs, & Antonius Cordubensis, quæstione 15. de Indulgentijs. Neque significare volunt hi auctores, dubium, aut incertum esse dogma Ecclesiasticum de Indulgentijs defunctorum, imò affirmant, certum esse, & indubitatum, quod Indulgentiæ rectè dentur, vel suscipiantur pro defunctis, quodque illis prodesse possint, & re ipsa prosint, vel ad refrigerium, vel ad plenam liberationem, sed quibus, quando, & quantùm diuinæ pietati placuerit. quomodo etiam pro mortuis rectè fundi preces, eisque prodesse fides Catholica docet, & tamen non ex condigno, sed ex congruo, non ex iustitia, sed ex misericordia nos impetrare confidimus, quicquid à Domino petimus, vt vel ex ipsa forma

B precum intelligi potest. Rationes huius sententiæ sunt hæ. Prima, quoniam non videtur certum, posse viuentes pro viuentibus satisfacere ex condigno, quod erat fundamentum prioris opinionis. Contrarium enim docent Ioannes Medina Codice de satisfactione, quæstione quinta, & Cordubẽsis quæstione quinta de Indulgentijs. Vnio enim fidei, & charitatis, quo colligantur inter se viua membra Ecclesiæ, facit quidem, vt possimus inuicem adiuuare, & bona nostra communicare, & vnus pro alio saltem ex congruo satisfacere, sed non videtur facere, vt teneatur Deus ex iustitia acceptare vnius satisfactionem pro altero, nisi ostendatur de hac re pactum, vel promissio aliqua ipsius Dei, quamuis possit Deus, &

C soleat acceptare ex benignitate sua. & confirmatur à simili, nam in foro externo non tenetur Iudex acceptare, vt vnus flagelletur, vel ad triremes amandetur pro alio, etiamsi illi non solùm sint coniuncti, vt Christiani, sed etiam vt ciues, vel vt consanguinei. Denique videtur esse proprium solius Christi, posse pro alijs ex condigno vt mereri, ita etiam satisfacere, quoniam est caput corporis Ecclesiæ, & dum pro nobis satisfecit, pro corpore suo satisfecit. Secunda ratio, quoniam etiamsi certum esset, posse in præsenti vita vnum pro alio ex condigno satisfacere: tamen non videtur eadem ratio de satisfactione pro defunctis. hic enim possumus soluere pœnas eiusdem generis, vt nostro ieiunio, vel eleemosyna satisfacere pro alio, qui ieiunij, vel eleemosynæ

D pœnam subiturus erat: at pœnæ, quibus iam addictæ sunt animæ in Purgatorio, sunt alterius generis. & ideò sicut non tenetur Iudex remittere pœnam corporalem vni alicui reo propter mulctam pecuniariam, quam alius offert: ita non videtur teneri Deum ex iustitia admittere satisfactiones huius vitæ pro remissione pœnarum Purgatorij, ad quas animæ illæ iam sunt addictæ. Sed si id fiat, vt certò fieri credimus, ex benignitate Dei fieri credibile est. Tertia ratio, quoniam ipsæ animæ, vt ex historijs grauium auctorum colligimus, hoc ipsum declarasse videntur. Nam Petrus Damiani in epistola quinta ad Dominicum, capite quarto scribit, animam Benedicti Pontificis Romani in Purgatorio constitutam apparuisse, Deo permittente, cuidam, atque ab

eo petijsse, vt suffragia pro ipsa fierent, & addidisse, se per ea suffragia liberandam, quando hoc miseratio diuina decreuerit. Petrus quoque Cluniacensis in primo libro de miraculis, cap. 10. scribit animam defuncti apparuisse alicui, & postulatis suffragijs adiecisse, per ineffabilem misericordiam Dei se liberandam, si ei per suffragia subuentum fuisset, & c. 27. scribit aliam animam similiter apparentem, & suffragia postulantem adiecisse, conditoris mediante clementia se per ea suffragia liberandam. Quod si suffragia nituntur pietate diuina, & Indulgentiæ defunctis non dantur, nisi per modum suffragij: certè sequi videtur, vt etiam Indulgentiæ ex diuina pietate defunctis prosint.

Ex his sententijs neutram reprobare audeo, videtur enim prior admodum pia, posterior verò valdè rationabilis.

Quinta quæstio est, quid requiratur ad hoc vt Indulgentiæ defunctis prosint. Et quidem certum est primùm auctoritatem requiri, eámque summam, id est, Apostolicæ sedis. non enim Episcopi, alijuè Prælati summo Pontifice inferiores Indulgentias defunctis concedere possunt, vt Nauarrus docet de Iubilæo, notab. 22. numero 4. quoniam solus Christi Vicarius habet potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiæ absolutè; Episcopi enim solùm possunt applicare subditis suis, secundum mensuram sibi ab Apostolica sede determinatam. Secundò certum est requiri causam iustam, vt sanctus Thomas docet in quarto, distinctione 45. quæst. 2. artic. 3. quæst. 2. Non enim potest Summus Pontifex pro arbitrio liberare animas à pœnis Purgatorij: neque sufficit pro causa, vtilitas illarum animarum, vel gloria Dei, quæ redundaret ex animarum illarum liberatione. nam si ista sufficerent, Christus ipse iam omnes animas liberasset. Itaque requiritur causa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, & Ecclesiæ vtilitatem, sicut de Indulgentijs pro viuentibus diximus, ita vt Summus Pontifex arbitretur gratiorem esse Deo rem illam, cuius gratia Indulgentiæ conceduntur, quam exequutionem iustitiæ, quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorij. Tertiò requiritur, vt qui pro defunctis Indulgentias suscipit, adimpleat opus iniunctum, nam vt S. Thomas loco notato, & alij Doctores scribunt, Indulgentiæ primariò, & directè non dantur, nisi viuentibus, qui possunt opera iniuncta perficere: defunctis autem dantur secundariò, & indirectè, quatenus viuentes pro mortuis opera iniuncta perficiunt. Ex quo etiam requiritur, vt qui opera illa perficit, sit in statu gratiæ, si opera ipsa id requirant, vt diximus suprà de opere viuentibus iniuncto. Nam si opus iniunctum id non requirat, probabiliter dici potest, prodesse defunctis Indulgentias, etiamsi is, qui pro defunctis eas suscipit non sit in statu gratiæ. Sed omninò tutiùs est, vt qui cupit mortuis Indulgentiam obtinere priùs det operam, vt ipse Indulgentiam à culpa per sacramẽtum confessionis obtineat. Quartò requiritur ex sententia Caietani tract. 16. quæst. 5. de Indulgentijs, vt defunctus non solùm sit in statu gratiæ, & in purga-

A torij locis degat, sed etiam, vt dum viueret, fuerit deuotus clauium Ecclesiæ, mortuosque suffragijs iuuare studuerit, & pro suis peccatis satisfacere non neglexerit. Ita enim intelligit Caietanus verba illa sancti Augustini libro de cura pro mortuis, cap. 1. & in Enchiridio, cap. 109. suffragia non prodesse omnibus mortuis, sed illis tantùm, qui in hac vita meruerunt, vt sibi prodesse possent. Sed hæc Caietani sententia, vt est vtilis, & pia, quia excitat viuentes ad opera bona, ita videtur minùs vera, & ab omnibus passim refellitur. Nam S. Augustinus locis notatis, non excludit à suffragijs etiam particularibus vllas animas ex ijs, quæ degunt in Purgatorio, sed solùm animas damnatas ad æternas pœnas inferorum. dicit enim eas tantùm esse capaces suffragiorum, quæ dum viuerent,
B id meruerunt, quia videlicet in gratia Dei, & charitate perseuerarunt. charitas enim est fundamentum communionis inter Ecclesiæ membra, & non aliqua peculiaris deuotio ad Ecclesiæ claues, vel aliquid huiusmodi.

Postrema quæstio est, an Indulgentiæ prosint illis, pro quibus in particulari suscipiũtur, an omnib. in communi? Præpositiuus quidam antiquus auctor, vt refert S. Thomas in quarto, distinctione 45. quæstion. 2. artic. 4. docebat, suffragia Ecclesiæ semper prodesse defunctis fidelibus in communi, & illis magis, qui liberationi propinquiores erant. atque ad hoc persuadendum adducebat similitudinem lucernæ, quæ si accendatur in aula Regis pro ipso Rege, non tamen lucet soli Regi, sed omnibus, qui adsunt, & illis magis, qui habẽt oculos me-
C liores. Adducebat quoque similitudinem ex libro aliquo, qui fortè legatur ad mensam Regis: ex quo non minorem fructum percipiunt alij, qui adsunt, quàm Rex ipse, & nonnulli fortè longè maiorem, quamuis propriè Regi liber legatur. Quod Præpositiuus de suffragijs dixit, idem sine dubio de Indulgentijs intellexit, quæ iuuant defunctos per modum suffragij. Sed responsio communis Doctorum est, tã suffragia, quàm Indulgentias prodesse omnibus defunctis, quo ad gaudium quoddam accidentarium, charitas enim facit omnià communia in hoc sensu, quòd omnes, qui sunt præditi charitate, gaudent de bonis aliorum, ac si propria essent. Sed quo ad satisfactionem, & liberationem à pœnis, suffragia Ecclesiæ com-
D munia prodesse omnibus in communi, sed suffragia particularia, & Indulgentias, quæ pro certis animabus suscipiuntur, non prodesse nisi illis, quibus ex intentione viuẽtium applicãtur. Atque hoc esse verissimum, perspicuum est, primò ex ipsis Pontificijs concessionibus. Nam Paschalis Primus, Indulgentiam ita concessit, vt qui pro anima patris, vel alterius particularis personæ defunctæ tot Missas celebrauerit in capella S. Zenonis, quæ est in Ecclesia S. Praxedis, animas illas de Purgatorij pœnis eripiat. Item Alexander VI. Clemens VII. alijque Pontifices in constitutionibus de indictione Iubilæi, disertis verbis dicunt, Indulgentias illas anni Iubilæi extendi per modum suffragij ad animas Patris, vel Matris, vel alterius personæ particularis, pro quibus suscipientur. Secundò quoniam hic est sensus totius Eccle-

siæ, omniumque fidelium. Tertiò quoniam sanctus Augustinus in lib. de cura pro mortuis, cap. 4. scribit, Ecclesiam suffragia quædam communia transmittere ad animas defunctorum, vt quibus desunt particularia à consanguineis, vel amicis, non desint aliqua à communi Matre, quæ est Ecclesia. Quartò denique, quoniam nulla ratio est, cur satisfactiones vni alicui animæ per intentionem satisfacientis applicatæ, aut illi non prosint magis, quàm alijs, aut alijs vllo modò prosint. Neque similitudines illæ Præpositiui aliquid efficiunt, non enim similes sunt Indulgētiæ, vel suffragia particularia lucernæ, vel lectioni, sed potiùs summæ pecuniariæ, quæ ita datur in liberationem alicuius debitoris ab ære alieno, vt per eam non posśint debitores alij liberari.

LIBER SECVNDVS.

DE INDVLGENTIIS.

Disseruimus hactenus de Indulgentiis Scholastico more, tum vt Catholicis satisfaceremus, tum vt futuræ disputationis fundamenta iaceremus. Voluimus autem quæstiones Scholasticas à disputatione aduersùs Hæreticos separare, ne cogerētur Catholici, aut Hæretici omnia legere, sed liberum esset vnicuique, quod vellet eligere. Igitur respondebimus primùm iis, quæ Martinus Lutherus aduersùs Indulgentias in assertione articulorum suorum scripsit, in qua re breuiores erimus, quoniā sunt ea omnia à Ioanne Roffensi beatæ memoriæ viro, diligentissimè confutata. Deinde excutiemus ea, quæ Ioannes Caluinus in Institutione sua doctrinæ Catholicæ de Indulgentiis obiecit. Tertiò breuiter refutabimus nugas Tilmanni Heshusij. ad extremū respondebimus Martino Kemnitio, qui præter cæteros copiosè de Indulgentiis disputauit in examine postremæ sessionis Concilij Tridentini.

CAPVT I.

Refutantur argumenta Lutheri contra Indulgentias.

MArtinus Lutherus Hæresiarcha nostri seculi à reprehensione Indulgentiarū sectam suam auspicatus est, &, quòd mirum videri poterit, ita per quosdam gradus ad summum impietatis ascendit, vt non animaduerterit maiori se licentiæ aditum patefecisse, quàm ea esset, ob cuius repreśsionem cū Catholicis Doctoribus contendere, atque altercari, & libris, & sermonibus cœpit. Nam cùm Albertus Cardin. & Archiepiscopus Moguntinus præpositus esset à Leone X. Pontifice Maximo Indulgentijs quibusdam per Germaniam prædicandis, scripsit ad eum Lutherus epistolam, in qua notabat errorem illorum, qui vsque adeo Indulgentijs confidebant, vt securos se de salute sempiterna esse arbitrarentur, si nummum argenteum in arcam, iuxta præscriptum Indulgentiæ coniecissent. Refellit autem hanc nimiam confidentiam eo potisśimùm argumento, quòd ne ipse quidem habitus gratiæ iustificantis, à Deo cordibus nostris infusus certos nos reddere posśit de salute æterna obtinenda, cùm Apostolus iubeat, vt cum timore,

A & tremore salutem nostram operemur. Deinde paulò pòst longiùs progressus edidit Resolutiones de Indulgentijs, & mox libellum pro iisdem Resolutionibus, in quibus docuit, Indulgentias esse pias fraudes Matris Ecclesiæ, quæ promisśione Indulgētiarum excitat filios suos ad opera bona, cùm tamen Indulgentiæ non remittant pœnam debitam in iudicio Dei, sed solùm in iudicio Ecclesiastico. & simul addidit thesaurum meritorum Christi non esse in potestate Pontificum, neque expendendum in re tam vili, vt est expiatio à pœna temporaria. Ita progressus est à reprehensione abusuū ad reprehensionem Indulgentiarum. Sed neq; hic substitit. Nam cum Leo X. Pontifex hanc nouam Lutheri doctrinam improbasset, scripsit ille continuò librum de captiuitate Babylonica, in cuius libri principio docuit Indulgentias non esse pias fraudes Matris Ecclesiæ,
B sed meras Pontificum imposturas. Addidit etiam mox librum alium, in quo asseruit, ac defendit omnes articulos à Leone X. improbatos. atque in eo libro affirmauit, Indulgentias nihil esse, & si quid essent, non fore vtiles, sed perniciosas, cùm liberent homines ab operibus bonis: non esse necessarias, vel expetendas, nisi publicis peccatoribus, inertibus, & desidiosis, quibus publica pœnitentia esset imposita, quam peragere nollent. Denique asseruit nullum esse Purgatorium, nullam requiri satisfactionem post culpam remissam, sola fide homines iustificari, & liberari ab omni debito culpæ, & pœnæ. Itaque incidit in eum abusum, quem initio reprehendit, vel potiùs in alium
C longè maiorem. ægreferebat enim initiò, quòd homines iniecto in arcam argenteo nummo, & Indulgentia suscepta securos se de salute æterna esse cōfiderent. Ipse autem etiam sine nummo argenteo securos omnes reddidit de iustificatione, & salute: neque vllus vmquam tam amplam Indulgētiam promulgauit, quàm Lutherus, qui sine vllo pœnitentiæ labore, sine vllis operibus bonis, culpas omnes, & pœnas sola fide remisit: si tamen ea indulgentia, & nō potiùs licentia, & verè impia fraus, & impostura dicenda est. Ea verò, quæ profert ad suum dogma stabiliendum in assertione art. 17. & sequentiū, tam sunt inepta, & parū inter se cōnexa, vt vix ad argumēti formā reuocari posśint.

Prima igitur obiectio eiusmodi est, Merita
D Christi sunt res sacræ, & viuæ, cùm corda iustificent: Indulgentiæ autem nō iustificant, sed solùm remittere dicūtur debitum pœnæ temporalis: igitur Indulgentiæ non possunt fundari in thesauro meritorum Christi. Respōsio, Merita Christi sunt res viuæ, & sacræ, sed non solū iustificant corda, verùm etiam satisfactoria sunt pro reatu pœnæ tum sempiternæ, tum temporariæ. Quocirca non est mirum, si in meritis Christi fundari posśint, non solùm Sacramenta, quæ iustificando abluunt maculas culpæ, sed etiam Indulgentiæ, quæ applicando satisfactionem Christi expiant reatum pœnæ. Porrò Christi merita, seu potiùs Christi passionem, nō solùm fuisse meritoriā, sed et satisfactoriā probamus ex eo, quod scripsit Isa. c. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.*) & S. Ioannes in priore epistola ca-

pite

pite 2. (*Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*) Lutherus verò non probauit, Christi passionem non esse satisfactoriam, quod tamen probare debuit, si quid efficere voluit.

Secunda obiectio: Blasphemia est, rem tam sacram, vt sunt merita Christi in sordidum opus mortis ponere: at pœna temporalis, est sordidũ opus mortis: igitur blasphemia est, Christi merita collocare in expiatione pœnæ temporalis. Responsio, Quare Lutherus vocet sordidum mortis opus temporalem pœnam, non facilè diuinarem, nisi fortè, quia reatus pœnæ fructus est peccati, quod est mors animæ, ita nominare placuerit. Sed quæcunque sit causa huius appellationis, certè nõ est sordidum, sed gloriosum liberare hominem à sordido mortis opere. Nam quid sordidius, & deterius peccato? & tamen non est sordidũ Christo, sed valde honorificum esse Agnum Dei, qui tollit peccata mundi. multò igitur minùs sordidum erit expiare reatum pœnæ, cùm non sit sordidum expiare reatum culpæ. Quare non est blasphemia, sed gloriosa prædicatio dicere, Christi merita sacrosanctæ eius esse virtutis, vt omnia peccata, & peccatorum reatus omnes eluere, & expiare valeant.

Tertia obiectio: Merita Christi sunt omnibus necessaria ad salutem, & ideò tenentur oẽs quærere, vt sibi ea merita applicentur. At Indulgentiæ non sunt necessariæ ad salutem, neq; tenentur Christiani vllo præcepto ad eas suscipiendas: non igitur fundantur Indulgentiæ in meritis Christi. Responsio, Merita Christi partim sunt omnibus necessaria, partim non necessaria, sed vtilia. atque posteriore modo ad fundamentum Indulgentiarum pertinent. Nam quod attinet ad gratiam iustificationis obtinẽdam, sine qua nemo saluus esse potest, sunt Christi merita omnibus necessaria, & ideo tenentur omnes diuino præcepto curare, vt sibi ea merita per Baptismũ, vel, si post Baptismũ à gratia Dei exciderint, per sacramentum pœnitentiæ applicentur, & hoc modo fatemur non pertinere ad fundamentum Indulgentiæ Christi merita. At si quis post gratiam reconciliationis adeptam, adhuc sit reus luendæ pœnæ temporalis, is non necessariò eget meritis Christi, vt per ea reatus ille simpliciter condonetur, nõ quòd sine meritis Christi possit reatus pœnæ simpliciter condonari, sed quia poterit ipse nõ requirere tantam liberalitatem, contentus ipse suis laboribus, vel pœnis, vel in hac vita, vel in purgatorio satisfacere Deo, cooperante semper Christi merito, & gratia, tamen vtilissimũ illi erit, si Christi merita ita sibi per Indulgẽtias applicentur, vt sine propria satisfactione cõtinuo reatus ille soluatur. & hoc modo negari nõ potest, quin merita Christi pertineant ad thesaurum, & fundamentum Indulgentiarum: quamuis, vt nemo cogitur suscipere Indulgentias, ita nemo cogitur dare operam, vt debitũ temporalis pœnæ, Christi passione, & meritis sine labore proprio compensetur.

Quarta Obiectio: Nullis Scripturæ sacræ testimonijs, thesaurus Indulgentiarum comprobari potest, sed sola cõstitutione Clementis VI. quæ incipit, Vnigenitus. Non igitur satis firma

A sunt, quæ de Indulgentijs traduntur. Respõsionem suprà ostendimus in priore libro Indulgẽtiarum thesaurũ non carere fundamento Scripturarũ sanctarũ. Sed quãuis nulla testimonia Scripturarum haberemus, non propterea sola Clementis cõstitutione niteremur. Neq; enim Clemens ex proprio capite thesaurum excogitauit: sed ex antiqua traditione, ex Ecclesiæ sensu, & Theologorum cõmuni doctrina, & consuetudine veterum Pontificum didicit, quod de thesauro docuit, & auctoritate Apostolica cõfirmauit. Deniq; etiãsi nihil certi de thesauro Indulgentiarũ (quòd tamen minimè cõcedimus) ante Constitutionẽ Clementis habuissemus, satis tamen certi redderemur de thesauri huius veritate ex Clementis Pont. Maximi declaratione. Ipsum. n. toti Ecclesiæ datum à Deo

B Magistrum, & Doctorẽ, esse scimus, cùm illius sedem teneat, cui propriè dictum est: *Pasce oues meas,* Ioann. 21. Sed de hac re satis multa in alijs nostris libris, ac præsertim lib. 4. de Summo Pontifice ca. 3. scripta extant, quæ hoc loco repetenda non sunt.

Quinta Obiectio. Pœnæ, quæ peccatum sequuntur, non possunt vllo modo remitti, sed, velimus nolimus, tolerandæ sunt: igitur Indulgentiæ, quæ dicuntur esse remissiones pœnarũ, nihil omninò sunt. Probat Lutherus antecedẽs huius argumenti ex eo, quòd pœna peccati Adamo, & toti generi humano inflicta, est labor, & mors; quam pœnam certum est per Indulgentias tolli non posse. Sic etiam Deus in Psalm. 88. dicit, *Si peccauerint filij tui, visitabo in virga iniquitates eorum.* At Papa hanc virgam per Indul-

C gentias auertere non potest. Sic Apostolus ad Hebr. 12. dicit, nos à Deo disciplinam accipere, & 1. Cor. 11. dicit, nos à Deo iudicari, & corripi, vt nõ cum hoc mundo damnemur. istã verò disciplinã, & correptionẽ Indulgentię non tollũt. Responsio, In libro superiore demonstrauimus, per Indulgentias non remitti pœnas naturales, id est, quæ sequuntur originale peccatum, & toti generi humano sunt communes: sed pœnas duntaxat, quæ sequuntur peccata personalia, & eas non omnes, sed eas tantùm, quarum sumus rei in foro pœnitentiario, non autem eas, quas debemus in foro externo: porrò pœnæ, quarũ fit mentio in Psalmo 88. & in epistolis ad Cor. & ad Hebræos, ad forum externũ pertinent. infliguntur enim à Deo tanquam Iudice in externo, & criminali foro. Nam si non potest Indul-

D gentia tollere pœnam, qua Prætor aliquẽ mulctauit ob furtum, vel homicidium, quantò minus tollere poterit eam, quam Deus ipse alicui decreuit? quã igitur, inquies, pœnam tollit Indulgentia. Illã, quæ in foro pœnitentiario infligitur, quæ voluntariè adimpletur, ad quam implendam non cogimur nisi timore Dei, & stimulo conscientiæ. Hæc enim est, per quam Domino satisfacimus, & cui succedit nisi in præsenti Domino satisfiat, Purgatorij pœna. Quamuis illud etiam negari non debeat, satisfieri quoque Deo per flagella ab ipso immissa, quando libenti animo tolerantur, sicut etiam interdum per pœnam sponte susceptam præuenimus manum Dei, & flagella eius auertimus, vt exemplum Niniuitarum docet, quod habetur apud Ionam Prophetam capite postremo.

Sexta obiectio, Indulgentiæ dicuntur remittere pœnitentias iniunctas: at illæ sunt opera bona, videlicet ieiunia, eleemosynæ, preces, & similia: igitur Indulgentiæ noxiæ sunt, non salutares, cùm à bonis operibus nos impediant. Respósio, Indulgentiæ remittunt pœnitentias iniunctas, non quatenus sunt opera, sed quatenus debitum eas implendi retardaret nostrum ingressum in vitam æternam, si fortè ante illorum impletioné de vita nos exire contingeret. Itaque Ecclesia dum largitur Indulgentias, nó prohibet studium pœnitentiæ, imò ad illud nos hortatur, & excitat, sed à reatu illo nos liberat, quo, vt diximus, impediri possemus à regno cęlorum citiùs obtinendo. proinde verè salutares, & nullo modo noxiæ dicendæ sunt Indulgentiæ. Atque hæc est summa obiectionum Lutheri, nam ad singula eius verba satis accuratè Roffensis respondit, vt non sit opus aliquid addere.

CAPVT II.

Respondetur ad ea, quæ aduersus Indulgentias Ioannes Caluinus obiecit in libro Instit. ca. 9. nu. 38.

VEnio nunc ad obiectionem Ioannis Caluini. Et quoniã nemo (quòd sciam) eius senté̃tias ex proposito discutié̃das suscepit: Respondebo ad omnia, quæ scripsit in Institutione cap. 9. à num. 38. vsq, ad 44. in quem locum congessit, quæ de Indulgentijs dicenda sibi esse iudicauit.

Initio igitur num. 38. more suo conuicijs, & mendacijs ludit. Primũ enim scribit, non multùm sibi laborandũ esse in Indulgentijs refellé̃dis, cùm eæ sponte sua atque argumentis Lutheri tanquam fortissimis arietibus concussæ, ad inclinationem spectare incipiant. Deinde addit, eas tamdiu saluas constitisse, quoniã tam alta errorum nocte immersi fuerunt aliquot seculis homines: vt cùm videré̃t, per Indulgentias sibi emũgi pecunias, quæ in scorta, & lenones absumerentur, & à quæstuarijs se palam deludi, tamen Indulgentias summa veneratione exciperent, venerarentur, adorarent. Adiungit postremò, *vbi orbis sibi sapere aliquid permisit, Indulgentias paulatim frigere, & congelascere cœpisse.* Sed primum Caluini pronunciatum adeò falsum esse constat, vt nunquam maior fuerit Indulgentiarum frequentia, nunquam maior deuotio, nũquam tam ardenter à populis Catholicis expeditæ fuerint, quàm ab eo tempore, quo à Luthero exagitari cœperunt. Hinc enim Tridentinum Concilium sess. 25. de Indulgentijs moderandis decretum edidit. & Clemens VIII. Pontifex Maximus, qui nunc Ecclesiam regit, nimium desiderium Indulgentiarum, & piam petentium importunitatem reprimendã esse prudentissimè censuit. Argumenta verò Lutheri adeò leuia, insulsa, inepta sunt, vt non videatur negligentiùs causam istam agere potuisse, si ex animo præuaricari voluisset. Certè à doctis hominibus ita ridentur, vt per ea non euerti, sed constitui Indulgentias arbitrentur. At persuasit tamen Lutherus multis. Ita est, sed persuasit etiam alia modò absurdiora, & crassiora, quia viam latam aperuit, per quam carnales homines libenter ingrediuntur. quo modo etiam Mahumetes sine miraculis, sine sapientia, sine probitate vitæ, nouam suam sectam, qua licentiam magnam carni, ac sensibus daret, innumerabilibus hominibus persuasit.

Alterum Caluini pronunciatum in duobus peccat. primum enim tribuit errorum noctem aliquot seculis, in quibus doctrina de Indulgé̃tijs celebrior in Ecclesia fuisse videtur, videlicet ab anno millesimo ad millesimum quingé̃tesimum. At certè secula ista, vt caruerunt luce linguarum Latinæ, & Gręcæ, ita luce doctrinę, & sanctitatis mirificè fulserunt, vt nullis anterioribus seculis cedere videantur. Argumento esse possunt Concilia celeberrima singulis his postremis seculis acta, Lateranensia, Lugduné̃sia, Vienensia, Constantientia, Florentina. Item viri sancti miraculis clarissimi, Bernardus, Dominicus, Franciscus, Antonius, Petrus Martyr, Vincétius, Bernardinus, Nicolaus Tolentinus, alijque quàm plurimi. Deniq; viri doctissimi, Anselmus, Hugo, & Richardus Victorini, Alexander, Albertus, Thomas, Bonauentura, Scotus, Henricus, Durãdus, alijque propè innumerabiles, vt omittam Iureconsultos, Medicos, Historicos, qui scriptis suis, ista secula egregie illustrarunt. Deinde Caluinus abusus quæstuariorum in ipsos Pontifices refert, cùm apertissimè constet à Pontificibus semper fuisse damnatos, vt perspicuum est ex decretis Innocentij III. in Concilio Lateranensi. Innocentij IV. In Concilio Lugdunensi, & Clementis V. in Concilio Viennensi. At, vt intelligant Caluiniani, quàm immeritò de hac re Caluinus Pontifices reprehenderit, referam ad verbum partem decreti Clementis V. & Concilij Oecumenici Viennensis: *Abusionibus* (ita decretum incipit) *quas nulli eleemosynarum Quæstores, in suis proponunt prædicationibus, vt simplices decipiant, & aurum subtili, vel fallaci potiùs ingenio exterqueant ab eisdem, cùm in animarum cedat periculum, & scandalum plurimorum, viam, prout nobis possibile, præcludere cupientes, iuxta statuta Concilij Generalis, duximus prohibendum districtè, &c.* & infrà: *Ad hæc, cùm aliqui ex huiusmodi Quæstoribus, sicut ad nostram audientiam perlatum, non sine multa temeritatis audacia, & deceptione multiplici animarum, Indulgentias populo, motu suo proprio de facto concedant, super votis dispensent: à periurijs, homicidijs, & peccatis alijs sibi confitentes absoluant: malè ablata incerta data sibi aliqua pecunia quantitate remittãt, tertiam, aut quartam partem de pœnitentijs iniunctis relaxent: animas tres, vel plures parentum, vel amicorum illorum, qui eleemosynas eis conferant, de Purgatorio (vt asserunt mendaciter) extrahant, & ad gaudia paradisi perducant: benefactoribus locorum, quorum Quæstores existunt, remissionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliqui ex ipsis eos à pœna, & culpa, vt eorum verbis vtamur, absoluant: Nos abusus huiusmodi, per quos cé̃sura vilescit Ecclesiastica, & clauium Ecclesiæ auctoritas ducitur in contemptum, omnimodè abolere volentes, ea per quoscumque Quæstores fieri, vel attentari de cetero districtiùs inhibemus.* Non igitur (vt Caluinus mentitur) à Papa, & suis bulligerulis quæstuosæ nũdinationes de salute animarum exercebantur; pauculis nummis salutis pretium taxabatur; hac specie pecuniæ, quæ in scorta, & lenones, & comessationes turpiter insumerentur, emungebantur. Sed hæc omnia tanquã manifesti abusus, à Pontificibus,

& Con-

& Concilijs Catholicis reprehendebantur, & prohibebantur, vt etiam hoc tempore reprehenduntur,& prohibentur.

Tertium Caluini pronunciatum causam verè aperit omnium malorum, quæ Germaniæ, & totius Septentrionis magnam partem miserè perdiderunt. Dicit enim, *cùm orbis sibi sapere aliquid permisit, tunc demum cœpisse Indulgentias frigere, & congelascere, donec tandem euanescant.* Quid enim est, orbis sibi sapere aliquid permisit? nisi priuati homines sapere voluerunt, contra præceptum Apostoli Rom. 12. plusquã sapere oporteret. Item nullo mittente, nullo vocante, officiũ sibi docendi desumpserũt. Oues cõtemptis pastoribus ad noua pascua progredi, equi sessoribus excussis per deuia currere decreuerũt. Hæc igitur noua præsumptio, qua vnusquisque, Luthero auctore, Iudicem se controuersiarum omnium fecit, ac Pastores,& Rectores à Deo positos in Ecclesia, iuxta Apostolum ad Ephes.4. audire contempsit, hæc, inquam, est, quæ dissidijs, & hæresibus Septentrionem repleuit. Sed illud tamen, vt initio diximus, falsum est: *Indulgentias frigere, & congelascere cœpisse, cùm orbis sibi aliquid sapere permisit.* quamuis enim serpente antiquo malè oculos aperiente seductis ab Hæreticis, non solùm Indulgentiæ, sed omnia bona opera, & ipsa fides vera,& Catholica, apud Lutheranos esse desierint, tamen apud Catholicos Indulgentiæ, quæ antiquis temporibus frigere videbantur, post exortam Lutheri sectam, quasi per antiperistasim recalescere, reuirescere, ac reflorere cœperunt: tantumque abest, vt periculum sit, ne euanescãt, vt potiùs de moderandis,& intra certos terminos coercendis cogitandum fuerit. Sed iam ad argumenta veniamus.

CAPVT III.

Respondetur ad obiectiones Caluini ex num.39. cap. 9. Institut.

IN sequenti numero, siue, vt ipse vocare solet, sectione, Caluinus profitetur ipsas *Indulgentias, etiam abstersas omni labe, id est, si nullo abusu fœdentur, nihil esse aliud, nisi sanguinis Christi profanationem, satanæq́; ludibrium, quo Christianum populum à Dei gratia, à vita, quæ est in Christo, abducant, & à vera salutis via auertant.* Grauissima hæc est Indulgentiarum accusatio, quam si Caluinus solidis argumentis comprobare queat, sine dubio causam obtinebit. Audiamus igitur probationem: *Quo enim* (inquit) *poterat fœdius profanari Christi sanguis, quã dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi velut arescentis, & exhausti defectus aliundè suppleatur, & sufficiatur?* Sed hoc nõ tam argumentum, quàm mendacium est. Nullus enim Catholicorum scripsit, Christi sanguinem non sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem, nisi defectus eius aliundè suppleatur. Debuisset sanè, vel vnum aliquem allegare, qui ita sentiret. Neque solùm nemo Catholicorum id scripsit, sed neque scribere potuit, cum ipse Clemens VI. Pontifex in constitutione de thesauro Indulgentiarum quem propriè Caluinus oppugnat, & omnes

A Theologi affirmant, Christi sanguinem adeò pretij esse infiniti, vt vel vna eius gutta sufficere potuerit ad omnia totius mundi crimina expianda. Quòd autem Caluinum fefellit, id fuit, quòd Catholici docent in thesauro Indulgentiarum contineri non sola Christi merita, sed etiam Sanctorum. Sed non ideò adiungimus meritis Christi merita Sanctorum, quasi illa non sufficiant, sed vt merita sanctorum, quæ illis superfuerunt, non sint otiosa, vt sancti hoc honore gaudeant, vt efficacia meritorũ Christi magis eluceat, quæ non solùm per se possunt expiare peccata,& reatum peccatorum, sed etiam efficere, vt merita Sanctorum vim habeant expiandi reatum pœnæ temporalis. Quæ est etiam ratio, cur Deus voluerit, vt vnusquisque nostrũm proprijs meritis coronam

B vitæ sibi acquirat, iuxta illud Apostoli 2. Timoth.2. *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit:* non quòd Christi merita non sufficiant, sed quia id nobis vtilius, & Christo gloriosius est. quemadmodùm etiam idem Deus instituit, vt secundæ causæ non sint otiosæ, sed cum ipsa prima causa ad res producendas conueniant, quamuis prima causa sine secundis res omnes æquè facilè, ac præfectè efficere potuisset.

Pergit Caluinus, & ex varijs Scripturarum testimonijs probare nititur, Christi sanguinem profanari, si illi Sanctorum merita adiungatur. *Christo,* inquit, *lex & Prophetæ omnes* (*teste Petro Actorum 10.*) *testimonium perhibent, quòd per ipsum accipienda sit remissio peccatorum. Indulgentiæ remissionem peccatorum per Petrum, & Paulum,& Martyres largiuntur. Sanguis Christi emundat nos à peccato*(*inquit Ioannes, 1. Ioann.*

C *1.*) *Indulgentiæ sanguinem Martyrum faciunt peccatorum ablutionem, Christus* (*inquit Paulus, 2. Corinth.5.*) *qui peccatum non nouerat, factus pro nobis est peccatum, id est, peccati satisfactio, vt iustitia Dei efficeremur in illo. Indulgentiæ peccatorum satisfactionem in sanguine Martyrum reponũt. Clamabat Paulus, & Corinthijs testificabatur, 1. Corinth. 1. Solum Christum pro ipsis crucifixum, & mortuum esse. Indulgentiæ pronunciant Paulum, & alios pro nobis mortuos.* Alibi dicit: *Christum acquisiuisse Ecclesiam suo sanguine, Actorum 20. Indulgentiæ aliud pretium acquisitionis in sanguine Martyrum statuunt. Vna oblatione Christus consummauit in perpetuum sanctificatos ait Apostolus Hebræ.10. Indulgentiæ reclamant, à Martyribus perfici sanctificationem, quæ alioqui non sufficeret.*

D *Ioannes dicit, Apocalyp. 7. Sanctos omnes lauisse stolas in sanguine Agni. Indulgentiæ docent lauare stolas in sanguine Sanctorum.* Hæc ille. cui respõdemus, testimonia Scripturarum verissima esse, sed perperam allegari: loquuntur enim de remissione culpæ, ac præsertim lethalis, id est, de iustificatione impij, & reconciliatione, per quam ex peccatoribus efficiuntur iusti, quam accipimus in Sacramentis Baptismi, vel pœnitentiæ, vbi nullum locum habent merita Sanctorum. Porrò Indulgentiæ non remittunt culpam, neque lethalem, neque venialem, sed solam pęnam, eamque temporariam, cuius reatus inueniri potest in omnibus iustificatis, sanctificatis, ablutis, sicut inueniebatur in Dauide, cui post confessionẽ peccati dictum est à Propheta Nathã 2. Reg.2. *Dominus transtulit peccatũ*

tuum, veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, Filius, qui natus est tibi, morte morietur. Non igitur Indulgentiæ tribũt Sanctis id, quod Scripturæ allegatæ tribuunt Christo. Ac,vt id planius fiat,excutiã breuiter singula testimonia à Caluino adducta. In Actis cap. 10. loquitur sanctus Petrus de remissione peccati,quæ habetur per fidem,& Sacramenta, sine qua nemo saluus esse potest. nam ideò dictum est Cornelio ab Angelo: *Accersi Simonem, qui cognominatur Petrus,qui loquetur tibi verba,in quibus saluus eris,tu, & vniuersa domus tua.* Neque obstat, quòd Cornelius in eodem loco dicitur fuisse vir iustus,& timens Deum,etiam antequàm Petrum audiret. Nam (vt scribit sanctus Augustinus in lib. 1. ad Simplicianum quæst.2.)Iustus erat Cornelius iustitia quadam inchoata, & imperfecta, sed non poterat saluus esse, nisi crederet in Christum, & per Baptismum remitterentur ei peccata, & ipse incorporaretur Ecclesiæ. Nam vt idem Augustinus loquitur lib. 1. de prædestinat. Sanct. cap. 1. *Si potuisset Cornelius sine fide Christi saluus esse, non ad eum ædificandum missus fuisset architectus Petrus.* De hac igitur remissione loquitur idem Apostolus, cùm ait: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quòd per ipsum accipienda sit remissio peccatorum,* de qua remissione falsò Caluinus dicit: *Indulgentiæ remissionem peccatorum per Petrum,& Paulum, & Martyres largiuntur*;cùm iam sæpè sit dictum,culpas per Indulgentias non remitti.

In epistola 1.cap.1.S.Ioannes,cùm dicit: *Sanguis eius emundat nos à peccato,* loquitur de remissione culpæ, quæ maculam propriè gignit in anima.macula enim est,quæ ablutione tollitur, non pœna, quæ debitorem, non sordidum facit. Itaque falsò Caluinus addit:*Indulgentiæ sanguinem Martyrum faciunt peccatorum ablutionem.* Non enim ablutionem culpæ, sed solutionem pro debito pœnæ Indulgentijs Catholici tribuunt.

In epist.2.ad Corinth. cap.5. Apostolus Paulus posteaquàm dixit, Christum factum esse peccatũ, id est,hostiam pro peccato, adiunxit. *vt nos efficeremur iustitia Dei in illo.* Ex quo intelligimus eum loqui de remissione peccati, per quam iustificamur, & ex impijs efficimur pij, quem effectum nemo vnquam Catholicorum Indulgentijs attribuit. Quare Caluinus, cùm scribit: *Indulgentiæ peccatorum satisfactionem in sanguine Martyrum reponunt,* vel loquitur de satisfactione pro culpa, & pœna sempiterna,& falsò Catholicis imponit,quòd ex eorum sententia Indulgentiæ satisfactionem peccatorum in sanguine Martyrum reponant: vel loquitur de satisfactione pro pœna temporali, & falsò Indulgentias verbis Apostoli Pauli opponit, cùm Apostolus de satisfactione pro culpa intelligendus sit.

In epist. 1. ad Corinth. cap. 1. idem Apostolus cùm testificatur,& clamat,solum Christum crucifixum esse pro nobis, loquitur sine vllo dubio de passione Christi, quatenus ea per Baptismum applicata iustificat, & reconciliat. Ideò enim duo illa coniungit: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* In quo sensu nemo Catholicorum ferret,quod Caluinus dicit:*Indulgentiæ pronunciant Paulum,& alios pro nobis mortuos.*

In Actis capite vigesimo, cùm idem Apostolus scribit, Christum proprio sanguine Ecclesiam acquisiuisse, manifestè loquitur de pretio sanguinis, quo redimimur de captiuitate Diaboli, & per fidem,& Baptismum adiungimur ad Ecclesiam, tunc enim ædificatur, & acquiritur Ecclesia, cùm per fidem, & Sacramenta homines incorporãtur Ecclesiæ. In quo sensu falsò Caluin. dicit: *Indulgentiæ aliud pretium acquisitionis in sanguine Martyrum statuunt.*

In epistola ad Heb. cap.10. cùm idem Apostolus scribit Christum vnica oblatione consummasse in perpetuum sanctificatos, significat, Christum vnica oblatione corporis sui in cruce sufficiens pretium obtulisse quo possint omnes homines redimi ab omni iniquitate, & ita redimi,vt ipsa redemptio perpetua esse possit,cui redemptioni non repugnat, vt homines sic redempti,hoc est, iustificati, & reconciliati reatum aliquem pœnæ temporalis habeant,pro quo soluendo Indulgentijs opus habeant. sicut enim culpæ veniales, sine quibus hæc vita non ducitur, non impediunt redemptionem, iustificationem,& sanctificationem; ita nec reatus pœnę temporalis,eam impediunt.Proinde falsò Caluinus adiungit: *Indulgentiæ reclamant, à Martyribus perfici sanctificationem, quæ alioqui non sufficeret.* Nam Catholici,neque dicunt, Indulgentijs perfici sanctificationem, & multò minùs affirmãt, Christi sanctificationem non sufficere. Sed non est hoc primum,quod falsò Catholicis Caluinus attribuit.

In Apocalypsi cap. 7. cùm Ioannes dicit,omnes sanctos lauisse stolas in sanguine Agni: nemo dubitare potest quin loquatur de iustificatione à culpa,tum originali,tum actuali,quę, vt suprà diximus,propriè maculã gignit. Quare falsò Caluinus addit:*Indulgentiæ docent,lauare stolas in sanguine Sanctorum.* Si quidem Indulgentiæ Catholicæ nihil tale docent, neque vnquam docuerunt. Videmus igitur agmen argumentorum Caluinianorum tot Scripturarũ telis armatum,plùs ostentationis,quàm soliditatis habuisse. nam cùm totum, vel ex falsis, vel ex veris ad rem non facientibus constaret, cùm ad manus ventum est,& cominus signa collata, vera ad rem non facientia pugnare noluerunt, falsa verò facilè hostibus terga verterunt.

CAPVT IV.

Respondetur ad obiectionem Caluini ex capit.9. Institution.num.40.

IAm verò in sectione 40. ducit Caluinus argumentum à testimonijs sanctorum Patrũ, Leonis,& Augustini: *Præclarè,* inquit,*aduersùs hæc sacrilegia Leo Episcopus Romanus in epistol. 81. ad Palæstinos loquitur. Quamuis multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuerit: nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi. Accepêre iusti, non dedêre coronas, & de fortitudine fidelium nata sunt exempla patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe illorum mortes fuerunt, nec alterius quispiam debitum suo fine persoluit, cùm vnus extiterit Dominus Christus,in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes sunt etiã resuscitati. Nec minùs appositè sanctus Augustinus tractat.84. in Ioannem: Et si*

Fratres, inquit, *pro fratribus moriamur*, *nullius tamen sanguis Martyris in remissionem peccatorum funditur, quod fecit Christus pro nobis, neque in hoc quid imitaremur*, *sed quid gratularemur*, *contulit nobis*. Item lib. 4. ad Bonifacium, cap. 4. *Sicut solus filius Dei factus est Filius hominis, vt nos secum filios Dei faceret*: *ita pro nobis solus suscepit sine malis meritis pœnam, vt nos per ipsum sine bonis meritis consequeremur gratiam*. Hoc argumentum Caluini non minùs speciosum, nec magis solidum est, quàm superius. Vera sunt omnia, quæ à sanctis Patribus, Leone, & Augustino dicuntur: sed ad rem præsentem nihil omninò faciunt. Quid enim sanctus Leo dicit? solius Christi mortem mundi propitiationem fuisse, neque Sanctorum mortibus vllam partem eius propitiationis esse tribuendam. Verissimum est, nam ipsi etiam Sancti de mundo aliquando fuerunt, & Christi morte redempti, de mundo exire cœperunt. neque nos Indulgentijs id adscribimus, vt mundum reconcilient Deo, sed vt eos, qui iam de mundo per Christum educti, & Deo Patri reconciliati sunt, iuuent, vt à reatu pœnæ temporalis, si quo fortè adhuc tenentur obstricti, faciliùs liberentur. Quid prætereà sanctus Leo dicit? Accepisse iustos, non dedisse coronas, & hoc nos quoque libentissimè confitemur. neque enim merita, quibus præmia, & coronæ respondent, per Indulgentias habere nos credimus. Quid postèa idem Leo adiungit? ex fidelium fortitudine nata esse exempla patientiæ, non dona iustitiæ. Et hoc nihil verius. nam dona iustitiæ non potest dare, nisi qui iustificat impium. Impium verò iustificare non potest, nisi ille, *qui peccatum non fecit*, & cuius passio pretij fuit infiniti, *de cuius plenitudine nos omnes accepimus*. Solus ipse caput existens corporis Ecclesiæ, suis omnibus membris gratiam comparauit. Neque vllus Catholicorum docuit vnquam per Indulgētias acquiri dona iustitiæ, vel, quod est idem, quemquam ex impio iustum fieri. Quid postremò sanctus Leo nos monet? Singulares aliorum mortes fuisse, neque quemquam alterius debitum suo fine soluisse; vnum esse Christum, in quo omnes mortui, omnes sunt etiam suscitati. Id verò quis nostrûm vnquam negauit? certè vnusquisq; dum moritur, debitum proximum soluit, quod in Adamo cōtraxit. *Solus Christus*, qui debitum moriendi non habuit, *pro omnibus mortuus est, vt mortem moriendo destrueret, & vitam resurgendo repararet*. Neque ista inter se pugnant, quòd per Christi mortem à debito mortis liberati sumus, & tamen vnusquisque nostrûm moriendo debitum soluat, quod in Adamo contraxit. siquidem mortis debitum nō erat solùm, vt moreremur, sed vt in morte perpetuò maneremus. Christus autem, qui, vt Apostolus ait 2. ad Timoth. 1. destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam, & incorruptionem, id nobis morte sua contulit, vt licèt ad tempus moriamur, tamen ad vitam reuocati perpetuò cum ipso viuamus. Neque verò aliquid horum Indulgentijs tribuimus, aut Sanctorum mortibus, vt Caluinus credi voluit. Sed quemadmodùm nos verissima esse fatemur omnia, quæ sanctus Leo in epistola allegata posuit: sic ipse vicissim non negasset, si de his rebus differendi illi se occasio obtulisset, Sanctorum passiones alijs Ecclesiæ membris applicari posse ad solum reatum pœnæ temporariæ dissoluendum. Propositū enim S. Leoni in ea epistola fuit, demonstrare necessitatem veræ carnis in Christo aduersus hæresim Eutychetis, quę paulò antè suborta fuerat. Itaque docet S. Leo, veram in Christo fuisse carnē, quoniā sine vera carne, verè mori nō potuisset. Quòd si Christus verè mortuꝰ nō esset, nos quoque redempti, ac reconciliati Deo non essemus, cùm nullius alterius hominis, quamuis innocentis, & sancti, propitiatio mundi esse potuerit. Hæc est sancti Leonis ratiocinatio, quæ solidissima est, si agatur, vt verè agitur, de redemptione à captiuitate Diaboli, de propitiatione peccati lethalis, & de satisfactione pro reatu, ac debito mortis æternæ. At si quis contendat, eandem ratiocinationem extendere ad satisfactionem pro reatu pœnę temporarię, nihil efficiet, & contra ipsum Leonem disputabit, qui ser. 1. de ieiunio decimi mensis, in epist. 79. ad Nicetam, & 91. ad Theodorum, & 92. ad Rusticum sæpe repetit, opera bona satisfieri Deo, pęnas peccatorum redimi, placari Deum, &c. & quemadmodùm non negat sanctus Leo, immò verò palàm affirmat, posse vnumquemque suis operibus satisfacere Deo pro reatu pœnæ temporalis, quamuis solius Christi mors reconciliatio fuerit mundi: sic etiam non negaret propter vinculum caritatis, & Sanctorū cōmunionem, posse vnius satisfactionem alteri applicari pro solutione reatus pœnæ temporalis, atque hoc solùm est, quod per Indulgentias fieri Catholici docent. Nunc ad S. Augustini testimonia eadem responsio dari potest. loquitur enim S. Augustinus, vt verba ipsa clamant, de remissione peccatorum, quam in iustificatione accipimus, cùm ad gratiam Dei sine vllis nostris bonis meritis peruenimus, quam remissionem (vt sæpè iam diximus) nemo Catholicorum ab Indulgentijs, vel à Sanctis expectat, sed omnes in vnum Christum integrè referūt. Quid igitur iam habet Caluinus? optima testimonia protulit, sed nihil nisi aerem verberauit.

CAPVT V.

Refelluntur ea, quæ Caluinus habet cap. 9. Instit. num. 41. & 42.

PErgit Caluinus, & sectione 41. refellere conatur rationem Catholicorum, qua thesaurum Indulgentiarum ab illis astrui dicit. proponit autem eam rationem his verbis: *Agnoscant, an non hæc sint sua placita*: *Martyres plus morte sua præstitisse Deo, ac meritos esse, quàm sibi opus esset*: *tantamq; illis meritorum largitatem superfuisse, quæ in alios redundaret*. *Ne igitur superuacuum sit tantùm bonum, commisceri eorum sanguinem sanguini Christi, & ex vtroque thesaurum Ecclesiæ confici ad remissionem, & satisfactionem peccatorum*. *Atque ita accipiendum quod ait Paulus, Coloss.* 1. *Suppleo in corpore meo ea, quæ desunt passionum Christi pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Hæc ille. qui non omninò fideliter rationem Catholicorum proposuit, vt planè negare possimus illa nostra esse placita. neque enim

docemus

docemus, Martyres morte sua plùs Deo præstitisse, quàm sibi opus esset absolutè: sed quàm sibi opus esset ad satisfactionem pro reatu pœnæ temporalis. quod quidem adeò verum est, vt cœcus sit oporteat, qui id non videat. Certè Ioannes Baptista tam innocenter vitam duxerat, vt nullo modo ad expianda peccata sua passionis, & mortis illius acerbitate indigeret. proinde plùs Deo præstitit morte sua, quàm sibi ad peccata expianda opus esset. quod idem de Apostolis, multisque alijs Martyribus dici potest. nam si peccatorum etiam maximorum, & plurimorum reatus vnica Martyris passione purgatur, pro quibus alioqui diu in igne pœna luenda fuerat, vt sanctus Cyprianus scribit libro secundo, epistola quarta ad Antonianum: profectò qui leuium, & paucorum delictorum est reus, & tamen pro Christo, post varia tormenta vitam ponit: morte sua plùs Deo præstat, quàm sibi ad reatum pœnæ temporariæ peccatis suis debitæ dissoluendum opus esset. Præterea, quod Caluinus addit, nos dicere, Sanctos plùs esse meritos apud Deum, quàm sibi necesse esset, & meritorum largitatem ita illis superfuisse, vt in alios redundaret: non agnoscimus, vt nostra placita, sed vt ipsius commenta. Nos enim, vt concedimus, satisfactiones multis Sanctorum superfuisse, quod modò satis euidenter ostendimus: ita negamus superfuisse merita, vel ipsa merita in alios redundare. de qua re in libro priore satis multa diximus. Sed facilè ignoscimus Caluino, quòd vel ob imperitiam, vel ob negligentiam, vel etiam, vt causam Catholicorum odiosam redderet, non fideliter nostra proposuit. Illud videamus, an qui non integrè fundamentum Indulgentiarum retulit, illud saltem solidè refutauerit. Sic igitur pergit loco notato: *Quid hoc est, nisi Christo nomen relinquere, ceterùm vulgarem sanctulum facere, qui in turba vix dignoscatur? Vnum, vnum illum prædicari decebat, vnum proponi, vnum nominari, vnum respici, cùm de obtinenda peccatorum remissione, expiatione, sanctificatione agitur.*

At non ita est; non vulgaris sanctulus, sed Sanctus Sanctorum ex thesauro Indulgentiarum Christus agnoscitur. nō enim Sanctorum passiones Christi passionibus miscentur in thesauro, quòd Christi passiones per se non sufficiant, sed vt ostendatur excellentia passionum Christi, quæ non solùm expiare queunt reatus peccatorum, sed etiam alijs vim expiandi communicare. Itaque ita miscentur in thesauro passionibus Christi passiones Sanctorū, vt Christi passiones omnem culpam, originalem, & actualem, lethalem, & venialem, & omnem pœnam sempiternam, & temporariam expiare valeant, idque totum per se; etiamsi nullæ admiscerentur passiones Sanctorum, quæ Sanctorum passiones sine Christi passionibus nihil possunt, & cum Christi passionibus solas pœnas temporarias expiare possunt. Non igitur vnum de turba, sed Regem Martyrum, & Sanctorum omnium Christum facimus, illumque vnum, vt simpliciter, & absolutè Redemptorem, propitiatorem, & Saluatorem prædicamus, nominamus, proponimus, atque respicimus. Quòd si solum nomen Christo relinquit, qui Sãctos quoquomodo illi adiungit: quid respondebimus Apostolo, qui se Christi adiutorem facit, primæ Corinth. 3. & Saluatoris officium sibi vendicat, primæ Cor. 9. & illuminatorem omnium hominum se dicit, Ephes. 3. An ignorabat Apostolus, Christum non egere humano adiutorio, & ipsum solum esse Saluatorem omnium hominum; & ipsum eundem, & solum esse lucem veram, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?* An volebat Christum vulgarem sanctulum facere, vt in turba vix dignosceretur? Quemadmodùm igitur Apostolus, dum sibi officium adiuuandi Christum, saluandique, & illuminandi homines desumit, nullam Christo facit iniuriam: quia Christus ipse Paulum sibi adiutorem esse voluit, dignatione, non necessitate. & si Christus, & Paulus saluant, & illuminant homines, Paulus à Christo virtutem saluandi, & illuminandi accepit, non Christus à Paulo. sic etiam dum nos Sanctis tribuimus officium satisfaciendi pro pœnis temporalibus aliorum, non facimus Christo iniuriam, quoniam, vt dictum est, virtutem satisfaciendi ab ipso Christo sancti accipiunt, non absolutè, & simpliciter, sed pro modulo sibi communicato. Addit postremò Caluinus in eadem sectione:

Sed audiamus eorum enthymemata. Ne sine fructu effusus sit sanguis Martyrum, in commune Ecclesiæ lucrum conferatur. Itane? an verò nullus erat fructus, glorificare Deum per mortem? veritati eius suo sanguine subscribere? testificari præsentis vitæ contemptu meliorem se vitam quærere? fidem Ecclesiæ sua constantia confirmare, hostium autem pertinaciam frangere.

At nos talia enthymemata nunquam fecimus, neque est difficile conficta à se argumenta dissoluere. Extant libri permulti Catholicorum, vbi de Indulgentijs accuratè differitur, & in nullo eorum inuenietur, passiones Sanctorum sine fructu futuras, si in thesauro non reponantur. Id solùm dicunt, passiones Sanctorum non absolutè, sed vt satisfactorias sine fructu futuras, si neque illis ipsi egeant, neque alijs applicentur; quamuis alioqui multis alijs nominibus gloriosas Deo, honorificas ipsis, & vtiles Ecclesiæ fuisse non dubium sit.

Porrò ad testimonium Apostoli ex epist. ad Coloss. cap. 1. quod Caluinus à Catholicis adferri dixit, respondet in sectione sequenti, quæ est quadragesima secunda: ac multis verbis docet Apostoli verba: *Suppleo quæ desunt passionibus Christi, &c.* non significare Christi passionibus aliquid defuisse ad vim satisfaciendi pro peccatis, sed Christi membra, nempe fideles omnes exerceri oportere varijs afflictionibus, idque pro Ecclesia, id est, pro Ecclesiæ ædificatione, & profectu. Sed quamuis hic sensus, quem Caluinus amplectitur, sit etiam à multis ex nostris obseruatus, & approbatus: tamen nos in libro superiore ostendimus, præter eum sensum, posse Apostolica illa verba commodè recipere alios sensus, atque eum præsertim, qui ad thesaurum Indulgentiarum stabiliendum confert, quem quidem sensum sibi non probari Caluinus significat, sed eum refellere solido aliquo argumento, nec potuit, nec tentauit.

CAPVT

CAPVT VI.

Respondetur ad ea, quæ Caluinus profert capit. 9. Institution. num. 43.

POstremam obiectionem Caluinus in sectione, siue numero 43. petit à comparatione Indulgentiarum cum Euangelio. Sic autem loquitur: *Quis docuit Papam plumbo, & membranæ gratiam Iesu Christi includere, quã Dominus verbo Euangelij dispensari voluit? Sanè aut mendax Dei Euangelium esse oportet, aut mendaces Indulgentias. Nam Euangelio Christum cum omni affluentia bonorum cœlestium, cum omnibus suis meritis, omnia sua iustitia, sapientia, gratia, nulla exceptione nobis offerri testis est Paulus, qui 2. Corinth. 5. dicit, depositum esse apud ministros verbum reconciliationis, quo hac legationis forma fungãtur, seu Christo per ipsos hortãte, obsecramus reconciliamini Deo. Eum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, vt efficeremur iustitia Dei in illo. Contrà, Indulgentiæ demensum aliquod gratiæ ex armario Papæ reclusum, plumbo, membrana, loco etiam affigunt, à verbo Dei auellũt.* Hæc omnia per partes sigillatim refellenda sunt, ne queratur Caluinus aliquid à nobis temerè prætermissum. Quod igitur reprehendit, gratiam Dei plumbo, & membranæ includi: respondeo, non aliter à Pontifice Maximo gratiam Dei plumbo, & membranæ aliquando includi, quàm Apostoli, & Prophetæ literis, & chartæ mysteria salutis incluserint. nam quemadmodum scripta Apostolorum, & Prophetarum signa quædam sunt rerum cœlestium; quæ nobis vel reuelantur, vel promittuntur, vel dantur. sic etiam literæ Pontificiæ suis legitimis sigillis munitæ, signa sunt remissionis, quam Pontifex, pro potestate à Deo accepta, concedit ijs, qui ea, quæ ab ipso præcipiuntur, impleuerint. At non hoc, inquies, reprehendit Caluinus, quòd remissio aliquo modo plumbo, & membranæ, vt instrumentis quibusdam includatur: sed quòd literis ea remissio includatur, quam Dominus verbo Euangelij dispensari voluit. Quæro igitur à Caluino, an existimet verbo Euangelij solùm voce prolato, an etiam scripto, gratiam illam remissionis dispensari posse? Certè si velit sibi constare, concedere debet, verbo Euangelij non solùm per sermonem, sed etiam per Scripturam dispensari. Ipse enim tum alibi sæpè, tum in hoc loco docet, remissionem peccatorum per exhortationem, siue concionem fieri. ideò enim allegat verba illa: *Posuit in nobis verbum reconciliationis, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* At exhortatio, & concio non solùm verbo, sed etiam scripto fieri potest. ipse enim Apostolus cùm illa dicebat, quæ Caluinus citat per epistolam scriptam Corinthijs prædicabat, & ipse idem tot exhortationes, & quidem grauissimas fecit, quot Epistolas scripsit. Vnde Thessalonicensibus dicebat: *ne terreamini, neq; per sermonẽ, neq; per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini, &c.* Itaque, quomodo potest remissio annunciari verbo, ita potest annunciari scripto, ac per hoc potest literis, & membranæ includi. Atque hæc dicta sunt à nobis, vt ex principijs proprijs Caluinum refelleremus.

A Nos enim non credimus, verbum reconciliationis nihil esse aliud, nisi concionem, neque existimamus (vt Caluiniani somniant) potestatem remittendi, vel retinendi peccata, ad concionem esse referendam. Scimus enim conciones fieri ad fideles, & infideles, iustos, & peccatores, pœnitentes, & impœnitentes; peccata autem nõ remitti, nisi fidelibus peccatoribus pœnitẽtibus. de qua re satis multa dicta sunt à nobis in libris de Pœnitentia. Neque admittimus remissionem peccatorum Sacramentalem debere, aut posse plumbo, & membranæ includi, sed tantùm eam remissionem, quæ fieri potest extra Sacramentum, qualis est absolutio à censuris Ecclesiasticis, & absolutio à reatu pœnæ temporalis, quæ datur per Indulgentias. neque hoc est, gratiam Dei plumbo, & membranæ B propriè includi, vt Caluinus dicit, sed est voluntatem eius, qui potestatem habet Indulgentias largiendi, declarari literis sigillo munitis, vt solent alia multa declarari, quæ à voluntate Principis dependent.

Iam verò quòd Caluinus adiungit, aut mẽdax esse Dei Euangelium, aut mendaces Indulgentias: non integram partitionem cõtinet. deest enim tertium membrum: aut Caluinus nescit quid loquatur. Euangelium enim non dicit, vt Caluinus interpretatur, in omni reconciliatione nobis offerri Christum cum omni affluentia cœlestium bonorum, ita vt semper remittatur omnis reatus culpæ, & pœnæ, tam sempiternæ, quàm temporariæ. Si enim Euangelium hoc doceret, pugnaret vtique cum Indulgentijs, & quia mendax Euangelium esse C non potest, id planè sequeretur, vt mendaces essent Indulgentiæ. At Euangelium dicit quidem in prima reconciliatione, quæ fit in Baptismo, hominem renouari, & renasci, Ioan. 3. & Tit. 3. Christo commori, & consepeliri, & resurgere in nouam creaturam, Rom. 6. ac proinde nihil expiandum remanere, neque egere huiusmodi homines vlla alia Indulgentia, si fortè continuò post Baptismum eos de hac vita migrare contigerit. Ceterùm in secunda reconciliatione, quæ fit per Sacramentum Pœnitentię, Euangelium dicit, Christum offerri pœnitenti cum affluentia quidem cœlestium bonorum, sed non tanta, vt continuò remittatur omnis reatus culpæ, & pœnæ, sed vt post remissam omnem culpam, & pœnam sempiternam, remaneat pœnitentia, & satisfactio peragenda D pro temporaria pœna expianda. non enim reconciliatio hæc secunda, est regeneratio, & renouatio, sed est quasi medicinalis curatio, & Baptismus quidam laboriosus, & secunda tabula post naufragium, vt sancti Patres passim docent, quos citauimus in libris de Pœnitentia. Quare cùm in secunda reconciliatione secundùm Euangelium relinquatur sæpenumero reatus aliquis pœnæ temporalis expiandus, locum suum habere possunt Indulgentiæ, neque cum Euangelio vlla ratione pugnant. Sed videamus, quomodo probauerit Caluinus. Euangelium in omni reconciliatione offerre nobis Christum cum omni afflũetia cœlestium bonorum, ita vt semper tam copiosè merita eius applicentur, vt nihil omninò remaneat expiandum. Certè nihil attulit, nisi te-

stimonium Apostolicum 2. Corinth. 5. *Posuit in nobis verbum reconciliationis, &c.* At in eo testimonio nulla fit mentio totius effluentiæ cœlestium bonorum, neque applicationis omnium meritorum Christi: sed solùm ex eo loco habemus, eos reconciliari Deo per ministerium seruorum Dei, qui ab illo potestatem habent, quique legatione funguntur pro Christo, & per quos Deus nos exhortatur, vt reconciliemur, quandoquidem Christus, qui peccatum non fecit, factus est pro nobis peccatum, id est, victima salutaris ad expianda peccata, vt nos efficiamur iustitia Dei in illo, id est, per ipsum verè, proprieque iustificemur. sed quàm latè pateat ea reconciliatio, & an semper relaxet omnem culpam, & pœnam, an aliquando solam culpam, & pœnam æternam, Apostolus non dicit, & ex alijs locis tum Scripturæ, tum Patrū satis apertè colligimus, post remissam culpam, restare pœnæ temporalis reatum, vel proprijs laboribus soluendum, vel per Indulgentias condonandum. Non igitur Euangelium est mendax, neque mendaces sunt Indulgentiæ, sed Caluinus Euangelium mendaciter allegauit.

Pergit in eadem sectione Caluinus, ac docet, vnde origo Indulgentiarum fluxerit: *Si quis, inquit, originem requirat, hinc videtur hic abusus emanasse, quòd cùm iniungerentur olim seueriores satisfactiones pœnitentibus, quàm vt ab omnibus fieri possent: qui pœnitentia sibi imposita grauari se vltra modum sentiebant, petebant ab Ecclesia relaxationem. Remissio, quæ talibus fiebat, Indulgentia vocabatur: vbi autem satisfactiones ad Deū transtulerunt, ac compensationes esse dixerunt, quibus se redimant homines à iudicio Dei simul etiam Indulgentias eò traxerunt, vt essent expiatoria remedia, quæ nos pœnis meritis liberent. Illas verò, quas retulimus blasphemias, tanta impudentia confinxerunt, vt nullum prætextum habere queant.*

In his verbis tria quædam Caluinus affirmat, quæ nullo testimonio, nulla ratione probare potuit. neque enim ex historia antiquitatis, sed ex Lutheri somnijs hausit quæcunque hoc loco effutijt. Primum igitur ait, iniungi solitas olim seueriores satisfactiones, quàm vt ab omnibus fieri possent, & relaxationem eorum, qui supra modum grauati erant Indulgentiam esse nominatam. Quæro, vbi hoc legerit, vbi didicerit, mirum silentium. Nos cōtrà legimus in antiquis Concilijs, Indulgentias concedi solitas non ijs, qui se supra modum grauatos dicerent, sed qui pœnitentiam iniunctam aliquanto tempore studiosè, libenterque peregerant. Concilium Ancyranum can. 4. aliàs 5. *Penes Episcopum,* inquit, *erit potestas modum conuersationis eorum (pœnitentium) probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adijcere. ante omnia verò præcedens eorum vita, & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.* Et clariùs ca. 22. *Modus pœnitentiæ in Episcoporum sit arbitrio, vt secundùm conuersationem pœnitentium, possint & extendere tardantibus, & minuere studiosè festinantibus.* Concilium Nicænum primum can. 11. & aliàs 12. cùm pœnitentiam lapsis præscripsisset annorum tredecim, addit: *Ab omnibus verò illud præcipuè obseruetur, vt animas eorum, & fru-*

A *ctus pœnitentiæ attendatur. quicunq; enim cùm omni timore, & lacrymis perseuerantibus, & operibus bonis conuersationem suam non verbis solis, sed opere, & veritate demonstrant, cùm tempus statutum etiam ab ijs fuerit impletum, nimirùm primi triennij, quo inter audientes futuri erant, & orationibus iam cœperint communicare, licebit Episcopo humanius circa eos aliquid cogitare (id est, minuere aliquid de reliquis decem annis) qui verò indifferenter habuerint lapsum, & sufficere sibi, quòd Ecclesiam introierint, arbitrantur, isti omnimodo tempora statuta complebunt.* Vbi clarissimè vides Indulgentiam dari diligentibus, negari negligentibus. Neque solùm non est verum, quod Caluinus dicit, sed nec est vllo modo verisimile. Nā nec sancti illi Patres satisfactiones iniunxissent seueriores, quàm par esset. nec si fortè aliquis B supra modum grauatus fuisset, illum per Indulgentiam, sed per iustitiam ab illo onere subleuassent. Quæ enim Indulgentia est, demere onus iniustè impositum? Deinde affirmat idem Caluinus, satisfactiones illas pœnitentiarias posteà ad Deum fuisse translatas, & inde factū esse, vt Indulgentiæ crederentur, esse remedia expiatoria, quæ nos à pœnis meritis liberent. Hic etiam quærimus, vt ostendant Caluiniani, quando satisfactiones pœnitentiæ non pertinuerint ad expiandas pœnas iudicio Dei debitas, nos enim legimus in antiquissimis Patribus, per satisfactiones illas placari Deum, propitiari Deum, satisfieri Deo. Multa citauimus in libro de Pœnitentia, nonnulla etiam in libro superiore. nunc vnius Cypriani testimonio contentus ero. Is igitur in sermone de lapsis C exhortans ad pœnitentiæ opera illos, qui iam resipuerant, & pœnitentiam agere cœperant, sed intercessione Martyrum cupiebant sibi condonari reliquam pœnitentiam, inter alia sic loquitur: *Pœnitentia crimine minor non sit. putas ne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templū sacrilega contagione maculasti?* & infrà: *Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptū referre, quicquid pro talibus, & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes, vel si quis plùs eū (Deū videlicet) suis satisfactionibus mouerit, si eius iram, si indignātis offensam iusta deprecatione placauerit, dat ille & arma rursùm, quibus victus armetur.* & infrà: *Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus, & virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus, & adiutus à Domino,* D *quem contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.* Ex his habemus, non semel, sed bis terve repetitum, per labores pœnitentiæ satisfieri Deo, & placari Deum. non igitur nouum est, vt Caluinus videri volebat, satisfactiones ad Deum referri. Sed quoniam radix totius Lutherani, & Caluiniani erroris in eo posita est, quod negant, post remissam culpam, remanere pœnæ temporalis reatum expiandum in hac vita, vel in alia: adducam aliud Cypriani testimonium, quo manifestè docetur, etiam post hanc vitam remanere eiusmodi reatum. Sic igitur loquitur in epistola secunda, libro quarto, conferens gloriam Martyrij, quo reatus omnis continuò purgatur, &

tollitur,

tollitur, cum alijs generibus mortis, quæ non habent ea vim: *Aliud*, inquit, *est*, *ad veniam stare*, *aliud ad gloriam peruenire*, *aliud missum in carcerem non exire inde*, *donec reddat nouissimum quadrantem*, *aliud statim fidei*, *&* *virtutis accipere mercedem*: *aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari*, *& purgari diu in igne*, *aliud peccata omnia passione purgasse*. Hæc ille. quæ si à Caluino animaduersa, & credita fuissent, nunquam negasset, post remissam culpam manere debitum luendæ pœnæ, ac per hoc satisfactionem esse necessariam, & Indulgentias, quæ satisfactionem condonant liberare à meritis pœnis.

Vltimo loco Caluinus dicit, nullo prætextu excusari posse blasphemias suprà recitatas de satisfactionibus sanctorum Martyrum, quæ cùm Christi satisfactionibus misceantur. Sed nos contrà existimamus, nullo prætextu excusari posse Caluini temeritatem, qui propter aliqua testimonia perperam intellecta (vt suprà demonstrauimus) totam Ecclesiam reprehendit, & tam peruerso iudicio de his rebus censet, vt blasphemias vocet, quæ reuera gloriam Dei continent maximam, nisi fortè credendum sit, Christum eum honorem inuidere Martyribus, quem ipse illis contulit. Sed de his satis, neque enim verbis, sed rationibus dimicare proposui.

CAPVT VII.

Refelluntur obiectiones Tilmanni Heshusij.

Tilmannus Heshusius in libro, quem inscripsit de sexcentis erroribus Pontificiorum, cùm multò iustiùs inscribi possit de sexcentis mendacijs Lutheranorum, titul. 32. qui est Indulgentijs, contendit, Indulgentias quadruplici nomine exterminandas esse, quod labefactent, vt ipse loquitur, quatuor præcipua capita doctrinæ cœlestis, videlicet de officio, & merito Iesu Christi, de vera pœnitentia, de sola fide iustificante, & de potestate clauium. Tam autem frigidè, & insulsè probat, quæ dicit, vt nullo negotio refelli possit.

Quod enim ad primum caput attinet, ponit hoc principium: *Christus sanguine suo expiauit peccata mundi*. Idque probat ex illis verbis: *Hic est sanguis noui Testamenti*, *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, Matth. 26. Item ex illis, *Filius hominis venit in hunc mundum non ministrari*, *sed ministrare*, *& dare animam suam redemptionem*, Græcè λύτρον *pro multis*. Matth. 20. Item ex illis: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, *&c.* 1. Ioan. 2. Item ex illis: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius*, Ephes. 1. Item ex illis, *Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum*, Isaiæ 53. Denique ex illis: *Ecce Agnus Dei*, *ecce qui tollit peccata mundi*, Ioann. 1. Ex his testimonijs nudè recitatis, concludit his verbis; *Cùm ergo tam charo pretio redempti*, *& Patri reconciliati simus*, *quæ est illa impudentia*, *& contumelia in Filium Dei*, *quod impostor ille promittit pro numerata pecunia remissionem*, *& meritarum pœnarum Indulgentiam*, *& cùm Christus satisfecerit Patri pro totius mundi peccatis*, *blasphemum*

A *est mendacium, quod fingūt Pontificij, oportere fideles pro suis peccatis satisfacere*. *Sublato errore de satisfactione, sponte euanescit figmentum de Indulgentijs*. Hæc est prima Heshusij demonstratio, id est, antiqua Lutheranorū cantilena, millies à Catholicis refutata. fatemur enim Christum pro nobis, & pro toto mundo integrè, immò plenissimè Deo Patri satisfecisse, vt Scripturæ allegatæ, aliæque permultæ nos docent. Sed negamus, inde sequi, non debere fideles pro suis peccatis, id est, pro reatu pœnæ temporalis expiando, Domino satisfacere. sicut etiam fatemur, Christum nobis gratiam, & gloriam sanguine suo acquisiuisse, ac promeruisse: & tamen debemus gratiam per fidem, & Sacramenta quęrere, & gloriam quasi palmam, & brauium certando & currendo promereri.
B Apostolus enim omnibus dicit, *sic currite*, *vt comprehendatis*, 1. Cor. 9. & de se: *Bonum certamen certaui*, *cursum consummaui*, *fidem seruaui*, *ideoq; reposita est mihi corona iustitiæ*, 2. Timoth. 4. Ratio autem horum omnium est, quoniam pretium redemptionis, & satisfactionis à Christo persolutum, non prodest nisi ijs, quibus per certa media, siue instrumenta applicatur, quod etiam aduersarij confitentur, & si negarent, nullam causam reddere possent, cur Pagani, Mahumetani, Iudæi, cæterique Infideles pereant, cùm Christus pro toto mundo satisfecerit, & omnibus hominibus gratiam, & gloriam promeruerit. Itaque pręter illud principium, quod Heshusius ponit, Christum satisfecisse pro peccatis nostris, ponendum est
C hoc aliud, eam satisfactionem nemini prodesse, nisi per certa media, & instrumenta applicetur. & tum remanet controuersia, quæ sint illa media, quam controuersiam Heshusius hoc loco non attigit, & ideò nihil omninò suis clamoribus efficit. Nos enim existimamus pretium sanguinis Christi ijs, qui ab infidelitate primùm conuertuntur, applicari per fidem, & Baptismum. ijs autem, qui post baptismum ad peccata redeunt, & rursum à peccatis conuertuntur ad Deum, applicari per Sacramentum pœnitentiæ, cuius partes sunt contritio, confessio, satisfactio. Heshusius contrà existimat, sola fide applicari, vel certè per fidem, & Baptismum. Sed nihil horū probat, nec probare potest. pleni sunt enim libri tum Prophetarum, & Apostolorum, tum etiam sanctorum Pa-
D trum testimonijs pro satisfactione, quam Deus post remissam culpam à nobis requirit. Et quemadmodum non est contumelia, vel blasphemia in Christum, dicere, pretium sanguinis eius non prodesse infidelibus, nisi per fidem, & Baptismum illis applicetur: ita non est contumelia, vel blasphemia dicere, fidelibus pœnitentibus non prodesse, nisi per Sacramentum pœnitentiæ, ac per hoc per contritionem, confessionem & satisfactionem applicetur. Admissa autem necessitate satisfactionis, dogma de Indulgentijs facillimè constituitur. Nam sicut pretium sanguinis Christi non prodest ad remissionem culpæ, & pœnæ sempiternæ, nisi per fidem, & Sacramentum applicetur: ita sine vlla Christi contumelia dici potest, idem pretium non semper prodesse ad remissionem totius pœnæ tem-

poralis, nisi per opera pœnitentiæ, vel per Indulgentias applicetur. Quòd autem diximus, per opera pœnitentiæ, id est, per nostram satisfactioné pretium sanguinis Domini, id est, eius satisfactionem nobis applicari, non sic intelligimus, quasi nostra satisfactio non sit veri nominis satisfactio. nam & vera satisfactio est, vt in libro quarto de Pœnitentia demonstrauimus, & simul tamen cum ea, & per eam Christi satisfactio nobis applicatur. Neque nostra satisfactio Christi satisfactioni adiungitur, quòd illa per se non sufficeret: sed quia voluit ipse nobis etiam gratiam satisfaciendi tribuere, vt efficacia sanguinis ipsius magis splendesceret, dum non solùm ipse satisfaceret, sed etiam membris suis virtutem satisfaciendi communicaret.

Porrò quòd addit Heshusius, Pontificem pro numerata pecunia peccata remittere, atque Indulgentiam dare, mera calumnia est. Neque enim Pontifices pecunias vllas pro Indulgentijs exigunt, sed iubent eos, qui indulgentias consequi cupiunt, orare, ieiunare, eleemosynas facere, vel in commmune pauperibus, vel in certum aliquod pium opus, vt in Basilicæ ædificationem, sed illud est frequentius, & hoc tempore solùm in vsu, vt eleemosynæ pauperibus in communi erogari iubeantur.

CAPVT VIII.

Refelluntur aliæ obiectiones eiusdem Tilmanni Heshusij.

VENIO ad secundum caput argumenti Heshusiani. Sic igitur ille pergit, *Obscurant*, inquit, *Pontificij necessariam doctrinam de pœnitentia, commento Indulgentiarum. cùm enim docent homines pro suis peccatis vel in hac, vel in futura vita satisfacere, aut etiam impositas satisfactiones pecunia redimere posse, extenuant peccati magnitudinem, parui faciunt iudicium Dei aduersùs peccatum, instillant animis hominum securitatem, atque ita vera contritionis fundamenta euertunt*. Hæc ille. qui sine dubio aliquid diceret, si nos diceremus, pro culpa, & pœna sempiterna, posse à nobis Domino satisfieri. id verò non dicimus, atque ea de causa Theologi nostri disputant, necessariam fuisse incarnationem Filij Dei, quoniam tanta est magnitudo peccati, vt non potuerit vlla pura creatura ex rigore iustitiæ, pro peccatis hominum satisfacere Deo. Id igitur solùm docemus, post culpam remissam posse hominem iustificatum per gratiam Dei, satisfacere Deo pro reatu pœnæ temporalis tantùm. quod non solùm non extenuat, sed etiam amplificat mirum in modum tum peccati magnitudinem, tum iudicium Dei aduersùs peccatum. Quis enim non miretur diuini iudicij seueritatem, & ipsius peccati molem, si cogitet Deum ab ipsis etiam filijs suis, & amicis Christi sanguine iustificatis, & reconciliatis adhuc repetere pœnas pro delictis, vel in hac vita, vel in futura? Sed qui sunt, qui nobis obijciunt, quod peccati grauitatem extenue-

A mus, & iudicium Dei parui faciamus? nempe Lutherani, qui vsque adeò peccatum extenuant, iudiciaque Dei contemnunt, vt nihil ad expianda peccata exigi arbitrentur, nisi, vt credant ea sibi à Deo non imputari. Vtri igitur magis peccatum extenuant, & Dei iudicia paruipendunt, an Catholici, qui præter fidem, contritionem, confessionem, & satisfactionem necessariam esse docent ad peccata purganda, an Lutherani, qui sola fide, sine vllo pœnitentiæ labore purgari peccata contendunt? Simile est, quod de securitate addit Heshusius: nam si Catholici dicerent, per satisfactionem, vel Indulgentias homines reddi securos de salute æterna, etiamsi contritionem de peccatis nullam habeant, neque à peccatis ad Deum conuerti

B velint: rectissimè diceret Heshusius, per inanem istam securitatem euerti fundamenta contritionis, & pœnitentiæ. At non hoc dicimus, sed cum B. Augustino in libro vigesimo-primo de Ciuitate Dei, capite vigesimo-septimo, inter errores perniciosissimos numeramus sententiam illorum, qui dicebant, eleemosynas, & similia bona opera, sine vera conuersione, & pœnitentia sufficere ad salutem. & verbis disertis omnes Theologi nostri tradunt, satisfactionem, & Indulgentias non prodesse, nisi ijs, qui per veram contritionem, & reconciliationem iustificati in gratiam à Deo recepti sunt. Neque etiam tunc securitatem salutis pollicemur per Indulgentiam, nisi sub conditione, si videlicet adsit auctoritas in concedente, gratiæ

C status in suscipiente, & pietas, atque rationabilitas, vt sic loquamur, in causa. Absolutè autem spem bonam, & fiduciam pollicemur, iuxta illud Apostoli 1. Timoth. 3. *Qui bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu.* Est autem valdè mirum, quòd Heshusius securitatem nobis obijciat, cùm alioqui nos, vt plurimùm reprehendant Lutherani, quòd dubitationem, & metum persuadeamus nostris, cùm ipsi contrà doceant suos vt certissimè credant, se iustos esse, & saluos fore, atque hanc ipsam fidem de propria iustitia, fidem iustificantem, & Catholicam esse velint.

Superest tertium caput argumenti Heshusij, quod his verbis ipse persequitur, *Sepeliunt*

D *quoque doctrinam*, inquit, *de fide, seu fiducia in Mediatorem Iesum Christum, si enim remissio pœnarum pecunia emi potest, non est necesse credere in Filium Dei Iesum Christum. At tota Scriptura clamat, qui non credit in Filium, vitam non videbit, sed ira Dei manet super eum, Ioan. 3.*

Hæc videlicet est illa insolubilis demonstratio, ob quam ita se iactat, & triumphat Heshusius. Et quidem doctrinam de vera fide, & fiducia in Christum non solùm non sepeliunt, sed etiam enitescere, atque eminere faciunt Indulgentiæ. Siquidem fundamentum habent in thesauro meritorum Christi, & non possunt nisi veris fidelibus, & per fidem veram, ac viuam iustificatis. Quare absurda, & inepta est illa consequentia, per Indulgentias, vel

per opera satisfactoria, quales sunt eleemosynæ pecuniariæ, rediмuntur peccata ab ijs, qui credunt in Christum, & meritis ipsius, ac satisfactione nituntur, igitur non est necesse credere in Christum Filium Dei: Fateor tamen per satisfactiones, & Indulgentias verè sepeliri doctrinam de sola fide, seu fiducia iustificante. quam fidem, seu fiduciam inanem, & falsam, & non tam iustificantem, quàm sub spe iustificationis animas deludentem, ac seducentem esse, alibi demonstrauimus. Quod autem Heshusius dicit, pecunia redimi pœnarum remissionem, ex Catholicorum sententia, verum est in eo sensu, quo Daniel Regem quendam admonuit, *peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum*, Daniel. 4. Nimirùm existimamus, per eleemosynas, vt etiam per ieiunia, aliaque pia opera, præsertim laboriosa, & pœnalia, remitti pœnas temporales, quæ remanent post culpam remissam, vt iam sæpè dictum est.

Quartum caput argumenti, quo probandum erat per satisfactiones, & Indulgentias labefactari doctrinam de potestate clauium, Heshusius non adscripsit. an obliuione, an alia de causa, incertum est. sed hanc iacturam meliori compensatione resarciuit. adiunxit enim aliquid aduersùs Indulgētias pro defunctis: *Quod fingunt*, inquit, *Indulgentias per modum suffragij valere pro mortuis, pugnat cum dicto Christi, qui non credit in Filium, iam iudicatus est*, Ioan.3. Item: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque ea, quæ gessit in corpore, siue bonum, siue malum*, 2.Corinth. 5. Item: *Beati mortui, qui in domino moriuntur*, Apocalyp. 14. *Infelices ergo, & quibus nullæ Indulgentiæ prosunt, qui in Domino non moriuntur. Sanctorum meritis confidere, blasphemum, & contumeliosum est in Filium Dei.*

Mirabilis sanè Dialectica Heshusij, per quam sine medio termino quidlibet ex quolibet licet colligere. Qui non credit in Filium Dei, iam iudicatus est: Igitur Indulgentiæ per modum suffragij defunctis valere non possunt. sanus ne est, an delirat, qui ita colligit? fatemur Indulgentias nullo modo prodesse ijs, qui sine fide in Christum decesserunt, qui iuxta verbum Domini iudicati, id est, condemnati sunt. An non inde sequitur, non prodesse ijs, qui cum fide, spe, & charitate migrarunt, & adhuc tamen in locis purgatorijs degunt, de quibus sic loquitur sanctus Augustinus homil. 16. ex libro 50. Homiliarum: *Qui temporalibus pœnis digna gesserunt, per ignem quendam purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit, saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* At, inquit Heshusius, omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque ea, quæ gessit in corpore, siue bonum, siue malum: non igitur mortuis aliquid prosunt Indulgentiæ, aliáue suffragia. Respondeo, mortuos quidem ea tantùm recipere, quæ gesserunt in corpore, sed eos, qui in fide, spe, & charitate, vsque ad finem perseuerarunt, id egisse in corpore, vt post mortem suffragijs, atque Indulgentijs iuuari possent:

A contrà autem eos, qui in peccatis lethalibus vsque ad mortem permanserunt, id egisse in corpore, vt eis post mortem, neque Indulgentiæ, neque suffragia vlla prodessent. Sic enim loquitur sanctus Augustinus in Enchiridio, capite 109. *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viuerent, vt hæc sibi prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem.* & infrà: *Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est, omnes astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea,*
B *quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum, quia etiam hoc meritum sibi quisque, cùm in corpore viuerent, comparauit, vt ei possent ista prodesse, non enim omnibus prosunt: & quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore?* Hæc ille. ad locum autem Apocalypsis respondemus, eos, qui in Domino omni ex parte moriuntur, quales sunt Martyres, quos eo loco præcipuè Ioannes Apostolus consolatur, planè beatos esse, neque Indulgentijs, alijsve suffragijs indigere: ac de his hunc locum exponunt sanctus Ambrosius, Haymo, Hansbertus, & Richardus de sancto Victore, eos autem, qui nulla ex parte in Domino moriuntur, quales sunt homines perditi, qui sine gratia Dei, & iustificatione decedunt, infelices omninò, ac mi-
C seros esse, neque Indulgentias, aliave vlla suffragia eis prodesse. Sed inter hos quidam sunt medij, vt paulò antè ex Augustino didicimus, qui partim in Domino, partim non in Domino moriuntur, in Domino quidem, quia cum fide, spe, & charitate de hac vita discedunt, non in Domino, quia maculæ veniales, vel reatus pœnæ temporalis illis adhærent, ob quæ purgatione, atque expiatione indigeant. Isti igitur nec tam perfecti sunt, vt continuò requiescant à laboribus suis, neque suffragijs Ecclesiæ, vel Indulgentijs opus habeant: nec tam sunt imperfecti, vt requiem à pœnis, & laboribus non expectent, vel vt Indulgentijs & eleemosynis, alijsque suffragijs releuari non possint. Neque mirabitur, nos dicere aliquos mori
D partim in Domino, partim non in Domino, qui apud sanctum Augustinum libro tertio ad Bonifacium capite tertio legerit, homines eosdem propter gratiam Dei, quam habent, esse filios Dei: propter peccata venialia, quibus non carent, esse filios huius seculi. Illa denique Heshusij postrema conclusio, blasphemum, & contumeliosum esse in Filium Dei, Sanctorum meritis fidere: vnde colligatur, omninò non video. Nam neque ex proximis superioribus verbis nascitur, neque ad rem propositam vllo modo facit. Sed iam dictum est, secundum nouam Heshusij Logicam, quidlibet ex quolibet colligi posse; tantùm autem abest, vt fidere Sanctorum meritis, sit vel blasphemum, vel contumeliosum in Filiũ Dei, vt sit Filio Dei per honorificum, & gloriosum:

quid enim sunt Sancti, nisi palmites fructuosi, eius nobilissimæ vitis, quæ dicit in Euangelio, *Ego sum vitis, & vos Palmites?* & quoniã palmites omnem virtutem suam ex vite trahunt, certè omnis palmitum gloria in vitem redundat. Itaque cum Sanctorum meritis confidimus, Christo confidimus, sine quo illi nihil facere possunt. neque ita confidimus Sanctorum meritis, vt ab illis gratiam, vel gloriam expectemus, sed solùm, vt sæpe diximus, vt per eorum satisfactiones nobis communicatas, à reatu pœnæ temporalis liberemur, vel eorum intercessione à Deo per Christum varia beneficia consequamur.

CAPVT IX.

Respondetur ad primum caput disputationis Martini Kemnitij de Indulgentijs.

MArtinus Kemnitius in quarta parte examinis Concilij Tridentini, discutiens decretũ Concilij de Indulgentijs, quod habetur in vltima sessione, longissimam, id est, verbosissimam more solito de Indulgentijs disputationem instituit. Eam nos hoc loco refutare aggredimur, ac Deo bene iuuante, non magno negotio fraudes eius, & mendacia detegemus, & argumenta, si quæ erunt alicuius momenti, breuiter, & dilucidè refellemus. Sed illud initio lectorem admonitum volo, nolle me tempus terere in recitandis ijs, quæ Kemnitius, vt librum suum pleniorem faceret, ex libris Catholicorum descripsit, quæ plurima sunt, vt Canones omnes pœnitentiales, quos ex Concilijs, ex Burchardo, & ex Gratiano in medium attulit, & alia id genus. Item nolle me repetere refutationem aliorum errorum Lutheranorum, qui passim à Kemnitio inculcantur, quamuis ad rem præsentem non faciant. Satis enim multa tum in libris aliorum Catholicorum, tum etiam in nostris extant, vnde errores illi plenissimè confutentur. Denique nolle me verbis sine necessitate contendere, neque conuicia, & contumelias, quibus Catholicos passim aspergit, referre, & retorquere (quod longissimum esset) nisi aliquando nimia eius impudentia nos cogat aliquid dicere. Igitur duo tãtùm in hac discussione Kemnitianæ disputationis præstare mihi propositum est, vt notem quæ falsò Kemnitius nobis imponit, & argumentis eius aduersùs Indulgentias perspicuè, solideque respondeam.

In primo capite disputationis suæ Kemnitius, id est, pag. 215. in editione Francofordiensi in octauo, statum quæstionis exponit, quid videlicet illud sit, quod nomine Indulgentiæ in hac disputatione accipiatur. Vbi multa sunt, quæ perperam ab illo dicuntur, vt causam Catholicorũ odiosam reddat. *Primùm miratur cur Tridentinum Concilium, si Pontificias Indulgentias non prorsus damnare, & abijcere volebat, nõ saltem earum mentionem sepelierit, vel approbationem suspenderit: cùm toti orbi, atque adeò ipsis Pontificijs notum sit, vt ipse loquitur, impudentem & impiam Indulgentiarum nundinationem à multis doctis, & pijs viris deploratam, & reprehensam fuisse.* Sed non est cur miretur. Nam Concilia Ecclesiæ Catholicæ, quale Tridentinum fuit, non solent dogmata quotannis mutare, vt Lutherani faciunt, neq; circũferri omni vento doctrinæ. Cõcilia vetera, Lateranensia, Lugdunẽsia, Viennẽsia (vt suprà ostẽdimus) Indulgẽtias approbarunt, abusus, qui fortè irrepserant, condemnarunt. Idem omninò Tridentinum Concilium fecit. neque tribuendæ sunt Ecclesiæ Catholicæ, si quæ irrepunt ex cupiditate prauorum hominum corruptelæ in cultu Religioso, præsertim cùm non solùm pij, & docti viri, sed ipsa etiam Concilia vigilẽt aduersùs eiusmodi corruptelas. neque id Kemnitius ignorare potest, cùm in hac ipsa disputatione pag. 332. referat decretum Concilij Lateranensis, & pag. 345. decretum Concilij Viennensis aduersùs abusus, qui in Indulgentiarum prædicatione admisceri cœperant. & ipse idem pag. 213. integrè recitet decretum Concilij Tridentini, quo damnantur, & prohibentur superstitiones, & abusus omnes: & nominatim praui quæstus, vnde plurimùm in Christiano populo abusum causa fluxit. At non sunt tollendi boni vsus, vt destruantur abusus, neque specie Reformationis Ecclesia funditùs euertenda est, vt Lutherani, & Caluiniani facere moliuntur. sed non mentitur, qui ait, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,* Matth. 16.

Secundò idem Kemnitius pag. 218. dicit ex sententia Catholicorum temporalem pœnam, quæ remanet luenda post remissam culpam in Sacramento Pœnitentiæ, maiorem esse, quàm vt à quoquam hominum in hac vita exolui possit. Sed hoc falsò nobis imponit, neque vllum scriptorem Catholicum inueniet, qui hoc dicat. Immò verò Catholici Theologi docent, non solùm posse hominem iustificatum satisfacere Deo pro debito pœnæ temporalis, sed etiam id posse ex condigno. Vide præter cæteros, Dominicum à Soto in 4. sent. dist. 19. q. 1. art. 4. Porrò falsa ista dogmata nobis Kemnitius adscribit, vt videamur super falsis fundamentis initi, cùm docemus in Purgatorio pœnas dari à spiritibus defunctorm, & tum in hac vita, tum in alia Indulgentias locum habere.

Tertiò ibidem Kemnitius dicit, Catholicos docere, diuinam iustitiam maiores adhuc pœnas exigere, quæ in Purgatorio luendæ sint, etiamsi canonica pœnitentia in hac vita plenè exoluatur. Sed hoc etiam falsò Catholicis imponi certissimum est. tunc enim solùm maiores pœnas Deus exiget, quando pœnitentia canonica iniuncta est minor, quàm par esset. Sed si iniungatur æqualis, vt planè iniungi potest, & ea plenè exoluatur, nihil in Purgatorio soluendum superesse omnes Catholici docent, vt videre est apud S. Thomam, aliosque Theologos in 4. dist. 20.

Quartò Kemnitius pag. 219. dicit, satisfactiones ex thesauro Ecclesiæ per Indulgentias applicari illis, qui eas vel pecunia, vel alijs operibus redimunt, atque hanc esse Catholicorum doctrinam. & paulò infrà, dicit ex sententia Catholicorum, Indulgentias licitantibus, & redimentibus dispensari. Sed hæ meræ sunt calumniæ, & imposturæ. eleemosynas quidem aliaque pia opera Pontifex Maximus solet iniungere, cùm Indulgentias tribuit, non tamen vt emantur Indul-

gentiæ (neque enim ea pecunia ad Pontificem, sed ad pauperes peruenit) sed vt exerceantur in operibus bonis Christi fideles, & vt aliorum liberalitate miserorum inopiæ succurratur.

Quintò in eadem pagina Kemnitius dicit, ex sententia Catholicorum, thesaurum Ecclesiæ cōstare ex operibus bonis Sanctorum, quæ ipsis ad promerendam, & consequendam salutem necessaria non erant, quæ vocantur opera supererogationis: item ex passionibus eorumdem, quæ ipsis ad propria delicta purganda opus non fuerunt. Sed vt hoc postremùm de passionibus est verum, ita illud de operibus supererogationis est falsum. neque enim vllus Theologorum est, qui scripserit thesauro Ecclesiæ contineri opera meritoria supererogationis. Illa enim opera quamuis supererogationis fuerint, tamen suo præmio non caruerunt, atque ideò nulla ratio sinit, vt alijs applicari possint. Vocant quidem aliqui opera supererogationis passiones Sanctorum, vt satisfactorias ipsis minimè necessarias. sed nos de re ipsa, non de nomine litigamus. Sed hæc non sine causa finguntur à Kemnitio. Scit enim Lutheranos valdè odisse opera supererogationis, vt ipsum etiam vocabulum ferre non possint. Inde igitur existimauit, vel hoc ipso Indulgentias fore inuisas, & execrandas, si ex operib. supererogationis Sanctorum fluxisse dicerentur.

CAPVT X.

Respondetur ad secundum caput disputationis Kemnitij.

IN secundo capite disputationis suæ Kemnitius demonstrare conatur, Indulgentias, vt à Catholicis accipiuntur, non habere fundamentum in Scripturis, immò pugnare cum præcipuis capitibus doctrinæ Christianæ. Primùm igitur profert multa Scripturæ testimonia, quibus probat, per Christum nobis peccata remitti. Sed hæc non egent vlla solutione, cùm non pugnent aduersùs Indulgentias, neq; à nobis negentur, & solùm ad implendas paginas adferantur.

Secundo profert argumenta negantia, quòd videlicet, Scripturæ non dicant, quòd nostris operibus possimus Deo satisfacere, quòd sint aliquæ pœnæ Purgatorij, quòd sit thesaurus aliquis operum supererogationis, quòd soli Petro sint traditæ claues Regni cœlorum, quòd Sacerdos absoluens debeat imponere pœnitētias: & quod Bullæ Indulgentiarum fieri debeant, &c. Et addit, adeò hæc esse vera, vt Durādus, Antoninus, Roffensis, & Syluester fateātur, Indulgētias non posse probari ex Scripturis, sed ex sola Ecclesiæ Romanæ auctoritate. Sed huius argumēti magna ex parte falsum est antecedens, & omninò mala consequentia. Falsum est, in Scripturis non haberi, quòd operib. nostris possimus satisfacere Deo, cùm scriptū sit Dā. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Luc. 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia mūda sunt vobis.* Prouerb. 16. *Misericordia, & veritate redimitur iniquitas.* Falsum est, Scripturas nihil habere de pœnis Purgatorij, cū scriptū sit, 1. Cor. 3. *Ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.* & Luc. 12.

A *Non exies inde, donec reddas nouissimū quadrantē.* & Mar. 12. *Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculò, neque in futuro.* Falsum est, nihil in Scripturis tradi de operibus supererogationis, quamuis, vt suprà diximus, non pertineant hæc opera ad Indulgentias. quid enim est, quod ait Dominus Luc. 10. *Si quid supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi?* & nonne B. Paulus 1. Cor. 9. testatur se potuisse victum quærere ab his, quibus euangelizabat, vt Apostoli cæteri quærebant, & tamen maluisse proprijs manibus laborare, quod fuit opus supererogationis interpretum omnium testimonio? falsum est, in Scripturis nihil dici de clauibus soli Petro traditis, cùm disertis verbis Dominus dicat Mat. 16. *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. & ego dico*
B *tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* Falsum est in Scripturis non haberi Sacerdotem absoluentem debere imponere pœnitentiam: nam cùm in Scripturis Sacerdos fiat Iudex, qui debeat soluere, vel ligare, remittere, vel retinere peccata, certè etiam debet ita reos absoluere, vt iustitiæ satisfiat, ac proinde soluere à culpa, & ligare ad pœnam pro modo culpæ subeundam. Sed de his omnib. suis locis disseruimus. Quid vltimò dicebatur de Bullis Indulgentiarum, non habetur quidem in Scripturis in particu-
C lari, sed habetur in cōmuni. dum enim tribuitur Pontifici Maximo potestas ligandi, & soluendi quicquid ligandum, soluendumuè iudicauerit, non dubium est, quin sit etiam eidem attributa potestas soluendi reatum pœnæ remanentis post culpam remissam, & ea de re scribendi literas, quæ Bullæ vocantur, quibus ea concessio contineatur. Sed etiam si nihil horum scriptum esset, non tamen sequeretur, Indulgentias non niti nisi auctoritate Ecclesiæ Romanæ, possent enim niti auctoritate diuina cognita per traditionem Apostolorum, quomodo alia non pauca, & præter cætera numerum librorum sacrorum, ac præsertim Euangeliorum, non ex aliqua Scriptura, sed ex traditione Apostolica, & Ecclesiæ auctoritate habemus. Neq; enim Ecclesia vsum Indulgentiarum concedendarum per se excogitauit, sed à
D maioribus accepit, cuius rei signum est, quòd non possunt aduersarij huius cōsuetudinis vllum assignare principium. Atque hoc sibi volunt Durandus, Antoninus, Roffensis, & Syluester, quos Kemnitius allegat: nimirùm affirmant, non haberi in Scripturis expressam mentionem Indulgentiarum, quamuis fundamenta nō desint, vnde perspicuè colligantur: Sed sufficere ad eas etiam sub hoc nomine defendendas Ecclesiæ auctoritatem, quæ non tam constanter Indulgentias prædicaret, & in Concilijs Oecumenicis approbaret, nisi diuinitùs traditam sibi potestatē huiusmodi non ignoraret.

Sed obijcit Kemnitius sanctum Augustinū, qui lib. 3. contra literas Petiliani, capite 6. ita scribit: *Si quis de quacumque re, quæ pertinet ad fi-*

dem,vitámque nostram si vel Angelus è cœlo vobis annunciauerit, præter quàm quòd in Scripturis legalibus,& Euangelicis accepistis,anathema sit. Nos autem ipsum eumdem S. Augustinum respondentem adducemus.ipse enim tract. 98. in Ioannem scribit,illud,præterquam , non significare,plùs quàm , sed contrà quàm. *Non ait Apostolus* (inquit Augustinus) *plùs quàm accepistis, sed præter quàm quòd accepistis. nam si illud diceret , sibi ipsi præiudicaret , qui cupiebat venire ad Thessalonicenses , vt suppleret quæ illorum fidei defuerunt Sed qui supplet,quod minùs erat addit,non quod inerat tollit : qui autem prætergreditur regulam fidei non accedit in via,sed recedit de via , &c.* Non igitur anathema dicitur ijs,qui credunt aliquid,quod non inuenitur expresse scriptum in sacris literis,sed ijs,qui credūt aliquid,quod repugnat sacris literis. Nam idem Augustinus,libro secundo de Baptismo contra Donatistas,capite septimo: *Multa* , inquit, *non inueniuntur in literis Apostolorum , neque in Concilijs posteriorum , & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam,non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.*& lib.4. cap. 24. *Quod vniuersa tenet Ecclesia , nec Concilijs institutum , sed semper retentum est,non nisi auctoritate Apostolica traditum decentissimè creditur,*Denique lib.I. contra Cresconium,cap.33.*Quamuis*,inquit,*huius rei de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum:earundem tamen Scripturarum à nobis etiam in hac re tenetur veritas,cùm hoc facimus,quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ , quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.* Ab hoc igitur loco depulsus Kemnitius, aggreditur demonstrare Indulgentias repugnare Scripturis : *Non rhetoricis*,inquit, *declamationibus , sed nuda tantum indicatione simpliciter per capita spectandum , & considerandum proponam , quemadmodum Indulgentiæ pugnent.I.contra meritum, & satisfactionem Christi.II.contra gratuitam,& plenariam remissionem Dei. III. contra claues Regni Cœlorum. IV,contra fidem.V. contra doctrinam de bonis operibus. VI. quòd talis nundinatio in Scriptura iamdudum damnata sit.*

Ac primùm quidem caput solo mendacio probat:dicit enim nos docere,Christum culpā quidem nostram omnem,sed non totā pœnam peccatorum nostrorum in se suscepisse. ac deinde probat id esse falsum ex Scripturis , Isai. 53.Galat.3.Deut.28.At mendacium esse manifestum,à Catholicis doceri , Christum suscepisse purgandam omnem culpam , sed non omnem pœnam,vel ex eo potest intelligi, quòd Indulgentiæ ex nostra sententia nituntur thesauro passionis Christi,qui satisfecit Deo Patri plenissimè pro reatu culpæ, & pœnæ temporalis , & æternæ omnium peccatorum. Si per Indulgentias dicimus applicari nobis satisfactionem Christi pro reatu pœnæ , quo modo potuit in mentem Kemnitij cadere,nos dicere Christum non satisfecisse pro pœna?

Secundum caput,id est, pugnare Indulgentias cum gratuita , & plenaria remissione Dei, probat ex Scripturis nihil ad rem nostram facientibus.adducit enim illa testimonia,*Qui credit in Filium Dei non iudicatur* Ioan.3. *& in iudicium non venit*.Ioan. 5. *peccatorum eius non recordabor*,Ezechielis 18.*Omnia peccata nostra proie-*

A *cit in profundū maris*,Micheæ 7. & similia. Nam hæc testimonia probant quidem reconciliari peccatorem Deo,sed an tota pœna peccatis debita semper remittatur,non docent : iam enim suprà demonstrauimus ex lib.2.Regum cap.12. dictum esse Dauidi pœnitenti,*Dominus transtulit peccatum tuum*,&tamen expetitam ab eo pœnam,mortem filij , quam vt auerteret Dauid, ieiunauit,orauit, fleuit,&c.Sed Kemnitius adducit similitudinem ab humana consuetudine, *Certum*,inquit.*& manifestum est si quis priuatus ita dimitteret offensam proximo , vt nihilominùs vindictam aliquam expetere,& supplicium aliquod de ipso sumere vellet,talem vt non ex corde remittentem peccata,grauiter à Christo reprehendi, qua fide igitur talem remissionem ipsi Deo tribueremus , certè si culpam.hoc est,debitum omne dimisit , non*
B *habet causam exequendi pœnas.* At similitudo in ipsum retorqueri potest , nam qui iniuriam accepit,& vel in facultate, vel in fama, vel in ipsa persona læsus est,sic potest, ac solet ordinariè offensam dimittere,& in gratiam recipere eum,qui læsit,vt tamen detrimentum compensari,& resarciri sibi velit. Et quamuis priuati homines nullam interdum compensationem iniuriæ quærant , Iudex tamen pœnam ab eo, qui iniuriam fecit,repetere , & vindictam sumere solet. Sic igitur Deus, qui non solùm pars offensa,sed etiam Iudex est, remittit quidem culpam,cùm pœnitentes in gratiam recipit , sed pœnam totam non semper remittit,vt exemplo Dauidis ostendimus. Neque hoc repugnat illis verbis Domini Matth.18.*Omne debitum dimisi tibi,quoniam rogasti me,&c.*nam per
C *omne debitum*,intelligitur omnis culpa, non omnis pœna. comparat enim Dominus eo loco peccata cum debito pecuniario, & loquitur de remissione offensarum,quatenus ea gignunt inimicitias,Itaque exemplo suo Dominus, qui pœnitentibus ita peccata remittit , vt eos verè in gratiam,& amiciciam suam admittat,admonet homines,vt ex corde remittāt iniurias proximis,eosq; verè diligant,id enim significat illa sententia:*sic & Pater meus faciet vobis , si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordib. vestris.* Quibus verbis,vt S. Hieronymus in commentario docet,omnis simulatio fictæ pacis euertitur.Sed nihil impedit,vt diximus , quò minùs satisfactionem iustam exigere possit,qui læsus est,etiamsi eum,qui læsit , ex corde diligere,
D nec solùm non lædere,sed etiam protegere deinceps velit.

Tertium caput, quòd videlicet Indulgentiæ pugnent cum doctrina de clauibus Regni cœlorum,non probat Kemnitius , nisi verbis ludendo:*Christus*,inquit,*dicit:Quicquid solueritis,erit solutum , & quorum remiseritis peccata erunt remissa:Romanenses Indulgentiæ contradicūt, quidquid Christi claues soluunt , hoc Pontifex Romanus suis pœnis retinet,& ligatum mittit ad pœnas,vel in hac vita , vel in Purgatorio exoluendas.* Hæc non sunt argumēta,sed nugæ,nobis.n. nō libet in re seria ludere Porrò Christus non solū dixit, *quodcumq; solueris , erit solutū :* sed etiam, *quicquid ligaueris, erit ligatū.* Itaq; Pontifex nō ligat,quod Christus soluit, sed sicut potest soluere,ita potest ligare. & hac potestate ligat ad pœnā subeundam, quos à culpa absoluit. neq;

contra-

contrarium potuit Kemnitius probare, nec poterit.

Quartum caput, quòd Indulgentiæ pugnēt contra fidem iustificantem, non probat Kemnitius, nisi hoc argumento, quòd Scriptura Rom.3. & 4.& 11. & Ephes. 2. ita solam fidem in iustificationis negotio requirat, vt excludat etiam opera legis, quæ Deus ipse mandauit: Indulgentiæ verò iustificationem tribuant commentitijs operibus, vt peregrinationibus ad hanc, vel illam Ecclesiam visitandam. Sed hoc argumentum totum ex imperitia, & mendacijs constat. Nam, vt omittam, quòd non excluduntur à iustificatione opera bona, quæ nascuntur ex fide, & gratia Dei, sed illa tantùm, quæ fiunt solis viribus naturæ, vt in libris de iustificatione docuimus. Non dicimus per Indulgentias, homines iustificari, immò docemus, non dari Indulgentias, nisi iustificatis. Id, quod vel à suo Patriarcha Luthero Kemnitius discere potuisset. Lutherus enim hoc assumpsit, Indulgentias non iustificare, & nos admisimus esse verum. Prætereà cùm Indulgentiæ ex Catholicorum sententia non iustificent, multò minùs tribuere possunt iustificationem operibus commentitijs. Ad hæc opera illa, quæ accepturis Indulgentias iniunguntur, valdè temerè commentitia à Kemnitio nominantur. peregrinationes enim ad loca sacra orationis causa præcipi solent, quibus ordinariè ieiunia, & eleemosynæ adiunguntur. Ista autem omnia multis scripturarum testimonijs commendantur, vt præsertim Tob.12 Matth. 5. & 6. & alibi passim. Denique istis ipsis operibus nō tribuimus effectum Indulgentiarum, quem falsò iustificationem appellat Kemnitius. effectus enim proprius Indulgentiarum est relaxatio pœnæ temporalis, qui effectus potissimùm tribuitur meritis Christi, vt in libro superiore docuimus. Quare cùm omnia penè verba Kemnitiani argumenti falsa sint, certè non potest vllo modo esse vera conclusio.

Quintum caput, quòd Indulgentiæ pugnēt cum operibus bonis, probat Kemnitius ex ijs locis Scripturæ, quibus ipse censet refelli opinionem de operibus supererogationis, in qua opinione fundari existimat Indulgentias. Loci sunt hi, Lucæ 17. *Cum omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus, quia quòd debuimus, fecimus.* Matth. 25. dicentibus fatuis virginibus, *Date nobis de oleo vestro.* responderunt prudentes, *ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.* Sed hoc argumentum nititur falsis principijs, non minùs, quàm præcedens. Neque enim fundamentum Indulgentiarum ponitur à Catholicis in operibus supererogationis Sanctorum, sed in satisfactionibus, quæ ipsis necessariæ non sunt. nam etiam opera debita, & imperata à Deo satisfactoria esse possunt, & non necessaria ijs, à quibus fiunt, in ratione satisfactionis. Si Tyrannus instet, ac supplicia, & mortem comminetur, nisi fidem abneges: non est opus supererogationis, sed planè debitum, & necessarium, fidem non negare, sed confiteri, & perferre supplicium. & tamen opus illud, non solùm est meritorium gloriæ, sed etiam satisfactoriū,

A pro reatu pœnæ, quem reatum fieri potest, vt non haberet, qui supplicia illa perferebat. Nec tamen Kemnitius refellere potuit opera supererogationis, nisi deprauando Scripturas. nō enim Dominus ait Luc.17. *Cùm feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus.* Sed ait, *Cùm feceritis hæc omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quòd debuimus facere, fecimus.* Itaq; illi dicuntur inutiles, qui nihil faciunt, nisi quod eis præceptum est, & quod facere debēt. Ex quo sequitur, vt qui faciunt aliquid ampliùs, quàm teneantur, vt qui se castrant propter Regnum cœlorum, id est, perpetuam cōtinentiam seruant, & qui dant omnia pauperibus, vel alia id genus non imperata faciunt: serui vtiles dici debent. neq; hæc mea, sed S. Ambrosij explicatio est, qui in libro de Viduis tra-
B ctans hunc locum, sic ait, *Hoc Virgo non dicit (nimirū seruus inutilis sum,) hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit, sed quasi reposita expectat præmia, sicut sanctus Apostol. ait: Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? non enim quasi inutilis seruus, quod debuit facere fecisse se dicit, sed quasi vtilis Domino, qui commissa sibi talenta quæsitus multiplicauit vsuris, merc:dem fidei, atq; virtutis bene sibi conscius meritorúmq; securus expectat.* Illud verò Matt. 25. *Date nobis de oleo vestro: & ne fortè non sufficiat nobis, & vobis:* non ad exclusionem operum supererogationis, neque communicationis satisfactionum pertinet, sed ad exclusionem communicationis iustitiæ, & meritorum. significatur enim per eam parabolam, eos, quibus in hac vita extincta fuerit lāpas charitatis, & operū bonorum, & qui in eo statu
C de vita migrauerint, frustra imploraturos merita Sanctorum. nam vt dicitur Ezech.18 *Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.* & Galat. 6. *Vnusquisq; onus suum portabit.* & Rom.2. *Reddet Deus vnicuiq; secūdùm opera suá.* atq; ad hoc significandum in ea parabola dicētib fatuis Virginibus, *Domine, Domine aperi nobis,* respondetur à Domino, *Amen dico vobis, nescio vos.* Alia testimonia Kemnitius adducit ad probādum, opera nostra non esse sine peccato, sed ea nihil ad propositū faciūt, & sunt à nobis omnia diligēter explicata in libris de Iustific.

Sextum caput, quòd Indulgētiæ sint expressè damnatæ in Scripturis Sanctis, probat Kemnitius ex Epist. 2. B. Petri, c.2. *In auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Item, *libertatē alijs*
D *pollicētur, cùm ipsi sint serui corruptionis.* & Act.8. *Pecunia tua tecū sit in perditionem. quoniā donum Dei existimasti pecunia parari.* Ex his duob. locis concludit suum argumentum in hæc verba Kemnitius. *Hoc est ipsissimū iudicium Spiritus sancti, de Indulgentijs Pontificijs.* quæ conclusio indicat incredibilem fuisse in Kemnitio libidinē maledicendi, etiam aduersùs propriā conscientiam. Nam ignorare non potest abusum Quæstuariorum, quib. vtcumq; accommodari possent verba S.Petri, vt ea Caietanus accommodat, Romanis Pontificibus adeò semper displicuisse, vt eos publicis constitutionibus damnauerint, & prohibuerint. Siquidem ipse idem Kemnitius refert ad verbum decreta de hac re Innocentij III. Clementis V. & ipsius Synodi Tridētinæ. qua igitur cōsciētia, qua fronte, nō solū hoc loco, sed passim in tota disputatione

Romanis Pontificibus tribuit, quæ à Romanis Pontificibus damnata, atque interdicta fuisse idem ipse testatur? Videat autem Kemnitius, ne verba sancti Petri in secunda epistola ad se, & Lutheranos ceteros pertineant. Certè S. Augustinus in lib. de fide, & operibus, cap. 14. totam hanc epistolam, vt etiam epistolam Iacobi, & Iudæ aduersùs eos scriptas esse dicit, qui affirmabāt sola fide homines saluari posse, quæ est hoc tempore hæresis Lutheranorum. & in eodem libro cap. 24. illa ipsa verba, quæ Kemnitius citat, contra eos pugnare dicit, qui libertatem pollicentur, id est, securitatem salutis, modò credant in Christum, vt idem explicat capite 26. Atque hæc fortasse est causa, cur Lutherani, & ipse Kemnitius in examine quartæ sessionis concilij Tridentini, hanc epistolam aut negent esse canonicam, aut eius auctoritatem in dubium reuocant, quia vident hæresim suā de sola fide iustificante huius epistolæ testimonijs apertissimè refutari. Illud verò, quod Kemnitius addit ex Actis Apostolorum capite 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia parari*, si ad Indulgētias referatur, mera calumnia est. Nam Catholici non existimant, Indulgentias pecunijs vendi, vel emi: sed eleemosynas imperari ad opus aliquod pium, vt Basilicæ ædificationem, pauperum subuētionem, captiuorum redemptionem, & similia, quod opus pium sit causa Indulgentiæ concedendæ, vt sæpe diximus.

CAPVT XI.

Respondetur ad tertium caput disputationis Kemnitij: & defenditur primum argumentum Catholicorum.

IN tertio capite disputationis suæ Kemnitius profert in medium argumenta ex Scripturis, quæ à nonnullis Catholicorum pro Indulgentijs fieri solent: atque ad ea respondere conatur, quamuis more suo multa dicendo nihil dicat. Eas responsiones ordine refutabimus.

Primùm Catholicorum argumentum sumi dicit ab illis verbis Domini Matth. decimo sexto: *Tibi dabo claues Regni cœlorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis, &c.* Aduersùs hoc argumentum obijcit primò Kemnitius, soluere, & ligare nihil est aliud, nisi remittere, vel retinere peccata, vt habetur Ioan. 20. Illa autem remissio, vel retentio exercetur in foro pœnitentiæ, & absolutionis, vt Scholastici docent: Igitur nihil hoc testimonium facit pro Indulgētijs, quas ijdem Scholastici à foro pœnitentiæ, & absolutionis, longè, lateque disiungunt. Responsio, Soluere, & ligare, quod habetur Matth. 16. multò latiùs patet, quàm remittere, & retinere peccata, quod habetur Ioan. 20. nam in hoc posteriore loco restringuntur verba ad peccata, in priore nō restringuntur, sed generatim dicitur, quodcumque solueris, vel ligaueris. & notum est, nō solùm solui, cui remittuntur peccata, sed etiā eum, qui liberatur à quocumque debito, vel lege, vel pacto, &c. quemadmodum etiam non solùm ligatur, cui retinētur peccata, sed etiam qui præcepto, vel iuramento, vel promissione, vel alia quacumq; obligatione constringitur. Itaq; etiamsi probasset Kemnitius verba Domini Ioannis vigesimo, pertinere ad solū pœnitentiæ forum, non tamen probasset hoc idē de verbis Domini Matth. 16. sed tamen neq; illud probauit. Nam Scholastici dicunt quidem, verba Domini Ioan. 20. pertinere ad forū pœnitētiæ, sed non restringunt ad illud forū: multi enim etiam ad remissionē, quæ fit in Baptismo ea verba referunt: alij generatim ad omnē remissionem, quæ fit ministerio clauium, siue in Sacramentis, siue extra Sacramentum pertinere volunt: Mihi quidem valdè probabile videtur, hunc locum pertinere solùm ad potestatem ordinis, & ea de causa non eum protuli in priore libro pro Indulgentijs.

Secunda obiectio Kemnitij: *Soluere, & ligare ita opponuntur, vt quod solutum est, non sit ampliùs ligatum. Pontifex verò contrà fingit, quod in absolutione solutum est super terram, illud in foro Pontificio manere ex parte ligatum, & soluendum esse non claue ministerij, sed Pontificijs Indulgentiarum nundinationibus.* Responsio: Ingens profectò patientia necessaria est ei, qui Kemnitio respondere velit. Quis enim ferat impudentiam hominis, qui tertio quoque verbo nundinationes ijs obijcit, à quibus seuerissimè prohibitas non ignorat? Deinde quem non pigeat in eiusmodi nugis tempus terere? quis enim vnquam dixit, in foro Pontificio ligatum manere, quod in absolutione solutum est super terram, sed cū in foro pœnitentiæ solutio fiat à culpa, & à reatu pœnæ sempiternæ, non autem à reatu totius pœnæ temporalis, quod in eo foro ligatū manslit, id non nundinatione, sed claue ministerij Pontificij per Indulgentias relaxari dicimus. Hoc refellat, si potest, & non sibi fingat argumenta, quæ soluat.

Tertia obiectio: *Ministeriū reconciliationis ita soluit peccata, vt pœnitentib. & credentib. annunciet condonata omnia delicta.* Col. 2. *peccata nō imputari* Rom. 4. & 5. *& per Christum redeptos esse à maledicto legis.* Galat 3. *quod maledictū æternū, & temporale est.* Deut. 28. *Pontificia verò Indulgētia fingunt peccata etiam post remissionem imputari, & Christū credentes non à tota maledictione legis redemisse, sed partem eius ex Pontificio thesauro redimendā esse* Responsio, Vetus cantilena hæc est millies refutata. Omitto errorem illū Kemnitij, & aliorū Lutheranorum, quòd remittere peccata, sit annunciare remissa, quia ad hūc locum non pertinet. condonata nobis omnia delicta per Christum, Apostolus dicit, neq; indulgentiæ contradicunt. nam cōdonata omnia intelligi debēt quoad sufficientiā pretij à Christo persoluti, sed pretium illud applicari postea necesse est, vt etiā Lutherani fatentur, si efficaciter huic, aut illi delicta condonanda sint. Nos autem existimamus non sola fide applicari; sed etiam alijs instrumentis, quorum vnum Indulgentiæ sunt. Pari ratione peccata non imputari iustificatis, idē Apostolus dicit, & Indulgentiæ non contradicunt. neque enim fingimus peccata imputari post remissionem, si quo ad culpam, & pœnam remissa sint, vt fit in Baptismo, sed si remissa sint quoad culpā, & pœnam æternam, & adhuc maneat reatus aliquis pœnæ tēporalis, vt ordinariè fit in secunda recōciliatione, quid mirū si adhuc imputētur ex parte? Quod additur de maledicto legis ad rē nō

pertinet, non enim liberatio illa à maledicto legis est liberatio à culpa, vel pœna peccati, sed est liberatio ab obligatione legis cærimonialis Hebræorum, de qua potissimùm disputatur in eo loco. est etiam liberatio à terrore legis cuiuscumque, quæ Iudæos, vt seruos, premebat. Filios enim Testamenti noui lex diuina moralis, & Euangelica obligat quidem ad obseruantiam, sed non terret, quia charitas diffusa in cordibus non timore pœnæ, sed amore iustitiæ implet legem.

Quarta obiectio: *Quod Christus promisit Petro*, Matth.16. cùm ait: *Tibi dabo claues, &c. exhibuit, ac præbuit*, Ioan.20. cùm ait, *Quorum remiseritis peccata, &c. At ista dicuntur omnibus Apostolis, & omnibus Ministris, quibus datur potestas absoluendi: non igitur ex loco* Mat. 16. *colligitur auctoritas Pontificia Indulgentias conferendi*. Responsio, falsum est id totum fuisse exhibitum, Ioã. 20. quod fuerat promissum, Mat.16. Nam, vt supra diximus, multò latiùs patet, quodcũque solueris, quàm, quorum remiseritis peccata. Itaque sicut soli Petro dictum fuerat, Mat. 16. *Tibi dabo claues, &c.* ita soli Petro dicitur, Ioan.21. *Pasce oues meas.* atque in hoc loco datur, quod in alio fuerat promissum. Quam rem nos copiosè exposuimus in primo libro de Summo Pontifice, cap.12.

Quinta obiectio, *Christus ait Apostolis Ioan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: ipse autem quando tempore ministerij sui peccata remittebat, simul debitum condonabat, & debitorem liberabat. hac enim est forma absolutionis eius, Confide, remittuntur tibi peccata tua, vade in pace, & noli ampliùs peccare, Mat. 9. Luc. 7. Ioan. 5. & in parabola, Mat 18. seruum sibi debentem decem millia talenta, liberum dimisit, & debitum remisit ei, & Adulteræ, Ioan.8. nullam pœnam imposuit. Quod autem Christus tales vmquam, vel docuerit, vel dederit Indulgentias, quales ex Pontificiorum placitis suprà descriptæ sunt, nulla oratione, nulla dictione, nulla syllaba, nulla litera, ex scriptura probari potest.* Responsio, Imò testimonia omnia allegata clamant Christum dedisse Indulgentias, quales ipsum, qui Princeps absolutus erat, dare decebat. Christus enim illis omnibus remisit culpam, & pœnam extra Sacramentum applicans merita sua. Pontifex autem, qui Vicarius est, remittit etiam culpam, & pœnam, applicans merita Christi, sed culpam, & pœnam æternam per Sacramenta, quia ita Christus instituit, pœnam temporariam extra Sacramenta, quia ita Christus fecit, & ex natura sua remissio solius pœnæ Sacraméto non eget. Quòd autem Christus nõ iniunxerit ieiunia, vel eleemosynas, aut aliud pium opus ijs, quibus Indulgentiam largitus est, quod tamen Pontifex facere solet: eadem est ratio, quia videlicet Christus, vt Princeps absolutus, potuit pro arbitrio Indulgẽtias dare, Pontifex, vt Vicarius, non potest pro arbitrio, sed pro causa iusta, & rationabili, idem facere.

Sexta obiectio, *Petrus, cui datæ sunt claues Regni cælorum, eis sine dubio vsus est, & tamen Indulgentias Pontificias non dedit: immò Simoni Mago dixit, Act.8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunijs comparari.* Responsio, Quod Apostolus Petrus Indulgentias Pontificiarias dederit, vel non dederit, ex Scriptura probari non potest, quoniam acta eius, exceptis paucissimis, in sacris literis non extant. Simon verò Magus non Indulgentias petebat, cùm pecunias offerret, sed potestatem dandi Spiritum sanctum per manus impositionem. Sed Kemnitio perinde est, ad rem, vel extra rem verba profundere, modò calumniari possit.

Septima obiectio, *Sicut Christus dixit Petro Mat.16. quodcumque solueris, ita dixit toti Ecclesiæ, Mat.18. quæcumque solueritis, &c & tamen Ecclesia per annos mille, & ampliùs istas Indulgentias ignorauit.* Responsio, Ex ignorantia antiquitatis, vel peruersa intelligentia veteris historiæ procedit obiectio. ostendimus enim in libro superiore, ex Tertulliano, & Cypriano vetustissimis Patrib. necnon ex Concilijs antiquissimis, Ancyrano, & Nicæno, vsum Indulgentiarum, & propriè sub nomine Indulgentiæ idem ostendimus ex Gregorio.I. Leone III. & Sergio II. qui omnes ante annum millesimum Ecclesiæ præfuerunt. Nec desunt, qui idem probari existimant ex Syluestro primo, qui sedit post annum Domini trecentesimum, quorum argumenta ex tabulis Ecclesiarum petita contemnenda non sunt.

Octaua obiectio, *Ligare seu retinere peccata non est pœnitentiam agentibus, & credentibus post absolutionem, seu remissionem peccatorum, partem aliquam ligatam reseruare, vel ad proprias satisfactiones, aut redemptiones per Indulgentias obligare: sed impœnitentibus, & incredulis peccata sunt liganda, denunciata illis hac Dei sententia, quòd peccata ipsorum maneant. Ioan.9. & ira Dei maneat super ipsis, Ioan.3. quòdque perituri sunt, nisi pœnitentiam egerint, Luc.13.* Responsio, Multa Kemnitius dicit, sed nihil probat, & tamen probandi officium sibi desumpsit. Imperitè autem, nisi fortè malitiosè, & fraudulenter confundit ligare, & retinere: neque enim ista sunt idem; nam retinere est non remittere, sed relinquere in suo statu. & hoc modo sacerdotes nostri retinent peccata impœnitentibus, nõ solùm denunciando illis Dei sententias, sed etiam negando absolutionis beneficium. At ligare non est non soluere, sed nouum vinculum addere, nisi vocabulis abuti velimus; & hoc modo sacerdotes audita confessione pœnitentis, ligant eum ad opera satisfactionis, quæ ab antiquis dicebatur actio pœnitentiæ, vt apud S.August. in epist.180. ad Honoratum, *Alijs*, inquit, *Baptismum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs pœnitentiæ ipsius actionem.* Atque hæc est pœnitentia, quam Pontifices per Indulgentias, vel totam, vel ex parte condonant. Habemus igitur primum, & præcipuum testimoniũ pro Indulgentijs ex cap.16. Matth. non potuisse à Kemnitio labefactari, quamuis octo arietibus illud impetere conatus sit.

CAPVT XII.

Defensio secundi argumenti Catholicorum pro Indulgentijs.

SEcundum argumentum Catholicorum peti dicit Kemnitius à verbis illis Apost. 2.Cor.2. *Nã & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi.* Ex quo loco demonstra-

monſtratur vſus Indulgentiarum antiquiſsimus, cùm Apoſtolus condonauerit pœnitenti Corinthio partem pęnitentiæ, quę illi ſupererat peragenda. Refellere conatur Kemnitius hoc argumentum, & quia deerant ſolidæ rationes, digreditur ad explicationem hiſtoriæ, & Græcarum dictionum, vt multa hinc inde inſarciendo ſex tandem paginas impleuerit. Percurramus eius obiectiones.

Prima obiectio, *Pontificij dicunt, pœnitentibus culpam remitti in abſolutione: poſt eius verò remiſſionem imponendas pœnas ſatisfactorias, quas per Indulgentias redimi, & relaxari fingunt, ſed Corinthius ille nequaquam anteà fuerat à peccatis abſolutus: ſed fuerat ſecurus, & impœnitens, atque ideò traditus Satanæ, vt afflictione carnis, publica correptione, & contriſtatione ad pœnitentiam adduceretur. neque enim ipſum Paulus Satanæ tradidiſſet, ſi pœnitens, & credens à peccatis abſolutus fuiſſet.* Reſponſio, Non dicunt Pontificij poſt remiſsionem culpæ, id eſt, poſt abſolutionem ſacerdotalem, imponendas pœnas ſatisfactorias: ſed dicunt imponendas ante abſolutioné, quamuis poſt abſolutionem adimplendæ ſint, niſi fuerint anteà adimpletæ. Non enim multùm refert, vtrùm impleantur ante abſolutionem ſacerdotis, vel poſteà, modò impleantur in ſtatu gratiæ, qui ſtatus gratię obtineri poteſt per veram contritionem, & propoſitum confeſsionis ſuo tempore faciendæ. Imò in pœnitentia publica ordinariè implenda erat ſatisfactio ante abſolutionem, vt notum eſt ex Cõcilijs ſuprà citatis. Porrò Corinthius ille, quãuis initiò impœnitens videretur, tamen poſt increpationem publicam, & excommunicationem reſipuit, & grauiſsimam pœnitentiam agere cœpit. atque eo tempore ſine dubio per veram contritionem, gratiam Dei recepit, & per actionem pœnitentiæ Deo ſatisfaciebat. huius autem ſatisfactionis, quæ adhuc longius tempus requirebat, partem reliquam Paulus condonauit, ac publicè abſolui, & reconciliari iuſsit. quia enim peccatum publicum fuerat, & pœnitentia publica, ita etiam publica debuit eſſe reconciliatio, & abſolutio à peccatis, & ab excommunicatione.

Secunda obiectio, *Paulus non impoſuit Corinthio mulctam publicã, vt ſuis illis pœnis, & afflictionibus Deo pro peccato inceſtus ſatisfaceret, nulla ſyllaba hoc ex Paulo probari poteſt, imò tota Pauli doctrina clamitat, Chriſtum ſua paſsione, obedientia, & morte pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, & factũ eſſe noſtram redemptionem. Cauſam verò, & finem illius contriſtationis Corinthij Paulus ipſe ſcribit hanc fuiſſe, vt ea operaretur pœnitentiam, & eſſet δοκιμὴ an ſeria, & vera eſſet pœnitentia.* Reſponſio, Quamuis fortaſſe B. Paulus non indixerit Corinthio certum tempus, vel ſpeciem pœnitentiæ, tamẽ hoc ipſo impoſuit illi mulctam publicam, quòd iuſsit eum ſeparari à cœtu fidelium, & admoneri, vt pœnitentiam ageret. notum enim erat Eccleſiæ, quomodo gerere ſe deberent, qui pœnitentiam agebant. Nam in antiquis Concilijs ſolùm dicitur tot annis pœnitentiã agant, qui hoc, aut illud peccatum commiſerint, & relinquitur, vt notum, à quibus rebus ſe abſtinere debeant pœnitentes. Quòd autem illa actione pœnitentiæ Corinthius Deo ſatisfacere debuerit, & nõ ſolùm oſtendere Eccleſiæ ſeriò ſe reſipuiſſe, perſpicuum eſt ex illo verbo, in perſona Chriſti. Ideò enim Apoſtolus dicit, ſe donare in perſona Chriſti, quia Chriſto ſatisfaciendum erat, & Apoſtolus, vt Chriſti Vicarius, interpretatur Chriſti voluntatem, & eius auctoritate condonat reliquam ſatisfactionem. Præterea idem colligitur ex verbo, donaui, nam ſi actio pœnitentiæ non alium finem habebat, quàm oſtẽdere veram reſipiſcentiam; iam finita erat illa pœnitentiæ actio, quoniam ſatis ſuperque conſtabat omnibus, illum verè reſipuiſſe: quid igitur donauit Apoſtolus, cùm ait, & ego quod donaui, in perſona Chriſti propter vos donaui. certè hæc verba manifeſtè docent aliquid ei donatum, & remiſſum, cuius debitor erat, & quod ab eo iuſtè exigi potuiſſet. Quemadmodùm autem non pugnet propria ſatisfactio cũ ſatisfactione Chriſti, ſuprà non ſemel explicatum eſt. Fatemur enim Chriſtum noſtram eſſe redemptionem, & ſatisfeciſſe pro culpis, & pœnis omnium hominum, ſed eius ſatisfactionem applicari per varia inſtrumenta, vt per fidem, per Baptiſmum, per abſolutionem, per opera bona, per Indulgentias.

Tertia obiectio, *Condonatio, de qua Paulus loquitur, fuit ipſa abſolutio, ſeu remiſſio peccatorum à culpa, & pœna. dicit enim ſe loqui de tali condonatione, quæ conſcientiis affert firmam conſolationem, vt non abſorbeantur triſtitia, ſed pacem habeant erga Deum, quod fit, quando fide iuſtificamur accepta remiſſione peccatorum,* Rom. 4. & 5. *Non ergo loquitur de Pontificijs Indulgentijs, quæ dantur poſt abſolutionem à culpa.* Reſponſio, Fateor Corinthium iuſſu Pauli ſimul accepiſſe reconciliationem, & abſolutionem à culpa, & pœna, & à vinculo etiam excommunicationis, ſed affirmo, in ea reconciliatione admixtam fuiſſe Indulgentiam, id eſt, condonationem reliquæ ſatisfactionis. Nam, vt ſuprà dixi, non eſt neceſſe, vt Indulgentia detur alio tempore, quàm reconciliatio. Illud tamen falſum eſt, quod Kemnitius dicit, Apoſtolum loqui de illa iuſtificatione, qua homo per fidem ex impio fit iuſtus, & pacem ad Deum habere incipit, de qua agitur ad Rom. 4. & 5. Nam Corinthius ille iam reſipuerat, & dolorem maximum de peccato ſuo conceperat, & pœnitentiam ex amore Dei, & odio peccati agebat, quæ ſine fide, ſpe, & caritate fieri non poſſunt. Itaque iam coram Deo iuſtificatus erat per veram pœnitentiam, & deſiderium abſolutionis ſuo tempore recipiendæ, & ſolùm reſtabat reconciliatio per miniſterium Sacerdotum, quam Paulus dari iuſsit. Illud autem, ne abundantiori triſtitia abſorberetur; non ſignificat illum non fuiſſe coram Deo iuſtificatum per veram contritionem: ſed ſignificat periculum fuiſſe, ne nimia triſtitia conficeretur, ſi nimis diu reconciliatio differretur. Itaque iuſsit, vt eum conſolarentur, & recrearent, relaxata omninò reliqua pœnitentia, vt bono animo eſſet, & maiori alacritate deinceps curreret viam mandatorum Dei.

Quarta obiectio, *Falſum eſt quod dicunt quidam, Paulum pro ſoluẽdo debito Corinthij inceſtuoſi accepiſſe ex operibus ſupererogationis Eccleſiæ*

Corinthiacæ. Clamitat enim Paulus sanctam Christi passionem esse ἀντίλυτρον pro peccatis nostris, & magna vehementia inquit, numquid Paulus pro vobis passus, & crucifixus est? Responsio, Nulli sunt ex Catholicis, qui dicant Paulum accepisse pretium pro debito incestuosi ex operibus supererogationis Ecclesiæ Corinthiacæ. Sed cùm Catholici dicant, Paulum ad intercessionem, id est, ad preces Ecclesiæ Corinthiacæ, condonasse aliquam pœnitentiæ partem Corinthio pœnitenti, Kemnitius ita interpretatur, vt dicere voluerint, oblatum fuisse pretium operum supererogationis. Sed hæc imposturæ, & figmenta ipsius sunt, qui faciliùs sibi esse ducit, argumenta à se conficta, quàm vera refellere.

Quinta obiectio: *Non est verum, certum numerum, vel dierum, vel annorum publicæ pœnitentiæ fuisse à Paulo præscriptum, &c.* Responsio, Neque nos hoc dicimus, neque de hac re contendimus. Satis nobis est, quòd ex epistola Pauli perspicuè colligitur, adactum Corinthium ad agendam acerrimam pœnitentiam, ac deinde parte aliqua adimpleta, reliquam auctoritate Apostoli condonatam.

Sexta obiectio: *Postremò non nisi impudentissimè fingi potest, Corinthium illum dedisse pecunias ad redimendas Indulgentias: manifestissimum igitur est, locum illum Pauli 2. Cor. 2. nullo modo confirmare Pontificias indulgentias.* Responsio, Si diceremus necessarium esse pecunia redimere Indulgentias, & non possemus ostendere id à Corinthio factum, tunc sanè aliquid efficeret argumentum Kemnitij, sed cùm doceamus, non solùm non esse necessarium, sed neque licitum pecunia redimere Indulgentias, cùm decretis Conciliorum, & Pontificum nundinationes Indulgentiarum prohibitæ sint: qua impudentia Kemnitius colligit, locum illũ Pauli non confirmare Pontificias Indulgentias, quia non fingimus à Corinthio pecunias numeratas pro Indulgentia redimenda?

Vltima obiectio: *Si huic loco Paulino innitterentur Indulgentiæ, sequeretur in concessione Indulgentiarum non plus posse Paulum, vel Papam, quàm reliqua membra Ecclesiæ. Paulus enim dicit, cui condonatis aliquid, & ego condono.* Responsio, Non sequitur, non plus posse Paulum, vel Papam, quàm reliqua mẽbra Ecclesiæ in concessione Indulgentiarum. nam Ecclesia Corinthiaca id, quod fecit, ex auctoritate Pauli fecit; sicut etiam hoc tempore non solùm Pontifex Indulgentias concedit, sed etiam alij, qui ab ipso auctoritatem habent. Neque obstant illa verba à Kemnitio citata, cui condonatis aliquid, & ego condono. sequitur enim; Nam ego quòd donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. ex quo apparet, primum fuisse Paulum, qui donauit, deinde Corinthios donasse iussu Pauli, postremò Paulum confirmasse donationem suo iussu factam. Neque hoc negare potest Kemnitius, licèt nunc abutatur illis verbis ad suum propositum. nam pag. 243. apertè scribit, Corinthios non fuisse ausos reconciliare incestuosum pœnitentem, sed causam ad Apostolum retulisse. Atque hæc de secundo loco.

A

B

C

D

CAPVT XIII.

Defenditur tertium argumentum Catholicorum.

Tertium argumentum Catholicorũ pro Indulgentiis colligi, dicit Kemnitius ex duplici ordine testimoniorum Scripturæ diuinæ. Primùm enim adferri ait illa testimonia, quibus probatur post remissam culpã remanere pœnam tẽporalem adhuc luendam, 2. Reg. 12. 2. Reg. 24. Exod. 32. Num. 14. & alia. Deinde illa, quibus probatur, posse redimi eiusmodi pœnas ieiunijs, eleemosynis, aliisque operibus bonis, Daniel. 4. Ionæ 3. Numer. 16. 2. Reg. 12. & 24. & alia. Ex his denique concludi, posse etiam tolli harum pœnarum reatum per satisfactiones indebitas Sanctorum, hoc est, per thesaurum Indulgentiæ. Hoc verò argumentum ego quidem non attuli in libro superiore, neque ab aliis Catholicis, nisi admodum paucis adferri vidi. quoniam ista pertinent propriè ad disputationes de satisfactione, & hoc loco prærequiruntur potiùs, quàm disputantur. Quia tamen Kemnitius argumenti huius mentionem facere voluit, non grauabor, & quid ipse contrà objiciat exponere, & ipsa eius obiecta refellere.

Ad testimonia prioris ordinis objicit, si quis ex illis colligere velit post remissionem culpæ remanere pœnam luendam, sequi vnum ex sequentibus incommodis, vel satisfactionem Christi pro peccatis nostris fuisse dimidiatam, & imperfectam: vel Deum credentibus non omnia peccata remittere, & fallere homines, quibus promisit, se iniquitatum eorum non amplius recordaturum: vel falsum esse, quod Christus sub iuramento affirmauit, quæcumque solueritis in terra, erunt soluta & in cælo, si partem vindictæ Deus ligatam retineret, vel Ministros Ecclesiæ fraudulenter, & non ex voluntate Domini claues Regni cælorum administrare, si dum soluunt à peccatis, partem aliquam retinent. Ad hanc obiectionem respondeo, nihil eorum sequi. Nam non sequitur primum incommodum, quoniam Christus quidem integrum pretium pro culpis, & pœnis omnium hominum obedientia sua, & passione persoluit: sed placuit sapientiæ eius, pretium illud in baptismo applicare pro culpis, & pœnis omnibus expiandis: in reconciliatione autem, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ, placuit eidem diuinæ sapientiæ idem pretium applicare pro culpa, & pœna sempiterna, non autem pro reatu totius pœnæ temporalis, vt suprà non semel explicatum est. Non sequitur etiam alterum incõmodum: nam Deus præstat semper, quod promisit; & omnia peccata ita in reconciliatione condonat, vt iniquitatum commissarum non recordetur ampliùs. Sed quemadmodum, cùm iustus peccat, dicitur Deus iustitiarum eius non recordari amplius, quia non conseruat illi gratiam suam, etiamsi temporali aliquo præmio eas iustitias fortè remuneret: Sic etiam cùm impius resipiscit, dicitur Deus nõ recordari amplius peccatorum eius, quoniam in gratiam suam, atq; amicitiam eum recipit, ac si numquam peccasset, quamuis temporalem pœnã ab illo exigat. Nec sequitur tertium, vel quartum incõmo-

dum, Christus enim verissimè affirmauit: *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Nam sicut ipse retinet reatum aliquẽ pœnæ temporalis in reconciliatione post Baptismum; ita & Ministri eius faciunt, cùm ritè fungũtur munere suo. ea enim de causa in Sacramento pœnitentiæ imponunt mulctam pro satisfactione, quam non imponunt in Sacramento Baptismi, quoniam sciunt eam esse Dei voluntatem, vt qui ab ignorantiæ tenebris cõuertuntur primùm ad lumen fidei, & Baptismum recipiunt, non ligentur ad illam pœnam: qui verò post tantum lumen adeptum, & iustificationem, ac renouationẽ Baptismi lapsi sunt, cùm ad pœnitentiam venerint, ligentur omninò ad pœnam pro peccati magnitudine, & qualitate soluendam.

Adhibet deinde Kemnitius ad illa eadem testimonia, quæ à Catholicis allegãtur pro reatu pœnæ remanente post culpam remissam, suam explicationem, ac dicit, infligi quidem à Deo varias castigationes, & pœnas hominibus reconciliatis, vt Scripturæ illæ testantur, sed infligi, vt sint mortificationes carnis, vel admonitiones ad cauenda peccata, vel ad insinuandam peccati magnitudinem, vel ad exercitium patientiæ, aliarumque virtutum; denique ad alios salutares fines, non autem vt sint vltiones peccati præteriti, quasi Deus punire velit peccatum iam condonatum. Sed profectò admiranda est Hæreticorum audacia, qui omnes alios fines flagellorum diuinorum admittunt, præter eum, qui ab ipso Deo in Scripturis disertis verbis exprimitur. Nam 2. Regum 12. cùm Deus per Prophetam Dauid dixisset peccatum ipsius ob seriam pœnitentiam esse dimissum, & tamen flagello mortis filij, eum castigare vellet, non ait, ad mortificãdam carnem, vel admonitionem ad cauenda peccata, vel ad exercitium patiẽtiæ, vel alios fines eiusmodi, sed ait, *Veruntamen, quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Quid clarius ad significandam vindictam diuinam pro peccato cõmisso? inde Dauid (vt habetur in eodem capite) ieiunauit, & fleuit, & orauit, vt auerteret flagellum illud Dei, qui tamen non hoc faceret, vt impediret bonos illos fines, id est, mortificationem carnis, exercitia patientię, & similia; sed fecit, vt satisfaceret Deo per aliam viam, quàm per mortem filij. Præterea non rarò flagellum Dei pro peccato commisso est mors corporalis eius, qui flagellatur, vt perspicuum est ex lib. 3. Regum, cap. 8. vbi Propheta Domini ob inobedientiam traditur à Deo Leoni interimendus; & tamen ante mortem sine dubio remissum fuit ei peccatum, quo ad culpam (si fortè lethalis fuit) constat enim eum, vt virum sanctum, & iustum fuisse post mortem à Leone custoditum, non læsum, vt honorificè sepeliri posset. mors autem corporalis eiusmodi flagellum est, vt non possit infligi ad mortificationẽ carnis, admonitionem ad cauenda peccata, exercitia patiẽtiæ, & similia, quæ post mortem cessant, sed solùm ad vltionem peccati commissi. Denique (vt alia multa prætercam) in Psalmo 98. apertissimè

A legimus de Moyse, & Aarone: *Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos, Domine Deus noster tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Vbi loquens Dauid de peccato eorum ad petram, pro quo puniti sunt (vt habetur Numer. 20. & 27.) vt morerentur ante ingressum in terram promissionis; apertè testatur, Deum fuisse illis propitium, quia remisit peccatum quo ad culpam, & tamen vltum fuisse omnem adinuentionem eorum, quia pœnam ab eis, & quidem grauissimam in vindictam, & satisfactionem repetijt. Atque hæc de primo ordine testimoniorũ, de quibus frustrà Kemnitius gloriatur ita à se explicata, vt succisus sit gladio spiritus vnus neruus Indulgentiarum Pontificiarũ. manet enim neruus ille integer, & sanus, non minùs, quàm si gladio fœneo, vel

B papyraceo tentatus fuisset.

Iam verò in succidendo altero neruo, id est, in tractando secundo ordine testimoniorum magis cautè se gessit. cùm enim animaduertisset, non posse vllo modo negari, quòd ex illis testimonijs Catholici colligunt, videlicet, posse flagella Dei aliquando per voluntarias afflictiones auerti, Deumque placari fructibus pœnitentiæ: nihil contra hoc dogma Catholicorum obiecit, sed solùm probare conatus est, non posse per Indulgentias condonari pœnas peccatis debitas. Id autem facit adducendo in medium quandam Lutheri partitionem. Scripsit enim Lutherus quinque genera pœnarum secundùm Scripturam, & veteris Ecclesiæ traditionem. Primùm esse pœnam

C gehennæ. Secundò afflictiones, quæ spontè suscipi debẽt ad fructus pœnitentiæ faciendos, qui sint argumenta nouæ vitæ. Tertiò afflictiones prioribus nõ dissimiles ad carnis mortificationem, quæ necessaria est ad cauẽda peccata. Quartò flagella diuinitùs immissa, vt penuriam, morbos, orbitatem, & similia; Quintò denique esse pœnam canonicam, quæ disciplinæ causa à veteribus imponi solebat. Certum est autem pœnam Gehennæ non esse subiectam clauibus Ecclesiæ. nec minùs certum est, non deberi relaxari per Indulgentias exercitia virtutum, fructus pœnitentiæ, & nouæ vitæ, & carnis mortificationem, alioqui noxiæ, ac perniciosæ essent Indulgentiæ. Neque illud est dubium, flagella à Deo immissa non posse per Indulgentias repelli, vt vel ipsa experientia docet. Restant solæ pœnæ canonicæ,

D quæ relaxari possunt, si essent in vsu, sed iam à longo tempore desierunt imponi. Nulla igitur restat pœna, quæ per Indulgentias remitti possit, nisi commentitius quidam reatus pœnæ, qui fingitur in hac vita, vel in alia expiandus, sine vllo Scripturæ, vel antiquæ Ecclesiæ testimonio. Nos verò libenter agnoscimus pœnam Gehennæ, & flagella à Deo immissa non subesse clauibus Ecclesiæ, quamuis ea flagella nõ rarò per voluntarias afflictiones auertantur, vt perspicuum est ex cap. 3. Ionæ. De pœnis autem spontè susceptis respondemus, non debere eas relaxari, quatenus vtiles sunt ad nouitatem vitæ, & carnis mortificationem, sed posse vtiliter relaxari, quatenus sunt pœnæ debitæ peccatis. vtile enim est carere illo de-

bito, siue reatu. esse autem eas pœnas debitas peccatis non est commentum, nec figmentum Catholicorum (vt Lutherus,& Kemnitius dicunt) sed est sententia Scripturæ, & totius antiquitatis, ideò enim dicuntur afflictiones illæ fructus digni pœnitentiæ, Luc. 3. quoniam tales esse debent, quales requiruntur ab illis, qui dignè pœnitentiam agunt. dignè autem pœnitentiam agere, nō est solùm nouæ vitæ fructus ostendere, vel carnis concupiscentias mortificare (ista enim ab ijs etiam fieri debent, qui non peccauerunt) sed est punire peccata præterita,& Domino, quem superbia,& cupiditate,atq; illicita delectatione offendimus, humilitate, largitione, compunctione, & afflictione voluntaria satisfacere. Et in hanc sententiam exponunt illa verba Dominica omnes veteres Patres. S. Ioannes Chrysostomus homil.10. in Matthæum explicans, quid sit facere fructus dignos pœnitentiæ, *Delicijs* (inquit) *antea,& temulentia diffluebas: ieiunio, & aqua potu vtrumque compensa*. Sanctus Augustinus in Enchiridio, cap.70. *In melius*, inquit, *est vita mutanda,& per eleemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus, non ad hoc emendas, vt ea semper liceat impune committere. nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur*. & in Psal.50. sic inducit loquentem pœnitentem cum Deo: *Domine non erit impunitum peccatum meum, sed ideò nolo, vt tu punias, quia ego peccatum meum punio*. S. Gregor. lib.6. cap.2. in primum Regum, cùm docuisset tria requiri ad pœnitentiam, mentis conuersionē, oris confessionem,& peccati vindictam, hoc tertium probat ex verbis Euangelicis iam allegatis: *Tunc*, inquit, *Benè conuersum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur*. Vnde Ioannes Baptista ait: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, Beda in Psal.4. *Facite*, inquit, *dignos fructus pœnitentiæ, tantùm pro singulis peccatis vos affligentes, quantùm digna expetit pœnitentia, quod erit sacrificium iustitiæ*. Christianus Duthmarus in ca. 3. Matth. *Fructum*, inquit. *dignum pœnitentiæ facere, est præterita mala fletibus punire, & bona è contrario agere,& male commissa eleemosynis redimere*. Petrus Damiani, ser.2. de S. Andrea, *Ne tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quidquid hic minus feceris, quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus*.

Hinc etiam B. Paulus, in epist. posteriore ad Corinth. ca.7. describens effectus pœnitentiæ, inter alios ponit vindictam: *Ecce*, inquit, *hoc ipsum contristari vos secundùm Deum, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*, siue autem hæc vindicta significet afflictionem, quàm pœnitens ad sua peccata punienda spontè suscipit, siue eam, quam pœnitenti Prælatus imponit, illud est certum, pœnitentiæ actionē ad peccata punienda referri. Proinde non est figmētum, vel commentum, sed Spiritus Sancti oraculum, quod Catholici de pœnitentia docent. Vide multo plura in lib.4. de pœnitentia, vbi de satisfactione disserimus. Quod verò attinet ad pœnam canonicam, quod erat vltimum membrum partitionis Kemnitij, verum est quidē minori seueritate hoc tempore pœnitentias iniungi, quàm Canones præscribant, tamen iniunguntur pœnitentiæ maiores, vel minores pro criminum varietate, nec imponuntur causa disciplinæ solius, sed etiam, vt suprà demonstratum est, in satisfactionem, vel satisfactionis partem. ac proinde relaxatio pœnæ iniunctæ per Indulgentias, in his etiam locum suum habet. Sed præter has omnes pœnas, est pœna Purgatorij, quam nemo negare potest, nō spectare ad fructus nouæ vitæ, nec ad carnis mortificationem, neq; ad flagella Dei particularia, neque ad Ecclesiasticam disciplinam, sed solùm ad castigationem peccatorum præteritorum,& ad reatum pœnæ remanentis post culpæ remissionem omninò expiandum. non esse autem hanc pœnam Purgatorij commentum, vel figmentum Catholicorum, sed dogma Scripturarum sanctarum, & confessionem totius Ecclesiæ etiam antiquissimæ, probatum est à nobis in priore libro de Purgatorio. Quare non deest pœna, quæ per Indulgentias vtiliter relaxetur, & argumentum Catholicorum, etiam vt à Kemnitio proponitur, vim suam habet, neque potuit ipse gladio spiritus (vt frustrà gloriabatur) neruos eius incidere.

CAPVT XIV.

Defenditur quartum argumentum Catholicorum.

QVartum Catholicorum argumentum desumi dicit Kemnitius, ex c. 1. ad Colos. vbi leguntur illa verba; *Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Vt autem hoc argumentū commodè refellat Kemnitius duo mendacia admiscet. Scribit enim hoc modo: *Hanc Pauli sententiam ita & intelligunt, & intelligi volunt, quòd passionibus Christi, quibus peccata nostra expiauit,& stipendium peccati sustulit, redimens nos à maledicto legis, aliquid defuerit, quò minus plena, perfecta, consummata, & sufficiens satisfactio esse possit pro peccatis nostris*. Hoc est primum mendacium, tam impudens,& crassum, vt nihil impudentius, vel crassius fingi queat, neque ex tanto numero scriptorum veterum, & recentiorum, qui de Indulgentijs scripserunt, vnum allegare poterit, qui dicat, quòd ipse fingit nos dicere. Imò summa cōsensione scriptores Catholici, cum Clemente VI. Pontifice in Constitutione, quæ incipit, Vnigenitus, docent, satisfactionē Christi fuisse infiniti pretij,& non solam plenè, & perfectè pro peccatis nostris Deum placasse, sed etiam placare potuisse pro peccatis infinitæ multitudinis hominū, si tot futuri fuissent. Adducit quidē Kemnitius Bonauenturam, quasi is dicat, *satisfactiones Sanctorum applicari ad pretium aliquod solutionis pro peccatis, ideò quia pretio Christi aliquid defuerit*. Sed illa verba postrema, (*ideò quia pretio Christi aliquid defuerit*) non habentur apud Bonauenturam: consulat lector locum ipsum, qui est in 4. sent. distinct. 20. part. 2. art. 1. qu. 2. ad 3. Alterum mendacium addit ibidē Kemnitius his verbis: *Illum verò defectum passionis Christi, supplendum esse dicunt passionibus Sanctorum*.

Quære quis hoc dicat ex Catholicis, & nullum inuenies. Dicunt quidem Catholici cum Innocentio Pontifice, ad cumulum thesauri accedere passiones Sanctorum, sed ad supplendum defectum passionis Christi, quam infiniti pretij esse fatentur, nemo dicit. His mendacijs suis, quasi nostra essent dogmata, refellendis deinceps occupatur, & probat, quod nemo negat, ideò Mediatorem debuisse esse Deum, & hominem, &c. Accedit posteà ad locum ipsum B. Pauli explicandum, & repetit, quæ Caluinus attulit, & ad quæ nos suprà respondimus; quæ hoc loco repetenda non duximus. Vnus tantùm est locus in tota hac disputatione à Kemnitio adductus, quem hactenus explicatum non memini: is est in Psalm. 48. vbi negat Dauid, posse fratrem à fratre redimi, aut pretium redemptionis eius Deo persoluere, ex quo probari existimat, non posse satisfactiones Sanctorum applicari ad reatum pœnæ pro alijs expiandum. Sed facilis est responsio. Nam tribus modis explicari potest, & solet ea sententia. Prima explicatio, eaque conformis Rabbinis Iudæorum est, quòd affirmet Dauid, neminem posse liberari à morte corporis propria virtute, vel potentia amicorum, aut consanguineorum. reprehendit enim illos, qui confidunt (vt habetur in versu superiore) in virtute sua, aut in multitudine diuitiarum suarum. & ait: *Frater non redimit: non redimet homo?* id est, Frater, qui coniunctissimus, & amicissimus est, non potest fratrem redimere à morte, quia mortem nemo potest effugere, quis igitur alius homo est, qui eum redimere possit? & in eundem sensum additur, neminem posse muneribus Deum placare, nec vitam vllo pretio redimere. Atque hic quidem sensus, nihil Kemnitium iuuat, quia non facit ad rem, de qua agimus. Altera expositio est Sancti Basilij in commentario huius loci, qui exponit has sententias de redemptione à à morte animæ, id est, à peccato, & Gehenna. vt hic sit sensus, Frater non redimit, ac multò minùs quiuis alius homo, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, omnes sunt captiui, omnes redimendi: ideò misit Deum redemptorem Christum, qui non est frater, nec homo sicut cæteri, sed est Deus homo iustus, & liber, qui neque redemptione indiget, & liberare omnes potest. Hæc explicatio nihil etiam iuuat Kemnitium, quoniam nō negamus, immò asserimus omnes Catholici, non potuisse nos redimi à morte animæ, & Gehenna per satisfactiones Sanctorum, sed Christi solius, *qui factus est nobis à Deo iustitia, & redemptio*, vt Apostolus loquitur in priore Epist. ad Corinthios, cap. 1. Tertia explicatio est S. Augustini in prima Concione in Psalmum prædictum, qui ita interpretatur, *Frater non redimit: redimet homo?* id est, Si Christus, qui frater noster fieri dignatus est, non te redimit, expectas, vt te redimat alius homo? non dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ, ille qui confidit in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum. Atque hucusque expositio S. Augustini, neq; causam Kemnitij, neque nostram iuuat. Loquitur enim de liberatione impij à captiuitate peccati, & dicit,

A non posse impium, qui in sua virtute confidit, liberari nec à se, nec ab alio, cùm à Christo liberatus non fuerit, non defectu Christi, qui pro omnibus mortuus est, sed defectu impij, qui redemptionem sibi applicari noluit. Nos autem in disputatione de Indulgentijs non loquimur de liberatione impij, sed de liberatione hominis iustificati à reatu pœnæ temporalis, de qua liberatione loquitur in sequentibus verbis S. Augustin. quæ verba hæresim Kemnitij manifestè refellunt. Addit enim Augustinus: *Qui sunt, qui dant pretium redemptionis animæ suæ? quibus ait Dominus, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiant vos in æterna tabernacula. Illi dant pretium animæ suæ, qui non cessant eleemosynas facere. Ideò illos, quos monet per Timotheum Apostolus, noluit esse superbos, ne in abundantia diuitiarum glorientur. deni-*
B *que quod possidebant noluit apud illos veterascere, sed aliquid ex eo fieri, vt esset pretium redemptionis animæ illorum. Thesaurizent,* inquit, *sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam, sic dabunt pretium redemptionis animæ suæ:* Hæc ille. Itaque S. August. non timet dicere, & ter repetere, homines iustos à Christo redemptos à morte animæ, dare per eleemosynas pretium redemptionis animæ suæ, iuxta illud, *Peccata tua eleemosynis redime:* quæ redemptio non potest alia intelligi nisi à reatu pœnæ remanente post redemptionem peccati, quoad culpā. Et si Augustino teste, potest quisque dare pretium redemptionis animæ suæ sine vlla iniuria Christi Redemptoris omnium, non debet videri mirùm, si nos dicamus, posse
C sanctos Martyres dare pretium aliquod redemptionis pro solo pœnæ reatu aliorum fidelium: non quòd Christi pretium non sufficiat, sed vt hac etiam ratione Martyrum passiones, & merita honorentur.

CAPVT XV.

Defenditur quintum argumentum Catholicorum.

QVintum argumentum pro thesauro Indulgentiarum sumi dicit Kemnitius ab illis Apostoli verbis, 2. Corinth. 8. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Ex hoc loco ita formari argumentum à Catholicis, affirmat idem Kemnitius, *Corinthij abundabant pecunia, sed inopes erant meritorum: contrà verò S. Hierosolymitani*
D *abundabant meritis spiritualibus, à pecunia verò malè parati erāt. Paulus igitur talem permutationem inter eos instituit, vt Corinthij præberent manus adiutrices conferendo largè pecuniam: & pro illa pecunia S. Hierosolymitani ex operibus suis supererogationis supplementum inopiæ Corinthiorum venderent, quod ad satisfactionem pro peccatis attinet.* Sed in duobus peccat Kemnitius; nam nec fideliter refert argumentum Catholicorum, nec solidè illud refellit. Catholici enim non dicunt Apostolum instituisse illam commutationem, vt Hierosolymitani venderent merita supererogationis Corinthiis: sed tantùm ex eo loco colligunt, eam esse in Ecclesia communicationem, vt alij alijs bona sua communicare soleant: nec solùm bona corporalia, sed etiam spiritualia inuicem præbere possint.

Ex quo

Ex quo sequitur, vt etiam vnus pro alio satisfacere,& aliorum passiones alijs applicari valeant. Nec tamen solidè argumentum Catholicorum,etiā vt ab ipso propositum est, Kemnitius refutauit. dicit enim in sequentibus per inopiam Corinthiorum,nō intelligi inopiam meritorum , sed inopiam prædicationis verbi Dei.& probat ex duobus locis eiusdem Apostoli. nam Rom.15. Apostolus scribens de eadem contributione eleemosynarum, ait,si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles,debent & ipsi in carnalibus ministrare illis. Quid verò per spiritualia intellexit applicari, dicit 1.Corinth.9. in illis verbis: *Si spiritualia vobis seminauimus, quid magni est, si carnalia vestra metamus?* Hæc ille,sed in priore loco Apostolus de spiritualibus donis generatim loquitur, nec restringit sermonem ad prædicationem. Verè enim Gentiles facti sunt participes donorum spiritualium , quæ in Hierusalem primùm effusa sunt à Deo,videlicet fidei,spei, caritatis, sacramentorum, miraculorum, &c. In posteriore autem loco non est sermo de ista communicatione bonorū, de qua nos agimus, sed de stipendio debito ex iustitia ijs, qui euangelizant . Hoc autem loco,videlicet 2.Corinth.8. Apostolus loquitur generatim de bonis spiritualibus, & temporalibus, nec debent eius verba restringi ad prædicationem . quod patet Primò, quia verba sunt generalia, *illorū abundantia vestram inopiam suppleat*. Secundò, quia non egebant Corinthij,vt mitterentur eis Prædicatores ex Hierusalem, iam enim plenè instituti erant. nam 1.Corinth.1. legimus de Corinthijs, *Iam diuites facti estis in Christo, in omni verbo , & in omni scientia*. & in hoc ipso cap.8. epistol.2. *sicut*, inquit Paulus, *in omnibus abundatis,fide,& sermone,& scientia, &c.* Tertiò, quia veteres Patres non exponunt hanc abundantiam spiritualem Hierosolymitanorum,de prædicatione verbi, vt vellet Kemnitius,sed de meritis,& precibus.Chrysostomus in hunc locum dicit,Hierosolymitanos abundasse integritate vitæ, libertate , & fiducia ad Deum,& horum bonorum futuros participes Corinthios,si eleemosynam pecuniariam,qua ipsi tunc abundabant, Hierosolymam misissent. nec multò aliter exponunt Theodoretus, & Theophylactus, & alij veteres Græci, S.Thomas exponit de precibus, vt sit sensus, Corinthios fore participes orationum , quas Hierosolymitani fundunt ad Deū, si eos bonorum suorum temporalium participes fecerint. Haymo in hunc locum addit etiam ieiuniū inter opera spiritualia Hierosolymitanorum, quorum participes erant futuri Corinthij,si eleemosynis illos adiuuissent: quam explicationē insinuare videtur Apostolus in eodem cap.8.extremo,cùm ait : *Ministerium huius officij, non solùm supplet ea, quæ desunt Sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerij huius glorificantes Deum in obedietia confessionis vestræ in Euangelio Christi, & simplicitate cōmunicationis vestræ in illos,& in omnes, & in ipsorum obsecratione pro vobis*. Sed de his satis,non enim in hoc testimonio fundamentum Indulgentiarum præcipuè consistit.

CAPVT XVI.

Defenditur sextum argumentum Catholicorum.

ARgumentum sextum , quod est postremum apud Kemnitium , sumitur ab articulo Symboli de communione Sanctorum. Catholici enim ex hac communione colligunt,posse satisfactiones, quæ Sanctis superfuerunt , id est, quibus ipsi , ad sua peccata purganda non eguerunt, applicari alijs fidelibus,quibus propriæ non sufficiunt. Aduersùs hoc argumentum Kemnitius nihil solidi adfert. Primùm enim explicationem odiosissimam eius articuli nobis affingit : *Communionem*,inquit,*Sanctorum largius, & latißimè interpretantur de meritis operum supererogationis, quæ non solis factoribus propria, sed communia sint omnibus fidelibus collata in cōmune quasi Ecclesiæ ærarium,ad quod solus Papa claues habeat, & pro data pecunia inde cuilibet vendat, quantùm visum fuerit*. Hæc ille. Vbi pro suo more calumniatur nos loqui de meritis supererogationis simpliciter, cùm nō loquamur nisi de satisfactionib9 siue de meritis,vt accipiūtur pro satisfactionibus ad reatum pœnæ expiandum , non vt accipiuntur propriè pro meritis gratiæ, vel gloriæ.Deinde iam sæpè diximus,non solùm non vendi à Pontificibus satisfactiones Sanctorum, sed etiam seuerissimè prohiberi,& puniri omnem speciem similium venditionum, quod ne ipse quidem Kemnitius ignorat, qui decreta Pontificum , & Conciliorum de his rebus vidit,& legit,& in suum librum, vt eum pleniorem faceret,transtulit. Deinde addit Kemnitius communionem Sanctorū, de qua in Symbolo fit mentio,tria significare. Primò, quòd Ecclesia sit societas quædam eorum,qui spiritu Christi sanctificātur,& membra vnius corporis mystici. Secundò, quòd in Ecclesia sint omnibus fidelibus communia bona quædam diuinitus collata, vt fides, Baptismus,remissio peccatorum,& vita æterna. Tertiò,quòd inter fideles,debeant esse communia officia caritatis, sicut exemplo membrorum corporis humani Paulus ostendit Rom.12. & 1.Corint.12. His expositis concludit , articulum illum fidei, non loqui de Indulgentijs Pontificijs, nec de meritis supererogationis , & ideò insigni deprauatione Pontificias Indulgentias in illum articulum intrudi. At neque nos dicimus, articulum illum fidei, loqui in specie de operibus supererogationis , vel de Indulgentijs,sed colligimus ex generali proprietate Ecclesiæ, posse vnum membrum ab alio iuuari, quod ipse etiam Kemnitius agnoscit in tertia significatione communionis Sanctorū. Nam si debent officia caritatis inter fideles esse communia, vt sunt inter membra eiusdem corporis, quid, quæso,prohibet,cur non possit vnus alteri satisfactionem suam communicare? Potest ex Apostoli sententia ad Galat.6.propter communionem membrorum Ecclesiæ , alter alterius onus portare ; cur non poterit alter pro pœna alteri debita satisfacere ? Potest ex sententia S.Augustini epist.23. & lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap.decimo octauo, vnus pro alio credere , vt fit in Baptismo paruulorum,cur non poterit vnus pro alio pati? sed audi eundem Augustinum , tractat.33. in

Ioan. de communione Sanctorum differentem, *Oculus, inquit, solus videt in corpore, sed numquid soli sibi oculus videt? & manui videt, & pedi videt, & cæteris membris videt. non enim si aliquis ictus in pedem veniat, auertit se oculus inde, vt non præcaueat: Rursus sola manus operatur in corpore, sed numquid sibi soli operatur? & oculo operatur. nam si ictus aliquis veniens non eat in manum, sed tantùm in faciem, numquid dicit manus non me moueo, quia non tendit ad me? sic pes ambulando omnibus mẽbris militat. mẽbra cætera tacent, & lingua omnibus loquitur.* Hæc ille. Quæ si applicentur ad fideles, qui membris illis corporis significantur, licebit sine dubio dicere, eum, qui ieiunat, qui facit eleemosynam, qui orat, qui persecutionem iniunctam patienter tolerat, qui vincula, qui verbera, qui mortem pro Christi fide patitur, non sibi soli hęc agere, vel pati, sed etiam alijs, præsertim si ipse non habeat peccata, quæ istis passionibus purget.

Adiungit obiter Kemnitius tria alia Scripturæ testimonia, quæ perperam à Catholicis adduci affirmat. Vnum est Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* & dicit illud *particeps*, significare voce Hebraica, & Græca (*Socium*) & sensum eorum verborum esse, Dauidem publica confessione ostendisse se sociũ, & amicum aliorum piorum timentium Dei: sed indoctos nescio quos inde fecisse pontificale participium, ad probandum per Indulgentiarum nundinationem partem pecuniarum accipere à clero, partem à populo, partem ab vtroque. Sed nullus Catholicus est, qui ita exposuerit, vt illud *particeps ego sum* retulerit ad Pontificem, qui tribuit Indulgentias. omnes enim referunt ad ipsos fideles, qui cùm socij, & amici sint aliorum fidelium piorum, participant etiam ipsorum bona, quoniam sociorum, & amicorum omnia sunt communia, vt pulchrè S. Augustinus ostendit tractat. 33. in Ioannem, vbi adeò dicit omnia esse communia pijs fidelibus, vt omnes dicere possint se loqui omnibus linguis, sicut loquebantur olim, qui visibiliter accipiebant Spiritum sanctum, quoniam linguæ omnium fidelium toto terrarum orbe dispersorum singulis sunt communes per charitatem, qua sumus omnes vnum in Christo. Itaque qui dixit; *Sociũ & amicus sum omnium timentium te*, consequenter etiam dixit, *particeps sum omnium bonorũ, quibus præditi sunt omnes, qui timent te.* Alterum testimonium est in Psal. 121. *Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.* Hoc testimonium perperam allegari dicit à Lindano pro communione Sanctorum, & thesauro Indulgentiarum, cùm tamen constet ex verbis sequentibus, sensum illorum verborum esse, Hierusalem ita ædificari, vt ciuitas, in qua sit coniunctio, seu consociatio talis, *vt illuc ascendant tribus Domini ad testimonium Domini, & ad iudicia.* Sed hæc est nimia contradicendi libido. non enim Psalmus dicit esse in Hierusalem participationem, siue consociationem solùm ad ascendendum ad testimonia Domini, & ad Iudicia, sed dicit, Hierusalem, id est, Ecclesiã ædificari instar ciuitatis pacatissimæ, & concordissimæ in qua sit participatio in id ipsum, id est, participatio simul omniũ in vnum,

A vt sint omnia omnium. id verò probat Psalmus, quia illuc ascẽdunt tribus Domini, id est, variæ tribus, variæ gentes, & nationes conuersæ ad Dominum, & licèt sint tam multę, & tam variæ, tamen conueniant in eadem confessione fidei, & in ijsdem legibus, & iudicijs, &cæt. Tertium testimoniũ dicit esse illud Psal. 149. *Ad faciendam vindictam in nationibus, ad alligandos reges eorum in compedibus, &c.* Sed adscribere debuisset, vbi legerit hoc testimonium pro Indulgentijs citatum. ego enim legi ferè omnes, qui inter Catholicos de Indulgentijs scripserunt, nec apud vllum inueni hunc locum inter alios adductum: nihil autem facilius est, quàm argumenta à se conficta refutare.

CAPVT XVII.

B *Respondetur ad caput 4. disputationis Kemnitij.*

IN quarto capite disputationis suæ Kemnitius probare aggreditur Indulgentias Pontificias veteri Ecclesiæ per annos mille, & ducentos fuisse incognitas. Id verò probat primò testimonio Durandi, S. Antonini, & Roffensis, qui id fatentur. Deinde quia nulla inuenitur mentio Indulgentiarum apud Anselmum, Rupertum, Bernardum, Petrum Lombardum, & Gratianum, qui proximè præcesserunt annum millesimum ducentesimum. Postremò, quia veteres Patres, Chrysostomus, Nyssenus, Augustinus, Bernardus, & Petrus Lombardus, Indulgentias nondum natas scriptis suis confutarunt. Sed, vt à primo incipiamus, non ideò Indulgentiæ non sunt antiquæ, quia duo, vel tres ex Catholicis, id non legerunt in veterum libris. Neque tres isti auctores negant Indulgentias fuisse cognitas tempore Anselmi, Bernardi, Ruperti, Petri Lombardi, & Gratiani, vt Kemnitius dicit, sed tempore Hieronymi, & Augustini, & aliorum veterum, qui primis quingentis annis floruerunt.

C Ac, vt omnes intelligant, Kemnitium apertè mentiri: Alexander eius nominis tertius Pontifex Maximus sedere cœpit an. Domini 1159. is verò Pōtifex in epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem scribens, respondet quæstioni sibi propositæ, an Indulgentias ab aliquo Episcopo concessas, lucrari possint ij, qui non sunt eidem Episcopo subiecti, ac dicit non posse, quia nemo potest nisi à suo iudice ligari, vel solui. & habetur hoc Rescriptum in iure, c. Quod autem, de pœnitent. & remiss. Videmus autem hoc loco mentionem Indulgentię, vt rei non tunc primùm institutæ, sed visitatæ, & receptæ. Igitur mentitur Kemnitius pagin. 274. cùm sic loquitur, *In hac de Indulgentijs disputatione non possunt, vel vlla Patrum testimonia, vel vlla veteris Ecclesiæ exempla proferre, quòd talis vel doctrina, vel vsus talium Indulgentiarum vllo vmquam tempore vsque ad annos post natum Christum mille ducentos in veteri Ecclesia fuerit.* Eugenius III. Pontifex sedere cœpit anno millesimo centesimo quadragesimo quinto. Is autem per literas generales concessit Indulgentiam accipientibus Crucem, & proficiscẽtibus ad bellum sacrum: & S. Bernardo iniunxit, vt eas Indulgentias prædicaret populis eosque ad bellum illud accenderet. Paruit S. Bernardus Pontifici, & prædicationem suam innumerabilibus,

D

bilibus,

bilibus, & maximis miraculis confirmauit, vt ipse modestè indicat initio libri 2. de consideratione, sed copiosius rem totam narrat auctor Vitæ ipsius lib. 3. cap. 4. Ergo mentitur Kemnitius, tum cùm ait ante annum 1200. non fuisse notas Indulgentias, tum cùm apud Bernardum nullam huius rei mentionem extare confirmat, & cùm Petrus Lombardus, & Gratianus eodem seculo floruerint, fieri non potest, quin ipsi quoque Indulgentias nouerint. Paschalis secundus Pontifex sedere cœpit anno 1099. & in Concilio quodam Lateranensi anno 1116. celebrato, Indulgentias quadraginta dierum concessit ijs, qui limina Apostolorum visitauerant, vt Conradus Abbas Vrspergensis in Chronico suo testatur. & quoniam eo tempore florebat Rupertus Abbas Tuitiensis: mentitur Kemnitius, qui dicit tempore Ruperti nondum Indulgentias Pontificias orbi terrarum innotescere cœpisse, nec ante annum 1200. innotuisse. Vrbanus II. Pontifex sedere cœpit anno 1088. & eius tempore S. Anselmus floruit. Scribit autem idem Conradus Abbas Vrspergensis in Chronico anni 1099. prædictum Vrbanum in Concilio Claramontano Indulgentiam concessisse omnibus, qui spontè aduersus Infideles Orientales arma sumebant, cui^o rei multi alij meminerunt. Mentitur igitur Kemnitius, cùm tam audacter scribit, tempore S. Anselmi, & ante annum 1200. Indulgentias cognitas non fuisse. Quid nunc addamus Gregorium VII. qui sedere cœpit anno 1073. & in epistolis suis frequentissimè concedit Indulgentias. Sergium II. qui sedere cœpit anno 844. & Indulgentiam tribuit adeuntibus Ecclesiam S. Martini in montibus, cuius memoria extat incisa in lapide marmoreo literis vetustissimis. & Leonem III. qui sedere cœpit anno 796. & Indulgentias varias multis in locis in ipsa Germania constituit, teste S. Ludgero in vita S. Suiberti? An non euidenter mendacij Kemnitius conuincitur, qui veteres omnes historias legisse videri vult, & tamen affirmare nō veretur ante annum 1200. ignotas fuisse orbi terrarum Indulgentias Pōtificias? Neque mirum videri debet, si auctores antiquiores non multos habemus, qui harum rerum mentionem faciant, quoniam plurima sunt in Ecclesia, quæ solo vsu, sine literis conseruantur. Extant tamen Romæ in antiquissimis Ecclesijs memoriæ Indulgentiarum à multis Pontificibus, & ab ipso etiam S. Syluestro, qui ante annos 1200. floruit, concessarum. Sed ea, quæ diximus ad mendacia Kemnitij confutanda sufficere videntur.

Venio nunc ad testimonia veterum scriptorum, quæ profert Kemnitius aduersus Indulgentias nondum natas. Primò igitur adducit Petrum Lombardum, qui lib. 4. sent. dist. 18. dicit Deum tunc tegere pœnitentium peccata, quando ad pœnam non reseruat, sed debitum pœnæ remittit, idq; probat ex Augustini sententia in explicatione Psalmi 32. sed in eodem loco solutio est huius obiectionis. Significat enim Petrus Lombardus de pœna æterna intelligendum esse, quod dicitur, Deum tegere peccata, cùm ea non reseruat ad pœnam. *Et ideo*, inquit, *sicut interius gratia sua animam illu-*

A *minat, ita & simul debitum æternæ mortis relaxat: ipse enim per seipsum peccata pœnitentium tegit: & tunc tegit, quando ad pœnam non reseruat.* & paulò infra, *Ita ergo* (inquit) *dicit à Deo tecta, vt Deus non videat, id est, æternaliter puniat.* Quod autem pœna temporalis remaneat post remissam culpam, in hac vita, vel in Purgatorio luenda, docet Petrus Lombardus distin. 20. lit. B. his verbis, *Qui*, inquit, *ante expletionem pœnitentiæ discesserint, ignem purgatorium sentient, & grauius punientur, quàm si hic impleßent pœnitentiam. Horrendum enim est incidere in manus Dei viuentis. Deus enim, cùm sit misericors, & iustus ex misericordia pœnitenti ignoscit, non reseruans peccatum ad pœnam æternam: ex iustitia verò impunitum non dimittit delictum, aut enim punit homo, aut Deus, &c.* & paulò post liter. D. docet

B posse pœnitentem, præsertim post mortem, iuuari aliorum satisfactionibus per orationes, & eleemosynas. Itaque Petrus Lombardus illa omnia disertis verbis affirmat, quæ fundamenta esse Indulgentiarum Kemnitius fatetur: videlicet Purgatorium, pœnæ reatum post culpam remissam, & communicationem satisfactionis alienæ.

Secundo loco adducit Kemnitius Chrysostomum ho. 1. in epist. ad Philemonem, vbi legimus, ad impetrandam peccatis nostris veniā, non opus esse vel pecunias impendere, vel peregrinando ad loca longinqua transire. Eamdem sententiam habet Aug. in ser. de Martyribus, *Non dixit Deus, vade in Orientem, & quære iustitiam, nauiga vsque in Occidentem, vt accipias*

C *Indulgentiam, dimitte inimico tuo, & dimittetur tibi, &c.* Bernardus etiam ser. 1. de Aduentu, *Non te oportet, ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est, non grandis tibi ostenditur via, vsque ad temetipsum occurre Deo tuo.* Sed hęc testimonia nihil efficiūt, primùm enim loquuntur de iustificatione impij, ac remissione culpæ, non de solo reatu pœnæ: de quo nos loquimur. Deinde solùm probant, nō esse absolutè necessariam ad remissionem peccatorum, vel peregrinationem, vel eleemosynam, alioqui enim pauperes, & ægrotantes, spe omni carerent. & satis nouimus, posse hominem per internam conuersionem ad Deum ita vehemēter accendi in amorem Dei, & de peccatis suis dolorem, cum proposito confessionis, vt continuò recipiat remissionē

D omnium culparum, & pœnarum. Sed non ideò sunt inutiles peregrinationes, & eleemosynæ, & hoc solùm contendimus aduersus Hæreticos: ac, vt omittam de eleemosynis dicere, de quorum vtilitate ad redimenda peccata pleni sunt libri Patrum, ac præsertim Chrysostomi & Augustini, & nos ostendimus in libro de eleemosyna, qui est postremus in controuersijs nostris. Certè idem Chrysostomus mirificè laudat peregrinationes ad sepulchra Martyrum in hom. 66. ad populum Antiochenum. Sanctus etiam Augustinus in epist. 137. ad Clerum, & populum Hipponensem scribit, se auctorem fuisse, vt quidam ad loca sancta peregrinationem susciperent. Denique S. Bernardus Petrobrusianos Hæreticos confutauit, qui præter alios errores, hunc etiam habebant, vt peregrinationes fidelium ad loca sancta

reprehenderent. Vide vitam Sancti Bernardi lib.3.cap.5.

Tertiò Kemnitius adducit Chrysostomum hom. 38. in Matthæum, vbi dicit, eos de templo Dei speluncam latronum facere, qui lucra terrena sectantur, & Christum quotidie intrare templum Dei, & eijcere omnes vendentes gratiam Dei. Sed quorsum hæc tendunt? An fortè omnes, qui auaritiam in Sacerdotibus reprehendunt, continuò etiam Indulgentias reprehendunt? An non sæpissimè repetiuimus, non solùm non probari Summis Pontificibus eos, qui quoquo modo ex Indulgentijs negotiationem faciunt, sed maximè improbari, damnari, puniri.

Addit vltim. Kemnitius, se alio in loco demonstrasse, Gregorium Nyssenum integram orationem opposuisse persuasioni de peregrinationibus ad loca Hierosolymitana. cui respondemus, nos quoque alio in loco, id est, lib. 3. de cultu Sanctorum, ca. 8. demonstrasse testimonijs Scripturæ, & veterum Patrum, nec non argumentis alijs peregrinationes ad loca sancta pias, & Deo gratas, & nobis vtilissimas esse: Gregorium verò Nyssenum non reprehendere peregrinationes absolutè, sed docere quibusdam personis, vt Monachis, & sanctimonialibus non conuenire, cùm eorum proposito magis conueniat quies, & solitudo: quamuis etiam non sit omninò certum, an ea oratio Gregorij sit.

CAPVT XVIII.

Respondetur ad primam partem argumenti historici contra Indulgentias.

IN vltimo capite disputationis suæ Kemnitius historiam longissimam texit, vt originem Indulgentiarum, quales à Catholicis defenduntur, nouam esse demonstret. Continet autem ea historia tria tempora, vnum ab initio Ecclesiæ vsque ad annum circiter nongentesimum, alterum ab anno nongentesimo ad millesimum ducentesimum: tertium ab anno millesimo ducentesimo ad annum millesimum, quingentesimum septimum decimum, quo tempore, auctore Luthero, extinctas Indulgentias Kemnitius gloriatur. Ac primo quid in tempore Indulgentias nihil aliud fuisse contédit, nisi relaxationes publicæ pœnitentiæ, sed eas relaxationes nihil habere commune cum Indulgentijs Pontificijs, de quibus instituta controuersia est. Sed antequam ad rem propositam veniat, longissima digressione refert multa de ritibus publicæ pœnitentiæ, de causis eiusdem, ac demum de canonibus pœnitentialibus, vbi ad verbum describit canones Conciliorum Nicæni, & Ancyrani, nec non eos, qui habentur apud Burchardum, & Gratianum. Quoniam enim iam dudum Lutherus ius Canonicum publicè exussit, & eiusmodi ritus, & leges non solùm de moribus, sed etiam de memoria, & libris Lutheranorum exciderunt, voluit Kemnitius commemoratione harum rerum doctrinam reconditam, & abstrusam venditare, vt cæteris diligentior, ac doctior haberetur. Et quamuis non desint in hac digressione multa, quæ falsitatis coargui potuissent, tamen quia ad rem præsentem non

A faciunt, nó existimaui tempus esse in his commemorandis, vel refellendis conterendum. illud vnum præterire non possum, Kemnitium inter scripta veterum reuoluenda, non rarò inuenisse quod minimè volebat. Nam cùm ipse cum Lutheranis ceteris contendat, pœnitentias veterum disciplinæ causa, non autem satisfactionis coram Deo, & redemptionis, vel expiationis peccatorum institutas, tamen fatetur se hoc etiam postremum apud Patres non rarò legisse, ac pro sua modestia, & aduersus antiquissimos Patres reuerentia, eos non obscurè reprehendit. sic enim loquitur pag. 306. *Nec vero nescius sum, veteres aliquando nimis largiter, & verbis nimium magnificis, disciplinam illam canonicam commendare: vt quod Tertullianus dicit, satisfactionibus illis peccata expiari: Cyprianus illis dicit peccata redimi, ablui, sanari, & Iudicem placari: Augustinus Deum illis de peccatis*

B *præteritis propitiari. Ea talia sunt, quæ salua fide,* (Lutherana videlicet) *nec possunt, nec debent, sicut sonant, accipi, & intelligi.* Hæc ille. Sed profectò iustiùs erat nouos Lutheranorum errores ex doctrina veterum Patrum corrigere, quàm ex nouis istis erroribus de veterum Patrum doctrina, & sententijs iudicare. Porrò digressione illa aliquando expedita pagin. 318. aggreditur ad probandum, Indulgentias olim nihil aliud fuisse, nisi moderationes, relaxationes, & remissiones mulctarum canonicarũ, quæ in publica pœnitentia vsitatæ tunc erant. Id verò probat ex Canonibus Conciliorum Ancyrani, Nicæni, & Agathensis, & tandem his verbis concludit, *Hæ fuerunt veteres Ecclesiæ, siue*

C *relaxationes, siue Indulgentiæ, à quibus, quemadmodum Pontificiæ Indulgentiæ per omnia genera causarum diuersæ sint, ex hac narratione, & ex descriptione Indulgentiarum in principio exposita, si fiat collatio, manifestum est, atque ideò nudam tantùm pono recitationem relinquens lectori collationem diuersitatis.* Respondeo, Relationes pœnitentiæ Canonicæ per omnia genera causarum cum ijs Indulgentijs conuenire, quas Catholici defendunt, & quas Kemnitius supra non fideliter, sed admistis mendacijs explicauit. Causa enim veluti efficiens Indulgentiarum iuxta Catholicorum omnium sententiam, Episcopi sunt, ac potissimum Romanus Episcopus, qué Episcopum Episcoporum Tertullianus in libro de Pudicitia nominauit. Constat autem tum veteres relaxationes, tum recentiores Indulgentias non ab alijs, quàm ab Episcopis da-

D ri solere, vel posse. Causa formalis est ipsa liberatio, siue iudicialis absolutio per ministerium clauium à pœnis in foro pœnitentiario debitis. quod totum in vtrasque remissiones tam veteres, quam recentes conuenire non dubium est. Causa materialis, siue sint ipsi pœnitentes, qui absoluuntur, siue pœna, circa quas versatur absolutio, eadem omnino vtrobique reperietur. nam & veteres, & recentiores Episcopi, non alijs quàm pœnitentibus Indulgentias tribuunt, nec alias pœnas, quam in foro pœnitentiario debitas relaxant. quod autem tunc relaxarentur pœnæ iniunctæ, nunc autem tum iniungendæ, tum iniunctæ, ratio est, quoniam tunc iniungebantur seueriores pœnitentiæ, quæ sæpe delictis æquales erant,

nunc

nunc autem iniunguntur mitiores, quæ delictis impares sunt: sed siue pares, siue impares iniũgantur, omninò pares in hac vita, vel in alia perferendę sunt, nisi misericorditer relaxẽtur. Atque ad hoc probandum adduximus suprà capite 13. testimonium sancti Cypriani, qui in epist. 2. lib. 4. ad Antonianum apertissimè scribit, eos, qui in hac vita non plenè satisfecerunt, emendandos, & cruciandos igne Purgatorij in alia vita, donec reddant nouissimum quadrantem. Ac, vt non repetam tam multa, quæ alibi diximus, vnius S. Augustini vno, vel altero testimonio contentus ero. Hunc enim auctorem præter ceteros, etiam Hæretici nostri temporis magni faciunt. Igitur S. Augustinus in Psal. 37. in illa verba, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* illos dicit argui in furore, quibus dicitur, *Ite maledicti in ignem æternum*, illos autem corripi in ira, qui emendantur igne purgatorio. *Neque* (inquit) *in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem.* & paulò post, *Quare petit iste, ne in indignatione arguatur, neque in ira emendetur, tanquam dicens Deo, quoniam ista, quæ patior, multa sunt, quæso vt sufficiant, & incipit illa numerare satisfaciens Deo, offerens illa, quæ patitur, ne peiora patiatur.* Audis ne Kemniti, per pœnas huius vitæ patienter toleratas satisfieri Deo? audis, eos, qui hîc non plenè purgantur in alia vita igne purgatorio emendandos? & rationem horum omnium idem Augustinus reddit in Psal. 50. cùm ait: *Veritatem dilexisti, quoniam impunita peccata etiam eorum, quibus ignoscis, non dimisisti, sic prorogasti misericordiam, vt seruares & veritatem. ignoscis confitenti, ignoscis, sed se ipsum punienti. Sic seruatur misericordia, & veritas.* Quid clarius dici potuit ab vllo Scholastico Doctore? Atque hæc est etiã causa, cur in priore libro dixerimus, tum ad veteres relaxationes, tum ad recentiores Indulgentias thesaurum satisfactionum Christi, & Sanctorum applicandum fuisse, quoniam misericordia cum iustitia in omnium relaxatione coniungenda est. Itaq; etiam in hac re similes sunt Indulgentiæ veteres, & nouæ. Restat causa finalis, quæ saltem in genere semper eadem fuit, gloria Dei, & vtilitas Ecclesiæ. Nam antiqui pœnitentias relaxabant, vel quando necesse erat lapsos ad Martyrium per communionem, & Sacramenta præparare, vel quando timebant, ne pœnitentes sub onere deficerent: vel quando negligentiores ad studium pœnitentię accendere cupiebant, hoc veluti præmio relaxationis, quod diligentioribus præbebatur, vel quando Martyres, qui pro pœnitentibus Episcopos rogabant, honorare, & eo modo reliquos fideles ad martyrij gloriam prouocare volebant. Denique nunquam deerat rationabilis causa, cur sancti illi Patres pœnitentias iniunctas moderandas, vel remittendas iudicarent. Posterioribus quoq; temporibus semper causa Indulgentiæ concedendæ, vel fuit recuperatio terræ sanctæ, vel subuentio pauperum, vel exercitatio fidelium ad preces, & opera pœnitentiæ, vel alia similis rationabilis, & pia: neque poterit Kemnitius, quamuis

A multas fabulas à suis confictas recitet, producere vnum aliquod Pontificium diploma, vbi pro pecunia ipsi Pontifici numeranda, vel alia, siue turpi, siue profana, siue leui causa Indulgentiæ concedantur. Habemus igitur omnia genera causarum eadem fuisse in Indulgentijs antiquis & nouis. Vnum discrimen in medium adferri posset, quod veteres illi Episcopi singulis pœnitentibus pœnas relaxabant, nunc autem plerumque in communi omnibus relaxantur, qui certa opera sibi iniuncta præstiterint. sed neq; est hoc essentiale discrimen. neque eiusmodi communes Indulgentiæ antiquis temporibus defuerunt. attulimus enim supra certa testimonia de Indulgentijs communibus, à Sergio II. Leone III. & Gregorio

B I. concessis, qui omnes ante annum millesimũ sederunt. nec desunt probabiles coniecturæ de Indulgentijs à Paschali I. & Syluestro I. in cõmune propositis.

CAPVT XIX.

Respondetur ad alteram partem argumenti historici contra Indulgentias.

Altera pars historiæ Kemnitij continet ea tempora, quibus pœnitentiæ redimi cœperunt. Scribit enim Burchardus ex pœnitentiali Romano, eum, qui vno die in pane, & aqua ieiunaturus erat, potuisse ieiunium illud commutare, seu redimere, si quinquaginta Psalmos flexis genibus recitasset, & pauperem vnum eo die pauisset, & eodem modo alias pœnitentias alijs redimi, vel in alias com-

C mutari per ea tempora licuisse. Quando hæ redemptiones propriè cœperint, non ita certò constat, sed Burchardus, qui de illis scribit, circa annum Domini millesimum vicesimum floruit: sed extat etiam mentio harum redemptionum in Concilio Triburiensi can. 56. & 58. quod Concilium tempore Arnulphi Imperatoris anno 896. celebratum est. De his igitur redemptionibus nonulla Kemnitius dicit, quæ discussione indigere videntur. Primum pag. 323. scribit circa hæc tempora, accessisse ad opera pœnitentiæ opinionem de opere operato. quod ipsum inferius aliquoties repetit. Vocat autem opinionem de opere operato, quo credere cœperint homines, his operibus satisfieri Deo pro peccatis, & necessarias esse eiusmodi satisfactiones non solùm causa disci-

D plinæ, sed etiam ad placandum Deum. In qua re bis errat Kemnitius, primùm in nomine, deinde in re. neque enim intelligit, quid Catholici Theologi per opus operatum significare voluerint. nam si id intelligeret, certè non diceret, opera pœnitentiæ ex sententia Catholicorum vim habere ex opere operato. Quid igitur Catholici opus operatum vocant? id quod non pendet à dignitate, vel sanctitate Ministri operantis, sed hoc ipso, quod sit, ex diuina institutione vim habet. Talis est, exempli causa, Baptismus, qui vim habet sanctificandi ex diuina institutione, & re vera sanctificat, etiam si ab homine improbo, & perdito conferatur. At opera pœnitentiæ ex Catholicorum doctrina nihil efficiunt, hoc est, non placant Deum, non satisfaciunt pro peccato, non expiant pœnæ reatum, nisi fiant ab

homine

homine iustificato, & reconciliato. proinde ex opere operantis, non ex opere operato vim habent, quando non sunt pars Sacramenti pœnitentiæ, sed spontè assumuntur ad placandum Deum, eique pro reatu pœnæ satisfaciendum: quando autem sunt pars Sacramenti, tunc quidem vtroque modo vim habent: sed Kemnitius loquitur de his operibus priore modo, neque vult ex sententia Catholicorum eam habere ex opere operato, quia sunt pars Sacramenti, sed quia assumũtur ad placandũ Deum. Atq; hæc de hallucinatione Kemnitij circa nomen. Quod autem ad rem attinet: iam ipse citauit, & reprehendit Tertullianum, Cyprianum, & Augustinum, qui scripserunt opera pœnitentiæ placare Deum, & per ea redimi peccata, sanari, ablui, expiari. & nos addidimus alia testimonia Cypriani, & Augustini, quibus probatum est necessaria esse opera pœnitentiæ ad satisfaciendum Deo pro peccatis, alioqui in vita futura, eluenda esse grauissimis pœnis in igne Purgatorij. Non igitur verum est, his tēporibus, id est, circa annum Domini millesimum accessisse opinionem de necessitate, & efficacia satisfactionum: cùm ea opinio, vel potius certa fides in Ecclesia Catholica semper fuerit.

Secundò Kemnitius addit, ex illis redemptionibus, & commutationibus pœnitentiarum secutam esse languefactionem (sic enim ipse loquitur) veræ contritionis, euersionem seriæ emendationis, & persuasionem impunitatis in delictis. Sed mirum est, cur hoc dicat, cùm illæ redemptiones grauissimæ pœnitentiæ fuerint, & non omnium pœnitentiarum, sed solùm aliquarum redemptiones permitterentur. & si veteres Patres rectè interdum relaxabant, ac remittebant iniunctas pœnitentias: cur vitio verti debet posterioribus Patribus, quòd easdem pœnitentias alijs commodioribus redimi, vel in alias faciliores commutari posse censuerint? Certè apud Lutheranos non opus est redimere ieiunia eleemosynis cùm nulla sint amplius apud eos indicta ieiunia: nec pœnitentibus opus est quærere quibus operibus redimant impositas pœnitentias, cùm Lutherus eorum Patriarcha scripserit in libro de captiuit. Babylonica, de Baptismo, omnia peccata in momento absorberi, si stet, vel redeat fides. Sed de his sæpe diximus.

At inquit Kemnitius, in Concilio Cabilonensi sub Carolo Magno, teste Burchardo, extat canon contra eos, qui de industria peccabant, & propter eleemosynarum largitionem impunitatem peccandi sibi promittebant. Item contra alios, qui putabant, se à peccatis omnibus posse purgari, si Romam, vel Turonum, aut alia sancta loca sub prætextu orationis pergerent. Extant quidem isti canones, & sanctè, prudenterque statuti sunt aduersus eos, qui sine vera conuersione ad Deum, immò cum proposito perseuerandi in peccatis, satis sibi esse ducebant, si eleemosynis, vel peregrinationibus operam darent. Sed hæc vitia sunt hominum, non canonum, neq; enim canones, qui redemptionē permittebant, volebant fieri sine vero proposito dimittendi peccata, vel sine vera contritione, & conuersione ad Deum.

A Postremò adiungit Kemnitius, ex his redemptionibus pœnitentiarum paulatim ortas esse modernas Indulgentias, quibus per opera indebita Sanctorum peccata redimi posse dicuntur. Sed hoc falsum esse manifestè patet, ex eo quòd Indulgentiæ, quales nunc sunt in vsu Ecclesiæ, antiquiores sunt redemptionibus illis pœnitentiarum. Nam redemptiones illæ cæperunt circa annum millesimum, vel nongentesimum, & Indulgentias, quales nunc sunt in vsu fuisse ostendimus per certissima testimonia diu ante annum nongentesimum tempore Sergij II. Leonis III. & Gregorij I. Neque Kemnitius aliud profert ad probanda, quæ dicit, nisi suas, easque leuissimas coniecturas.

CAPVT XX.

B *Respondetur ad tertiam partem argumenti historici contra Indulgentias.*

POstrema historiæ pars continet ea tempora, quibus Kemnitius conatur ostendere originem habuisse Indulgentias, quę nunc sunt vsu receptæ. Ac primùm fatetur, quod est verissimum summæ antiquitatis argumentum, non esse vsquam annotatum, quo tempore cœperint Indulgentiæ. Deinde refellere conatur, quod Catholici dicunt, tempore S. Gregorij, id est, anno Domini sexcentesimo, iam fuisse in vsu Ecclesię Indulgentias, cùm traditio antiqua habeat, ab ipso S. Gregorio additas fuisse stationibus Indulgentias. Refellit Kemnitius eam Catholicorum sententiam, illo solùm argumento, quia nihil de hac C re in scriptis S. Gregorij, vel in historijs eorum temporum inueniatur. Sed argumentum nullas habet vires, cùm constet eiusmodi concessiones non libris, sed vsu, & consuetudine cōseruari. Nam etiam de Indulgentijs à Leone III. in tot locis Germaniæ constitutis, nihil extat in eius epistolis, quas satis multas scripsit, neq; in historijs vniuersalibus eorum temporum. & nisi incidisset occasio, vt S. Ludgerus vitam S. Suiberti scribendam susciperet: sciremus quidem Aquisgrani, & Coloniæ Indulgentias à Leone III. concessas haberi, sed nullo certo teste id probare possemus. quomodo etiam nisi S. Innocentius primus necessitatem habuisset rescribendi Decentio Episcopo Eugubino, sic sciscitanti, an Episcopus deberet con-D ferre Sacramentum vnctionis extremæ, an solus presbyter, certè non haberemus testimonium vllius auctoris illius temporis pro Sacramento illo. Siquidem de ijs rebus, quæ sunt in vsu communi fidelium, non scribebant Patres, nisi coacti ab Hæreticis, aut alia simili necessitate. Itaque ad probandum à S. Gregorio Indulgentias stationibus adiunctas fuisse, multò amplius valere debet S. Thomæ, & Gulielmi Altisiodorensis grauissimorum virorum affirmatio, quàm silentium omnium aliorum. Quod enim aliquid verum sit, etiamsi à multis scriptum non sit, facilè credi potest: at falsum esse, quod à viris grauissimis, ac fide dignissimis affirmatur, non facilè credi debet. Obiter autem Kemnitius, cùm stationes nominasset, addere voluit, quæ sit notio eius vocis: & quia stantes, inquit, verbum audiebant,

& orationes faciebant, dictæ sunt stationes. Sed longè aberrat à vero: stationes enim dictæ sunt militari vocabulo, vigiliæ quædam spirituales Ecclesiæ, quæ vel ob imminentem persecutionem, vel alia de causa in ieiunijs,& oratione perseuerabãt, vsq; ad horam diei nonam, aut etiam vsque ad vesperam. simul enim ieiunium, & statio soluebantur. Et quemadmodum milites in excubijs vigilantes in statione esse dicuntur, siue stent, siue sedeant, siue obambulent, sic etiam Christiani stationem celebrare dicebantur, cùm in oratione, & ieiunio tota die perseuerarent, siue stando, siue prostrati ad terram, siue genibus positis, siue alio quouis modo Dominum precarentur. De qua re vide Tertullianum in lib. de fuga in persecutione, in libro de ieiunio, & in libro de oratione, & quæ nos scripsimus in libro 2. de bonis operibus in particulari, cap. 22.

B Deinde Kemnitius addit nihil de Indulgentijs inueniri in scriptis Burchardi, Gratiani, & Petri Lombardi, atque inde concludit, Indulgentias ortum habuisse circa annum Domini millesimum ducentesimum, cui argumento nos supra respondimus, capit. 17. vbi ostendimus ex testibus certis, Indulgentias multò esse antiquiores. ac vt videas, Lector, quàm verum sit prouerbium, mendacem memorem esse debere: scripsit Kemnitius supra pag. 274. hæc verba, *In hac de Indulgentijs disputatione, non possunt vel vlla Patrum testimonia; vel vlla veteris Ecclesiæ exempla proferre, quòd talis, vel doctrina, vel vsus talium Indulgentiarum vllo vnquam tempore ad annos post natum Christum mille ducentos in veteri Ecclesia fuerit.* Et idem repetit pag. 275 affirmans nullum auctorem scripsisse de Indulgentijs ante annum Domini 1200. & tamen pagin. 332. scribit Kemnitius Alexandrum III. Pontificem circa annum Domini 1170. scripsisse de Indulgentijs, quæ fiebant in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus aliquid ad ædificationem pontium. neq; Alexander tunc Indulgentias instituit, sed loquitur de re nota, & visitata, & frequentissima. & infra pag. 375. numerat idem Kemnitius VValdenses inter eos, qui Indulgentias, quales nunc habet Ecclesia, reiecerunt, & oppugnarunt: constat autem VValdenses circa eundem annum 1170. errores suos prædicare cœpisse. At quomodo ista cohærent, vt Indulgentiarum origo referenda sit (auctore Kemnitio) ad annum 1200. & tamẽ eodem auctore anno 1170. Alexander III. de Indulgentijs iam dudum introductis rescripta edat, & VValdenses Hæretici Indulgentias in Ecclesia olim receptas damnent, atque reijciant? Igitur non solùm testibus à nobis productis cap. 17. sed etiam ipso Kemnitio teste sententia eiusdem Kemnitij de Indulgentiarũ nouitate apertissimè refutatur.

His tractatis, Kemnitius aggreditur longissimam narrationem de quæstionibus Scholasticorum circa Indulgentias, de Iubileis in Ecclesia celebrari solitis, de Indulgentijs singularum Ecclesiarum Vrbis Romæ, ac demum de contentione Lutheri, & Tecceli circa Indulgentias: quæ non egent refutatione, sed sola mendaciorum, & calumniarum annotatione.

Igitur pag. 346. posteaquam recitauit Kemnitius decretum Concilij Viennensis contra Quæstuariorum abusus, addidit hæc verba: *Sed Pontifices ipso facto mox addiderunt interpretationem, quòd sint abusiones damnabiles, & abolendæ: si fiant à Quæstoribus Hospitalium, si verò à Romanis Pontificibus tales Indulgentiæ, & eo modo concedantur, esse opus maximè pium.* Hoc autem esse mendacium manifestum ex ipsa constitutione intelliget quicunque eam legere voluerit. continet enim ea constitutio tres paragraphos. in primo cauetur, ne Quæstores admittantur, nisi Apostolicæ sedis, vel Diœcesani Episcopi literas ostenderint. In secundo narrantur abusus Quæstorum, & simpliciter dãnantur, & prohibentur, neque vlla additur declaratio, quòd si tales Indulgentiæ, & eo modo à Pontifice concedantur, sit opus maximè piũ. In tertio decernuntur pœnæ Quæstoribus, qui superioris mandato non paruerint: neq; etiam hoc loco additur vlla talis declaratio, qualem finxit Kemnitius. Illa igitur verba Kemnitij: *Et videri sanè possent abusiones illæ in Indulgentijs generaliter taxari, damnari, & aboleri per Clementinam illam. Sed Pontifices ipso facto mox addiderunt interpretationem, quòd sint abusiones dãnabiles, & abolendæ, si fiant à Quæstoribus Hospitalium: si autem à Romanis Pontific. tales Indulgentiæ, & eo modo concedantur, esse opus maximè pium.*

Mendacium, & imposturã apertissimam continet, nusquam talis enim interpretatio in tota illa constitutione reperitur, neq; reperiri potest, quia ipsi constitutioni sine dubio repugnaret, in qua non solùm abusiones illæ absolutè, & simpliciter abolentur, sed etiam reuocantur omnia priuilegia Quæstoribus quoquo modo concessa circa materiam abusionum illarum, ita, vt nihil eorum, in quibus abusiones consistunt, ne prætextu quidem literarũ Apostolicarum illis actitare licuerit. Quòd verò initio constitutionis dicitur, vt Quæstores nõ admittantur, nisi literas Apostolicæ sedis, vel Episcopi proprij demonstrauerint: non est id quod Kemnitius reprehendit, tum quia hoc non est additum post abusiones damnatas, sed præmissum ante damnationẽ: tum quia in hac parte nõ agitur de abusionibus, sed de simplici propositione Indulgentiarum & caritatiui postulatione subsidij, vt ipsa cõstitutio loquitur.

Idem Kemnitius pag. 353. multa dicit de vẽditione Indulgentiarum tempore Pauli II. & Sixti IV. & addit, ne videatur ea ex capite suo finxisse, *Extant hæc in Extrauagantibus Pauli II. & Sixti IV.* At ego iterum atque iterum legens ac relegens, eas Extrauagantes, ne vestigium quidem vllum earum venditionum reperio. Sed qui versatus est in scriptis Kemnitij, & nouit, quàm is audacter, & sine vlla verecundia mentiri solitus sit, non mirabitur eum in hac materia præter omnes alias apud Lutheranos odiosa, impudentiæ mentiendi omninò fræna laxasse.


Rursus pagin. 362. adscribit narrationem de Indulgentia diuinitus concessa ad preces sancti Francisci, adeuntibus Ecclesiam sanctæ Mariæ de Angelis. quam ipse vocat impudentissimam fabulam, & verè ex parte fabula est, quò ad ea videlicet, quæ ipse Kemnitius admiscuit. nam præter alia scribit, S. Franciscum Honorio

Summo Pontifici dixisse, sigilla Bullæ Indulgentiæ illius esse stigmata sua. At nullus auctor hoc refert, præter Kemnitium, & non solùm non est verum, sed nec verisimile, tum quia nondum sanctus Franciscus stigmata habuerat, cùm illa Indulgentia concessa est: tum quia etiamsi habuisset, non ea vir summæ humilitatis vlla ratione iactasset. Porrò ad eam narrationem infirmãdam nihil omninò Kemnitius adfert, nisi iudicium suum: ad confirmandam autem adsunt testes illius temporis, qui historiam conscripserunt, vt cognosci potest ex initio secundi libri Chronicorum Ordinis Sancti Francisci. adest prætereà testimonium Sancti Bernardi tomo primo, sermone nono, qui est in Euangelium Dominicæ primæ Quadragesimæ, qui vir sanctitate, doctrina, & miraculis clarissimus fuit. Adest testimonium Sancti Antonini 3. par. Summæ hist. tit. 24. capit. 14. §. 3. qui etiam vir doctus, & sanctissimus fuit. Adest concursus populorum frequentissimus ad eam Ecclesiam Kalendis Augusti, quo solo die Indulgentia diuinitus concessa obtineri potest. Adsunt deniq; signa, & prodigia non pauca, quæ ad illius Indulgentiæ veritatem astruendam edita fuisse chronica iam citata testantur. Sed non fine causa Kemnitius hanc historiam falsam, & fabulosam haberi cupit, quoniam per eam historiam tria Catholica dogmata confirmantur, vnum de Indulgentijs, alterum de Pontifice Maximo, tertium de confessione. Siquidem ad preces Sancti Francisci Christus ipse plenariam Indulgentiam dedit, sed non nisi per ministerium Vicarij sui Pontificis Maximi dedit, nec nisi per contritionem, & confessionem à culpa expiatis, & eam Ecclesiam visitantibus dedit.

Idem Kemnitius pag. 364. incipit narrare varias Indulgentias, quæ habentur in Ecclesijs Vrbis Romæ, quas ipse ex incertis auctoribus, & obscuris libellis colligit ascendere ad multa centena annorum millia. & quoniam satis constat, non tam diu Purgatorium, neque ipsum mundum esse duraturum, dicit se pro Germanica simplicitate assequi non posse rationem calculi Pontificij: rogatque Romanenses, vt hoc mysterium explicare non grauentur. sed primum admonendus est, vt si nosse cupit veras historias de Indulgentijs Romanis, non eas petat, vel ab hostibus Ecclesiæ, qualis fuit Vesellus ille, quem sæpissimè citat, neque ab obscuris quibusdam libellis, qualem vnum se vidisse dicit editum Norimbergæ, Germanicè scriptum, amplificatum, de stationum Romanarum Indulgentijs, cùm anteà Latinè, & breuius editus Romæ fuisset: sed à Pontificum diplomatibus, vel ab authenticis Ecclesiarum tabulis, aut certè ab auctoribus certis, grauibus, doctis, probatis. neque enim dubitari potest, quin multa, vel deprauata, vel conficta in eiusmodi libellis incertis, & anonymis legantur, quale illud est, quòd Gregorius Papa cùm Lateranensem Ecclesiam iterum dedicaret, tot dierum Indulgentias dederit, quot guttæ cadunt, si per tres dies, & noctes continuè pluat. Hanc enim fabulam Kemnitius, sicut eam retulit pagin. 367. ita per se facilè potuisset diiudicare verè fabulam esse, cùm neque adscribatur, quis ille Gregorius fuerit, quando Ecclesiam illam dedicauerit, quis earum rerum testis sit: neque in certis, & probatis historijs vllum eius dedicationis, vel Indulgentiæ vestigium extet. Quod si fortè probari posset (id enim, vt dixi, in probatis auctoribus non legi) concessa fuisse aliquando multa millia dierum, vel annorum Indulgentiæ: legat, quæ supra scripsimus libro superiore c. 9. & intelliget mysterium calculi illius quod sibi explicari petit.

Idem Kemnitius pag. 372. pollicetur se demonstraturum, omnibus temporibus fuisse aliquos, qui imposturis Indulgentiarum contradixerint. & primùm quidem profert Concilia Generalia, Lateranense, & Viennense, quibus damnantur abusus, & fraudes Quæstuariorum. Sed quia intelligebat, in his Concilijs ita damnari fraudes, & abusus, vt verus, & legitimus vsus Indulgentiarum confirmaretur, & probaretur, transit ad eos, qui omninò Indulgentias contempserunt, vel reprehenderunt. Adducit autem VValdenses Hæreticos, Ioannem VVicleffum Hęresiarcham, Ruthenos schismaticos, Ioannem Huss, & Hieronymum de Praga, VVicleffi discipulos, Vesellum, & Vesalium, similiter Hæreticos, atque Ecclesiæ hostes, quibus falsò adiungit Hieronymum Sauonarolam, cùm nihil tale de eo referant auctores historiarum illius temporis, qualis in primis est Iacobus Nardius: denique Lutherum nostri temporis Hæreticorum omnium Patrem, & principem. Quid autem mirũ est, si hostes Ecclesiæ, qui tam multa alia fidei dogmata reprehendunt, idẽ in Indulgentijs faciunt? Id enim perpetuum hæreticis fuit, ab ipso initio Ecclesiæ, vt doctrinam Catholicam reprehenderent. certè si Kemnitius aliquid efficere volebat, debebat tales proferre reprehensores Indulgentiarum, qui ob sapientiam, & probitatem, & cum Ecclesia Catholica communionem, fidem indubitatam mererentur. Sed ille id nec fecit, ne facere potuit. Nos autem contra, multos proferre possumus Indulgentiarum Pontificiarum laudatores, & prædicatores, qui & libris editis sapientiam, & miraculis maximis sanctitatem suam probauerint, quales sunt Sanctus Bernardinus, Sanctus Antoninus, Sanctus Vincentius, Sanctus Bonauentura, Sanctus Thomas, Sanctus Petrus martyr, Sanctus Antonius Paduanus, Sanctus Franciscus, Sanctus Dominicus, & ipse etiam S. Bernardus, quem etiam Lutherani admirari, & Sanctum appellare coguntur.

FINIS.



ROBER-

ROBERTI

BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S.R.E. CARDINALIS,

RESPONSIO AD LIBRVM quendam anonymum,

Cuius titulus est, *Auiso piaceuole dato alla bella Italia.*

CAPVT PRIMVM.



SCRIBIT ad Timotheum Beatus Apostolus in epistola posteriore, capit. 4. futurum esse tempus aliquando, cùm homines à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Id tempus aduenisse nunc cernimus: nam cùm ex diuinis literis, & veterum scriptorum monimétis per annos plus septuaginta inter Catholicos, & Hereticos de fidei controuersijs sit acerrimè disputatum: nunc tandem Caluiniani, verbi Dei, & sapientissimorum Patrum auctoritate contempta, ad Poetarum fabulas conuertuntur, & ex Canticis, vel narrationibus partim fabulosis, partim impuris de dogmatibus fidei, grauissimisque Religionis capitibus decernere non verentur.

Ita nimirùm par est, vt qui fontem aquæ viuæ dereliquerunt, fodiant sibi cisternas dissipatas: & pro diuinis Prophetarum oraculis, Poetarum somnia, & fabulas meditentur, vt in reprobum sensum omninò se traditos toti orbi terrarum ostendant.

Et quamuis eiusmodi homines indigni sint, quorum ratio viris grauibus, ac præsertim Catholicis habeatur, nec tam disputationibus refellendi, quàm Hippocratis vinculis alligandi, & tanquam male sani helleboro curandi esse videantur: tamen ob scandalum paruulorum, qui verum à falso, & fucatum à sincero non sine labore discernunt: operæ pretium esse duxi, breui lucubratiuncula anonymo libello respondere.

Et quoniam libelli auctor ita suum opus contexuit, vt primùm in Romanum Pontificem, quem Antichristum haberi cupit, canina eloquentia inuehatur: deinde quædam ex Dáte, Petrarcha, & Bocacio adducat in medium, quæ aduersus eumdem Pontificem facere iudicauit: postremò vnam & quinquaginta satyras non furore poetico, sed rabie, vt dixi, canina, in ipsum Christi Vicarium Sixtum V. euomat: ego eodem ordine declamationem eius aduersus Pontificem summum primo loco refellam, deinde Dantis, Petrarchæ, atq; Bocacij, ad quos Iudices aduersarius prouocauit, apertissima testimonia contra ipsum proferá: ad extremum sententiam satyrarum ipsius, imperitiæ, & temeritatis coarguam, & leuibus satyris vnius obscuri hominis grauissima testimonia, atque exempla Scripturarum opponam.

CAPVT II.

SEd iam ad rem aggredientes, inscriptionem famosi libelli paulisper inspiciamus. *Auiso piaceuole dato alla bella Italia, da vn nobile giouane Francese.* Huc tandem Hæreticorum impietas delapsa est, vt res maximè serias, atque tristissimas, & omni lachrymarum fonte plangendas, iucundæ narrationis, & tanquam amicæ confabulationis materiam faciát. Quid enim miseriùs, quid luctuosius, quid atrocius, Christiana pietas audire poterat, quàm à perditis quibusdam hominibus, gladio linguæ ita proscindi Christi Vicarium, vt eæ verborum contumeliæ in ipsum sine vllo pudore iaciantur, quæ vix in vilissima quæque mancipia conuenirent?

Et tamen he contumeliæ, vel blasphema potius, atque impia maledicta, ita nonnullis iucunda visa sunt, vt eo titulo ornandas putauerint, *Auiso piaceuole.* Ita nimirum Caluiniani paulatim Athei fiunt, de religione iocum, & de controuersijs fidei ludicras declamatiunculas faciunt: *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis,* Prou. 2.

Dato alla bella Italia. Inuidebas videlicet Italiæ suam pulchritudinem, quæ in eo potissimum sita est, vt nullius hæresis maculis, nulla schismaticorum colluuione fœdetur, & ea causa fuit, cur Italica lingua, non Latina scriberes (nisi fortè, quod facilè suspicari possumus, Latinas literas ignorabas) vt eorum Italorum, qui Latinæ linguæ expertes sunt, piam fidem corrumperes.

Videbat nimirum Satanas innumerabiles in Italia homines esse de numero eorum, quos (vt S. August. loquitur in lib. contra epist. funda-

menti cap. 4.) credendi simplicitas tutissimos facit. Intelligebat singulari Dei prouidentia fieri, vt Romana fides Apostolico ore laudata, in Italia populis incorrupta, & inuiolata permaneat. Non ignorabat eam adhuc esse per Italiam vniuersam Sedis Apostolicæ reuerentiam, quæ in toto orbe Christiano esse deberet, & aliquando fuit, verè enim sanctus Prosper in lib. de ingratis scripsit:

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput Mũdo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Et sanctus Leo serm. 1. de Natali Apostolorum, *Per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsides religione diuina, quàm dominatione terrena.* Angebatur hostis humani generis, quòd impia defectio à matre Ecclesiarum, atque ab ipso communi Patre omnium Christianorum, tamquam à Babylone, & Antichristo, apud multos septemtrionales populos tam facilè propagata, in Italiæ prouincijs locum nullum haberet.

A

B

Itaque nactus tandem aptum ad suas fraudes instrumentum, perditum nescio quem iuuenem excitauit, qui vulgari idiomate, dulci oratione, & suauibus canticis, lethale venenum vulgi auribus instillaret. Sed Deo bene iuuante *mentietur iniquitas sibi,* Psalm. 26. nec solùm Pastorum vigilantia diligentissimè prouidebit, ne eiusmodi libelli ad Italorum manus aliquando perueniant: sed neque vllus nostrum Italicis verbis istiusmodi libros refutabit, ne vel ex ipsa nostra responsione cognoscant populi horribiles illas blasphemias, quas ne fando quidem vnquam audiuerunt.

Et quemadmodum aduersarius Rapsacem illum Assyrium imitatur, de quo in lib. 4. Regum c. 15. dum lingua populari blasphemias in Christi Vicarium euomit: ita nos Eliachim prudentiam imitabimur, dum respondendo cauebimus, ne populorum aures inauditis illis blasphemijs polluatur, ne quo modo corrumpantur sensus eorum, & excludant à simplicitate, quæ est in Christo.

C

Da vn nobile giouane Francese. Gallus ne fuerit, an Gallum simulauerit, qui hæc scripsit, non magni refert, iuuenem certè fuisse facilè credi potest. satis enim procacitas, petulantia, leuitas, imperitia, quæ in toto libro cernuntur, auctoris sui iuuenile ingenium produnt. At nobilem eundem fuisse, vel esse, ego quidem ægrè adduci possum, vt credam, nisi fortè nobilem scurram, non virum nobilem, libri titulus indicet: certè obscena vocabula, conuitia, & contumeliæ, quibus vndique liber scatet, Agasonem potius, Aurigam, vel Nautam, quã virum nobili loco natum decebant.

D

Et cur quæso nobilis iste iuuenis nomen suũ non prodidit? cur latet in tenebris, qui tam ferociter summo Christianorum Præsuli minas intentat? cur nouus iste Goliath, qui tam confidenter exercitui Dei viuentis exprobat, & tanquam alter Semei, Christo Domino maledicit, ita obscurus latitat, vt ne de nomine quidem velit agnosci? Sed veram esse oportet sententiam veritatis Ioan. 3.

Qui malè agit, odit lucem.

CAPVT III.

Venio nunc ad eam declamationem, qua libelli auctor in Christi Vicarium impiè debacchatur. Primis quatuor pagellis verbosissima oratione Pontificem Romanum Antichristum esse affirmat, ac repetit millies, idque iam perspectum, ac notum esse omnibus contendit, exceptis paucis quibusdam excæcatis Italis, atque Hispanis. Quare si quis totidem verbis multaque sententiarum congerie, & varietate Caluinum, aut Lutherum, aut verius vtrumque, vel Antichristum ipsum, vel eius præcursorem esse dicat, repetat, inculcet: par pari sine dubio referret, & stulto secundùm eius stultitiam respondebit. sed non est hominum doctorum ac potissimùm Catholicorum verbis contendere, inanis ista garrulitas hæreticorum propria est, qui cũ rebus non possint, verborum certè profusione coram imperitis malam causam suam vtcumque sustentant. Multa de Antichristo scribit Daniel, multa post eum Paulus, multa Ioannes, sed illa præter cæteras insignis est Antichristi nota, Deos omnes contemnere, vt ipse vnus habeatur Deus. *Et eleuabitur,* inquit Daniel ca. 11. *& magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica.* & Apostolus 2. Thess. 2. *Et reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus.* Huc etiam pertinet, quod Christus ipse Iudæis prædixit, Ioan. 5. cùm ait, *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Antichristus enim in nomine suo veniet, quia nullum supra se Deum agnoscet. Iam verò Pont. Maximus prædecessorum suorum imitatus exempla, nonne & in literis seruum seruorum Dei se palam appellat? & ad sanctũ altare, vni vero Deo populo inspectante sacrificium offert, & summum honoris titulum esse censet, si Christi Vicarius nominetur? & denique Christum publicè, & priuatim colit, & vt ab omnibus agnoscatur, & adoretur, satagit? Qui verò seruum, sacerdotem, Vicarium, cultorem Christi, & verbis, & factis se profitetur, certè non eleuatur supra omnem Deum, iuxta vaticinium Danielis, neque iuxta Paulum se ipse extollit supra omne, quod dicitur Deus, neque à se ipso venit, iuxta verbum Domini apud Ioannem, sed ab illo, qui Petrum, cuius se successorem Pontifex Romanus verè nominat, ad gregem suum cum potestate misit, cùm ait Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Quæ cùm ita sint, nihil verius, nihil apertius, nihil certius dici potest, quàm nihil esse Romano Pontifici cum Antichristo commune, nisi fortè, quæ sint Antichristi notę ex hæreticorum mendacijs, non ex diuinis oraculis discere libeat. Quid, quòd tanta est hæreticorum huius temporis inconstantia, vt quem Antichristum esse volunt, ijdem ipsi Antichristum non esse doceant? nihil enim sæpius, neque maiori contentione Romanis Pontificibus, quàm idololatriam obijciunt, siquidem & Sanctorum inuocationem, & reliquiarum, atque imaginum cultum, & ipsum Missæ sacrificium idololatriam esse clamitant. At si tot Deos à Romanis Pontificibus coli existimatis, quot sunt

beati

beati spiritus in cœlo; vnde tandem vobis in mentem venit, vt eosdem Pontifices Antichristos faceretis? an verò Daniel, & Paulus illum Antichristum fore prædixerant, qui Deorum multitudini sese prosterneret, & non eum potius, qui se supra omne numen eleuaret? An non sentitis, quam parum cohærentia cum diuinis literis, & quàm ipsa secum apertè pugnãtia sint, quæ dicitis? quale autem mendacium est, in sola Italia, atque Hispania Romanum Pontificem, non vt Antichristum repudiari, sed pro vero Christi Vicario agnosci, & coli? quid? in ipsa Germania, nonne Imperator, eiusque fratres, & Archiepiscopi Electores, Dux Bauariæ potentissimus, alijque plurimi tum Ecclesiastici, tum Politici Principes viuunt, qui vnà cum populis, quibus imperant, Romano Pontifici, vt Christi Vicario parent? In Polonia nonne Reges semper Catholici cũ Episcopis item Catholicis, & magna nobilium ac plebeiorum multitudine Romanam fidem professi sunt, & adhuc hodie profitentur? Suecia, Hungaria, Scotia, nonne suos habent Catholicos? In Anglia verò nonne Catholicorum pro Romana fide pugnantium pleni sunt carceres? nonne quotidie gloriosa martyria exhibentur? nonne libris in ipsa Anglia editis Catholici Lutheranos, & Caluinianos exagitant? Quid de Gallia dicam? Rex ipse Christianissimus, totius regni caput, Romanum Pontificem splendidissima legatione non honorauit? non eum Christi loco in terris esse agnouit? non obedientiam illi suo nomine præstari iussit? Episcopi totius Galliæ nonne Catholici sunt, & summum Pontificem debito cum honore suscipiunt? Quis verò Principes, quis populos numeret, qui pro Romana fide vitam ipsam, & sanguinem profundere in tota Gallia parati sunt? Quid igitur sibi volebat ille mendaciorum architectus, cùm paucos dumtaxat cæcos, eosque in sola Italia, & Hispania esse pronunciabat, qui Romanum Pontificem Antichristum esse non crederent? & tamen Europam nondum sumus egressi: nam si lustrare Asiam, & Africam, & noui orbis vastissimas regiones animo velimus, inueniemus profectò in America, in Brasilia, in exteriore Africa, in Arabia, in sinu Persico, in India, in insulis Moluccis, in aurea Chersoneso, apud Sinas, apud Iapones, vbi nondum Lutheri, & Caluini nomen penetrauit, plurimos optimosque esse Christianos, qui sub Rom. Pontif. obedientia Christum colant: Ante nonnullos annos ex vltima Iaponia nobilissima legatio trium annorum itinere confecto, ad Romanum Pontificem, vt verum Christi Vicarium agnoscendum, ac venerandum venit, neque multi menses prætererunt, cùm ad hunc ipsum, qui nunc B. Petri sedem tenet Clementem VIII. Pontificem litteræ à Patriarcha Alexandrino ex AEgypto missæ sunt, quibus eum is Patriarcha caput Ecclesiæ vniuersæ, Christiq; Vicarium confitetur, vt nihil hîc de Armenis, & Maronitis dicam, qui inter tot sectas hæreticorum, & Paganorum, quæ Orientem premunt, Romanæ Ecclesiæ fidem, & obedientiam retinent. Quæ cùm ita sint, quanta vanitas, atque temeritas eius hominis fuit, qui in sola Italia atque Hispania paucos quosdam inuenire potuit, qui sedem Apostolicam, vt æquum erat, venerarentur? sed cætera videamus.

CAPVT IV.

MVltis verbis inaniter, vt dixi, profusis, ineptè philosophatur, adesse iam annum à Lutheri prædicatione septuagesimum, proinde initium liberationis à tam diuturna captiuitate sese aperire, atque ostendere. Sed instar phrenetici nesciens omninò quid diceret, verè significauit septuagesimum annum iam agi Lutheranæ captiuitatis, si enim vlla captiuitas Luthero exoriente exorta est, ea certè Romana esse non potuit, cùm nulla mutatio in Vrbe Romana per id tempus facta sit, sed eadem fides, eadem religio, eadem forma Christianæ Reipublicæ, quæ ad eam diem fuerat, esse perseuerauerit. At in Germania, Satana auctore, & administro Luthero, Christi religio in perditissimam hæresim mutata est, nec solùm externus Dei cultus, & Sacramenta omnia mutilata, vel sublata sunt, sed ipsum etiam hominum arbitrium ex libero, ac soluto, in miseram captiuitatem redactum, annos iam amplius septuaginta apud Saxonicam Babylonem seruit.

CAPVT V.

PErgit deinde libelli auctor, & Caluinianos hæreticos non esse ea ratione demonstrare aggreditur, quia hæreticus non est, qui Euangelio credit, quique nullum articulum symboli Apostolici inficiatur. Et quoniam Apostoli in eo symbolo, Vnam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam esse docuerunt, Romanæ autem mentionem nullam fecerunt, vitio vertit ipse Romanis Pontificibus, quòd ad articulum de Ecclesia vocem illam, *Romanam*, adiecerint. Sed hac responsione indicat se nescire quidem, quale sit Apostolicum symbolum, neque quid sit fides, aut hæresis vmquam didicisse, neque id sanè mirum, cùm in amatorijs canticis Petrarchæ, non in dogmatibus Christianę religionis ætatem contriuerit. Disce igitur quicunque es famosi libelli auctor, non illos tantùm esse hæreticos, qui Euangelium, aut Symbolum apertè reijciunt, sed illos etiam, qui in Euangelij, & Symboli interpretatione iudicium ipsi suum Ecclesiæ iudicio præferunt, alioqui enim neque Ariani, neque Macedoniani, neque Nestoriani, neque Pelagiani, neque alij permulti hæretici erunt, quos tamen non solùm Catholici, sed etiam Lutherani, & Caluiniani pro hæreticis habent. Siquidem illi omnes Euangelium, & symbolum, quod attinet ad verba, integrè recipiebant, sed perperam tamen, vt omnes hæretici faciunt, interpretabantur. quid? nostra ætate, qui in Polonia, & Hungaria duo primaria religionis Christianæ mysteria destruunt, personarum diuinarum Trinitatem, & incarnationem Verbi Dei, nonne totum Euangelium, totumque Symbolum Apostolicum, præter cæteros homines tueri se, ac defendere profitentur? ita omninò; & tamen qui sunt hoc tempore magis hæretici? Denique si

Euangelio credere, & nullum articulum symboli pernegare, sufficere vobis videtur, vt quis hæreticus non esse iudicetur, cur tam audacter Pontificem Romanum, & qui illi adhærent, hæreticos pronunciatis, quos Euangelium, & symbolum integrè colere, amplecti, ac sequi non ignoratis? Quòd enim Pontificem accusatis, quasi is Apostolicum symbolum deprauarit adiectione vocis, *Romanam*, ad voces, Catholicam, & Apostolicam in articulo de Ecclesia, inscitiam vestram prodit: nam neque in symbolo Apostolico fuit vnquam vox, Apostolica, neque à Pontificibus addita est vox Romana, sic enim symbolum habet, *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem*, &c. sic olim veteres legebant, sic hodie in horarijs precibus legimus, sic in omnibus Ecclesiæ Catechismis inuenies. Solemus quidem extra symbolum cùm veram fidem, aut Ecclesiam describimus, eam Catholicam, Apostolicam, Romanam appellare, quia (vt sanctus Cyprianus scribit lib. 1. epist. 3.) *Ad Romanam Ecclesiam perfidia habere non potest accessum*. Et Ambrosio teste in oratione de obitu Satyri, *Is cum Episcopis Catholicis conuenit, qui cum Romana Ecclesia conuenit*. Et auctore sancto Gregorio Nazianzeno in Carmine de vita sua, *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quæ toti orbi præsidet*. & vt loquitur sanctus Hieronymus lib. 3. apolog. aduersus Ruffinum, *Romana fides Apostolica voce laudata, præstigias hæreticorum non recipit, etiamsi Angelus aliter annunciet, quàm semel prædicatum est, Pauli auctoritate munita non potest mutari*. Et denique, vt sanctus canit Augustinus in Psalmo contra partem Donati, *Romanorum successio Episcoporum ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*.

CAPVT VI.

VEnit tandem aduersarius ad argumenta, & primùm testimonia Pauli, Ioannis, & Danielis de Antichristo profert, quæ quidem nos libenter admittimus, sed probandum erat aduersario, Romanum Pontificem per ea testimonia designari, quòd nec fecit, nec in æternum faciet. Progreditur deinde ad testimonia cæterorum Patrum, & ijs affirmare conatur, Romanum Pontificem à veteribus quoque pro Antichristo habitum, ea testimonia paulisper inspiciamus. Primo loco S. Irenæum producit in medium, qui alicui scribit, *Antichristus licet sit seruus, volet tamen adorari vt Deus*, hæc enim sunt verba sua: *Ireneo dice à punto così, L'antichristo quantumque sia seruo, vorra non dimeno essere adorato come Dio. Lequali parole se bene le considererai, Italia mia, trouerai ottimamente dipingerci il vero ritratto del Papa, il quale si noma, non senza alto misterio dell'eterno Dio, seruo de serui*. Si Dialecticam nosses, admonerem te, ne tam apertè in Paralogismum incideres, siquidem ex sententia Irenæi Antichristus non se nominabit seruum, sed erit seruus: Pontifex noster contra, seruum se ex humilitate nominat, cùm pater sit omnium, etiam Regum, & Imperatorum. Sed paralogismum tibi condono, crimen falsi condonare

A certè non possum, locus Irenæi habetur lib. 5. ca. 25. in hæc verba: *Cùm sit seruus, Regem se vult præconari*. Non igitur (vt tu fingis) Irenæus dicit, *cùm sit seruus, quasi Deus vult adorari, sed Regem se vult præconari*. Romanus autem Pontifex, neque ipse se Regem appellat, neque ab alijs appellari cupit. Sed quid si ex eodem Irenæi loco planum faciam, non posse nisi per summam impudentiam Antichristi nomen ad Romanum Pontificem trahi? Antichristum futurum genere Iudæum, atque ex tribu Dan Irenæus affirmat. Eundem Hierosolymis regnaturum, & in templo, quod Salomonis dicebatur, sessurum scribit: tribus annis cum dimidio cùm regnauerit, ab ipso Christo interficiendum docet. Denique addit Idola omnia

B submoturum, vt ipse vnus pro Idolis omnibus adoretur. Porrò ab eo tempore, quo Lutherani Romanum Pontificem Antichristum appellare cœperunt, nullus fuit Pontifex de tribu Dan, nullus Hierosolymam vidit, nedum in templo Salomonis sedit, nullus tribus annis cum dimidio rerum potitus est, sed alij longiore, alij breuiore tempore Ecclesiæ Catholicæ præfuerunt. Denique Idola quidem summus Pontifex noster reuera non patitur, sed opinione vestra, tot Idola erexit, quot sunt imagines in Ecclesijs: quare si Irenæo credimus, neque Romanus Pontifex Antichristus est, neque eum Lutherani possunt, nisi secum ipsi pugnent, Antichristum nominare. Secundo loco Tertullianum, & Hieronymum in testes adducit, qui per Babylonem de Apocalypsi Ro-

C mam significari voluerunt. Poterat addere testimonium longè maius Apostoli Petri, qui in vltimo cap. Epistolæ primæ, eandem Romam Babylonem appellat. sed nihil omninò ista faciunt ad rem: Nam & Petrus, & Ioannes, & post eos Tertullianus, ac Hieronymus cùm Romam per Babylonem significari volunt, de Roma loquuntur Ethnica, nó de Roma Christiana, de Roma, inquam, illa, quæ sub Nerone, ac Domitiano imperium tenebat super Reges terræ, & ebria erat, vt Ioannes scribit, de sanguine Sanctorum, & sanguine martyrum Iesu, alioqui Romam Christianam idem Tertull. in libr. de præscript. aduersus hæreticos mirificè laudat. & S. Hieron. in libr. 2. contra Iouinianum extremo, sic Romam Christia-

D nam alloquitur. Ad te loquar quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti. Itaque fuit aliquando Roma magna illa meretrix, fuit Babylon mater fornicationum, sed vt idem Ioannes prædixit, breui perijt, vel potius in sanctam Hierusalem, & Ciuitaté Dei, atque in arcem religionis, & (vt Hieron. loquitur) in tutissimum Christianæ Communionis portum commutata est.

CAPVT VII.

TErtio loco sancti Gregorij verba producit, qui eum Antichristi præcursoré appellat, qui Episcopi vniuersalis, aut summi Pontificis nomen vsurpat. sed locum nullum adducit, vbi nomen summi Pontificis sanctus Gregorius auersetur. Quod nomen à sancto Bernardo, sanctoque Anselmo, Romano Pontifici passim tribuitur, quin etiá

idem sanctus Gregorius, libr. 1. Dialogorum capit. 4. prædecessorem quendam suum disertis verbis summum Pontificem nominat. Quamobrem, & hoc inter mendacia numeretur. Porrò nomen Episcopi Vniuersalis in Ioanne Constantinopolitano sanctus Gregorius duplici de causa meritò reprehendit, nam & in eo sensu ab illo accipiebatur, quasi solus ipse esset Episcopus; quo sensu nomen Episcopi Vniuersalis nulli homini conuenit: & licet in alio quodam sensu appellatio illa in Romanum Pontificem optimè quadret, vt etiam à Conc. Chalcedonensi S. Leoni tributum idem Gregorius refert libro 4. epistol. 38. tamen Ioanni Constantinopolitano nulla ratione conueniebat. Itaque optimo iure sanctus Gregorius Antistitem illum Constantinopolitanum ingentis superbiæ notat, & præcursorem Antichristi facit. sed quid hoc ad rem, de qua nunc agimus, pertinet? nam in primis Romanus Episcopus non se Episcopum Vniuersalem, sed seruum seruorum appellat: deinde nomen Episcopi Vniuersalis, si bene accipiatur, meritò illi tribuitur, qui toti Ecclesiæ ab ipso Christo præpositus est, denique non dicit Gregorius, Antichristum esse, sed Antichristi præcursorem, qui se ipse Vniuersalem Episcopum vocat: quare si se Romanus Pontifex Vniuersalem Episcopum diceret, in eo etiam sensu, quem Gregorius reprehendit: hoc ipso Antichristus non esset, quod eius precursor esset, neque enim idem esse potest is, qui præcurrit cum eo, quem præcurrit, nisi Christum cum Ioanne, dominum cum seruo, Regem cum præcone confundas.

CAPVT VIII.

QVartò testimonium adfert Arnulphi cuiusdam Episcopi Aurelianensis, qui cùm ante 600. annos in Conuentu quodam Remensi multa in Romanum Pontificem maledicta congereret, inter alia etiam Antichristum appellare ausus est: sed ista non plura facimus, quàm tuas, quicunque es auctor famosi libelli, & tui similium criminationes. satis enim constat eum hostem Romani Pontificis fuisse, & inimico animo, quicquid stomachus suggerebat, euomuisse. Sed opponam illi vni Gallo Episcopo testimonia omnium Episcoporũ Galliæ, qui tempore Ioannis Papæ VIII. ante annos 700. Concilium apud Trecas celebrantes excommunicationem à Rom. Pont. in Principes quosdam latam his verbis comprobarunt: Domine Sanctissime, ac Reuerendissime Pater Patrum, Ioannes Catholicæ, atq; Apostolicæ Ecclesiæ, sanctæ videlicet Romanæ primæ sedis Papa: Nos filij, famuli, ac discipuli vestræ auctoritatis, Galliarum, & Belgicarum Episcopi, his quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines, ac ministri diaboli addentes in Sanctam matrem nostram, ac magistram omniũ Ecclesiarum commiserunt, & dolori vestro consentientes condolemus, atq; iudicium vestræ auctoritatis, quod priuilegio B. Petri, & sedis Apostolicæ in eos, & complices eorum iuxta sacros Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, ac secundùm eiusdem sanctæ Romanæ sedis Pontificum predecessorum vestrorum decreta protulistis, voto, voce, & vnanimitate nostra atq; auctoritate S. Spiritus, cuius gratia in Episcopali ordine sumus consecrati, gladio S. sancti quod est verbum Dei, eos interimentes persequimur, scilicet quos, sicut prædiximus, excommunicatis, excommunicatos tenemus, quos ab Ecclesia abiecistis, abijcimus, quos anathematizatis, anathematizatos esse iudicamus, & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas, & Apostolica sedes receperit, recipiemus; Hæc ex Aimoino libr. 5. de gestis Francorum, c. 37. ad verbum transcribere volui, vt prudentes iudicent, vni ne Episcopo Gallo, an Synodo Episcoporũ omnium prouinciæ eiusdem fidem habere oporteat.

CAPVT IX.

QVinto loco aduersarius nesciens omninò, quid loqueretur, ad S. Bernardum iudicem prouocauit, ac vt stultitiam eius magis mirere, ipsa eius verba ponam (*Legge ò Italia mia, quello che scrisse San Bernardo ha più di Quattro cento anni nelli libri delle sue Considerationi, del Papa, de Vescoui, & del Clero, & poi non dubito punto, che tu non confessi, che di tai persone non si poteua dire, à voler dire la verità, meglio di quello che dice*) Prodeat igitur S. Bernardus, & temerarium istum iuuenẽ sua auctoritate confundat. Non solùm enim in libris 5. quos de Consideratione ad Eugenium scripsit, ne verbo quidem S. Bernardus Pontificem Romanũ Antichristum esse significauit, sed etiam in ijs libris, & in epistolis passim eiusdem Pontificis auctoritatem mirificè prædicauit, atq; defendit. primum librum ita exorditur: *Subit animum dictare aliquid, quod te Papa beatissime Eugeni, vel ædificet, vel delectet, vel consoletur, sed nescio quomodo vult, & non vult exire læta quidem, sed lenta oratio, dum certatim illi contraria imperare contendunt, maiestas atque amor.* Ita nimirum S. Bernardus Antichristum alloqueretur, ita illum ædificare, delectare, consolari cuperet, ita simul diligeret, & timeret. In secundo autem libro accuratè exponens, quid sit Papa, Agè, inquit, *indagemus adhuc diligentiùs qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei, quid responsurum putas? ille iniquus homo peccati, filius perditionis, apertè denique Antichristus, audi, quid respondeat. quis es? sacerdos magnus, summus Pontifex: tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus, Tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem, & alij cœli ianitores, & gregum Pastores, sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus, nec modò ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor.* Porrò initio libri 3. vna breuissima sententiola idem Bernardus expressit, quousque se Iurisdictio Romani Pontificatus extendat, ne fortè aduersarius noster Reges ac Principes conetur excipere. *Orbe*, inquit, *exeundum ei, qui fortè volet explorare, quæ non ad tuam summi Pontificis pertineant curam.* Librum

quartum idem S. Bernardus semper sui similis ita concludit, vt summum Pontificem nominet *Christianorum Ducem, pastorem plebium, vltorem scelerum, malorum metum, malleum Tyrannorum, Regum patrem, Legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem altißimi, Vicarium Christi, Christum Domini, & Deum Pharaonis.* Hæc igitur sunt, quæ S. Bernardus in libris de Consideratione, de Pōtifice Maximo scribit, quibus vel ipso aduersario teste, nihil verius dici poterat. Ac vt intelligat is, qui ad Bernardum iudicem prouocauit, Summum Pontificem ex Bernardi sententia non tantùm non esse vt Antichristū fugiendum, sed etiam ad eum propriè pertinere causas fidei iudicare, & nō egredi limites suos, vt iste fingit, si de fide Gallorum sententiā ferat, audiamus initium epistolæ 109. ad Innocentium Papam, de Petro Abailardo, qui intra Gallias hæreses seminabat. *Amantißimo Patri, & domino Innocentio Summo Pontifici Frater B. Clarauallis vocatus Abbas, modicum id quod est. Oportet ad Vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ac præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potißimum resarciri damna fidei, vbi non poßit fides sentire defectum, hæc quippe huius prærogatiua sedis.* Legat igitur Italia, vt aduersarius cupit, legat etiam Gallia, legat Ecclesia vniuersa Doctorem illum sanctum, sapientem, disertum, & illi potius, quàm stolido isti iuueni, qui tamen Bernardum iudicem de hac controuersia fecit de Summo Pontifice credat.

CAPVT X.

Sexto loco producit ad mediū verba quædam Eberardi Episcopi Salisburgēsis, quæ apud Ioan. Auentinum extant. sed ea neminem mouere debent, cùm Ioan. Auentinus auctor sit parum probatæ fidei, & nō sine causa illa omnia in odium Pontificum, vel finxisse, vel amplificasse credatur. nihil enim tale extat apud alios Historicos, ac ne apud ipsos quidem Germanos Vvymphelingium, Krantziū, Nauclerum, qui eandem historiam literis consignarunt. Deinde, licet historia ab Auentino verè conscripta esset, illud tamen in dubium reuocari non potest, quin Episcopus ille hostis acerrimus fuerit Gregorij IX. Pontificis, & cōtra Friderico II. Imperatori addictissimus. cū autem ob discordiam illam inter Pontificem, & Imperatorem omnia bello arderent, & factiones illæ Guelphorum, & Gibellinorū tunc primùm exortæ, quasi rabie quadam accensæ furerent, qui Pontifici fauebāt in Fridericum, & qui Fridericum sequebantur, in Pontificem omnia conuitia, & maledicta iaciebant, quæ in mentem venire vllo modo potuissent: quare non quid irati homines tūc effutirent, sed vtri bonam causam tuerentur, considerare operæ pretium erit, quod quidem illa etiam de causa vtile erit, quòd auctor iste paulò ante videlicet pag. 4. scribere ausus sit, Fridericos Imperatores sanctos fuisse, & iniustè à Pontificibus oppugnatos. Nolo scriptores Italicos producere, S. Antonicum, Blondum, Sabellicum, Platinam, & ceteros, qui aduersario suspecti esse possent: sed Germanos tantùm, qui ante exor-

A tam Lutheri hæresim sine præiudicio anticipatæ opinionis, rem ipsam, vt erat, literis prodiderunt. Iacobus VVymphelingius in Epitome rerum Germanicarum c. 36. de Gregorio IX. à Friderico II. miris modis afflicto, ita scribit: *Tum Pontifex humanis destitutus auxilijs, ad rem diuinam, supplicationesq́, animum diuertit, quibus, Deo agente, Fridericum auertit hostem.*

Habes hic testimonium hominis Germani, & quod maius est, Friderico Imperatori addictissimi, quippe qui ca. 39. summis eum laudibus effert, qui tamen satis apertè meliorē causam Pontifici tribuit, cùm ab ipso Deo Pōtificem ab Imperatoris impetu defensum scribit Ioannes Nauclerus in 2. Volumine suæ Chronographiæ, generatione 41. de Friderico II. loquitur ad hunc modum, *Romam veniens mores* B *mutauit, spreta iurisiurandi religione, multa, & quidem enormia aggressus, ditionem vexabat Pontificiam, Pontifices, & Archiepiscopos ponens in Ecclesijs suo modo, & institutos à Papa expellens, collectas ab Ecclesijs exigens,* & infra: *Admonitus super his, ipsi non obtemperabat: admonentem magis magisq́, in dies spreuit, vnde eum percußit Pontifex anathemate, &c.* Accedat Albertus Krātzius, vt in ore trium testium stet omne verbum. Hic insignis auctor in li. 8. Saxoniæ, c. 8. *Imperator,* inquit, *Fridericus à Papa multis ex causis excommunicatus, quas in bulla declarauit, diu permansit in sordibus,* & paulò post: *Pontifex sollicitauit Archiepiscopos, & Episcopos, vt Imperatorem excommunicatū cunctis denunciarent: Sed Episcopi Theutoniæ, ne hoc fieret, supplicarunt, veriti tyrannidē* C *eius: In Francia autem, Anglia, & Dania denunciabatur sine timore.* Et paulò infra, *Imperator interim, cum Papa Concilium Prælatorum euocasset ad succurrendum terræ sanctæ, reuocatis Cardinalibus de sua quemq́, legatione, omnes vias terræ, mariq́, occupauit, & itinerantes ad vrbem captos protraxit in carcerem Cardinales, Episcopos, Prælatos, nobiles, doctos, cuiusq́, generis, & ordinis, ab orbe Christiano ad Summum Pontificem missos oratores. Doluit Christianisimus tantum esse vulnus in visceribus, ab eo præsertim, qui omnia tueri susceperat, & Sacramento se adegit, cùm interim Turci, & Saraceni premerent Christianos in terra sancta.* Deinde c. 9. horribilem Frideri crudelitatem his verbis exponit: *Perductos ad se Romanos partim quaternis ad crucis formam persodit vulneribus: partim caput in crucis modum quadrifariam* D *scidit: partim fronte eodem ferro cruce reddidit insignitos, Clericos verò detonsam in vertice coronam ferro cæsim in crucem vulneratam, vt dicebat, iussit ornari, quorum vnus inflictum vulnus nimis patienter tolerare visus, in palearum cumulum funiculo est pertractus: & cùm benedicere, ac laudare Deum perseueraret, igni supposito est crematus.* Et post multa similia summæ crudelitatis exempla subiungit cap. 10. de perfidia, atque impietate eiusdem, *Friderici,* inquit, *rem in Sicilia administrantes, in nullum sacrum locum magis sæuierunt, quàm in monasterium Casinense diui Benedicti: aurea cuius, & argentea vasa fregerunt, quæ Fridericus conflata redegit in nummos, & Monachis inde vi, ac conuicio deturbatis, satellites sunt in habitationem, ruinamq́, profecti, & quod impietatem auget, Saracenos adeò fouit Fridericus, vt eos mercede conductos magis, quàm cæteros*

Christianos in militia charos habere sit visus: praterq́, arma tractantes multos ex ea Barbarie per Italiam, & Siciliam honoribus, & magistratibus euexit, eiusque gentis amore in Christianos vsque adeo est debachatus, vt Luceriam Apulia ciuitatem eiectis populariter Christianis, Saracenis dederit habitandam, & paulò pòst: *Legem in regione promulgauit, qua Saracenos adeò voluit saluos esse, vt contendentes eum illis impunè occiderentur: casorum autem Saracenorum quastio, si captus non esset, qui vim attulerat, in vicina regionis populos haberetur, qua aris summa, ac totidem capitum supplicio punirentur. Quin etiam alia impietate atque insania, vt Saraceno non magis militanti, quàm in Africa agenti cōmodaret, est visus, qui forma prastātiores per Siciliam mulieres, & suum Italia regnū concupitas Virgines à parentum sinu, matronasq́ue à maritorum complexu rapi, & passus fuerit, & curauerit. Tunetis Africa Regis fratrem baptizari volenti Panormi prohibuit.* Hæc ille: atque hæc sunt videlicet pia illa opera, ob quæ sanctum Imperatorem, & vnctum Dei aduersarius appellauit, & cur Pontifex Gregorius Antichristus iure habendus videatur, quia eum anathemate notatum ab Ecclesia eiecit: Sed pergamus ad cætera.

CAPVT XI.

SEptimo loco Ioachimum Calabrum testem adducit, à quo in explicatione Apocalypsis Romanum Pontificem Antichristi nomine appellatum affirmat. Sed impudens est mendacium, quod certè nobilem virum, qualem iste se iactat, minimè decebat. tantùm enim abest, vt Ioachimus Abbas vllo in loco Romanum Pontificem Antichristum esse significarit, vt contrà potiùs frequenter de illo summo cum honore scripserit. In ipsa epistola, quam toti illi operi præmisit, iubet suum opus Apostolicæ Sedis iudicio subijci, vbi etiam certa fide se credere dicit, non posse portas inferi contra Romanam Ecclesiā præualere, neque vsque ad mundi consummationem, fidem eius vllo vnquā tempore peritutā. Deinde in prima parte expositionis explicans textum septimum, cap. secundi apertè scribit, Ecclesiam Constantinopolitanam fidem esse habituram, Romanam autem, vt veram Hierusalem, & thronum Dauid semper mā suram. Rursus in expositione 11. textus, capit. sexti, habet hæc verba: *Quicunq, Petri Ecclesiam moribus, viribusq́, impugnant, Babylonis se filios contremiscant.* In expositione autem secundi textus, cap. septimi per Angelum ascendentem ab ortu solis, atq; habentem signum Dei viui, Romanum Pontificem intelligendum esse dicit, qui cum Coepiscopis suis signo crucis electos muniet in vltima tribulatione, quā Antichristus videlicet excitabit. Sed quid opus est pluribus, cùm aduersarius locum nullum attulerit pro mendacio suo? Vnus extat locus in expositione textus vndecimi, capitis noni, qui fortè pro aduersarijs facere videatur. Sed in eo loco non verum Pontificem Romanū, sed principem quendam Patarenorum hæreticorum ab Ecclesia Romana iam olim damnatorum, quē illi suū Apostolicum dicebant, Antichristi præcursorē futurū esse Ioachimus suspicatur. Sed nihil ad rem nostrā hoc pertinet.

CAPVT XII.

A Dducit postremò testimonia trium auctorum, qui lingua Italica scripserunt, Dantis, Petrarchæ, atque Bocacij, quos testes esse dicit omni exceptione maiores, quòd Papæ domestici, quòd antiqui, quòd venerabiles ob vitæ, & morū integritatem, quòd summa doctrina præditi fuerint, quòd sine perturbatione animi scripserint, quòd deniq; etiā præuiderint ruinam Pōtificatus Romani, vt nō tam poëtæ, quàm prophetæ fuisse videātur. Et quidem quid isti auctores scripserint paulò pòst videbimus. Nunc breuiter laudes illas, quibus ab aduersario afficiuntur discutiamus. Ait in primis eiusmodi esse testes vt eis nulla ratione contradici possit. At si carmina amatoria, si fabulas, si somnia scripserunt, vnde illis auctoritas tanta, vt contradici nequeat? Quid si Dantem ipsum, qui maximè serius, ac ac sobrius ex tribus illis fuit, falsitatis, ne dicam mendacij manifestè coarguam? certè enim quæ scribit de Anastasio Pontifice vt suo loco ostendam, defendi nulla ratione possunt. Denique si testes isti adeò sunt veraces, vt fides omninò illis habenda sit, cur auctor iste pag. 22. fidem Danti habendam esse negat, cùm donationem Constantini, & Lepræ eius Baptismo curatam affirmat? Ait deinde Papæ domesticos fuisse: quòd de Dante, & Bocacio simpliciter est falsum. Dantes enim factione Gibellinus, non modò non domesticus, sed etiam hostis Pontificum fuit. Bocacius verò nullius Pontificis domesticus fuisse legitur. Quod autem de eruditione, & antiquitate dicit, antiquior, & doctior S. Bernardus fuit, antiquiores etiā, & doctiores innumerabiles alij, qui Sūmi Pontificis dignitatē totis viribus defenderunt. sed risum vix tenui cùm Petrarchā, & Bocaciū à morū sanctitate, vitæq; integritate laudari vidi, cùm eorū scripta Italica, ob quæ ab isto iuuene tantoperè commendantur, nihil ferè nisi nisi turpes amores cōtineant, quorū etiam ipsū Petrarcham aliquādo vehementer puduit, talib^9 videlicet sanctis Prophetis digni sunt Lutherani, & Caluinistæ, qui iuuentutem libris suis corrumpant, qui Deam Venerem, & prolem eius Cupidinem pro summis numinibus venerētur, qui vel triūphos amoris canant, vel confictis fabulis expugnandæ pudicitiæ artes doceant. Istud, credo, Euangelium ab Antistite vestro Beza didicistis, cuius extant tot carmina amatoria in Candidam, quędam etiam turpissima in eandem, ac puerum Audebertum; & qui non alia de causa præfationem in Psalmos pœnitentiales Latinis versibus scripsit, nisi vt formam Bethsabeæ impudicissimè (vt fecit) nobis depingeret. Disce miser, aliquando tandem, quantò sit Ecclesiæ Catholicæ, quam vestræ, sanctior disciplina, cùm illos ipsos libros vos appelletis sacros, & iterum atque iterum typis excusos populo obtrudere nitamini, quos censura Ecclesiæ Catholicæ legi ob impuritatem, & corruptelam iuuentutis prohibet. Iam quod addit hos auctores sine animi perturbatione de Romano Pontifice esse loquutos, quis credit cùm Dantes factione, vt dixi, Gibellinus eos ferè Pontifices solùm reprehendat, qui Gibellinis

præter cæteros aduersabantur Nicolaum III. Bonifacium VIII. Clementem V. nam à Petrarcha tria illa cantica in Curiam Romanam non sine magna animi perturbatione scripta, cùm aulicis infensus esse cœpisset, clariùs est, quàm vt sit à nobis necesse dici. Quòd deniq; ad vaticinium illud pertinet, quo illi Romani Pontificatus ruinam præsignificasse vobis visi sunt, si quidem illi tale aliquid prædixerunt, id ipsum de vaticinio ipsorum dicimus, quòd de similibus prophetis olim Ezechiel, cap. 13. pronunciauit, Veh prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Tentauerat quondam Martinus Lutherus horum omnium, qui nunc in Ecclesiam Catholicam debachantur, parens, futura prædicere, ac in Epistola quadam anno 1521. cùm illa inscriptione edita fidelem admonitionem ad omnes Christianos, audacter prædixit post biennium fore, vt Papæ, Cardinales, Episcopi, Presbyteri, Monachi, Moniales, turres, campanæ, & quicquid Ecclesiasticum est, in auras deflueret, atque euanesceret, modò, ipse illo biennio concionari, & scribere, vt cœperat, fineretur, sed permissus est non duos, vt petebat, sed ferè viginti, & duos annos summa libertate scribere, ac docere, nec tamen quidquam eorum, quæ prædixit, euenit: atque eundem exitum omnia eiusmodi vaticinia necessariò sortientur, quæ cum prophetæ illius omnipotẽtis vaticinio pugnant: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eum, Matth. 16.

CAPVT XIII.

QVia verò Pius V. Pontifex optimus, & sanctissimus carmina illa Petrarchæ, quę aduersus Vrbem Romam impiè scripta fuerant, abradi iussit, inde sumpta occasione, aduersarius in extrema declamatione sua tragicè deplorat, quòd libri sacræ Scripturæ non passim lingua vulgari vnicuique permittantur: Sed caussam istam, tam ineptè, & imperitè agit, vt nisi inscitiam eius ex toto ipsius opere deprehenderem, suspicarer fortasse eum præuaricari dedita opera voluisse. Primùm ait, Ecclesiæ Catholicæ Præsules, & Pastores id vnum satagere, vt hominibus persuadeant, eos, qui legunt Scripturas sacras noui, ac veteris Testamenti, hæreticos fieri. Sed quale est hoc mendacium? an non Scripturæ sacræ vtriusque Testamenti Summo Pontifice non solùm approbante, sed etiam iubente passim publicè, & priuatim in templis, in scholis, in domibus leguntur? Deinde addit, impiè prohiberi lectionem Bibliorum lingua vulgari, cùm Moyses in lege veteri iusserit, vt sacerdotes ad populum lingua materna conciones haberent? O acumen! quasi verò Ecclesiæ Catholicæ sacerdotes non lingua materna vbique ad populos concionentur. Tertiò dicit Christum quoque id ipsum discipulis imperasse, vt videlicet ad populum vulgari idiomate loquerentur. Et quamquam vulgaris idiomatis nulla in Euangelio, vt nec in lege Moysis mentio fit, admittimus tamen ad gentes, ad quas docendas missi erant, Apostolos lingua vulgari esse concionatos, quod, vt dixi, etiam hoc tempore faciunt Catholici Sacerdotes: sed ijdem cur quæso, lingua minimè vulgari epistolas conscripserunt, si eas à vulgò legi voluerunt? nam certè beatus Paulus ad Romanos, non Romanè, sed Græcè scripsit, & Apostoli Petrus, & Iacobus ad Hebræos, non Hebraicè, sed Græcè literas dederunt, & sanctus Ioannes Parthis, non Parthicam, sed Græcam epistolam misit. Quartò dicit, ab Apostolo Paulò seriò Christianis omnibus denunciari, vt sacras literas inuestigent, ac scrutentur. Atqui hoc præceptum Apostolicum in quatuordecim, quæ extant, Paulinis Epistolis nõ inuenitur, si Caluiniani quintam decimam fortè habent, non grauentur eam cum cæteris communicare. Sed quando Paulus Apostolus hoc iuberet, qui, vt dixi, ad Romanos ea lingua scripsit, quam vulgus non intelligebat. qui seriò monet ad Ephes. 4. positos in Ecclesia Doctores, & Pastores, vt videlicet non deessent, qui diuinas literas imperitæ multitudini exponerent? Postremò argumentum inde petit aduersarius, quòd Mahometus populis suis persuaserit, ad eos non pertinere libros legis Domini per se euoluere, cùm id proprium Sacerdotum sit, sed vtrùm Mahometus id præceperit, aduersarius noster viderit. Nos verò non in Alcorano Pseudoprophetæ Mahometi, sed in Malachia sancto, fidelissimoque propheta legimus: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requiretis ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est,* Malach. 2. & sanctum Basilium grauissimum doctissimumq; patrem, præfecto Culinæ Imperatoriæ locum è diuina Scriptura proferenti respondisse scimus: *Tuum est de pulmentis cogitare, non dogmata diuina decoquere,* id quod refert Theodoretus lib. 4. historiæ Eccles. capite 17. Sanctum quoq; Hieronymum clarissimum Ecclesiæ Catholicæ lumen non ignoramus, quàm acriter reprehenderit, in epistola ad Paulinum, prauam illam consuetudinem, qua sibi diuinas literas omnes vendicabant, cùm tamen alioqui veteri Prouerbio, Tractent fabrilia fabri. Atque hactenus de illa declamatione, qua Summum Pontificem Antichristum esse frustra probare aduersarius contendebat.

CAPVT XIV.

Responsio ad ea, quæ ex Dante Aligherio contra Sedem Apostolicam adferuntur.

VEnio nunc ad ea, quæ ex Dante Poëta Italico in medium adferenda libelli auctor iudicauit. Ea licèt multa, & varia sint, tamen omnia ad quinque capita reuocari possunt. Primùm enim in opere illo Dantis certorum Pontificum, & Cleri etiam totius vitia deteguntur; deinde locus Apocalypsis de Babylone ad Summos Pontifices applicatur; tertiò Sacrificium Missæ iuxta Lutheranorum errorem improbari videtur: quartò Lutheri aduentus, & prædicatio prophetico spiritu, si aduersarijs credimus, præsignificatur: quintò Indulgentiæ Pontificiæ reprehendi videntur. Ordiamur à primò: Quinque Pontifices à Dante reprehẽsos aduersarius annotauit, Anastasium II. Nicolaum III. Bonifacium VIII.

Clementem V. & Ioannem XXII. Addere poterat ad alios etiam Cœlestinum V. hos enim sex ex tam ingenti numero Summorum Pontificum in toto illo opere reprehendit. Sed in Anastasio ex inscitia turpiter lapsus est. Scribit enim Anastasium inter hæreticos in gehenna puniri, ob hæresim quandam Photini.

Cant. 11. dell'Inferno.

Ci raccostamo dietro ad vn coperchio
D'vn grande auello, ou'io vidi vna scritta
Che diceua, Anastasio Papa guardo
Lo qual trasse Fotin da la via dritta.

Commentarius aduersarij ad hunc locum habet, Photinum in Thessalia docuisse Spiritum sanctum à Patre non procedere; & filium minoris auctoritatis esse, quàm Patrem: atq; hanc hæresim ita placuisse Anastasio II. Pontifici, vt eam etiam publicè defendere sit conatus, proinde iure à Dante inter hæreticos numerari. Ac Dantes quidē aliqua venia dignus est, quippè qui Martinum Polonum, Gratianum, & alios quosdam erroris sui habuit auctores. Illi enim Dante antiquiores scriptum reliquerūt, Anastasium Pontificem in eo peccasse, quòd Acacium Eutychianæ hæresis fautorem, & à prædecessoribus suis iustè depositum, in sedem Constantinopolitanam reuocare voluerit, quodque Photino cuidam Thessalonicensi Acacij amico sine consensu Episcoporum cæterorum temerè communicauerit. Addunt etiam prædictum Anastasium ob id peccatum diuina vltione percussum miserè periisse. Quæ omnia falsa fabulosaque sunt: nam certissimis testibus constat, Acacium multò antè obiisse diem suum, quàm Anastasius Pontifex fieret: testantur id Euagrius lib. 3. histor. cap. 23. Nicephorus lib. 15. cap. 17. & Liberatus in Breuiario de caussa Nestoriana, cap. 18. quomodo ergo fieri potest, vt Anastasius Acacium ad sedem reuocare voluerit, quem iam olim defunctum esse constabat? Deinde nónne extat epistola doctissima, & pulcherrima huius Anastasij Pontificis optimi ad Anastasium Imperatorem, in qua totis viribus persuadere nititur, nec nomen quidem Acacij tolerandum esse? sed occasionem fabulæ dedit, quòd illo ipso tempore vixit Anastasius Imperator hæresi Eutychiana infectus, qui & Acacio fauebat, & & fulmine ictus interijt, vt scribunt Cedrenus Zonaras, & Paulus Diaconus in eius vita. Quod ergo ad Anastasium Imperatorem propriè pertinebat, vel inscitia, vel malitia scriptorum ad Anastasium Pontificem retulit, atque hæc ad Dantem. Ad Commentarium aduersarij breuiter respondemus, in eo tria splendida mendacia contineri. Non enim Anastasius IV. vt iste somniat, sed secundus fuit, de quo loquitur Dantes. Nec Photinus ille Spiritum sanctum à Patre procedere, vt iste sine vllo fundamento affirmat, inficiebatur, sed Acacio tantùm Eutychianistæ fauebat. Nec denique Anastasius Photini errorem publicè defendisse vsquam legitur, nisi apud istum verè cōmentitium cōmentarium. Auctores enim suprà citati, quos Dantes secutus videtur, tantùm scribunt, Anastasium sine consensu Episcoporum, & Clericorum totius Ecclesiæ Photino communicasse. Iam verò in Cœlestino V. nihil aliud Dantes reprehendit, nisi quòd Pontificatu spontè se abdicarit; sic enim habet:

Canto 3. dell'Inferno.

Guardai, & vidi l'ombra di colui.
Che fece per viltate il gran rifiuto.

Sed hunc locum, neque aduersarius annotauit, quod nihil ad rem eius pertineret, neque Dantes verè iudicauit. Fuit enim Cœlestinus vir sanctissimus, & tam ante Pōtificatum, quā etiam pōst, miraculis plurimis illustris, vt ex eius vita intelligi potest, quàm & doctè, & fideliter scripsit Cardinalis Cameracensis Petrus ab Alliaco. Cæteros quatuor Pontifices Nicolaum, Bonifacium, Clementem, & Ioannem, & generatim Clericos omnes, Dantes quidem non parùm vituperat, sed ob vitam, & mores, non ob fidem, & doctrinam, neque hæreticos, aut Antichristos vsquam vocat. Quid autem mirùm esset, si in tam numeroso Summorum Pontificum ordine, pauci quidam inuenirentur vitæ parùm integræ, & probatæ, an ideò, quia pauci quidam minùs sanctè vixerunt, sedes ipsa Apostolica Antichristiana dicenda est, cùm & anteà, & posteà plurimi viri sanctissimi eandem Apostolicam sedem tenuerint? an verò non possēmus cum sancto Augustino de Summis Pontificibus disputante, liberè dicere, in illum ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, iam vsque ad Clementem Octauum, qui nunc eandem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus præuidens, ait de præpositis malis: *Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt,* vt certa sit spes fidelis quæ non in homine, sed in Domino collocata nunquam tēpestate sacrilegi schismatis dissipetur: quid? quòd, vt suprà dixi Dantes factione, Gibellinus in reprehensione Pontificum, & Cleri meritò suspectus haberi debet, cùm odio potiùs inimicorum, quàm veritatis amore ad scribēdum animum appulisse videatur. Accedit postremò, quòd aduersarius etiam noster in quibusdam rebus Danti fidem habendam esse negat, quòd cum vulgi opinionem secutum esse dicat, vt in donatione, & lepra Constantini. Quòd si aduersario licuit Danti, quem vt prophetam coli voluit, fidem interdum non habere: cur nobis non liceat eidem Danti, quem poëtam, non prophetam fuisse scimus, interdum etiam fidem non habere? atque hæc de primo.

CAPVT XV.

Alterum caput erat de loco Apocalypsis, de quo sic loquitur Dantes:

Canto 19. dell'Inferno. *Apoc. 17.*

Di voi Pastor s'accorse l Vangelista
Quando colei che siede sopra l'acque
Puttaneggiar co'i Regi à lui fù vista.
Quella che con le sette teste nacque
Et da le dieci corna hebbe argumento
Fin che virtute al suo marito piacque.

Hic verò triumphat aduersarius, sed planè ante victoriam: nam in eodem Cantico Dantes agnoscit verum Ecclesiæ Catholicæ pastorem

rem fuisse Nicolaum illum tertium, de quo loquebatur cùm Summos Pontifices per mulierem illam meretricem significatos esse diceret.

Et se non fusse, ch' ancor lo mi vieta
La reuerentia delle somme chiaui.
Che tu tenesti nella vita lieta.
I' vserei parole ancor più graui.
Che l'auaritia vostra il mondo attrista
Calcando i buoni, & su leuando i praui
Di voi Pastor s' accorse'l Vangelista, &c.

Cùm igitur ob summarum clauium reuerentiam, quas Nicolaum Pontificem habuisse in terris confitetur, ne in Inferno quidem Dantes audeat contumeliosè illum alloqui: certè non Antichristum, sed verum Christi Vicariũ fuisse illum censebat, etiãsi ob auaritiam cum meretrice illa de Apocalypsi eundem conferri posse iudicauerit. Deinde quis neget veteres Patres doctissimosque Scripturæ sanctę Interpretes vni Danti anteponendos esse? porrò nullus vnquam veterum hunc locum Apocalypsis de Romana Ecclesia, aut Summo eius Pontifice accipiẽdum esse docuit. Sanctus Augustinus tractat. in Psalm. 26. & Arethas, Haymo, Beda, & Rupertus in commentario huius capitis decimoseptimo Apocalypsis, per magnam illam meretricem vniuersam diaboli Ciuitatem, id est, omnem impiorum multitudinem significatam volunt. Cæteri, vt Tertullianus, & Hieronymus suprà citati, dè Roma quidem locum illum exponunt, sed de Roma Ethnica, & Imperatoribus eius Paganis, qui Christi Ecclesiam in ipsa Vrbe ita persequebantur, vt planè iuxta verba Ioannis meretrix illa magna ebria dici posset de sanguine Martyrum Iesu. Sed iamdudum Roma ad Christi fidem per Apostolorũ Principes conuersa, vt idem sanctus Hieronymus ait, lib. 2. contra Iouinianum, blasphemiam in fronte scriptam Christi confessione deleuit, & vt magnus loquitur Leo, serm. de SS. Petro & Paulo: *De magistra erroris discipula facta es veritatis: & per eiusdem sancti Petri sedem caput orbis effecta latius præsides religione diuina, quàm dominatione terrena.*

CAPVT XVI.

Tertium ad sacrificium Missæ pertinet, & in illis verbis continetur.

Cant. 33. del Purgatorio.

Sappi che'l vaso ch' el serpente ruppe
Fù & non è: ma chi n' hà colpa creda
Che vendetta di Dio non teme suppe.

Hunc enim locum aduersarius ita exponit, vt velit, vas, quod fuit & non est, esse Romanam Ecclesiam, designatam per bestiam illam, de qua dicitur in Apocalypsi, cap. 17. fuit, & non est, & quia *suppa* lingua Italica significat panem vino maceratum, scribit impius iste iuuenis, per eam vocẽ significari Eucharistiam, ac sententiam Dantis esse, non placari Deum sacrificijs Catholicorum Sacerdotum, quæ in specie panis, & vini Domino offeruntur. Et quidem quod attinet ad vas illud cõfractum, non negamus eo vase Romanam Ecclesiam designari, quam Dantes ob corruptam morum disciplinam in deterius mutatam cùm cerneret, dixit, fuisse, sed non esse: quòd autem dixit non esse, per comparationem accipiendum est; non absolutè. neque enim significare voluit, non esse iam Romæ Ecclesiam, sed non esse talem, qualis aliquando fuerat, si de moribus, & vitæ integritate agatur: nam alioqui Ecclesiam Romę esse, & Summos Pontifices Christi locum in terris gerere, ex ipso Dante paulò pòst luce clariùs ostendemus. In eo verò quod de pane, & vino scripsit Dantes, explicando, toto cælo aduersarius aberrauit: nam Landinus, qui commentaria in Dantem scripsit, vbi ad hunc locum venit, ex testimonio Imolensis antiqui interpretis huius poetæ, & ex monumentis quibusdam filij eiusdem Dantis, & ex communi Florentinorum consensu docet, allusisse Dantem hoc loco ad superstitionem, quæ suo tempore vigebat Florentiæ, existimabant enim illius ætatis homines eos, qui homicidium perpetrassent, non posse in manus inimicorum deuenire, si super occisi tumulum panem vino maceratum comedissent, atque ea de causa cognati eius, qui cæsus fuerat, diligenter tumulum custodiebãt, ne fortè homicidæ super eum tumulum cibo illo vescerentur, antequàm cædem alia cæde vlti essent. Ad hanc igitur sui temporis consuetudinem, siue potiùs superstitionem Dantes respiciens, minatur diuinam vindictam ijs, qui Ecclesiam malè viuendo deformant: atque addit eis minimè profuturam superstitionem illam, quam sibi prodesse parricidæ falsò, atque impiè credunt.

CAPVT XVII.

Sequitur Quartum caput, quo carmina illa continentur, quibus Lutherum à Dante præsignificatum aduersarius credit.

Cant. vlt. del Purgatorio.

Non sarà tutto tempo senza reda.
L'Aguglia, che lasciò le penne al carro.
Perche diuenne mostro, & poscia preda.
Ch' i veggio certamente, & però' l narro.
A darne tempo già stelle propinque.
Sicure d' ogni intoppo, & d' ogni sbarro.
Nel quale vn cinque cento dieci, & cinque
Messo di Dio anciderà la fuia.
Et quel Gigante che con lei delinque.

Hic aduersarius, vt se acutissimum ænigmatum interpretem esse demonstret, tempus significari affirmat, quo Lutherus conciones suas aduersus Ecclesiam, & Summos Pontifices exorsus est. Is enim annus fuit quingentesimus septimus decimus suprà millesimũ. Parùm autem interest inter annum quingentesimum quintum decimum notatum à Dante, & annum quingentesimum septimum decimum, quo Lutherus apparuit. sed non aduertit nouus iste OEdipus, Dantem per eum numerum non tempus, sed personam significasse, nõ enim ait, anno quingentesimo quintodecimo nuncius Dei venit, sed tempus erit, cùm quidam à Deo missus adueniet, qui per numerum 515. significatur, in qua re imitari voluit Dantes locum illum, cap. 13. Apocalypsis, vbi nomen Antichristi per numerum 666. describitur. Deinde si numerum annorũ Lutheranæ prædicationis Dantes præuidisset, cur à

vero per integrum biennium aberrasset? cur etiam mille annos omisisset? Ad hæc cum tam apertè Dantes per nuncium illum Dei Imperatorem designet, cùm dicat, nō semper Aquilam hærede carituram, vnde quæso in mentem venire potuit vlli homini, vt per eū nuncium Lutherum ex Monacho apostatam, ac priuatum hominem intelligeret? & cùm Dantes prædicat, nuncium illum nō solùm oppressurum meretricem, sed etiam Gigantem, qui cum ea fornicabatur, & per Gigantem aduersarius noster Philippum Pulchrum Galliarum Regem, qui Clementis V. temporibus vixit, significatum fuisse concedat: quanta quæso amentia fuit, per eum Nuncium Lutherum accipere, & interpretari, quasi Lutherus Philippum illum debellaturus esset, qui antè ob jt quàm Lutherus nasceretur? Vera igitur expositio, quæ ex ipsius Dantis testimonio colligitur, hæc est, per numerum quingentorum quindecim, nomen describitur trium literarū, videlicet, Dux, siquidem numerus ille Latinè sic scribitur D X V. eædem verò literæ transpositæ faciunt Dux. Porrò per eum ducem Principem Veronæ intelligi voluit, qui Chanes Scaligerus nominabatur. cùm enim ab eo Principe multa beneficia Dantes accepisset atque el more poëtico adulari vellet, prædicit fore, vt is aliquādo Imperio Romano, ac præsertim per omnem Italiam potiatur: & non solùm Ecclesiam ditione temporali spoliet, sed etiam Regem Galliæ Philippum in ordinem redigat. Id ita esse, perspicuum est ex primo Cantico de rebus Inferorum, vbi similia prædicens, & nomen Canis exprimit, & Ciuitatem eius describit:

Molti son gl'animali à cui s'ammoglia
E più saranno ancora infin che'l veltro
Verrà che la farà morir con doglia.
Questi non cibarà terra, ne peltro
Ma sapienza & amore, & virtute
Et sua nation sarà tra Feltro e Feltro.

Sita enim Verona est inter Feltrum Romandiolæ, & Feltrum Marchiæ Triuisanæ. Idem etiam apertè colligitur ex Cant. 17. Paradisi. Cæterùm vaticinium istud non alium exitum habuit, quàm inanis adulatio, & poëticum somnium merebatur.

CAPVT XVIII.

Restat postremum caput, in quo aduersarius Indulgentias Pontificias à Dante reprehendi credidit, hæc sunt verba Dantis:

Cant. 29. del Paradiso.

Ma tal vccell' nel becchetto s'annida
Che s'el volgo'l vedesse, vederebbe
La perdonanza, di che di si confida.

Sed hic locus nihil omninò facit contra Indulgentias, siquidem, vt exponit Landinus, & res ipsa clamat, eos concionatores Dantes reprehendit, qui falsas Indulgentias prædicant, & turpis lucri gratia venias peccatorum auditoribus pollicentur, cùm Pontificis testimonium nullum proferre possint, quos quidem concionatores, si qui iam sunt, vt impostores, & falsarios Catholici omnes reprehendunt, loqui autem de eiusmodi Dan-

A tem impostoribus, patet ex Versibus, qui proximè sequuntur:

Per cui tanta stultitia in terra crebbe
Che senza proua d'alcun testimonio.
Ad ogni promission si correrebbe

Et paulò infrà:

Pagando di Moneta senza conio.

Vbi significat, eiusmodi concionatores ijs, à quibus eleemosynas accipiunt ratione Indulgentiæ soluere pecunias sine impresso vllo signo, quæ nihil valent.

CAPVT XIX.

Atque hactenus respondimus ad ea, quæ ex Dante protulit aduersarius; nunc audire eum necesse erit ex eodem Dante, quæ fortè non cuperet. Proferemus enim testimonia plurima, atque apertissima Dan-
B tis, non solùm pro Summa Rom. Pontificis auctoritate, & dignitate, sed etiam pro alijs nonnullis fidei nostræ capitibus, vt aduersarius intelligat, se Dante Iudice nō modò caussa cecidisse, sed etiam planè hæreticū, & impium esse.

De sancto Petro sic loquitur Dantes:

Cant. 24. del Paradiso.

O luce eterna del gran viro
A cui nostro Signor lasciò le chiaui
Ch' ei portò giù da questo gaudio miro.

De Vrbe Roma sic:

Cant. 2. dell' Inferno.

Non pare indegno ad huomo d'intelletto
Ch'ei fù del'Alma Roma, & di suo imperò
Nel'empireo ciel' per padre eletto.
La quale, e'l quale à voler dire il vero
C *Fur stabilite per lo loco santo*
V'siede il successor del maggior Piero.

Audisnè, Romam non Antichristi locum esse, sed Vrbem almam, & locum sanctum, de cælo stabilitum, vbi successor Petri sedem habet?

Alio loco Nicolaum III. Papam iam defunctum sic alloquitur:

Cant. 19. dell' Inferno.

Et se non fusse, ch' ancor le mi vieta.
La riuerentia delle somme chiaui
Che tu tenesti nella vita lieta
Io vserei parole ancor più graui.

Audisnè qua reuerentia Dantes Pontificem, etiam mortuum prosequatur, licèt ei, præter cæteros infensus esset.

Alio loco describens captiuitatem Bonifa-
D cij VIII. ita cecinit:

Cant. 20. del Paradiso.

Veggio in Anagna entrar lo fior d'aliso.
E nel Vicario suo Christo esser catto.
Veggiolo vn'altra volta esser deriso.
Veggio rinouellar l'aceto e'l fiele
E tra viui ladroni esser anciso
Veggio'l nouo Pilato si crudele.
Che cio no'l satia, ma senza decreto
Porta nel tempio le cupide vele.
O Signor mio quando sarò mai lieto
A veder la vendetta che nascosa
[illegible] dolce l'ira tua nel tuo secreto.

Audisnè illum ipsum Pontificem Bonifacium, quem ob malos eius mores, vel ob contrariam factionē Dantes sæpè reprehendit, Vicariū Christi nominari, & iniuriam illi factam,

Christo

Christo factam iudicari? non igitur Dantes more Lutherico, & Caluinistico Pontificem Summum Antichristum esse putabat, etiamsi alioqui illum reprehenderet, quòd vitam, & mores minùs probatos habere videretur.

Alio loco de eodem sic loquitur:

Cant. 22. dell' Inferno.

Ne summo offitio, ne ordini sacri
Guardò in se.

Audisnè vt summum officium, sacrosque ordines cum prauis moribus in Bonifacio Dantes agnoscat?

Alio loco scribit se occurrisse animæ Adriani V. Pontificis, & continuò in genua procubuisse, vt cum ea anima loqueretur ob summam dignitatem, quam in terris gesserat.

Cant. 19. del Purgatorio.

Io m'ero inginochiato, & volea dire,
Ma com'io comincia, & ei s'accorse
Solo ascoltando del mio riuerire,
Qual cagion disse in giù cosi ti torse?
Et io à lui per vostra dignitate.

Alio loco de Papa Agapeto ita scribit:

Cant. 6. del Paradiso.

Ma' benedetto Agapitto che fue
Summo Pastore alla fide sincera
Mi ridrizzò con le parole sue.

Alio loco de Clemente V. quem præter omnes alios reprehendere solet, scribit:

Cant. 30. del Paradiso.

Et sia perfetto nel foro diuino,
All'hor tal: che in palese, & couerto
Non anderà con lui, con vn camino
Ma poco poi sarà da Dio sofferto
Nel sancto officio.

Alibi contra eos, qui sectarios audiunt omissa doctrina Ecclesiæ, ac Summi Pastoris, vt hoc tempore Lutherani, & Caluinistæ faciunt.

Cant. 5. del Paradiso.

Siate Christiani à mouerui più tardi
Non siate come penne ad ogni vento.
Et non crediate, ch'ogni acqua vi laui,
Hauete il vechio e'l nouo Testamento
E'l Pastor della Chiesa che vi guida
Questo vi basti à vostro saluamento.

Alio loco docet merita operum bonorum, quæ aduersarius noster cum Magistro suo Caluino non agnoscit.

Cant. 25. del Paradiso.

Speme diss'io è vn attender certo
Della vita futura il qual produce
Gratia diuina, & precedente merto.

Alio loco asserit arbitrij libertatem, cuius ne nomen quidem Caluinistæ ferre possunt.

Cant. 1. del Paradiso.

Lo maggior don che Dio per sua largezza.
Fesse creando, & alla sua bontate
Più conformato, & quel che' ei piu aprezza,
Fù della volontà libertate
Di che le creature intelligenti
E tutte, & sole furo, e son dotate.

Et alibi de eodem libero arbitrio.

Cant. 18. del Purgatorio.

Questo' el principio la onde si piglia
Cagion di meritare in voi secondo
Che buoni, & rei amori accoglie, & viglia.

A Alio loco signum crucis approbat, à quo Caluinistæ non minùs quàm dæmones fugiunt.

Cant. 2. del Purgatorio.

Poi fece il segno lor di santa Croce.

Alio loco inuocationem Sanctorum describit, quæ idololatria à Caluinistis iudicatur.

Cant. 13. del Purgatorio.

V di gridar, Maria ora per noi
Gridar, Michele, & tutti gli altri santi.

Item alibi inducit sanctum Bernardum sic loquentem de intercessione B. Virginis Mariæ.

Cant. 32. del Paradiso.

Orando gratia conuien, che s'impetri
Gratia da quella, che puote aitarti.

Item alibi ad eandem Virginem.

Cant. vltimo del Paradiso.

B *Donna sei tanto grande, e tanto vali*
Che qual' vuol gratie, e à te non ricorre
Sua disianza voul volar senza ali.

Alio loco de Reliquiarum veneratione.

Cant. 25. del Paradiso.

Mi disse mira, ecco'l Barone
Per cui la giù si visita Galitia.

Alio loco de Imaginibus.

Cant. 4. del Paradiso.

Et santa Chiesa con aspecto humano
Gabriel, & Michael vi rappresenta
Et l'altro che Tobia rifece sano.

Alio loco de votis, quæ sine Pontificis auctoritate, commutari nequeunt, in quo se maximè alienum ab hæreticis nostri temporis Dantes ostendit.

Cant. 5. del Paradiso.

C *Mà non transmuti carco alla tua spalla.*
Per suo arbitrio alcun senza la volta
E della chiaue bianca e della gialla.

Alio loco contra quosdam, qui Virginem Deo dicatam ex monasterio sanctæ Claræ rapuerunt, quod nostro tempore fecit Lutherus, tantoperè ab aduersario laudatus.

Cant. 3. del Paradiso.

Dal mondo per seguirla giouinetta
Fuggimi, & nel suo habito mi chiusi
Et promisi la via della sua setta
Huomini poi al mal più ch'al ben' vsi
Fuor mi rapiron della dolce chiostra,
Dio lo si sà qual poi mia via fosse.

Alio loco de pœnis Purgatorij, quas Caluinistæ, vt fabulas rident.

Cant. primo, dell' Inferno.

D *—— Color che son contenti*
Nel foco, perche speran di venire.
Quando ch'e sia, alle beate genti.

Alio loco de suffragijs pro Defunctis, quæ similiter negantur à Caluinistis.

Cant. 26. del Purgatorio.

Fagli per me vn dir di Pater nostro.
Quanto bisogna à voi di questo mondo
Oue poter peccar non è più nostro.

Item alibi de eadem re.

Cant. 11. del Purgatorio.

Ben si dee lor' aitar' lauar le note
Che portaron quinci, si che mondi e lieui
Possan' vscir' alle stellate rote.

Alio loco de duobus gloriosissimis Ducibus Minorum, & Prædicatorum.

Cant. 11. del Paradiso.

Due principi ordinò in suo fauore
Che quindi, & quinci le fusser per guida
L'un fù tutto Serafico in amore
L'altro per sapientia in terra fue;
Di cherubica luce vno splendore.

Item ibidem de approbatione regulæ sancti Francisci per Apostolicam sedem.

Et regalmente sua dura intentione
Ad Innocentio aperse, & da lui hebbe
Primo sigillo à sua religione.

Item:

Di seconda corona redimita
Fu per Honorio dall' eterno spiro
La santa voglia de' esso Archimandrita.

Item de primis socijs sancti Francisci. Cant. 12. del Paradiso.

——Il venerabile Berardo
Si scalzò prima, & dietro à tanta pace
Corse, & correndo li parue esser tardo.
O ignota ricchezza, ô ben ferace:
Scalzasi Egidio, scalzasi Siluestro.
Dietro à lo sposo si la sposa piace.

Sed finis sit: neq; enim omnia adducere debemus, & hæc abundè sufficiunt, vt iuuenem illum, qui Dantem iudicem appellauit, si frontem habet, erubescere cogant.

Responsio ad ea, quæ adferuntur ex Petrarcha.

CAPVT XX.

TRanseo nunc ad ea, quæ ex Francisco Petrarcha in medium aduersarius protulit; ea sunt partim cantica quædam, partim fragmenta epistolarum, sed omnia in vnam, atque eamdem sententiam conueniunt, vt videlicet Romanam curiam multorum vitiorum accusent, ac propterea etiam Babylonem quãdam nominari posse affirment. Fateor illa in libris Petrarchæ exstare, sed quæ vitia hominum damnent, non Pontificum, aut sedis Apostolicæ dignitatem imminuant, id quod ipse testatur libro vndecimo Senilium Epistolarum ad Franciscum Brunum Pontificis Maximi secretarium scribens: nam cùm admoneretur, ne tam multa scriberet in Cardinales, aliosq; Romanæ Curiæ prælatos, respondit, se non homines, sed vitia hominum insectari, neque id facere, quòd sibi nocuerint, sed quia iniuriam malè viuendo faciunt Romanæ Vrbi, Ecclesiæ Dei, Christo ipsi, atque Apostolis eius Petro, & Paulo. Nam alioqui in ijsdem libris innumerabilia extant loca, ex quibus Fides, & cultus Petrarchæ erga summã illam, ac Deo proximam Romani Pontificis potestatem agnoscas. lib. 1. Senilium Epistolarum ad Talanandum Cardinalem: Quis, inquit, quæso, non stupeat, simulque non gaudeat, si amicus sit Vicario Iesu Christi? lib. 7. Senilium ad Vrbanum V. Pontificem, quem vt Romam redeat adhortatur: Mihi, inquit, apud te, summum culmen Ecclesiæ, non de mea ætate, sed de tua humanitate fiducia nascitur, audio enim te libenter audire, quæ vera sunt, etsi acria sint: falsa autem quamuis dulcia, aspernari, neq; id mirum, Veritatis viuæ Vicarius es in terris. & infrà: Vbicumq; ritè colitur Christi nomen, illic sedẽ tuam esse, nec nego, nec dubito. Illud mihi non

A negetur quod inter omnes alias singulare tecũ aliquid, imò, quã plurimùm habeat Vrbs Roma. Ceteræ enim omnes suos habent sponsos, tibi quidem vni subditos, sed suis Ecclesijs præsidentes: illa verò nullum habet, nisi te. Itaq; summus in reliquis, in Romana Vrbe solus es Pontifex, solus sponsus, & infrà: Quo animo, da quæso misericors pater temerariæ deuotioni meæ veniam, quo, inquam, animo tu ad Ripam Rhodani sub auratis tectorum laquearib. somnum capis, & Lateranum humi iacet; & Ecclesiarum mater omnium tecto carens, & vẽtis patet, ac pluuijs, & Petri, & Pauli Sanctissimæ domus tremunt: & Apostolorũ, quę nunc ædes fuerant iam ruina est, informisque lapidum aceruus lapideis quoq; pectoribus suspiria extorquens? & infrà: Romam almam, ac sacrosanctam Vrbem, Reginam vrbium, arcem

B Christianæ fidei, locũ Deo gratum, hominibus venerandum, sacram tellurem, rerum caput, non semel appellat, & ibidem: nullam esse toto orbe terrarum ciuitatem vbi magis religio, ac deuotio erga res diuinas cõspiciatur, affirmat. Ibidem de Bonifacio Papa VIII. Ananiæ à Columnensibus comprehenso loquẽs: nullam, inquit, homini in Vicarium Dei sui causa sufficiens est offensionis. Idem lib. 9. Senilium ad eumdem Vrbanum: Verè, inquit, summus, ac Romanus est Pontifex, verè Vrbanus, verè Petri successor, verè Vicarius Iesu Christi. Item in eodem libro ad Franciscum Brunum scribens: Illud, inquit, neq; tuum, neq; cuiusquam animum moueat, quòd Papam Romanũ, quo

C nihil maius, immò cui par nihil orbis habet, alloquor: quasi illius reuerentia stylum cohibere debuerit. mihi enim, vt vides, magna hinc pars fiduciæ orta est, quòd Vicario veritatis nulla veri particula occultanda videretur. Idẽ lib. 11. Senilium, epistola vltima: Roma, inquit, proculdubio Sacrosanctissimus mundi locus est, vbi Christianus verus, & viuere oportet & mori. Idem in Apologia contra Galli calumnias: Non quidem, inquit, sic insanus sum, vt Romano Pontifici legem ponam, cùm ipse sit legifer omnium Christianorum. Idem lib. 1. Inuectiuarum cõtra medicum, Romano Pontifici, inquit, omnes, qui Christiano nomine gloriamur, non modò consilium, sed obsequiũ insuper, & obedientiam debemus. Neque verò solùm de Summi Pontificis dignitate multò aliter sentit Petrarcha, quam aduersarius cre-

D deret; sed etiam de cæteris omnibus fidei nostræ capitibus. Nam libro vndecimo Senilium ad Bonauenturam scribens, laudat Monachum quemdam, quòd & Monasticam vitam religiosè duxerit, & Missas deuotissimè celebrauerit. li. 13. in epist. ad Franciscum Brunum, orat pro anima Pontificis defuncti. lib. 14. in epistola ad Philippum Cardinalem multa scribit de sacra illa spelunca, in qua S. Maria Magdalena habitasse dicitur, eamque illo carmine inuocat:

Dulcis amica Dei lacrymis inflectere nostris:
Atque humiles attende preces, nostraque saluti
Consule, namque potes.

In lib. 2. de vita solitaria, cap. 11. Sacra stigmata sancti Patris Francisci, & ordinem ab illo institutum debitis laudibus celebrat. libro 1. de otio Religiosorum, Monachos sic alloquitur:

O felices animæ, ô excubitores assidui, intentique; ô sollicita, & deuota Christi mancipia, proque breui seruitio non libertatem modò perpetuam, sed ingenuitatem filiationemque promerita, ô mercimonium optabile, faustaq; rerum alternatio seruire modicum, nõ vt diu regnes, sed vt semper. Denique, vt alia prætermittam, extat etiam ipsius Petrachæ testamentum, in quo multa sunt Catholici animi signa; sed illud in primis, quod B. Virginem ac Sãctos ceteros magna deuotione implorat. Nec solùm Latinis, seriisque operibus, sed etiam in Italicis illis versibus, quos tantopere aduersarius admiratur, & in libello, quos de vitis Pontificum, & Imperatorum conscripsit, & Summum Pontificem Christi Vicarium vocat, & alia non pauca scribit aduersùs ea, quæ nostri temporis hæretici docent, de Summo Pontifice ita loquitur:

E'l Vicario di Christo con la soma
De la chiaui, e del manto al nido torna:
Si che s' altro accidente nol distorna
Vedrà Bologna, e poi la nobil Roma.

Item alibi Ludouicum IV. Imperatorem non alia de causa solùm Idolum appellat, & nomen habere dicit sine re; nisi quia Summi Pontificis auctoritate, & ab Imperio deiectus, & extra communionem fidelium eiectus fuerat.

Latin sangue gentile
Sgombra da te queste dannose some;
Non fare Idolo vn nome
Vano senza soggetto.

Alio loco Romanam Vrbem Domicilium Dei nominat, quia videlicet sedes est Vicarij eius.

Le donne lagrimose, e'l volgo inerme
De la tenera etate, e i vecchi stanchi;
E'hanno se in odio, e la souerchia vita,
E i neri fraticelli, e i bigi, e i bianchi
Con l' altre schiere trauagliate e inferme,
Gridan: ô Signor nostro aita, aita:
E la pouera gente sbigottita
Ti scuopre le sue piaghe à mille, à mille.
Ch' Annibale, non ch' altri farian pio.
E se benguardi a la Magion di Dio
Ch' arde hoggi tutta, assai poche fauille
Spegnendo fien tranquille.
Le voglie che si monstran s' infiammate:
Onde fien l' opre tue nel ciel lodate.

Alio loco piè describit peregrinationem ad Vrbem Romam, & cultũ fidelium erga sacras reliquias atque Imagines, quas vos Caluiniani irridere soletis.

Mouesi'l vecchiarel canuto, e bianco
Del dolce luogo, oue ha' sua età fornita,
E da la famigliuola sbigottita;
Che vede'l caro padre venir manco:
Indi trahendo poi l'antico fianco
Per l' estreme giornate di sua vita:
Quanto più può col bon voler s' aita
Rotto da gli anni, e dal camino stanco
E vienne à Roma seguendo il desio
Per mirar la sembianza di colui:
Ch' ancor la sù nel ciel vedere spera.

Alio loco Virginem Deiparam magno affectu implorat: & simul damnat amores, & amatoria cantica, quæ iuueni sibi exciderant.

A *Per te può la mia vita esser gioconda*
S'a tuoi prieghi ò Maria
Vergine dolce, e pia
Oue'l fallo abondò, la gratia abonda.
Con le ginocchia de la mente inchine.
Prego che sia mia scorta:
E la mia torta via drizzi à bon fine.

Et infrà:

Mortal bellezza, atti, e parole m' hanno
Tutta ingombrata l' alma,
Vergine sacra, & alma
Non tardar, ch' io son forsi all' vltim' anno.
I di miei più correnti che saetta
Fra miserie, e peccati
Sonsen' andati: sol morte n' aspetta.

Et infrà:

Se dal mio stato assai misero, e vile
B *Per le tue man resurgo*
Vergine: è sacro e purgo
Al tuo nome, e pensieri e'ngegno, e stile:
La lingua, e'l cor, le lagrime, e sospiri
Scorgine al miglior guado:
E prendi in grado i cangiati desiri.

His adiungam duo illa cantica, vbi deplorat pretiosum tempus in nugis, id est, in amatorijs versibus amissum.

Tennemi amor anni vent' vno ardendo
Lieto nel foco, e nel duol pien di speme:
Poiche Madonna e'l mio cuor seco insieme
Saliro al cielo diece altri anni piangendo.
Homai son stanco, e mia vita riprendo
Di tanto error: che di virtute il seme
Ha quasi spento: e le mie parti estreme
Alto Dio à te deuotamente rendo.
C *Pentito, i tristo de miei si spesi anni:*
Che spender si doueano in miglior vso,
In cercar pace, & in fuggir affanni
Signor, Ch'en questo carcer m' hai rinchiuso
Trammene saluo da gli eterni danni
Ch' io conosc' ol mio fallo, e non lo scuso.
I vò piangendo i miei passati tempi:
I quai posi in amar cosa mortale
Senza leuarmi à volo hauendo io l' ale
Per dar forsi di me non bassi essempi.
Tu che vedi i miei mali indegni & empi
Re del cielo inuisibile immortale
Soccorri all' alma disuiata, e frale:
E'l suo difetto di tua gratia adempi.
Si che s' io vissi in guerra, & in tempesta
Mora in pace, & in porto, e se la stanza
Fu vana, almen sia la partita honesta.
D *E quel poco di viuer che m' auanza:*
Et al morir degni esser tua man presta
Tu sai ben, che'n altrui non ho speranza

CAPVT XXI.

CLaudam hunc locum cum illis eiusdem Petrarchæ testimonijs, quæ in eo libro Italico continentur, quem scripsit de vita, & moribus Pontificum Romanorum. Omittam autem quæ ille dicit de Pontificibus, qui ante ipsius tempora sederant, quos tamen vt plurimùm laudat, ea solùm testimonia, quæ ad eos pertinent, quos ipse optimè nouerat, Ioan. videlicet 22. Benedictum 12. Clementem 6. Innocentium 6. & Vrbanum 5. De Ioanne sic loquitur: *Costui fu ottimo, & glorio-*

so Pasto-

so Pastore: fece molti beni, & heretici per zelo della fede condannò.

De Benedicto: *Fù nell'adolescenza di buona, & intera vita, dipoi Maestro in Theologia, e fatto che fù Papa, riformò l'Ordine di S. Benedetto. Nel dare i Beneficij era duro, hauendo grand e cura, che non fussero conferiti à chi nō gli meritaua. era feruido nella fede, & nelle buone opere zelatore, & però era ad alcuni non troppo caro. Fù rigido, & aspro in modo che fingeua di non riconoscere li parenti dicendo che il Papa non hà parenti.*

De Clemente: *Fù & per nome, & per fatti di molte virtù pieno.* De Innocentio: *Fù grandemente de Religiosi amatore. Fù in ragione Canonica eccelente. all'vltimo hauendo santamente tradotta la vita, si morì.* De Vrbano: *Fù nelle sacre Scritture dottissimo & santamente visse.* Hæc sunt Petrarchæ testimonia de Pontificibus Romanis, quorum temporibus ipse vixit: quæ quidem non ab assentationis studio, sed à veritatis amore profecta non dubitabit, qui cogitabit ea scripta post obitum omnium illorum fuisse, & ab eo, qui & liberrimè vitia Romanæ Curiæ taxare solebat, & qui nihil vmquam à Romano Pontifice ambierat, & oblatum etiam Episcopatum constantissimè recusauit, vt ex varijs eius Epistolis cognosci potest. Ex tot locis à nobis adductis tria quædam colligi possunt, Primùm non potuisse Petrarcham, cùm Romam, siue Auenionem ob Curiam summi Pontificis Babylonem appellauit, de fide, de religione, de potestate Ecclesiastica: sed de vitijs tantùm, quæ tunc vigebant, ea dicere: neq; illi vmquam venisse in mentem, quòd aduersarij mentiuntur, vt scriberet Romanum Pontificem Antichristum factum: aut Ecclesiam ipsam Romanam ab antiqua fide degenerasse. Quomodo enim Antichristum esse crederet, quem tot in locis Vicarium Dei nominare nō dubitat? Aut quando Romanam Vrbem Antichristi sedem esse diceret, qui eam almam, Sacrosanctam, domicilium Dei, locum Deo gratum, arcem Christianæ fidei, sacram tellurem, Sacrosanctissimam Sedem appellat, vbi omnis verus Christianus, & viuere optet, & mori? An verò placere illi vmquam potuisset nefarium istud bellum in summum Ecclesiæ Catholicæ Pastorem, & Patrem, ad quod Reges inflammare Aduersarius noster pro viribus nititur, cùm disertis verbis scriptum reliquerit, nullam esse posse homini Christiano in Vicarium Dei sui sufficientem causam offensionis? Deinde ex ijsdem locis intelligemus, Pium quintum Pontificem nullam fecisse Petrarchæ iniuriā, quòd tria eius Cantica abradi iusserit. Nam si Petrarcha suspicari potuisset, futuros fuisse aliquando homines, qui eius versibus abuterentur ad fidem Catholicam labefactandā, atq; ad eos confirmandos errores, quos ipse toto pectore execrabatur: sine dubio manibus ipse suis versus illos in ignem coniecisset. Quin etiam, si summus Pontifex, quē ille tam frequēter Vicarium Dei sui nominare solebat, totum illud opus amatoriarum cātiuncularum flammis adiudicaret: Equidem arbitror spiritum eius in cœlesti Hierusalem, vt ex eius pœnitentia piè confido, cum Deo coniunctum, ingenti lætitia perfundendum: & Deo, atque eius Vicario de ea re gratias acturum. Cur enim non gauderet, si cerneret opus illud exuri, cuius ipsum iam anteà pœnituerat: quod multis causa sempiterni exitij esse posset: ob quod deniq; vix ipse gehennæ ignem effugisset? Cognoscimus ad extremum ex ijsdem illis locis, Aduersarium nostrum, vel ipso Petrarcha teste, seu potiùs Iudice; Iudicem enim Aduersarius fecit, hæreticum esse: atque adeò extra veram Christi Ecclesiam cum Apostatis, & fugitiuis contra veritatem arma gerere. Siquidem Petrarcha, vt supra demonstrauimus, in ea fide, & religione viuebat, quæ Romanam Ecclesiā, vt omnium Ecclesiarum Parentem veneratur: quæ summum Pontificem Christi Vicarium, totiusq; orbis Christiani Patrem, & Pastorem agnoscit, quæ Reliquias, atque Imagines Christi, & Sanctorum colit: quæ B. Virginem, & Sanctos ceteros inuocat: quæ pro defunctis orat: quæ Monasticam vitam laudat: atq; hanc solam vnicam, & veram esse religionem idem Petrarcha in libro primo de remedijs vtriusq; fortunæ apertissimè docet. Aduersarius autem eorum se socium esse fatetur, qui pro Romana Ecclesia Geneuēsem Synagogam, Pro summo Pontifice Christi Vicario, Lutherum, aut Caluinum Vicarium Satanæ colunt, orare pro defunctis ociosum, Sanctos inuocare impium credunt: Sanctorum Reliquias, atque Imagines tantùm abest, vt venerentur, vt etiam illas in flumina, istas in ignem abijciant: Monasticen verò tanto prosequuntur odio, vt potiùs lupanaria, quàm Monasteria tolerare posse videantur. Quare nulla dubitatio remanet, quin, Petrarcha Iudice, inter hostes veræ fidei numerandus sit nobis ille iuuenis, qui ad Petrarchæ, quasi egregii cuiusdam prophetæ in grauissima causa religionis iudicium prouocauit.

CAPVT XXII.

Responsio ad ea, quæ ex Ioanne Bocacio adferuntur.

Vnus testat Bocacius ex ternario illo testium numero omni exceptione maiorum, ex quibus vulgo Italorum summū Pontificem Antichristum esse persuadere voluit Aduersarius. Sed quam ingeniosè, & argutè Bocacius fabulas texit: tam imperitè atque ineptè Iuuenis noster argumenta concinnat. Producit enim in medium ex Bocacij fabulis pauca quædam loca, in quibus vitia Clericorū, & Monachorum attinguntur. Sed ex ijs non sequi, vt propterea falsa religionis, fideique doctrina habenda sit (vt Aduersarius vellet) ipse idem Bocacius docet. Nam in secunda fabula, quam imprudenter Aduersarius præter cæteras elegit, vt eam nobis obijceret scribit quidē Bocacius multa, & grauia esse vitia Romanæ Curiæ: sed addit hoc ipsum manifestum argumentum esse veritatis fidei, ac religionis, quæ Romæ colitur. Cùm enim solùm Pagani, & Hæretici illam oppugnent: sed etiam ipsi, qui eam profitentur, ac docent, moribus peruersis destruere, vt ipse quidem loquitur, atque ad nihilum redigere moliantur, & ea tamen semper vigeat, ac floreat, quis ambigere possit, quin ea sit opus Dei, & non humano consilio, prudētia, viribus, Romanam religionem con-

fiſtere:ſed eius,qui dixit, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduerſùs eam*? In prima quoque fabula iure Boccacius à Catholicis reprehenditur, quòd Sacramentum Confeſsionis, atque extremæ vnctionis,fabulæ fundamẽtum fecerit. Cæterùm in illa ipſa fabula ſatis oſtendit nil ſibi cõmune fuiſſe cum nouatoribus iſtis: qui præter Baptiſmum, & Euchariſtiam nulla alia Sacramenta recipiunt.Siquidem ipſe cum honore de Sacramento Confeſsionis, & vnctionis extremæ,necnon de religioſo illo Sacerdote,quem vt miniſtrum Sacramentorum illorũ introducit, ſemper loquitur.& in extrema fabula perditum illum execratur,ac damnat,qui ſancto viro Sacerdoti ſuo impoſuit, & ad Sacroſancta illa myſteria planè indignus acceſſit. Neque verò in cæteris fabulis ſui diſsimilis fuit. Etſi enim paſsim Monachorũ, ac Sanctimonialium vitia ſub occaſione fabularum carpat:non tamen inde colligit, quod Aduerſarius facit, Monaſticen ipſam vniuersè eſſe damnandam: ſed contrà potiùs eos reprehendit,qui ſanctimoniam, ac decorem Religioſorum malè viuendo obſcurant. Quorſum igitur,inquies, Pontificum iuſſu hæ fabulæ ita corriguntur:vt vbique nomina Sacerdotum, Monachorum, ſanctimonialium, aut deleantur, aut in alia commutentur?Cauſa eſt in prõptu.neſcit enim vulgus cuius manibus vulgares eiuſmodi libri teruntur aſsiduè, vitium à perſona,& mores à dignitate ſecernere. Si Sacerdotes,ac Monachos flagitiorum, ac ſcelerũ argui videat,facilè Sacerdotium ipſum,ac Monachatum cõtemnit:neque cogitat, quod paucorum eſt, non eſſe omnib.tribuendum:neque ordinis ſanctitate perſonarum vitijs inquinari: nec pauci ſunt,qui Sacerdotum vitia libentiùs multò quàm virtutes imitari velint. quin etiam licere ſibi credunt,quod Sacerdotes ſiue rectè, ſiue perperam agunt. Quanti autem facienda ſit Sacerdotum bona exiſtimatio,vel ex vno illo Imperatoris Conſtantini facto ab omnibus ſcriptorib. mirificè laudato,colligi poteſt, quod ego,quia ad rem noſtram nõ parum facere videtur, Theodoreti verbis referam.Libro primo hiſtoriarum capite vndecimo: Erant,inquit,quidã calumniandi ſtudio flagrantes: qui quoſdam Epiſcopos accuſabant & criminationis libellos Imperatori offerebant.Ille illis ante concordiam cõſtitutam acceptis, primùm cùm eos vinculo conſtrinxiſſet annuloq; ſuo obſignaſſet,ſeruari iuſsit. Deinde cùm cõcordiam inter eos conciliaſſet, libellos in medium adductos,illis ipſis præſentibus, igne abſumendos curauit: iureiurando adiecto, ſe ne verbum quidem in illis ſcriptum perlegiſſe: nam Sacerdotum,inquit, vitia non ſunt populo aperienda: ne ille inde cauſa offendiculi arrepta licẽter peccare aggrediatur. Quin etiam eum hoc quoq; adieciſſe memorat:Si ſuis oculis Epiſcopum alienæ vxori ſtuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum ſuo paludamento ſe obtecturum, ne facinoris aſpectus eos,qui idem ipſum cernerent,vlla ex parte læderet. Hæc Theodoretus. Sanctus autem Cyprianus longiùs etiam progreſſus ſcribit, Chriſtum ipſum,& Apoſtolos eius, de Sacerdotibus Aaronicis,licèt iam ſacrilegi,atque impij eſſent, tamen ob ipſum quamuis inane nomen,& vmbram quamdam Sacerdotij, honorificè eſſe loquutos. Quòd ſi vera crimina Sacerdotum populo aperienda non ſunt, & verenda Patrum non cum maledicto Cham detegenda, ſed potiùs cum optimis eius fratribus contegenda: quis ferat eos,qui oblectandi gratia falſa crimina affingunt aut fabuloſis narrationibus in contemptum eos adducunt? Poteram hoc loco multa quoque ex libris Ioannis Boccacij adferre,ex quibus intelligeret Iuuenis noſter in cauſa religionis ſe cum cæteris Caluiniſtis,ab hoc etiam auctore damnari. Nam & in libro,qui inſcribitur Corbaccio, & in altero,qui dicitur Filocopo, multa Boccacius de inuocatione beatæ Mariæ, de laude virginitatis,de libero arbitrio, de igne purgatorio, de precibus pro defunctis, de ſacrificio Miſſæ planè Catholicè ſcribit. Sed nolui tam multa Italica verba huic noſtro Latino opuſculo inſerere, neque tam ſæpe de rebus iiſdem verba facere.

CAPVT XXIII.

IAm verò, quoniam Aduerſarius tribus teſtibus probare conatus eſt, plurima eſſe vitia Catholicorum, vt videlicet inde colligeret Catholicam Eccleſiam in Antichriſti regnum eſſe conuerſam: non debet moleſtè ferre,ſi nos etiam viciſsim trib. alijs teſtibus,quos reijcere nullo modo poſsit,ei probemus, deteriores eſſe Lutheranorum mores quàm vnquam fuerint Catholicorum. An autem inde efficere velit,Lutheranorum ſectas ad regnum Antichriſti pertinere, liberum illi permitto, nos enim eiuſmodi argumentis non egemus, vt certò certiùs eorum conuenticula Satanæ Synagogas,& eorũ multitudines agmina quædam Antichriſtum præcurrẽtia eſſe credamus. Primus teſtis Lutherus ſit, quem aduerſarius nuncium Dei à Dante prædictum appellare nõ erubuit; is enim in Poſtilla ſuper Euangelium Dominicæ primæ Aduentus ita loquitur: *Mũdus in dies fit deterior: ſunt nunc homines magis vindictæ cupidi,magis auari,magis ab omni miſericordia remoti,magis immodeſti, & indiſciplinati, multoq; deteriores quàm fuerint in Papatu.* Hæc ille, qui nihil ferè aliud verè ſcripſit in tot libris ſuis. Alter teſtis Iacobus Andreæ Smidelinus eſſe poterit,qui adhuc viuit, & primas tenet inter Lutheranos: adeò vt eorum Papa nõ malè à quibuſdam nominetur: Is in concione quarta ſuper caput vigeſimumprimum Lucæ, ſic habet: *Vt totus mundus agnoſcat eos*(Lutheranos videlicet,nam de his loquitur) *non eſſe Papiſtas,nec bonis operibus quidquam fidere, illorum operum nullum exercent penitus,ieiunij loco comeſſationibus,& perpotationib⁹ nocte,dieq; vacant:vbi pauperibus benignè facere oportebat,eos deglubunt, & excoriant: precationes vertunt in iuramenta, blaſphemias & diuini nominis execrationes, idque tam perditè, vt Chriſtus ne ab ipſis quidem Turcis hodie tantopere blaſphemetur. Demum pro humilitate regnat paſsim ſuperbia,faſtus,elatio, atque hoc vniuerſum vitæ genus ab illis Euangelicum dicitur inſtitutum.* Hæc ille; de quo ſanè illud Apoſtoli vſurpare tutò poſſumus, *teſtimonium hoc*

verum est. Sed accedat etiam testis tertius Erasmus Roterodamus, qui res eorum optimè nouerat, & ab ipsis maximi fieri solet. Is in Epistola ad Vulturium Neocomum: *Circumspice*, inquit, *populum istum Euangelicum, & obserua, nū minùs illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciant ij, quos detestamini? Profer mihi quē istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores*. Hæc Erasmus, qui non carmina fabulosa, sed narrationem seriam, & verissimam in ea epistola de moribus pseudoeuangelicorum, de quorum numero Aduersarius noster se esse gloriatur, instituit.

CAPVT XXIV.

Responsio ad ea, quæ Aduersarius in Satyris suis Pontifici Maximo petulanter obiecit.

RESTAT pars vltima anonymi libelli, quæ Satyras quinquaginta, & vnam Italicis rhythmis comprehendit. Eas ego diligēter excutiens, reperi partem earum maximam consumi tum in repetitione eorum, quæ suprà ex Dante, & Petrarcha dicta fuerant, tum in cōgerendis in Pontificem Maximum conuicijs, & maledictis, vix autem succum aliquem argumentorum, aut certè sententiarum, quæ aliquam argumenti speciem preseferrent, iterum atque iterum premēdo exprimere potui. quicquid autem illud sit quàm breuissimè refutabo: licèt alioqui carmen tam impolitum, & sordidum contemni sine vlla auctoris iniuria potuisset.

Satyra prima, & quarta, & alijs nonnullis, Christum caput Ecclesiæ esse dicit, atque inde efficit, summum Pontificem caput Ecclesiæ esse non posse: nisi monstrum aliquod biceps Christi Ecclesiam faciamus. Sed hoc argumentum tam sæpe iam est à Catholicis refutatum, vt mirùm sit, cur non pudeat Aduersarios tam putidæ repetitionis. Christum igitur caput esse Ecclesiæ vniuersæ libentissimè confitemur, neque vllum hominem, ac ne Angelum quidem illi æquamus: quod esset propriè duo capita in Ecclesiæ corpore constituere. at quin sub Christo summo capite Vicarius eius in terris caput, vt sic dicā, ministeriale non principale rectè nominetur, negari nullo modo potest: Siquidem, vt in Republica temporali caput omnium principale Rex est: sub Rege deinde capita sunt Prouinciarum ij, qui dicuntur Proreges, & sub Proregibus capita sunt Vrbium singularum certi quidam Prætores, & sub Prætoribus quælibet familia suum habet caput, ipsum videlicet patremfamilias: & in exercitu caput est omnium militum Imperator: sub Imperatore legati capita sunt legionum: sub legatis, Tribuni: sub Tribunis Centuriones, sub illis Decani suo quodam modo capita dicuntur, & sunt: nec tamen aut regnum, aut exercitum ob tot capitum multitudinem mōstrum videri vllus vnquam scripsit: ita quoq; in Ecclesia Dei summum caput omnium hominum, & Angelorū, Christus est: sub Christo in terris caput omniū Christianorum est Pontifex Maximus: sub illo Episcopi: sub Episcopis Parochi capita sunt Christianæ multitudinis. Et quamuis plurima veterum Patrum testimonia huc adferri possent, duo tamen vnus Græcus, alter Latinus hoc loco sufficient: Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 55. in Matthæum: *Deus*, inquit, *concedere solus potest, vt Ecclesia tot tantisque fluctibus irruentibus immobilis maneat: cuius pastor, & caput homo piscator, atque ignobilis*. Sanctus Hieronymus libro primo in Iouinianum: *Inter duodecim*, inquit, *vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio*.

Satyra 3. Pontifices arguit quòd se Christi successores esse glorientur, cùm Christus non successores, sed ministros Apostolos fecerit. At hoc mendacium nisi fortè licentia poetica, siue potiùs hæretica, excusari non potest. Siquidem Sūmi Pontifices, cùm & ipsi se Vicarios Christi nominent, & ab alijs passim hoc nomine designentur, certè non successores, sed ministros Christi se faciunt. Nam successores morientibus, Vicarij viuentibus dantur: & successores pares sunt ijs, quibus succedunt: Vicarij verò multò inferiores, ac planè ministri habentur eorum, quorum vices interim gerunt. Sed noster Poeta furore illo poetico in phrenesim actus, quid inter Vicarium, & successores discriminis esset, videre non potuit.

Satyra sexta satis pulchrè sibi demonstrare visus est, non esse hæreticos, qui Romanam veram Ecclesiam esse non credunt: quòd in symbolo Apostolico Catholicam, id est, Vniuersalem Ecclesiam confiteamur: Romana autem particularis sit, nec sine dettimento cæterarum Vniuersalis appellari queat. Sed nō mirùm est si nesciat Satyricus iste Poeta, de quibus loquatur, neque de quibus affirmet, vt Apostolus Paulus de similibus hominib. loquitur 1. Tim. 1. cùm maiorem operam in fabulis Bocacij, quàm in Theologis legendis, & meditandis posuerit. Neque enim Ecclesiam Vniuersalem Romanam dicimus, quòd in sola Vrbe Roma Christi Ecclesia sit: sed quòd Ecclesia toto orbe diffusa, cum Romana, vt cum sua matre, magistra, radice, fonte consentiat: quodque, vt S. loquitur Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ, cæteræ à Romana diuisæ, nihil sint aliud, nisi rami à radice diuulsi: riuuli à fonte præcisi: radij à solari corpore separati. Ad hanc enim Ecclesiam, vt vetustissimus Irenæus scriptum reliquit lib. 3. c. 3. propter potentiorem principalitatem oportet omnem cōuenire Ecclesiam: hoc est omnes, qui sunt vndique fideles. Itaque quicumque in symbolo vnam Catholicam Ecclesiam confitentur, ij nec verè vnam, nec verè Catholicam tenent, nisi radicem, & matricem Catholicæ Ecclesiæ, quæ sola Romana est, vt eam Cyprianus vocat lib. 4. epist. 8. agnoscant.

Satyra 11. & 12. audacter mentitur ab Apostolo Paulo, Romanū Pontificem Antichristū esse nominatum. At nos in quatuordecim, quæ extant, Epist. Paulinis tale testimonium nō habemus. Fingat ipse, si ita videtur, pro ea licētia quidlibet audēdi, quam pictoribus, atq; poetis Horatius tribuit, Epistolam quintam decimā. Legimus quidē in Apost. 2. Thess. 2. futurum aliquando hominem quemdam peccati, qui sese

efferret super omne quod dicitur Deus: at hunc Romanum Pontificem esse, non Apostolus Paulus, sed Apostata Lutherus scriptum reliquit. Lutherum autem, & quotquot eum sequuntur, hac in re esse mentitos, satis apertè initio demonstrauimus. Tantùm enim abest, vt Romanus Pontifex sese efferat super omne, quod dicitur Deus: vt se non solùm Christi famulum, sed etiam seruum seruorum Dei libenter appellet.

Satyra 33. Hoc ipsum nomẽ serui seruorum exagitat: miratur enim quo pacto ista cohæreant, vt qui seruus seruorum dicitur Regibus etiam imperare velit. Sed (vt magis Poëta miretur) addo ego, non tantùm posse fieri, vt seruus seruorum, Regibus imperet: sed etiam vt imperando seruiat, & imperet seruiendo. neque enim omnes qui seruiunt obedire eos necesse est. Seruiunt siquidem alij obediẽdo, vt mancipia: alij iubẽdo, vt Magistratus: Magistratus.n. populo seruit, si legitimus non tyrannicus sit. Quare B.Paul.2.Cor.4. seruum se Corinthiorum vocat. & 1.Cor. 4. ijsdem Corinthijs ita minatur, vt dicat, *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mãsuetudinis?* Et cùm omnes Præpositos Ecclesiarum seruos esse docuisset loco antè notato 2.Cor.4. ait tamen Hebr.13. ad filios Ecclesiarum, *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* Sic igitur Summus Pontifex seruus omnium seruorũ Dei verè dicitur & est, quòd omnib. Christianis, vt communis omnium Pastor, & Doctor, monẽdo, dirigendo, imperando, castigando etiã, & corrigendo, seruiat. Nam etiam Christus, cuius ille Vicarius est, minister fuit circũcisionis, Apostolo teste: nec ministrari venerat, sed ministrare: & tamẽ docebat, imperabat, è templo negotiãtes eiiciebat: & se adorari, sibique à populis supplicari patiebatur.

Satyra 20. Non posse dici Ecclesiæ fundamentum Apostolum Petrum, ex eo colligit, quòd B. Paulus ait priore Corinthiorũ tertio, non posse poni fundamentum aliud præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Sed loquitur Apostolus de primario Ecclesiæ fundamento, quod à nullo alio pendeat, quod etiam Ephes.2. summum angularem lapidem nominauit. Quòd si post Christum non esset etiã Petrus Ecclesiæ fundamentum, cur eum, quæso Dominus in Euangelio, Cepham, id est, petram appellaret? & de petra eadem dixisset; *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam?* Neque enim Petri nomen à petra dicitur, vt Aduersarius credit: sed est ipsum petræ vocabulũ cum masculina terminatione, vt commodiùs aurib. accideret. Dominus enim, qui hoc nomen Simoni imposuit, Syriacè Cepham dixit: Cephas autem Syriacè non petreum, vel petrinum, sed petram significat, vt etiam Græcum nomen πέτρος: Idque etiã Patres omnes vna voce confessi sunt. Origenes homilia quinta in Exodũ: *Vide, inquit, magno illi Ecclesiæ fundamento, & petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quod dicatur à Domino: Modicæ fidei, quare dubitasti?* Tertullianus in libro de præscriptione aduersùs hæreticos: *Latuit*, inquit, *aliquid Petrũ ædificandæ Ecclesiæ petrã dictum?* Sanctus Cyprianus in epistola ad Quirinum: *Petrũ Dominus primũ elegit, & super eum ædificauit Ecclesiã.* Sanctus Hilarius in Commentario ad caput 16. Matthæi: *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentũ dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernorum leges dissolueret. O beatus Cœli ianitor.* S. Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disputationib. seruanda: *Petrus*, inquit, *petra vocatur*. S. Epiphanius in Ancorato: *Dominus*, inquit, *constituit Petrum Apostolum, petram firmam, supra quam Ecclesia Dei ædificata est.* S. Ambrosius in hymno, qui tota Ecclesia celeberrimus est: *Hoc ipsa*, inquit, *petra Ecclesiæ, canẽte culpam diluit.* S Hieronymus in comment. ad cap. 16. Mat. *Secundum metaphorã*, inquit, *Petra rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te.* S. Ioannes Chrysostomus homilia 55. in Mat. *Tu es*, inquit, *Petrus: & ego super te ædificabo Ecclesiam meam* S. Augustinus in Psalmo contra partem Donati: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri. ipsa est Petra, quã non vincunt superbæ inferorum portæ* S. Cyrillus lib.2. in Ioannem cap. 2. *Nec Simon*, inquit, *fore iam nomen illi, sed Petrus, prædicit: vocabulo ipso cõmodè significans, quòd in eo, tãquam in petra, lapideq; firmissimo suam esset ædicaturus Ecclesiam.* S. Paulinus in epist. 4. ad Seuerũ: *Petra*, inquit, *est Christus, sed etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, cui ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã.* Theophylactus in comment. ad c. 22. Lucę, Christũ inducit ita loquentem ad Petrum: *Post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum.* In quam sententiam sic etiam Euthymius scribit in comment. ad c. 16. Mat. *Te ponã fundamentum credentium, ædificabo super te Ecclesiam meam.* Sed stultus videar fortasse, & ab istis ipsis Patribus meritò reprehendar, quòd tam graues auctores leuissimæ Satyræ objiciẽdos putauerim. Veniam igitur ad postremam criminationem, & Apologiæ finem imponam.

Satyra 2.9.14.35. vitio vertit Sixto V. & Pio V. etiã humilitatẽ generis, & quòd ex claustris Monasteriorũ ad Pontificatum ascenderint. In qua re satis prodit se cuiusdã quinti Euangelij discipulum, ac sectatorẽ esse: non placent illi videlicet Euãgelia quatuor Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis, in quib. ab ipso Christo ad summas Ecclesiæ dignitates lectos videmus humiles piscatores, ex Bethsaida viculo Galilææ. Nõ sapit illi, quod Apostolus ait: *Videte vocationem vestram fratres: quia non multi sapiẽtes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret.* Nõ probat Aduersarius cõsilium Dei, qui Regem secũdum cor suum in pascuis quæsiuit, & inuenit, & sustulit eum de gregib. ouium, & de post fætantes accepit eum pascere Iacob seruũ suum, & Israël hæreditatem suam. Credo etiã Mosem contemnet, qui ad Principatum à Deõ vocatus est, non ex aula Pharaonis, sed ex deserto, vbi soceri sui gregem pascebat. Ac ne sapientes quidem mundi huius Aduersarius audiret, qui gloriosius esse ducebant posteris suis facem prætulisse, quàm splendorem à maioribus accepisse: & virtutis, ac sapientiæ laude, quàm generis nobilitate, aut maiorũ commendatione viã sibi ad summos honores patefecisse. Quæ

se. Quæ cũ ita sint, aut solus aduersarius noster A sapit,& sapientes omnes, ac ipse etiam Deus, & Christus, & Apostoli desipiunt, aut, quod est verissimum, sic ipse vnus desipit, vt id vituperet, quod summa laude dignum erat. Quod verò attinet ad Monasteria; quis nescit optimos, sapientissimosque Pontifices, atque Ecclesiæ Catholicæ vtilissimos ex Monasterijs ad summi Pontificatus fastigium omnibus ætatibus fuisse promotos? Monachus certè fuerat sanctus Dionysius; qui vicesimus sextus à B. Petro, & omnium consensu doctissimus, & optimus, magna cum laude Ecclesiæ præfuit. Monachus fuerat sanctus Gregorius, qui ob doctrinæ, & pietatis excellentiam, ac rerum gestarum magnitudinem Magni cognomen inuenit. Monachus fuerat insignis ille Agatho, qui sextam Synodum Oecumenicam magno suo labore, ac diligentia congregauit: & doctrina, ac miraculis claruit. B Nec minor in Adeodato Pontifice, & Monacho, qui Agathonem præcesserat innocentia vitæ, morumque integritas fuit. Monachi fuerant Stephanus Quartus, Paschalis Primus, Ioannes Nonus, laudatissimi Pontifices. Monachus fuerat Gregorius septimus, qui, velint nolint Hæretici, inter optimos, sapientissimos, constantissimos, sanctissimosque Pontifices semper est numeratus. tametsi enim concubinarij, & simoniaci, quos ille summo studio persequebatur, multas in eum criminationes confingerent: tamen *signa & prodigia* (vt loquitur Lambertus Scaphaburgensis in historia rerum Germanarum, qui eo tempore vixit, & scripsit, & Germanus, non Italus fuit) *quæ per orationes Gregorij Papæ frequenter fiebant, & zelus eius frequentissimus pro Deo, & Ecclesiasticis rebus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant*. C Monachi fuerant Victor tertius, Vrbanus secundus, & Paschalis secundus, qui ordine post Gregorium septimum in Apostolica Sede constituti, scriptorum omnium consensu vitæ sanctitate, & rebus gestis claruerunt: Monachus fuerat Eugenius tertius, qui ob egregiam sanctitatis famam ad Pôtificatum assumptus, in summo illo fastigio moderationem pristinam retinens, miraculis, & virtus, & mortuus floruit. Monachus fuerat Adrianus quartus, qui cum doctissimus, optimus haberetur, ab Eugenio tertio Cardinalis creatus, & in Noruegiam missus, eam Prouinciã Christo suis laboribus acquisiuit, ac deinde Pontifex factus laude constantiæ, & magnitudinis animi insignis fuit. Monachi fuerant Innocentius V. ex Ordine Prædicatorum, ac non diu pòst Nicolaus quartus ex Ordine Minorum: quos vno ore historiæ omnes optimos probatissimosque Pontifices fuisse testantur, ac, vt Benedictum XI. Vrbanum quintum, & alios laudatos Pontifices prętermittam, Monachus fuerat sanctus Petrus Moronus, qui Cœlestinus V. in Sũmo Pontificatu appellatus est: cuius quidem ea fuit apud Deum deuotio, ac fides: vt miraculis maximis claruerit; ea rerum humanarũ despicientia, & solitudinis, ac diuinæ contemplationis amor, vt ipso se Pontificatu spõte abdicauerit.

Neque verò solùm in ordine summorum Pontificum ex Monasterijs viros clarissimos inuenire licet, sed etiam in ordine Præsulum cæterorum. Siquidem S. Gregorius Nazianzenus, sanctus Basilius Magnus, sanctus Martinus Turonensis, S. Augustinus clarissimum lumen Ecclesiæ, S. Paulinus Nolanus: Seuerus Sulpitius, sanctus Anselmus alijque innumerabiles viri doctissimi, & omni virtutum laude celeberrimi ex Monasterijs ad Episcopatum assumpti fuerunt. Desinat igitur Aduersarius, nisi planè stultus haberi velit, in summis Pontificibus Sixto, Pioque id reprehendere, quod in tam multis alijs cogitur laudare. Et quoniã omnis Aduersarij conatus, vt etiam cæterorum Caluinistarum, eò potissimum spectat, vt sedis Apostolicæ auctoritatem, & dignitatem imminuant: Sancti Leonis Magni viri sapientissimi, atque optimi verbis Apologiam claudam: *Quisquis huic Sedi Principatum æstimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in Inferna demergit.*

Finis, Deo laus.

REFVTATIO LIBELLI
DE CVLTV IMAGINVM:
Qui falsò *Synodus Parisiensis* inscribitur.



ANNO 1596. *prodijt Francofurti nouus libellus cum hoc titulo*, Synodus Parisiensis de imaginibus anno Christi 824. ex vetustissimo codice descripta, & nunc primùm in lucem edita. *Hoc autem præsenti anno cùm mihi is libellus ab amico ostensus esset, animaduerti continuò, nec verè Synodum esse, nec scriptum luce dignum. Quare ne fortè inscriptio fallat incautos, operæpretium me facturum existimaui, si libellum breuissimè confutarem.*

D

CAPVT I.



PRINCIPIO igitur non esse Synodum vllam Parisiẽsem, quæ hoc libello contineatur, argumento esse potest, quòd nulla in eo conspiciantur Decreta, nulli Canones: nulla extet Episcoporum subscriptio, nulla Synodi mentio. sed & ipse libellus apertè redarguit sui tituli vanitatem. sic enim legimus pag. 126. Nos non Synodum congregando, sed quemadmodum à vobis postulauimus, licentiamque agendi percepimus, vnà cum familiaribus nostris, filijs vestris quantùm pro multiplicibus

Regni diuersis occupationibus impediti, per interualla potuimus, considerare studuimus, quid Almitati vestræ de tanta necessitate significare potuissemus.

Ac, vt verborum istorum sententia intelligatur, totius libelli argumentum exponemus. Scripsit Michael Balbus Imperator Græcus ad Ludouicum Pium Imperatorem Latinum epistolam bene longam, in qua, post alia multa, significauit, Ecclesiam propter imagines Christi, & Sanctorum in duas partes esse diuisam, cùm alij adorandas, alij non adorandas esse contenderent. & simul petijt, vt Ludouicus in Occidente operam daret, vt sublato superstitioso cultu imaginum, Ecclesia pacem, & vnionem recuperaret.

Ludouicus his literis acceptis à Summo Pontifice facultatem obtinuit conuocandi viros aliquot doctos, qui veterum Patrum testimonia de cultu imaginum diligenter colligerent. Quo facto scribi iussit epistolam, quam nomine Summi Pontificis, ipso consentiente Pontifice, cui primùm ostendenda erat, ad Michaelem Imperatorem dirigere cogitabat. Denique tum epistolam prædictam, tum aliam à se ad ipsum Pontificem, qui Eugenius dicebatur, propriè scriptam per duos Episcopos misit.

Hæc igitur quinque in libello nuper edito continentur. Primùm, Epistola Michaelis Balbi ad Ludouicum Pium Caroli Magni filium. Secundò, collecta testimonia ex veteribus Patribus, quibus probatur imagines, neque frangendas esse, vt volebant Iconomachi, neque colendas, vt Synodus Nicæna secunda statuerat. Tertiò, Epistola Summi Pontificis nomine scripta à Francis Doctoribus ad Michaelem Imperatorem, qua docetur, imagines, neque iniuria afficiendas esse, neque etiam adorandas. Quartò Epistola Ludouici Imperatoris ad Eugenium Pontificem eius nominis secundum, qua eum hortatur ad legationem in Græciam mittendam, & Ecclesiam pacificandam. Quintò, Epistola eiusdem Ludouici ad Hieremiam, & Ionam Episcopos, quos Romam ad Sũmum Pontificem mittit, eosque instruit, quemadmodùm prudenter cum Pontifice se gerere debeant, vt eum ad suam sententiam pertrahant.

Ex his promptum erit intelligere, fucum facere voluisse eos, qui hũc libellum specioso nomine Synodi Parisiensis ornare voluerunt; qui quidem caussam Iconomachorum iuuare, & Catholicæ fidei detrimentum aliquod adferre conati sunt: sed Deo iuuante, mox efficiemus, vt oleum, & operam se perdidisse doleant.

CAPVT II.

NAM vt ad epistolam Michaelis, quæ primam partem libelli occupat, veniamus: ea quidem plena videtur Religiosi studij, vt si quis aliunde quis iste Michael fuerit, ignoret, arbitretur eum vnum ex optimis, & Christianissimis Principibus fuisse.

Sed extant annales publici Ioannis Zonaræ, Gregorij Cedreni, & aliorum, qui res gestas Græcorum Principum literis mandauerunt.

A Ex his cognoscere licet, Michaelem non solùm cognomine, sed etiam re ipsa Balbum, virum fuisse impium, & scelestissimum, quippe qui magis Hebraicæ superstitioni, quàm Christianæ Religioni addictus esset: qui Resurrectionem carnis pernegaret, & ob id Prophetas, & Apostolos, qui eam prædicauerant irrideret: qui fornicationem licitam esse diceret, & sacrum cœlibatum adeò contemneret, vt à monasterio sanctimonialem iam DEO sacram, sibi coniugem deligeret: qui septimam Synodum Oecumenicam, atque ab Adriano Pontifice maximo approbatam respueret: qui sacras imagines nullo honore dignas arbitraretur, qui Iconomachis impensè faueret, & Constantinum Copronymum Iconomachorum Principem, sibi præter ceteros imitandum B proponeret: qui Sanctum Euthymium, Sanctumque Methodium, aliosque pios veritatis defensores vel exilio, vel carcere, vel morte mulctaret.

Hic igitur est ille Michael, qui ouinam pellem indutus cùm esset re vera lupus rapax, quasi fidei zelo, accensus nihil aliud optare se fingit, nisi Ecclesiæ reformationem, & pacem, sed quemadmodum in illa ipsa deplorat necem Leonis Imperatoris, cui proximè ipse successit, quem dicit ab improbis quibusdam coniuratione facta miserè necatum: cùm satis apertè constet ex auctoribus suprà citatis, ipsum eundem Michaelem conspirationis Principem fuisse: sic C etiam piè quæri videtur, Ecclesiam ob dissensiones de cultu imaginum esse diuisam: cùm ipse potissimum dissensionis, & diuisionis auctor esset, qui Synodum Generalem, quæ dissensiones sustulerat, reiecisset, & Iconomachiam propagare studeret: & non contentus dissensionibus Orientalibus, in Occidente quoque dissensiones serere, ac propagare satageret.

Quod verò in extrema epistola Catholicos reprehendit, quòd viuificam crucem despiciant, quòd imagines vt Deos quosdam adorent, quod eis sacrificia offerant, quòd ab eis nescio quo artificio de sacro fonte suscipi, & sacram communionem percipere velint, denique quòd alias id genus superstitiones, vel ineptias in cultu sacrarum imaginum ostendât, D meræ calumniæ atque imposturæ sunt. neque mirabitur eiusmodi mendacia Græcum Imperatorem in sua epistola ad Latinos longè positos scribere potuisse, qui cogitare voluerit, quàm crassa, & quàm incredibilia mendacia nostri temporis Hæretici de Catholicis in vicinis locis degentibus fingant.

Sed ex Concilio Nicæno secundo verè legitimo, & Oecumenico, velit nolit Michael Balbus, illis ipsis temporibus celebrato, luce solis clarius effici potest, illa esse commenta fraudesque Hæreticorum. Docuit enim Concilium illud, cui Catholici omnes assentiebantur, imaginibus sacris deberi quidem suam venerationem, sed non maiorem, quàm viuificæ Cruci, neque illis vllo modo sacrificandum esse, neque eas cultu latriæ, qui Deo est proprius

adorandas. Legatur Synodus, & imposturæ subitò euanescent.

Quæ cùm ita sint, vel Franci, qui Ludouico Imperatori à consilijs erant, fidem habuerunt literis Michaelis, vel non habuerunt. Si fidem habuerunt, circumuenti sunt, atque decepti: si fidem non habuerunt, abusi sunt literis illis ad permouendum summum Pontificem, vt maiorum suorum acta rescinderet, & Synodum Nicænam ab Hadriano approbatam improbaret ipse, atque damnaret.

Sed siue decepti fuerint, siue decipere voluerint, nihil attinebat istum vel errorem, vel scelus ipsorum orbi terrarum prodere, præsertim, cùm non sine causa maiores nostri libellos eiusmodi, qui nihil vtilitatis, detrimenti autem plurimùm adferre poterant, libenter delitescere passi sint.

B

CAPVT III.

VEnio nunc ad ea testimonia, quæ pauci illi viri à Ludouico Imperatore vocati, ex veterum monumentis collegisse se dicunt. multis enim nominibus viri illi peccasse videntur. ac primùm quidem ante collectionem satis audacter iudicium sibi de scriptis Apostolicis desumpserunt. nec solùm de Summo Pontifice, sed etiam de Generali Synodo à Pontifice approbata, temerè iudicarunt. In qua re longè superarunt peccatum auctoris illius, qui nomine Caroli Magni librum edidit aduersùs cultum sacrarum Imaginum. Ille enim (quod etiam Patres Concilij Francofordiensis fecerunt) Nicænam Synodum secundam improbauit, quoniam celebratam fuisse existimauit sine consensu Apostolicæ Sedis. At consiliarij isti Ludouici Imperatoris, quorum scripta discutimus, fatentur Synodum pro cultu imaginum, id est, Nicænam secundam ab Hadriano Summo Pontifice coactam, & probatam, & tamen tum ipsam Synodum, tum epistolam eiusdem Hadriani ad Constantinum Imperatorem pro cultu imaginum, & rursùm defensionem eiusdem Synodi ab Hadriano ad Carolum missam examinare, dijudicare, reprehendere non verentur.

C

Hæc enim sunt ipsorum verba pagina 19. *Primùm epistolam Domini Hadriani Papæ, quam pridem pro imaginibus erigendis Constantino Imperatori, & Hirenæ matri eius ad eorum deprecationem in transmarinis partibus direxit, coram nobis legi fecimus, & quantùm nostræ paruitati res patuit, sicut iustè reprehendit illos, qui imagines Sanctorum temerario ausu in illis partibus confringere, & penitus abolere præsumpserunt: sic indiscretè noscitur fecisse, in eo, quòd superstitiosè eas adorari iussit, pro qua etiam causa Synodum congregari præcepit.* Et infrà pagina 21. de defensione Nicænæ Synodi ab Hadriano edita sic loquuntur. *Per singula capita in illorum excusationem respondere, quæ voluit, non tamen quæ decuit, conatus est, &c.*

D

Ita nimirùm Iudicem suum, & totius Mundi iudicare: pastorem omnium Christi ouium pascere: & Doctorem vniuersorum docere non erubuerunt, qua temeritate nulla maior cogitari potest.

A

CAPVT IV.

SEd fortasse noua aliqua, atque recondita testimonia repererunt, quibus freti resistere in faciem Apostolico Præsuli non reformidarunt. Imò verò notissima, & vulgaria, & quæ nihil ad rem faciant sine vlla ratione, vel ordine collegerunt.

Ac, vt exempli gratia pauca discutiamus, primùm testimonium sumunt ex libro S. Augustini de hæresibus, vbi legimus Simonem Magum iussisse imaginem suam, & Helenæ meretriculæ suæ, à discipulis adorari. atque hanc esse dicunt primam originem adorandarum imaginũ. Quasi verò, si de falso cultu agatur, non ante Simonis tempora, vituli aurei ab Hebreis, & simulachra hominum mortuorum à Gentilibus adorata fuerint. Sed Ecclesia Catholica non discit cultũ rerum sacrarum ab hostibus suis. & si ex eo testimonio liceret colligere non esse Christi, & Sanctorum imagines venerandas, licebit eadem ratione colligere, ne ipsum quidem Christum vllo honore dignum esse. proptereà, siquidem impium erat, Simonis & Helenæ imagines colere, quod Simon, & Helena indignissimi essent, qui colerentur.

Sed ridicula planè sunt, quæ ex epistola 56. eiusdem Augustini ad Dioscorum testimonia desumpserunt. ridicula, inquam, si ad id, de quo agimus, referantur. Quæ namque sanctus Augustinus disputat de imaginibus, quæ à corporibus defluentes in animum penetrant, vt per eas aliquid cernamus, vel cogitemus, ea proferunt isti ad probandum non esse Christi, & Sanctorum imagines depictas, vel sculptas, vllo modo colendas. Quæ quàm bene cohæreant cum præsenti disputatione, lectoris esto iudicium.

Quid? quòd plurima testimonia, quæ Summus Pontifex Hadrianus in epistola illa sua doctissima pro imaginibus posuit, isti rursùm allegant, qui contra imagines pugnant?

Quòd verò dicunt, & nonnullis etiam testimonijs probare nituntur, non esse consuetudinem, vel annorum numerum, aut quamlibet vetustatis auctoritatem præferendam veritati: tunc rectè diceretur, si probari posset, cultum, quem Ecclesia Catholica imaginibus exhibet, ex manifesto errore, non ex certa veritate descendere. Sed cùm de re aliqua litigatur, multùm valere consuetudinem, & venerandam esse antiquitatem, ne ipsi quidem negare possunt. quorsum enim tantopere laborauerunt in euoluendis antiquitatis monumentis, si nullum probabile argumentum ex antiquitate peti potest? nonne vident, se hoc suo facto contra sua verba pugnare? & re ipsa destruere, quod verbis astruere nitebantur? Certè si liceret testimonia Sancti Augustini, Sancti Basilij, aliorumque veterum Patrum in medium adferre, quibus ipsi ex antiquitate, vel Ecclesiæ consuetudine probant Ecclesiastica dogmata, nullus finis esset.

Sed quod superat omnem admirationem, illud est, quòd multa testimonia proferunt pro adoratione Crucis. & cùm rationem reddere volunt, cur signum, vel lignum Crucis adorandum

dum sit, & imagines Christi nõ sint adorandæ, dicunt eam esse causam, quia Christus in cruce suspensus fuit, non in imagine: & quia per Crucem nos redemit, non per imaginem. Quod si refellere voluero, timeo ne nimiæ tarditatis lectores existimare videar. Certè enim Christus non in signo Crucis, quod in pariete, vel in tabella, vel in fronte, vel in aere pingimus, suspensus fuit, neque etiam in ligneis illis crucibus, quæ passim cernuntur, & adorantur in Ecclesijs: sed in illa vna Cruce, cuius ista nostra signa, quæ pingimus, vel erigimus, imagines sunt. Cùm ergo liceat per aduersarios Crucis imaginem colere, cur imaginem Crucifixi colere non licebit? & si iure Crucis adoramus imaginem, quia per Crucem redempti sumus à Christo, quę causa fingi potest, cur nõ iure coli possit imago Christi, qui propriè nos redemit?

At, inquiunt, nihil manu factum colere fas est. quid igitur? Lignum vel signum Crucis nõ est manufactum? Codex Euangeliorum, & sacra vasa, quæ horum opinione veneranda sunt, quid sunt aliud, nisi opera manuum humanarum? Et tamen verum est, nihil manu factum esse colendum eo genere cultus, quo Deus ipse, qui omninò non est factus, sed omnium rerum factor colendus est.

Quare poterant Collectores isti maximam partem testimoniorum, quæ attulerunt, omittere. quoniam ijs nihil probatur aliud, nisi solum Deum esse colendum cultu latriæ sibi vni proprio, & non esse imagines ita adorandas, vt etiam sacrificia illis offerantur, quæ neque nos negamus, neque Sancta Nicæna Synodus negauit.

Ac, vt videas Lector, quantas vires veritas habeat: ipsi quoque, qui eam oppugnant, non raro, vel inuiti, vel imprudentes eam tuentur. Id accidit Collectoribus nostris. Nam inter alia testimonia colligunt etiam nonnulla, vt probent imagines non esse frangendas, vel iniuria afficiendas. Sed in ijsdem testimonijs non habetur solùm, quod ipsi volunt, imagines videlicet non esse afficiendas iniuria, sed habetur etiam quod nolunt, afficiendas honore, quod quidem isti Collectores aliquando viderunt, & textum audacter corruperunt: aliquando non viderunt, & testimonium contra se in ipso suo libello imprudentes reliquerunt.

Prioris rei exemplum habes pagina 87. vbi allegatur Sanctus Gregorius, qui in epist. 5. lib. septimo, ad Ianuarium, reprehendit acriter nonnullos, qui beatæ Virginis Imaginem, & Crucem Dominicam contumeliæ causa ad Iudæorum Synagogam detulerunt: & mandat Ianuario Episcopo, vt sublatam ex eo loco cum ea, qua dignum est, veneratione, imaginem, atque Crucem, in Ecclesiam referat. Hic boni Collectores nomen Imaginis simpliciter deleuerunt, vel omiserunt, ne videretur contra eorum dogma non solùm Crux, sed etiam imago beatæ Virginis veneranda, nisi fortè liberariorum errore nomen imaginis sit omissum.

Iam verò pag. 91. adscribunt hæc verba ex epistola Synodica Gregorij Papæ, *Nos non ob* A *aliud nomen imagines facimus, & adoramus, sed pro nobis incarnato Verbo Dei, &c.* Audis ne Collector, vocabulum (adoramus?) & tamen à te hoc testimonium prolatum est. Sed habemus clariora.

Paulò infrà ponuntur hæc verba ex libro S. Basilij ad Amphilochium de Spiritu sancto cap. 17. *Imaginis honor ad primam formam transit, &c.* Ecce tibi rursùs honorem imaginis. Sed ad clarissima veniamus.

Paulò pòst adferuntur hæc alia verba ex epistola eiusdem Magni Basilij ad Imperatorem Iulianum. *Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum vnum Deum, hæc tria adoro, & glorifico. Confiteor autem, & filij Incarnati dispensationem, & Dei genitricem, quæ secundùm carnem eum genuit, Sanctam Mariam.* B *Suscipio veros, & Sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, & ad Deum deprecationem, quæ per eos propitium mihi efficit misericordissimum Deum. pro quo, & figuras, imaginum eorum honoro, & adoro. specialiter hoc traditum est à Sanctis Apostolis, & non prohibitum, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum designari vel historias, &c.* Quid audiuimus? Sanctus Basilius Magnus ab aduersario aduocatur testis, & verè testis est omni exceptione maior. Is verò palam affirmat, se honorare, & adorare Apostolorum, Prophetarum, & Martyrum imagines. Idque affirmat, dum fidei suæ confessionem edit, ac de rebus non dubiis, aut verisimilibus, sed certissimis, & exploratis loquitur. addit verò id ab Apostolis traditum, & ab omni Ecclesia susceptum, & obseruatum. Quid, quæso, C responderi potest? Auctor grauissimus apertè loquitur, & eius testimonium ab aduersarijs profertur. Neque desunt alia testimonia similia in eodē libello, Athanasij, Germani, Leontij, & aliorum, quæ imprudenter ab aduersarijs contra se, & pro nobis, hoc est, pro cultu sacrarum imaginum proferuntur. Sed ego breuitati studeo, neque libenter in his refellendis ineptijs tempus tero.

CAPVT V.

Sequitur pars tertia, id est, Epistola Eugenij Papæ ad Michaelem, & Theophilum eius filium Imperatores, quam epistolam ijdem Collectores scripsisse videntur. neque enim Eugenius vllam talem epistolam scripsit: (sed vt suprà diximus) scripta fuit, vt no- D mine Pontificis mitteretur, si ipse probaret. In qua re cogimur desiderare prudentiam Collectorum. qua enim fronte Romano Pontifici scribere ausi sunt, quid ipsũ scribere oporteret? qua verò fiducia sperare potuerunt, Romanum Pontificem scripturum ad Græcum Imperatorem contraria ijs, quæ prædecessores eius nõ semel scripserant?

Sed videamus, si placet paulò diligentiùs, an epistola illa Summum Pontificem deceat. Omitto autem, quòd in hoc libello epistola illa caret principio, quod peccatum non primo auctori, sed ei, qui nunc demum post tot secula libellum hunc in lucem edidit, tribuendum videtur. Nihil etiam dico, quòd epistola verbosa est admodùm, obscura, barbara, imperita, detur enim hoc tempori. taceo denique,

quod

quod dum conatur tollere repugnantiam, quę in verbis sancti Gregorij esse videbatur, tanto se magis inuoluit, quanto magis conatur euoluere. Sed tria quædam tacitus præterire non possum. Primùm enim facit hæc epistola Pontificem summum, adulatorem Imperatoris impudentissimum, dum ita loquitur, *O venerandi Mundi Principes, cum vniuersa sancta Dei, quam Domino disponente, & committente gubernatis Ecclesiam.* Et infrà, *propter adunandum, quam Domino Deo ordinante regitis Ecclesiam.* quæ fœdior adulatio? Michael Balbus interfecto legitimo Imperatore, cùm esset ipse pro sceleribus suis iam morti adiudicatus, tyrannicè inuasit Imperium, & Pontifex Maximus affirmabit, Deo disponenti, committente, & ordinante hunc ipsum Balbum gubernacula suscepisse non solùm Imperij, sed etiam Ecclesię, & si Ecclesia Dei ab ipso Deo gubernanda Imperatori tradita est, quid faciunt in Ecclesia Episcopi? quid ipse summus Pontifex? *Imperator* (inquit sanctus Ambrosius) *in Ecclesia est, non supra Ecclesiam, filius Ecclesia, non Rector: ouis, non pastor.* Et sanctus Ioannes Chrysostomus Diacono suo dixit: *Si is, qui diademate coronatur, indignè adeat ad sacra mysteria percipienda, cohibe, & coerce, maiorem tu illo habes potestatem.*

Deinde, in eadem epistola non semel repetitur hoc argumentum, *Si nulla vmquam picta, vel ficta fuisset imago, nihil periret de fide, spe, & charitate, quibus ad regnum peruenitur æternum:* & tamen propter imagines orta est dissensio, & diuisio in Ecclesia, turbata pax, charitas violata. Et non animaduertunt, qui eam epistolam nomine Summi Pontificis scribunt, eo argumento non solùm effici, quod ipsi volunt, imagines nō esse adorandas: sed etiam effici (si quid tamen efficitur, quod mox videbimus) imagines omninò de medio esse tollendas, quod ipsi nolunt. Nec tamen argumentum illud aliquid valet.

Quamuis enim nihil periret de fide, spe, & charitate, si nulla picta, vel ficta esset imago, tamen quando picta, vel ficta est, peccat in fidem, qui eam negat esse venerandam, quoniam honor imaginis ad prototypum refertur, quod venerandum esse fides docet, & aduersarius non negat. Et potest hoc ipsum similitudine illustrari, si libellus aliquis diuinæ Scripturæ, vt epistola ad Philemonem, non extaret, nihil deperiret de fide, spe, & charitate: & tamen quia nunc extat, qui eam negaret esse cum veneratione suscipiendam, peccaret in fidem, & si propterea dissensiones orirentur, non esset epistola abijcienda, sed imperitia dissidentium coarguenda, & instruenda.

Postremò in eadem illa epistola reprehenditur Constantinus, & mater eius Hirene, quod edicto suo iusserit sacras imagines iuxta Concilij generalis decretum, cum veneratione esse habendas. Quare sanè reprehensio à Summo Pontifice, nisi planè à mente, scribi non potuit. quid enim? Hadrianus Papa Constantinum, & Hirenam summis laudibus effert, quòd sacrarum imaginum Religioso cultui faueant: & Hadriani successor Eugenius eosdem Imperatores ob causam eandem reprehenderet? & maior stultitia fingi potest, quàm vt Summus Pontifex molestè ferre se dicat, quòd ab Imperatore decreta Conciliorum generalium à sede Apostolica approbata, seruentur, ac defendantur?

Sed si parùm prudentes Collectores fuerunt, non fuit inconstans Apostolicę Sedis Antistes, permansit enim in ijs, quæ prædecessores non sine magna deliberationis maturitate statuerant. Nam neque Eugenius eam epistolam misit: & paulò pòst Hadrianus II. Synodum Oecumenicam octauam Constantinopoli celebrandam curauit, in qua Synodus septima de cultu imaginum iterum approbata est. Denique Anastasius Bibliothecarius Romanus in præfatione septimæ Synodi ad Ioannem VIII. Pontificem, qui Hadriano II. proximè successerat, scribit, in eadem sententia fuisse omnes Romanos Pontifices. *Quæ*, inquit, *super venerabilium imaginum adoratione præsens Synodus docet, hac & Apostolica vestra Sedes, sicut nonnulla scripta innuunt, antiquitus tenuit, & vniuersalis Ecclesia semper venerata est, & hactenus veneratur, quibusdam duntaxat Gallorum exceptis, quibus vtique nondum est horum veritas reuelata.*

CAPVT VI.

Restat pars vltima, hoc est, epistola Ludouici Imperatoris ad Eugenium Pontificem, & altera eiusdem Ludouici ad Hieremiam, & Ionam Episcopos. In quibus nihil obseruandum occurrit, nisi quòd in eis quædam dicuntur, quæ redolere videntur fraudes recentium hæreticorum. Vnde venit in mentem suspicari, ne fortè vel totus hic libellus sit confictus, vel, quod est credibilius, deprauatus, & auctus ad inuidiam Romanæ Ecclesiæ conciliandam.

Sed siue sit verus liber, siue confictus, siue partim sincerus, partim adulterinus: illud vnum constat, non esse librum dignum, in quo legendo tempus conteratur. Titulus falsus, dictio barbara, sententiæ insulsæ, ordo peruersus, eorundem testimoniorum crebra repetitio, facilè potuissent persuadere Typographo, si is commune commodum, & non proprium lucrum spectasset, vt sibi ab edendo eiusmodi opere temperaret.

FINIS.



ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S.R.E. CARDINALIS,

IVDICIVM DE LIBRO CONCORDIÆ Lutheranorum.



A *Liber Concordiæ, nuper editus à Lutheranis, tria mihi continere videtur, præter communes, & notos Lutheranorum errores, insignem videlicet vanitatem, grauissimas hæreses contra Symbolum Apostolicum, & mendacia innumerabilia, apertissima, atq; inter se pugnantia. De singulis ordine dicemus.*

DE VANITATE CONCORDIÆ.

B INsignis igitur vanitas in subscriptione perspicitur. Quorsum enim attinebat, vt omnes ministri, concionatores, ludimagistri, hypodidascali, subscriberent? Certè non potest exemplum vllum, eiusmodi subscriptionum, in negotio fidei, ab antiquitate peti. Siquidem ab Apostolicis temporibus per annos mille quingentos, in omnibus Concilijs, tam generalibus, quā nationalibus, aut prouincialibus, soli Prælati, qui iurisdictionem aliquam habent, subscribere consueuerunt. Sunt etiam interC dum addita nomina Imperatorū, aut Regum, aut Principum aliquorum: Sed ludimagistrorum, & hypodidascalorum, nulla vsquam inuenitur mentio. Deinde ista subscriptio ad librum Concordiæ, ingentis discordiæ signum est. Qualem enim vnionem inter Lutheranos esse existimabimus, quando non solùm Principes ad Concordiam redigi, sed etiam priuati homines ad subscribendum cogi debuerunt? Et quamuis numerosa subscriptio esse videaD tur, est tamen ipsa quoque argumentum paucitatis. Nam si Catholica Ecclesia eiusmodi subscriptioné requireret, in puncto temporis haberet non octo millia, sed plùs quàm octoginta millia subscribentium; neque ex sola Italia libentissimè subscriberent innumerabiles Presbyteri, & Diaconi, atque Scholarum, & Gymnasiorum Præfecti, sed etiam ex Hispania, Germania, Gallia, America, Brasilia, India, Iaponia: nec deessent etiam ex Britannia, & Palæstina. Denique tam numerosa subscriptio, inexcusabilia reddit tam multa, & tam crassa mendacia, quæ nos infrà annotabimus. Si enim vnus tantùm, aut alter librum istum, antequam ederetur, vidisset, ignosci posset fortasse humanę imbecillitati, si aliquid erroris obrepsisset: at quòd sexdecim millia oculorum crassissima illa mendacia deprehendere non potuerint, quis ferat? Alterum profectò necessarium est, aut cæcos omnes fuisse, aut etiam cum mendacijs Concordiam facere voluisse.

DE ERRORIBVS CONCORDIAE, discordantibus à Symbolis in ipsa Concordia receptis.

I. ERROR.

PRimus error est, quòd Christus non solùm vt homo, sed etiam vt Deus, Patri fuerit obediens. Qui error destruit penitùs veram diuinitatem Christi, quam Symbolum Nicænum contra Arianos asseruit. Nam si Christus, vt Deus Patri obediuit, certè vt Deus à Patre distinguitur: alius igitur Deus est Pater, alius Deus est filius: sed vnus tantùm est verus Deus, & constat Patrem esse verum Deum, non igitur filius est verus Deus, nec ὁμοούσιος Patri, vt in Nicæno Symbolo confitemur. Rursum qui obedit, minor est illo, cui obedit, nam imperare superioris, obedire inferioris est: Ergo, si Christus, vt Deus Patri obedit, vt Deus minor est Patre, & mentitur Symbolum Athanasij, cùm ait: *Æqualis Patri secundùm diuinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.* Adhæc, secundùm illam naturam Christus obediuit, secundùm quam mortuus est: nam ipsa mors, obedientia fuit summa, & absolutissima: at non est mortuus Christus secundùm diuinitatem, sed solùm secundùm carnem, 1. Petri 4. *Christo igitur in carne passo*, &c. Denique cur Apostolus Paulus, ad Philippenses secundo dicturus, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, præmisit, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: nisi vt nos admoneret, non secundùm formam Dei, qua æqualis est Patri, sed secundùm formam serui, qua minor est Patre, Christum

obedien-

obedientiam vsque ad mortem Deo Patri præstitisse?

Sed fortasse non habet Concordia hunc errorem. Inspiciamus igitur, an ita sit. In Epitome articulorum controuersorum, art.3. pag. 556. *Credimus*, inquiunt, *docemus, & confitemur magno consensu, quòd Christus quidē verè sit nostra iustitia: sed tamen neque secundùm solam diuinam naturā, neq; secundùm solā humanam naturam: Credimus autem Christum totum, secūdùm vtramque naturam, esse nostram iustitiam: in sola videlicet obedientia sua, quam ille Patri ad mortem vsque, absolutißimam præstitit*: hæc ille. Si igitur iustitia nostra, id est, nobis imputata, totus Cristus est, secundùm vtramque naturam, & iustitia illa in obedientia consistit, quam Christus Patri vsque ad mortem exhibuit, certè sequitur, Christum totū secundùm vtramque naturam Deo Patri obedientiam præstitisse. Et infrà, pag.664. *Ascentiendum est*, inquiunt, *quòd iustitia nostra, neque in diuina, neque in humana natura, sed in tota ipsius persona consistat: quippe qui vt Deus, & homo, in sola sua tota, & perfectißima obedientia, est nostra iustitia*. Quid est, qui vt Deus, & homo in sua obedientia est nostra iustitia, nisi Christus, vt Deus, & homo, Patri obediuit, & ea obedientia, nostra obedientia reputatur? Nec est idem, Deus & homo Patri obediuit, &, Christus, vt Deus & homo Patri obediuit. Illud.n. personæ diuinæ obedientiam tribuit, sed in natura humana, & Catholicum est: hoc verò vtrique naturæ tribuit obedientiam, & Arianum est. Et pag. 663. *Tota totius persona Christi obedientia, quam ille Patri vsque ad ignominiosam crucis mortem, nostri caussa, præstitit, nobis imputatur*. Et infrà: *Cùm autem obedientia Christi, non sit vnius duntaxat naturæ, sed totius personæ, &c.* Et in his locis, quare dicunt totius personæ obedientiam illam fuisse? Non satis erat dicere, fuisse personæ? Sed vtrique naturæ obedientiam non tribuissent, nisi totius personæ dixissent. Per totam enim personam duas naturas, pag. 727. significare se dicunt. Nec mirum est, Professores Augustanæ Confessionis, & Apologiæ ita sentire, quandoquidem ipse primarius, tam Confessionis, quàm Apologiæ architectus Philippus Melanchthon, in Locis communibus anni 1558. loco de Filio, pag. 40. ita scripsit: *Natura diuina, non est quidem lacerata, aut mortua, sed fuit obediens Patri, quieuit, cessit ira æterni Patris*. Et Martinus Lutherus in libro de Concilijs, & Ecclesia, non solùm obedientiam, sed etiam passionem diuinitati tribui posse contendit.

II. Error.

Alter error est, quòd Christus fuerit perfunctus munere mediatoris, & Pontificis, non solùm per humanam naturam, sed etiam per diuinam. Sic enim habent verba Concordiæ, pag. 736. in articulo de persona Christi. *Itaque Christus est noster mediator, redemptor, Rex, Summus Pontifex, &c. Non secundùm vnam tantùm naturam, siue diuinam, siue humanam, sed secundùm vtramque naturam*. At quòd Christus sit mediator, & Pontifex secundùm vtramque naturam, & ideò non solùm, vt homo, sed etiam vt Deus error est, qui apertè pugnat cum Christi vera diuinitate, & proinde cum Symbolo fidei, vbi dicitur Christus, Deus verus, de Deo vero. Nam mediator per id, quo munus mediatoris exercet, necessariò distinguitur ab eo, cuius est mediator. Est autem Christus mediator Dei, & hominum. Ergo, si vt Deus mediator est, vt Deus à Deo distinguitur; erunt igitur duo dij, vnus maior, alius minor, vt Ariani volebant. Quocirca beatus Paulus, 1. Timoth. 2. cùm dixisset, *Vnus est mediator Dei, & hominum*, mox adiunxit, *homo Christus Iesus*, Et Beatus Augustinus libro 2. de peccato Originali, cap. 28. Non per hoc, inquit, mediator est, quòd æqualis Patri, per hoc enim quantùm Pater, tantùm & ipse à nobis distat: & quomodo erit medietas, vbi eadem distantia est? Ideò Apostolus non ait, Christus Iesus, sed homo Christus Iesus, per hoc ergo mediator, per quod homo: inferior patre, per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod patri propinquior. Quod apertiùs ita dicitur inferior Patre, quia in forma serui: superior nobis, quia sine labe peccati. Et tractat. 82. in Ioann. Mediator Dei, & hominum, non in quantùm Deus, sed in quantùm homo est, Christus Iesus. Deinde si Christus, vt Deus, mediator est, sequitur vnum è duobus, aut totam Trinitatem esse mediatricem, aut Christum non esse vnum Deum cum Patre, & Spiritu sancto, sed alium quendam Deum. Nam quod vni personæ conuenit ratione Deitatis, id etiam alijs omnibus personis conuenit, quæ habent eandem Deitatem. Igitur esse mediatorem, quòd filio conuenit ratione Deitatis, quandoquidem vt Deus mediator est, conuenit etiam Patri, & Spiritui sancto, si vnam & eandem cum filio Deitatem habent: vel si non conuenit, certè non habent. Denique esse Pontificem, & Sacerdotem, intrinsecè, & essentialiter includit esse creaturam, & longè minorem eo, cui sacrificium offerri debet. Omnis enim Pontifex, & Sacerdos minister Dei est, & cultu latriæ Deum summum colit, dum ei sacrificium offert. Ergo si Christus, vt Deus est, Pontifex etiam est, & Patri suo sacrificium defert, profectò vt Deus, patre suo longè minor, atque adeò verè, & propriè creatura est. Hinc videlicet Ariani inter propositiones suas, quæ leguntur apud Augustinum tomo 6. in sermone Arianorum, etiam istam numerabant, quod filius Dei minister, & Sacerdos sit Patris sui. Ipse verò Beatus Augustinus libr. 1. de consensu Euangelistarum, cap.3. Secundùm hominem, inquit, Christus & Rex, & Sacerdos effectus est, vt esset, ad interpellandum pro nobis, mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus. Et lib. 10. de ciuitat. Dei, cap. 20. Vnde, inquit, verus ille mediator, in quantùm formam serui accipiens, mediator effectus est Dei, & hominum, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo est vnus Deus. Et sanctus Cyrillus in Apologia pro capitulis suis aduersùs Orientales, in defensione decimi capituli; Quando, inquit, factus est homo, vocatus est & Pontifex, non quòd maiori Deo offerret sacrificium, sed sibi

ipsi, & Patri. Et infrà: Dictus est, inquit, Sacerdos propter humanitatem. Et lib. 11. in Ioann. cap. 7. In quantùm, inquit, filius & Deus est, vnà cum Patre bona nobis largitur, in quãtùm verò mediator est, & Pontifex, nostras preces ad Deum adducit.

III. Error.

Tertius error est, quòd natura humana Christi sit vbique verè, & realiter. Sic enim loquitur liber Concordiæ, in articulo de Cœna Domini, pag. 572. *Dextera Dei vbique est: ad eum autem Christus, ratione humanitatis suæ, verè & re ipsa collocatus est: ideoq; præsens gubernat, in manu sua, & sub pedibus suis, vt Scriptura loquitur, habet omnia, quæ in cœlo sunt, & in terra.* Et infrà pag. 731. *Reuerà omnia implet, & vbique non tantùm, vt Deus, verùm etiam, vt homo, præsens dominatur à mari ad mare.* Et similia leguntur pag. 745.

Porrò hic error repugnat primò Scripturis, quæ passim asserunt, Christum ratione humanitatis, alicubi non fuisse. Ioann. 6. Cùm vidisset turba, quia Iesus non esset ibi. Ioann. 11. Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. Matth. vltim. Non est hic, surrexit.

Secũdò, repugnat articulis Symboli, de Christi conceptione, natiuitate, passione, morte, descensu ad inferos, resurrectione à mortuis, ascensione ad cœlos, & descensu ad iudicandum. Nam articulus de Conceptione, docet in solius Mariæ vtero corpus Christi fuisse; At si vbique fuit statim ab incarnatione, vt aduersarij docent; fuit in vteris omnium fæminarum, imò etiam omnium virorum. Articulus de Natiuitate docet, Christi corpus post nonum mensem ex vtero prodijsse, & sic verè esse natum. Ac secundùm Vbiquistas, ante nonum mensem, imò primo die conceptionis fuit extra vterum, & post nouum mensem adhuc erat in vtero, nec inde vnquam exijt. Nec valet responsio, quam adferunt, cùm dicunt, Christum verè esse natum, quia cùm fuisset in vtero localiter spatio nouem mensium, & non alibi, posteà esse cœpit localiter extra vterum, & non in vtero. Hæc, inquam, solutio nihil valet; nam quòd vêrè est vbique, siue localiter, siue alio modo sit, non potest verè, & propriè moueri de loco ad locum, sed solùm potest metaphoricè moueri, id est, apparere, vbi non apparebat, licèt ibi esset. Quemadmodùm Deus, qui vbique verè est, tametsi non localiter, moueri non potest, sed solùm apparere, & ostendere se, vbi anteà non videbatur esse, quamuis ibi esset. Eodem igitur modo, si corpus Christi ab ipsa conceptione vbique fuit, licèt non localiter fuerit vbique, tamen nunquam verè moueri potuit de loco ad locum; & proinde Natiuitas ex vtero, non verus ex vtero egressus, nec vera natiuitas, sed tantùm apparens, & metaphorica fuit. Pari ratione destruuntur ceteri articuli. Qui enim semper vbique fuit, non verè potuit in passione transire de loco cœnæ ad hortum, nec de horto ad domum Caiphæ, nec inde ad prætorium Pilati, nec inde ad montem Caluariæ: nec potuit in morte separari anima à corpore, ita vt corpus sine anima in sepulchro iaceret, & anima sine corpore ad inferos descenderet: nec potuit verè anima in resurrectione ad corpus redire; nec corpus illud rediuiuum de clauso sepulchro egredi; nec intrare ad discipulos ianuis clausis; nec denique verè potuit in cœlum conscendere, nec poterit verè in nouissimo die de cœlo descendere; Sed hæc omnia metaphoricè exponi debent, quemadmodùm cùm de Deo legimus eiusmodi mutationes.

Tertiò, repugnat hic error veritati corporis Domini in Cœna, & quod admirabile est, confirmat Zuinglij sententiam, ad quam destruendam excogitatus est. Nam si corpus Christi, ab ipsa conceptione est vbique, non egemus Sacramento Cœnæ, vt præsentiam habeamus corporis Dominici. Quid igitur Sacramentum Cœnæ facit? non exhibet certè præsentiam corporis Domini: nam hæc anteà quoque aderat, quid igitur facit? nisi hoc, quòd significat Christi corpus adesse? At hoc volunt Zuingliani, ex vi Sacramenti Cœnæ nihil nos habere, nisi signum. Et hoc idem videtur liber Concordiæ agnoscere, pag. 745. cùm ait: *Quare eum præsentem habemus, non tantùm secundùm diuinam, verùm etiam secundùm humanam naturam: iuxta quam ipse frater noster est, & nos caro sumus de carne eius, & os de ossibus eius. Et sanè in huius etiam rei confirmationem, sacram suam Cœnam instituit: vt testaretur, se etiam secundùm eam naturam, qua carnem, & sanguinem habet, nobiscum esse, in nobis habitare, & efficaciter operari velle.* Præterea, si Christi corpus vbique est, non potest verè cum pane, quantumlibet consecrato, sumi, nec sanguis eius cum vino, quantumlibet etiam consecrato, bibi. Nam panis, & vinum, ideò sumi verè possunt, quia non sunt vbique, & proinde verè transeunt de mensa ad manum, de manu ad os, de ore ad stomachum: quæ de Christi corpore, & sanguine dici non possunt, si vbique sunt: quemadmodùm, licèt Deus vbique sit, nemo tamen cum pane Deum comedit, nec cum vino Deum bibit. Quorsum igitur Eucharistia? vt habeatur Christi corpus fructuosè, dicet aliquis Brentianus; Ergo solus fructus, sola efficacia, sola virtus corporis Domini sumitur in Cœna: at hoc ipsum docent Caluinistæ.

Quartò, repugnat hæc Vbiquitas decreto Dresdensi, quod in eadem Saxonia, ab iisdem Confessionis Augustanæ Theologis, ante annos circiter decem promulgatum est, id est, anno 1571. vbi preter alia hæc verba leguntur: *Commentitia ista communicatio physica, quæ nostro primùm tempore cum vbiquitate corporis Christi introduci cœpta est, vniuersæ Orthodoxæ Ecclesiæ, & toto orbi Christiano, inde vsque ab initio incognita fuit, atque etiamnum à Pontificijs ipsis reijcitur, & taxatur acerrimè.* Et infrà: *Commentitia illa vbiquitas, horrendum in modum corrupit omnes penè articulos fidei de Christo, ac discrimen diuinæ, & humanæ naturæ in Christo in primis delet, atque euertit.* Hæc ibi tunc. Nunc autem Sacrosanctæ fidei dogmata esse debent, quæ ante annos decem pestilentissimæ hæreses erant: Ista videlicet est constantia Theologorum Saxonicorum.

Quintò

Quintò, repugnat sententiæ primarij auctoris Confessionis, & Apologiæ, qui duo libri primum locum in Concordia obtinent. Philippus siquidem Melanchthon in Epistola ad Fridericum Comitem Palatinum, quam scripsit anno 1551. ita loquitur: *Alij vbiquitatem excogitarunt*, Et addit: *Hæc sunt portentosa omnia, ignota erudita vetustati.* Denique repugnat sancto Augustino, & omnibus Patribus. Ac, vt cætera omittamus, August. in epist. 57. ad Dardanum, non solùm docet, Christi humanitatem non esse vbique, sed etiam soluit primarium argumentum aduersariorum. Illi enim existimant, necessariò sequi, vt Christi humanitas sit vbique, si coniuncta est personaliter Verbo, quod sine dubio est vbique. At S. Augustinus, Homo, inquit, Christus, illo die secundùm carnem in sepulchro, secundùm animam in inferno futurus, Deus verò idem ipse Christus, vbique semper est. Et infrà: Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita ita sit vbique, vt Deus. Nam & de nobis verissima Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamen sicut ille, vbique sumus: Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter, & Deus ille in homine, proprio quodam, & singulari modo. Vna enim persona Deus, vt homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus, vbique per id, quòd Deus est, in cœlo autem per id, quòd homo. hæc ille. Neque hîc locum habent distinctiones de varijs modis essendi in loco. Nam sanctus Augustinus negat in forma idipsum, quod aduersarij docent. Ipsi enim volunt, propter vnionem hypostaticā, Christi humanitatem necessariò esse debere, vbicumque est Verbum, modo quodam supernaturali, & diuino: at hoc idem Augustinus negat. Et præter exemplum ab eo adductum, habemus etiam insigne exemplum in anima rationali. Nam caput vnitum est animæ, & tamen non vbicumque est anima, ibi continuò est caput: cùm anima sit etiam in pedibus, vbi certè non est caput.

IV. Error.

Qvartus error est, quòd Christi humanitati sint collata verè, & realiter, multa attributa diuina, vt omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia, atque adeò ipsa diuina maiestas. Qui error destruit veritatem humanitatis Christi, renouat hæresim Eutychetis, & pugnat cum Symbolo fidei. Nam si Christi humanitas verè, & realiter, non solùm est vbique, quia est in toto mundo, sed quia habet omnipræsentiam, & immensitatem, quam habet Verbum, & proinde est in infinitis spatijs imaginarijs extra mundum, vel certè esse potest: profectò est formaliter infinita, & immensa: & cùm non sit infinita magnitudine molis, vt aduersarij concedunt, nam dicunt eam non esse diffusam vbique localiter, infinita erit magnitudine virtutis. Infinita autem virtus infinitam essentiam requirit. Est igitur Christi humanitas essentia infinita: & proinde, vel est conuersa in Deitatem, vel duo sunt entia infinita. Idem argumentum de omnipotentia, & alijs Dei attributis fieri potest. Sed verba Concordiæ audiamus, pagina

A 731. *Adeptus autem est Christus, secundùm humanam naturam, plenam possessionem, & diuinæ maiestatis vsurpationem.* hæc ibi. Iam si Christus secundùm humanam naturam adeptus est diuinā maiestatem, ergo secundùm humanam naturam est Deus: Ergo secundùm humanam naturam non est homo. Nec enim idem secundùm idem, duo disparata esse potest. Et pagina 744. *Iam etiam secundùm assumptam humanam naturam, omnia nouit, & reuerà omnipotens est:* hæc ibi. Ecce quàm apertè dicunt, Christum, vt hominem esse omniscientem, & omnipotentem; quod quid est aliud, quàm dicere, Christum, vt hominem, non esse hominem, sed Deum? Et pagina 745. *Scriptura sacra hanc maiestatem omnipræsentiæ soli Christo, nulli autem alij homini tribuit.* Et paulò antè dixerant, se de Christi

B humanitate loqui, & non de sola diuinitate, cùm Christo tribuunt omnipræsentiam. Denique pagina 738. prolixè docere conantur, Christi humanitatem capacem esse infinitorum attributorum, verè & realiter sibi communicatorum per hypostaticam vnionem. Nec satis expediunt se, cùm dicunt, hanc esse idiomatum communicationem quam etiam veteres Patres agnouerunt. Nam communicatio idiomatum, secundùm Patrum doctrinam, non tribuit vni naturæ ea, quæ sunt alterius, sed tribuit vni supposito vtriusque naturæ proprietates. Vide de communicatione idiomatum, Ambros. lib. 2. de fide, cap. 4. August. lib. 1. de Trinit. cap. 13. Cyrillum in defensione

C 4. Anathematismi. Et Ioann. Damascenum lib. 3. c. 4. Et prætereà communicatio idiomatum, quam Patres agnoscunt, mutua est, & non minùs Deo conuenit, quam homini: At aduersarij, humanæ naturæ tribuunt realem communicationem diuinorum attributorum; Diuinæ autem non tribuunt realem communicationem humanarum proprietatum; vt in hac ipsa Concordia disertè docent, pag. 736. Itaque rectè Dresdense decretum, cuius suprà mentionem fecimus, ab ijsdem Saxonicis ministris editum, ita alicubi habet: *Quod præcipuum fidei nostræ, & Ecclesiæ caput est, videlicet articulum de duabus naturis in Christo, id commentitia idiomatum, reali, & physica, in ipsis naturis communicatione, deprauari horribiliter: atque è contrario, hæreses iam olim damnatas, Marcionitarum, Arianorum,*

D *Manichæorum, Samosatensium, Valentinianorum, Sabellianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, & Monothelitarum, reduci, atque innouari, satis euidenter demonstratum est.* hæc ibi.

V. Error.

Qvintus error est, quòd vnio hypostatica consistat in communicatione diuinorum attributorum. Tametsi enim pagina 744. videntur dicere communicationem istam esse posteriorem vnione hypostatica: Sic enim loquuntur: *Propter vnionem autem hypostaticam, & ex ea consequentem communicationem, &c.* Tamen in pluribus locis apertè indicant, in ista communicatione consistere vnionem hypostaticam, pag. 729. *Propter hanc,* inquiunt, *hypostaticam vnionem, quæ sine vera illa communicatione nec cogitari, nec subsistere*

potest, &c. At certè id non est posterius, sed est verè de essentia, sine quo alterum nec esse, nec cogitari potest. Et pag. 730. *Et sanè*, inquiunt, *veteres Ecclesiæ Doctores, duo hæc vocabula, κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν, communicationem, & vnionem in explicatione huius mysterij coniunxerunt, & alterum per alterum declararunt.* En quàm apertè idem esse volunt vnionem hypostaticam, & suam illam communicationem proprietatum. Cùm ergo dicunt, vnum ex altero sequi, vel manifestè secum pugnant, vel intelligunt de consecutione Logica, non Physica, quomodo dicimus, ex eo quòd aliquis est homo, sequi, vt sit animal rationale.

A

Porrò hæc sententia, quòd vnio hypostatica consistat in illa communicatione diuinorum attributorum, destruit omninò mysterium incarnationis. Nam in primis, cùm diuina attributa, id est, omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia, & similia, sint communia toti Trinitati, Si in illorum communicatione consistit vnio hypostatica, sequitur, omnes tres personas esse incarnatas. Vt enim secundùm Catholicam fidem, quam exposuerunt vetera Concilia generalia, 3. 4. 5. & 6. ideò sola persona filij incarnata est, quia vnio facta est per communicationem subsistentiæ propriæ ipsius Filij: ita secundùm aduersariorum sententiam totam Trinitatem incarnatam esse necesse est, cùm vnio facta sit in eo, quod est commune toti Trinitati.

B

Deinde, si vnio hypostatica consistit in communicatione attributorum, sequitur, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnitos esse hypostaticè, atque vnam tantùm esse personam. Nam Pater gignendo Filium, omnia sua attributa illi communicauit, & similiter Pater, & Filius producendo Spiritum sanctum, omnia sua attributa illi cõmunicarunt. Prætereà, aut volunt hypostaticam vnionem consistere in communicatione omnium attributorum, vel aliquorum tantùm; si omnium, imposibilis erit vnio hypostatica. Nam inter attributa Dei, numeratur vera æternitas, quæ principio, & fine caret: at impossibile est rem creatam carere principio, & saltem certum est, Christi humanitatem non fuisse ab æterno. Pari ratione, Dei proprium est, carere principio effectiuo; at id nullo modo creaturæ communicari poterit. Si verò aliquorum tantùm; quis dicere poterit, quæ sint illa, cùm eadem sit ratio omnium? Vt enim esse potest vnio hypostatica, sine communicatione æternitatis; cur non poterit esse sine communicatione omnipræsentiæ, vel omnipotentiæ? Denique ista attributa non possunt esse naturæ humanæ essentialia, erunt igitur accidentalia; id, quod liber Concordiæ asserere videtur, cùm pagina 641. explicat istam communicationem, per operationem diuinitatis, quam exercet per humanitatem. At hæc ipsa est Nestorij hæresis, qui Verbum cum homine per operationem coniungebat: estque hæc hæresis expressè damnata in Concilio V. generali, cap. 4. & 5.

C

D

VI. Error.

Sextvs error est, quòd totus Christus, Deus, & homo, ad inferos descenderit. Id, quod apertè sequitur ex tertio errore, & prætereà in ipsa Concordia disertè asseritur, pagina 750. *Simpliciter*, inquiunt, *credimus, quòd tota persona Deus, & homo post sepulturam ad inferos descenderit.* Atque hic error cum duobus, imò etiam tribus articulis Symboli pugnat: destruit enim mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi. Nam si Christus homo descẽdit ad inferos, viuus non mortuus descendit: mortuus enim non est homo, cùm omnis homo per mortem desinat esse homo At si Christus viuus, & de Cruce descendit, & viuus peruenit ad inferos, non anima solùm descendit, sed etiam caro: non enim sola anima homo dici potest: quòd si anima, & caro descendit, quid, quæso, iacuit in sepulchro? Denique, si Christus semper fuit homo, nec vnquam verè mortuus, aut sepultus est, certè nec verè etiam resurrexit: non enim resurgit homo, nisi quando per nouam vitam iterum incipit esse homo, qui per mortem desierat esse homo. Atque hæc pauca de erroribus contra Symbolum sufficiant.

Mendacia Concordiæ.

I. Mendacivm.

IN præfatione Concordiæ, atque adeò in ipso principio præfationis, habetur illustre mendacium de Cõfessione August. quòd videlicet in totum orbem terrarum sparsa, vbique percrebuerit, & in ore, & sermone omnium esse cœperit. Nam ex tribus partibus orbis terræ, duæ, Asia, atque Africa, ne nomen quidem August. Confessionis adhuc audierunt: in Europa, quæ tertia pars est, Græcia, Italia, Hispania, aut omninò quid sit Augustana Confessio, ignorant, aut eam, vt pernitiosam, & hæreticam doctrinam execrantur. Gallia, ac Britannia, partim à Catholicis, partim à Caluinistis habitantur, quorum illi August. Confessionẽ apertè repudiant: isti solo nomine recipiunt. Quamquam nouam hanc in Confessione Concordiã, Caluinistæ, ne quidem nomine amplectuntur. Solus restat angulus Germaniæ, isque non totus, in quo sese fama Confessionis dilatet. Nam & ipsa Germania Zvvingliani, & Anabaptistæ inueniuntur, qui Confessionem Augustin. nunquam receperunt. Quid? quòd initiò nec in parte Germaniæ Confessio August. locum habere potuit. Nam eo ipso anno, quo Augustę nata est, Augustæ quoque exstincta quodammodo est. Siquidem à Theologis Catho. refutata, & ab Imperatore Carolo V. publicè damnata fuit in generali recessu: cui damnationi subscripserunt Electores v. Ecclesiastici Principes xxx. Seculares xxiii. Abbates xxii. Comites & Barones xxxii. Ciuitates liberæ, & Imperiales xxxix. Cùm ipsi confessioni solùm subscripserint Elector i. Principes vi. Ciuitates ii. Quocirca meritò Philippus lib. 1. Epistol. in Epistol. ad Ioann. Obernburgerum ita scribit: *Non delector*, inquit, *recordatione Comitiorum Augustanorum, in quibus tristi, ac atroci sententia damnati sumus.* Nec solùm

Augustæ confesſio vix dum nata, extincta fuit, ſed etiam in duobus archiuijs ita ſepulta, vt per totos annos 40. lucem non viderit. Confesſio enim Germanica in Cancellaria Moguntina; Latina verò in Bruxellenſi longiſsimo tempore delituerunt, atque interim ſingulis propè annis edebantur aliæ atque aliæ: quæ cum omnes Confesſionis Auguſtanæ titulum præ ſe ferrent, tamen & verbis, & ſententijs, cùm inter ſe, tum ab illa prima plurimùm diſſentiebant. Itaque glorioſum illud encomium Auguſtanæ Confesſionis, quod in totum orbem terrarum ſparſa, vbique percrebuerit, ita interpretandum eſſe videtur: Confesſio Auguſtana, id eſt, Confesſio, falſum nomen gerens Confesſionis Auguſt. per totum orbem terrarum, id eſt, in quodam angulo Septentrionis, vbi ſparſa percrebuit, id eſt, in aliquot oppidis Germaniæ audiri cœpit.

II. Mendacivm.

IN eadem præfatione, vltra medium, proteſtantur aduerſarij, in negotio Cœnæ ad nulla alia fundamenta pios homines deducendos eſſe, quàm verborum inſtitutionis Teſtamenti Domini noſtri Ieſu Chriſti: licèt tam ipſi, quàm etiam Lutherus, inuiti pertracti ſint ad diſputationem de vnione perſonali duarum in Chriſto naturarum. At in ipſa Concordia, pagina 571. & iterum pagina 717. in articulo de Cœna Domini, vna cum Luthero, quatuor alia fundamenta iaciunt. Primum eſt, quòd Chriſtus ſit Deus, & homo, in vna perſona, indiuiſus, & inſeparabilis. Secundum, quòd dextera Dei eſt vbique. Tertium, quòd Verbum Dei ſit, neque falſum, neque fallax. Quartum, quòd Deus varios modos habet, nouitque, quibus aliquo in loco eſſe poteſt. Mendax igitur eſt huius præfationis proteſtatio.

III. Mendacivm.

PRæfatione Confeſſ. ad Carolum V. paginâ 6. ita habetur: *Offerimus in hac Religionis cauſſa, noſtrorum Concionatorum, & noſtram Confesſionem: cuiuſmodi doctrinam ex Scripturis ſanctis, & puro verbo Dei, hactenus illi in noſtris terris, Ducatibus, ditionibus, & vrbibus tradiderunt, ac in Eccleſijs tractauerunt.*

Hoc inſigne mendacium eſſe, vel ex eo cognoſci poteſt, quòd Confesſio Lutheri, in multis ab Auguſtana diſſentit: cùm tamen eodem anno 1530. edita ſit, neque credibile videatur, meliùs Lutheranos, quàm ipſum Lutherum, quæ ſit Lutherana doctrina ſcire potuiſſe. Articul. 11. Lutheranæ Confesſionis habet: *Quòd confesſio priuata debeat eſſe libera.* Confesſio autem Auguſtana, in cap. de Confesſione, dicit: *Apud ſuos non ſolere porrigi corpus Domini, niſi anteà exploratis, & abſolutis.* Et in cap. de Miſſa, ſic ait: *Nulli admittuntur ad Sacramentum, niſi anteà explorati, atque auditi.* Item artic. 16. Lutheranæ Confesſionis, vult, *Miſſam præ omnibus abominationibus, eſſe abrogandam.* Confesſio verò Auguſtana in cap. de Miſſa: *Falsò, inquit, accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quòd Miſſam aboleant: retinetur enim Miſſa apud nos; & ſumma reuerentia celebratur.* Ad hæc nec Auguſtana Confesſio à Philippo fabricata, nec Lutherana, quæ Auguſtanam ſine dubio peperit, cum ea doctrina concordat, quam initiò Lutherus, & Melanchthon tradiderunt. Audio Ioannem Cochlæum eodem anno 1530. collegiſſe articulos ex libris Lutheri, & Philippi, contra ſingulos articulos Confesſionis Auguſtanæ: ſed eos nondum videre potui. Sed facilè credo illum hoc feciſſe, cum ipſe quoque id præſtare nullo negotio posſim, qui tamen multò minùs verſatus ſum in Lutheranorum libris, quàm Cochlæus fuerit. Ac ne ſim nimis prolixus, conferam ſolùm duos, aut tres principales Confesſionis articulos, cùm Lutheri, & Philippi doctrina.

Articulus primus Confesſionis Auguſtanæ ſic habet: *Eccleſiæ magno conſenſu apud nos docent, decretum Nicenæ Synodi, de vnitate eſſentiæ diuinæ, & de tribus perſonis, verum & ſine vllâ dubitatione credendum eſſe.* Et infrà: *Et nomine perſonæ vtuntur in ſignificatione, qua vſi ſunt in hac cauſſa ſcriptores Eccleſiaſtici, vt ſignificet non partem, aut qualitatem in alio, ſed quod propriè ſubſiſtit.* Et infrà: *Damnant omnes hæreſes contra hunc articulum exortas, vt Manichæos, Valentinianos, Arianos, Eunomianos, &c.* Huic articulo primo rectè annectitur tertius, qui eſt de incarnatione Filij Dei, in quo duo naturæ vnitæ aſſeruntur in vna perſona. Lutherus autem quàm verum crediderit Nicænum decretum de vnitate eſſentiæ, ſatis oſtendit illis verbis, quibus eſt vſus contra Iacobum Latomum: *Animâ mea, inquit, odit hoc verbum ὁμοούσιος.* Quod tamen verbum ignorare non poterat in Concilio Nicæno, (vt D. Auguſtinus loquitur lib. tertio contra Maxim. cap. 14.) aduerſùs hæreticos Arianos veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate, firmatum eſſe. Neque verò id Luthero excidit per incogitantiam. Nam rurſùm id repetit, in libro de Concilijs: *Sanctus, inquit, Hieronymus vehementer perturbatus lamentabiles literas ſcribebat ad Epiſcopum Roman. Damaſum, & cupiebat expungi vocabulum ὁμοούσιος.* Vbi ſcilicet notanda eſt alia fraus Lutheri. Non enim ſanctus Hieronymus vocabulum ὁμοούσιος, ſed vocabulum ὑπόστασις, tacendum arbitrabatur, propter eius vocis ambiguitatem. Notæ ſunt Epiſtolæ duæ ſancti Hieronymi de hac re ad Damaſum, quarum altera ita concluditur. Obteſtor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi ſalutem, per ὁμοούσιον Trinitatem, vt mihi Epiſtolis tuis ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.

Deinde, ſi Luthero probatur doctrina Catholica de vnitate eſſentiæ, & Trinitate perſonarum, cur ex precibus communibus Germanorum, illam precatiunculam ſuſtulit, *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis?* Nec nouam eſſe hanc formam inuocationis, ſed ab antiquiſſimis Patribus, tam Græcis, quàm Latinis, vſurpatam, certum eſt ex Nazianzeno, qui oratione ſecunda de pace, ad finem, ait: O Trinitas ſancta, & longanimis, ſuſcipe etiam iſtos, &c. Et ex Auguſtino libro vltim. capite vltimi. de Trinitate: Domine Deus, vnus, inquit, Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de te, agnoſcant & tui: Si qua de meo, & tu ignoſce, & tui, Amen.

Porrò de incarnatione, quàm rectè Lutherus senserit, ex tribus eius operibus facilè poterit intelligi. Nam in concione de Natali Domini, qua primum caput Epistolæ ad Hebræos exponit, dum metuit cum Eutychete permiscere naturas, audacter cum Nestorio diuidit personas. Dicit enim: *Imperitos quosdam facere Christum hominem omnipotentem*. At si ille homo Christus non est omnipotens, eadem ratione non est Deus: nec enim Deus esse potest, qui non sit omnipotens. Duo igitur erunt, Christus Deus, & Christus homo, quæ est apertissimè Nestoriana sententia. Contrà verò, in libro de Concilijs, & Ecclesia, parte 2. dum vitare cupit Nestorium, apertè incidit in Eutychetem. Sic enim loquitur: *Mihi paulò antè negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, quod diuinitas Christi non posset pati*. Et infrà: *Oportet dici, hic homo Christus, hæc caro & sanguis condidit cœlum, & terram*. Certè natura diuinitatis, & carnis, nomina sunt naturarum, non personarum. Ergo si Luthero diuinitas patitur, si caro cœlum, ac terram condit, quis non videat, à Luthero Christi naturas confundi? ac, vt propensionem animi sui in Nestorium, & Eutychetem Lutherus ostenderet, in eodem de Concilijs libro, ita diligenter Nestorium, & Eutychetem excusat, vt vtrique zelum bonum, animum sincerum, & fidem rectam tribuat, & solùm ex inscitia quadam, in modo loquendi lapsos dicat: totam verò caussam tumultuum, & perturbationis illius temporis, in Episcop. Catholicos referat. Et eò vsque tandem progreditur, vt dicat: *Vereri se, ne in extremo iudicio aliqui, qui dicuntur hæretici, iudices sedeant: & Episcopi, qui illos in Concilijs damnauerunt, in æternum pereant*. Tantùm non apertè affirmans, Nestorium, & Eutychetem cum Christo iudices futuros, Sanctos verò, Leonem, & Cyrillum, in æternum perituros. Porrò in libro, qui inscribitur: *Confessio Martini Lutheri de Cœna Domini*, non solùm reprehendit Zvvinglianos, quòd passionem Christi soli tribuant humanitati, non etiam Deitati: Sed etiam econtrariò ipsam humanitatem in Deitatem euehere videtur, cùm ait: *Necesse habes, eam Christi essentiam, quæ est cum Deo vna persona, longissimè extra creaturas collocare, ideoq; tam longè, quàm Deus ipse, extra creaturas est*. Neque vult Lutherus dicere, Christi humanitatem extra creaturas esse, quantùm ad locum, siue spatium, sed quantùm ad ordinem, & dignitatem. Nam in eodem libro contendit, vbique esse Christi humanitatem. Et in serm. de Sacramento Cœnæ Domini: *Credimus*, inquit, *quòd Iesus Christus sit iuxta humanitatem, super omnes creaturas collocatus, & omnia impleat*. Et infrà: *Et habeat omnia in sua manu, & sit vbiuis præsens*. Si igitur Christi humanitas, extra ordinem creaturarum est, non creata natura, sed increata essentia est, ac per hoc non ampliùs humanitas, sed diuinitas dici debet. Rursum: Si Christi humanitas, tam longè abest à creaturis, quantùm ad excellentiam, & dignitatem, quàm longe abest ipse Deus: Deus autem infinito interuallo à creaturis omnibus separatur: Igitur Christi humanitas infinitæ dignitatis, & excel-

A lentiæ est. Ex quo sequitur, aut duas esse infinitas naturas, aut Christi humanitatem in Deitatem esse conuersam: quæ est hæresis Eutychiana. Et fortassis non sine mysterio, nec in Confessione, nec in Apologia, vlla fit mentio Nestorij, & Eutychetis, qui tamen nominatim damnari debuissent in articulo tertio, vt damnātur in primo Arius, & Eunomius. Iam verò Philippus Melanchthon, in Locis anni 29. pag. 9. *Necesse est*, inquit, *in Filio aliquid esse diuinæ naturæ*. Et rursum, pagina 11. *Necesse est in Christo aliquam esse diuinam naturam*. Et in Locis anni 45. fol. 53. de Spiritu S. loquens: *Testatur*, inquit, *per Ioelem Deus, non mitti creatam agnitionem, sed aliquid essentiæ Dei*. Necesse est autem personam esse distinctam, quæ est aliquid Dei, & tamen non est Pater. Philippo

B igitur aut multæ sunt naturæ diuinæ, cùm necesse sit in Filio aliquam esse diuinam naturam: aut certè multæ sunt partes eiusdem diuinitatis, cùm tam in Filio, quàm in Spiritu sancto aliquid sit diuinæ naturæ. Quod quàm bene cohæreat cum articulo primo Confessionis, nemo non videt. Rursum, idem Philippus in Locis anni 45. & 58. pagina 40. *Non est*, inquit, *lacerata, aut mortua diuina natura, sed fuit obediens Patri, quieuit, cessit ira æterni Patris*. Quid clarius pro Ariana hæresi dici poterat? Nam si natura diuina Filij, Patri fuit obediens, & iræ illius cessit: distinguitur diuinitas Filij à Patre, & Pater non habet diuinitatem, vel habet aliam. Vbi est igitur vnitas essentiæ diuinæ, quam prædicat Augustana Con-

C fessio? Ad hæc in iisdem Locis pagina 42. ita exponit illud, Glorifica me Pater: *Nunc missus subiectus sum Cruci, & seruio meæ vocationi. Deinde verò gloriam mihi restitue, quam ante mundi constitutionem apud te habui, &c.* Certè non potest restitui, quod non fuit amissum: Amisit igitur Christus gloriam, quam habuit ante mundi constitutionem, non autem amisit eam, vt homo, cùm ante mundi constitutionem non fuerit homo, amisit igitur, vt Deus. Deus igitur mutabilis est Christus, ac per hoc nec Deus verus, nec Deus vnus cum Patre, sed Deus factus, & creatus à Patre; vt Ariani docebant. Atque huc etiam fortasse alludit in iisdem locis, pag. 45. cùm ait: *Tempore passionis non fuisse in Christo gloriā beatitudinis, vt alio tempore*. Omitto illud, quod ibid. pagina 22.

D tres personas diuinas, tres esse vult singulares intelligentes. Qui modus loquendi, non satis consentit cum Symbolo Athanasij, quod in hac Concordia, tanquam pium, vt verè est, recipitur. Vt enim in Symbolo dicitur: Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens, ita sine dubio dici debet, non tres intelligentes, sed vnus intelligens.

Veniamus ad articulos de libero arbitrio, & caussa peccati, & videamus, an id semper Lutherus, & Philippus docuerint, quod in Confessione nunc docent. Articulus 18. Confessionis, sic habet: *De libero arbitrio docent, quòd humana voluntas, habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iustitiam, & deligendas res rationi subiectas, &c.* Articulo 19. de caussa peccati, docet: *Quod tametsi Deus creat, & conseruat naturam, tamen caussa peccati est voluntas ma-*

lorum,

lorum, videlicet diaboli, & impiorum, quæ non adiuuante Deo auertit se à Deo, sicut Christus ait: Cùm loquitur mendacium, ex seipso loquitur.

Audiamus nunc verba Lutheri ex assert. art. 36. *Liberum*, inquit, *arbitrium, est figmentum in rebus, & titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare boni, vel mali, sed omnia, (vt Vviclephi articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt, quod & Poeta voluit, quando dixit: Certa stant omnia lege. Et Christus Mat. 6. Folium arboris non cadet in terram, sine Patre vestro.* Et infrà: *Non est dubium Satana magistro, in Ecclesiam venisse hoc nomen, Liberum arbitrium.* Ac vt sibi, & suis Lutherus præcluderet aditum ad retractationem, in eadem assertione, ita præfatus fuerat: *In cæteris articulis, de Papatu, de Concilijs, de Indulgentijs, alijsque non necessarijs nugis, ferenda est leuitas, & stultitia Papæ, & suorum: Sed in hoc articulo, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendũ, & flendum est, miseros sic insanire.* Et in libro cõtra Regem Angliæ scripserat: *Adeò se certum esse de sua doctrina, vt si quis aliter doceret, aut damnaret, quæ ipse scripsit de fide, de operibus, de libero arbitrio, &c. is damnaret Deum, & oporteret ipsum manere filium inferni.* Atque his similia Philippus docuit in Locis, anno 21. 22. editis. Tantùm abest igitur, vt verum sit, quod in præfatione Confessionis dicitur: *Hanc ipsam Confessionis doctrinam eam esse, quam hactenus Lutherani Concionatores tradiderunt*, vt potiùs sit verissimũ, in præcipuo articulo, & in summa rei defecisse Confessionis auctores à Luthero ad Papam. Et (si verum sit Lutheri vaticinium) oportere iam eos manere filios inferni: quippe qui Deum in Luthero dãnare ausi fuerint. Non ignoro Lutherum in Visitatione Saxonica, & Philippũ in Epitome Moralis Philosophiæ, & in Locis editis posteriorib. annis, longè aliter docuisse de libero arbitrio, & caussa peccati, quàm antea docuerant, cùm haberẽt primitias Spiritus: tamen id neq; mendacium excusat, & arguit inconstantiam. Et quia non parùm conducere videtur ad commendationem architecti huius Confessionis, ad memoriam reuocare Philippi egregiam in doctrina constantiam, annotabo breuiter eius sententias de libero arbitrio, & caussa peccati.

In locis anni 21. Primò, repudiat nomẽ ipsum liberi arbitrij, & rationis: *Vsurpata est vox*, inquit, *liberi arbitrij, à diuinis literis, ac sensu, & iudicio spiritus alienissima: additum est è Platonis Philosophia, vocabulum rationis æquè perniciosum.* At in Locis posterioribus: *Monendi sunt*, inquit, *rudiores, vt à Physicis sumant distinctiones, & appellationes partium hominis. In homine est pars cognoscens, & iudicans quæ vocatur mens, vel intellectus, vel ratio: altera pars appetens, vocatur voluntas. Vocatur autem liberum arbitrium mens, & voluntas coniuncta.*

Secundò, defendit Vallã, contra Ioan. Eckiũ: *Valla*, inquit, *ait Eckius, quod scholarum sententiã de libero arbitrio confutauit, plura voluisse scire, quàm didicisset, scilicet egregie festiuus negator.* At in locis posterioribus: *Valla*, inquit, *& plerique alij non rectè detrahunt voluntati hominis libertatẽ.* Et in Epitome moralis Philosophiæ: *Stoicas illas*, inquit, *de Fato, seu Vallæ absurdas imaginatio-*

A *nes, quæ propter diuinam gubernationem, adimunt libertatem voluntati, fugiamus.* Tertiò, reprehẽdit Philosophiam: *Hoc loco*, inquit, *prorsus Christiana doctrina à Philosophia, & humana ratione dissentit.* At in Epitome moralis Philosophiæ: *Est*, inquit, *prudentissimè ab Aristotele addita rationis descriptio.* Et in locis, ca. de viribus hominis: *Hæc est*, inquit, *libertas voluntatis, quam Philosophi rectè tribuunt homini.*

Quartò, tollit omnem libertatem, & cõtingentiam: *Quandoquidem*, inquit, *omnia, quæ eueniunt, necessariò iuxta diuinam prædestinationẽ eueniunt, nulla est arbitrij nostri libertas. Quid igitur*, inquies, *nulla ne est in rebus contingentia? nihil casus? nihil fortuna? omnia necessariò euenire, Scripturæ docent. Etsi videatur tibi in rebus humanis esse contingentiam, iudicio rationis hic imperandum est.* B At in locis posterioribus: *Concedendum est*, inquit, *quòd Scriptura Apostolica tribuat homini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam deligendi ea, quæ sunt subiecta rationi.* Et infrà: *Hæc Manichæa imaginatio (quæ videlicet libertatem, & contingentiam tollit) horribile mendacium est, & ab hoc errore mentes abducendæ sunt, & docenda agere aliquid liberum arbitrium.*

Quintò, in commentarijs ad caput octauũ Epistolæ ad Roma. docet, Deum peccatorum caussam esse. *Sicut*, inquit, *fatemur, propriũ Dei opus fuisse, Pauli vocationem; ita fatemur opera Dei propria esse: siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere, &c. siue quæ mala sunt, vt Dauidis adulterium, Manlij seueritatem. Constat. n. ex c. 1. ad Rom. Deum omnia facere, nõ permissiuè, sed potenter.* Et infrà: *Ergo non est, cur frigidum glossema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere.* C At in locis de caussa peccati: *Est*, inquit, *hæc vera, & pia sententia, vtraq; manu, & veriùs, toto pectore tenenda, Deũ non esse caussam peccati: nec velle peccatum.* Et infrà: *Nec figuræ illæ verborũ in sermone Hebraico pugnant cum hac sententia: Indurabo cor Pharaonis: & similes. Certũ est. n. Hebraica phrasi significare permissionem, non efficacem voluntatem.*

Ex his satis constare puto, & quàm grauem, & constantem auctorem habuerit illa Confessio, tantoperè celebrata, & quàm verũ sit, quòd in eius præfatione asseritur, in hac Cõfessione eam doctrinam contineri, quam vsq; ad illud tempus ex diuinis literis Lutherani tradiderãt.

IV. MENDACIVM.

D IN Confessione Augustana, art. 12. p. 15. Concordiæ, sic habetur: *Reijciuntur & isti, qui nõ docent, remissionem peccatorum per fidem contingere; Sed docent, remissionem peccatorũ contingere propter nostram dilectionẽ, & opera.* Hæc verba etsi de industria obscurè proposita esse videntur, tamen sine dubio hunc faciunt sensum, vt reijciendos esse significent illos, qui docent homines iustificari à peccatis sine fide, per solã dilectionẽ, & opera. Nec dubitari potest, quin his verbis notentur Catholici omnes, & præsertim Theologi Scholastici; Et si quod dubium esse potuisset, iam est sublatum per Apologiam, vbi vsque ad nauseam repetitur, & inculcatur hoc mendacium, quòd Scholastici doceant, iustificationem non contingere ex fide, sed ex operibus, hoc est, ex operibus sine fide. Quoniam enim versantur

ipsi in vno extremo, cùm docét, iustificari homines ex fide sine operibus; cupiunt nos in altero extremo collocare, quasi doceamus, iustificari homines ex operibus sine fide. At non est ista, nec vmquam fuit, doctrina Ecclesiæ Catholicæ, nec etiam Scholasticorum Theologorum. Semper enim docuimus, & docemus, iustificari homines ex fide, & dilectione, ac operibus bonis; ita vt ad præparationem, ac dispositionem ad iustificationem, requirantur actus fidei, spei, & dilectionis, quos ipsos tamẽ non habemus, nisi Dei gratia nos præueniente, excitante, & adiuuante: Ipsa verò formalis iustificatio consistat in remissione vera omnium peccatorum, & infusione habituum fidei, spei, & caritatis, quos propter Christi meritum, Deus in corda nostra gratis diffundit. Deniq; actualis iustitia sit legis diuinæ obedientia, & obseruatio, ad quam non ex nobis idonei sumus, sed ex spiritu gratiæ, id est, fidei, spei, & caritatis, nobis à Deo per Christum donato. Ita docet Concil. Trid. Sess. 6. cap. 6. Disponuntur, inquit, ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, &c. Et ca. 7. Quamquã nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, hęc omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem. Et capite decimo per obseruationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa iustitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, &c. Vides igitur fidem numquam excludi, sed contrà potiùs semper requiri, siue de ipsa iustificatione agatur, siue de ijs, quæ illam, aut præcedunt, aut etiam consequuntur. Ac ne dicant nouam hanc esse doctrinam, & nos nunc demum ab ipsis excitatos sapere cœpisse, vt aliquoties Philippus iactat in Apologia, addamus etiam testimonium principis Scholasticorum, quòd fides ad iustificationem requiratur: Sanctus Thomas 1.2.q.113.art.4. Ad iustificationem impij requiritur motus mentis, quo conuertitur in Deum. Prima autem conuersio in Deum fit per fidẽ, iuxta illud Hebr. 11. Accedentem ad Deum, oportet credere. Et ideò, motus fidei requiritur ad iustificationẽ impij.

V. Mendacivm.

PAg. 16. in artic. 13. Confess. habentur hæc verba: *Damnant igitur illos, qui docent, quòd Sacramenta ex opere operato iustificent, nec docent fidem requiri in vsu Sacramentorum, qua credat remitti peccata.* Hoc etiam loco Theologi Scholastici notantur, quasi doceant, Sacramenta etiam sine fide prodesse. Sed apertum mendacium est, ad quod refellendum vnius sancti Thomæ testimoniũ sufficiet, qui 3. parte, q. 68. art. 8. Recta fides, inquit, ex necessitate requiritur ad Baptismum, quia sicut dicitur Roma. 3. *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi.* Et infrà: Ad primum ego dicendum, quòd Dominus loquitur ibi de Baptismo, secundũ quod perducit homines ad salutem, per gratiam iustificantem, quod quidem sine recta fide esse non potest, & ideò signanter dicit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*

VI. Mendacivm.

PAg. 17. in art. 16. Confess. ita habetur: *Damnant, & illos, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei, & fide, sed in deserendis ciuilibus officijs.* Mendacium est manifestum contra Cath. professores ordinum religiosorum, quasi existiment perfectionem propriè consistere in deserendis ciuilibus officijs, coniugio, militia, magistratibus, & similibus. At neque veteres, neq; recentiores Monachi, vmquam hoc docuerunt. Ioan. Cassianus Col. 1. c. 7. Ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarũ, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt. B. Thomas ex Scholasticis, 2.2.q.184. art. 3. Per se, inquit, & essentialiter consistit perfectio Christianæ vitæ in caritate, principaliter quidem, secundum dilectionem Dei, secundariò autem, secundum dilectionem proximi. Et infrà: Secundariò, & instrumentaliter consistit perfectio in cõsilijs, quæ ordinantur ad remouendum impedimenta actus caritatis, quæ tamen caritati non contrariantur: sicut est matrimonium, occupatio negotiorum secularium, & alia huiusmodi.

Quòd autem status perfectior sit eorum, qui deserunt omnia propter Christum, nec implicantur negotijs secularibus, quàm aliorum, qui hoc non faciunt: & quòd hic perfectior status, non imperetur, sed consulatur, satis apertè colligitur ex verbis Domini, Matth. 19. vbi postquam dixerat: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Subiunxit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, &c. Nec vsquã legimus: Si vis perfectus esse, vxorem ducito, capesse Rempub. &c. Hinc D. August. epist. 89. quæst. 4. Viderit, inquit, ille iuuenis, quemadmodum illa legis mandata seruauerit. Verumtamen Magister bonus, mãdata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit: Si vis venire ad vitam, serua mandata. Hic autem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c. Eusebius lib. 1. de Demonstrat. Euangel. cap. 8. declarans communem doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, ex diuinis literis deriuatã: Quocirca, inquit, in Ecclesia Dei, duo modi viuẽdi instituti sunt. Alter quidem naturam nostram, & communem hominum vitæ rationem excedens: non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, & soli diuino cultui, ex immenso rerum cœlestium amore addictus. Et talis quidem existit in Christianismo vitæ perfectæ modus. Alter verò remissior, atq; humanior: hic & modesto coniugio, & sobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curam assumit, & iustè militantibus, quæ sint agenda, describit, agros quoque, & mercaturam, adiuncta religione non negligit: Et his quidem secundus pietatis attributus est gradus.

Hoc idem ex pluribus Scripturæ, & Patrum testimonijs probare possemus, si refellere errores Confessionis, & non solùm mendacia indicare, propositum nobis esset.

VII. Mendacivm.

PAg.18.in art.20.Confeſſ. *Falsò accuſantur noſtri, quòd bona opera prohibeant.*

Mendacium hoc eſſe non dubitabit, quicumque aliquid Scriptorum Lutheri perlegerit. Certè in ſerm. de piſcatione Petri ſic legimus: *Quantò ſceleratiores, tantò citius Deus gratiam infundit.* Ibidem: *Debemus cum ſolo Iſaac venire, id eſt, cum fide: ſeruos, & aſinos, hoc eſt, opera, deorſum dimittere oportet.* Item in ſerm. Sic Deus dilexit mundum: *Ego dico tibi, quia angusta eſt via: Oportet te fieri tenuem, ſi vis per eam venire. Ceterùm, qui operibus onerati ſunt (ſicut conchilibus onuſtos videmus Iacobi peregrinos) ij non poterunt penetrare.* Et infrà: *Si veneris cum magnis faccis operum plenis, deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare.* Porrò ex his fontibus manarunt illa præclara dogmata, quæ Lutheri diſcipuli in Colloquio Altenburgenſi ſtabilire conati ſunt. *Opera bona legis, & noua obedientia, non ad regnum Chriſti, ſed ad mundum pertinent. Ad Satanam ſpectant Chriſtiani cum omnibus bonis operibus. Precari verò oportet, vt in fide ſine bonis operibus omnibus, ad finem vſq; conſtantes perſeueremus. Adeò neceſſaria illa non ſunt, vt etiam ad ſalutem incommodent, ſintque pernitioſa.* Deinde Catholici non tam Lutheranos accuſant, quòd prohibeant opera bona, quàm quòd ea contemnunt, & cum Eunomio antiquo hęreſiarcha, immò etiam cum Simone Mago hæreticorum omnium principe, nón neceſſaria ad ſalutem eſſe, doceant. Ac de Eunomio quidem teſtis eſt Auguſtinus in libro de hæreſibus, c. 54. de Simone Irenæus, lib.1.cap.20. de Luthero, liber ipſius de captiuitate Babylonica, c. de Baptiſmo: Liber de libertate Chriſtiana: Sermo de Moyſe: Commentarij in epiſt. ad Galatas.

VIII. Mendacivm.

PAg.19.in art.20.Confeſſ. *Iubent* (Catholici Doctores) *mereri remiſſionem peccatorũ operibus.* Si de merito operum illorum, quæ fiũt ſolis naturæ viribus, ſermo ſit: de quo merito articulum intelligendum eſſe, conſequentia verba declarant: inſigne eſt mendaciũ Philippi. Non enim id habet Catholica doctrina, vt operibus illis, quæ fiunt ſine fide, & auxilio Dei gratuito mereri poſsint homines remiſsionem peccatorum: & contra hæc operum merita defendit ſanctus Auguſtinus gratiam, & iuſtitiam fidei: nec non etiam S. Proſper in libris de vocatione gentium, quos libros imperitè Philippus tribuit Ambroſio, cùm in ijs libris nominatim refellantur Pelagiani, qui poſt Ambroſij obitum orti ſunt. Si verò de illis operibus agatur, quæ ex fide, & gratia Dei proficiſcuntur, fatemur quidem nos illis operibus aliquo modo mereri remiſsionem peccatorum. Sed idem fatentur Prophetæ, Euangeliſtæ, Patres: Ezech.18. Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, ipſe animã ſuam viuificabit. Dan.4. Peccata tua eleemoſynis redime. Ionæ 3. Vidit Deus opera eorum, & miſertus eſt eis. Luc.11. Date eleemoſynam, & ecce omnia mũda ſunt vobis. Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm. Ambroſius lib.10. in Lucam. Lachrymæ veniam non poſtulant, ſed merentur. Et infrà: Et tu ſi veniam vis me-

A reri, dilue culpam tuam lachrymis, &c. Hieronymus lib.2. contra Pelagianos: Qui peccata ſimpliciter confitetur, meretur humilitate clementiam Saluatoris. Auguſtinus epiſt.105. Nec ipſa remiſsio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat: neque enim nullum eſt meritum fidei: qua fide ille dicebat, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, & deſcendit iuſtificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui ſe humiliat, exaltabitur. Reſtat igitur vt ipſam fidem, vnde omnis iuſtitia ſumit initium, non humano, quo iſti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, quoniã inde incipiunt bona quæcumque ſunt merita, ſed gratuitum donũ Dei eſſe fateamur, ſi gratiam veram: id eſt, ſine meritis, cogitamus. Et epiſt.106. Si quis dixerit, quòd gratiam bene

B operandi fides mereatur, negare non poſſumus, immò gratiſsimè confitemur. Gregorius in lib.1.Reg.lib.3.cap.4. Dum Niniuitæ, veluti pro difficili reconciliatione, graui pœnitentia ſe deijciunt, omnipotentis Dei miſericordiam facilè meruerunt. Sanctus etiam Thomas ex Scholaſticis, cum prædictis Patribus docet ijs operibus, quæ fiunt ex fide, & auxilio Dei, mereri nos aliquo modo iuſtificationem à peccatis. ſecundo ſent. diſtin. vigeſima ſeptima, q. 4. in reſp. ad quartum. Quod tamen conſtanter negat de illis operibus, quæ fiunt ſolis naturæ viribus. prima ſecunda quæſt. centeſima nona, articulo ſexto, & quæſt. 114. articulo quinto. Huc accedit, quòd iſtis etiã operibus, quæ fiunt ex fide, & auxilio Dei, non tale tribuimus meritum, vt ei reſpondeat ex iuſtitia merces: ſed

C meritum ſolum impetrationis, vt Auguſtinus loquitur, quòd Scholaſtici meritũ de congruo, non de condigno nominare ſolent. Neque in hoc vlla eſt inter Catholicos diſſenſio. Et Concil. Trident. ſeſſ. ſexta, capite octauo de hoc genere meriti apertè pronunciat, ideò gratis iuſtificari homines, quia nec fides, nec opera, quę iuſtificationem præcedunt, ipſam merentur. Sed paradoxum videtur aduerſarijs, quòd homo operetur ex fide, & nondum ſit iuſtificatus à peccato, cùm apud ipſos ita fides ſola iuſtificet, vt ſeparari nequeat fides à iuſtificatione. At non illis paradoxum videtur, qui ex fide orantes dicunt: Dimitte nobis debita noſtra, Mat.6. Nec illi paradoxum hoc videbatur, qui ex fide orabat: Deus propitius eſto mihi peccatori,

D Luc.18. Nec denique Auguſtino paradoxum hoc erat, cùm ſcriberet in epiſt.105. Nec ipſa remiſsio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat.

IX. Mendacivm.

Et quidem multiplex.

PAg.18.& 19.in eodem art. 20. multa ſimul conglomerantur mendacia, vt, *Quod noſtri concionatores olim parùm docebant de operibus, quæ Deo placent: quòd tantùm vrgerent puerilia, & non neceſſaria opera: quòd nunc à Lutheranis admoniti, hæc dediſcant: quòd iã incipiant fidei metionẽ facere: quòd doctrina fidei diu iacuerit ignota.* Scilicet, non legerat Philippus Sermones S. Bernardi, Petri Damiani, Innocẽtij tertij, Thomæ Aquinatis, Vincentij, Bernardini, Laurẽtij Iuſtiniani, & aliorũ innumerabilium, in quib.

de Symbolo, de Decalogo, de oratione Dominica, de omnibus vitijs, omnibusq; virtutibus grauissimæ disputationes continentur. Sed facilè est dicere, & non probare.

X. Mendacium.

PAg.22. in art.21. Confess. *Hæc ferè summa est doctrina apud nos, in qua cerni potest nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota est.* Ad hoc mendacium conuincendum, non erit opus, vt extra articulum istum vigesimum primum egrediamur. Hic enim asserunt, non esse à Sanctis auxilium petendum, eò quòd vnus sit intercessor Christus. In quo quidem art. manifestè dissentiunt à Scripturis, ab Ecclesia Catholica, & ab Ecclesia Romana. Nam etsi vnus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus: & ideò vnus mediator, quia dedit semetipsum redemptionem pro multis, 1. Tim. 2. Nec vllus Catholicorum docuit vmquam Sanctos esse mediatores per modum redemptionis: tamen vnum esse tantùm intercessorem, vnum aduocatum, vnum qui interpellet pro nobis, immò etiam vnum tantùm mediatorem per modum supplicationis, non modo Scriptura non dicit, sed etiam ita dicentibus apertissimè contradicit, Iob. 5. Voca si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere: vbi Angeli fiunt intercessores hominum; teste August. in annotationibus in Iob. non igitur solus est intercessor Christus. Deuter. 5. Ego, inquit, Moyses, sequester fui, & medius inter Deum, & vos, in illa die. 1. Reg. 7. dicunt filij Israel ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum. Iob vltimo: Ite ad seruum meum, ille orabit pro vobis: suscipiam faciem eius. Rom. 15. obsecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum. Idem repetit 2. Cor. 1. Coloss. 4. Eph. 6. Hebr. 13. Quomodo igitur vnus est tantùm intercessor, cùm & Iob, & Moyses, & Samuel, & tot Romani, & tot Corinthij, tot Colossenses, tot Ephesij, tot Hebræi adhibeantur intercessores? At, inquiût, de mortuis agimus, non de viuentibus. Sed si ideò mortui inuocandi non sunt, nec esse possunt intercessores, ne Christo gloria singularis intercessionis detrahatur, eadem de caussa nec viuẽtes inuocandi erunt, nec esse poterunt intercessores. Deinde si viuentes in terris inuocari possunt, cur non magis viuentes in cœlis? An fortassis ideò, quia non valeant, aut non velint illi pro nobis orare, aut certè nesciant quid petamus? Sed nec eorum felicitas patitur, vt non valeant: nec caritas sinit, vt non velint, nec possunt ignorare preces ad se porrectas, cũ non ignorent pœnitentiam peccatorum. Gaudium enim est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, Lucæ decimo quinto. Iã verò Concilium Chalcedonense, Concilium Ecclesiæ Catholicæ fuisse, & Concilium Orthodoxum, generale plenissimum, aduersarij non negant. Conciliũ autem istud Act. 11. ita clamat: Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret. Eusebius Cæsariensis Catholicæ Ecclesiæ cõmunem doctrinam tradens, l. 13.

A Præparat. Euangelicæ capite septimo? Hæc nos, inquit, quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monimenta quoq; illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tamquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum, non parùm iuuari profitemur. sanctus Basilius ad Catholicam Ecclesiam verba faciebat, cũ diceret oratione in 40. Martyres: Qui aliqua premitur angustia, ad hos cõfugiat, qui rursum lætatur, hos oret: ille, vt à malis liberetur: iste, vt duret in reb. lætis. sanctus Ambrosius, in libro de viduis, Catholicas viduas instituebat, cùm ita scriberet: Obsecrãdi sunt Angeli, qui nobis ad præsidiũ dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vin-

B dicare: possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si quæ habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumq; nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm vincerent, cognouerunt. sanctus Augustinus tract. 84. in Ioannem, tribus penè verbis tria aduersariorũ dogmata conuellit, de Sacrificio altaris, de Oratione pro defunctis, de inuocatione Sanctorũ: Ideò quippe, inquit, ad ipsam mensam, non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescũt, vt etiam pro eis oremus, sed magis, vt ipsi pro nobis orent. Deniq; Theodosius Imperator, Othodoxus, & pius erat, vt etiam aduersarij confitentur: & ta-

C men de eo sic scribit Ruffinus, libro secundo Hist. cap. 33. Circumibat cum Sacerdotibus, & populo omnia orationum loca, ante Martyrũ, & Apostolorum thecas iacebat, cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. Et de eodem Chrysostomus, Homilia 66. ad populum Antiochen. Nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit, illa complexurus sepulcra, & fastu deposito, stat Sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deũ intercedant, & scenarum fabrum, & piscatores, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedebat. Viderint ergo, qui negant Sanctos esse orandos, an ab Ecclesia Catholica non dissentiant.

Quòd autem ab Ecclesia Romana, quatenus ex antiquis Scriptoribus nota est, pariter dissentiant, ex Leone, & Prudentio, vt ceteros omittamus, notissimum est. Leo siquidem, qui

D Episcopus Romanæ Ecclesiæ ante mille, & centum annos fuit, & propter sanctitatis, & sapientiæ, atque etiam eloquentiæ excellentiam, Magnus dici meruit, Romanam Ecclesiam ita instituebat, sermone quinto de Epiphania: Confirmate amicitias cum sanctis Angel. & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini. Horum diuitias concupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia. Et serm. 1. de natali SS. Petri, & Pauli. Sicut, inquit, & nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atq; confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos. Prudentius in hymno de S. Laurentio, de Romana Ecclesia loquens, ita cecinit:

Quod quisq; supplex postulat,
Fert impetratum prosperè.
Et tristis haud vllus reddit,
En præsto semper adsies,
Tuósque alumnos vrbicos,
Lactante complexus sinu,
Paterno amore nutrias.

Quale igitur, & quàm impudens mendaciũ est huius Confessionis, quæ in eo ipso articulo affirmat, in nulla parte doctrinæ dissentire se à Scripturis, vel Ecclesia Catholica, vel Ecclesia Romana, in quo articulo Sanctorum inuocationem oppugnat, quam & Scripturæ, & Ecclesia Catholica, & Ecclesia Romana apertissimè docuerunt. Neque verò hoc vnum est, in quo discrepat Confessio Augustana, à Confessione Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ. Nam nec de ipsa Ecclesia, nec de peccato Originis, nec de Iustificatione, nec de Sacrificio, nec de Sacramento Eucharistiæ, nec de alijs Sacramentis consensio est, sed vnum sufficiebat, ad mendacium detegendum.

XI. Mendacium.

PAg. 21. in art. 21. Confes. *Apud nos*, (inquiũt) *magna ex parte veteres ritus diligenter obseruantur. Falsa enim calumnia est, quòd omnes cærimoniæ, omnia vetera instituta, in Ecclesiis nostris aboleantur.* Quale sit hoc mendacium nullo negotio intelligit, qui conferre voluerit cũ præsenti statu Ecclesiarum Protestantium, ea, quæ de ritibus Ecclesiæ scripta reliquerunt Tertullianus, Basilius, Epiphanius, Augustinus, alijque veteres Scriptores. Certè Tertullianus in libro de corona militis, inter Ecclesiasticas cærimonias numerat, ante Baptismum renuntiare diabolo, & pompis eius, ter mergi in sacro fonte, oblationes anniuersarias pro defunctis facere, ad omnem progressum frontem crucis signaculo terere. Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium, cap. 27. inter Ecclesiæ ritus ponit, orare ad Orientem, cruce signare inuocationis verba, dum ostenditur Eucharistia, benedictionem aquæ baptismatis, benedictionem olei vnctionis, benedictionem eius, qui baptizatur, trinam immersionem, &c. Epiphanius in compendiaria doctrina Ecclesiæ, primo loco ponit virginitatis professionem, deinde etiam viduitatis, tum solitudinem Anachoretarum, ieiunia quartæ, & sextæ feriæ, ieiunium quadragesimæ, arctiorẽ abstinentiam in sacra hebdomada passionis Dominicæ, memoriam defunctorum in precibus, nocturnas, & matutinas Psalmorum, & Hymnorum celebrationes, varia Monachorũ instituta, quorum alij à carnibus abstineant, alij etiam ab ouis, alij etiam à piscibus, &c. Denique Aug. meminit consecrationis aquæ per signum crucis, lib. 6. contra Iulianum, cap. 8. Exorcismi, & exsufflationis, lib. de gratia Christi, ca. 40. Vnctionis, qua vtimur in Baptismo, lib. 2. quæst. Euang. cap. 40. Item Chrismatis, quo inungimur post Baptismum, li. 15. de Trinit. c. 26. Signi crucis, quo benedicitur Chrisma, & quo signamur in fronte, dum Sacramentum Confirmationis accipimus in Psal. 141. & tract. 118. in Ioan. Aquæ miscendæ vino in sacro calice, lib. 4. doctrin. Christ. c. 21. Ieiunij 4. & 6. feriæ, epist. 86. ad Casulanum. Ieiunij quadragesimalis, in Psal. 110. Delectus ciborum in diebus ieiuniorum, lib. 3. contra Faustum, c. 5. Voti continentiæ etiam post coniugium, epist. 45. ad Armentarium. Voti virginitatis, lib. de sancta virginitate, cap. 29. Voti paupertatis, lib. 17. de Ciuit. Dei, cap. 4. Monachorum, & Anachoretarum, lib. de moribus Ecclesiæ, c. 31. Voti Monachorum, in Psalm. 75. & 99. Peregrinationum ad loca sancta, epist. 137. ad clerum, & populum suum. Porrò hæc, & similia, quæ in veteri Ecclesia in vsu erant, & nunc etiam in Ecclesia Catholica locum suum retinent, à Lutheranis non modò non seruantur, sed etiam irridentur, & tamen in Confessione dicere audent, veteres ritus à se diligenter seruari, & falsam esse calumniam, quòd omnium veterum instituta, atque omnes fermè cærimonias aboleuerint.

XII. Mendacium.

PAg. 22. in præfatione de abusibus mutatis: *Cùm Ecclesiæ*, inquiunt, *apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantùm paucos quosdam abusus omittant, &c.* Hęc verba mendacij arguuntur ab vltima parte huius Concordiæ, vbi ea de Christo docent, quæ cum Symbolo Apostolico, Nicæno, & Athanasij apertè pugnant, vt suprà iam ostendimus. Illud autem nõ est prætereundum, quòd cùm dicunt, se ab Ecclesia Catholica non dissentire, nisi propter paucos, eosq; nouos abusus: si per Ecclesiam Catholicam intelligunt eam, quæ nunc paret Rom. Pontifici, fatentur se extra Catholicam esse. Et sanè viderint ipsi, an propter paucos abusus ab Ecclesia Catholica separari licuerit. Si verò per Catholicam intelligunt antiquam aliquam Ecclesiam, mentiuntur, cùm dicunt hos abusus esse nouos: fuerunt .n. in antiqua Ecclesia, si illa est ea Catholica, à qua non dissentiunt, nisi ratione abusuũ.

XIII. Mendacium

PAg. 23. in articulo de coniugio Sacerdotum: *In Germania*, inquiunt, *primùm ante annos 400. Sacerdotes vi coacti sunt ad cælibatum.* Quod idem repetit Philippus in Apologia. At exstat Concilium Moguntinum celebratum in Germania tempore Arnulphi Imperatoris, ante annos 600. cuius decimus canõ statuit, vt nulla penitus mulier, ne soror quidem, aut mater, cũ Ecclesiasticis habitare permittatur. Exstat Concilium VVormatiense, in Germania ante annos 700. celebratum, cuius nonus canon ita habet: Placuit, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi abstineant se ab vxoribus, & non generent filios: quòd si hoc decretum violauerint, ab honore clericatus pellantur. Exstat Concilium Aquisgranense, tempore Ludouici Pij celebratum, anno Domini 816. id est, annis 714. ante Confessionem Aug. in cuius Concilij Canon. 6. indicitur Subdiaconis perpetua continentia: & quod de Subdiaconis dicitur, sine dubio de altiorib. gradib. intelligitur. Exstat deniq; epist. Zachariæ Romani Pontificis, ad Bonifaciũ Episcopũ, & Apostolum German. scripta ante ann. 800. vbi sic legimus: A die suscepti Sacerdotij, etiã ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt. Cuius legis meminerunt etiam Magdeburg. Cent. 8. c. 10. col. 704. Mendacium igitur Confessionis

tot

tot testibus refutatur, quot Episcopi in tribus suprà citatis Concilijs consederunt, addito etiam Romani Pontificis testimonio.

XIV. Mendacium.

Pag. 24. in eodem articulo de coniugio Sacerdotum: *Et res*, inquiunt, *gesta est tam inciuiliter, vt non solùm in posterum coniugia prohiberentur, sed etiam præsentia, contra omnia iura diuina & humana, contra ipsos etiam canones factos non solùm à Pontificibus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.* Et hoc numerari potest inter illustria mendacia Confessionis. Duæ sunt enim quæstiones de coniugio Sacerdotũ: Vna, an liceat post sacros ordines susceptos vxorem ducere: Altera, an liceat ei, qui duxit vxorem ante sacram ordinationem, simul & sacerdotio, & coniugio operam dare. Ac de prima quidem quæstione Lutherani omnes, & verbis, & factis respondent, licere. Sed hoc ex sententia veterum Canonum, quos vel Concilia, vel Pontifices ediderunt, velle defendere, nimis aperta impudentia est. Nam etiam Græca Ecclesia, quæ tamen in hac parte semper liberalior fuit, & damnat, & omni tempore damnauit coniugia post ordinationem. Exstat Concilium Neocæsariense, ante annos 1200. celebratum. In cuius primo Canone sic legimus: Presbyter si vxorem duxerit, ordine suo moueatur. Et Synodus Trulliana, Canon. 6. prohibet, ne Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, post ordines susceptos vxorem ducere præsumant. Quam eamdem prohibitionem legimus in Synodo Romana sub Syluestro, Can. 8. In Concilio 2. Tolerano cap. 1. in Can. Apostolorum, Can. 27. in Decreto Calixti I. apud Gratianum dist. 27. Can. Presbyteris. In epist. 82. Leonis primi ad Anastasium, Thessalonicæ Episcopum, cap. 4. Et in epist. Gregorij 1. lib. 1. epistol. 42. Nec vlla fuit vmquam de hac re in Ecclesia Catholica dissensio. Adde, quòd hoc ipsum affirmat Paphnutius, & Vdalricus, quos aduersarij pro sua caussa, opportunè, & importunè adducere solent. Scribunt enim Socrates lib. 1. cap. 8. & Sozomenus lib. 2. cap. 22. Paphnutium in Concilio Nicæno, dum sententiam suam de coniugio clericorum explicaret, inter alia dixisse, oportere iuxta veteres canones, Ecclesiasticis prohibere, vt post sacram ordinationem vxores ducant. Vdalricus quoque in epist. ad Nicolaum, quam referunt Magdeburg. & sæpiùs inculcat, Cent. 6. cap. 7. col. 388. Et cap. 10. col. 686. Et Cent. 9. cap. 10. col. 540. aperte docet, non licere Presbyteris, & Monachis vxores ducere, & si duxerint, debere separari. Et quamquam nec historiam Paphnutij, nec epistolam Vdalrici omninò nos probamus: tamen ostendere volui, in quæstione de nouis nuptijs Sacerdotum, nó solùm à nostris, sed etiam à suis patronis aduersarios refutari.

Iam verò de altera quæstione: An videlicet liceat Sacerdotib. liberis operam dare: Philippus affirmat, & quidem ita, vt subtrahere Sacerdotibus coniugium, esse contendat cótra veteres Canones, quos tam Pontifices, quàm laudatissimæ Synodi condiderunt. Mirum autem est, cur nec in Confessione, nec in Apologia, vllum talem protulerit canonem. Nos enim è contrario, omnes Ecclesiarum canones proferre possumus, quæ omnem vsum vxorum sacratis hominibus interdicunt. Ex quibus Philippi mendacium euidentissimè confutatur.

Ac primùm de Orientali Ecclesia, proferimus Nicænum Concilium primum, in cuius Concilij 3. canone prohibetur Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ne vllam domi mulierem habeant, præter matrem, aut sororem, aut amitam. Vbi nulla vxoris fit mentio, quæ tamen primo loco nominari debuit, si eius cohabitatio Sacerdotib. licita esset. Ac eam mentem Nicæni Concilij fuisse, tribus testibus fide dignissimis comprobabimus.

Basilius enim in epistola ad Georgium, ex huius canonis sententia, prædictum Georgium ab vxore separari præcipit. Epiphanius in hæresi 59. quæ est Catharorum, ita scribit. Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentem, vnius vxoris virum, non suscipit, sed eum, qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum, maximè vbi synceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos, at hoc non est iuxta canones, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. Hieronymus in li. contra Vigilantium: Quid facient, inquit, Orientis Ecclesiæ? quid Aegypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?

Ex Ecclesia Africana testem habemus, Cócilium II. Carthaginense, Canon. 2. vbi sic legimus. Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam se ab vxoribus abstineant, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Idem habet Concilium Carthaginense V. Can. 3. & Concil. Africanum, Can. 77. His subscribit Augustinus, qui in lib. 2. de adulterinis cóiugijs, cap. 20. Solemus, inquit, eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eam sarcinam subeundam capiuntur inuiti, eamque susceptam vsq; ad debitum finem, Domino adiuuante, producunt.

Ex Ecclesia Hispanica testem habemus Cócilium Elibertinum, antiquissimum, Canon. 33. Toletan. II. Can. 1. Toletan. IV. Canon. 26. Toletan. VIII, Canon. 6. quæ etiam Subdiaconis vsum vxorum prohibent.

Ex Ecclesia Gallicana testem habemus Cócilium Arelatense II. ante annos 1200. celebratum, in cuius II. Canon. cauetur, Ne vllus coniugatus ad sacerdotium assumatur, nisi continentiam ab vxore promiserit. Item Aurelianense III. Canone 2. Vt nullus, inquit, clericorum à Subdiacono & suprà, propriæ, si fortè iam habeat, misceatur vxori. Quòd idem præcipiunt Agathense Concilium, Canon. 92. Turonense I. Canon. 1. & 2. Et Turonense II. Can. 20.

Ex Ecclesia Germanica, iam suprà citauimus tria antiqua Concilia, Aquisgranense, Vvormatiense, Moguntinum.

Ex Ecclesia Anglicana testem habemus Bedam, qui lib. 3. de tabernaculo, cap. 9. Nemo, inquit, potest, vel Sacerdotium suscipere, vel ad altaris ministerium consecrari, nisi aut virgo permanserit, aut contracta cum vxore matrimonij fœdera soluerit.

Ex Ecclesia denique Italica, testem habemus diuum Ambrosium, qui libro 1. de Officijs, cap. vlt. Inoffensum, inquit, exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis. Item Siricium Papam in Epistol. ad Himericum, capit. 7. Innocentium I. in epist. ad Victricium, capitulo nono: & ad Exuperium, cap. 1. Leonem I. in epist. 90. ad Rusticum, cap. 3. Et Gregorium I. lib. 3. epistol. 34. Sed verba Leonis audiamus, in Epistola ad Anastasium Thessalonicensem Episc. Omnium, inquit, sacerdotum tam excellens est electio, vt hæc, quæ in alijs Ecclesiæ membris vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cùm enim extra clericorum ordinem constituti, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidẽ carnale connubium conceditur, vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent permaneant singulares, & innupti.

His accedunt exempla totius antiquitatis: quotquot enim ab Apostolicis tẽporibus Episcopi, & Presbyteri celebres, & laudati fuerũt, omnes omninò aut vxorem nunquam duxerunt, vt Athanasius, Basilius, vterque Gregorius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo, & alij innumerabiles, aut vxores quidem habuerunt, sed illis post susceptũ sacerdotium operam non dederunt, vt Gregorius pater Gregorij Theologi, Hilarius, Paulinus, & alij non pauci. Certè vnum aliquẽ laudatum Episcopum, Presbyterum, Diaconũ, Subdiaconum, aut Monachum, qui duxerit vxorem, aut ex vxore anteà ducta, filios procreauerit, adhuc aduersarij inuenire in tota antiquitate minimè potuerũt. Videt igitur Confess. contra quos canones, Pont. agant, cùm sacerdotes non patiuntur nuptijs, & procreationi operam dare.

XV. Mendacium.

Pag. 25. in eodem articulo: *Hinc*, inquiunt, *capitalibus pœnis excruciantur Sacerdotes, contra Canonũ voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter coniugium.* Si hoc non est mendacium, proferant aduersarij, vel vnum canonem, vbi prohibitum sit, ne Sacerdotes excrucientur, si vxorẽ ducere tentauerint. Nos enim iam canones multos produximus, in quibus indicitur cõtinentia sacerdotibus: & sanè contra canones esse non potest, si pœna statuatur in canonum violatores. *At*, inquit Philippus in Apologia, *Canones tantùm suspendunt ab officio, vos autem suspenditis ab arboribus.* Ergo fatetur in primis Philippus, Lutherum præceptorem suum, & omnes alios noui Euãgelij ministros, qui vxoribus carere noluerunt, ex canonum sententia, suspensos ab officio fuisse, & cùm nihilominùs officio fungi voluerint, contumaces, & rebelles contra leges omnium Ecclesiarũ extitisse, propter quod crimen, iure sanè ab arboribus suspendi potuissent. Deinde, neque est verum, antiquos Canones solùm ab officio suspendisse. Extat enim Canon. 1. Secundi Concilij Toletani, vbi statuitur, vt qui post sacros ordines vxorem ducunt, aut ad eam redeunt, à cuius contubernio iam recesserant, vt sacrilegij rei ab Ecclesia habeantur extranei. Et in Concilio Toletano VIII. Cano. 6. qui post sacros ordines vxoribus copulantur, iubentur sub pœnitentiæ oneribus vsq; ad extremum vitæ ad Monasteria relegari. In Concilio verò Turonensi II. ante 1000. annos celebrato, Cano. 16. habentur hæc verba de Monachis, (qualis Lutherus, Bucerus, Martyr, Ochinus, & alij fuerunt ex Euangelicis.) Si qui in monasterio conuersi sunt, nullatenùs habeant licentiam euagandi, nec, quod absit, vllus eorũ coniugem ducere. Nam si vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malè sociatæ consortio, etiam iudicis auxilio, separetur: qui infelix Monachus, tali coniunctione fœdatus, si per cuiuscunq; patrocinium se conatus fuerit defensare, & is, qui in hac pertinacitate perdurat, & illi, qui eum susceperint defensandũ, ab Ecclesia segregentur, donec reuertatur ad septa Monasterij, & indictam ab Abbate, quamdiu præceptum ei fuerit, agat pœnitentiam, & post satisfactionẽ reuertatur ad gratiam. Scribit Gregorius Turonicus lib. 4. histor. Francorum, cap. 4. Insignem quendam Comitem, qui dimisso, ex consensu mutuo, vxoris thoro, sacris ordinibus initiatus fuerat, ac deinde à diabolo instigatus, ad eandem redire præsumpserat, mox fuisse vna omnium Episcoporum sententia excommunicatum. Et multa similia, vel exempla, vel decreta, proferri possent, si necessitas postularet.

Accedit postremò, quòd nunquam Ecclesia sacerdotes puniuit propter coniugia, (vt mentitur Philippus) sed propter sacrilegia. Sicut enim (vt Augustin. dicit, in libro de bono Viduitatis, c. 9.) Non damnantur viduæ, quæ nubunt post votum, quia coniugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Sic etiam nõ punit Ecclesia sacerdotes, quia coniugiũ inire volunt: sed quia coniugium post solemne votum contrahendo, non verum coniugium contrahunt, sed sacrilegium cõmittunt: Et si August. in eodem lib. cap. 11. lapsus viduarum, quę post simplex votũ continentiæ nubunt, adulteris peiores esse dicit: quid de lapsu sacerdotum diceret, qui post solemne votum, vxorum nomine cõcubinas ducendo, cõiugium simul, & sacerdotium violant? Quòd si contendant, vt faciunt, vota continentiæ non esse seruanda, iam non sacrilegi solùm, sed etiam hæretici sunt, & meritò ab arboribus suspendi possunt, cùm Apostolo contradicant dicenti 1. Timot. 5. Adolescentiores viduas deuita, cùm enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt. quem locum de voti continentiæ violatione esse intelligendum, docent duo antiqua Concilia, Carthaginense IV. Canone 104. Et Toletan. IV. Can. 55. Duo antiqui Pontifices, Innocentius I. in epist. 2. cap. 13. Et Gelasius I. in Epist. 1. ca. 23. Omnes interpretes huius loci,

Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus OEcumenius, Ambrosius, Sedulius, Primasius, Beda, Haymo, & cæteri denique Patres, Tertullianus de Monogamia, Basilius de virginitate, Epiphanius hæres. 48. Hieronym. lib. 1. in Iouinianum, Augustinus de bono viduitatis, cap. 8. & 9.

XVI. MENDACIVM.

PAg. 25. in eodem articulo: *Cyprianus*, inquiunt, *suadet, vt mulieres nubant, quæ nō seruāt promissam castitatem. Verba eius hæc sunt, libr. 1. epist. 11. Si autem perseuerare nolunt, aut non possunt, melius est, vt nubant, quàm vt in ignem delicijs suis cadant.* Mendacium hoc esse, & Cyprianum non de ijs loqui, quę continentiam vouerunt, sed de ijs, quę adhuc deliberant, quid sint facturæ, & interim extra matrimonium impudicè viuunt, multis modis idem Cyprianus docet. Primò, quia non ait, si perseuerare nolunt, aut non possunt, quæ promiserunt Christo continentiam: Sed simpliciter, si perseuerare nolunt, aut nō possunt, melius est vt nubāt, quàm vt in ignem delicijs suis cadant, id est, si perseuerare nolūt, melius est, vt non voueant, quàm vt voueant, & votum non impleant. II. Quia in sequentib. verbis idem Cypr. coniugia detestatur earū, quæ se Christo dicauerant: Christus, inquit, Dominus, & iudex noster, cū virginem suam sibi dicatam iacere cum altero cernit, quàm indignatur, & irascitur, & quas pęnas incestis eiusmodi coniunctionibus comminatur? III. Quia cùm Cyprianus sub disiunctione loquatur, & dicat, si perseuerare nolunt, aut non possunt: Si de ijs loqueretur, quæ cōtinentiam promiserunt, videretur velle dicere, licitum esse ijs, pro arbitrio vota violare, si tantùm nolunt perseuerare, etiamsi possint: quod certè nemo sanus admittet. Accedit, quòd non est vllo modo credibile, aliud sensisse Cyprianum de isto loco Apostoli: Melius est nubere, quàm vri: quàm quod postea sensit Augustinus, qui tractans eundem locum lib. 1. de adulterinis coniugijs, cap. 15. Illis, inquit, quæ se non continent, expedit nubere, & quod licet, expedit, quæ autem vouerunt continentiam, illis nec licet, nec expedit. Multò verò minùs credibile est, aliud Cyprianum Carthaginens. Episc. de voto continentiæ docuisse, quàm ante eum Tertullian. docuerit, & post eum omnes Patres, ac præcipuè 214. Episcopi Africani, qui in IV. Carthag. Concilio conuenerunt, quorum testimonia paulò ante citauimus.

XVII. MENDACIVM.

PAg. 25. in articulo de Missa: *Falsò*, inquiunt, *accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.* Concordent, si possunt, huius Concordiæ auctores hæc sua verba, cum illis alijs verbis suis, quæ habentur pagina 279. inter articulos Smalcaldicos. *Curetur, vt publicè hominibus ostendatur, Missam, vt rem commentitiam, seu humanum figmentum, posse sine peccato omitti.* Et pag. 280. *abroganda meritò Missa est.* Et pag. 281. *Cæterùm Draconis cauda ista* (Missam intelligo) *peperit multiplices abominationes, & idololatrias.* Si igitur Missa res est vobis commentitia, & hominum figmentum, & cauda draconis, & meritò abroganda, cur eam non abrogatis? aut si eam iamdudum abrogastis, nec vllus ei apud vos locus conceditur, cur tam splendidè mentimini? Dicent fortasse, Pontificiam Missam, id est, oblationem corporis Dominici pro viuis, & mortuis, à se abrogatam, Lutheranam autem, id est, Eucharistiæ distributionem, retineri, & summa reuerentia celebrari. At non accusantur Ecclesiæ vestræ, quòd Eucharistiæ distributionem aboleant: sed quòd sacrificium è medio tollant, quod omnibus seculis in Ecclesia fuit. Itaque si per Missam intelligitis Cœnam Dominicam, mendacium est, quòd accusamini: Si verò sacrificium, mendacium est, quòd accusemini.

B XVIII. MENDACIVM.

PAg. 27. in eodem articulo: *Accessit*, inquiunt, *opinio, quòd Christus satisfecerit sua passione pro peccato originis: & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus, & venialibus. Hinc manauit, quod Missa sit opus tollens peccata viuorum, & mortuorum ex opere operato.* Multa sunt in his paucis verbis, vel absurda, vel mendacia, vel pugnantia cum superioribus partibus huius libri. Primùm enim, quis ante hoc tempus audiuit, Peccata mortalia vocari delicta quotidiana. Sanè Diuus Augustinus in Enchirid. cap. 71. distinguit peccata quotidiana, à sceleribus, & illa leuia, breuia, & minima vocat. Deinde impudenti mendacio tribuitur Catholicis doctoribus illa diuisio, quòd Christus passione sua satisfecerit solùm pro peccato originis: Pro actualibus autem instituerit Missam. Nemo enim Catholicorum vnquam sic docuit, sed credimus, & profitemur, Christum in cruce pro omnibus omninò peccatis satisfecisse, tam originalibus, quàm actualibus: quia tamen meritum passionis eius non prodest, nisi certa aliqua ratione applicetur, (si enim nulla requiritur applicatio, cur non omnes homines saluantur, cùm sanguis Christi fuerit propitiatio, pro peccatis totius mundi, 1. Ioan. 2. neque verò sola fide applicari potest, alioqui mentiretur, qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei, Ioan. 3.) Propterea docet Ecclesia Catholica, ad peccata expianda, siue ad meritum passionis Christi hominibus applicandum, instituta esse varia Sacramenta, & ipsum etiam corporis Domini sacrificium, quæ omnia ex opere operato vtilia sint, & peccatorum purgationem conducant, licet non æqualiter, nec eodem modo. Quod verò hic negat Philippus Missam valere ex opere operato, & apertius Lutherus in articulis Smalcaldicis, qui huic ipsi operi inserti sunt, repugnat articulo Confessionis 8. & hæresim Donatistarum renouat. Nam cùm in hoc articul. de Missa, Missam à se retineri, & summa reuerentia celebrari dicunt, certè Missam vtilem esse credunt. Non autem volunt vtilem esse ex opere operato: Ergo ex opere operantis vim illius pendere existimant At hæc hæresis est Donatistarum, quam nominatim artic. 8. damnauit Augustana Confessio.

Vbi etiam asseruit: *Verbum, & Sacramenta, vtilia & efficacia esse ex institutione Dei, siue per bonos, siue per malos ministros exhibeantur.* Et hoc ipsum est, quod Theologi nostri per op^9 operatum intelligũt, & ab opere operantis distinguunt. Sed video vnde Philippus occasionẽ arripuerit mentiendi, & calũniandi, quia videlicet S. Thomas in opusculo, de Sacramento altaris, cap. 1. docet: Corpus Domini semel oblatum in cruce pro debito originali, iugiter offerri in altari pro debitis quotidianis. At sanctus Thomas non dicit, in cruce pro solo debito originali oblatum Christi Corpus, imò etiam pro actualibus oblatum docet: 3. par. q. 1. art 4. & q. 49. art. 1. ad 4. Id ergo in eo opusculo sibi voluit S. Thomas, quia peccatum originale semel dimissum nunquam repetitur, ideò ad illud expiandum non esse necessaria quotidiana sacrificia, sed sufficere sacrificium crucis semel peractum, & semel per Baptismum applicatum. At pro peccatis actualibus, quæ sæpiùs committuntur, instituta esse, præter Baptismum quotidiana remedia, in quibus sacrificium altaris meritò numeratur. Non quòd statim peccatores iustificet, (vt aduersarij nos dicere mentiuntur,) sed quòd iuuet ad placãdum Deum, & ab eo impetrandum, vt super peccatores clementer respiciat, eisque desiderium conuersionis inspiret, atque ad iustificationem quærendam, & obtinendam, disponat.

XIX. MENDACIVM.

PAg. 28. in eodem articulo: *Veteres*, inquiunt, *ante Gregorium, non faciunt mentionem priuatæ Missæ.* Quod idem repetitur in Apologia, pag. 225. Si per Missam priuatam intelligatur Missa, quæ priuato nomine fiat, siue ab vno tantùm fiat, & vni soli prosit: Mendacium est, quòd post Gregoriũ, eiusmodi Missæ in Ecclesia esse cęperint. Nulla est enim, nec vnquam fuit in Ecclesia Missa priuata, sed omnis Missa publica est, cùm omnis Missa fiat à sacerdote, vt publicus minister est, & pro communi, & publica vtilitate totius Ecclesię. Si verò per Missam priuatam intelligant eam, quæ non fit in loco publico, vel ad quam non conuenit populi multitudo, vel in qua non distribuitur populo Sacramentum: falsum est apud veteres non extare memoriam eiusmodi Missarum, ante tempora Gregorij. Certè Augustinus Gregorium, ducentis ferè annis antecessit, & tamen lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. scribit hæc verba: Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cupedi appellatum, vbi cum afflictione animalium & seruorum suorũ, domum suam spirituum malignorũ vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente, Presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit, vt cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserante cessauit. Habes hîc Missam in loco priuato, ab vno celebratam, sine distributione Eucharistiæ populo facta, & tamen vtilem, & Deo gratam, vt miraculum subsequens declarauit.

XX. MENDACIVM.

PAg. 29. in articulo de Confessione: *Anteà*, inquiunt, *immodicè extollebantur satisfactiones, fidei verò, & meriti Christi, ac iustitiæ fidei, nulla fiebat mentio.* Hoc mendacium refellunt omnes libri Catholicorum, in quibus & fides passim prædicatur, & virtus Sacramentorum, & ipsarum etiam satisfactionum, ad meritum Christi refertur. Nunc vnus locus S. Thomæ sufficiet, 3. p. q. 62. ar. 5. Christus, inquit S. Thomas, liberauit nos à peccatis nostris, præcipuè per suam passionem, non solùm efficienter, & meritoriè, sed etiam satisfactoriè. Similiter etiam per suam passionem initiauit ritum Christianæ religionis, offerẽs seipsum oblationem, & hostiam Deo, vt dicitur ad Ephes. 5. Vnde manifestum est, quòd Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, &c. Et infrà: Per fidem Christus habitat in nobis, vt dicitur ad Epes. 3. & ideò virtus Christi copulatur nobis per fidem, &c. Mentitur ergo, qui dicit, ante hæc tempora nullam factam esse in Ecclesia fidei, & meriti Christi mentionem.

XXI. MENDACIVM.

PAg. 34. in art. de votis monasticis: *Augustini*, inquiunt, *tempore Monasteria erant libera collegia, posteà corrupta disciplina, vbique addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur.* Mendacium est hoc sanè dignissimum, cui non solùm octo millia Lutheranorum subscriberent: sed etiam tot illustres ciuitates, totque illustrissimi Principes, suffragium suum adiungerent. Quid enim? An non vixit August. tempore Augustini? Is igitur scribens in Psal. 75. ita loquutus est: Nemo positus in Monasterio frater dicat, recedo de Monasterio, neque enim soli, qui sunt in Monasterio, peruenturi sunt ad regnum cęlorum: & illi, qui ibi non sunt, ad Deum nõ pertinent. Respondetur ei, sed illi non vouerunt, tu vouisti. Et in Psal. 99. de Monachis apostatis loquens: Dum non perseuerauerit, inquit, implere quòd vouit, fit desertor tã sancti propositi, & reus voti non redditi. Sed fortè non sufficit vnus: Nam in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. S. Ioan. Chrysost. qui ętate Augustini ita vixit, vt etiam ante Augustinum mortuus sit, in epistol. 6. quæ est ad Theodorum, qui deserto Monasterio vxorem ducere voluerat (vt hoc tempore passim faciunt, qui ab Ecclesia ad Lutheranos deficiũt) Honorabiles, inquit, nuptiæ, sed etiam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum: quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud peius existimo, &cæt. At cur, obsecro, nuptiæ Monachorum, adulterijs sunt peiores, si nullis votis tenentur? S. Hieronymus, & ipse Augustino senior, in epist. ad Sabinum: Moris est, inquit, in AEgypti, & Syriæ Monasterijs, vt tam virgo, quam vidua, quæ se Deo vouerint, & seculo renunciantes, omnes delicias seculi conculcarint, crimẽ Monasteriorum matribus offerant desecandum. S. Epiphan. scribens contra hæres. 61. Tradiderunt, inquit, sancti Apostoli, peccatum esse, post decretam virginitatẽ, ad nuptias conuerti. S. Basilius, qui nominatis Patribus aliquando

vetustior fuit, in proœmio Monasticarum constitutionum. Itaque, inquit, qui à mundi vinculis liber esse cupit, nuptias veluti pedicas quasdam fugit, his autem relictis, vitam suam Deo consecrat, & castitatem profitetur, vt neque facultas ipsi sit conuersionis ad nuptias. Et infrà c. 22. Constitut. meminit voti Obedientiæ, & ca. vlt. voti Paupertatis. Idem in libro de virginitate, parùm à medio: Cùm, inquit, Domino virginitatem professæ sint, carnali postmodum voluptate malè blanda delinitæ, ac deuictæ, stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Hæc dicta putentur Catharinæ coniugi Lutheri, ipsi autem Luthero conuenit, quòd paulò antè habet: Horrendo, inquit Basilius, sacrilegio Christi sponsæ adulter efficitur. Denique idem Basil. in epist. vlt. quæ est ad virginem lapsam. Et quia, inquit, impius in profundum collapsus, mala de cætero contemnit, etiā ipsa abnegas ad verum sponsum pacta, neque esse virgo, neque vnquā promisisse, clamans: Reuoca in memoriam honestam professionem, quam professa es coram Deo, & Angelis, & hominibus, &c.

XXII. Mendacium.

IBidem sic aiunt: *Docebant vota paria esse Baptismo: docebant se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum, & iustificationem coram Deo.* Et infrà: *Ita persuadebant vitam monasticam esse meliorem Baptismo.* Et addit Philippus in Apologia, pag. 250. *docebant, applicata alijs, alios saluare.* At quis Catholicorum vnquam ita docuit? Dicimus quidem opera religionis, id est, castè viuere, nihil proprij possidere, obedire maioribus, opera esse bona, & meritoria vitæ æternæ, si à iustis fiant, & conducere ad satisfaciendum pro peccatis, sicut cætera omnia opera bona: at mereri iustificationem illā, qua ex impijs efficimur iusti, nullus Catholicorum docet. Scimus enim non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed propter magnam Dei misericordiam, iustos fieri, quotquot verè iustificantur. Addimus verò, posse Monachos facere alios homines operum suorum bonorum participes, vt possunt omnes alij fideles, cùm sit communicatio inter membra eiusdem corporis. At quòd possit Monachus suis operibus alios saluos facere, merendo eis gratiam, & gloriam, mera calumnia est, nemo nostrum dicit. Denique non negamus, inter Baptismum, & Monachatum esse quandam similitudinem: quòd sicut in Baptismo remittitur omnis pœna peccatis debita; ita quoq; in susceptione vitæ monasticæ fieri credibile est. At non continuò anteponimus, vel æquamus Monachatum Baptismo, Baptismus enim, & culpam, & pœnam remittit, & hominem de impio facit pium, & de filio diaboli filium Dei; Professio verò monastica, solam pœnam remittit, quæ post rem issam culpam aliquando remanet. Neque hæc est solius S. Thomæ doctrina (vt Philippus existimat) sed etiam veterum SS. Patrum. Scribit S. Athanas. in vita B. Antonij, Angelicam vocem aliquādo auditam, quæ testaretur, D. Antonio omnia peccata dimissa, cùm per vitam monasticam seculo renunciauit. S. quoq; Hieronym. in epist. 25. de obitu Blesillæ: Cùm, inquit, propitio Christo ante quatuor fermè menses, secundo quodammodo se propositi Baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo semper Monasterium cogitauerit, &c. S. Bernardus lib. de præcepto, & dispensatione, non procul à fine: Audire, inquit, & hoc vultis à me, vnde, præter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prerogatiuam, vt secundum Baptisma nuncupetur? Arbitror, ob perfectam mundi renunciationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus huiuscemodi conuersatio, Professores, & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar Baptismi; & quasi denique secundò baptizamur, dum per id, quòd mortificamus membra nostra, quæ sunt super terrā, Christum induimus, complātati denuò similitudini mortis eius. Hæc S. Bernardus, cuius testimonium Philippus reijcere nō deberet, cùm in Apologia eum, tum inter sanctos viros numerat, tum eius testimonia tanquam grauissima pro se adducat. Illud tamen non est prætereūdum, nec S. Bernardum, nec S. Thomam, nec vllum Catholicorum vitam monasticam Baptismo anteposuisse, quod tamen Philippus Catholicis attribuit.

XXIII. Mendacium.

PAg. 24. *Quid fiebat,* inquiunt, *in Monasterijs? olim erant Scholæ sacrarum literarum, & aliarum disciplinarum.* At non ita describunt nobis Monasteriorum exercitationes, Hieronymus in epist. ad Eustochium, de seruanda virginitate, & in altera ad Rusticum de institutione Monachi; Augustinus in lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ; Ioan. Cassianus in lib. de institutis cœnobiorum; Benedictus in Regula; & ante hos omnes Basilius in monasticis constitutionibus; Hi siquidem meminerunt obedientiæ, continentiæ, paupertatis, ieiuniorum, vigiliarum, silentij, psalmodiæ, solitudinis, ciliciorum, & similium rerum: At humanarum disciplinarum, Physicæ, Dialecticæ, Oratoriæ, ac Poëticæ artis, ne verbo quidem meminerunt. Viderit ergo Philippus, vbi scholastica, & politica Monasteria somniarit.

XXIV. Mendacium.

PAg. 45. in articulo de potestate Ecclesiastica: *Facilè,* inquiunt, *possent Episcopi legitimā obedientiam retinere, si non vrgerent seruare traditiones, quæ bona conscientia seruari non possunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt, nisi iurent se puram Euangelij doctrinam nolle docere.* Ostendant, si possunt, quis vnquam Episcopus exegerit iuramentum de non docenda pura Euangelij doctrina. Nisi fortè nomine puræ doctrinæ, hæreses intelligi velint. Praxis enim Ecclesiæ habet, vt exigatur à Pastoribus iuramentum, de nō docendis hæresibus, & de Scriptura non explicāda, nisi iuxta consensum sanctorum Patrum, & hoc, vt erroribus, & impuritati doctrinæ aditus precludatur. Neque verum est, cœlibatum imperari, sed tantùm exigi, vt conditionem ad sacerdotiū necessariam.

Quem-

Quemadmodum enim liberum est vnicuique sacros ordines non suscipere, ita quoque liberum est cœlibatum non seruare.

XXV. Mendacium.

PAg.51. in præfatione: *Et nunc scripsi, quàm moderatißimè potui. Ac si quid videtur dictũ asperius, hoc mihi præfandum est, me cum Theologis, ac Monachis, qui scripserunt confutationem, litigare, nõ cum Cæsare, aut Principibus, quos, vt debeo, veneror, &c.* Si vera sunt hæc verba, contra Theologos, & Monachos, aliosque Catholicos, qui confutationem non scripserunt, nihil scripsit in Apologia hac Philippus, quod contumeliam sonare possit: cõtra ipsos etiam, qui confutationem scripserunt, etsi aliquid asperius dictum sit, seruata tamen est moderatio, quæ tantum Theologum decebat. At in illa ipsa pag.51. in verbis, quæ immediatè præcedunt hanc protestationem moderationis, asperrimè flagellãtur Theologi Catholici. *Sed aduersarij*, inquit, *sic agunt causam, vt ostendant se, neque veritatem, neque concordiam quærere, sed vt sanguinem nostrum exsorbeant.* Et infrà eadem pagina: *Sophistæ nominantur omnes Theologi.* Et infrà, pag.103. moderatissimè loquitur Philippus, cùm ait: *Turpe est autem aduersarijs, tantoperè prædicare dilectionem, cum nusquam præstant eam. Quid nunc agunt? dißipant Ecclesias, scribunt leges sanguine, & has proponũt Cæsari, clementißimo principi promulgandas, trucidant sacerdotes, & alios bonos viros, si quis leuiter significarit, se aliquem manifestum abusum non omninò probare.* Et pag. 164. Insignis moderatio cernitur in istis verbis Philippi: *Deus perdat illos impios Sophistas, qui tam sceleratè detorquent verbum Dei ad sua somnia vanißima.* Et paulò pòst: *Quis docuit hos asinos Dialecticam.* Et pag.200. *Nec vident isti Asini apud Hieronymũ contra Vigilantium, &c.* Et pag. 208. *Manifestos abusus noua, & inusitata crudelitate defendunt. Nullos patiuntur in Ecclesia idoneos doctores.* Et pag. 212. *Nunc hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant isti nihili homines.* Et infrà, de grauissimis Theologis ait: *Quasi verò Ecclesiam valdè ornet ista publica infamia flagitiosarum, ac prodigiosarum libidinũ, quæ flagrant apud illos sanctos Patres, qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt? ac pleraq; ne verecundè quidem nominari queunt, quæ isti summa licentia faciunt.* Et pag.220. *Illi Sardanapali consultò abutuntur prætextu religionis.* Et pag. 222. *Videtis*, inquit, *extremam impudentiam istorum nebulonum, &c.* Sanè prędicanda moderatio est, senes grauissimos, doctissimosq; Theologos, nunc asinos, nunc nebulones, nunc Sardanapalos, nunc homines nihili appellari, & sic appellari ab eo, qui vix Grammaticam benè teneat.

XXVI. Mendacium.

PAg.59. in Apologia, art.2. *Ad eundem modum* (inquit Philippus) *loquitur & Augustinus, qui ait: Peccatum in Baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt non imputetur. Hic palàm fatetur esse, hoc est, manere peccatum, tametsi non imputetur. Et hæc sententia, adeò placuit posterioribus, vt recitata sit & in decretis.*

Mirùm profectò est, tantoperè placere quibusdam mendacia, vt ab eis auelli nulla ratione possint. Scripserat hoc idem Lutherus in

A asſert.art.2. & ostensum illi fuit ab Episcopo Roffensi, nusquam dicere Augustinum, peccatum manere, & non imputari, sed concupiscẽtiam manere, & non imputari in peccatum, sicut verè nõ est peccatum. Hæc enim verba sunt Augustini: quæ corruptè citantur à Lutheranis, lib.1. de nuptijs, & concupiscentia, cap.25. Si quæritur quomodo ista concupiscentia maneat in regenerato, in quo vniuersorum facta est remissio peccatorum? Respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non vt non sit, sed in peccatum non imputetur. Lib. quoque 6. in Iulianum c. 8. non dicit August. peccatum actu manere, reatu transire. Nec enim tam stupidus erat August. vt non intelligeret, ista non cohærere, peccatum actu manere, & non manere reatu; cùm ipse idem Augustin. peccatum per reatum definire soleat. Et
B ibid. li.1. de nuptijs, & concup. c.25. Cùm dicit, hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati. Qui etiam passim asserit, concupiscentiam remanentẽ malum quoddam, & infirmitatem esse, non autem peccatum. Tract.41. in Ioan. Numquid, inquit, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Et lib. 6. contra Iulianum, cap.5. Omni peccato carent iustificati, sed non omni malo. Quid quòd ipse etiam Philippus in colloquio VVormatiensi, (vt Io. Cochlæus testatur in discussione Confessionis Augustanæ, art.2.) ingenuè fassus est, malè hunc locum ex Augustino esse citatum, cùm id ei Ioan. Eckius obiecisset. Quid? quòd multi nostrorũ sæpiùs iam de hoc errore Lutheranos admonuerunt? Cùm igitur mendacium toties patefactum, & refutatum, in libro
C Concordiæ, cui octo millia hominum sub scripserunt, adhuc inueniatur: vnum è duobus necessarium est, aut hoc mendacium à sexdecim millibus oculorum deprehendi nõ potuisse, aut voluisse aduersarios, etiã cum mendacijs Concordiam facere. Adde quòd in decreto etiam Gratiani, dist.4. de consecratione, can. Per Baptismum, non habetur, peccatum manere (vt Philippus mentitur) sed concupiscentiam.

XXVII. Mendacium.

PAg.62. in Apologia pro art. 4. sic ait Philippus: *Damnant auctores confutationis Confessionis Augustanæ, quod affirmamus, homines fide cõsequi remißionem peccatorum, & fide in Christum iustificari.* At mendacium est. Non enim aucto-
D res Confutationis damnãt, quòd fide dicamur iustificari, sed quod fide sola. Illa enim confutatio, de qua Philippus loquitur, exstat in harmonia Confessionis Augustanæ, edita ab Andrea Fabritio Leodio, & in ea sic legimus, art. 5. Quòd fidei mentionem hîc faciunt, eatenus approbatur, quatenus de fide non sola, vt aliqui malè docent, sed quę per dilectionem operatur, vt Apostolus rectè docet ad Galat. 5. intelligatur. hæc ibi.

XXVIII. Mendacium.

IBidem: *Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij sancti Patres, elegerunt certum vitæ genus, &c.* Vel ex animo Philippus loquitur, cùm sanctos vocat, Antonium, Bernardũ,

Dominicum, Frãcifcum, vel aliud fentit, aliud dicit. Si loquitur ex animo, deftruit totã Confeſsionem Auguſtanam, & vniuerſum prorſus Lutheraniſmum. Conſtat enim hos quatuor Patres Monachos fuiſſe, & Patres Monachorum, & omnes certum veſtimenti genus excogitaſſe, cucullos geſtaſſe, à certis cibis abſtinuiſſe, vota continentiæ perpetuæ, & paupertatis, ac obedientiæ coluiſſe, atq; alijs commendaſſe. Item Antonium certum eſt in ſolitudinem ſe contuliſſe, & omnia ciuilia officia deſeruiſſe. Bernardum, & Dominicum Miſſam aſsiduè dixiſſe, Papæ Romano adhæſiſſe, atq; adeò Papiſtas ſupra modum fuiſſe. Franciſcum deniq; nemo ignorat, in ſuo teſtaméto fidem Romanæ Eccleſiæ commendaſſe, ac imperaſſe, vt ſi quis ex ſuis à fide Romanæ Eccleſiæ aberraret, is diligentiſsimè cuſtoditus, in manus iudicum traderetur. Si verò aliud loquitur, aliud ſentit, illius imitator, & filius eſt, qui mendax fuit ab initio, imò & qui pater mendacij, ab ipſa veritate nominatur.

XXIX. Mendacivm.

PAg. 105. in Apologia: *Aduerſarij,* inquit Philippus, *docent homines iuſtificari, dilectione & operibus, de fide, qua apprehendimus propitiatorem Chriſtum, nihil dicunt: imò hanc fidem improbant, neque improbant tantùm ſententijs, aut ſcriptis, ſed etiã ferro, & ſupplicijs conantur in Eccleſia delere.* Iam ſæpè diximus, veram fidem in Chriſtum nos maximè requirere in negotio iuſtificationis; & propterea mentiri Philippum, cùm ait, nos de fide, aut nihil dicere, aut fidem oppugnare. Specialem tamen illam fidem Lutheranorum, ſuperbam, atque arrogantem, quæ ſola vult iuſtificare, nec patitur comites, quos illi Deus aſsignauit, meritò reiicimus, & deletam funditùs, atque exterminatam optamus, quandoquidem & ipſa delet, atq; exterminat orationem, Sacramenta, opera bona, & quidquid Deus ad ſalutem hominum inſtituit. Nam ſi quis non orat ex fide, malè orat, & Deum irritat potiùs, quàm placat, vt aduerſarij etiam fatentur. Debet igitur fides orationem præcedere; at vbi eſt fides, ibi continuò eſt iuſtificatio, & certus eſt Lutheranus ex fide, ſibi remiſſa eſſe peccata: neque poteſt ea de re ſine grauiſsimo ſcelere dubitare: Ergo non poteſt orare, ac dicere: Dimitte nobis debita noſtra, vel cum publicano: Deus propitius eſto mihi peccatori: Sed cum Phariſæo dicendum illi eſt: Domine, gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines. Quomodo enim petere audebit, quòd certo ſcit ex fide, ſe iam eſſe, conſecutum? Pari ratione ſine fide Sacramenta non proſunt, ſed obſunt: at fides vbi adeſt, mox iuſtificat: quorſum igitur Baptiſmus poſt fidem adhibetur? Niniuitæ quoque perdiderunt ieiunium illud ſuum tam laborioſum. Nam ſi abſque fide ieiunarunt, nihil eis profuit: ſi fide præcedente, iam Deus ante ieiunium placatus erat. Multa hîc dici poſſent, ſed cauſa iſta vſque ad faſtidium iam à multis tractata eſt.

A

XXX. Mendacivm.

PAg. 112. in Apologia: *Planè,* (inquit Philippus) *ſurdi ſunt aduerſarij, toties iam dictum eſt, legem ſine Chriſto, non prodeſſe, propter quem placent bona opera. Sed illi vbique, excluſo Chriſto, docent mereri iuſtificationem, opera legis.* Mentiris, Philippe, & tam impudenter, vt mirum ſit, ſi quem inueneris, qui tibi credat. Profer ſaltem vnum ex Theologis noſtris, qui doceat, opera ſine Chriſto mereri iuſtificationé. Certè ipſa cõfutatio Catholica, aduerſus quam potiſsimum Apologiam ſcribis, ita loquitur articulo 4. Attamen omnes Catholici fatentur, opera noſtra ex ſe nullius eſſe meriti. Vide ſuprà, Mendacio XX.

XXXI. Mendacivm.

B

PAg. 124. in Apologia, art. 6. ſic ait Philippus: *Nec offendat quemquam, quòd ſibi Eccleſiæ nomen vendicant. Nam Eccleſia Chriſti apud hos eſt, qui Euangelium Chriſti rectè docent: non apud illos, qui prauas opiniones contra Euangelium defendunt.* Et paſsim in hac Apologia negat Philippus, apud nos eſſe Eccleſiam. At hoc falſum eſſe, ex eadem Apologia conuinci poteſt. Nam pag. ſequenti, id eſt, 125. dicit Philippus: *Antichriſtum ſedere in templo Dei,* id eſt, vt ipſe exponit, *in Eccleſia dominari, & gerere officia.* Et pag. 130. dicit: *Papam eſſe Antichriſtum.* Si ergo Papa tanquam Antichriſtus in Eccleſia dominatur, & gerit officia, & tamen non dominatur, ne gerit officia inter Lutheranos, ſed inter Papiſtas: Ergo nõ Lutherani, ſed Papiſtæ ſunt Eccleſia. Et propterea, pag. 222. Philippus agnoſcit aliquam offenſionem, *eo quòd ſchiſma fecerit, & ſe cum ſuis diuulſerit ab illis, qui exiſtimantur ordinarij Epiſcopi,* & addit: *ſe concordiam ſummo ſtudio concupiuiſſe:* quod & alibi ſæpè repetit. At ſi apud nos non eſt Eccleſia, ſed regnũ Antichriſti, & ipſi Epiſcopi membra ſunt Antichriſti, certè non eſt crimen, à nobis, & Epiſcopis noſtris diſsidere: ſed è contrario potiùs crimen grauiſsimum eſt, cum Antichriſto velle concordare. Concordet igitur ſecum liber Concordiæ, & aut apud nos Eccleſiam eſſe fateatur, aut non dicat Antichriſtum in Eccleſia magiſtratum gerere, neque nobiſcum Concordiam deſideret.

C

XXXII. Mendacivm.

PAg. 129. in Apologia: *Manifeſtus,* (inquit Philippus) *error eſt, quod docent aduerſarij, mereri homines remiſsionem peccatorum dilectione erga Deum, ante gratiam.* At profectò ne ſomniauit quidem vnquam vllus Catholicorũ, quod hîc nobis obijcitur, & in confutatione Catholica paſſim repetitur, opera ſine gratia nihil valere.

D

XXXIII. Mendacivm.

IBidem. *Quid opus erit fide, ſi Sacramenta ex opere operato, ſine bono motu vtentis iuſtificant?* At nullus Catholicorum dixit, vel ſcripſit vnquam, in adultis nõ requiri cum Sacramentis motum internum fidei, diſplicentiæ, vel contritionis, &c. Et nos ſuprà, Mendacio XX. adduximus S. Thomam, aſſerentem, applicari Chriſti meritum hominibus per fidem in Sacramentis.

XXXIV. Men-

XXXIV. MENDACIVM.

PAg. 129. in Apologia, sic ait Philippus: *Sed fortasse aduersarij sic postulant, definiri Ecclesiam, quòd sit Monarchia externa, suprema totius orbis terrarum, in qua oporteat Romanum Pontificem habere potestatem ἀνυπεύθυνον de qua nemini liceat disputare, aut iudicare, condendi articulos fidei, abolendi Scripturas, quas velit instituendi cultus, & sacrificia, &c.* Et infra: *Atque hac definitio non Ecclesiæ Christi, sed Regni Pontificij, habet auctores non solùm Canonistas, sed etiam Danielem, cap. 11.*

Profer igitur vnum Canonistam, qui dicat Pontificem Romanum posse Scripturas abolere, instituere sacrificia, & similia facere, & cùm non potueris, scito te, & esse, & haberi mendacem. At nos facilè possumus ostendere, Lutherum vestrum id sibi auctoritatis arrogasse, vt aboleret plurimos sacrosanctæ Scripturæ libros, vt Machabæorum volumina, Epistolam Iacobi, Epistolam ad Hebræos, & alia quædam. Item, vt conderet nouum articulum, quo videlicet quisque ex fide credere teneatur se esse iustum, licet in omni bono opere peccet. Quod verò ex Daniele adducitur, ad demonstrandum Romanum Pontificem esse Antichristum, non in Pontificem, sed in Lutherum aptissimè quadrat. In eo enim loco Daniel Antichristo tribuit, non instituere sacrificia, quod vos Papæ tribuitis, sed tollere iuge sacrificium, quod Lutherus totis viribus facere conatus est. Addit ibidem Daniel, Antichristum contra omnes Deos pugnaturum; At Pontifex Romanus, vt vos quidem putatis, Deos innumerabiles colit, omnes videlicet Sanctos, & Sanctas, qui cum Christo regnant, cùm è contrario Lutherus aduersus omnes Sanctos bellum gerat.

XXXV. MENDACIVM.

PAg. 130. in Apologia, art. de Ecclesia sic de Romanis Pontificibus loquitur Philippus: *Quotus quisque curat Euangelium, aut iudicat dignum lectione? Multi etiam palàm irrident religiones omnes.* At cur tam insignis criminis nullum testem citas, nisi quia non crimen Pontificum, sed tuum mendacium, tua blasphemia est? certè Innocentius III. ex illis est, quos non probatis, & tamen exstant sermones eius, exstant epistolæ, exstant alia opera plena sacris testimonijs. Quod idem de multis alijs dici posset, vt omittam, quòd semper Pontifices, sacra fecerunt, vbi leguntur Euangelia non Latinè solùm, sed etiam Græcè.

XXXLVI. MENDACIVM.

PAg. 136. in Apologia, artic. 10. sic mentitur Philippus: *Decimus articulus approbatus est, in quo confitemur nos sentire, quòd in Cœna Domini verè, & substantialiter adsint corpus, & sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane, & vino, his, qui Sacramentum accipiunt.* At bone Philippe in articulo decimo Confessionis, quem nostri receperunt, nulla facta est mentio panis, & vini manentis cum corpore, & sanguine Christi; Hic enim est articulus decimus. De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi, verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini. In Germanico autem exemplari additum erat, sub specie panis, & vini. Tantùm verò abest, vt Catholici tunc receperint talem articulum, de pane manente cum corpore Domini, vt expresè monuerint, recipiendum esse decretum Generalis Concilij de transsubstantiatione panis in corpus, & vini in sanguinem Domini.

XXXVII. MENDACIVM.

PAg. 140. in Apologia, articulo 11. *Nunc de hac fide consequente remissionem peccatorum, nulla est syllaba in tanta mole Constitutionum, Glossarum, Summarum, Confessionalium: nusquam ibi Christus legitur.* Si de fide loqueris, quæ sola sufficet, & certos absolutè reddat remissa esse peccata, non mireris, si ea fides non inueniatur in Glossis, & Summis; nam cùm illæ fierent, ista nondum erat nata. At de fide vera in Christum, & de ipso Christo, nihil in tot libris legi, mendacium est nimis crassum. Certè S. Antoninus, qui inter Summistas non postremum locum tenet, tam de fide, quàm de Christo fusissimè disserit. Nec vlli alij de hisce rebus siluerunt.

XXXVIII. MENDACIVM.

PAgin. 140. in Apologia, articulo 12. sic Philippus loquitur: *Quid hic Carole, Cæsar inuictissime, faciemus? Hæc est propria vox Euangelij, quòd fide consequamur remissionem peccatorum. Hanc vocem Euangelij damnant isti scriptores confutationis.* Sed non ita est, Philippe: non enim confutatio vsquam negat, nos fide consequi remissionem peccatorum: sed negat nos sola fide consequi remissionem peccatorum: quod & Euangelium passim negat, cùm & Sacramentis, & dilectioni, & pœnitentiæ tribuat remissionem peccatorum.

XXXIX. MENDACIVM.

PAgin. 143. in Apologia articulo 12. numerantur hæc dogmata, tanquam sint Catholicorum Theologorum: *Quòd per bona opera extra gratiam facta, mereamur ex pacto diuino gratiam. Quòd per attritionem mereamur gratiam. Quòd ad deletionem peccati, sola detestatio criminis sufficiat. Quòd per contritionem, non fide in Christum consequamur remissionem peccatorum. Quòd potestas clauium valeat ad remissionem peccatorum, non coram Deo, sed coram Ecclesia. Quòd susceptio Sacramenti pœnitentiæ, ex opere operato, sine bono motu vtentis, hoc est, sine fide in Christum, conferat gratiam.* At hæc omnia non nostra dogmata, sed Philippi mendacia sunt. Nec dubium quin subscriberent contra ista dogmata, non octo millia, sed plusquā octingenta millia Catholicorum, vt iam periculum sit, ne suffurentur aduersarij Cretensibus illud Encomium Apostolicum, Cretenses semper mendaces.

XL. MENDACIVM.

PAg. 163. in Apol. art. 12. de satisfactione loquens Philip. sic ait: *Hæc tota res est commentitia, recens conficta, sine auctoritate Scripturæ, & veterum scriptorum Ecclesiasticorum. Ac ne Lombardus quidem, de satisfactionibus hoc modo*

loquitur. Scholastici viderunt in Ecclesia esse satisfactiones, nec animaduerterũt, illa spectacula instituta esse, tum exempli causa, tum ad probandos eos, qui petebant recipi ab Ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam, & rem prorsus politicam. Ideò superstitiosè finxerunt eas, non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere. Et p. 164. *Adhuc Lombardi tempore ignota erat (satisfactio)* Et p. 175. *Quòd Patres mentionem faciunt satisfactionis, quòd Concilia fecerunt Canones, diximus supra, disciplinam Eccles. fuisse exempli causâ constitutam: nec sentiebant, hanc disciplinam necessariam esse, vel ad culpa, vel ad pœna remissionem.*

A Hoc esse mendacium, vel vnus Cyprianus abundè declarabit. Is enim auctor, & sanctus, & antiquus, & doctissimus fuit. Nam de sanctitate, martyrium; de doctrina, volumina, quæ reliquit; de antiquitate, historiæ omnes testimonium præbent: certè plùs quàm octingentis annis, Petro Lombardo vetustior est Cyprianus. Is igitur in Sermone, qui est de lapsis, prope finem, ita loquitur: Qui autem pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt: ita fit, vt dum temeritate quorumdam promittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis adimatur. Vos verò fratres dilectissimi, quorum timor in Deum pronus est, & in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est: pœnitentes, ac dolentes peccata vestra perspicite, grauissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen iam veniam vindicantes. Deus quantum Patris pietate indulgens semper, & bonus est, tantùm iudicis maiestate metuendus est. Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs, & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes, ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio, & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum, nullum hìc iam velle vestitum, post diaboli cibũ, malle ieiunium. Et infra: Sic sub Apostolis fides viguit, sic primus credentium populus Christi mandata seruauit. Et infra: Pœnitenti, operanti, roganti, potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint sacerdotes: vel si quis plus eum suis satisfactionibus mouerit, si eius iram, si indignantis offensam, iusta deprecatione placauerit: dat ille & arma rursum, quibus victus armetur. Et infra: Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plùs & virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec iam solùm Dei veniam merebitur, sed coronam. Hæc ille. Habes hìc in primis ter nomen satisfactionis. Habes deinde, illam consistere in operibus, luctu, cinere, cilicio, ieiunio, eleemosynis, precibus. Habes tertiò, hæc non tantùm expedire, sed necessaria etiam esse: orare oportet, inquit Cyprianus, & impensiùs rogare, &c. Habes quartò, his operibus Deum placari: nam & hoc aliquoties repetitum est, & proinde non ad solam disciplinam externam, & politicam satisfactionẽ pertinere. Habes quintò, in vltimis verbis, per eiusmodi operà non solùm nos veniam, sed etiam coronã promereri. Habes sextò, non sufficere fidem solam, quando tam multa alia necessaria sunt. Habes septimò, non debere nos continuò veniam vindicare, etiamsi iam cœperimus non solùm credere, sed etiam timere, & dolere.

B Habes postremò, sic sub Apostolis fidem viguisse: & propterea mendacium esse Philippi, quòd ista sint noua, & inaudita ante tempora Petri Lombardi.

XLI. Mendacium.

PAg. 180. in Apologia, articul. decimo tertio: *Hic damnamus (inquit Philippus) totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docet, quòd Sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam, ex opere operato, sine bono motu vtentis. Hæc simpliciter Iudaica opinio est, sentire quòd per cærimoniam iustificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine fide: & tamen hæc impia, & perniciosa opinio, magna auctoritate docetur in toto regno Pontificio.* Hæc ille. Ex ore tuo te iudico serue nequã, Nonne tu dixisti supra, p. 154.

C & 155. *Scholasticos cùm de Sacramento pœnitentia disputant, requirere contritionem, vel attritionem*; & quid aliud est tam contritio, quã attritio, nisi motus cordis? Deinde in ipsa confutatione, art. 12. vt etiam in omnibus libris Scholasticorum, nonne passim inculcatur, tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem? Et certè contritio, sine fide, spe, & dilectione, id est, sine tribus cordis motibus esse non potest.

XLII. Mendacium.

PAg. 184. in Apol. art. 15. *At isti* (inquit Philippus) *sentiunt Deum esse placatum, propitiũ, propter traditiones, non propter Christũ.*

XLIII. Mendacium.

D PAg. 186. in Apol. art. 15. sic rursum mentitur Philippus: *Docent*, inquit, *quòd non propter Christum gratis iustificemur per fidem, sed per tales cultus.* Hæc & similia non egent confutatione, cùm nec aduersarius vllum pro se testem adducat. Et contra eum omnes Scholæ, omnia templa, omnes libri Catholicorum testentur.

XLIV. Mendacium.

Et quidem Tergeminum.

PAg. 186. in Apologia, articulo 15. *Has causas habebant Patres* (inquit Philippus) *rituum seruandorum, vt apertè testatur Epiphanius in disputatione contra Encratitas, quòd genus simile fuit Monachorum nostrorum. Fuerunt enim sodalitia, quæ sibi certas traditiones imponebant, abstinebant à vino, & in ipsa Cœna Domini, nullis carnibus vescebantur, ne piscium quidem, quæ in re fratres Domini longè superabant:*

à coniugio

& coniugio verò, vel maximè abhorrebant. Et infra: *Has obseruationes fingebant esse cultum Dei, & iustitiam, propter quam Deo accepti essent, qua placarent iram Dei: hanc opinionem improbat Epiphanius.* Hic tria sunt apertissima mendacia. Primũ, quòd Monachi nostri similes sint Encratitis, dum abstinent à vino, à carnibus, à coniugio. Nam Encratitæ abstinebant, vt à rebus natura sua immundis, & quæ nulli omninò hominum licitæ essent; & hoc damnat Epiphanius. Sic enim scribit hær. 47. quæ est Encratitarum: Nuptias palàm Diaboli esse decernunt, animata verò abominantes interdicunt. Et infra: Vtuntur & ipsi mysterijs per aquam; vino verò omninò non vtuntur, Diabolicum esse dicentes, & bibentes, ac vtentes iniquos esse, ac peccatores. At quis vnquam Monachorum Catholicorum, nuptias, Diaboli esse dixit, & non potiùs, vt à Deo institutas in coniugatis Catholicis honorauit? Quis animatas res abominans interdixit? quis vinum Diabolicum asseruit? quis illud bibentes iniquos iudicauit? Quis non saltem inter mysteria illo vsus est? Quòd verò etiam tempore Epiphanij, Catholici Monachi, ad alios bonos fines, à coniugio abstinerent, & quidam eorum à vino, quidam à carnibus, supra ostendimus, ex compendiaria doctrina eiusdem Epiphanij. Alterum mendacium est, quòd Encratitæ abstinerent à coniugio, carnibus, & vino, propter cultum Dei, existimantes se eo modo Deum placaturos. Nam non meminit Epiphanius eo loco huius finis, id est, cultus Dei: & clarissimè dicit, eos abstinere solitos, non continentiæ gratia, sed propter timorem, & imaginationem, vt ne condemnarentur propter animatorum esum. Itaque non abstinebant, vt Deum placarent, sed ne magis irritarent, cùm crederent, res illas immundas esse, & contaminare eos, qui illis vterentur. Tertium mendacium est, quòd Epiphanius improbet hanc opinionem; quòd abstinentia à coniugio, carnibus, & vino, sit vtilis ad colendum Deum. Nam neque hoc loco talis improbatio cernitur, & alibi apertissimè habetur approbatio. Sic enim Epiphanius scribit hæres. 48. quæ est Montanistarum; Pleræque enim sectarum matrimonium contrahere prohibent, & à cibis abstinere præcipiunt, non honestæ vitæ gratia exhortantes, non maioris virtutis gratia, & præmiorum, ac coronarum; sed abominabilia ea, quæ à Deo facta sunt, putantes. At verò sancta Ecclesia, & virginitatem glorificat, & solitudinem, ac castitatem laudat, & nuptias pudicas honorat, & suscipit: Scortationem verò, & adulterium, ac petulantiam interdicit. Et infra: Etenim cum moderatione quadam, Deus verbum in Euangelio dixit; Si vis perfectus esse: misericordiam exhibeas hominum formationi, ac debilitati. Et gaudet quidem his, qui approbatum Dei cultum præstare possunt, & virginitatem, ac castitatem, & continentiam exercere diligunt. Verùm vnas nuptias honorat, etiamsi maximè sacerdotij dona per eos, qui ab vnis etiam nuptijs se continuerunt, & in virginitate vitam degunt, se ornasse præexpressit: velut etiam Apostoli ipsius, Ecclesiasticam sacerdotij regulam ordinatè, ac sanctè

A constituerunt. Quid hic dicis, Philippe? Nonne audis ab Epiphanio continentiam ab vxore, à vino, & carnibus debere suscipi, gratia maioris virtutis, & præmiorum, ac coronarum? Item virginitatem cultum esse à Deo approbatum, & illi gratissimum? Deniq; sacerdotum continentiam, etiam ab vna vxore, sancitam ab Apostolis fuisse?

XLV. Mendacium.

Pag. 188. in Apologia, articulo 15. *Exstant (inquit Philippus) immensi libri, imò bibliothecæ totæ, nullam syllabam de Christo, de fide in Christum, de bonis operibus suæ cuiusque vocationis continentes, sed tantùm colligentes traditiones.* Si tu omnes bibliothecas acuisti, & omnes libros legisti, cur non indicas nobis, vel vnum auctorem Ecclesiasticum, qui de Christo B & fide non loquatur?

XLVI. Mendacium.

Pag. 190 in Apologia, art. 13. *Apud aduersarios (inquit Philippus) nulla prorsus est κατήχησις puerorum.* Quàm impudens hoc mendacium sit, testantur innumerabiles Catechismi, qui à nostris editi sunt, nec vnquã defuit in Ecclesia puerilis institutio: sed stultum est respondere homini nihil probanti, & ad mentiendum proiectissimo.

XLVII. Mendacium.

Pag. 194. in Apologia, art. 16. *Vanissimum est (inquit Philippus) quòd sit perfectio Christiana, non tenere proprium.* Et infra: *Sed* C *Monachi illam externam hypocrisin effuderunt oculis hominum, ne videri posset, in quibus rebus sit vera perfectio: quibus laudibus vexerunt, communionem rerum, quasi Euangelicam? At hæ laudes plurimùm habent periculi, præsertim cùm longè dissentiant à Scripturis.* Bene autem Philippus fecisset, si ad probandum, laudes vitæ communis dissentire à Scripturis, attulisset in medium verba illa B. Lucæ: (solet enim ipse plerumque, vt est insignis Dialecticus, ita connectere argumenta) Multitudinis autem credentium, erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et paulò post: Et gratia magna erat in omnibus illis, neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut do- D morum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat, Act. 4. Potuisset quoque Augustini commẽtarium adijcere, vt magis communiret sententiam suam. Is enim in serm. 1. de Communi Clericorum vita, sic habet: Ecce dico, audite; Qui societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit: & à professione sancta cadit. Et infra: Ego scio quantum mali sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere, Vouete, inquit, & reddite Domino Deo vestro. Ac breuitèr, si quis legat duos illos Augustini sermones, mirum si non videat Philippi vanitatem.

XLVIII.

XLVIII. MENDACIVM.

PAg. 196. in Apologia, artic. 18. *Sed quid,* (inquit Philippus) *inter Pelagianos, & aduersarios nostros? cùm vtrique sentiant homines sine Spiritu sancto posse Deum diligere, & præcepta Dei facere, quo ad substantiam actuum, mereri gratiam, ac iustificationem operibus, quæ ratio per se efficit sine Spiritu sancto?* Vis audire, quantum interfit inter nos, & Pelagianos? quantum inter Catholicos, & hæreticos. Neque Pelagianus error est, posse hominem aliqua præcepta, & aliquando facere quoad substantiam actuum, solis naturæ viribus, id est, sine speciali auxilio gratiæ Dei. Nam hoc idem & tu doces: nisi tecum fortasse pugnas, in eadem pagina. Hæc enim sunt verba tua: *Habet humana voluntas libertatem in operibus, & rebus deligendis, quas ratio per se comprehendit: potest aliquo modo efficere iustitiam ciuilem, seu iustitiam operum, potest loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire magistratibus, parentibus in opere externo eligendo, potest continere manus à cæde, ab adulterio, à furto.* Hæc tua, etiam nostra sunt: Et hoc vocamus implere quędam præcepta, quoad substantiam actuum. Porrò diligere Deum super omnia sine Spiritu sancto tribuit homini fortasse vnus, aut alter Scholasticorum, sed grauiores repugnant, vt Sanctus Thomas, Sanctus Bonauentura, & alij. Quod autem opera sine Spiritu sancto facta mereantur gratiam, & iustificationem, nullus Theologorum docet, tuum est mendaciū, tua calumnia.

XLIX. MENDACIVM.

PAg. 198. in Apologia, art. 20. *Non est ferenda* (inquit Philippus) *blasphemia, tribuere honorem Christi nostris operibus. Nihil pudet iam istos Theologos, si talem sententiam in Ecclesia audent ferre.* At, bone vir, non id habet confutatio Theologorum, quòd tu reprehendis. Nec enim vsquam, dicunt Theologi illi, opera sine Christo mereri remissionem peccatorum. Sed negant, quod vos docetis, opera nostra, licet ex fide, licet ex gratia, licet ex Christi meritis prodeant, nihil tamen mereri. Itaque cùm confutatio dicit, opera nostra mereri remissionem peccatorum, hunc habet sensum, quòd opera pœnitentiæ cum fide, & auxilio Dei facta, mereantur ex congruo, siue per modum dispositionis, culpæ remissionem, quam esse vocem Scripturarum, & Patrum, supra docuimus Mendacio VIII. Opera verò hominis iustificati, facta ex gratia, per Christi meritum nobis infusa, mereantur ex condigno remissionem pœnæ, quæ interdum relinquitur, culpa dimissa. Nam, vt ait Augustinus Tractat. 124. in Ioan. Productior est pœna, quam culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur, & pœna. Nec solum pœnæ remissionem, sed & coronam gloriæ mereri nostras satisfactiones, paulò ante ex Cypriano audiuimus, in serm. de lapsis, in postremis verbis.

L. MENDACIVM.

PAg. 200. in Apolog. artic. 21. *Nec vident isti Asini,* (inquit humanissimus Philippus) *apud Hieronymum contra Vigilantium,*

A *nullam exstare syllabam de inuocatione. Loquitur de honoribus Sanctorum, non de inuocatione.* At quænam est ista consequentia: Loquitur Hieron. de honoribus Sanctorum: Ergo non de inuocatione? Videlicet inuocatio non est honor, sed ignominia. Et idcirco nullum præter Christum, inuocari vultis, ne decus Christo proprium, cum alijs communicetur. Audi igitur: Vigilantius nolebat Sanctos honorari: & quoniam non ignorabat, præcipuum Sanctorum honorem, esse ipsorum inuocationem, duabus rationibus ostendit, non eos debere ab hominibus inuocari, tum, quia abditis receptaculis inclusi, non possent, vbi vellent, esse præsentes, & se inuocantibus per se opem ferre: tum etiam, quia nec posset vllus post mortem, pro alio apud Deum aliquid impetrare, & proinde superuacanea esset inuoca-

B tio. Vtramque rationem Hieronymus refellit. Ais, inquit, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter Aram Dei, animas Apostolorum, & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis (vbi videlicet à fidelibus præcipuè inuocantur) & vbi voluerint adesse præsentes. Senatoriæ videlicet dignitatis sunt, vt non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera, honestaque custodia recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula inijcies, &c. Et infra: Dicit, inquit, quod dum viuimus, mutuò pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro ceteris: quantò magis post coronas, victorias,

C & triumphos? Cùm ergo Hieronymus Vigilantij argumenta refellat, quibus ille Sanctorum honoribus inuidens, inuocationem eorū oppugnabat, verè stupidi, ac fermè asini essem9, si non inde colligeremus, inuocationem Sanctorum à Hieronymo approbari.

LI. MENDACIVM.

PAg. 200. in Apologia, articu 21. *Neque reliqui veteres scriptores* (inquit Philippus) *ante Gregorium fecerunt mentionem inuocationis.* Non te pudet tantùm Magistrum in Israel, aut nihil in veteribus legisse, aut tam impudenter mentiri? Proferam igitur viginti quatuor Patres, Gregor. antiquiores, qui instar viginti quatuor seniorum de Apocalypsi testimoniū dicant pro inuocatione Sanctorum. Vide Dionysium Areopag. libr. de Ecclesiastica

D hierarchia, cap. 6. Iren. libr. 5. Euseb. libr. 13. de præparat. Euangel. cap. 7. Athan. Sermon. in Euangelium de S. Deipara. Basilium oratione in quadraginta Martyres: item in Psal. 33. Nazianzenum oratione in Cyprianum: item in Athanasium. Nyssenum oratione in S. Theodorum. Cyrillum Catechesi 5. Mystagogica. Ephrem Sermon. de laudibus Martyrum. Chrysost. homil. 66. ad populum Antiochenum, Item homil. 43. in Genesin: hom. 8. in Matth. homil. 1. in priorem ad Thessalonicenses. Theodoretum libr. 8. de curandis Græcorum affectionibus. Et in historia religiosa, ad finem singularum vitarum. Hilarium in Psalm. 124. & in Psalm. 129. Ambrosium li. 10. in Lucam, ca. 21. Et in lib. de viduis. Hieronym. in Epitaphio Paulæ. Ruffinum lib. 2

histor. Eccles. cap. 35. Prudentium in Hymno de sancto Cassiano: item de sancto Hippolyto, item de sancto Laurentio, Paulinum Nolensem Epistol. 12. ad Seuerum. Gaudentium Brixiensem, tract. in dedicatione Basilic. Concilij Sanctorum. Seuerum Sulpitium, Epistol. ad Aurelium Diaconum, & Epistol. ad Bassulam Socrum, Maximum Taurinensem, serm. de S. Agnete, August. libr. de cura pro mortuis, capit. 4. & serm. 17. de verbis Apostoli. Leonem primum, serm. 5. de Epiphania. Victorem Vticensem, libr. 3. de persecutione VVandalica. Fulgentium Ruspensem, ser. de laudibus Beat. Mariæ. Hic accedit Concilium Chalcedonense, 630. Patrum, & alia, quæ supra citauimus Mendacio X.

LII. Mendacium.

Pag. 201. in Apol. artic. 21. *Triplex honos* (inquit) *probandus est. Primus est gratiarum actio. Secundus confirmatio fidei nostræ. Tertius imitatio fidei, & ceterarum virtutum. Hos verò honores non requirunt aduersarij.* At vbi legisti, vel à quo audiuisti, nos non requirere hos honores?

LIII. Mendacium.

Pag. 220. in Apolog. pro coniugio Sacerdotum, *Vituperabant Monachi* (inquit) *coniugium, tanquam vitæ genus, quod vix vmquam Deo placeret, aut certè non placeret, nisi propter procreationem.* At omnes Monachi, qui commentaria in Magistrum scripserunt, agnoscunt tria bona, propter quæ Matrimonium Deo placeat, fidem, prolem, & Sacramentum. Vide lib. 4. Sent. dist. 31.

LIV. Mendacium.

Pag. 223. in Apolog. pro coniugio Sacerdotum, Philippus sic argumentatur. *Iouiniani tempore nondum norat mundus legem de perpetuo cœlibatu. Impudens igitur mendacium est, coniugium Sacerdotum, Iouiniani hæresim esse.*

Vtrùm Philippus mentiatur nec ne, iudex sit beatus Hieronymus. Is igitur in libr. contra Vigilantium sic ait: Quomodo Euphorbus in Pythagora renatus esse perhibetur, sic in isto Iouiniani mens praua surrexit: vt in illo, & in hoc, diaboli respondere cogamur insidijs, Illæ Romanæ Ecclesiæ auctoritate damnatus, inter phasides aues, & carnes suillas non tam emisit spiritum, quàm eructauit: iste caupo Calagurritanus, & in peruersum propter nomen vinculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino: & de artificio pristino, suæ venena perfidiæ Catholicæ fidei sociare conatur, impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in conuiuio secularium contra Sanctorum ieiunia proclamare. Pro nefas, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius vxores duxerint: nulli cœlibi credentes pudicitiam, immò ostēndentes, quàm sanctè viuant, qui malè de omnibus suspicantur. Et nisi prægnantes vxores viderint clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christi Sacramēta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes. aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt. Hoc docuit Dormitantius, libidini fræna permittens, &c. Si igitur, Hieronymo teste, Vigilantij hæresis, ac Iouiniani, vna atque eadem sententia fuit, adeò, vt in Vigilantio Iouinianus reuixisse dicatur, mentitur Philippus, cùm ait, non fuisse hæresim Iouiniani oppositam continentiæ Sacerdotum. Quòd verò mendacium etiam sit, Iouiniani tempore, mundo notam non fuisse legem perpetui cœlibatus, satis constet ex ijs, quæ supra diximus, Mendacio 14. nec non ex hoc ipso Hieronymi testimonio, & ex Augustino in libro de hæresibus, c. 82. vbi legimus, quasdam sacras virgines, prouectæ iam ætatis, Iouiniano auctore, nuptias contraxisse. Quod certè D. Augustinus non reprehendisset, si virginitas consecrata Deo, votum perpetui cœlibatus non complecteretur, aut hoc votum illo tempore notum mundo non fuisset.

LV. Mendacium.

Pag. 226. in Apologia de Missa: *Hic causæ status est* (inquit Philippus) *de quo ita nobis monendi sunt lectores, vt Æschines admonebat iudices, ne finerent aduersarium extra causam egredi. Nos in Confessione nostra ostendimus, nos sentire quòd Cœna Domini non conferat gratiam ex opere operato, nec applicata pro alijs, viuis, aut mortuis, mereatur eis ex opere operato remissionem culpæ, aut pœnæ.*

At mira ista peruersitas est, alios arguere eius peccati, quod ipse committis. Non enim iste est causæ status, an Missa mereatur gratiam, & iustificet ex opere operato. Si enim iste status esset, causa finita esset. Quæstio verò præcipua in eo consistit, an Missa sit verum, & propriè dictum Sacrificium, quod omnes Lutherani negant, & Catholici omnes affirmant.

LVI. Mendacium.

Pag. 233. in Apologia, de Missa: *Sed aduersarij* (inquit) *vbique sacrificij nomen ad solam cærimoniam detorquent: prædicationem Euangelij, fidem, inuocationem, & similia omittunt: cùm cærimonia propter hæc instituta sit.* Fatemur quidem sacrificium propriè dictum, nec prædicationem Euangelij, nec inuocationem significare, sed oblationem corporis Christi, cum mystica cærimonia à Sacerdote factam: sed quòd non sit apud nos Euangelij prædicatio, nec inuocatio, nimis impudens mendacium est, cùm in ipsa celebratione sacrificij legatur Euangelium, & sæpe etiam exponatur, & multæ preces fundantur pro Sacerdotibus, pro regibus, pro populo.

LVII. Mendacium.

Pagin. 236. in Apologia, de Missa: *De fide* (inquit) *qua gratis consequimur remissionem peccatorum, nulla prorsus fiebat ab aduersarijs mentio: De exercitijs fidei luctantis cum desperatione, de gratuita remissione peccatorum propter Christum, omnes libri, omnes conciones aduersariorum muta erant.* Magnus, & mirabilis vir fuit Philippus, qui omnes libros legit, omnes conciones audiuit, etiamsi varijs in locis eodem tempore, aut varijs temporibus eodem loco haberentur: Et, quod mirabilius est, etiā illas conciones audiuit, quæ prius factæ sunt,

quam

quam ipse nasceretur, alioqui, vnde nouit, de gratuita remissione peccatorũ propter Christum omnes conciones mutas fuisse.

LVIII. MENDACIVM.

PAg. 239. in Apologia, de Missa: *Transferunt* (inquit) *Missam & ad mortuos, liberant animas applicatione Sacramenti, à pœnis purgatorij: cùm sine fide nec viuis Missa prosit. Neque ex Scripturis, vel vnam syllabam afferre possunt, ad defensionem istarum fabularum, quas in Ecclesia magna auctoritate docent: nec Ecclesiæ veteris, neque Patrum testimonia habent.* Duo sunt hîc mendacia. Vnum, quòd applicatione Sacramenti, liberari dicamus animas à pœnis purgatorijs. Nemo enim Catholicorum hoc docet: sed quod de sacrificio dicimus, imperitè aut callidè transfert Philippus ad Sacramẽtum. Alterum mendacium est, quòd non habeamus testimonia veteris Ecclesiæ, quòd Missa prosit etiam defunctis. Tot enim habemus testimonia, vt planè aduersarios obruere possimus. Concil. Carthaginense 4. Can. 79. iubet commendari defunctos orationibus, & oblationibus. Concil. VVormatiense Can. 10. iubet, etiam pro suspensis orari, & sacrificari. Similia passim in Concilijs leguntur. Tertullianus lib. de Monogamia. Pro anima, inquit, eius oret, & offerat annuis diebus dormitionis eius. Cyprian. libr. 1. epist. 9. Non est, inquit, quòd pro dormitione eius apud nos fiat oblatio, aut deprecatio. Ambros. libr. 2. epist. 8. Itaque, inquit, non tam deplorandam quàm prosequendam orationibus reor, nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam. Cyrillus catechesi 5. Mystagogica. Maximum, inquit, credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, & tremendi sacrificij. Chrysost. hom. 69. ad pop. Antioch. Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur memoria. Omitto ceteros.

LIX. MENDACIVM.

PAg. 247. in Apol. de Missa: *Falsò,* (inquit Philippus) *citant aduersarij contra nos damnationem Aerij, quem dicunt propterea damnatum esse, quòd negauerit in Missa oblationem fieri pro viuis, & mortuis.*

Quæstio nostra cum Lutheranis est, an Missa prosit mortuis, nam quòd viuis prosit, nemo negat. Porrò Aug. lib. de hæresibus, c. 53. inter dogmata propria Aerij etiam illud numerat, Orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. At hoc idem omnes Lutherani dicunt.

LX. MENDACIVM.

IBidem, sic ait Philippus: *Epiphanius testatur Aerium sensisse, quòd orationes pro mortuis sint inutiles, id reprehendit, neque nos Aerio patrocinamur.* Si verum loquitur Philippus, mentitur altera pars Concordiæ, cui ferè concordant omnes Lutherani. Nam pag. 381. *Purgatorium animarum, mera diaboli larua esse definitur.* At si nullum est purgatorium animarum, inutiles sunt orationes pro mortuis, vt volebat

A Aerius, nisi fortè velit Philippus, pro animabus beatis, aut damnatis, orandum esse. Adde quòd Epiphanius hæresi 75. quæ est Aerij, refert etiam alium eiusdem errorem, & quidem ipsius verbis; *Sed neque ieiunium,* inquit, *erit ordinatum: Hæc enim iudaica sunt, & sub iugo seruitutis. Iusto enim lex non est posita, sed patricidis, ac matricidis, & reliquis. Si verò omninò volo ieiunare, qualemcumque eligam diem à me ipso, & ieiunabo propter libertatem.* Et infra: *In diebus autem Paschatis* (quos nos vocamus maiorem, siue sanctam hebdomadam) *quando apud nos fiunt humi dormitiones, castigationes, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ac ieiunia, & omnes animarum salutes, per sanctas afflictiones: ipsi à summo mane obsonantur, carneq́; ac vino venas suas explentes, cachinnantur, ridentes, ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultum hebdomadis*
B *Paschatis perficiunt.*

Quæso te, Philippe, an non, & vos idem facitis, & docetis? Magis ingenuè Matthias Illyricus facit, qui Cent. 4. ca. 5. col. 401 agnoscit, Aerij dogmata fuisse, non orandum, nec offerendum, pro mortuis: nec stata ieiunia seruanda: & quia horum similia docuit Lutherus, mauult Epiphanium, & Augustinum hæreticos facere, quàm Aerium.

LXI. MENDACIVM.

PAg. 253. in Apol. de votis monasticis: *Obedientia, paupertas, & cœlibatus* (inquit Philippus) *exercitia sunt ἀδιάφορα. Ideoq́; sancti viri eis sine impietate possunt, sicut vsi sunt, Bernardus, Franciscus, & alij sancti viri, Et hi sunt propter vti-*
C *litatem corporalem, vt expeditiores essent ad docendum.* Scilicet, magna vtilitas corporalis erat S. Francisco, nudis pedibus ambulare, vna sola tunica, eaque cilicina, & asperrima cooperiri, humi cubare, pane solo, & aqua, vt plurimum viuere, totas noctes vigilare. Deinde quid dicemus de S. Antonio, S. Hilarione, S. Paulo I. Eremita, immò de tot millibus Sanctorum Anachoretarum, qui non fungebantur docendi officio, & tamen vitam pauperrimam, & seuerissimam, in perpetuo cœlibatu, & sub obedientiæ iugo ducebant. Porrò sanctus Bernardus non solùm vilissimis pannis: & cibarijs aridissimis vtebatur, sed etiam serm. 30. in Cantica diligenter monuit, non esse Monachi, sed medici, corporis vtilitatem, & bonam valetudinem curare: Monachi verò esse,
D spiritus vtilitatem quærere, & carnem crucifigere, atque in ea re Dominum, & Saluatorem imitari.

LXII. MENDACIVM.

PAg. 255. in Apol. *Nemo nescit,* (inquit Philippus) *monasticam recens excogitatam esse.* Omitto quòd Patres ad Apostolos referunt, vt Eusebius lib. 2. histor. ca. 16. Epiphanius hæresi 29. quæ est Nazaræorum, Hieronymus 1. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Philone. Ioan. Cassianus libr. 2. de institutis Cœnobiorum, ca. 5. & collat. 18. cap. 5. August. serm. 2. de communi vita Clericorum. Possidonius in vita S. August. Sozomenus lib. 1. histor. ca. 12. Et Nicephorus lib. 2. ca. 15. Certè Magdeburgenses Cent. 4. capit. 6. col. 464. anno 300. à Saluatoris aduentu ponunt initium Monasti-

ces. Quod si contendunt, Monachos huius temporis, non esse illis similes, qui erant tempore Antonij, Hilarionis, Augustini: tamen non negant, nec possunt negare, quin saltem Monachatus, qui nunc est, à tempore Sancti Benedicti initium sumpserit. id enim Lutherani omnes admittunt, cùm videant adhuc extare, & seruari regulas ab ipso conditas, & habitari Monasteria, quæ ille fundauit. S. autem Benedictus ante 1000. annos floruit. Nisi ergo apud Philippum mille anni sint, sicut dies vnus, vt Scripturæ loquuntur de temporibus cum Dei æternitate collatis, viderit ipse, quàm sit verum; vitam monasticam recens excogitatam.

LXIII. MENDACIVM.

PAg. 158. in Apol. de votis monasticis: *Desertio facultatum* (inquit Philippus) *non habet mandatum, aut consilium in Scripturis. Nam Euangelica paupertas, non est desertio rerum, sed non esse auarum, &c.* De hoc mendacio diximus supra Mendacio 6. sanè deberet sufficere tot Sanctorum exemplum. Omnes enim illi veteres Monachi, qui tantopere celebrantur à Patribus, verba Domini, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia*, &c. de rerum desertione intellexerunt.

LXIV. MENDACIVM.

PAg. 259. in Apolog. de votis monasticis, *Sancti* (inquit Philippus) *in locum Christi subrogantur, & impiè coluntur.* Longè aliud ostendunt litaniæ, aliæque preces Catholicorum. Christo enim, vt Deo, ac Domino dicimus, Κύριε ἐλέησον, Christe eleison; Sanctis verò, S. Maria, ora pro nobis, S. Petre, ora pro nobis. Sed antiqua ista calumnia est: quod enim Lutherani nunc dicunt, dixerunt olim Ethnici, Iudæi, hæretici, vt patet ex historia Eusebij, lib. 4. ca. 15. Et lib. 8. c. 5. Ex Cyrillo libr. 6. & 10. in Iulianum. Ex Hieronymo libro contra Vigilantium. Et ex August. lib. 20. contra Faustum, cap. 21.

LXV. MENDACIVM.

PAg. 263. in Apol. de potestate Ecclesiastica, *Suas traditiones* (inquit Philippus) *longè accuratiùs seruari postulant, quàm Euangelium.* Hoc de Episcopis Ecclesiæ generatim dictum, apertissimum mendacium est.

LXVI. MENDACIVM.

PAg. 267. Ibidem, *Libri aduersariorum*, inquit, *nusquam fidei mentionem faciunt, cùm de remissione peccatorum loquuntur. Nusquam docent de dignitate rerum ciuilium, nusquā docent quomodo Euangelium tradat iustitiam externam.* Et hæc mendacia toties repetuntur in hac Apologia, vt mirum sit quomodo non ipsi auctori nauseam fecerint.

LXVII. MENDACIVM.

PAg. 268. Ibidem: *Cultus Sanctorum*, inquit, *plenus est apud eos manifesta idolatria.* At nos corde sentimus, & voce asserimus, Sanctos non esse Deos, sed creaturas eximias. Nec illis vt Dijs sacrificamus, vt etiam D. Augustinus docet, lib. 22. Ciuit. Dei, cap. 10. Nec inuocamus, vt gratiam, vel gloriam largiantur: sed vt eam nobis à Deo precibus suis obtineant. Nec denique illabi eos animis, & corda scrutari existimamus, vt aduersarij nos credere mentiuntur: Sed Deo reuelante, atq; ostendente, quid nos petamus, cognoscere eos posse, docemus.

Hic libellus tam fabrè aperit mendacia, reuellit errores Concordiæ Lutheranæ, vt nihil possit esse aut enucleatiùs, aut neruosiùs in hoc genere. Nam animus fuit auctori, stringere rem, non explicare, sed stringere ea arte, vt Lutherani alioqui plumbei facilè tangant se tangi, aut potiùs euerti.

Censui Robertus Turnerus Sacræ Theologiæ Doctor, atque Ingolstadij Professor, & pro tempore eiusdem facultatis Decanus

ROBERTI BELLARMINI BREVIS APOLOGIA, Pro libello suo *De libro Concordiæ Lutheranorum.*



CVM ante multos annos liber Concordiæ Lutheranorum in Saxonia prodijsset: petijt à me vir quidam grauissimus, atq; doctissimus, & qui mihi iure suo imperare poterat, vt ei per litteras significarem quid mihi de ea concordia videretur. Perlegi continuò librum, quem idem ipse ad me miserat, & sententiam meam de eo lib. paucissimis verbis, id est, breuissimo libello comprehendi. Peruenit is meus libellus, nescio quomodo ad manus Dauidis Sartorij, egregij sanè Typographi, qui tunc Ingolstadij Catholicis libris excudendis magna cum laude operam dabat. Is verò per amicum quendam meum à me quæsiuit, molestè ne essem laturus, si is libellus typis ipsius emitteretur in lucē. Respondi, quòd res erat, me non eo animo libellum confecisse, vt ederetur, sed vt ei parerem, qui mihi onus illud imposuerat: tamen si Theologi Ingolstadienses opusculum illud vtiliter edi posse iudicarent, me non repugnare quò minus id fieret. Ita libellus in lucem editus est. qui quoniam visus est non leuiter aduersarios pupugisse, iterum iussu clarissimę memorię Stephani Regis Poloniæ potentissimi typis mandatus est: nec multò post in linguam Germanicam paraphrasticè conuersus, & auctus ita Ministrorum noui Euangelij bilem accendit, vt dignus visus sit, qui ab vniuersa Academia Virtembergensium Theologorum coniunctis armis, & quasi agmine facto non opprimeretur. Sed libellus ipse, vt audio, viuit adhuc, immò ne guttam quidem cruoris emisit, sed clypeo veritatis armatus canit cum Propheta, *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* Et certè si Auctori ipsius vacaret in eiusmodi nugis tempus consumere, posset 10. diebus 10. alios similes libellos emittere de vanitate, erroribus, & mendacijs huius refutationis. Ac, vt rem ita se habere demonstrem, pauca quædam exempli gratia proferam. Totum enim librum aduersariorum refellere non esse operę pretium, nisi quem iuuet bonas horas malè perdere, ex his paucis, quæ dicemus, lector intelliget. In prima parte libelli notaueram vanitatem eorum, qui, vt concordiam in doctrina maximā esse apud Lutheranos ostenderent, coegerant

ad subscribendum dogmatibus fidei turbam Ludimagistrorum, Hypodidascalorum, & similium, qui neque auctoritate, neque scientia pollent, vt de dogmatibus præsertim controuersis iudicare possunt. atque addidi, nullum exemplum eiusmodi subscriptionum in negotio fidei posse ab antiquitate peti, cùm ab Apostolicis temporibus per mille quingentos annos Concilijs tum Generalibus, tum Nationalibus, vel Prouincialibus soli Prælati, qui iurisdictionem habent, subscribere consueuerint. Ad hoc respondent Theologi Virtembergenses, his verbis, *Non latet nos, Deo laus, quæ ratio in Conciliorum subscriptionibus obseruata fuerit, quam etiam in nostris conuentibus ante hac multoties secuti sumus, vt si quid de religione scripto commendaretur, præcipui tantùm Theologi subscriberent: quemadmodum in Smalchaldicis articulis videre licet. Quòd autem etiam vulgariter nec ita excellenter docti Ministri subscripserunt, in scripto publico omitti id bene poterat, nisi Electores, & Principes ad hoc coegissent impudentes vestræ calumniæ; quas contra ipsorum Theologos, & Ministros, in publicam confessionis Augustanæ contumeliam publicis typis euomistis. Meminisse autem Iesuitæ debebant, qualibus ementitis titulis Tridentini Concilij Episcopi superbiuerint, vt homines in sui admirationem raperent, cùm se Episcopos, & Patriarchas iactarunt nescio quorum locorum, in quæ nemo illorum vnquam peruenit, neque ex illis regionibus quisquam Ecclesiasticus ad Concilium Tridentinum missus erat.*

Hæc responsio satis indicat, eos nihil solidi habuisse, quo vanitatem illam à nobis notatam purgare possent. Primùm enim non eis obiecimus, quod antiquis Concilijs soli Theologi præstantes subscribere consueuerint, sed quod soli Prælati, qui iurisdictionem habent, id est, Episcopi. Itaq; cùm dicunt, non latere se, quæ ratio seruata sit in antiquis Concilijs, & eam à se quoque seruatam in suis conuentibus, vbi præcipui Theologi tantùm subscripserunt: vel falsò dicunt non latere se formam veterum Conciliorum, vel mentiuntur cùm affirmant, eam à se in conuentibus suis esse seruatam. In veteribus enim concilijs veros Episcopos, non autem Theologos quoscumque, in conuentibus autem Lutheranorum nullum verum Episcopum, sed Theologos nescio quos subscripsisse non dubium est.

Deinde cùm addunt, omitti potuisse nomina Ministrorum vulgariter tantùm, & non excellenter eruditorum, nisi coegissent eos nostræ calumniæ, quibus eis probare solemus, quòd nulla sit inter Ministros eorum concordia: nihil omninò dicunt, quod ad rem faciat. Nos enim, cùm illis obijcimus, quod in grauissimis dogmatibus inter se non conueniant, nō loquimur de turba imperitorum, quam scimus facilè duci ab ijs, quos opinione doctrinæ suscipiunt: sed de viris doctis, vel certè, qui docti haberi volunt. Scimus autem non solùm in tota Germania inter varias Lutheranorum sectas, sed in ipsa Saxonia, atque inter eos, qui propriè Lutherani dici volunt, dissensiones esse grauissimas, vt vel ex colloquio Altemburgensi cognosci potuit, vbi ex ipsa Saxonia 12. viri delecti ad componenda dissidia de religio-

A ne, non solùm grauissimos errores alij alijs obiecerunt, sed etiam inde absq; vlla spe concordiæ discesserunt. Ad hanc igitur notam inter eos dissensionis eluendam, nihil omninò prodest subscriptio tot millium vilium personarum. Quid enim mirum, si ex vna factione sex tantùm viri (tot enim fuerunt auctores libri Concordiæ) inter se conueniant, & octo millia imperitorum, sibique subiectorum ad subscribendum cogant? Certè in Ecclesia Catholica definitionibus Tridentini Concilij omnes omninò qui Catholici haberi volunt, siue docti, siue indocti, siue Principes, siue priuati, siue Itali, siue Galli, siue Hispani, siue Germani, siue Angli, siue Poloni, siue cuiuscumque regionis sint sententiam suam, iudiciumque subijciunt.

B Quòd postremò adiungunt de Patrib. Tridentini Concilij, quòd nunquam viderint ea loca: quorum titulos præferunt, inter splendida mendacia numerari potest. Exstat enim Concilium, extant nomina, & tituli singulorum Episcoporum. atque inter trecentos fermè Episcopos, variarum nationum, nescio an tres, vel quatuor inueniri possint, quorum Ecclesiæ in ijs locis sitæ sint, vbi Episcopi tutum aditum habere non possunt.

In altera parte mei libelli reprehendi sex errores grauissimos contra symbolum Apostolicum, quos in libro Concordiæ Aduersarij posuerunt. Ita verò ipsi in sua refutatione respondent, vt errores erroribus addant, & eam imperitiam rerum Theologicarum præseferant, vt indociles omninò videantur.

C Exemplum esto in refutatione primi erroris. Primus error à me notatus in eorum libro fuerat, quòd Christus non solùm vt homo, sed etiam vt Deus Patri fuerit obediens. *Respondent se hanc sententiam libenter agnoscere, nec opus est,* inquit, *vt Iesuita ex libro Concordiæ, & locis communibus Philippi istius doctrinæ nos prolixè conuincant: quandoquidem hanc non tantùm constanter profiteamur, sed eam quoq; summam nostram consolationem esse ducamus, quod obedientia, qua iusti, & beati reputamur, Christo non solùm secundū humanitatem, verùm etiam secundùm Deitatem adscribatur.* Hæc illi. Nec solùm admittunt Christum vt Deum obedisse Patri, sed etiam admittunt B. Virginem Mariam, non tantùm esse Matrem Dei, quæ est Catholicorum om-

D nium sententia, verùm etiam esse Matrē Christi vt Dei, quod est hactenus apud Christianos inauditum, cùm, vt infra ostendam, reduplicatio, vt, non suppositum, sed formam reduplicet. *Quemadmodum,* inquiunt, *Maria Christi non solùm vt hominis, sed etiam vt Dei Mater est, ita quoque Christus, non solùm vt homo, sed etiam vt Deus Patri obediens fuit.* Quid est autem, si propriè loqui velimus, B. Mariam esse Matrē Christi, non solùm vt hominis, sed etiam vt Dei, nisi Christum à B. Maria diuinitatem habere, quemadmodum ab illa humanitatem habet? Quòd si Christus à Matre humanitatem, & Diuinitatem habet, certè antequam ex Virgine nasceretur, Deus non erat, immò neq; aliquid erat, qui est error Ebionis, & Photini.

Ex eodem ignorantiæ fundamento paullò post adiungunt, nō posse negari, quin Christus

vt Deus,

vt Deus, fuerit Patri obediens, nisi duæ cum Nestorio affirmentur in Christo esse personæ, vna, quæ obediuerit Patri, videlicet persona humana, altera, quæ Patri non obediuerit, videlicet filius Dei. Quasi verò non posit vna, & eadem persona diuina, *in forma serui* (vt Scripturæ verbis vtamur) obedire Patri, in forma Dei cum Patre iubere. Sic enim Apostolus ad Philipp. 2. de vna, & eadem Christi persona dicit, quòd: *in forma Dei non rapinam putauerit, esse se æqualem Deo Patri, in forma serui Patri obediens fuerit vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* & S. Athanasius in Symbolo de eadem persona Christi dicit, *Æqualis Patri secundùm Diuinitatem, minor Patre secundùm Humanitatem.* Neque aliud est, quod Theologi Catholici dicunt, Christus vnus, & idem, id est, vna & eadem persona, vt Deus, æqualis est Patri, vt homo, minor est Patre: vt Deus fuit ante Matrē, vt homo ex Matre principium habuit.

Sed vlterius progrediuntur Aduersarij, & obedientiam filio Dei tribuunt etiam antequam formam serui acciperet, id est, non solùm secundùm Deitatem, sed etiam secundùm solam Deitatem, quòd quemadmodum ab hæresi Ariana distingui posit, ipsi viderint. Adferunt enim illa verba Domini Io. 3. *Non misit Deus filium suum in mundum, vt condemnet mundum, sed vt seruetur mundus per eum.* Sic enim ipsi citant, qui vulgatæ, atque antiquissimæ editionis rationem nullam habent, ac statim adiungunt, *Si igitur Deus filium suum vnigenitum in mundum misit, vt genus humanum seruaret, necesse est hunc filium Dei obedientem fuisse Patri, dum in mundum venit, naturam humanam assumpsit, & in ea nos miseros peccatores redemit. Hinc de filio Dei æterno in Symbolo Nicano cantatur, Descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, &c.* Hæc illi. ex quibus manifestè colligitur, eos sentire, filium Dei etiam antequam esset homo obediuisse Patri, ac per hoc secundùm solam Deitatem. Filius enim Dei cùm venit in Mundum, & naturam humanam assumpsit, non erat Deus, & homo, sed Deus tantùm, nisi quis ita desipiat, vt dicat, Deum, & hominem descendisse de cœlo, vt fieret homo. Itaque Deus Verbum, cùm non esset homo, descendit de cœlo, vt fieret homo, & ideò Verbum caro factum est, & ipsa incarnatio descensio fuit. Quod alijs verbis dicit Apostolus Philip. 2. *Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens.* quòd si Deus Verbum, cùm nondum esset homo, obediuit Patri, vt descenderet, & fieret homo, quis non videt, obedientiam, ac per hoc subiectionem tribui Deo Verbo secundùm solam Diuinitatem? neque enim secundùm humanitatem, quam non habebat, obedire poterat. At inquiunt, Si Deus filium suum misit in mundum, vt carnem assumeret, quomodo non obediuit filius Patri, dum venit in mundum, & carnem assumpsit? Hoc ipsum est argumentum Arianorum, qui ex missione colligebant subiectionem: sed respondebant maiores nostri veteribus Arianis, & nos respondemus nouis Arianis, mittere non esse iubere, nec mitti semper esse parere. nam dominus quidem seruum iubendo mittit, amicus amicum hortando, inferior superiorem orando mittere potest. Ac certè negare non possunt Aduersarij, Spiritum sanctum mitti à Patre, & Filio: iuxta illud Io. 14. *Paracletus autem, quem mittet Pater in nomine meo.* & cap. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre:* & tamen Spiritum sanctum obedire Patri, & Filio, vel Patrem, & Filium imperare aliquid Spiritui sancto, ne aduersarij quidem admittere ausi sunt. Itaque vera est communis Theologorum sententia, missionem in diuinis non iussionem, non imperium, sed processionem vnius personæ ab alia significare cum noui effectus connotatione. Sed operæ pretium erit cognoscere quid Aduersarij ad nostra argumenta respondeant. Referunt primùm hæc nostra verba, Si Christus, vt Deus, Patri obediuit, certè vt Deus à Patre distinguitur. Alius igitur Deus est Pater: alius Deus est Filius: sed vnus tantùm est verus Deus, & constat Patrē esse verum Deum. non igitur filius est verus Deus, nec ὁμοούσιος Patri, vt in Nicæno Symbolo confitemur. Respondent deinde his verbis, *Rudes asinos Iesuitas istos esse oportet, quòd distinguere nesciunt inter vnitatem Deitatis, & distinctionem inter personas in hac vna Deitate. Nam certè filius à Patre distinctus est, tanquam persona diuina, quæ ipse Pater non est: & tamen non alius Deus quàm Pater est. Atq; ita Pater, & Filius vnus Deus sunt. licet distinctæ personæ, quarum vna alteri obedit.* Hæc illi. Qui qua modestia prædiiti sunt, eodem pollent acumine. Nos autem quia scimus vnitatem Deitatis cum sola personarū distinctione credi ab omnibus fidei Catholicæ professoribus, ideò tanquam exploratum errorem notauimus dogma Aduersariorum, ex quo sequitur Deitatem filij distingui à Deitate Patris, & proinde filium non esse verum Deū, neque Patri consubstantialem. argumentum verò, quo id sequi demonstrauimus, Aduersarij non soluerunt. quòd enim illi exponunt, Christus vt Deus obediuit Patri, idem esse, ac si diceretur, Christus vt persona diuina obediuit Patri, vt alteri personæ diuinæ, nullo modo defendi potest. siquidem illa particula reduplicans, vt, non reduplicat suppositum, sed formam; neq; enim dubium est, omnes actiones esse suppositorum, siue personarum, & idcircò non ponuntur reduplicantes particulæ ad notandam personam, siue suppositum; sed quia dubium esse potest, secundùm quam formam suppositum agat, quando plures habet formas, ideò per reduplicantem particulam significatur ea forma, secundùm quam suppositum agit. Itaque sicut qui dicit, Petrus vt musicus canit, vt Medicus curat, vt homo ratiocinatur, significat illam personam, quæ dicitur Petrus secundùm scientiam musicam canere, secundùm scientiam medicinæ curare, secundùm rationalitatem, vt sic loquamur, ratiocinari: ita qui dicit, Christus vt Deus obedit Patri, significat Christum, qui est persona diuina, obedire Patri secundùm Deitatem. Et quoniam qui obedit distinguitur ab eo, cui obedit, sequitur vt Christus, qui obedit Patri secundùm Deitatem, distinguatur à Patre secundùm Deitatem. Quòd si filius distinguitur à Patre secundùm Deitatem, euidenter sequitur, vt duæ sint Deitates Patris, & Filij, & alius

Deus sit Pater, alius Deus sit Filius, quemadmodum ex eo, quod filius distinguitur à Patre secundùm personalitatem, rectè colligunt omnes Theologi duas esse personalitates Patris, & Filij, & aliam personam esse Patrem, aliam personam esse Filium. Hoc igitur est argumẽtum, quod soluere debuissent Theologi illi Vittenbergenses. Sed vt videtur, argumenti vim non præceperunt, cum tamen tam acuti videri velint, vt eorum comparatione cæteri omnes Asini dici posśint.

Nec multò feliciùs ab altero nostro argumento se expediunt. His enim verbis alterum argumentum nostrum proponunt: ***Rursus qui obedit, minor est illo, cui obedit: nam imperare superioris, obedire inferioris est. Ergo si Christus vt Deus Patri obedit: vt Deus, minor est Patre, & mentitur Symbolum Athanasii, cùm ait: AEqualis Patri secundùm Diuinitatem, minor Patre, secundùm humanitatem.*** Respondent autem hoc modo: *Hæc ratio locum habet in ijs personis, quæ non sunt eiusdem dignitatis: vbi hæc imperat, illa necessitate quadam paret etiam inuita. cum Christo autem, eiusq; obedientia res se aliter habet. Pater enim filio vt Deo non imperauit, vt coactus humanam naturam sumeret: Sed filius Dei sponte, & liberè hoc fecit secundùm æternum decretum totius Trinitatis, quocirca etiam filij Dei obedientia alia est, quàm obedientia subditi erga suum Magistratũ.* Nouum hic audimus Theologiam, nouam Philosophiam, nouam vocabulorum acceptionem. hactenus enim obedientia virtus fuit, qua subditus superioris sui mandatum implet. Inter personas eiusdem prorsus dignitatis, atque adeo in omnibus æquales inauditũ est esse veri nominis obedientiam, cùm par in parem non habeat imperium, vel potestatem. Certè B. Paulus ad Ephes. 6. scribit. ***Filij obedite parentibus, & rursum. Serui, obedite dominis.*** & ad Hebr. 13. ***Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.*** & ratio horum omnium est: quia Præpositus maior est subdito, dominus maior est seruo, Pater in humanis maior est Filio, quia senior, quia prudentior, quia causa. & S. Augustinus ser. 6. de verbis Domini scribit, obedientiam superioribus esse præstandam, sed illo ordine, vt semper maiores minoribus anteponãtur, ita vt filij parentibus obediant, quia parentes maiores sunt filijs, sed magis Patriæ, quàm parentibus, quia patria parentibus maior est, & magis Deo, quam patriæ, quia Deus maior est, quàm patria. sic etiam obediendum docet curatori, sed magis Proconsuli, quàm curatori, magis Imperatori, quàm Proconsuli, magis Deo, quàm Imperatori. nec difficile esset multa huiusmodi testimonia proferre, non solùm ex Scripturis sanctis, & veteribus Patribus, sed etiam ex Philosophis, alijsque scriptoribus profanis, apud quos semper obedientiæ, quasi è regione respondet Imperium, & obedientia subdito, imperium Principi tribuitur. Neque rectè aduersarij obedientiam respondentem imperio non agnoscunt, nisi in ijs, qui parent inuiti. quasi verò non sit illa vera, & laudabilis obedientia, qua subditus libenter Principi suo paret. Quæ cùm ita sint, nisi aduersarij vocabulis abuti, & obedientiæ nouam definitionem assignare velint, omninò coguntur, aut

A admittere cum Arianis, Christum secundùm diuinitatem esse Patre minorem, si Christum secundùm diuinitatem Patri veram obedientiam exhibuisse contendunt: aut negare debet Christum secundùm diuinitatem Patri obediuisse, si cum Catholicis æqualem Patri filium secundùm diuinitatem esse volunt.

Sed ineptissima præter ceteras est responsio ad argumentum tertium. Sic enim argumentum nostrum tertium ipsi proponunt: ***Ad hæc, secundùm illam naturam Christus obediuit, secundùm quam mortuus est: nam ipsa mors obedientia summa, & absolutissima: At non est mortuus Christus, secundùm diuinitatè, sed solùm secundùm carne ergo nec secundùm diuinitatè, sed solùm secundũ humanitatem obediuit Patri.*** Respondent his verbis: *Voces, κατὰ, secundùm, causam indicant, propter quam* B *filio Dei adscribitur quod humanitatis proprium est: & vicissim cur Deitatis propria Homini tribuantur, quia enim non duo, sed vnus duntaxat Christus est, in quo duæ diuersæ naturæ arctissimè, & intimè vnitæ sunt: idcirco hæ duæ naturæ, omnes istius personæ operationes, passiones, & gloriam quoque inter se communicant, &c.* Mirũ est valde cur non animaduertant ex hac responsione sua non solui, sed confirmari argumentum nostrum. Nam si vox κατὰ, id est, secundùm, indicat causam, cur tribuatur filio Dei, quod proprium humanitatis, & homini Christo, quod proprium est diuinitatis, certè non licet dicere, filius Dei secundùm diuinitatem mortuus est, sicut non licet dicere, Christus homo secundùm humanitatem creauit mundum: sed hoc modo dicendum est: filius Dei C secundùm humanitatem mortuus est, & Christus homo secundùm diuinitatem mundum creauit. causa enim cur filio Dei mors tribuatur, non est diuinitas, sed humanitas: & causa cur mundi creatio tribuatur homini, non est humanitas, sed diuinitas, vt Aduersarij in sequenti pagina confitentur, & res ipsa per se clamat. Quid igitur opus est, vt nos in eorum errore confutando laboremus, cùm ipsi tam apertè secum pugnent, & sententiam suam sua responsione confutent? Quòd verò paulò post addunt, nos cum Nestorianis negare, Christũ Deum esse natum, passum, mortuum: mera calumnia est. Nos enim, etsi negamus, Christum vt Deum, siue secundùm diuinitatem, passum & mortuum esse: tamen Christum Deum passum, & mortuum libentissimè confitemur. D Deniq; (vt hunc locum aliquando concludamus) id vnum ab aduersarijs peto, vt quandoquidem ipsi in extremo libro refutationis huius prouocant omnes Iesuitas ad disputationẽ cum ea conditione, vt sola Scriptura diuina sit Iudex: proferant vnum locum ex toto veteri, aut nouo Testamento, vbi habeatur, B. Mariã matrem esse Christi vt Dei, & Christum vt Deum, siue, quod est idem, secundùm Deitatem, obediuisse Patri, aut passum, & mortuum esse. Hactenus enim non protulerunt, nisi illa, ***Sanguis Iesu Christi Filij Dei emundat nos ab omni peccato***, 1. Io. 1. & illud, ***Non misit Deus filium suũ in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum***, Ioan. 3. & illud, ***Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui, & lex tua est in***

medio

medio cordis mei. Sed neque in his locis, neque vsquam alibi inuenient suas illas verborum nouitates. Vel certè sicut nos illis ostendimus scriptum esse 2. Cor. 13. *Christus crucifixus est ex infirmitate:* id est, ex ea parte, qua erat infirmus, & passibilis, nimirum ex Humanitate. & ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*, & denique 1. Petri 4. *Christo igitur in carne passo*: ita nobis ipsi vicissim legant, alicubi scriptum esse. Qui crucifix⁹ est ex virtute, id est, ex ea parte, qua erat impassibilis, nimirum ex Diuinitate. Vel, Qui factus est ei, ex semine Dauid secūdùm Diuinitatem? Vel, Christo igitur in Deitate passo. Quòd cùm ostendere non possint, intelligant se, Iudice Scriptura, ad quam appellauerunt, omnino causa cecidisse. Reliqua omnia, quæ ad errores pertinent, omittenda censui, quoniam superioribus similia sunt, & mihi propositum est, non ad refutationem respondere, sed id solùm ostendere, refutationem indignam esse, cui respondeatur.

In postrema libelli mei parte notaui mendacia libri Concordiæ, quæ tā perspicua sunt, vt mirum sit, ausos fuisse Aduersarios refutationem eorum aggredi. Sed quàm aptè responderint, vno exemplo, vel altero demonstrabimus.

In 21. articulo Confessionis Augustanæ habentur hæc verba: *Hæc ferè summa est doctrina apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet à scriptura, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Rom. quatenus ex scriptoribus nota est.*

In his verbis notaui mendacium contineri, quoniam in hoc ipso art. 21. docent non esse inuocandos Sanctos: & tamen non ignorant in Ecclesia Catholica veteri, & in Ecclesia Rom. vt notū est ex veterum scriptis, sanctos passim inuocatos fuisse, ac, vt mendacium hoc tegi non posset, citaui in meo libello testimonia expressa pro inuocatione sanctorum Eusebij, Basilij, Chrysostomi, Græcorum: & Ambrosij, Augustini, Ruffini, Latinorum. Addidi testimonia S. Leonis Papæ, vt inde fides Ecclesiæ Rom. veteris cognosceretur, & testimonium Prudentij ipso Leone antiquioris, qui testatur Rom. Ecclesiam consueuisse sanctos inuocare. Respondent in hac sua refutatione, testimonia veterum Patrum, quæ nos adduximus, pugnare cum diuino mandato, *Inuoca me*, &, *Dominum Deum tuum adorabis*? & ideo veritati confessionis ipsorum nihil derogare. At nostra quæstio non est, an Patres vera scripserint, quāquam & hoc nullo negotio defendi potest, sed an scripserint, id est, an testentur, Ecclesiam sui temporis, quam veram Ecclesiam Catholicam fuisse Aduersarij confitentur, sanctos inuocasse: Cùm autem affirment Aduersarij Patres antiquos docuisse inuocationem Sanctorum, eosque accusent, quòd id fecerint contra mandatum Dei, quomodo non mentiuntur, vel mendacium non confirmant, cùm dicunt, & repetunt doctrinam suam, quæ prohibet inuocationem Sanctorum, à doctrina Ecclesiæ Catholicæ veteris non dissidere? Deinde vt probent in Ecclesia Romana veteri non fuisse vsum inuocandi Sanctos, adducunt vnum testimonium Ambrosij ex commentario in ca. 1.

A ad Romanos, vbi videtur Ambrosius damnare inuocationem Sanctorum, cùm tamen constet Ambrosium esse Doctorem Ecclesiæ Ro. Sed multis modis respondere possumus. Nam primò auctor eorum commentariorum non damnat inuocationem Sanctorum, sed errorē quorundam Gentilium, qui docebant Deum immediatè adiri non posse. Sed necessariò per quasdam inferiores virtutes cœlestes, adeundū esse. Secundò, commentaria illa à viris doctis non tribuuntur Ambrosio. Tertiò, Ambrosius in lib. de Viduis, quem nemo negat Ambrosij esse, apertissimè docet inuocationem Sanctorum, atque adeò apertè, vt Aduersarij hoc loco Ambrosium hoc nomine reprehendant, quòd contra verbum Dei Sanctos inuocandos esse docuerit. Quartò, Ambrosius nusquam dicit in Ro. Ecclesia non inuocari Sanctos. & contra Prudentius, qui æqualis Ambrosij fuit, disertis verbis in hymno de S. Laurentio, Rom. Ecclesiam inuocare Sanctos solitam esse testatur. atq; idem testatur S. Leo Papa Romanus. Quæ omnia, cùm Aduersarij sciant, & saltem in nostro libello legerint, qua fronte mendacium excusare possunt, quo affirmant doctrinam suam ab Ecclesia Rom. veteri non discrepare? Atq; hoc de inuocatione Sanctorum exempli loco posuimus. Nam alioqui plurima sunt in confessione Augustana, quæ manifestè discrepant à Ro. Ecclesia, quæ ante mille annos, & eo ampliùs florebat.

B

In eadem confessione Augustana in articulo de Missa habentur hæc verba. *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant. retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.* In his verbis euidens mendacium cōtineri probaui in meo libello ex articulis Smalchaldicis, qui vnà cum Confessione Augustana describuntur, & approbantur in eodem lib. Concordiæ, nam in articulis Smalchaldicis, Missa, vt res commentitia, & figmentum humanum, vel potiùs vt cauda draconis abrogāda mandatur. Respondent in Refutatione, per Missam, quæ secundùm Confessionem Augustanam in Ecclesijs Lutheranorum retinetur, intelligi distributionem Sacramenti, non autē sacrificium pro viuis, & mortuis: per Missam, quæ in articulis Smalchaldicis damnatur, vt res commentitia, figmentum humanum, & cauda draconis intelligi Missam Papisticam, quæ dicitur esse sacrificium pro viuis, & defunctis. At hanc refutationem ego ante præuideram, & ideò in meo libello addideram, non accusari à nobis Lutheranos, quòd abrogauerint distributionem Sacramenti, sed quòd sustulerint sacrificium, quod in Ecclesia Catholica sub Missæ nomine celebratur. Itaque hoc Dilemmate vsus sum, Si per Missam intelligitis Cœnam Domini, mendacium est, quòd accusemini, si verò intelligitis sacrificium, mendacium est, quòd falso accusemini. Ad hoc nostrum Dilemma non potuerunt in Refutatione aliud respondere, nisi Missam à se abrogatam non esse, quia ipsa Cœna Dominica nonnullis in locis apud Lutheranos adhuc Missæ nomen retinet, quamuis nullum in ea sacrificium offeratur. At non de nomine, sed de re quæstio est. Neque Lutherani à Catholicis ac-

C

D

cusantur, quòd Missæ nomen aboleuerint, sed quòd Missam ipsam, qualem ante Lutheri tēpora per multa secula Germani sacerdotes celebrauerant, iam non solùm non celebrent, sed etiam vt Idololatriam, & Sacrilegium execrētur. Quare eodem Dilemmate vti possumus, si per Missam intelligis vocabulum Missæ cœnæ Dominicę accommodatum, mendacium est ꝙ accusemini: sin autem rem ipsam, quæ Missa dicebatur ante Lutheri tempora, id est, sacrificium corporis Domini pro viuis, & defunctis oblatum, mendacium est, ꝙ falsò accusemini.

Addam & 3. exemplum, In eadem Confessione Augustana, & ex ea in libro Concordiæ habentur hæc verba. *Augustini tempore Monasteria erant libera collegia, postea corrupta disciplina vbique addita sunt vota, vt tanquam ex cogitato carcere disciplina restitueretur.* Hoc manifestum esse mendacium probaui ex ipso Augustino, qui sic loquitur in explicatione Psal. 75. *Nemo positus in Monasterio frater, dicat, recedo de Monasterio: neq; enim soli, qui sunt in Monasterio, peruenturi sunt ad Regnum cælorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei, sed illi non vouerunt, tu vouisti.* & in Psal. 99. *Dum non perseuerauerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi.* Respondent in Refutatione, falso accusari mendacij suam Confessionem Augustanam, & reddunt rationem, quia S. August. in eadem explicatione Psalmi 99. significat, eodem loco habitas Virgines sacras, quæ in Monasterijs degebant, & alias, quæ in proprijs ædibus versabantur. Secundò, quia idem S. Aug. in li. de bono viduitatis, c. 10. & 11. dicit, se non probare illorum opinionem, qui dicunt lapsarum à sancto proposito fœminarum, si nupserint, adulteria, non coniugia esse. Tertiò, *quia Confessio Augustana, cùm dicit, Augustini tēpore Monasteria fuisse libera collegia, & sine votis, non loquitur de votis in genere, sed de votis in Papatu vsitatis, quibus puellæ, & iuuenes ante iustam ætatem implicati, & constricti in vinculis istis, & contra verbum Dei, & conscientiam manere coacti sunt.* At hoc quid aliud est, nisi fugere recta veritatis, & in laqueos falsitatis incurrere? Primùm enim falsum est, quod eodē loco habitæ fuerint Virgines Deo sacræ, quæ in Monasterijs, & quæ in domibus proprijs versabantur. Nam quæ in domibus proprijs versabantur, solo voto castitatis obstrictæ erant, quæ in Monasterio degebant, vouerant prȩter castitatem etiam vitam communem, vt idem August. in vtroque loco à nobis allegato scribit. Deinde S. Aug. dicit quidem in lib. de bono viduitatis, videri sibi coniugia post votum castitatis non esse adulteria, sed vera coniugia, tamen addit in eodem loco esse sacrilegia, adulterio ipso peiora. proindè non vult liberum illis fuisse post votum nubere, nisi sacrilegia adulterijs peiora libera esse debeant. Adde quod Augustinus eo loco de voto castitatis simplici loqui videtur, non de voto castitatis solemni, quale est illarum, quæ vt mundo omni ex parte mortuæ in Monasterijs vitam communem sub obedientia profitentur. Denique falsum est, quod in Ecclesia Catholica ante iustam ætatem iuuenes, aut puellæ seruare cogantur vota temerè emissa. Con-

A trarium enim cauetur in antiquis Concilijs, & in ipso iure Canonico, & demùm idem renouatum cernimus in Concilio Tridentino, Sess. 25. capit. 15. & 17. de Regularibus. Sed illud omnem impudentiam superat, quod verba Confessionis Augustanæ, generalia, perspicua, diserta, quibus asseritur tempore Augustini Monasteria fuisse libera collegia, & posteà ob corruptam disciplinam, addita fuisse vota, per nouam glossam restringere velint ad vota emissa ante iustam ætatem. Sed veniam damus pudori, voluerunt enim aliquo saltem imaginario pallio Patrum suorum verenda contegere, quamuis si quis eos vrgeret, ac peteret, an vota monastica emissa iusta ætate necessariò seruanda sint, ex doctrina S. Augustini, & exemplo veteris Ecclesiæ; in maiores angustias credo, redigerentur, nec scio, qua ratione Lu- B theri, & Catharinæ, Buceri, Petri Martyris, totque aliorum suorum Principum, apostasiam defenderent. Sed his omissis, veniam ad id, quod in Principio, in medio, in fine totius Refutationis, atque adeò in singulis ferè paginis libri sui repetunt, & inculcant ad nauseam vsque. Quoniam enim ad tot mendacia illis obiecta quid solidi responderent, non inueniebant, excogitauerunt callidum sanè consilium, vt Iesuitis inuidiā eo nomine conflarent, quod ausi sint Illustrissimos Principes mendacij coarguere. Ita enim deriuata mendaciorum infamia à se in Principes, id futurum sperauerunt, vt quod ipsi rationibus non possent, notam videlicet mendaciorum eluere, id Principes au- C ctoritate præstarent. Ego verò sanctè affirmare possum, nunquam mihi in mentem venisse, vt Illustrissimos Principes, quamuis à religione Catholica alienos, mendacij reprehenderem. Illorum esse mendacia, quæ retuli, semper existimaui, qui Confessionem Augustanam, qui Apologiam, qui librum Concordiæ confecerunt, id est, Philippi, Smiddelini, & paucorum aliorum Theologorum. Isti enim sunt, qui sciebant, vel certè scire poterant, & sciuisse præsumuntur falsa esse, quæ dicebant, & scribebant, Atque hoc est esse mendacem. Principes & Populi, quorum munus non est libros euoluere, quique suis Theologis crediderunt, seducti, circumuenti, decepti dici possunt, mendaces dici non possunt. At (inquiunt, Aduersarij pag. 62.) *Idcircò Iesuita non solo fœdo* D *illo mendacij nomine contenti, adiuncto epitheto illustre mendacium vocarunt, hoc est, vanitatem, & mendacium Principum, probè namque nouerunt, vocem hanc, illustre, in lingua Latina, præcipuè erga Principum personas vsurpari.* responderem profectò illustrem hanc esse calumniam, nisi timerem, ne id etiam detorquerent ad principum iniuriam. Ego igitur in Cicerone alijsque bonis linguæ Latinæ auctoribus frequentissimè legi (illustre) pro dilucido, & perspicuo, pro verbo, vel facto Principis nunquam legi. Illustre periurium est in oratione Ciceronis, de Haruspicum responsis. quod si Aduersarij nostri periurium hominum illustrium, id est, Principum, interpretentur, quis non rideat? Ita igitur Iesuitæ de mendacijs Principum ne cogitantes quidem, illustria dixēre mendacia Philippi Melanchthonis alio-

rumque

rumque similium sectariorum, quomodo Tullius illustre periurium, quod perspicua, manifesta, clarissima essent; nam vt idem ait Cicero in Partitionibus, Illustre aliquantò plus est, quam dilucidum. *At*, inquiũt, *verba illa præfationis Concordiæ, in quibus mendacia notantur, Principum verba sunt*. Verba quidem illa ita scripta sunt, ac si à Principibus dicerentur, sed à Theologis composita, & conscripta sunt. Principes enim nomine suo præfationem illam edi voluerunt, quo liber Concordiæ plùs auctoritatis haberet. Sed quemadmodum decepti sunt, non autem mentiti, cum Concordiæ subscripserunt, quia vera esse crediderũt, quæ in ea continebantur: ita quoque cum præfationem à Theologis confectam suo nomine typis mandari voluerunt, non ipsi mentiti esse dicendi sunt, quamuis in ea præfatione multa sint falsa, sed ij, qui scientes falsa esse, non veriti sunt ea conscribere. Quæ cum ita sint, si Principes Lutherani rectè iudicare voluerint non de Iesuitis querentur, à quibus nulla iniuria sunt affecti, sed Theologis suis meritò irascentur, atque ab his dignas pœnas reposcent, qui ipsis ita imposuerunt, vt errores grauissimos, mendaciaque clarissima pro veritate eis obtruserint. Quod autem ad libellum meum attinet, is magnas agit Aduersarijs gratias, quod cum anteà ab Auctore suo neglectus, sola Typographi benignitate lucem aspiceret, nũc tantorum virorum summo conatu, totisque viribus oppugnatus, & nihil tamen læsus, cuius rei iudicium æquis lectoribus liberè libenterque permittitur, ab Auctore proprio, non solùm pro suo agnitus, & eiusdem iussu editus, sed etiam inter alios eius libellos optimo loco sit collocatus.



ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S. R. E. CARDINALIS,

RESPONSIO AD LIBRVM INSCRIPTVM,

TRIPLICI NODO, ET TRIPLEX CVNEVS, siue Apologia, &c.



PRODIIT anno superiori, ex Vrbe Londino, liber Anglicano idiomate scriptus, aduersus duo Breuia Summi Pontificis, & Epistolam quãdam Cardinalis Bellarmini, sine nomine quidem auctoris, sed Regia tamen auctoritate impressus, & in ipso frontispicio, triumphum canens ante victoriam scriptum gerebat, *Tunc omnes populi clamauerunt, & dixerunt, magna est veritas, & præualet*. Hic liber, in Latinam linguam conuersus, ad nos quoq; ante paucos dies peruenit. Sed qui cuneos ad scindendos nodos tres adhibere curauit, hoc vno maximè peccasse videtur, quòd non rectè cuneos ad nodos applicuit. Itaque magno, sed inani conatu aërem verberauit, & Tunc omnes populi clamauerunt, & dixerunt, magna est veritas, & præualet, quæ funiculo triplici colligata, dissolui non potuit. Ac, vt sine ambagibus loquamur, qui Apologiam scripsit pro Iuramento fidelitatis, aduersus duo Breuia PAVLI V. Summi Pontificis, & Epistolam Cardinalis Bellarmini; neque Iuramentum, neque Breuia, neque Epistolam intellexisse videtur. Affirmat enim Iuramento fidelitatis, quod Rex Anglorum subditis suis Catholicis præstandum proposuit, solam ciuilem obedientiam contineri. Addit, Breuibus Pontificijs, & Cardinalis Epistola ciuilem obedientiam prohiberi. Neutrum est verum, vt paulò pòst apertissimè demonstrabitur. Format deinde varia argumenta ex Scripturis, Concilijs, & Patribus, quibus probet deberi Regibus obedientiam ciuilem à subditis: quod quia in Breuibus & Epistola non negatur, argumenta non magis concludunt, quàm ea, quæ in Dialectica duci dicuntur à disparatis. quamuis autem hoc generatim admonuisse sufficeret, tamen, vt etiam tardioribus fiat satis.

PRIMVM ostendemus, Iuramentum Catholicis propositum, non solùm ciuilem obedientiam, sed etiam Catholicæ fidei abnegationem requirere. hæc enim est principalis Quæstio, quæ inter nos hoc tempore disputatur. Deinde singulas partes Apologiæ discutiemus. Summa totius operis duobus cap. comprehensa.

Igitur Iuramento fidelitatis, quod habetur in Edicto Regio anni 1606. post artic. 10. & in hac ipsa Apologia ex Breui Apostolico recitatur, auctor Apologiæ contineri affirmat solam ciuilis obedientiæ professionem. hæc enim sunt verba eius, pag. 4. *Rex specimen quoddam, atque exemplar sui prabuit, se nihil in Pontificios moliri, nec meditari conscientia causa, nec vltra quid desiderare, quàm vt de eorum fide, & constantia securus fieret, quam propter conscientiam sua Maiestati præstare tenebantur.* Hæc sunt eius verba in latina editione; sed in Anglicana, quæ antea prodierat, clariùs dicebatur, Regem nihil desiderare, nisi vt securus de ciuili etiam obedientia redderetur. Item pag. 6. & 7. idem auctor sic loquitur: *Quare Pontifex se immiscet operi non suo, & falcem sic mittit suam in messem alienam, in re præsertim ciuili, & qua eum nullatenus spectat?* In Anglicana editione legitur apertius, in rebus merè, & solùm ad ciuilem obedientiam spectantibus. Item pag. 26. dicit, Pontificem prohibuisse per suum Breue, rem licitam, mereque ciuilem. Item pag. 29. cùm testimonijs Patrum, Scripturarum, & Conciliorum probasset ciuilem obedientiam deberi Regibus à subditis, subiungit, cohortationem Pontificis ad Catholicos Anglos, vt pro Iuramenti recusatione Martyrium constanter subeant, ad rem non facere, cùm in hoc Iuramento non agatur nisi de ciuili obedientia, quæ cum fide Catholica non pugnat. *Quasi*, inquit, *Romanam Religionem profiteri, & ciuilem obedientiam Principi præstare, duæ quædam res essent, nullo pacto consociabiles, sed inuicem compugnantes, atque contraria.* hæc ille. Et pag. 49. *Hoc*, inquit, *Iuramentum tantummodo ciuilem obedientiam attingit subditorum erga Principem, in causis merè temporalibus.*

In Iuramēto Anglicano Primatus Apostolici abnegationem quæri probatur.

At nos facilè contra probabimus in hoc eodem Iuramento non agi de sola ciuili obedientia, sed agi de Fide Catholica, id est, de Primatu Sedis Apostolicæ, quem in Scripturis sanctis apertissimè fundatum, Catholici omnes vt fidei orthodoxæ dogma certissimum habent.

Ex titulo Edicti.

Id probamus primùm ex Edicto Regio, in quo huius Iuramenti formula continetur atq; præscribitur. Nam titulus Edicti hic est, *Ad detegendos, & reprimendos Papistas.* Cur non dicitur, ad detegendos, & reprimendos rebelles? nisi quia finis, cuius gratia excogitatum est Iuramentum, non est detectio negantium ciuilem obedientiam, quod rebellibus conuenit, sed detectio negantium Primatum spiritualem Regis, & confitentium Primatum spiritualem Summi Pontificis, quod Catholicorum, quos vos Papistas appellatis, proprium esse dignoscitur.

Ex ipsis iuramenti verbis.

Secundò probamus ex ipsius Iuramenti verbis, ac primum ex illis: *Et quòd Papa nec per seipsum, nec per vllam aliam auctoritatem Ecclesiæ, v[illegible] Sedis Romanæ vllam potestatem, vel auctorita[illegible] habeat Regem deponendi, &c. vel vllos subditorum suorum, ab eorum sua Maiestatu obedientia, & subiectione exonerandi, &c.* Hic iam manifestè perspicitur, hoc Iuramentum non continere solam ciuilem obed[ientiam] etiam in rebus me-

A rè temporalibus, vt auctor Apologiæ tam sæpè repetiuit, sed continere etiam abnegationem Pontificiæ potestatis, quæ non est res merè temporalis, sed res sacra, & cælitus data, quam nullus mortalium tollere, vel minuere potest. Sed neque hoc loco necessarium est disputare, quo modo sit accipienda hæc potestas, aut quibus de causis exerceri possit, de qua re Theologi, & Iureconsulti disputant. siquidem inter omnes conuenit, posse Pontificem Maximum hæreticos Principes iure deponere, & subditos eorum ab obedientia liberare. cum hac enim conditione Reges terræ ad Ecclesiam admittuntur, vt sceptra sua Christo subiiciant, & fidem ac religionem nō euertere, sed protegere; defendere, non oppugnare debeant. Quod si nolint, ius est illi, qui
B toti Ecclesiæ vice Christi præest, eos à communione fidelium segregare, subditisque interdicere, ne illis pareant.

Item ex alijs formulæ verbis.

Idem probatur ex verbis sequentibus: *Iuro ex corde, quòd non obstante aliqua declaratione, vel sententia excommunicationis, aut depriuationis facta, vel concessa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcumque auctoritatem deriuatam, vel deriuari prætensam ab illo, seu à sua Sede contra dictum Regem, hæredes, aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab obedientia; fidelitatem tamen, & veram obedientiam suæ Maiestati, hæredibus, & successoribus suis præstabo, &c.* Hic apertè negatur Summo Pontifici potestas excommunicandi Reges etiam hæreticos. Quo modo enim licitè & iu-
C stè Catholicus iurabit, se non pariturum Summo Pontifici Regem hæreticum excommunicanti, nisi credat non posse à Pontifice Regem hæreticum excommunicari? Atqui potestas excommunicandi intrinseca est Primatui Apostolico, atque ab eo inseparabilis, cùm Beato Petro, vt primo spirituali Primati dictum sit à Domino, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo, Matt. 16. Et cùm eidem Petro, atque in eo successoribus omnibus auctoritas data sit totum gregem Dominicum pascendi, & regendi, Ioan. vlt. certè vel Rex Anglorum ad gregem Dominicum nullo modo pertinet, vel Beato Petro eiusque successoribus subditus est, atque ab eo ligari, & solui potest. Neque vlla iustior causa excommunicandi fingi potest,
D quàm hæresis, quæ fidei Catholicæ, & omnis iustitiæ fundamentum tollit. Quare is, qui affirmat, non esse in Summo Pontifice potestatem excommunicandi Reges hæreticos, neque illi esse parendum, si id faciat; is omninò affirmat, non esse Summum Pontificem Caput Ecclesiæ vniuersæ, ac per hoc Primatum Apostolicum negare conuincitur. Non igitur hoc Iuramento sola ciuilis obedientia quæritur, sed quæritur abnegatio fidei Catholicæ, & vt obediatur homini contra obedientiam Dei.

Omnes Christiani etiā Reges subditi sūt B. Petri successoribus.

Iuram. Angliæ negat potestatē soluendi in Summo Pontifice.

Sed alia verba eiusdem Iuramenti consideremus, *Et vlterius*, inquit, *credo, & in conscientia mea resoluor, quòd nec Papa, nec alius quicunque potestatem habet, me ab hoc Iuramento, aut aliqua eius parte absoluendi: quod Iuramentum*

agnosco recta, ac plena auctoritate, esse mihi legitimè ministratum. Hoc autem loco qui paulò ante iurando negauerat potestatem ligandi in Summo Pontifice, idem nunc potestatem soluendi negat. Nam ex verbis illis Dominicis, Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis, Catholici omnes colligunt, ad Pontificis Maximi auctoritatem pertinere, non solum potestatem absoluendi à peccatis, sed etiam à pœnis, censuris, legibus, votis, atque iuramentis, quando id expediat ad gloriam Dei, atque animarum salutem. Sed præterea dum affirmat hoc Iuramentum sibi recta, ac plena auctoritate legitimè ministratum, simul affirmat Regem suum, à quo Iuramentum propositum est, potestatem supremam habere in spiritualibus; cùm agnoscat in illo plenam auctoritatem iubendi, vt Pontificia excommunicatio, siue declaratio contemnatur.

Ex formula Iuramēt. de Primatu Regis Ecclesiastico, negari Pontificis Primatum conuincitur.

Tertiò probamus hoc idem, ex alio simili Iuramento apertiore, quod hic idem auctor Apologiæ ad verbum recitat, pag. 49. Huius Iuramenti hæc sunt verba. *Ego A. B. palàm testor, & ex conscientia mea declaro, quòd Maiestas Regia vnicus est supremus gubernator huius Regni, omniumq; aliorum suæ Maiestatis Dominiorum, ac Territoriorum, tam in omnibus spiritualibus, siue Ecclesiasticis rebus, aut causis, quàm in temporalibus: & quòd nullus extraneus Princeps, Persona, Prælatus, Status, aut Potentatus habet, aut habere debet vllam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, præeminentiam vel auctoritatem Ecclesiasticam, siue spiritualem infra hoc Regnum, &c.* Hæc Iuramenti formula hoc solùm distat ab illa, quæ inclusa est in Breui Pontificio, quòd ista verbis expresſis, & proprijs continet abnegationem Primatus Apostolici, & ideo non facilè proponitur ijs, qui apertè se profitentur Catholicos; illa verò formata est verbis obscurioribus, & per ambages circumloquutionum, ad decipiendos incautos, vt verè multos, atque adeo Archipresbyterum ipsum decepit. Sed ex hac formula clariore facilè possunt viri prudentes intelligere, quò tendat illa formula, quæ dum iubet abnegari potestatem excommunicandi Regem, simul iubet abnegari Primatum Apostolicum in Ecclesiam vniuersam, & aperit aditum ad constituendum Primatum Regis in spiritualibus. Addo postremò confirmationem ex verbis huius auctoris. quamuis enim millies repetierit, in hoc Iuramento non contineri, nisi ciuilem obedientiam; tamen pag. 88. excidit illi, *hoc Iuramentum institutum esse, quò populus arceretur, ne ita altè amarum illud poculum ebiberet antichristianarum scortationum.* Quid enim vocare solent Aduersarij antichristianas fornicationes, nisi venerationem Pontificiæ potestatis? Non ergo sola ciuilis obedientia, sed etiam detestatio spiritualis obedientiæ hoc Iuramento continetur. Inspiciamus nunc Breuia Pontificia ad Catholicos Anglos perscripta.

Idem probatur ex ipsis verbis auctoris Apologię.

PRIMVM BREVE PONTIFICIUM.

Dilecti filij salutem, & Apostolicam Benedictionem. Magno animi mœrore nos semper affecerunt tribulationes & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide iugiter sustinuistis. sed cùm intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est. Accepimus namque compelli vos, grauiſsimis pœnis propositis, templa hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, concionibus illorum interesse. profectò credimus proculdubio eos, qui tanta constantia atque fortitudine atrociſsimas persecutiones, infinitas propemodum miserias hactenus perpeſsi sunt, vt immaculatè ambularent in lege Domini; numquam commissuros esse, vt coinquinentur communione desertorum diuinæ legis. Nihilominus zelo Pastoralis officij nostri impulsi, & pro paterna solicitudine, qua de salute animarum vestrarum aſsidue laboramus: cogimur monere vos, atque obtestari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere, sine detrimento diuini cultus, ac vestræ salutis. Quemadmodum etiam non potestis, absque euidentiſsima grauiſsimaque diuini honoris iniuria, obligare vos Iuramento, quod similiter maximo cum cordis nostri dolore audiuimus propositum vobis fuisse præstandum, infrascripti tenoris, videlicet: *Ego A. B. verè, & synceré agnosco, profiteor, testificor, & declaro in conscientia mea, coram Deo & mundo, quod supremus Dominus noster Rex Iacobus est legitimus & verus Rex huius Regni, & omnium aliorum Maiestatis suæ Dominiorum, & terrarum; & quòd Papa, nec per se ipsum, nec per vllam aliam auctoritatem Ecclesiæ, vel Sedis Romanæ, vel per vlla media cum quibuscunque alijs, aliquam potestatem, nec auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Maiestatis suæ dominiorum, vel regnorum disponendi, vel alicui Principi extraneo ipsum damnificare, aut terras suas inuadere auctoritatem concedendi, vel vllos subditorum suorum ab eorum suæ Maiestatu Obedientia, & subiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare, arma contra ipsum gerendi, tumultus seminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum Maiestatis suæ Personæ, Statui, vel Regimini, vel aliquibus suis subditis, infra sua dominia offerendi. Item iuro ex corde, quòd non obstante aliqua declaratione vel sententia excommunicationis, aut depriuationis facta, vel concessa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel successores suos, vel per quamcunque auctoritatem deriuatam, aut deriuari pretensam ab illo, seu à sua Sede contra dictum Regem, hæredes aut successores suos, vel quacunque absolutione dictorum subditorum ab eorum obedientia; fidelitatem tamen, & veram obedientiam suæ Maiestati, hæredibus, & successoribus suis præstabo, ipsumque & ipsos totis meis viribus, contra omnes conspirationes,*

Formula Iuramenti fidelitatis.

gere non potest. Non cogat professores veteris fidei, quam à Magno Gregorio se accepisse meritò gloriantur, ad nouas suscipiendas Sectariorum opiniones: & continuò pericula omnia, timoresque cessabunt. Non excuso factum, odi parricidia, execror conspirationes; sed occasionem desperandi datam nemo inficiari potest. Sperauerant enim Catholici, vt hic ipse Auctor Apologiæ fatetur, sub nouo Principe, qui clementiæ laude semper floruerat, & quem ipsi quoque Catholici magna alacritate susceperant, se aliquantulum à persequutione tam diuturna respiraturos, & eam fidem, & Religionem liberè retenturos, quam Mater ipsa Regis, & omnes eius maiores piè coluerant. sed vbi viderunt confirmari crudelia Edicta Elizabethæ Reginæ, & recusantibus adire templa hæreticorum grauissimas pecuniarias mulctas imponi, seque paulatim accusationis prætextu opibus omnibus spoliari: nonnulli eorum minùs patientes iniuriarum, in desperationem acti, moliti sunt, quod nos vobiscum pariter deploramus.

Occasio coniurationis in Anglia quibusdam quomodo data.

Deinde pagina 3. 4. & 5. iterum atque iterum repetit, atque inculcat, Iuramentum propositum à Rege fuisse, vt internosceret inter fideles subditos, & perfidos proditores. & ideo Iuramentum fidelitatis meritò appellandum esse, quo nihil aliud quæratur, nisi, vt debita obedientia Regi præstetur; sed per sinistram interpretationem Summi Pontificis, qua per Breue suum prohibuit Iuramentum suscipi, quasi fidei Catholicæ contrarium, factum esse, vt miseri Catholici, aut cum discrimine vitæ, & iactura fortunarum fidelitati erga Principem renuncient, aut cum Catholicæ fidei detrimento, animarum suarum salutem in periculum adducant. At nos paulò antè docuimus, Iuramentum propositum sub colore fidelitatis ad Regem, abnegationem Primatus Apostolici continere; neque ad hoc demonstrandum multis argumentis egemus, cùm ipsum Regis Edictum, in quo Iuramenti huius forma præscribitur, fraudes omnes apertissimè detegat. Nam, vt suprà notauimus, titulus Edicti est, *Ad detegendos, & reprimendos Papistas*. Et in eodem Edicto propè finem, nisi fortè nos translatio fallat, duorum Iuramentorum fit mentio. quorum alterum est de Primatu Regis in spiritualibus: alterum contra potestatem Pontificis in Principes Christianos, Iuramentum solius fidelitatis ne nominatur quidem. Parum autem interest, vtrùm auctor Apologiæ velit, Iuramentum, de quo nunc agimus, esse Iuramentum de Primatu Regis in spiritualibus, an Iuramentum contra potestatem Pontificis in Principes Christianos: vtrumque enim apud veros Catholicos fidei Christianæ repugnat. prius enim Iuramentum tribuit spiritualem Primatum ei, cui secundum Scripturas sanctas minimè debetur, posterius verò detrahit eundem Primatum ab eo, cui secundum easdem Scripturas omni iure debetur. Christus enim, vt suprà diximus, Pastorem vniuersi gregis sui, non Regem aliquem, sed Apostolum Petrum esse iussit. proinde, qui Beato Petro succedunt; non qui Regibus succedunt, Primatum super Christianos obtinent. & si Reges Christiani sunt, dubium esse non potest, quin Apostoli Petri successores super illos etiam pastoralem habeant potestatem. Non ergo Breue Apostolicum sinistrè interpretando Iuramentum, caussa est mortis temporalis fidelibus Anglis; sed Iuramentum aptè ad decipiendum compositum, causa est iisdem Anglis mortis sempiternæ.

Iuram. Anglicanum non petit meram ciuilem obedientiam.

Pagina 6. pergit auctor Apologiæ, ac dicit, Summum Pontificem contra bonos mores, & consuetudinem Principum Christianorum vehementer peccasse, quòd Regem indicta causa condemnauerit, partim annumerando eum persequutoribus, partim seuerè imperando, vt Catholici ab hoc Sacramento abstineant, quod dum detrectant, fidelitatem suam profiteri recusant. Quod autem Pontifex in his duabus rebus peccauerit, probare se existimauit auctor insolubili argumento, dum ait, *Si Pontifex existimauit se Regis esse Iudicem competentem, cur non auditum damnauit? sin autem Pontifici nihil cum Rege negotij est, cur falcem suam immisit in messem alienam?* Sed quamquam Christi Vicarius, si Pater, & Rector est, vt verissimè est Ecclesiæ vniuersæ; Iudex etiam competens est omnium Christianorum, ac per hoc etiam Regum, vt Christiani sunt: tamen si propriè loqui velimus, Summus Pontifex PAVLVS Quintus, non de persona Regis, sed de Iuramento iudicauit. quando autem quæstio est, vtrum aliquod Iuramentum licitum sit, an illicitum; nemo Iudex magis competens fingi potest ipso Summo Pontifice: quoniam agitur de re sacra, de re spirituali, de re, quæ ad salutem vel perniciem animæ pertinet. Itaque Summus Pontifex, cùm à Iuramento, quod noxium animis fidelium iudicauit, subditos suos absterruit; id fecit quod pastor facit, cùm ouiculas suas arcet à pabulo venenato. Et quemadmodum pastor non iudicat neque punit terram, quæ pabulum mortiferum protulit; sed ouibus suis consulit, dum eas ab eiusmodi pabulo remouet: sic Summus Pontifex non Regem propriè iudicauit, vel damnauit, sed Catholicos suos admonuit, Iuramentum propositum non posse tuta conscientia suscipi. Frustra igitur auctor Apologiæ clamat Regem indicta causa condemnatum. ineptum quoque dilemma sibi fingit, cùm non de damnatione Regis, sed de Iuramenti reprehensione agatur.

Paulus V. propriè nō de persona Regis Angliæ iudicauit, sed de iuramēto, vtrum liceat.

At, inquiet, si Iuramentum reprehenditur, consequenter reprehenditur is, qui Iuramentum suscipi iussit. Respondeo, negari non potest, quin reprehensio Iuramenti aliquo modo ad eum pertineat, qui Iuramentum præscripsit: sed aliud est reprehendere opus alicuius hominis, aliud hominem ipsum in iudicium propter opus illud vocare. nam fieri potest, vt opus non placeat, & tamen ab auctore iuridicè discutiendo, & damnando abstineatur. Sic igitur Summus Pontifex Iura-

Opus reprehēdere non est hominē propter opus in iudiciū vocare.

mentum

mentum reprehendit, sed Regis personam non attigit. neque opus fuit vt causam diceret, qui in ius vocatus non fuerat.

Regis in arbitrio fuit à Iurã. cessare, vel illud vrgẽdo Martyrum persecutor nominari.

At, inquit, in eo peccauit Pontifex, quòd Regem persequutoribus annumerauit, dum ad Martyrium pro recusatione Iuramenti suscipiendum, Catholicos suos hortatus est. Respondeo, non annumerauit Pontifex Regem inter persequutores absolutè, sed in eius arbitrio reliquit, velletne acquiescere veritati, & à Iuramento illicito obtrudendo cessare, & Rex pacificus haberi; an potiùs vellet contra innocentes sæuire, & persequutor sanctorum Martyrum nominari.

Papa ciuilem obedientiã nusquam prohibuit.

At saltem in eo Pontifex peccauit, quòd Iuramentum fidelitatis prohibendo, effecit, vt subditi debitam obedientiam Regi suo non exhiberent. Respondeo, si Iuramentum solius fidelitatis esset, neque aliud requireret, nisi vt subditi omnes, etiam Catholici, Regi subiecti essent, in ijs rebus omnibus, quæ contra fidem Catholicam, & obedientiã Deo, & Summo Pontifici debitam non essent; nemo Iuramentum reprehenderet, neque opus fuisset Breuibus Apostolicis populum Catholicum admoneri. Nam & Clemens VIII. sanctæ memoriæ Pontifex, & hic ipse Paulus Quintus, eius in Apostolica Sede successor, non semel per literas Catholicos Anglos admonuerunt, vt Regi obedientiam, quæ Regibus secundùm Scripturas sanctas debetur, diligentissimè exhiberent, & à tumultibus, & seditionibus omninò cauerent. Sed vbi vidit Iuramentum à Catholicis peti, in quo per speciem ciuilis obedientię, fidei Catholicæ abnegatio petebatur, admonuit suos, vt cauerent insidias, & memores essent Apostolici dicti: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus, Actor. 5.

Pag. 7. confert auctor Apologiæ Bullam Pij Quinti, aduersus Elizabetham, cum Breui Pauli Quinti, ac dicit, nihil ferè interesse inter Bullam Pij V. qui Elizabetham nominatim excommunicauit, & Breue Pauli V. qui Iuramentum fidelitatis à Catholicis suscipi prohibuit. ille enim populos ab obedientia Reginæ absoluit; iste obedientiam Regi præstari vetuit.

Discrimen inter Bullã Pij V. & Breue Pauli V.

Omitto conuicia, vel blasphemias potius in Pium Quintum Pontificem sanctum, ac de Dei Ecclesia optimè meritum. neque enim ad conuicia, quæ solis conuiciantibus nocent, sed ad rationes, & argumenta, quæ minus peritis, aut parum attentis nocere possunt, respondendum esse putauimus. Hoc igitur interest inter seueritatem, qua vtendum esse Pius non sine iusta causa censuit, & lenitatem, quam iusta etiam de causa adhibere placuit Paulo: quòd ille Reginam iamdudum propter hæresim excommunicatam à iure, & generatim, & iterum nominatim excommunicauit, & excommunicatam declarauit. & quoniam cum excommunicatis nominatim & publicè declaratis non licet conuersari, ac secundùm Ecclesiæ Catholicæ leges, eiusmodi vitandi sunt, ideò Pius V. populum Catholicum ab obedientia Reginæ ad eum modum excommunicatæ, & declaratæ, iustissimè ab-

A soluit, & liberauit. tali enim seueritate vtendum esse tempora illa suaserunt. Paulus verò Quintus experiri volens, an medicamenta mitiora fortasse magis prodessent, præsertim cùm agendum esset cùm Rege maioris prudentiæ, atque doctrinæ, & cuius parentes Catholici semper fuerunt: non iudicauit hoc tempore expedire, vt Rex nominatim excommunicaretur, vel excommunicatus publicè declararetur. ac per hoc non solùm non absoluit populos ab obedientia, quod fecerat Pius, sed neque vetuit, vt Regi obedientia in rebus temporalibus præstaretur, vt falsò auctor Apologiæ affirmat. At prohibuit suscipi Iuramentum fidelitatis. Nemo prohibuisse suscipi Iuramentum cuiuscunque fidelitatis, sed eius solius, quæ cum infideli-
B tate coniuncta esset. Cùm enim Christiani fidelitatem debeant non solùm Regi terreno, sed etiam Principi spirituali, qualis est Christi in terris Vicarius: nullo modo licet Christiano viro, ita iurare Principi terreno fidelitatem, vt simul iuret se Principi spirituali minimè pariturum, etiam in ijs rebus, quæ propriè ad ipsius pertinent potestatem. Quoniam igitur Iuramentum Catholicis propositum suscipi non poterat, sine abiuratione Pontificiæ potestatis, idcircò rectè Summus Pontifex Iuramentum illud suscipiendum non esse censuit; tantumque interest inter Bullam Pij Quinti, & Breue Pauli Quinti, quantum inter cauterium ignis, aut venæ incisionem, & vnctionem olei, aut dulcis pharmaci potionem.

Paulus V. prohibuit suscipi Iuram. infidel.

C Pag. 8. rursum auctor Apologiæ Pontificem carpit, Quòd si Regem respicias imprudenter, si Catholicos iniuriosè se gesserit. *Imprudentia*, inquit, *est, respectu Regis, quòd partitim & minutatim Iuramentum non refutauerit; vel quod verbulum, quæ sententiola, vel quid quid id est criminis, cuius iuramentum insimulat, nullo detexit indicio.* Nolo in nugis tempus consumere, ea de causa non discutio improprietates vocabulorum, & lutulentam orationem huius interpretis. Illud vnum respondeo, Pontificis Maximi propositum non fuisse librum refutationis conscribere, ideò necesse non fuisse, vt Iuramentum vniuersum, vel partes eius, argumentis varijs ex locis petitis confutaret. Epistolam scripsit, quæ vicem Edicti repræsentaret. tunc autem verè
D imprudens Princeps haberi deberet, si iniquam actionem prohibere se non posse crederet, nisi librum integrum Philosophorum more conscriberet. *At*, inquit, *si Pontifex notasset quid in Iuramento displiceret, fortasse Rex partem illam Iuramenti, vel deleri passus fuisset, vel eam benigna interpretatione molliuisset.* Respondeo, non particulam aliquam Iuramenti Summo Pontifici displicuisse, sed ipsam Iuramenti substantiam, vt sic loquar, finem ipsum, & quasi scopum, quo verba omnia diriguntur. quando autem sperandum erat, vt partem aliquam principalem huius Iuramenti deleri Rex ille pateretur, qui Iuramentum alterum sub pœna capitis suscipi iussit de Primatu suo in spiritualibus? Nam ab eo Iuramento non soli Catholici, sed etiam

Edicta non solent rationibus comprobari.

Calui-

Etiā Caluinistę Puritani respuunt iuram. de Primatu Regis in spiritualibus.

Caluinistæ Puritani abhorrent, & tamen Rex partem vllam eius Iuramenti deleri, vel mitigari numquam pati voluit. Quod autē auctor Apologiæ adiungit de iniustitia Pontificis in Catholicos, facilè refutari potest. *Iniustitia*, inquit, *est. Catholicorum respectu. nam si ita visum fuisset Maiestati suæ, in Iuramento quippiam vel mutari, vel interpretari, eo labore penitus subleuati fuissent Catholici, & exonerati illico: si secus, omnia Rex, vt erant, tenere velle, & nihil immutare, firmiter secum statuisset. tamen hoc inde lucri percipere potuissent Catholici, vt eorum renitentia, hac vmbra, hoc veluti inuolucro posset obtegi. quod non tanquam claudicantes in fide sua erga Principem à Iuramento abstinerent, sed tantùm ab anxietate, & scrupulis quibusdam perplexi, quibus tenera ipsorum conscientia torqueretur: quam anxietatem, ac teneritudinem Pontificia damnatio verborum quorundam in formula Iuramenti, peperisset.* hæc ille. Sed iam diximus nullam omnino spem haberi potuisse, vt partes illæ Iuramenti tollerentur, quæ continent abnegationem fidei Catholicæ, de Primatu Ecclesiastico Romani Pontificis. quod si anxietas conscientiæ iuuare posset Catholicos apud Regem, omnis iamdudum persecutio cessasset. Scit enim Rex Catholicos Anglos, ciuilem obedientiam in ipsa eius coronatione exhibuisse; neque Iuramentum fidelitatis abhorrere, nisi vbi fides Catholica periclitatur.

Catholici Angli ciuilem obedientiam professi sunt in coronatione Regis.

Pag. 16. postea quàm Breue Pontificium cum Iuramenti formula, à pag. 9. vsque ad 15. integrè descripserat, aggreditur auctor Apologiæ refutationem Breuis. ac primo adscribit summo Pontifici crimen falsi, quia initio Breuis dicit, magno se mœrore affici, ob tribulationes, & calamitates, quas pro retinenda fide Catholica, Catholici in Anglia patiuntur. Vt autem falsitatis Pontificem omnino conuincat, orditur ab ingenti clementia Elizabethæ Reginæ, quam à clementia Regis Iacobi longè superatam affirmat. *Hic*, inquit, *Pontifex dolorem, & magnum animi sui mœrorem exprimit, propter tribulationes & calamitates, quas pro retinenda fide Catholica iugiter sustinent filij sui. Vbi præter crimen falsi, quod in serenissimi Domini nostri Regis contumeliam tantoperè redundat; dissimulare non possum, sed vt res postulat, palam profiteor, & quod certò scio præ me fero, Reginam Elizabetham neminem ex Pontificijs, religionis causa, in iudicium vocasse, neminem ad supplicium condemnasse, antequam eorum scelera & flagitia, veluti inuita Regina, pœnas quas pertulerant, ei extorquerent: quod cuiuis æquo rerum æstimatori, & actiones ipsas cum eorum circumstantijs prudenter pensiculanti manifestum fiet.* hæc ille. Qui postea quam eadem felicitate scribendi, multa similia repetens, & inculcans, defunctæ Reginæ Manibus, vt ipse loquitur, parentasset; vel, vt Anglicana editio significare videtur, sacrificium obtulisset: transit ad Regem, atque ait, *Non possum sanè non confiteri, pro amore, quo in veritatem feror, quod qualiscumque fuerit Reginæ laus, à clementia in Pontificios, quæ fuit amplissima; tamen ea mansuetudinis, ac pietatis in eosdem exempla, quæ conspeximus in serenissimo Rege, longo præteritam Reginæ mansuetudinem*

Num falsū sit Catholicos in Anglia religionis causa persecutionem nō sustinere.

A *superarunt interuallo, &c.* Dabit hoc loco nobis veniam auctor Apologiæ, vt sicut ipse sibi licere existimauit, criminis falsi Christum Domini, id est, Pontificem Maximum, sine vllo veritatis colore accusare; ita nobis vicissim liceat, mendacia sua in ipsum verè regerere. Principiò, non scripsit Pontifex, se mœrore affici ob calamitates, quas tempore Reginæ Elizabethæ, aut initio Regni Iacobi Regis in Anglia, pro retinenda orthodoxa fide Catholici patiebantur: sed ob calamitates, quas hoc tempore patiuntur. Ergo, vt criminis falsi ne leue quidem vestigium in ipso Pontificio Breui adhæreat; satis est si probemus, ingentes ærumnas propter Religionem ferre coactos esse Catholicos anno Domini 1606. quo tempore Breue Apostolicum scribebatur. Hoc

B autem ipso anno scimus duo Edicta in Anglia promulgata eiusmodi, vt vel sola sufficiant, ad omnia huius Apologiæ coarguenda mendacia. Edicti prioris summa hæc est. titulus vt supra admonui est.

Leges à Rege Iacobo in Catholicos latę.

Ad detegendos, & reprimendos re[illegible]*apistas.* In primo articulo confirma[illegible]ges Elizabethæ, aduersus Catholicos iam[illegible]n stabilitæ. In 2. iubetur, vt Præfecti locorum inquirant in Catholicos omnis ordinis & ætatis, qui templa hæreticorum adire recusant: imposita mulcta viginti florenorum, si negligentes in Catholicis perquirendis extiterint. In 3. statuitur, vt acriter puniantur Catholici, qui communionem, seu cœnam hæreticorum more, sumere recusauerint. In 4. sancitur, vt qui

C recusauerit sacris hæreticorum interesse, si cōuictus in iudicio fuerit, soluat in menses singulos florenos ducentos. In 5. statuitur, mulcta ducentorum florenorum in singulos menses (quæ ab Elizabetha constituta fuerat, in recusantes adire templa hæreticorum) leue onus esse copiosis hominibus; ideo additur, vt Rex inuadat duas tertias partes bonorum omnium, tertia parte sola relicta eiusmodi recusantibus. In 6. statuitur, vt qui recusauerit cœnam Caluinisticam sumere, soluat primo anno florenos ducentos, secundo quadringentos, tertio sexcentos. In 7. additur, vt qui templa hæreticorum frequentare cœperat, & postea relabitur in crimen non frequentandi, soluat statim florenos sexcentos. In 8. decernitur, vt qui recusant Iuramentum illud suscipere, de quo nunc agimus, conijciantur in car-

D cerem sicariorum atque latronum. In 9. additur, vt eidem in carceribus detento, proponatur iterum Iuramentum: quod si recusauerit, amittat omnia bona, & carceri perpetuo mancipetur. In 10. additur, vt si tertia vice propositum sibi Iuramentum recusauerit, capitis vitæque dispendium patiatur. In 11. declaratur, tabulas illas in quibus aliquis accusatus reperitur; quòd à templis hæreticorum abfuerit, vim suam obtineant, non obstante quocumque errore, qui in accusatione formanda, aliterve contigerit. In 12. statuitur, vt qui Principibus externis militare voluerit, is prius Iuramentum præfatum præstet, alioqui perduellis habetur. In 13. statuitur, vt nobilis qui in externis regionibus seruire voluerit, cum duobus fideiussoribus Regi se obliget sub pa-

na ducentorum florenorum, quòd nullo vnquam tempore Romano Pontifici reconciliabitur: quam cautionem nisi proficiscens dederit, reus mortis erit. In 14. statuitur, vt qui post decimum diem Iunij huius anni 1606. subditum aliquem Regis Anglorum ad fidem Romanæ Ecclesiæ pertrahet, aut pertrahere conabitur; is perduellionis, & læsæ Maiestatis reus habeatur, & re ipsa pœnam illam subeat, nisi in Angliam reuertatur, & intra sex dies à reditu crimen confessus, duo Iuramenta suscipiat; vnum de Primatu Regis in spiritualibus, alterum contra potestatem Papæ in Principes Christianos.

Hæc videlicet est incredibilis illa clementia Regis in Catholicos, ob quam summus Pontifex crimen falsi incurrit, quòd scripserit, se non leui dolore affici, ob calamitates, quas Catholici pro fide orthodoxa retinenda tolerare coguntur. Quæ maior calamitas excogitari potest, quàm propter vitanda sacra sacrilega, opibus spoliari; pro recusando Iuramento perfidiæ, carceri perpetuo mancipari; pro exhortatione ad Catholicam fidem, quasi Maiestatis reum morte mulctari; & si nihil, nisi ciuilem obedientiam Rex requirit, neque aliquid molitur conscientiæ causa; cur Archipresbyter, & alij qui ciuilem obedientiam, suscepto Iuramento professi sunt, adhuc carceribus detinentur?

Sed volo ipsum etiam Apologiæ auctorem, velit nolit adigere, vt pro hac veritate testimonium dicat. Ipse igitur in hoc libro suo pag. 20. extollens Principis mansuetudinem, sic ait. *Gratioso Edicto permissum est sacerdotibus omnibus, non comprehensis, & tum extra custodiam degentibus, intra certum & constitutum diem è Regno migrare.* Admiranda profectò gratia, exilium permittere sacerdotibus, qui comprehendi, quamuis diu quæsiti, nequiuerant. Si tibi exilium gratia videtur, quo nomine vera supplicia appellabis? An non est magna calamitas, si cogaris pœnas grauiores exilio præuenire?

At, inquies, Edicta ista edita sunt post coniurationem detectam. Verum est, sed non pertinent ad puniendos Proditores, sed ad Catholicos omnes, religionis causa, diuexandos. Sed præterea ante coniurationem illam conceptam in ipso primo anno Regni, & primo Parlamento confirmauit omnia Edicta Reginæ, eaque non parùm auxit. At ipsa etiam Regina Edicta illa edidit exacerbata ob excommunicationis sententiam in se à Pio V. latam. Imo etiam antea. nam anno Domini 1558. in primo regni sui anno, diu ante Pij V. Pontificatum, Iuramentum subditis suis suscipiendum proposuit de Primatu suo Ecclesiastico, id est, de noua hæresi ab Henrico parente suo excogitata. pœna autem recusantis Iuramentum, prima vice fuit amissio bonorum, carcerque perpetuus. altera vice, pœna capitis, quam perduelles sustinere coguntur. Refert Nicolaus Sanderus lib. 3. de schismate Anglicano hoc totum: & quæ vidit, & quibus interfuit scripsit. Anno sequenti, id est, 1559. Missam facientibus, vel audientibus, aliudve quodcunque officium Ecclesiasticum, ritu veteri procurantibus, sacramentumque aliquod Romano more administrantibus, grauis indicitur mulcta; nimirum prima vice ducentorum aureorum, aut carceris ad sex menses. secunda vice quadringentorum aureorum, aut carceris ad annum. tertia vice omnium bonorum & perpetuorum carcerum. secundum quam legem mox in carceres coniecti sunt Episcopi plurimi, quorum nomina idem Sanderus describit in eodem lib. 3. de Schismate Anglicano. quibus addit lib. 7. De visibili Monarchia ad annum Domini 1560. permultos etiam nobiles laicos eadem de causa carceribus mancipatos, qui omnes vel in carcere, vel in exilio extincti sunt. Et tamen Auctor Apologiæ dicere audet, se certò scire, Elizabetham Reginam neminem religionis causâ in iudicium vocasse, neminemque damnasse. Item ante sententiam Pij V. palàm esse, nullam à Regina Elizabetha grauiorem mulctam Catholicis impositam, neque seueriores leges, aut vllam capitalem pœnam in Catholicos constitutam. Quomodo enim nullum Catholicum Regina, religionis causa vocauit in iudiciū, nullumq; damnauit; si tot Episcopos, totque laicos illustres, ea solùm de causa carceribus inclusit, quòd ipsam caput Ecclesiæ agnoscere recusarent? Non est fortasse causa Religionis, vtrum regimen Ecclesiasticum, idque supremum, à summo Pōtifice ad Regem terrenum, imo etiam ad fœminam transferri possit? aut non est grauis mulcta iudicari & damnari exilio, aut carceri perpetuo mancipari? Quomodo etiam ante sententiam Pij V. nullam grauiorem mulctam Catholicis Regina imposuit, neque vllas seueriores leges tulit, neque vllam capitis pœnam constituit; si anno 1558. id est, annis nouem ante Pij V. Pontificatum, legem tulit de Iuramento Primatus sui in spiritualibus, ab Episcopis imprimis suscipiendo, & prima vice recusantibus amissionis bonorum, & carceris perpetui: secunda autem perduellium pænam constituit, & anno sequenti leges illas & mulctas instituit in Catholicos, Religionis Catholicæ exercitia vsurpantes, quas supra descripsimus? sed nimirum Auctor Apologiæ, vel nihil omnino legisse nos de rebus Anglicis, vel oblitos esse credit eorum, quæ de persequutione Anglicana multi illustres Scriptores literis mandauerunt ad memoriam posteritatis sempiternam. Omitto de industria plurima Edicta, quæ varijs temporibus Elizabetha aduersus Catholicos, solius Religionis causa, promulgauit. quæ omnia Iacobus Rex confirmauit: & quibus non pauca addidit, quæ typis mandata palàm cerni possunt.

Quid sub Elizabetha sunt passi Catholici, & quæ sub Iacobo.

Pergit deinde Auctor Apologiæ pag. 22. ac dicit: Pontificem iniustè in suo Breui prohibuisse subditis Regiæ Maiestatis, quò minus de obedientia sua erga ipsum profiteantur. sed vbi hæc prohibitio in Breui Pontificio habeatur, non dicit, neque dicere potest: cùm nulla talis prohibitio vsquam in ipso Breui legatur. proinde hoc inter falsa, quibus Apologia plenissima est, referatur. subijcit continuo, & ad verbum refert verba illa Breuis: Perspicuum esse debet omnibus Catholicis, quòd huiusmodi Iuramentum, salua fide Catholica,

& salute

& salute animarum suarum præstari non possit, cùm multa contineat, quæ saluti & fidei apertè aduersantur. His paucis recitatis, ait, *Huc vetus dictum quadrat, quod de Philosopho circumfertur. Multa dicit, sed pauca probat; imo verò nihil omnino probat.* At iam supra respondi, in Breui Pontificio, non theologicam disputationem, sed paternam ac breuem admonitionem contineri, vbi nihil necesse sit probationes adiungi. sed bene habet quod hæreticus de Vicario Christi dicit, quod de ipso Christo paganum dixisse constat. Certè Galenus in lib. 3. de differentijs pulsuum, cap. 4. scripsit, Christum multa dixisse, sed nihil demonstrasse. quod idem de eodem Domino & Saluatore nostro Auerroem dicere solitum ferunt. ac ne ipse eodem vitio laborare videatur, vt multa dicat, & nihil probet, supra scripta verba Breuis Apostolici, hac insolubili argumentatione confutat. *Nam, inquit, quomodo professio fidelitatis erga Principem in subditis, possit è regione religioni, & saluti animarum aduersari, tam longè excedit meam Theologiam, quantulacumque illa sit, vt prorsus nouam, & exoticam planè assertionem esse, non possim quin existimem: nec ex eius ore proferendam, qui se vniuersalem Episcopum, & Christianarum animarum œcumenicum Pastorem satis insulsè venditat.* hæc ille. Cuius conuicia, & sermonis barbariem sciens prætereo. Illud affirmo, Auctorem Apologiæ sibi fingere propositiones, quas oppugnet; & ex ijs, quasi in Ipso Breui apertè continerentur, argumenta conficere. proinde argumentationem eius, non Theologiæ, sed Dialecticæ terminos omnes ac leges excedere. Assumit enim Breui Pontificio prohiberi professionem fidelitatis erga Principes, quasi ea cum Religione & animarum salute pugnaret. at nihil eiusmodi habetur in Apostolico Breui. quid autem sit in Regio Iuramento, quod cum Religione, & salute animarum pugnet, & propter quod ab eiusmodi Iuramento abstinendum esse summus Pontifex censeat, & moneat; à nobis est paulo ante demonstratum. Ostendimus enim, eo Iuramento negari potestatem Apostolicam, tum alligandi, tum absoluendi; ac per hoc, negari fidem Catholicam, sine qua salus æterna obtineri non potest; & per huiusmodi Iuramentum, non tam iurari fidelitatem ad Regem, quàm abiurari fidelitatem ad Christi Vicarium.

Dictū impium Galeni, & Auerrois de Christo.

Apologiæ auctor loquitur de Pont. Max. sicut olim Ethnici de Christo.

Aduersarius fingit quod oppugnet.

Quocirca testimonia Scripturæ diuinæ, quæ Apologiæ Auctor statim adiungit, non probant falsum esse quod Pontifex scripsit, sed quod ipse sibi Apologiæ auctor finxit. Scriptum, inquit, est Iosuæ 1. quemadmodum Moysi obediuimus in omnibus, ita & tibi obediemus. Sic Propheta Hieremias, cap. 27. Hortatus est populum, vt auscultarent Regi Babel, dicens: Submittite colla vestra subter iugum Regis Babylonis, eique & populo eius seruite. Similiter Israelitæ se gesserunt apud Pharaonem, cui etiam supplicarunt Exod. 5. Vt veniam daret liberè discedendi. Similiter apud Cyrum Esdr. 1. à quo impetrarunt veniam reditus, ædificandi templi gratia. Deniq; Apostolus ad Rom. 13. Omnes mortales hortatus est, vt subiecti essent propter conscientiā.

A Ad hæc omnia testimonia breuissimè respondemus. His testimonijs probari obedientiam ad Principes etiam paganos, quando ea non est contraria obedientiæ ad Deum; quod nos libentissimè confitemur. sed non probari obediendum esse Regibus etiam Christianis, quando iubent fieri quod non licet Christianis. quam responsionem reijcere non potest Auctor Apologiæ, qui pag. 24. allegat sanctum Augustinum tractat. in Psalm. 125. ita dicentem: Milites Christiani seruierunt Imperatori infideli; vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cælis erat: quando volebat vt Idola colerent, vt thurificarent: præponebant illi Deum. Sic igitur & nos Catholicos Anglos admonemus, vt Regi terreno seruiant, atque obediant, dum
B non iubet quæ displiceant Regi cælesti. Displicet autem Regi cælesti, vt potestas Vicarij sui, quem reliquit in terris, & quem constituit super familiam suam, vel penitus abnegetur, vel in alium transferatur.

Scripturæ testimonia non spiritualem, sed ciuilē obedientiam erga Reges docent.

Pergit deinde pag. 24. & 25. & profert testimonium Augustini, Tertulliani, Iustini, Ambrosij, Optati, & Gregorij, quibus probatur, quod nos minimè negamus deberi Principibus etiam infidelibus obedientiam à subditis fidelibus. sed verba Sancti Gregorij ex libro Epistolarum, epistol. 61. præcipuè notanda & obseruanda, & cum Breui Pauli V. Pontificis comparanda censuit; quòd videlicet Gregorius Mauritio Imperatori subiectum se fatebatur, eique obediebat: Paulus autem subditos Regis, ne ciuilem quidem, & lici-
C tam obedientiam, Principi suo exhibere permittit. Sed quòd attinet ad sanctum Gregorium, ipse idem in Commentario Psalm. 101. testatur Mauritium Tyrannum potius, quàm Imperatorem fuisse, quales antea fuerant Diocletianus, & Nero, quibus vellent nollent, ipsi etiam summi Pontifices subiecti esse cogebantur. Quòd autem Paulus V. à ciuili obedientia subditos Regis auerterit, in Breui eius ad verbum, in hoc ipso libro exposito, nusquam legitur. summa enim totius Breuis est, vt Christiani Catholici potestatem Christi Vicarij, fidemque Catholicam non abiurent: quæ certè abiuratio, neque ciuilis, neque licita est.

Idem Sancti Patres affirmant.

Quomodo Pontifices paruerint quibusdā Tyrannis.

Transit Auctor Apologiæ pag. 26. & 27. à
D Patribus ad Concilia. neque contentus est demonstrare ciuilem obedientiam Regibus à subditis deberi: sed addit, tota etiam Episcoporum Concilia Regibus fuisse subiecta. Ac primo loco adducit Concilium Arelatense, Caroli Magni temporibus celebratum, cuius hæc sunt verba in vltimo canone: Hæc igitur Domino Imperatori præsentāda decreuimus, poscentes eius clementiam, vt si quid hic minus est, eius prudentia suppleatur, si quid secus quàm ratio habeat, eius iudicio emendetur, si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio, diuina opitulante clementia, perficiatur. Respondeo, Episcopos Concilij Arelatensis, Carolo ipso petente, non solùm de negotijs Ecclesiasticis, sed etiam de politicis in eo conuentu egisse. permulta in communi quoque de clericis, & laicis statuisse, quæ

An Concilia subsint Imperatoribus, & Regibus.

Qua in re Patres Cōcilij Arelat. Imperatoris auctoritate indiguerint.

sine Imperatoris prouidentia executioni mandari non poterant. Extant in eo Concilio Canones, quartus & quintus, quibus abusus laicorum reformantur; qui acceptis muneribus, Presbyteros in Parochijs constitutos amouere, & eorum loco alios introducere tentabant. Extant Canones, duodecimus, & decimustertius, de pace inter Episcopos, & Comites, & vt Comites & Iudices obedientes sint Episcopo, & inuicem consentiant ad iustitias faciendas, & munera pro iudicio non accipiant. Extat canon quintus decimus, vt pondera, & mensuræ vbique æqualia sint. Item Canon vicesimustertius, ne Comites, vel Vicarij, seu Iudices, vel Centenarij, sub mala occasione, vel ingenio, res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet argumento surripiant: sed si cui aliquid possesionum emendum, aut vendendum sit, id in publico coram Comite, & Iudicibus, & nobilibus ciuitates facere debebit. De his igitur & similibus Patres loquuntur, cùm Imperatorem rogant, vt si quid minus est in his Decretis, eius prudentia suppleatur; si quid secus quàm ratio habeat, eius iudicio emendetur; si quid rationabiliter taxatum est, eius adiutorio perficiatur.

Addit deinde Auctor Apologiæ, Concilia quoque Francofordiense, Arelatense, Turonense, Cabilonense, Moguntinum, ac Rhemense, penitus sese Carolo tradidisse: Generalia verò Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense Imperatoris pietati & prouidentiæ sese in omnibus submisisse. Piguit verò illum non solùm Conciliorum verba referre, sed etiam loca notare. Neque ex tot Concilijs aliud in specie allegauit, nisi ex Epistola Concilij Ephesini ad Augustos pauca quædam verba, quibus Episcopi se ab Imperatore conuocatos testantur, & ab eo petunt, vt quæ gesta sunt contra Nestorium, robur suum habeant.

Ad quæ nos breuissimè respondemus. Concilia Episcoporum, iussu quidem interdum Imperatorum congregata fuisse, sed in executionem mandati summi Pontificis, ad quem propriè generalium Conciliorum conuocatio pertinet, vt perspicuum est in epistola Concilij Constantinop. ad Pontificem Damasum, in qua dicunt se Constantinopoli conuenisse, ex mandato literarum ipsius, anno superiore ad Imperatorem Theodosium datarum. sed de hac re inferius dicemus. Illud etiam fatemur, Concilia sæpe ab Imperatoribus petijsse, vt Decreta sua protegerent, & executioni mandari auctoritate sua curarent. Falsum autem esse, quod Auctor Apologiæ hoc loco scribit, Concilia se penitus, & in omnibus submisisse Imperatorum pietati, atque prudentiæ; quasi præcipuæ partes & summa potestas in rebus Ecclesiasticis penes Principem terrenum esset: euidenter ostendemus ex apertissimis testimonijs Episcoporum sanctorum, & Regum, siue Principum sæculi.

Concilia generalia iussu Imp. aliquando coacta sūt: id mandāte summo Pontifice.

Concilia aliquando protectionem & executionem decretorū petierunt ab Impp.

Iudicium de rebus Religionis ad sæculares Principes nō pertinere ostēditur ex SS. Episcopis.

Sanctus Athanasius Patriarcha Alexandrinus, in Epistola ad solitariam vitam agentes: Quando, ait, à condito æuo auditum est, quòd iudicium Ecclesiæ suam auctoritatem ab Imperatore accepit? aut quando hoc pro iudicio agnitum est? Hosius Cordubæ Episcopus, referente Athanasio in eadem Epistola: Ne præcipe, inquit, nobis Imperator in hoc genere, sed ea potius à nobis disce. tibi enim Deus Imperium commisit, nobis autem ea, quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Sanctus Ambrosius Mediolan. Episcopus in epistol. 33. ad sororem, scribit se Valentiniano Imperatori dixisse: Noli te grauare Imperator, vt putes te in ijs quæ Domini sunt, aliquod Imperiale ius habere. publicorum tibi mœniorum ius commissum est, non sacrorum. Idem etiam in oratione de tradendis Basilicis, multis docet, Imperatorem in Ecclesia esse, & non super Ecclesiam: & iudicia Ecclesiastica non ad Imperatores, sed ad Episcopos pertinere. Sanctus Martinus Turonensis Episcopus Maximo Imperatori in faciem dixit: Nouum esse, & inauditum nefas, vt causam Ecclesiæ Iudex sæculi iudicaret, testis est Sulpitius libro 2. sacræ historiæ. Sanctus Augustinus Episcopus Hipponensis, in epistola 46. 50. & 165. docet quidem piorum Regum esse Ecclesiam defendere, seuerisque legibus, ac pœnis hæreticos ab Ecclesia damnatos coercere. Sed ibidem Donatistas grauiter reprehendit, quòd causam Ecclesiasticam ad Regem terrenum iudicandam, non ad Episcopos detulissent. Sanctus Gelasius Romanus Pontifex, in epistola ad Anastasium Imperatorem: Nosti, inquit, fili clementissime, quòd licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum; tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis. & paulò post: Nosti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. Sanctus Gregorius Papa lib. 5. epistol. 21. Scimus, inquit, pijssimos Dominos disciplinam diligere, ordinem seruare, Canones venerari, & se sacerdotalibus negotijs non miscere.

Idem ostēditur testimonio Principum sæculariū.

Venio nunc ad Principes sæculi. Constantinus Magnus, cùm Donatistæ non contenti Episcopali iudicio, ad ipsum causam Ecclesiæ detulissent, ita exclamasse fertur: O rabida furoris audacia. sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. Refert hæc verba Constantini Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum. De eodem ita scribit sanctus Augustinus in epist. 165. Constantinus non est ausus de causa Episcopi iudicare. Valentinianus senior Imperator, referente Sozomeno lib. 6. histor. cap. 7. Mihi, inquit, qui sum in sorte plebis, fas non est talia negotia (videlicet Ecclesiastica) perscrutari. Sacerdotes, quorum istæ curæ sunt, inter se ipsos, quocunque voluerint loco conueniant. Theodosius Iunior Imperator in epist. ad Synodum Ephesinam: Illicitum, inquit, est, illū, qui non sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus. Basilius Imperator oratione habita in octaua Synodo: Hæc, inquit, inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Episcoporum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui soluendi, qui ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claues; non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui

egemus

egemus. Carolus Magnus leges quidem aliquas iuri communi addidit; sed in eis reuerentiam, & subiectionem ad Sedem Apostolicam Romanam planè admirabilem, his verbis testatus est: Licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & piâ deuotione toleremus. Refert hanc sententiam, ex Concilio Caroli Magni, Gratianus distinct. 19. canon. 3. & eandem sententiam à Carolo acceptam, suam quoque fecerunt Episcopi Concilij Tiburiensis, cap. 30. Addimus vltimò testimonium Regis Theodorici, qui, quamuis hæreticus Arianus esset, non tamen sibi Primatum in Concilijs assumebat, sic enim legimus in Synodo quarta, sub Symmacho Pontifice Romano: Ad hæc serenissimus Rex taliter, Deo aspirante respondit, in Synodi esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere; neque aliquid ad se, præter reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere. Habemus igitur ex testimonio Principum, tum Ecclesiæ, tum sæculi, longissimè à vero aberrare, qui Regi terreno Primatum in rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis tribuunt.

Pergit deinde Auctor Apologiæ pag. 27. atque ait, *Quin etiam Christum dixisse lego, Regnum suum non esse de hoc mundo, iussisseq., vt quæ sunt Cæsaris Cæsari tribuamus, & quæ Dei, Deo.* Quæ verba vt vera, & diuina sunt, ita applicationem ineptam, & ad rem nihil facientem, quiuis facile iudicare poterit. Regnum quidem Christi non fuit ex hoc mundo; sed tamen in hoc mundo fuit, & est: ac per hoc Vicario Christi Regis in terris obedientia debetur ab omnibus, qui partem in Regno Christi habere volunt. & quemadmodum nos reddenda Cæsari, quæ Cæsaris sunt, non negamus, id est, tributa, honorem, & obedientiam in rebus, & negotijs sæculi: sic etiam optamus, vt quæ Dei sunt, DEO reddantur. inter quæ primo loco ponenda est fidei Catholicæ integra inuiolataque professio, & ad Christi Vicarium fidelis, & pura obedientia. Quòd autem Auctor Apologiæ subiungit, secundum Theologiam non repugnare fidei, & animarum saluti, si ciuilis obedientia, ciuili Magistratui deferatur; verum est: sed falsum omninò est quod sequitur, in Breui Apostolico contrarium contineri. Debuisset omnino iste Auctor, qui toties hoc repetit, vel vno in loco annotare verba illa Breuis, vbi dicatur, ciuilem obedientiam ciuili Magistratui exhibere, rem esse fidei Catholicæ, salutique contrariam. sed neque annotauit, neque annotare potuit, nisi verba Breuis corrumpere, & sua verba pro verbis Breuis substituere voluisset.

Regnum Christi nō fuit ex hoc mundo, tamen in hoc mūdo fuit; & est.

Denique pag. 28. post nugas, & conuicia, quæ libenter omittimus, vt quæ graui Theologo, qualem se Auctor Apologiæ iactat, indignissima sunt, concludit hoc dilemmate: *Aut licet Principi obtemperare in temporalibus, aut non. si licet, quod nemini dubium esse potest, cur tam iniquus est, & crudelis in Catholicos suos, vt imperet ijs, ne legitimo Regis sui mandato obtemperent? si non licet, cur rationem non reddit, causam non exprimit, vnde id prohibet?* sed facilis est responsio. Admitto enim licere subditis Principi suo obtemperare in temporalibus, modò quæ Princeps iubet, non sint contraria Deo, qui est Rex magnus super omnes Principes: sed nego Pontificem summum, tam fuisse iniquum, & crudelem in Catholicos, vt eis imperaret, ne legitimo Regis sui mandato obtemperarent. neque enim Iuramentum propositum suscipere, legitimum mandatum, dici vllo colore potest, cùm eo Iuramento cogantur Catholici fidem Catholicam abnegare, vt supra demonstratum est. Ex quo etiam manifestè refellitur, quod Auctor subiungit de exhortatione ad Martyrium subeundum. Contendit enim Auctor pag. 29. exhortationem illam solido fundamento carere, cùm possit Catholicus, & Religionem Romanam ardenter profiteri, quod Papa iubet, & simul ciuilem obedientiam Principi suo præstare, quod Rex iubet. Iam enim non semel demonstrauimus Regem ciuili obedientia non esse contentum; sed id præcipuè in votis habere, vt à Catholica fide Catholicos auertat, & ex Catholicis hæreticos faciat. nam Iuramentum, quod Fidelitatis appellat, præparatio & dispositio est ad Iuramentum de Primatu Regis in spiritualibus. Et ea fortè causa est, cur Archipresbyterum è carcere non dimittat, quamuis primum Iuramentum præstiterit. quia sperat eundem ad alterum Iuramentum tędio carceris, & ærumnarum, se posse perducere: quod Iuramentum non rectè & obscurè, sed apertè & manifestè nouam hæresim de Primatu Regio, in rebus etiam sacris, & spiritualibus continet.

Insulsum dilemma Apologiæ.

Iuram. Angliæ abnegationem continet fidei Catholicæ.

Postremò, Apologiæ Auctor pag. 30. & 31. fingit, Pontificem Maximum ex falsis rumoribus de nimia Regis seueritate in Catholicos, permotum fuisse ad hoc Breue tam temerè conscribendum. quod idem dicit accidisse Pio V. quando sententiam excommunicationis in Reginam Elizabetham tulit: & Clementi VIII. quando paulò ante obitum Elizabethæ duo Breuia in Angliam misit, quibus tum Regem præsentem, tum alium quemcumque à Regno exclusit, qui Religionem Catholicam non profiteretur. quæ duo Breuia contraria esse dicit fidei sæpius datæ, & varijs protestationibus, quibus operam suam obtulit, omniaque officia pollicitus est, quæ conducere possent ad hunc ipsum Regem in solio collocandum. Itaque Auctor huius Apologiæ paucis verbis tres summos Pontifices, Paulum V. & Pium V. leuitatis & temeritatis, Clementem VIII. non solùm temeritatis, sed etiam perfidiæ reprehendit. At ipsa rei veritas simpliciter exposita, nullo nostro labore addito, & sine vlla arte Rhetorica, Auctorem Apologiæ falsitatis, vanitatisque conuincet. Paulus enim V. non ex incertis rumoribus adductus est ad Breue scribendum, sed ex notissima & grauissima persequutione, quam Edicta publicata testantur, & ex ipsa Iuramenti formula ad nos transmissa. Itaque non erat opus, vt Auctor luderet in nomine Babylonis, & septicollis Vrbis, ad quam vndique rumores, & nuncij deferuntur; neque, vt probaret ex Patrum testimonijs, de Roma intelligi, quæ sanctus Petrus de Babylone scripsit

Refelluntur variæ calumniæ.

Roma Ethnica, non Christiana dicta est Babylon in sacris literis.

ii priore epistol. cap. 5. Fatemur enim Romam non solum in epistola sancti Petri, sed etiam in Apocalypsi sancti Ioannis per Babylonem significari; sed Romam Ethnicam, non Romam Christianam, & illam, quæ ebria erat de sanguine Martyrum Iesu: non illam, quæ Iesum Filium Dei, & Martyres eius honorat. denique illam, quæ habebat in fronte inscriptam blasphemiam; non illam, quæ, vt scribit sanctus Hieronymus lib. 2. in Iouinianum, scriptam in fronte blasphemiã, Christi confessione deleuit. Pius etiam V. non vanis quorundam delationibus temerè abreptus est ad excommunicandam Reginam, sed ex notis & publicis eius criminibus; ac præsertim quòd instar Apostatæ Iuliani, ex ficta Catholica, manifæste hæretica, & iurata Catholicorum hostis euaserit. Denique Clemens VIII. duo Breuia anno 1600. tribus annis ante obitum Reginæ ad Catholicos misit. vnum ad Clerum, alterum ad populum: quibus Breuibus non, vt iste mentitur, Iacobum tunc Scotiæ Regem à solio exclusit, sed consilium dedit quale dare decebat summum Pontificem; videlicet, vt Catholici operam darent, quantum in ipsis est, vt Rex ad Religionem Catholicam bene affectus eligeretur. Habemus enim exemplaria Breuium illorum in manibus, & ijs diligenter inspectis, nusquam inuenimus nomen Iacobi Regis, aut alterius particularis personæ; sed solùm generatim, vt diximus, cohortationem ad Regem orthodoxum, & pium constituendum. Quibus verbis non solùm Iacobus Scotiæ Rex non excludebatur, sed includebatur potiùs; quoniam Ministri eius maximam spem fecerant, eum non abhorrere à fide Catholica suscipienda; præsertim cùm Rex ipse ad Pontificem ipsum, nec non ad Cardinales Aldobrandinum, & Bellarminum literas scripsisset plenas humanitatis, quibus præter cætera petebat, vt aliquis è gente Scotorum Cardinalis S. R. E. crearetur, vt haberet Romæ, per quem facilius & tutius cum Pontifice negotia sua tractaret. Quare Pontifex non perfidiæ accusari, sed spe sua frustratus dici meritò potuit. Ad extremum addit auctor Apologiæ, non defuisse in Anglia, qui Breue hoc, fictitium & in odium Papæ compositum, & disseminatum fuisse suspicarentur; *Quòd viderent illud tam longè ab omni Theologia ratione, prudentia, politica, sensu denique communi abhorrere perspicerent. sed Pontificem maluisse altero Breui fidem prioris confirmare, vt culpam suam sciens, prudensque geminaret.* Nos verò non ignoramus fuisse in Anglia, qui primum illud Breue confictum existimauerint. Sed id non accidit ex eo, quòd à Theologia, vel prudentia abhorrere videretur; sed ex eo, quòd nonnulli cuperent hac fraude Catholicis imponere, atque efficere, vt Iuramentum propositum suscipere non dubitarent. Qua fraude comperta, Summus Pontifex alio Breui, fidem priori facere voluit, ne pharmacum spirituale per hanc Dæmonis artem, inutile redderetur. quo facto, non culpam geminauit, sed fraudem detexit, tenebras dissipauit, & veritati, ac sinceritati aditum patefecit.

Quorsum Clem. VIII duo Breuia miserit in Angliam.

Iacob. Rex significauit se non abhorrere à fide Catholica.

Cur Paul V. secundũ Breue ad Anglos scripserit.

A

B

C

D

SECVNDVM BREVE.

Dilecti filij Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Renuntiatum est nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui, cùm satis declarauerimus per literas nostras anno superiore X. Kalend. Octobr. in forma Breuis datas, vos tuta conscientia præstare non posse Iuramentum, quod à vobis tunc exigebatur; & præterea strictè præceperimus, ne vllo modo illud præstaretis: nunc dicere audent huiusmodi literas de prohibitione Iuramenti, non ex animi nostri sententia, nostraque propria voluntate scriptas fuisse, sed potius aliorum intuitu, atque industria. eaque de causa ijsdem persuadere nituntur, mandata nostra dictis literis non esse attendenda. Perturbauit sanè nos hic nuncius, eoque magis, quia experti obedientiam vestram (filij nostri vnicè dilecti) qui, vt huic sanctæ Sedi obedïretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipsam, piè ac generosè nihili fecistis; numquam suspicati essemus, potuisse vocari apud vos in dubium, fidem literarum nostrarum Apostolicarum, vt hoc prætextu vos ex mandatis nostris eximeretis. Verùm agnoscimus versutiem atque fraudem aduersarij humanæ salutis, eique potius, quàm vestræ voluntati tribuimus hanc renitentiam. Ea propter iterum ad vos scribere decreuimus, ac denuo vobis significare, literas nostras Apostolicas, anno præterito X. Kalend. Octob. datas de prohibitione Iuramenti, non solum motu proprio, & ex certa nostra scientia; verùm etiam post longam, & grauem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur adhibitam, fuisse scriptas, & ob id teneri vos, illas omnino obseruare, omni interpretatione secus suadente reiecta. Hæc autem est mera, pura, integraque voluntas nostra, qui de vestra salute solliciti, semper cogitamus ea, quæ magis vobis expediunt. & vt cogitationes & consilia nostra illuminet is, à quo Christiano gregi custodiendo nostra fuit præposita humilitas, indesinenter oramus. quem etiam iugiter precamur, vt in vobis filijs nostris summopere dilectis, fidem, constantiam, mutuamque inter vos charitatem, & pacem augeat. Quibus omnibus cum omni charitatis affectu, peramanter benedicimus. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo piscatoris decimo Kalend. Octob. M. DC. VII. Pontificatus nostri anno tertio.

HActenus respondimus ad ea, quæ aduersus primum Breue Auctor Apologiæ scribenda esse putauit. Nunc, vt ipse à secundo Breui vna ferè pagella se expediuit; sic & nos eius cauillationes pari breuitate reijciemus. Quoniam igitur Summus Pótifex versutiæ Diaboli tribuit falsos illos rumores de confìcto Breui: sic ipse Auctor Apologiæ versutiæ eiusdem Diaboli tribuit hoc secundum Breue. Scribit enim, Diabolum non potuisse tantùm nocere Catholicis, aliqua alia fraude, etiam si mille annos in hoc opus incubuisset; quàm fecit hoc vno Breui. & rationem reddit; quoniam oportebit eos qui Iuramen-

tum susceperunt, nunc illud abiurare; quod maius est malum, quàm si antea non iurassent. antea siquidem si iurare noluissent, excusari poterant ob scrupulos aliquos mentis, ex particulis Iuramenti obortos: at nunc nullam habent excusationem, si abiurent fidelitatem, quam Regi suo bis iurarunt: semel, cùm primùm nati sunt, tacito quodam, & congenito Iuramento; deindè cùm verbis conceptis primùm illud Iuramentum confirmarunt.

Ad hæc respondemus, non esse malum abiurare, quod malè iuratum est. Sic enim habet regula ab omnibus approbata: In malè promissis rescinde fidem. sed dicet Aduersarius, non potest esse malum Iuramentem, quod est naturale, & congenitum ab ipso ortu, vel huius naturalis, & congeniti confirmatio & expressio. Respondeo, Iuramentum quod dicitur congenitum, si quod est, non esse aliud, nisi simplicem obligationem ad obediendum superiori, sub quo quis nascitur, in rebus licitis atque honestis. Neque intelligi vel etiam fingi potest, quomodo in ipso ortu homò naturaliter obligetur ad negandam Summi Pontificis potestatem: proinde Iuramentum secundum, quod hanc abnegationem continet, non potest rectè dici confirmatio, vel expressio Iuramenti prioris. Præterea, quemadmodum in ortu naturali videtur posse intelligi Iuramentum tacitum, & congenitum ad obediendum Principi politico: sic etiam in ortu supernaturali, quem habemus ex baptismo, intelligi debet iuramentum tacitum, & congenitum ad obediendum Principi spirituali, qui est Christi Vicarius: ac per hoc non licet vllo modo postea Iuramentum suscipere, quo abiurari videatur Iuramentum præstitum in baptismo. Ac de his hactenus.

Iniqua Iuramenta non obligare.

EPISTOLA CARDINALIS BELlarmini ad Archipresbyterum Angliæ.

Continet exhortationem vt Archipresbyter, qui Iuramentum acceperat, resipiscat.

VENERABILIS in Christo Domine Frater. Anni sunt ferè quadraginta, quòd inuicem non viderimus. Sed ego tamen veteris nostræ consuetudinis nunquam oblitus sum; teque in vinea Domini strenuè laborantem, quando aliter non potui, orationibus Deo commendare non destiti. me quoque in tua memoria toto hoc tempore vixisse, & in tuis orationibus ad altare Domini locum aliquem habuisse non dubito. Ita igitur ad hoc vsque tempus, non verbis aut literis, sed opere & veritate, vt sanctus Ioannes loquitur, alter in alterius dilectione permansimus. sed hoc silentium rumpere coëgit nuncius, qui diebus istis de tuis vinculis & carcere ad nos venit. qui quidem nuncius, etsi tristis videri poterat, ob iacturam pastoralis tuæ sollicitudinis, quam Ecclesia ista fecit: tamen lætus quoque videbatur, quoniam ad Martyrij gloriam, quo dono Dei nullum est felicius, propinquabas. vt qui tot annis gregem tuum verbis & doctrina pauisses, nunc exemplo patientiæ gloriosius pasceres. Verum hanc lætitiam non mediocriter interturbauit, ac ferè corrupit tristis alius nuncius, qui de constantia tua in recu-

A sando illicito Iuramento, ab aduersarijs tentata, fortè etiam labefactata, & prostrata successit. Neque enim (frater charissime) Iuramentum illud ideò licitum esse potuit, quod aliquo modo temperatum, & modificatum offerebatur. Scis enim huiusmodi modificationes nihil esse aliud, quàm Satanæ dolos atque versutias, vt fides Catholica de Primatu Sedis Apostolicæ, vel apertè, vel obscurè petatur. pro qua fide tot inclyti Martyres, in ista ipsa Anglia ad sanguinem vsque pugnarunt. Certè enim quibuscunque verbis Iuramentum ab aduersarijs fidei concipiatur in Regno isto, eò tendit, vt auctoritas capitis Ecclesiæ à successore sancti Petri, ad successorem Henrici Octaui in Anglia transferatur. Quod enim obtenditur de periculo vitæ Regis, si Summus Pontifex eam in Anglia potestatem habeat, quam in omnibus alijs Christianis Regnis habet, inane prorsus esse, omnes, qui sunt aliqua prudentia præditi, facilè vident. Neque enim auditum est vnquam ab initio nascentis Ecclesiæ, vsque ad hæc nostra tempora, quod vllus Pontifex Maximus Principem vllum, quamuis hæreticum, quamuis Ethnicum, quamuis persequutorem, cædi mandauerit, aut cædem fortè ab aliquo patratam probauerit. Et cur quæso vnus Rex Angliæ timet, quod ex tot Christianis Principibus nullus timet, nullus timuit? sed vt dixi, vani isti prætextus decipulæ sunt, & stratagemata Satanæ, qualia non pauca in historijs veterum temporum inueniuntur; quæ facilè referre possem, si, non epistolam, sed librum integrum scribendum suscepissem. Vnum tantùm, exempli gratia, ad memoriam tibi reuocabo. Scribit sanctus Gregorius Nazianzenus in prima oratione in Iulianum Imperatorem, illum, vt simplicibus Christianis imponeret, in imaginibus Imperatorijs, quas Romani ciuili quodam genere honoris, pro more adorabant, imagines Deorum falsorum admiscuisse, vt nemo posset Imperatoris imaginem adorare, quin simul Deorum simulachris cultum adhiberet. hinc nimirum fiebat, vt plurimi deciperentur: & si qui fortè fraudem subodorati Imperatoris imaginem venerari recusarent, ij grauissimè punirentur, vt qui Cæsarem in sua imagine contempsissent. tale aliquid in Iuramento vobis oblato, mihi videre videor, quod ea fraude compositum est, vt nemo possit proditionem in Regem detestari, ciuilemque subiectionem profiteri, quin Primatum Sedis Apostolicæ perfidè abnegare cogatur. sed Christi serui, ac præsertim primarij Domini Sacerdotes, vbi periculum fidei subesse possit, tantùm abesse debent à susceptione illiciti Iuramenti, vt ab omni etiam suspicione simulationis præstiti Iuramenti cauere debeant, ne fidelibus populis vllum præuaricationis exemplum reliquisse videantur. Quod egregiè præstitit insignis ille Eleazarus, qui neque porcinas carnes comedere, neque simulare comedisse voluit; quamuis grauissima tormenta sibi cerneret imminere; ne, vt ipse ait, in secundo libro Machabæorum, multi iuuenum per eam simulationem, ad legis præuaricationem ani-

marentur. Neque minus fortiter Magnus Basilius, & exemplo ad res nostras magis accommodato, cum Valente Imperatore se gessit. nam vt in historia scribit Theodoretus; cùm Præfectus Imperatoris hæretici hortaretur sanctum Basilium, vt non vellet propter paruam dogmatum subtilitatem Imperatori resistere: respondit vir ille sanctissimus, & prudentissimus, Non esse ferendum, vt de diuinis dogmatibus, vel vna syllaba corrumpatur, sed potiùs pro eorum defensione, omne genus supplicij amplectendum. Equidem arbitror non deesse apud vos, qui dogmatum subtilitatem esse dicant, quæ in Iuramento Catholicis hominibus proposito continentur, & non esse propter rem tam paruam Regis Imperio reluctandum. Sed non deerunt etiam viri Sancti, ac Magno Basilio similes, qui palàm affirmabunt, non esse de diuinis dogmatibus vel minimam aliquam syllabam corrumpendam, etiam si tormenta, & mors ipsa toleranda proponantur. Inter hos vnum, vel potiùs horum Principem, atque antesignanum te esse, par est. Et quamuis, vel inopinata comprehensio, vel acerbitas persequutionis, vel senectutis imbecillitas, vel quid aliud in causa fuerit, vt constantia titubauerit; confidimus tamen de Domini pietate, & de diuturna tua virtute fore, vt qui sancti PETRI, & sancti Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris, eorundem fortitudinem in reparandis viribus, & veritate asserenda feliciter imiteris. Nam si rem totam diligenter apud te cogitare volueris, videbis profectò non esse rem paruam, quæ ob Iuramentum illud in discrimen adducitur, sed vnum ex præcipuis fidei nostræ capitibus, ac Religionis Catholicæ fundamentis. Audi enim quid Apostolus vester Magnus Gregorius in epistola secunda libri vndecimi scribat: Apostolicæ Sedis reuerentia nullius præsumptione turbetur. tunc enim status membrorum integer perseuerat, si caput fidei nulla pulsetur iniuria. Itaque sancto Gregorio teste, cùm de Primatu Sedis Apostolicæ vel turbando, vel minuendo, vel tollendo satagitur, de ipso capite fidei amputando, ac de totius corporis, omniumque membrorum statu dissipando satagitur. Quod idem sanctus Leo confirmat serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum, cùm ait: Specialis cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. Ex quo idem ipse in Epistola ad Episcopos Viennensis prouinciæ affirmare non dubitat; Necesse esse exortem illum mysterij esse diuini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere. qui rursus ait: Quisquis huic Sedi Principatum existimat esse denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit. Atque hæc quidem, & alia eiusdem generis multa tibi notissima esse certò scio, qui præter cæteros libros, visibilem Monarchiam Sanderi tui, scriptoris diligentissimi, & de Ecclesia Anglicana optimè meriti sæpè legisti: quique ignorare non potes sanctissimos Viros, eosdemque doctissimos Ioannem Roffensem, & Thomam Morum, pro hoc vno grauissimo dogmate duces ad Martyrium plurimis alijs, cum ingenti Anglicæ nationis gloria, nostra memoria fuisse. sed in memoriam tibi reuocare volui, vt colligas te, & magnitudinem rei considerans, non tuo iudicio nimiùm fidas, neque plus sapias, quàm oportet sapere. & si fortè lapsus tuus non ex inconsideratione, sed ex infirmitate humana, ex metu carceris, & suppliciorum profectus est; non anteponas libertatem temporalem libertati gloriæ filiorum DEI: neque ob momentaneam, & leuem tribulationem fugiendam, amittere velis æternum gloriæ pondus, quod ipsa tribulatio operatur in te. Bonum certamen diu certasti, cursum fermè consummasti, fidem tot annis seruasti. noli igitur tantorum laborum præmia tam facilè perdere. noli Corona iustitiæ, quæ tibi iamdudum paratur, te ipse priuare. noli tot fratrum & filiorum tuorum vultus confundere. In te sunt hoc tempore coniecti oculi totius Ecclesiæ, quin etiam spectaculum factus es mundo, angelis, & hominibus. noli in extremo actu ita te gerere, vt & tuis luctum, & gaudium hostibus relinquas. sed contra potius, quod omninò speramus, & pro quo ad Deum nostrũ assiduè preces fundimus, vexillum fidei gloriosè erigas, & quam contristaueras, lætam facias Ecclesiam: nec iam solùm veniam merearis à Domino, sed coronam. Vale, viriliter age, & confortetur cor tuum. Romæ die 28. Septembris, anno 1607.

RESPONSIO AD EA QVAE OBICIuntur contra Epistolam Cardinalis Bellarmini.

NVNC ad ea veniamus, quæ Auctori Apologiæ aduersus Cardinalem Bellarminum scribere placuit. & quamuis Auctor eundem Bellarminum magnis laudibus efferat, & magnis conuitijs oneret, vt impleat illud sancti Iacobi, Ex ipso ore benedictio, & maledictio procedit: ipse tamen, nec laudes in se agnoscit, neque conuicijs multum mouetur. Ideò ijs prætermissis, illa solùm persequemur, quæ veritati dogmatum Catholicorum, & sinceritati fidei præiudicare possunt. Igitur pag. 87. 48. & 49. scribit, Bellarminum aberrasse à statu causæ, & cùm formulam Iuramenti fidelitatis refutare vellet: tamen totum esse in refutando Iuramento de Primatu Regis in spiritualibus. Atque, vt sciamus quid intersit inter hæc duo Iuramenta, adscribit hoc loco formulam Iuramenti de Primatu. nam formula Iuramenti fidelitatis in ipso Breui Põtificis suprascripto continetur. Ad hoc respondemus, Bellarminum non aberrasse à statu causæ, sed hæreticorum fraudes detexisse. Vidit enim Iuramentũ secundum proponi, quasi simplicis fidelitatis, ciuilisque obedientiæ Iuramentum esset, quo nomine in hac ipsa Apologia frequentissimè appellatur. nam in hoc ipso loco, in quo nunc versamur, videlicet pag. 49. sic ait. *Nouissimum hoc iuramentum ciuilem*

tantummodo obedientiam attingit subditorum erga Principem, in causis merè temporalibus. At id falsum esse, solumque ad tegendas insidias dici, Iuramenti formula per se clamat. Coguntur. n. Catholici iurare, non solùm quid subditi debeant præstare erga Regem; sed etiã quid possit, vel non possit summus Ecclesiæ Pontifex. Hæc igitur causa est, cur Bellarminus in Epistola sua dixerit, hoc Iuramento, quantumuis temperato, & modificato, fidem Catholicam de Primatu Sedis Apostolicæ peti. sed de hac re initio responsionis satis multa dicta sunt.

Iuram. ab Apologiæ auctore in 14. propositiones malè diuisum.

Pergit deinde Auctor pag. 51. & 52. exponit quatuordecim propositiones, quas dicit necesse esse, vt illi concedant, qui Iuramentum propositum præstare recusant. Sed ex his ipsis propositionibus apertissimè demonstratur, eo Iuramento, non ciuilẽ tantùm obedientiam in rebus merè temporalibus attingi, vt paulò ante Auctor Apologiæ dixit: sed attingi potestatem, & auctoritatẽ sacrosanctam Vicarij Christi. Nã ex quatuordecim propositionibus plurimæ sunt de potestate Papę. Falsum autem est, eos, qui Iuramentum recusant, non posse non concedere has quatuordecim propositiones, quæ contrariæ sunt omnibus partibus Iuramẽti. Nam ex communi sententia, Bonum ex integra causa constituitur, malum autem ex singulis defectibus. Quare, vt Iuramentum prohibeatur, vel recusetur, nõ est necessarium, vt omnes & singulæ partes eius sint malæ: satis autem est si vel vna sit mala. Contra autem, vt Iuramentum suscipiatur, oportet, vt nullo vitio maculetur, & in omnibus & singulis partibus iustum & licitum reperiatur. Potuit igitur summus Pontifex Iuramentum hoc damnare, & possunt, ac debent Catholici hoc idem Iuram. meritò recusare; etiamsi aliqua eius sententia vera sit aut iusta. neque tenentur omnes quatuordecim propositiones, vt veras, aut iustas admittere.

Sed mirum est, qua fronte Auctor Apologiæ subiungat. *Hæ veræ sunt partes, hæc naturalia membra huius Iuramenti corporis, quibus omnibus negatiuis affirmatiuæ partes opposita, neq; Pontificis Primatum in causis spiritualibus vllatenus attingũt, neq; vnquam conclusa, aut definita sunt in vllo Concilio generali penitus exacto, ad Pontificis auctoritatẽ pertinere; & ipsi deniq; eorum Doctores Scholastici, inexplicabili quodam litigio, de ijs inuicem dissidẽt in hũc diem.* Nam, vt paulò ante monui, & ipsæ propositiones clamant; ex quatuordecim, vndecim sunt, quæ Primatum Pontificis in causis spiritualibus attingunt. causa enim vtique spiritualis est, An Princeps hæreticus à Pontifice excõmunicari, &, An populi Catholici propter periculum hæresis ab obedientia Principis hæretici absolui possint. Neq; de hac re vllæ sunt inter Doctores Scholasticos controuersiæ: alioqui proferat aduersarius vel vnũ Catholicum Auctorem, qui scribat, non licere summo Pontifici Regem vel Principem hæreticum excommunicare, & populum Catholicum ab eius obedientia liberare. Porrò in Cõcilijs generalibus, non vno, sed multis conclusum, ac definitum est, summum Pontificem esse Vicarium Christi, caput Ecclesiæ, Rectorem & Pastorem omnium Christianorum. ex quibus

Papa Reges hæreticos excommunicare potest, & eximere populos ab eorum obedientia.

A manifestè sequitur, vt oẽs Christianos, etiam si Reges, vel Principes sint, errantes dirigere & corrigere possit. Vide Concilium Lateranense sub Innocentio III. ca. 5. Lugdunense sub Gregorio X. vnde extat caput, Vnde periculum. de elect. in 6. Lugdunense sub Innocentio IV. vnde extat cap. 1. De homicidio in 6. Viennense sub Clemente V. vnde extat Clementina prima de summa Trinit. & fid. Cathol. Constantiense sess. 8. & 15. & Lateranẽse sub Leone X. sess. 11. In Concilio autẽ Lateranensi sub Innocentio III. quod fuit omnium maximum, & celeberrimũ, pręter locum citatum, habetur cap. 3. Dominos temporales monẽdos esse, vt ditiones suas purgent, puniendo hæreticos ab Ecclesia damnatos. quod si facere neglexerint, excommunicẽtur: & si excõmunicati adhuc parere recusent, B significetur id summo Pontifici, qui subditos eorum ab obedientia liberabit, & terras eorum alijs inuadendas concedet. Sed aduersarius notat ad marginem, Videndum esse Platinam in vita Innocentij III. quod attinet ad hoc Lateranense Concilium. Siquidem Platina indicare videtur, nihil certi in hoc Concilio post longas disputationes concludi potuisse. Cæterum Platina loquitur solùm de recuperanda Terra promissionis, quam Saraceni occupauerant. De hoc enim articulo, cùm multa inter Patres, & Oratores Regum disputata fuissent, nihil certi definiri potuit. Sed quoniã aduersarius ad Platinam nos remisit, non erit ab re annotare, Platinam esse, qui loco ab aduersario allegato refert Ioannem Regem Anglorũ ipsam Angliã, & Hyberniam summo Pontifice subiecisse, ac C tributariam esse voluisse. Et à Pontifice Innocentio viro sancto, Othonem Imperatorem excommunicatum, atque Imperio iustissimè priuatum fuisse. Pergat igitur aduersarius, & similes Auctores ad nos cõuincendos frequenter adducat.

Obiectio ex Concilijs pro Iuramento Regis Angliæ.

Pergit Auctor pag. 54. 55. 56. & 57. ac docet, Iuramentum à Rege Iacobo propositum, nihil noui continere, sed ante mille annos fuisse in Concilijs vsu receptum, & approbatum. Recitat enim hæc verba Concilij Toletani quarti, can. 74. Audi sententiam nostram. Quicunque ex vobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione, vel studio, Sacramentum fidei suæ, quod pro conseruatione Patriæ, vel Regiæ salutis pollicitus est, temerauerit, aut nec Regẽ attrectauerit, aut potestate Regni exuerit, aut D præsumptione Tyrannica Regni fastigium vsurpauerit, anathema sit in cõspectu Dei Patris, & Sanctorum Angelorum, atq; ab Ecclesia Catholica, quam periurio prophanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ socijs. quia oportet, vt vna pœna teneat obnoxios, quos similis error inuenerit implicatos. In eandem sententiam allegat Concilium Toletanum, quintum, sextum, & decimum; ac denique addit Concilium Aquisgranense can. 12. cuius hæc sunt verba: Si quisquam Episcoporum, aut quemlibet sequentis ordinis Ecclesiastici, qualibet suasione, à Domino, & Orthodoxo Ludouico Imperatore defecerit, aut etiã Sacramentum fidelitatis illi promissum violauerit, vt eis contrarijs maleuola intentione

se copulauerit; gradum proprium Canonica atque Synodali sententia amittat.

Ad hæc loca nos respondemus, in his Cõcilijs approbari Iuramentum fidelitatis erga Principes Catholicos & Orthodoxos, quod iustissimum esse nemo negare potest. Nos autẽ reprehendimus Iuramentum, quod à Catholicis, & orthodoxis extorquere conatur Rex ab Ecclesia alienus, & qui à vera, & antiqua Religione, ad nouas hæreses subditos pertrahere satagit. Deinde, in duobus Concilijs allegatis, non agitur de nouo, & illicito Iuramento suscipiendo, sed de Iuramento iusto & legitimo non violando: nos autem iuramentum nouum & illicitum detestamur. Præterea in Iuramentis, quæ in Concilijs veteribus approbantur, non præscribitur, vt summo Pontifici Regem propter hæresim excommunicanti, non obediatur: neque aliquid aliud additur, quod potestatem Christi Vicarij vllo modo attingat. Proinde nulla caussa est, cur Iuramenta illa cum sanctis illis Patribus non veneremur. at iuramentum de quo agimus maxima ex parte consumitur in abneganda Pontificia potestate, eaque de causa illicitum & iniustum, & nullo modo à Catholicis viris suscipi posse decernimus. Denique, si Princeps aliquis Catholicus proditionem, aut rebellionem fortè timeat, & ab Episcoporum Concilio, vel ab ipso summo Pontifice petat, vt sub excommunicationis pœna, ipso facto, incurrenda, præcipiat, vt nemo Iuramentum Principi præstitum violare, aut aduersus eundem Principem coniurare, aut hostes vel rebelles ipsius iuuare præsumat; petitionem iustissimã, & omnino admittendam esse dicemus. Addo etiam, si Rex ipse Iacobus intra hos limites Iuramentum à se propositum conclusisset, vt nullam excommunicationis Pontificiæ mentionem faceret, neque potestatem eiusdem Pontificis vllo modo attingeret; sed solùm contra proditores & sicarios, aut Regni sui inuasores Iuramenti verba dirigeret: eiusmodi Iuramentum Sedes Apostolica non improbasset, neque prohibuisset. Quare perspicuum est, à summo Pontifice non interdici, aut reprehendi Iuramenta fidelitatis, qualia in veteribus Concilijs laudata cognoscimus; sed nouas Iuramenti formulas, quæ sic fidelitatem requirant, vt perfidiæ notam adiunctam habeant.

Cõcilia nõ loquuntur de Iuramẽto, quale est Anglicanum.

Pag. 58. occasione accepta ex necessitudine, quam cum Archipresbytero sibi intercessisse initio Epistolæ Bellarminus narrat; digreditur Auctor Apologiæ ad calumnias, atque inter alias, illam profert in medium, quòd Bellarminus conscius vel auctor fuit proditionum aduersus Reginam Elizabetham. id autem probat, quia Campianus, & Hartus in colloquio in Turri Londinensi habito, Robertum Bellarminum pro vno ex præcipuis suis vel Auctoribus, vel oraculis celebrare non dubitauerint. Responsio, quod res est. si Campianus & Hartus, Bellarminum pro vno ex suis vel auctoribus, vel oraculis præcipuis celebrare non dubitabant, id accipiendum esse de lectionibus eius Theologicis, & ijs præsertim quæ ad cõtrouersias hęreticorũ pertinent, in quas fortè duo illi boni viri inciderant. nam, quo tem-

Calumniæ in Cardin. Bellarm. de proditionis participatione.

A pore Campianus, & Hartus in carcerem coniecti fuerunt, Bellarminus annos sex Louanij, & alios item sex Romæ publicè docuerat, eiusq; lectiones à scholasticis descriptæ circumferebantur. Neque verò Bellarminum puderet, aut pœniteret, si Campiani illi familiaritas contigisset. Scit enim Campianum contra hęreticam impietatem solùm conspirasse, diuinæ gloriæ amplificandę, & ciuium suorum salutis procurandæ causa in Angliam esse profectũ; & mortem eius pro Religione piè susceptã, pretiosam in conspectu Domini esse non dubitat. Sed bene habet, quòd collatio inter Hartum, & Ioannem Reginaldum habita typis postea excusa fuit, & in ea nihil habetur, nisi quòd Hartus inter disputandũ de cõtrouersijs fidei, Bellarmini lectiones Louanij, Romæq; habitas allegabat.

B Pagin. 61. post varias nugas atque calumnias, quas Auctori Apologiæ effutire placuit, splendidum mendacium adiungit, dicens: *Regi nostro nunquam in mentẽ venit, aliquid in Blakuellum statuere, vt nec in alium quemquam conscientiæ causa hactenus fecit.* hæc ille. Quorsum igitur tot mulctæ pecuniariæ in recusantes adire templa hæreticorum? quorsum tot carceres recusantium pleni? quorsum tot Sacerdotes in exilium acti? quorsum ipse Blakuellus tã longo carcere maceratur, cùm & Iuramentum susceperit, & cõiurationis reus nunquam sit habitus; neq; aliud ei obijci possit, nisi quòd Sacerdotis Catholici functiones in Anglia exercuerit? cur iam non pauci suspendio suffocati, & in partes dissecti sunt, nisi quia conscientiæ causa Iuramentum suscipere noluerũt? cur denique, vt multa prætere- C am, Henricus Garnettus, vir doctrina omnis generis, & vitæ sanctitate incomparabilis, vltimo supplicio affectus est, nisi quia reuelare noluit, quod salua conscientia reuelare non poterat? sed plura de hoc sanctissimo Viro paulò infra dicemus. Admirabilis profectò impudẽtia est, ea mendacia literis mandare, quæ ab ipso vulgo palam cum irrisione refutantur.

Catholici conscientiæ causa in Anglia plectuntur.

Pag. 62. carpit Auctor Apologiæ quòd in Epistola Bellarmini dicitur, Neque Iuramentum illud ideò licitum esse potuit, quòd aliquo modo temperatum, & modificatum offerebatur: & fingit temperationẽ, & modificationem in eo positam esse, quòd Iuramentum æquis, & moderatis verbis optimè rei consentientibus, descriptũ sit: atq; ex hac expositione digreditur ad calumnias; sed Bellarminus Iuramentũ D hoc secundum, temperatum, & moderatum esse dixit, facta comparatione ad primum. Siquidem Iuramentum primum, quod in hac Apologia refertur pag. 49. satis rigidè Primatum Regium in spiritualibus asserit, & non minus rigidè Primatum Apostolicum abnegat; sed hoc secundum, temperatum & modificatum aptissimè ad decipiendum dici potest, quia non apertè Primatum Regium in spiritualibus introducit, aut Primatum Apostolicum reijcit; sed sub prætextu & colore fidelitatis, ad finem eundem tendit, vt Primatus Apostolicus negetur, & Primatus Regius in spiritualibus constituatur. Atque hoc est, quod Satanæ fraudibus & stratagemati Bellarminus attribuit: quòd ideò apertissimè explicare volui, quia Auctor Apologiæ pagina 63. se diuinare

non posse dicit, cur Satanæ versutias in eo Iuramento esse censuerit Bellarminus. Quod autem addit pagina 64. Non cœlum à terra longius distare, quàm professio obedientiæ ciuilis erga ciuilem Regem distat ab ijs omnibus, quę fidei Catholicæ, aut Primatui sancti Petri, quoquo modo sunt finitima; iam supra sæpius refutatum est, neque libet eadem tam sæpe repetere.

Iam verò pagina 65. valdè molestè tulit Apologiæ Auctor verba illa Bellarmini: Certè enim quibuscumque verbis, Iuramentum ab aduersarijs fidei concipiatur in Regno isto, eò tendit, vt auctoritas capitis Ecclesiæ, à successore sancti Petri ad successorem Henrici octaui in Anglia transferatur.] ac primò ad inuidiam Pontifici Romano conflandam, dicit Regem suum non præsumpsisse vnquam nouum articulum fidei condere, aut de aliquo articulo fidei se iudicem constituere; sed omnibus articulis fidei se submisisse, non minori humilitate, & modestia, quàm quemuis ex plebe totius Regni. deinde addit, multò faciliùs posse Regem suum probare, se maioribus suis, tam quoad personam, quàm quoad virtutes successisse; quàm probare possit Papa se sancto Petro succedere, siue quoad personam, siue quoad doctrinam. Quod ad primum attinet, nos quoque negamus à summis Pontificibus nouos articulos fidei condi posse, si per articulos fidei intelligantur immediatæ reuelationes Dei. Sic enim Ecclesia fundata dicitur supra fundamēta Apostolorū, & Prophetarum, Ephes. 2. quoniam illis immediatè reuelata sunt mysteria nostræ fidei, illi verbum Dei literis mandauerunt, & voce etiam viua prædicauerunt, vt ab ipso Domino immediatè acceperunt. Si tamen per articulos fidei significentur quæcumque dogmata, quæ fide Catholica credi debent, siue sint conclusiones ex verbo Dei, atque ex primis articulis fidei deductæ, siue explicationes primariorum articulorum: tum verò non dubitamus à summis Pontificibus, coadiuuantibus Concilijs Episcoporum, multos articulos fidei cōditos fuisse, quales articuli sunt definitiones generalium Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, & aliorum. Sic etiam nos quoque negamus Pontificem Romanum, iudicem se articulorum fidei vnquam constituisse, in eum sensum, quem hæretici nobis obijciunt, quasi Pontifex Romanus iudicare præsumat, an articulus fidei accipiendus sit, an non. Et scimus omnes Romanos Pontifices non minori humilitate, & modestia, iudicium suum subijcere solitos omnibus articulis fidei, atque vnumquemque ex plebe. Sed si iudicare de articulis fidei, sit, quando dubium est, an aliqua sententia ad fidem pertineat, vel non pertineat, discernere à qua parte sit veritas; tum omnino credimus summum Pontificem de articulis fidei iudicare. tollatur æquiuocatio, & omnis calumnia, inuidiaque cessabit. Quod autem attinet ad successionem, Romanum Pontificem sancto Petro in Apostolica dignitate, & potestate succedere, fide Catholica credimus, vbi nullus omnino hæsitandi relinquitur locus: Iacobum autem primum Henrico octauo succedere in Anglicani

An Papa nouos fidei articulos condat, & quos.

A Regni possessione, non arbitror vllum esse tam impudentem, qui dicat fide Catholica esse tenendum, vt qui id negauerit, hæreticus haberi debeat. Quod si ita est, multò certiùs probatur S. Petro Papam Romanum succedere, quā Henrico octauo Iacobum primum. *At, inquit* aduersarius, *si de successione Romani Pontificis in Cathedra B. Petri nullus hæsitare potest; cur Bellarminus ipse lib. 2. de Rom. Pontifice, cap. 12. & lib. 4. c. 6. dicit id piè credi, & certitudine morali tantùm concludi?* Respondeo, hanc meram esse calumniam, & falsitatem. nam lib. 2. cap. 12. probat Bellarminus, fide Catholica esse tenendum, Romanum Pontificem S. Petro in supremo totius Ecclesiæ primatu succedere; neque in toto illo cap. legitur illud piè credi, vel morali certitudine concludi. in lib. autem quarto cap. 6.

Successio Pontificum in sede S. Petri certior successione Principum.

B non agitur de successione, sed de firmitate in fide; & asseritur piè credi, Pontificem etiam, vt personam particularem, hæreticum esse non posse, cùm in superioribus eius libri capitibus demonstratum esset, iudicium summi Pontificis ex Cathedra docentis Ecclesiam, nullo modo falsitati aut errori obnoxium esse posse. itaque Auctor Apologiæ mala fide nobiscū agit, vt lectoribus per fas, & nefas imponat.

Transit Auctor Apologiæ pag. 66. ad eam partem Epistolæ refellendam, in qua Bellarminus scripsit, Non esse auditum ab initio nascentis Ecclesiæ, vsque ad hæc nostra tempora, quòd vllus Pontifex Principem vllum, quamuis hæreticum, quamuis Ethnicum, quamuis persequutorem cędi mandauerit, aut cędem ab

C aliquo fortè patratam approbauerit. Id verò falsum esse demonstrare contendit, ex eo, quòd satis cōstat à summo Pontifice multa bella Imperatoribus mota fuisse, in quibus si Imperatores victi fuissent, occidi etiam potuissent. Respondeo, Bellarminum non esse loquutum de cæde, quæ in prælio accidere potuisset, sed de parricidio, quod per proditores, & sicarios patraretur. Quamquam bella Imperatorum aduersus Pontifices multa legantur; Pontificū aduersus Imperatores, nisi defensionis causa vix in historijs vlla reperientur.

An summi Pontifices cædes Principum mādauerint.

Addit Aduersarius, Henricum quintum Imperatorem à Pontifice reprehensum fuisse, quòd Henricum quartum Patrem sepeliuisset. Respondeo, nihil hoc ad rem facere. reprehendit enim Pontifex honorificam sepulturam Imperatoris in hæresi, & schismate, & excom-

D municatione defuncti, quem non gladio aut veneno, sed naturali morbo extinctum esse cōstabat. Addit secundo, extare orationem in Consistorio à Sixto V. Pontifice Maximo habitā, in qua laudatur cædes Henrici tertij Francorum Regis, & ipse monachus cædis patrator. Respondeo, Sixti V. orationem nullam extare, nisi apud hostes Ecclesiæ, qui Antisixtum ediderunt. quamuis autem hosti fides haberi non debeat; neque etiam si hostis non esset, fides ei haberi posset, cùm Sixtus orationem illam in Consistorio secreto, nullo excipiente, habuerit: neque eam orationem vel ipse ediderit, vel ab aliquo alio edi iusserit: esto tamen, vt vis, sit oratio Sixti V. Pontificis ea, quæ in Antisixto legitur; quid in ea reperies, nisi laudes, & admirationem sapientiæ, & prouidentiæ Dei?

Hoc vnum admiratur, & laudibus in cœlum Sixtus extollit, quòd ad Regem Maximum in medio exercitus sui sedentem, multisque custodijs circumuallatum, simplex monachus, non mutato habitu, neque gladio clypeove armatus, liberè penetrauerit, eumque vnico cultelli ictu necauerit. Qua oratione admonitos voluit Reges Sixtus Pontifex, eum qui dixit, Nolite tangere Christos meos, sæpe per inopinatos euentus pœnas de illis sumere, qui inaccessibiles, & inuiolabiles videntur. Imperauerat Rex ille, Virum sacratū Episcopali, & Cardinalitia dignitate fulgentē, & Iacobo Regi Anglorū arctissimo sanguinis vinculo coniunctū mactari. vltus est Deus Christum suum, dum per alium sacratum virum, alioqui militię imperitum, & inermem, Regem eundem nō sine manifesto diuinæ prouidentię miraculo interfecit. Ergo Sixtus Pontifex, neq; Regem cædi imperauit, neque cædem, vt à priuato illo homine factam approbauit; sed iudiciū Dei, prouidentiamque laudibus celebrauit. Vtrum enim monachus ille rectè, an secus egerit, & pœnam, an præmium apud Deum meruerit: Pontifex in oratione sua non definiuit: quia opus Dei, non opus hominis prædicandum susceperat. Deus autem, & bonis & malis hominum voluntatibus, & operibus, iustissimè & sapientissimè ad opera sua perficienda vti potest, & solet. certè in Actis Apostolorū cap. 4. scriptum est: Conuenerunt verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quē vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus, cum gentibus, & populis Israel, facere quæ manus tua, & concilium tuum decreuerunt fieri. Fuit igitur Christi passio opus diuinæ manus, diuinique consilij: & tamen per manus, & voluntates impias scelestorum hominum perpetratum. Cōtra autem per manum Iudithæ, sanctæ videlicet & religiosissimæ fœminæ, idem Deus Holofernis Principis caput amputauit; & per manus Phinees, magna cum ipsius laude, nec sine ingenti præmio, Deus idem filiam Principis Madian, vnà cum fornicante Iudæo, de medio sustulit. Atque hæc, quæ dicta sunt de sola Dei iustitia, prouidentiaque à Sixto Pontifice commendata, testimonium habent ab ijs, qui Sixtū concionantem audierunt, & qui acta Consistorij breuiter annotarunt. Quod autem Auctor Apologiæ subiungit, Sixtum Pontificem facilè fuisse monachum illum in album Sanctorum relaturum, nisi Cardinales quidam prudentiores impediuissent; quia sine Auctore dicitur, & omni verisimilitudine caret, in album mendaciorum referendum erit.

Respondetur ad contradictiones Card. Bell. falsò obiectas.

Pag. 71. & duabus sequentibus, describit Auctor Apologiæ contradictiones, quas in libris Cardinalis Bellarmini, de Controuersijs fidei se reperijsse gloriatur. atque ad eum finem se facere dicit, vt nemo miretur, si in hac causa de Pontificibus, cædes Principum non iubentibus neque approbantibus, secum ipse pugnat. Referam igitur bona fide omnia verba Aduersarij, ac deinde responsionem subijciam, & lectori liberum relinquam, vt iudicet, an Bellarminus sibi contradicat, an Auctor Apologiæ impudens calumniator dici mereatur.

Prima contradictio. Bellarminus lib. 5. de

A Iustificatione cap. 7. affirmat. Quod propter incertitudinem propriæ iustitiæ, & periculum inanis gloriæ, tutissimum est, fiduciam totam in sola Dei misericordia & benignitate reponere. Quæ eius assertio è regione contraria est toti tractationi, & vt sic dicam torrenti illorum quinque de Iustificatione librorum, in quibus tamen libris ea, quæ iam citaui, verba continentur.

Responsio. Hæc prima contradictio meritò contemni potuisset, cùm Auctor non indicet cui sententiæ cōtraria sit ea sententia, quæ paulò ante recitata est. Sed placet breuiter admonere in illo ipso cap. 7. haberi conciliationem contradictionis, quam ipse Bellarminus præuidit occurrere potuisse Lectori parum attento. Ibi enim docuit, non sic esse fiduciam in sola misericordia Dei constituendam, quasi nulla

Qualiter fiduciam cōstituamus in Dei misericordia, & in bonis operibus.

B sint vera merita hominis iustificati, vel quasi iustificatio sit imputatitia, non vera; vel quasi nulla possit fiducia in bonis operibus collocari: sed solùm quia ad superbiam euitandam vtile sit, non respicere propria merita, sed Dei misericordiam. quoniam de proprijs meritis, an illa habeamus, incerti sumus, de misericordia verò Dei, quòd infinita sit, dubitare non possumus. Videat lector totum illud caput, & sententias Patrum, quæ in eo citantur, ac præsertim illam sancti Bernardi serm. 68. in Cantica: Perniciosa paupertas, inopia meritorum: præsumptio autem Spiritus, fallaces diuitiæ, & ideo diuitias, & paupertatem ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Felix Ecclesia cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absq;

C meritis deest. habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum.

Secunda. Deus non inclinat hominem ad malum, neque Physicè, neque moraliter, lib. 2. de statu peccati, & amissione gratię, cap. 13. mox contrarium affirmat ibidem paulò post, quod Deus inclinat quidem ad malum, non physicè, sed tamen moraliter.

Responsio. Bellarminus declarat in illo ipso capite, quid intelligat per inclinationē ad malum Physicam, vel moralem, dicens: physicè inclinare, esse immediatè mouere voluntatem ad actum; moraliter inclinare, esse imperare vel consulere vt actus fiat, ex qua declaratione tollitur omnis contradictio. nam cùm dicit, Deum non inclinare physicè, mouendo voluntatem, sed occasionaliter, & moraliter im-

Quomodo Deus inclinet ad malum moraliter.

D mittendo cogitationem aliquam bonam, ex qua malus ob suum vitium occasionem sumat iudicandi melius esse huic nocere, quàm illi, siue huic potius iniquitati seruire, quàm illi, non significat, Deum inclinare voluntatem moraliter, imperando vel consulendo malum, quod esset cōtrarium superiori sententiæ; sed Deum inclinare per se ad bonum, immittendo bonam cogitationem, ex qua sequatur occasionaliter inclinatio moralis ad malum, quatenus ille vitio suo malus, ex illa cogitatione mouetur ad malum. Exemplum ponitur ibidem ex verbis illis Psal. 104. Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius. quæ verba sic exponunt sanctus Augustinus, & Theodoretus, vt dicant, Deum id fecisse, non peruertendo corda AEgyptiorum, sed benefaciendo populo suo; quod vi-

dentes,

dentes, & cogitantes AEgyptij, maioris odij occasionem acceperunt.

Tertia. Episcopos Apostolis succedere, Presbyteros septuaginta discipulis, docent cōstanter omnes Patres, ait Bellarminus lib. 1. de Clericis c. 14. Sed contrarium affirmat; quod Episcopi non propriè succedunt Apostolis, lib. 4. de Pontifice, cap. 25.

Modus quo Episcopi succedunt Apostolis. & Presbyteri cæteris discipulis.

Responsio. Episcopos succedere Apostolis, quatenus illi fuerunt primi Episcopi particularium Ecclesiarum, vt Iacobus Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Ioannes Ephesinæ, affirmat Bellarminus in lib. de Clericis. Episcopos autem non propriè succedere Apostolis, quatenus Apostoli erant, id est, missi in omnem terram cum plenissima potestate, docet idem Bellarminus in lib. 4. de Pontifice. Præterea in priore loco dicitur Episcopos Apostolis, & Presbyteros septuaginta discipulis succedere: in posteriore loco id explicatur, & ostenditur, quomodo succedant, & quomodo propriè nō succedant. quæ duo non sunt contraria, vel contradictoria, nisi apud eos, qui Logicam ignorant, vel sensu communi carent.

Quarta. Iudas non credidit, inquit Bellarminus lib. 1. de Pontifice, cap. 12. At contra dicit lib. 3. de Iustificat. cap. 14. vbi ait, Iudas iustus fuit, & certè bonus.

Iudas aliquando bonus.

Responsio. Distingue tempora, & concordabis Scripturas. Iudas credidit, & iustus ac bonus fuit initio electionis suæ; sed postea tentatori succubuit, & non solùm non credidit, sed etiam fur esse cœpit, & Dominum prodidit, & tandem laqueo se suspendit.

Quinta. Obseruatio legis secundum substātiam operis requirit, vt sic præceptum obseruetur, vt peccatum non committatur, & non fiat homo reus ob Præceptum non impletum, lib. 5. de gratia, & libero arbitrio, cap. 5. Contra, sciendum est, non esse omnino idem, facere bonum morale, & obseruare præceptum secundum substantiam operis: potest enim seruari Præceptum secundum substantiam operis, etiam cum peccato. Ibid. cap. 9.

Quo sensu potest seruari substātia Præcepti cum peccato.

Responsio. Qui seruat præceptum secundum substantiam operis, non committit peccatum præuaricationis illius præcepti, neque reus est ob illud pręceptum non impletum; sed tamen potest, simul peccare contra aliud præceptum, & esse reus alterius præcepti non obseruati. qui autem facit opus bonum morale, nullum peccatum illa actione committit. exempli gratia: Qui facit eleemosynam, quando tenetur ex pręcepto, sed facit eam, vt videatur, & laudetur ab hominibus, is implet præceptū secundum substantiam operis; tamen non facit opus bonum morale. quia quamuis non sit reus præcepti de eleemosyna facienda, vt Bellarminus docet in priori sententia: tamen peccatum inanis gloriæ committit, & ideo non facit opus bonum morale, sed malum, vt docet in posteriore sententia. Sed Auctor Apologiæ non multum curat de sensu, dummodo verba contrarium sonare videantur, quomodo in omnibus libris, & in ipsis etiam Scripturis diuinis multas contradictiones inueniet. In Euangelio legimus, Nemo bonus, nisi solus Deus, Lucæ 18. & rursum legimus: Euge serue bone, &c. Lucæ 19. &, Decurio vir bonus & iustus, Luc. 23. Dicat igitur Auctor Apologiæ sanctum etiam Lucam contradictiones in Euangelio suo scripsisse. Sic etiam sanctus Paulus 1. Corinth. 8. dicit, Nullus est Deus, nisi vnus: & ibidem ait, Siquidem sunt Dij multi, & Domini multi. Proinde clamare potest Aduersarius noster, Apostolum in eadem Epistola, & eodem capite sibi contradicere. sed prudentes Christiani non Lucam, aut Paulum contradictionis, sed Auctorem Apologiæ imperitiæ & leuitatis arguerent.

Sexta. Petrus non amisit eam fidem, qua corde creditur ad Iustitiam, lib. 4. de Pontif. cap. 3. Contra, peccatum Petri fuit lethale, lib. 3. de Iustificat. cap. 14.

Responsio. Apud Lutheranos, qui sola fide iustificari homines docent, contradictio esset, si quis diceret Petrum caruisse iustitia, & non amisisse fidem; sed apud Catholicos, qui sciunt fidem sine operibus mortuam esse, & fidem non quamcumque, sed illam, quæ per dilectionem operatur, iustificare, nulla contradictio est. Sic igitur & Bellarminus docuit, sanctum Petrum, quando is Christum ter negauit, non amisisse fidem cordis, sed confessionem oris; & ideò peccasse quidem lethaliter, sed non fuisse hæreticum, vel infidelem. At, inquit Aduersarius, Bellarminus scripsit, Petrum non amisisse fidem, qua creditur ad Iustitiam; ergo existimauit, Petrum non amisisse fidem iustificantem, cum quo non bene cohæret quòd peccauerit lethaliter. Verum est, ita scripsit Bellarminus; sed fides, qua creditur ad iustitiam, est quidem fides iustificans per modum dispositionis, sed non est fides absolutè perfecteque iustificans, qualis est illa, quæ per dilectionem operatur. Nam si Apostolus existimaret fidem, qua creditur ad Iustitiam, sufficere ad perfectam iustificationem sine charitate, non adderet, Ore autem confessio fit ad salutem. Itaque sanctus Petrus habuit in corde fidem, quæ disposuit ad iustitiam; sed ex defectu charitatis caruit confessione oris ad salutem. proinde saluus esse non poterat, nisi accenderetur ignis charitatis, qui veræ pœnitentiæ lachrymas excitaret.

Petrus non amisit fidē per peccatum.

Septima. Antichristus Magus futurus est, & more aliorum Magorum occultè Diabolum ipsum adoraturus, de Pontif. lib. 3. cap. 14. At contra, abhorrebit ab Idololatria, execrabitur atque oppugnabit Idola, denique templum denuo ædificabit, Ibid. cap. 12.

Responsio. Qui contradictionem notauit, conciliationem etiam indicauit. Nam Antichristus, vt in priore sententia dicitur, Diabolum adorabit, sed occultè, vt Magi faciunt; publicè autem in conspectu hominum Idola execrabitur, & contra omnes Deos pugnabit. Quod ipsum Bellarminus apertè monuit, lib. 3. citato, cap. 14.

Antichristus diabolum occultè colet, publicè execrabitur Idola.

Octaua. Verbis consecrationis, vera & solemnis oblatio celebratur lib. 1. de Missa, cap. 27. Contra, sacrificij oblatio magis in re, quàm in verbis consistit; & illa actio qua corpus Domini super Altare ponitur, vera & realis oblatio est, lib. 2. de Missa, cap. 12.

Responsio. Non erat opus quærere diuersa

Victima quæ realiter offertur efficitur per verba conſecrationis.

loca, vt contradictionem apparentem Apologiæ Auctor inueniret. Nam in eodem cap. 27. lib. 1. de Miſſa, vtrumque dicitur, & verbis conſecrationis celebrari ſolemnem oblationem, & oblationem veram atque realem in re potius, quàm in verbis conſiſtere; nimirum in ea actione, qua Chriſti corpus ponitur in altari, vt victima Deo ſacra. Sed in eodem etiam loco declaratur quid ſit per verba conſecrationis celebrari ſolemnem oblationem, nimirum per verba conſecrationis fieri, vt vera, & realis victima in altari eſſe inciperet. Itaque verba conſecrationis non formaliter, ſed efficienter ad oblationem concurrunt:& ideò non dixit Bellarminus, verba conſecrationis eſſe oblationem, quaſi oblatio eſſet verbalis;ſed per ea verba celebrari oblationem, quia victima, quæ realiter offertur, per verba conſecrationis efficitur, & in ara Domini collocatur.

Nona. Mundi finis non poteſt ſciri, de anima Chriſti lib.4.cap.5.Contra, poſt Antichriſti mortem nō futuri ſunt niſi quadraginta quinque dies vſque ad Mundi finem, lib. 3. de Pontifice, cap.17.

Reſponſio. Si hæc contradictio eſt, in ipſa Scriptura diuina eſt. vtrumque enim in ſcriptura diuina habetur: ſed ideò non eſt contradictio, quia nemo ſcit, quando Antichriſtus veniet. Nam & Dominus dixit in Euangelio Matth.24. Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerſo Orbe, in teſtimonium, omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio. & tamen quia nemo ſcit quando in toto Orbe prędicatio Euangelica complenda ſit, nemo etiam ſcit, quando veniet conſummatio.

Decima. Roma ſedes erit Antichriſti, & decem Reges comburent purpuream meretricē, id eſt, Romam, lib.3. de Pontifice, cap.14. Contra, Antichriſtus Romam odio habebit, & pugnabit contra eam, & comburet. Ibidem.

Apologiæ Auctoris commentum.

Reſponſio. Hæc verò mirabilis eſt ars venandi contradictiones. Nam in cap.14. nihil omnino de ſede Antichriſti dicitur. Sed errore typographi erratū eſt in numeris, & poſita eſt nota arithmetica 14. pro 13. ita opinor: ſed cap. 13. dicitur, & probatur multis argumentis Sedem Antichriſti futuram eſſe Hieruſalem, non Romam. qua igitur licentia transmutauit Aduerſarius Hieruſalem in Romam? ſed & ipſa verba, quæ adducit, poterant illum admonere, ſi ſapere, & non calumniari voluiſſet. Nam ſi decem Reges comburent purpuream meretricem, id eſt, Romam, & ſi Antichriſtus illam odio habebit, & per illos decem Reges comburet; quomodo Sedes illius erit? ſed fortaſſe quia in libro Anglico non habebatur, Roma Sedes erit Antichriſti, & eo dempto, nulla apparebat contradictio, interpres Latinus ad exprimendam contradictionem, addidit illa pauca verba. At cur tam impudenter falſi crimen admiſit? quia in illo cap.13. refertur à Bellarmino, Sedem Antichriſti ex ſententia Lutheranorum futuram eſſe Romam, Aduerſarius Bellarmino tribuere voluit, quod in eius libro legit, parùm laborans, an ex ſententia Bellarmini, an aliorum id diceretur. qua ratione dicere poſſet, ab Euangeliſta Chriſtum vocatum eſſe ſeductorem, quoniam in Euāgelio legatur, Recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, poſt tres dies reſurgam, Matth.27.

Papa non eſt Epiſcopus vniuerſalis adeò quod ſolus: ſed quòd omnis iuriſ- [...]o ab

Vndecima. Duobus modis intelligi poteſt nomen vniuerſalis Epiſcopi: vno modo, vt ille, qui dicitur vniuerſalis, intelligatur eſſe ſolus Epiſcopus omnium Vrbium Chriſtianarum, ita vt cæteri nō ſint Epiſcopi, ſed Vicarij tantùm illius, qui dicitur Epiſcopus vniuerſalis: quo ſenſu Papa non eſt vniuerſalis Epiſcopus, lib.2. de Pontifice, cap. 31. Contra, omnis ordinaria iuriſdictio Epiſcoporum deſcendit immediatè à Papa, & eſt in eo, & ab eo in alios deriuatur, Ibid. lib.4. cap.24.

Reſponſio. Non intelligo quæ ſit in his locis contradictio. Nam in priore ſententia dicitur, Papam non eſſe Epiſcopum vniuerſalem in eo ſenſu, quòd ſolus ipſe ſit Epiſcopus, & alij non ſint Epiſcopi, ſed eius Vicarij. In poſteriore autem non dicitur ſolum Papam eſſe Epiſcopum, vel nullum alium eſſe Epiſcopum, vel cæteros omnes, qui dicuntur Epiſcopi, non eſſe niſi Vicarios Papæ; ſed ſolùm dicitur Iuriſdictionem Epiſcoporum deſcendere à Papa, in quo omnis Iuriſdictio Eccleſiaſtica pleniſsimè reperitur. quamuis enim Epiſcopi cæteri Iuriſdictionem accipiant à ſummo Pontifice: tamen veri Epiſcopi ſunt, & Iuriſdictionem Epiſcopalem, non Vicarialem accipiunt. Sed Aduerſarius, vt ipſe habet ſpiritum contradictionis, & nihil niſi contradictiones cogitat; ita contradictiones ſe videre imaginatur, & ſomniat, vbi nulla eſt contradictio.

An Reges ſibi à ſummo Pontifice timere debeant.

Pag.74. Expedita longa digreſsione reuertitur ad Epiſtolam Bellarmini, & verba ſequentia exagitanda ſibi proponit. *Nunc*, inquit, *vt eò redeamus, vnde digreſsi ſumus, Cùm*, inquit, *Pontifices nihil vnquam attentarint contra Reges, cur quæſo vnus Rex Angliæ timet, quod ex tot Chriſtianis Principibus nullus timet, nullus timuit? Quid audio? Nulline vnquam Imperatores, aut Reges Chriſtiani ſibimet à Pontifice timuerunt? quomodo igitur miſeri Imperatores iſti, quos iam dicam, iactati ſunt per Pontifices, atque inquietati, tandem etiam per eoſdem penitus ſubuerſi perierunt?* Hæc ille, qui vt ſemper ſui ſimilis perſeueret, cùm non habet, quod Iure reprehendat, ipſe fingit, & addit verba, eaque Bellarmino affingit, vt occaſionem habeat digladiandi, & eruditionem ſuam inutiliter oſtentandi. Illa enim verba, Cùm Pontifices nihil vnquam attentarint contra Reges; non habentur in Epiſtola Bellarmini: & tamen non ſolùm recitantur vt verba Bellarmini, ſed etiam longiſsima diſputatione hiſtorica refelluntur. Quod Bellarminus affirmauit, id tantùm eſt, nullam Principum cædem, per ſicarios videlicet, à Pontifice imperatam, vel approbatam. & de hoc vno timore, cædis videlicet, dixit; Cur vnus Rex Angliæ timet, quod ex tot Chriſtianis Principibus nullus timet? Sed quoniam de hac re ſupra aliquid dixerat, & videbat quàm leuia illa eſſent, quæ tunc attulerat, neque aliud occurrebat, quod ſpeciem argumenti firmioris præ ſe ferret; finxit verba magis generalia, eaque tanquam à Bellarmino prolata, per multas paginas refutauit.

Henric. 4.

Primùm igitur, profert in mediū hiſtoriam Henrici IV. *Numquid*, inquit, *non timuit Imperator*

rator ille, qui triduum expectauit ad ianuam Pontificis summo gelu & niuibus, antequam ei aditus pateret? Respondeo, timuisse illum quidem, non cædem corporalem, de qua Bellarminus locutus est, sed vinculum excommunicationis, à quo, vt absolui mereretur, ad illam humilitatem se ipse sponte deiecit.

Frider. 1. Secundò, profert Fridericum I. *Nunquid*, inquit, *ille Imperator non timuit, qui pronus in ventrē procubuit, dum alius quidam Pontifex ceruices ei conculcaret?* Hæc verò Historia dubiæ fidei est. neq; enim eam attingit Genebrardus in Chronico, vt hic noster falsò in margine adnotauit; neque Platina, neque Sigonius, neque Sabellicus. Cardinalis autem Baronius ex instituto refellit tomo 12. pag. 720. Sed sit vera. Quid aliud Fridericus timuit, nisi excommunicationem? hæc enim sunt verba Genebrardi, quem Aduersarius pro se citauit: Ad eius (Alexādri III.) pedes procubuit Fridericus, petens absolutionem excommunicationis. Hæc Genebrardus, qui de calcata ceruice, ne verbo quidem meminit.

Henric. 6. Tertiò, producit Henricum VI. *Quid*, inquit, *ille etiam Imperator parumne timuit, cui tertius quidam Pontifex, Regni diadema de capite pedibus deturbauit?* Hæc autem Historia parum verisimilis est. Siquidem ille tertius Pontifex, cuius aduersarius meminit, fuit Cœlestinus III. qui decrepitus annorum octoginta quinque cùm esset, & summa comitate atque humanitate omnium consensu præditus, neque cum Henrico simultatem gereret; certè nulla ratio patitur, vt credamus eum potuisse, aut voluisse Regium diadema de Henrici capite pedibus deturbare. At inquit Aduersarius, scribit hoc Ranulphus in Polychronico lib. 7. sed Ranulphus iste quantum fidei mereatur, æquus lector æstimet, cùm viderit eam historiam incognitam fuisse Sigonio, & Sabellico, & Platinæ, & Genebrardo, & omnibus Germanicis historicis, illis etiam, qui Pontifici Romano parum fauere solent. Adde, quòd si fortè vera sit Historia, vt Baronius Cardinalis admittit, non inde timuit Imperator, neque Pontifici iratus fuit: quoniam intellexit in ipsa coronatione diadema sibi impositum, ac deinde deiectum ex capite, ac rursum in caput repositum, vt eo facto admoneretur coronam tantæ dignitatis posse malis meritis amitti, & ideò Patrem, Fridericum I. videlicet, non imitaretur, qui Ecclesiam diu vexauit, & diuino iudicio, quando minùs id expectabat, imperium cum vita amisit.

Philipp. Imp. Quartò, profert Philippum. *An non*, inquit, *& Philippus timuit, de quo, cum Imperator inuito Innocentio tertio creatus esset, Pontifex in hanc vocem erupit, Aut Pontifex Philippo diadema, aut Philippus Pontifici insigne Apostolicum adimet. Quo dicto Pontifex Othonem in Philippum incitauit, qui eum postea interemit. Otho autē cæde facta Romam venit: & Imperator à Papa inauguratus est, quamuis postea Imperio ab eodem priuatus sit.* Hæc ille, qui videretur hoc loco aliquid dixisse, quod ad rem faceret, nisi manifestam falsitatem historiæ miscuisset. Falsum enim est, Philippum ab Othone illo interfectum fuisse, qui postea imperauit. Scribunt enim grauissimi Auctores, Albertus Krantzius in sua Saxonia lib. 7. ca. 28.

A Ioannes Nauclerus in Historia sua pag. 82. & Carolus Sigonius lib. 15. Appendicis, Philippū occisum fuisse ab Othone quodam priuato homine, & Imperatoris intimo familiari, inscio Othone Imperatore. Palmerius quidem interfectum dicit Philippum à Comite Palatino: ab Othone autem Duce Saxoniæ, qui de Imperio cum Philippo contendit, & post eius mortem coronatus est, neminem legi, qui Philippū necatum scripserit; præter Auctorem huius Apologiæ, qui nullum pro sua opinione testem adduxit; & vel nominis æquiuocatione deceptus est, vel falsa narratione lectores decipere voluit. Quod autem Innocentius dixerit, aut Philippo se diadema ablaturū, aut sibi à Philippo insigne Apostolicum detrahēdum, scribit quidem Abbas Vrspergē. sed addidit, id se ab alijs acce-

B pisse, & difficile esse relatu, & vix credendum.

Quintò, profert Fridericum II. *Fridericus*, inquit, *an non timuit, cùm eum Innocentius excommunicaret, Regno priuaret, Principes à Iuramento fidelitatis ei dato absolueret; deniq; in Apulia quemdam subornaret, qui eum veneno extingueret? Quo tamen exhausto, cùm conualuisset, conduxit Manfredum quendam, qui venenum ei daret: quo sumpto mortuus est.* Hæc ille, qui dum se in Historijs valde versatum ostendere cupit, corruptorem Historiarum se, impostoremque demonstrat. Conueniunt enim omnes Historici à Manfredo filio notho eiusdem Friderici, Fridericum grauiter ægrotantē, puluino in os iniecto suffocatum. venenum autem à Manfredo propinatum Friderico, nullus Historicus dicit. Quod Frider. 2.

C autem Pontifex in hac re se miscuerit, solus Cuspinianus, qui recens est Auctor, ex Epistolis Petri de Vineis, sub dubio refert: Siue, inquit, ab hostibus, siue à Pontifice corruptus id fecerit. Sed omnes alij, qui mortem Friderici narrant, omnino de Pontifice silent, vt etiā veneni vix vllus meminit: sunt autē hi auctores, quos lector consulere poterit, Ioannes Nauclerus in Chronographia vol. 2. generatione 42. Platina in vita Innocentij IV. Ioannes Baptista Egnatius in vita Friderici 2. Sabellicus Enneadis nonæ libr. 6. Blondus decadis secundæ libro septimo, Albertus Krantzius lib. 8. Saxoniæ cap. 18. Matthæus Palmerius in Chronico anni 1250. Iacobus VVimphelingius in epitome rerum Germanicarum, Paulus Langius in Historia Ecclesiæ Citicensis anno 1250. & alij.

D sed Auctor Apologiæ quasi rem exploratam prędicat: *Conduxit*, inquit, *Manfredum quendam, qui venenum ei daret, quo sumpto, mortuus est.* atque, vt apparet ex modo loquendi, nullas Historias legit. Si enim legisset, sciuisset profectò Manfredum non fuisse sicarium aliquem, qui facilè conduci posset; sed filium Friderici, magnumque Principem; & non dixisset, conduxit Manfredum quendam, quasi obscurū homuncionem. neque veneni à Manfredo propinati mentionem fecisset, cùm hoc nullus omnino referat. Denique non tam asseueranter locutus fuisset, cùm solus Cuspinianus malè affectus erga Pontifices, ex sola coniectura simultatis & inimicitiarum, & dubitanter rem hanc attigerit.

Sextò, producit literas Alexandri ad Sultanum. *Quid autem*, inquit, *Alexander scripsit Sul-* Papa Alexander.

tano? vt si absq; molestia vellet degere, aliqua ratione tollendum de medio Imperatorem curaret. Et Auctorem allegat Paulum Iouium lib. 2. Historiarum. Sed in libro Anglicè edito designatur Alexander III. Iouius autem scribit Historias temporis sui, ac per hoc res gestas Alexādri III. non attingit. Interpres, vt tutiùs lateret, Alexandrum nominauit, omisso numero. Et quidem Iouius in 2. libro Historiæ, Alexandri VI. res gestas describit; sed nullam Epistolam scriptam esse dicit ab Alexandro ad Sultanum. Itaque Auctor Apologiæ doceat nos, de quo Alexandro loquatur, & quem Auctorem habeat eorum, quæ scribit, & tunc, si opus erit, responsum à nobis accipiet.

Alexan. 6. Septimò, adducit Alexandrum VI. *Quid*, inquit, *Alexander ille sextus? nonne ducenta millia aureorum à Baiazeto Turca accepit, vt ea mercede, fratrem eius Gemen, vel, vt quidam appellant Zizimum necaret, quippe quem Roma tunc captiuum tenuerat? Nonne conditiones oblatas amplexus est, & perallacæde pecunias accepit?* Hāc Historiam vnde Auctor Apologiæ acceperit, aueo scire. Annotat ad marginem solùm nomen Cuspiniani. Cuspinianus autem in vita Baiazetis iunioris scribit quidem Zizimum Baiazetis Fratrem in Castris Regis Francorum veneno sublatum, haud ignorante Pontifice; sed iussu Pontificis id factum, aut post cædem ducenta millia aureorum Pontifici numerata, non scribit. Sed Auctor Apologiæ potestatem habet addendi quidlibet ad Historias. Adde quòd, vt supra diximus, Cuspiniano non magnam fidem habere possumus in ijs, quæ ad Pontifices pertinent, præsertim quando aliorum Historicorum testimonijs destituitur.

Henric. 2. Rex Angliæ. Octauò, adducit Henricum II. Regem Anglorum. *Quid*, inquit, *Henricus noster eius nominis secundus, nonne timuit post occisum sanctum Thomam? qui præterquam quòd nudis pedibus in peregrinatione incessit, virgis etiam pœnas dedit in sacrario tanquam Scholæ discipulus, solatusq; eo se est, quòd nihil grauius pateretur.* Verè omninò Henricus, & iure optimo timuit, non cædem corporis, de qua nos agimus, sed iudicium Dei, & censuras Ecclesiæ. siquidem non vt Scholæ discipulus, vt iste garrit, sed vt verè pœnitens, maluit in terris cum hominibus flagellari, quā post mortem cum Dæmonibus cruciari.

Nonò, adducit patrem Henrici Regis Francorum. *An non*, inquit, *timendi causa fuit Patri Regis Galliarum, qui nunc est, cùm Regnum Nauarræ, quod eius iure fuerat, Pontifex abalienaret, Regiq; Hispano donaret? cuius Regni dimidium Rex Hispanus hodieq; obtinet.* At falsum est patrem Henrici IV. Regis Christianissimi fuisse illum, qui Nauarræ Regnum primus amisit. ille enim Ioannes dicebatur. Pater autem Regis Antonius dictus est. De titulo verò, quo Reges Hispaniæ Regnum Nauarræ magna ex parte possident, non est nostrum hoc loco disserere: cōsulat lector eos Historicos, qui res Hispanicas ex instituto tradunt.

Henric. IV. Rex Gallorum. Decimò, adducit Henricum IV. Regem Christianissimum. *An non*, inquit, *is qui nunc regnat filius eius, iure timuit, cum se ab excommunicationis vinculis relaxari tam suppliciter obsecraret, vt Legatum suum Romæ virgis cæsum pœnitentium more passus sit?* A Hæc verò satis ostendunt Auctorem Apologiæ non solùm extra rem euagari, cùm à timore gladij, & mortis temporalis ad timorem spiritualium pœnarum transeat; sed etiam satis impudenter irridere sacras cerimonias, quæ in reconciliatione pœnitentium adhibentur. sed si magnum ei videtur, Legatum Regium, dum ab excommunicationis sententia de more Ecclesiæ Rex absolueretur, virga sacerdotali leuiter percussum, non ad dolorem, sed ad significationem: quid quæso dixisset, si Magnum Theodosium Imperatorem Orbis terrarum vidisset sancti Ambrosij Episcopi sui sententiā pertimescere, neque audere, illo interdicente, Templum intrare, nisi publicam pœnitentiam ageret, ac deinde ingredi permissum nō stetisse, sed toto corpore B pronum in pauimento iacuisse, manibus capillos vulsisse, frontem grauiter percussisse, & pauimentum lacrymis aspersisse, idque deposito diademate, & toto populo inspectante? Vide Tripartit. Histor. lib. 9. cap. 30. Hunc igitur tantum Imperatorem Rex Christianissimus imitatus, quia sancto timore iudicia Dei, & summi Pastoris sententiam timuit, adstitit illi Deus, vt pericula non pauca, nec leuia feliciter euaderet, & deinceps quoque eiusmodi nefariorum hominum conatus, eodem adiuuante Domino non timebit.

Vndecimò, affert exemplum Reginæ Elizabethæ. *Quid*, inquit, *quæ nuper extitit Regina nostra, nonne erat, quòd circumspiceret, sibiq; caueret, cùm à Pio V. excommunicata esset, subditi eius à fide & obedientia absoluti, quam ei debebant, Regnū* C *Hyberniæ ab ea ad Regem Hispaniæ translatum, atque deniq; nobilis ille fugitiuus Theologus, eodemq; purpureo decoratus galero, quo nunc Bellarminus, non est veritus Stanleianæ proditionis Apologiam publicare, in qua illud defendit, quòd quandoquidem excommunicata esset Regina & hæretica non solùm liceret iam eius subditis verum etiam necesse esset ab obligatione conscientiæ, nudare eam omni, quo possent præsidio, & siue exercitus siue oppida, siue arces, & propugnacula eius obtinerent, Regi Hispano hosti tradere, Regina deinceps nihil habente proprium, aut suum?* Magnam sine dubio causam timēdi Elizabetha, si sapuisset, habuit. Nam quæ fidem datam Deo, & Ecclesiæ Catholicæ in sua cōsecratione statim fregit; certè timere debuit iustam iram Dei, & ne sibi etiam à subditis fides data, iusto Dei iudicio frangeretur. Quod autē D additur de Stanleiana proditione, non fideliter, nec verè narratur. siquidem more suo Auctor Apologiæ Historiam multis additis mendacijs fœdè corrupit. Extat enim respōsio Cardinalis Alani (hunc enim fugitiuum Theologū vocat) ad literas Stanlei, quam hic ipse Auctor ad marginem notat. Hæc est autem summa Historiæ. Abstulerāt Angli à Rege Hispaniæ Dauentriam Ciuitatem in Belgio sitam, eamque Stanleio custodiendā tradiderant. Is Stanleius, cùm reconciliari vellet Ecclesiæ Catholicæ, eam Ciuitatem Regi restituit, tanquam proprio Domino, idque nulla mercede pacta, vel recepta. Hanc restitutionem approbauit Cardinalis Alanus, vt iustam. Cætera non Alani cōsilia, sed Auctoris Apologiæ mendacia sunt.

Vltimo loco addit exemplum Iacobi, qui

Regina Elizabetha. Iacobus V. Angliæ Rex.

nuncin Anglia regnat, ac tria quædam adducit, vnde Iacobus Rex cauendi sibi à Pontifice maximam habuit occasionem. *Primò*, inquit, *Bullarum diuulgatione earum, quarum feci iamdudum mentionem, qui omni probiberetur & Regni aditu, & corona.* Ad hoc primum iam supra respondi, duo Breuia Pontificis Clementis VIII. Anno 1600. ad Catholicos Anglos directa fuisse, quibus sine vllius certæ personæ designatione admonebantur, vt quoad possent iuuarent, vt vir Catholicus Regno illo propediem vacaturo potiretur, quo consilio nullum aliud à Pontifice Maximo, cui Catholicæ Ecclesiæ cura potissimum incumbit, magis Christianum, magis pium, & vtile dari potuit. Quod si hac generali admonitione Iacobus excludebatur, ipse erat in causa, qui spem non obscurè datam Pontifici fallere volebat. vel certè eius administri reprehendi debent, qui magis adhuc apertè Iacobum tunc Scotiæ Regem, adepto Anglicano Regno, Catholicum futurum promittebāt.

Addit secundo. *Deinde*, inquit, *vbi intrasset, plenamq; possessionem adeptus esset, horrenda illa coniuratione pulueraria, qua Regem cum suis, & Regno, & vitâ penitus spoliatura fuisset. Vt vt autem Pontifex omni ratione se purgare laborat, quò minus eius adminiculis fulta illa coniuratio fuisse videatur: tamen negare non potest primarios eius in hoc Regno administros, & præcipua mancipia Iesuitas, ipsissimos illius actores, designatoresq; fuisse. quo etiam crimine, is qui Princeps fuit cohortis, mortuus est in confessione facinoris, alios conscientia egit in fugam, nonnulli etiam ipsam in Italiam penetrarunt.* Ad hoc secundum Respondeo, tam multa hic mendacia sine vllo testimonio, vel probatione congeri, vt necesse sit Auctorem Apologiæ omnem omninò pudorem, & conscientiam exuisse. Quòd enim attinet ad Pontificē, non est cur se purgare laboret, cùm nemo illū vel suspicione maculæ alicui⁹ asperserit. Quòd autem attinet ad Iesuitas, ille ipse qui Dux erat cohortis, vt Auctori loqui placuit, Henricus Garnettus Præpositus Prouincialis facilè mendacia ista refutabit. Constat enim Henricum in publico iudicio, Rege ipso spectante, qui si vellet testis etiam esse posset, longissimo tempore examinatum, constanter semper dixisse; neque se, neque vllum Iesuitam huius conspirationis auctorem, vel complicem, vel cōsultorem, vel consentientem vllo modo fuisse, seque, cùm eum tractatum in cōfessione Sacramentali generatim cognouisset, dedisse omnem operam, vt à tali conspiratione desisteretur: imò etiam se, & suos ex Vrbe Roma à Superioribus suis grauiter admonitos, vt laicos Catholicos ab omni tumultu alienos suis cohortationibus cōtinerent. Quod autem Henricus Garnettus in Iudicio sæpè dixerat, id ipsum instante morte, coram innumerabili populo, longa oratione protestatus est: qua oratione sicut fidem Catholicam professus, & hæreses Anglicanas liberrimè detestatus est: ita eadem libertate negauit se Auctorem, aut complicem, aut consultorem, aut vllo modo consentientem sceleris fuisse. Et tamen audet Auctor Apologiæ contra conscientiam propriam, & contra testimonium multorum millium hominum, qui crudelissimo spectaculo interfuerunt, dicere, *Is, qui*

Calumnia in Iesuitas. Henrici Garnetti protestatio.

A *Princeps fuit cohortis, mortuus est in confessione facinoris*, cùm dicere debuisset eum mortuum fuisse in abnegatione, & detestatione facinoris. Cur igitur, inquies, Henricus vltimo supplicio affectus est, si neque sceleris conuictus, neque scelus confessus est? quia non reuelauit, quod in confessione Sacramentali eum audiuisse, Iudices mira quadam versutia cognouerunt. Sed cùm Catholica doctrina non permittat, ad vllum malum vitandum, secretum Sacramentalis confessionis detegi; maluit ille mortem acerbissimam pati, quàm tanti Sacramenti sigillum violare. Proinde iudices illi, qui à Catholica fide, & doctrina alieni sunt, Henricum reum læsæ Maiestatis ob non reuelatam conspirationem fecerunt. Deus autem eundem Henricum ob Sacramentum diuinum non violatum, & B fidei Catholicæ confessionem, atque hæresum Protestantium detestationem corona gloriæ, vt piè credimus, redimiuit. Porrò alij ex Iesuitis, qui fuga sibi consuluisse dicuntur, consilium Christi secuti sunt, qui suos admonuit, vt cùm persecutionem vno in loco paterentur, fugerent in alium. Quæ maior enim persecutio cogitari potest, quam quæri ad carceres, & supplicia sine conscientia facinoris, & sine testium indicijs? Addit postremò Auctor Apologiæ, *Neque tamen*, inquit, *aut illi, qui Regnum hoc fuga deseruerunt, nec Balduinus, is, qui quamquam subsistit in Belgio, laborauit tamen nihilominus conscientia sceleris, vnquam sunt in ius à Pontifice vocati, nedum pœna ab eo affecti, quòd in tam turpe, & nefarium negotium consensissent.* Ad hoc tertium caput facilis est & expedita responsio. C Non est cōsuetudo Summi Pontificis homines in ius vocare, & multo minùs pœnis afficere, quos nullus accusat, vel de quorum criminibus nulla extant indicia, nulli testes. Si Balduinus, quem vnum nominas (nam cæteros, qui sint, si tamen aliqui sunt, diuinare non possumus) infamia huius criminis laborasset, is certè à Serenissimo Archiduce Alberto optimo & iustissimo Principe non fuisset permissus publicè in Belgio, & in ipsis primarijs Ciuitatibus degere. sed quoniam neque ij, qui tanquam auctores sceleris vltimo supplicio affecti, diu sæpeque examinati Balduinum nominarunt inter complices, aut conscios, neque aliquid aduersus eum in Anglia probatum erat; ideò neque Summus Pontifex, neque vlli alij Catholici Principes illum in ius vocandum esse censuerunt. Quare Auctor Apologiæ excusari D non potest à magna temeritate, & leuitate, quòd sine vlla rationabili causa summum Pontificem Christi Vicarium, supremum, & sapientissimum Principem reprehendere voluerit eorum criminum, quorum suspicio ne priuatis quidem hominibus adhæret, nisi probabiles causæ proferantur.

Garnettus maluit mori, quam reuelare confessionis secretum.

P. Gulielmus Balduinus.

His expeditis, transit Aduersarius ad aliud paradoxum. Nam cùm hactenus probare conatus sit plurimos Imperatores, aut Reges sibi à Pontifice timuisse, & Iacobum Regem multas timoris causas habuisse; nunc tamen quia degeneres animos timor arguit, vt Poëta dicit, contendit falsum esse quod Rex suus vnquam timuerit. *Neque tamen*, inquit, *quantumcunque stupens admiretur, Panicum hunc terrorem esse*,

quo Rex laborat, vnquam euicerit. Ecquid enim Papam pro securitate sua Rex obsecrauit? Ecquidnam alios Principes Christianos amicos suos, & necessarios cohortatus est, vt apud Papam pro ipso interpellarent? Ecquid aut opem, aut præsidium ab ipsis vllum emendicauit, quo incolumitati suæ satu consultum videri posset? nihil minus. hæc ille, qui videat ne Regem suum, dum constantem videri vult, temerarium faciat. Nam si tot Magni Reges, & Imperatores Papam timuerunt, vt paulò antè tam longa digresione demonstrare conatus est; an non erit Rex suus temerarius, si timere nolit, quod tanti Reges timuerunt? sed Iuramentum propositum, quo exigitur à singulis vt iurent, non posse Papam vlli concedere, aut aliquam violentiam, aut damnum personæ Maiestatis suæ inferant: Item vt iurent se, non obstante qualibet sententia excommunicationis, vel declarationis, personam Regis defensuros, & reuelaturos omnes conspirationes, & proditiones contra ipsum, & alia similia, quæ in eo Iuramento continentur; satis apertè ostendunt, post puluerariam coniurationem Regem magno timore fuisse correptum. ac de his satis.

Auctoris Apologiæ inconstantia.

Pag. 81. Transit Auctor ad aliam partem Epistolæ Cardinalis Bellarmini, & examinat similitudinem desumptā ex oratione sancti Gregorij Nazianzeni. dicit autem nullam esse similitudinem inter Iulianum, & Iacobum, nisi quod ille erat Imperator, iste est Rex. At Bellarminus non posuit summam similitudinis in comparatione Iuliani cum Iacobo, sed in comparatione rei cum re, fraudis cum fraude, negotij cum negotio. Sed tamen quia placuit Auctori Apologiæ conferre etiam personas, insistamus eius vestigijs, & consideremus dissimilitudines Iuliani Imperatoris, & Iacobi Regis. *Principio, inquit, Iulianus fuit Apostata, totiq; fidei Christianæ renunciauit, quam olim professus fuerat, & denuò in Ethnicum, vel potiùs in Atheum conuersus est: Rex noster Christianus est, nec vnquam deseruit eam Religionem, quam propemodum cum lacte imbibit, nec professionem suam aliquando erubuit.* hæc ille. sed non est verum, Iulianum in Atheum fuisse conuersum, cùm è contrario ab vnius DEI cultu, ad multorum Deorum venerationem transierit, vt potiùs polytheus, quàm Atheus dici debuerit. Iacobus autem, cùm Catholicus non sit, neque Christianus est. Sic enim loquitur sanctus Augustinus lib. de gratia Christi, cap. 10. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus. Quibus verbis satis apertè declarat, eum Christianum non esse, qui hæreticus est. Et clariùs ac fusiùs sanctus Athanasius oratione 2. in Arianos, non procul ab initio, multis argumentis probat, nullum hæreticum propriè dici posse, vel esse Christianum. Et multò antea sanctus Cyprianus lib. 4. epistol. 2. ad Antonianum scripserat, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. Iacobum autem Regem non esse Catholicum testis est Auctor Apologiæ, qui in singulis fermè paginis huius libri nomen Catholici illis relinquit, qui Romani Pontificis Religionem sequuntur: qui autem Catholicus non est, hoc ipso hæreticus est. Catholicus enim atque

An Rex Angliæ possit Iuliano Apostatę componi.

Quod hæreticus nō sit Christianus.

A hæreticus contraria sunt, vt dies & nox, vt lumen & tenebræ. Neque omninò verum est, Iacobum nunquam deseruisse Religionem, quam primò susceperat. Nam ex parentibus Catholicis natus, Catholico ritu Baptismum, ac per hoc Catholicam Religionem, fidemque suscepit. Sed iniuria temporum in educatores sectarios incidit, qui eum ex Christiano Caluinistam fecerunt. Et si vera sunt, quæ narrantur ab ijs, qui eum intimè nouerunt, cùm in Scotia Puritanus, & Protestantium inimicus esset; nunc in Anglia Protestans est, & Puritanorum aduersarium se gerit. Pergit. *Iulianus contra Christianos se conuertit, tantummodo quòd in confessione causæ Christi perstarent: Rex noster hac in re cum subditis agens, id tantùm spectat, vt nota extet aliqua, qua distingui posit inter subditos fideles, & perfidos.* At nos suprà non semel ostendimus, quemadmodum Iulianus Christianos

B vexabat Religionis Christianæ causa: sic etiam Regem Iacobum mulctis pecuniarijs, carceribus, exilijs, extremo supplicio Catholicos vexare, quòd Religionem Catholicam nolint deserere, & hoc ipsum Iuramentum eò tendere, vt fides Catholica de potestate Summi Pontificis abnegetur. Pergit. *Iuliani finis fuit Christianorum euersio: Regi nostro finis non alius propositus est, quàm vt fidem Christianam in statu tranquillitatis atque otij tueatur.* At nos contra videmus Iacobo Regi finem propositum esse, sectā Protestantiū in statu trāquillitatis & otij tueri, & ad eū finem obtinendum, primùm Catholicos omnes, deinde etiam Puritanos opprimere.

C Pergit. *Iulianus eò tendebat, vt homines adduceret ad Idololatriam patrandam: Rex noster eò tantùm, vt subditos suos adducat ad manifestam professionem naturalis suæ fidei, ac ciuilis obedientiæ, hac velut tessera obsignandam.* Cur igitur in toto Iuramento ciuilis obedientia & naturalis fides ne semel quidem nominatur, perpetuò autem potestas Summi Pontificis abneganda proponitur? Pergit. *Iulianus eam rationem præ cæteris iniuit, vt subreperet incautis, & non cogitantes illaquearet: Regis nostri tota ratio, quam sequitur hac in re, plana est & euidens, omniq; procul obscuritatis integumento; siquidem nec veniam vlli vnquam negauit eorum, qui ad iurandum vocarentur, deliberandi secum per otium, commentandiq; de eo, in quod iuraturus esset. Et si quis fortè interpretationem requireret, suppeditauit item omnem, quantam quisque postularet.* Sed istam planitiem, & e-

D uidentiam nos crassiores, & simpliciores minimè cernimus. Fingitur enim Iuramentum ad ciuilem obedientiam in rebus merè temporalibus exigi, & tamen verba Iuramenti ad potestatem Pontificiam euertendam maxima ex parte referuntur. Neque dicitur manifestè, Ego iuro Pontificem Romanum non esse caput Ecclesiæ, vel, Ego iuro Regem Angliæ caput esse Ecclesiæ Anglicanæ in spiritualibus. Si enim hoc diceretur, nemo deciperetur: sed dicitur, Iuro non esse parendum excommunicationi Pontificiæ. Iuro Pontificem non posse absoluere subditos ab obedientia Regis. Iuro Pontificē ab hoc Iuramēto me liberare nō posse, quia legitima, plenaq; auctoritate mihi ministratū est. & simul, vt hæc minùs offendant, permiscentur multa de proditionibus, de con-

spira-

ſpirationibus, de Regia perſona à violentia, & cædibus liberanda: quæ cùm omnes naturaliter horreant, fit, vt totum Iuramentum incautè ſuſcipiatur, ne qui illud recuſauerit, in ſuſpicionem proditionis vel cõſpirationis incidat. Pergit. *Sed ſumma diſsimilitudo in eo vertitur, quòd Iulianus eos impulit, vt Idololatriam perpetrarēt, ſtatuis. imaginibusq́, colendis: Rex noſter, omnesq́, eius ſubditi, qui quidem de Religione cum eo ſentimus, adeò longè abſumus ab hac culpa, vt à vobis heretici, vel eo nomine cenſeamur, quòd ab Idololatria patranda tam longè refugiamus.* Imo verò in hoc ipſo maxima ſimilitudo eſt. nam Iulianus voluit quidem Chriſtianos ad Idololatriã pertrahere, ſed occultè, & ſub colore ciuilis adorationis. Imago enim Imperatoris ſine crimine à Chriſtianis adorabatur; quia ſciebant Imagini Imperatoris cultum ciuilem exhiberi, vt ipſi Imperatori exhibebatur. Sed Iulianus Imaginem ſuam ita pingi iuſſerat, vt in tabula ſiue linteo Iouis quoq; Imperatorem coronãtis Imago cerneretur: vt qui Imaginem Imperatoris adorabat, ſimul Iouis imaginem adoraret. Et quoniam Ioui, qui Deus à gentib. credebatur, & eius Imagini non ciuilis cultus, ſed diuinus exhiberi ſolebat; hac fraude Iulianus Chriſtianos, ſub colore ciuilis honoris Imperatori debiti, ad cultum diuinum Imagini Iouis exhibendum, id eſt, ad Idololatriam patrãdam, & vero Deo cultum denegandum adducebat. Atq; hoc eſt omnino, quod Rex Anglorum imitatus eſt. Propoſuit enim Iuramentũ, quod ſub colore ciuilis obedientiæ in temporalib. Regi debitæ, eidem Regi obedientia ſacra, vt Primati in ſpiritualib. præſtaretur, & eadem obedientia vero Eccleſiæ totius Primati denegaretur, vt ſupra ſatis apertè demonſtratum eſt.

Aptiſsima ſimilitudo Regis cum Iuliano.

Quod autem Auctor cultum Imaginũ Chriſti, & Sanctorum Idololatriam vocat, non eſt mirandum, cùm, vt ipſe cõfitetur, vnus hic articulus ſit inter multos, quorum cauſa hæretici Proteſtantes à nobis Catholicis cenſeãtur. Neque enim Imaginum ſacrarum cultus Idololatria dici poteſt, niſi ab ijs, qui Imagines Chriſti & Sanctorum Idola videri volunt, Et quoniam Idolũ eſt imago falſi Dei, propter quod Apoſtolus, nihil eſſe Idolum, pronunciauit in Epiſt. 1. ad Corint. c. 8. quia videlicet Imago eſt rei nuſquam exiſtentis, non poſſunt aduerſarij Idola vocare Imagines Chriſti, & Sanctorum, niſi exiſtiment Chriſtum falſum eſſe Deum, & Sanctos eius falſi Dei amicos, & ſeruos eſſe; & deniq; Chriſtum, & Sanctos nuſquã eſſe, & nihil eſſe. quæ exiſtimatio ſitne hæretica necne, ipſis aduerſarijs iudicãdum relinquimus. Certè Synodus ſeptima Generalis ante annos circiter nongentos anathema dixit ijs, qui Chriſti, & Sanctorum Imagines Idola nominare præſumpſerint.

Quid ſit idolum propriè, & idololatria.

Venio nunc, omiſsis conuicijs & nugis, quæ ad rem nõ pertinent, ad exemplum allatum ex lib. 2. Machabæorum. Sic igitur Auctor Apologiæ loquitur pag. 85. Ac *Primò*, inquit, *quod ad Eleazarum attinet. ſi Archipresbytero ratio eſſet recuſandi Iuramentum à Rege oblatum, tam bona, tamq́, conſtans, quàm fuit Eleazaro, cur à porcinis carnib guſtandis abſtinere; adhiberi à Cardinale*

De exẽplo Eleazari.

A *non ſanè inſcitè poſſet hoc exemplum ad ſuũ inſtitutum comprobandum.* & infrà. *Sed cùm fundamentum malum ſit ac vitioſum, ædificium ſuperimpoſitum non poteſt vllo modo eſſe diuturnum. quod enim exemplum, quæſo, reperitur in vniuerſa ſacra Scriptura, quo recuſatio Iuramenti à Rege oblati, vel detractio obedientiæ erga Regem præſtandæ ſtabiliatur?* Ego vero audeo dicere, meliorem cauſam habere Catholicos Iuramenti recuſandi, quàm Eleazarus habuerit carnis porcinæ non guſtandæ. Quamuis enim auctoritas imperantis vtrobique ſit eadem: tamen materia, de qua præceptum traditur, omnino diuerſa eſt. ibi enim de carne porcina non guſtanda, hic de poteſtate capitis Eccleſiæ non abneganda lex datur. & opinor, aduerſarius non negabit poteſtatem capitis Eccleſiæ rem eſſe longè ſublimiorem carne porcina; B ſed in eo ſemper aduerſarius vel decipitur, vel decipere alios nititur, quòd affirmat in Iuramento à Rege propoſito, nihil aliud contineri, niſi ciuilem obedientiam Regi eſſe præſtandam. Hęc enim cauſa eſt, cur quærat exemplum in Scriptura diuina, quo detractio obedientiæ ſtabiliatur. Nam ſi aduertere vellet eo Iuramento Poteſtatem Summi Pontificis labefactari, & euerti; facilè exemplum inueniret: nec ſolum exemplum, ſed etiam præceptum diuinum, quo poteſtas ſummi ſacerdotis euidentiſsimè ſtabilitur. Nã Deut. 17. ſatis apertè legimus. Qui ſuperbierit, nolẽs obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ſententia Iudicis morietur, & auferes malum de Iſrael. & Numer. 16. videmus horrendum iudicium Dei C in Core, Dathan, & Abiron, quos vnà cum familijs ipſorum terra abſorbuit, & deſcenderunt viui in Infernum propter ſchiſma, & defectionem à Moyſe, & Aaron, qui tunc ſummi Sacerdotes erant, & Eccleſiam Domini legitimè gubernabant. In nouo autem Teſtamento non Imperatori vel Regi, ſed Apoſtolo Petro, quem Vicarium ſuum ſuper familiam ſuã Chriſtus cõſtituit, ab ipſo Chriſto dictum ſcimus, Quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis, Matth. 16. & cùm eidem mãdauit Ioan. vltimo, vt oues gregis ſui vtiq; omnes paſceret, ſimul etiam ouibus mandaſſe credendum eſt, vt ab eo ſe paſci, regiq; humiliter, obedienterque permitterent.

Exempla Scripturæ de poteſtate ſummi Pontificis.

D Quod autem Aduerſarius adiungit de Iuramento Saulis. 1. Regum 14. ad rem nihil facit. Primùm enim non tractamus de Iuramento ſeruando, ſed de Iuramẽto ſuſcipiendo. Deinde Iuramentum Saulis omnino temerarium fuerat; & ideo iudicio totius populi mortem euaſit Ionathas, qui illud non ſeruauerat. Sed tamen placuit Deo, vt Ionathas propter Iuramentum non ſeruatum in vitæ diſcrimen adduceretur, vt Saul ipſe proprij filij iacturam faciẽs, de Iuramẽto temerè ſuſcepto pœnas daret.

Pag. 88. Tranſit Auctor Apologiæ ad exẽplum ſancti Baſilij, quod Bellarminus in epiſtola ſua poſuerat, & multa dicendo nihil dicit. Cauillatur primùm à Bellarmino omiſſa eſſe tanquam ſibi contraria, verba illa Theodoreti de S. Baſilio: Imperatoris quidem amicitiam magni ſe pendere cum pietate, qua remota per-

De exẽplo S. Baſilij.

niciosam esse dicere. Sed Bellarminus non librum Theodoreti describere, sed quod ad rem suam faciebat, adducere voluit. tantùm autem abest, vt eam sententiam sibi contrariam esse iudicet, vt eam libentissimè, gratissimeque suscipiat. Nam & ipse amicitiam Regis Anglorum magni pendit cum pietate, sed ea remota perniciosam esse dicit. sed videamus quibus rationib. aduersarius Bellarminum refellit, quòd ad exẽplum S. Basilij pertinet, omissa longa narratione, quæ ad id solum adhibita est, vt liber grandior redderetur. *Iam*, inquit, *comparet, qui vult causam S. Basilij cum causa Archipresbyteri: Nam alioqui nec orthodoxum Regẽ decuit cum tam Ariano atque hæretico Imperatore conferre. Basilius tentatus est, vt Arianus esse vellet: Lis nulla mota est Archipresbytero de causis fidei. Basilius, nisi Verbum ei diuinum obstitisset, Imperatori libens obtemperasset: cum Archipresbytero illud agitur, vt obtemperare non nolit, quamuis id ab eo Verbum Dei exigat. Basilius per magni fecit gratiã Imperatoris, si salua pietate eã promereri potuisset. Archipresbyterum hortatur Cardinalis, vt reijciat, etsi consentaneũ sit pietati, vt amplectatur.* At Bellarminus Regem orthodoxum cum Imperatore hæretico non composuit, sed Regem cum Imperatore, non Catholicum cum Ariano, vexantem Catholicos cum persecutore Catholicorum rectè cõferri posse existimauit. Porrò Basilius tentatus quidẽ est, vt Arianus esse vellet, sed sub colore subtilitatis dogmatum tentatus est. Non enim Basilio dictum est, Esto Arianus, vel Noli esse Catholicus, sed Noli propter modicã dogmatum subtilitatem Imperatori resistere. Sic igitur & Archipresbyter nõ apertè tentatus est, vt Primatum Apostolicum abnegaret, sed occultè, & sub colore ciuilis obedientiæ Regi præstandæ. Quod autem lis nulla mota sit Archipresbytero de causa fidei, nescio qua fronte dicere audeat, qui scit illum Catholicæ fidei causa comprehensum, & post Iuramentum præstitum adhuc in carceribus detineri; vt omittam, quòd in ipso Iuramento plurimæ sententiæ sunt, quæ ad potestatem Summi Pontificis labefactãdam pertinẽt. Neq; verum est cum Archipresbytero id tantum agi, vt obtemperare non nolit, quamuis id ab eo Verbum Dei exigat. Nam Archipresbyter iam obtemperauit, etiam si Verbum Dei ab eo cõtrarium exigeret. Verbũ enim Dei est, Oportet obedire Deo magis, quàm hominibus, Act. 4. Deniq; falsum est etiam illud, quod Bellarminus hortatus sit Archipresbyterum, vt gratiam Regis reijciat, etsi consentaneum sit pietati, vt eam amplectatur. Bellarminus enim de gratia Regis amplectenda vel reijciẽda, ne verbũ quidem fecit in epistola sua, sed hortatus est Archipresbyterum, vt pęnitentiam agat de Iuramento nimis facilè suscepto, quod salua conscientia, & pietate suscipi non poterat.

In quibus Rex Angl. conueniat cum Iuliano Apostata.

Pergit Auctor Apologiæ pag. 91. & Bellarminum reprehendit, quòd lapsum Archipresbyteri cum lapsu S. Petri Apostoli, & S. Marcellini Pontificis comparauerit: quorum ille Christum negauit, iste Idolis sacrificauit. Addit etiam Historiam de lapsu sancti Marcellini à Cardinale Baronio non sine magna causa in dubium reuocari. Sed Bellarminus Archi-

Comparatio lapsus Archipresbyt. cũ lapsu S. Petri

A presbyteri lapsum multò fuisse minorem illis verbis testatus est, Qui sancti Petri, & sancti Marcellini casum aliqua ex parte imitatus videris, &c. Neque similitudinem posuit in lapsu, sed in causa. quomodo enim ex imbecillitate animi, & timore pœnarum sancti illi viri ceciderunt; ita fieri potuit, vt Archipresbyter ex aliqua simili imbecillitate caderet. Parum autem refert vtrum Historia de lapsu sancti Marcellini certæ fidei sit, an dubiæ. satis enim est ad exhortationem, quòd ea Historia communi consensu recepta sit, vt etiam Baronius ipse testatur.

Transit deinde pag. 94. ad auctoritatem sancti Gregorij, quam Bellarminus in epistola sua adduxit, vt probaret quanti momenti sit Primatum Apostolicum denegare. Ac primùm

B miratur, cur sanctum Gregorium Apostolum Anglorum nominauerit. *Cur Gregorium, inquit, Apostolum nostrum vocarit, nescio.* Rectè miratur, ac dicit se id nescire, quoniam Protestantes Angli non sanctum Gregorium Apostolum, sed Martinum Bucerum, & Petrum Martyrẽ Apostatas Sectæ suæ Auctores habent. Sed Bellarminus Venerabilem Bedam secutus est, qui sanctum Gregorium in Historia gentis suæ Anglorum Apostolum nominauit. Addit, debere sancti Gregorij successores vestigijs prædecessoris insistere in eo, quòd missi à sancto Gregorio nullam exercuerũt muneris sui partem, nisi pace, permissuque Regis. quomodo etiam missi à sancto Eleutherio locum suum in hac prouincia Regia auctoritate obtinuerunt. *Quòd si, inquit, hodierni Pontifices his in-*

C *sistere vellent maiorum suorum vestigijs; equidem nec fugitiuos alieni Principis foru exciperent, nec eosdem rursus domum remitterent (non solùm absque vlla venia Principis, verùm etiam manifestò contra ipsius leges) cum consilijs, & doctrina meram rebellionem spirante, ad subditos absoluendos ab obedientia sua erga legitimum Regem suum & Principem.* Vtinam sic Angli Protestantes retinuissent doctrinam sancti Gregorij, & sancti Eleutherij, vt moderni Pontifices prædecessorum suorum vestigijs diligenter insistũt: Sed ad rem. non negamus cum bona venia Principum, & cum ipsorũ gratia, & pace prædicandum esse Euangelium, quando ea potest haberi: sed si principes resistant, non ideo prædicationem omittendam esse docent nos Scri-

Angliæ cõuersio à S. Gregorio.

D pturæ diuinæ, & exempla maiorum. Certè quando Christus Dominus iussit Apostolis, vt euntes in mundum vniuersum prædicarent Euangelium omni creaturæ. non addidit conditionem, nisi Principes mundi fortè resistant.

Et B. Paulus, qui prædicauit Euangelium ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricũ, & vbique ordinauit Ecclesias, Episcoposque constituit; non legitur auctoritatem à Principibus quæsiuisse, vel accepisse. quod idem de alijs Apostolis dici potest. Quando autẽ Diocletianus, & Maximianus imitati prædecessores suos, prædicari Euangeliũ, & Christianos fieri prohibuerunt; nõ ob id tamen prædicatio Euãgelij, vel gentiũ conuersio, aut Ecclesiæ ædificatio, repugnãtib. licèt Imperatorib. cessauit. Et quando Principes hæretici, Cõstantius, Trasimũdus, Hũnericus, & alij Catholic. nullo

loco

loco esse patiebantur; Catholici tamen illis inuitis, & resistentibus, vel palàm, vel occultè fidem Catholicam prædicabant. Atq; vt vel vnum exemplum antiquitatis referam, Eusebius Samosatenus Episcopus, vt scribitur in Historia tripartita lib.7.c.16. in Thraciam exilio deportatus ab Ariano Principe, cùm videret Ecclesias pastorib. desolatas, habitu militari suscepto, Syriam peragrabat, & Phœnicem pariter, & Palæstinam, Presbyteros ordinans atque Diaconos, aliaque Ecclesiæ obibat officia. Hunc sanctum Episcopum imitantur illi, quos vos fugitiuos appellatis: qui quidem, vt Deo magis obediant quàm hominibus, non dubitant cum periculo vitæ in patriam redire; quamuis Princeps lege posita reditum interdixerit. Nam & ille sanctus Episcopus longè à patria in exilium deportatus fuerat, vt à fide Catholica conseruanda cessaret; sed Principis impij mandata contemnens mutato habitu redibat, & Ecclesiastica obibat officia, vt Regis Christi præcepta compleret. Quod autem dicit Aduersarius de consilijs proditorijs, & doctrina rebellionem spirante, ad calumnias pertinet. Nam etsi fuerunt, qui proditionis consilia inierint; ea tamen non ex doctrina Catholica, neque ex recta ratione, sed ex desperatione, vt suprà diximus, hauserunt. Quod postremò adiungit de absoluendis subditis ab obedientia erga legitimum Regem & Principem, iam suprà docuimus supremum Ecclesiæ vniuersæ Rectorem id Iuris habere, vt si Princeps ab Ecclesiæ vnitate per hæresim, vel schisma deficiat, possit eum excommunicare, vel excommunicatum declarare, & subditos eius à fide & obedientia liberare. Neq; esse hanc nouam doctrinam, sed in Concilio Lateranensi omnium maximo & celeberrimo approbatam; atque vsu Christiani populi per multa sæcula receptam.

Exemplū insigne.

His quasi prolegomenis expeditis, accedit Auctor Apologiæ ad explicanda verba sancti Gregorij, quæ à Bellarmino dicit esse contra mentem & sensum Gregorij allegata. Verba hæc sunt in epistola 42. lib. 11. Ne Apostolicæ Sedis reuerentia vllius præsumptione turbetur. tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur iniuria, & Canonum manet incolumis, atque intemerata semper auctoritas. Quæstio autem est, quid per Caput fidei significetur. Nos enim ipsum Gregorium, vt summum Pontificem Caput fidei dictum esse affirmamus, id est, Caput fidelium, Caput Ecclesiæ, Caput, per quod Ecclesia fidem & discit, & docet. Aduersarius cōtradicit his verbis pag. 97. *Quòd Gregorius illo vocabulo Capitis fidei, caput se nostræ fidei aut Religionis praeduxerit, consistere nullo modo potest cum reliqua eius doctrina, atque scriptis. Primùm enim cùm alius vniuersalis Episcopi titulum occuparet, Gregorius dicere non dubitauit, Quicunque illud nomen sibi assumeret, præcursorem esse eum Antichristi: qui tamen titulus longè infra eum est, quo quis Caput fidei nominetur.* Respondeo, argumentum nihil omnino concludere; quoniā vocabulum Episcopi vniuersalis in eo sensu, quo à sancto Gregorio accipitur, hierarchiam Ecclesiasticam penitus destruit: vocabulum

Quid sit Caput fidei in sancto Gregorio.

A autem Capitis fidei hierarchiam eandem constituit. Is enim dicitur apud Gregorium Episcopus vniuersalis, qui solus Episcopus ita esse cupit, vt nullos alios esse patiatur Episcopos. sic enim sanctus Gregorius loquitur lib. 7. epistol. 69. Si vnus vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis. & lib. 4. epistol. 36. Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. & epistol. 34. eiusdē libri: Triste valde est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus prædictus Frater solus conetur appellari Episcopus. Et certè in hoc sensu hierarchia vniuersa tollitur, atq; cōfunditur, quæ ex Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis sub vno capite summo Pontifice constituitur. quæ eadem non tollitur, sed constituitur, dum vnus alijs præsidet, eosq; in vnitate conseruat. Meritò igitur S. Gregorius vni-
B uersalis Episcopi vocabulum exhorruit: vocabulum autem Capitis libenter accepit. sed Auctor Apologiæ sentiens argumenti sui debilitatem, subiungit & ait: *Dabit mihi veniam Bellarminus, vt id de vno Gregorio dicam, quod ille de multis, & sæpe dicit ex omni numero Patrum, Minùs cautè locutus est.* Allegat autem duo loca ex libris Bellarmini, vnum ex li. 2. de Christo, c. 2. alterum ex lib. 2. de Pontifice, c. 10. sed Aduersarius nō bona fide, vt aliàs monui, scripta Bellarmini refert. Nam lib. 2. de Christo, c. 2. id solùm Bellarminus dicit, nos sequi doctrinam Patrum, quando in eadem sententia omnes cōueniunt, non quando vnus aliquid proprij docet repugnantib. cæteris. tunc enim minus credimus vni, quàm multis. Neq; in hoc loco in-
C uenitur illud, Minùs cautè locutus est. In libro vero 2. de Pontifice, c. 10. non de sanctis Patribus, sed de Nicolao Lyrano dixit, Minùs cautè locutus est. Cum igitur S. Gregorius vnus sit ex Patribus Sanctis, & quod scripsit, non repugnet doctrinæ cæterorum; non rectè de eo dici potest hoc loco, Minùs cautè locutus est. sed Aduersarius tandem sententiam suam sine ambagibus explicat, cùm addit: *Igitur vt Apostolum nostrum ex eius manibus eximamus, ad nosq; reuocemus, vt noster porrò sit in hac causa, non illius: est hoc quidem verum, quod dicit hoc loco. sed eo tamē sensu quo dicit; Cùm disturbare, aut imminuere, aut abolere molimini Ius auctoritatemq; Ecclesiæ, quæ penes Regium Caput residet intra suas ditiones, atque fines, caput eius abscinditis, summoq; Guber-
D natori iniuriam facitis, & totius corporis compagem, ac membra turbatis.* hæc ille, qui verè sanctum Gregorium à nobis abstulit, atque à se reuocauit, cùm illum arte mirabili ex Catholicæ Ecclesiæ Præsule, in Protestantem hæreticum transformauerit. Sed tanta est hæc audacia, & impudentia, vt mirum sit eiusmodi expositionem in hominem sanæ mentis cadere potuisse. Nam sanctus Gregorius de sede Apostolica, non de Rege loquebatur, cum diceret: Illud autem admonemus, vt Sedis Apostolicæ reuerentia nullius præsumptione turbetur. ac deinde id probauit, dicens: Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulsetur iniuria. Quis igitur non videt Caput Fidei Sedem Apostolicam nominari? Adde quòd in ea epistola de vsu pallij sermo est, & monet sanctus Gregorius Archi-

episcopum Panormitanum, vt sacro pallio ab Apostolica Sede ad se transmisso, vtatur ijs tantùm locis, & temporibus, quibus vtuntur alij similes Sacerdotes: neque præsumat aliquid vltra ea, quæ à Sede Apostolica conceduntur. atque ad hoc propositum ponit verba, quæ supra recitata sunt, Quid in hoc negotio habent Reges? quid Regibus cum pallio, quod est insigne Archiepiscoporum? Sed Auctor Apologiæ hac impudentia non contentus, quasi planum fuisset, iussu summi Pontificis per immissos sicarios Reges cædi consueuisse; admonet, Papæ & Cardinalibus suggerendum esse, quod sanctus Gregorius lib. 7. epistol. 1. per Sabinianum Præfectum Imperatoris iubet suggeri Mauritio: Si ego in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodiè Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa; sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Sicut autem Aduersarius in eo deceptus est, quòd Sabinianum, ad quem scribit sanctus Gregorius, existimauit Præfectum Imperatoris fuisse, cùm esset Diaconus Cardinalis Ecclesiæ Romanæ, & qui sancto Gregorio in Pontificatu successit; ita decipere alios voluit commemoratione illius suggestionis, quam nihil omnino ad rem facere, ex ijs quæ supra demonstrauimus, intelligi potest. Summi enim Pontifices non occultè per sicarios, sed publicè per censuras Ecclesiasticas cum Principibus inobedientibus agunt.

De S. Leone primo Pontifice.

Transit deinde pag. 99. à sancto Gregorio ad sanctum Leonem, cuius tres sententias Bellarminus in Epistola sua posuerat. & quoniam verba sancti Leonis non poterat vlla ratione peruertere; sanctum Leonem audacter reprehendit, quòd dum sanctum Petrum immodicè laudat, ipse sibi nimium tribuat. In quo discipulum se Caluini demonstrat, qui lib. 4. Institut. cap. 7. cùm nihil haberet, quod euidentissimis testimonijs huius sanctissimi Pontificis responderet, transijt ad conuitia, ac Leonem auidum gloriæ, & dominationis plus nimio fuisse contendit. Neque contentus fuit Auctor Apologiæ sanctum Leonem ambitionis notasse, quem tota semper antiquitas vt doctissimum atque optimum Pontificem, & sanctitatis gloria excellentissimum venerata est; sed addidit etiam falsam historiam. Scripsit enim pag. 101. *Contendebat*, inquit, *tunc temporis cum eo de Primatu Patriarcha Constantinopolitanus; & in Concilio Chalcedonensi, Episcopi sexcenti, & quod excedit, æqualem auctoritatem illius se dis Patriarchæ adscripserunt, nec priuilegium Romanæ sedis supra Constantinopolitanam vllo modo passi sunt; sed contra eum decretis suis suffragijsq; pugnarunt.* hæc ille. Sed verum quidem est Patres Concilij Chalcedonensis tribuere voluisse Episcopo Constantinopolitano paria priuilegia: falsum tamen est, quod de Primatu cum Episcopo Romano Constantinopolitanus Patriarcha contenderet. paria enim priuilegia intelligebant respectu inferiorum: sic tamẽ, vt Romanus Pontifex primum locum haberet, vt semper habuerat; Constantinopolitanus autẽ ad secundũ ascenderet, qui locus Alexandrini Episcopi ante fuerat. Id probamus primò ex ipsis verbis Cõcilij Chalcedonẽsis, vbi legimus, Patres Concilij voluisse renouare Canonẽ Cõcilij Constantinopolitani. Canon autẽ Concilij Constantinopolitani hic fuit: Constantinopolitanæ Ciuitatis Episcopũ habere oportet Primatus honorem post Romanũ Episcopũ, propterea quod sit noua Roma. Secundò, probamus ex epistola Concilij Chalcedonensis ad Leonem, qua petijt confirmari decreta sua: in qua epistola nullã mentionem faciunt parium priuilegiorum, solùm dicunt se renouasse Canonem secundæ Synodi, quo secundus honor Episcopo Constantinopolitanò tribuebatur. Tertiò probamus ex ipso Leone, qui Epist. 59. respondens ad Concilij literas, & in multis alijs epistolis ad Imperatorem, & ad varios Episcopos de hac causa, nusquam meminit pariũ priuilegiorum: sed vbiq; acriter damnat Episcopi Constantinopolitani ambitiosam cupiditatẽ, quòd se Alexandro atq; Antiocheno Episcopo anteponere voluisset. Quartò probamus ex S. Gregorio, qui affirmat Constantinopolitanum Episcopum subiectũ fuisse Episcopo Romano, etiam quãdo iam obtinuerat, quod in secunda & quarta Synodo definitum erat. Sic.n. scribit l. 7. epist. 63. ad Ioannem Siracusanũ: De Sede, inquit, Cõstantinopolitana quis dubitet eã Apostolicæ Sedi esse subiectam? quod & Dominus pijssimus Imperator, & Frater meus Eusebius eiusdẽ Ciuitatis Episcopus assiduè profitẽtur. Falsò igitur Auctor Apologiæ scripsit Cõcilij Chalcedonensis Patres nullo modo passos esse, vt Romana sedes supra Constantinopolitanam priuilegium vllum haberet: vt etiam illud, Episcopum Constantinopolitanum cum Romano Pontifice de Primatu Ecclesiæ contẽdisse. Addit postremò sanctum Leonem, quãuis nimis multa sancto Petro tribuerit, nihil tamẽ Cæsari ademisse, sed & honoris vocabula, & auctoritatis priuilegia, & potestatem conuocandi Concilia arbitratu suo ei tribuisse: id, quod probat ex epist. 9. ad Theodosium, vbi sic legimus: Si Pietas Vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur annuere, vt intra Italiã haberi iubeatis Episcopale Concilium. & ex epist. 16. ad Flauianũ: Quia Clementissimus Imperator, pro Ecclesiæ pace sollicitus Synodum voluit congregare, quamuis appareat, rem de qua agitur, nequaquã Synodi indigere tractatu. & ex epist. 17. ad Theodosium: Quamuis ad diem Concilij Episcopalis, quem Pietas Vestra constituit, occurrere me nulla ratio permittat. Ad hæc loca breuiter respondemus, negari non posse quin in Concilijs Generalib. indicendis, aliqua esset Imperatoris auctoritas. neque enim decebat, vt in Ciuitatibus Imperatori subiectis, tanta Episcoporum multitudo conueniret, sine consensu & voluntate Imperatoris. sæpe etiam Imperatores pij de communi bono Ecclesiarum, & pace solliciti, Concilia fieri cupiebant, & annuente Pontifice indicebant, sed neque illud negari debet, præcipuam auctoritatem in ijsdem indicendis Concilijs fuisse apud summũ Pontificem, ita vt sine consensu Pontificis maximi nulla Cõcilia rata fuerint: sine cõsensu autẽ Imperatoris multa fuerint rata. Ac vt aliqua testimonia adducamus,

Num penes Imp. sit potestas indicendi Concilia.

in Con-

in Concil. Chalcedonensi Act. 1. iubetur Dioscorus non sedere inter Episcopos, eo quòd Synodum facere ausus fuerit sine auctoritate Apostolicæ Sedis: Quod, inquiunt, nunquam licuit, nunquam factum est. Et in septima Synodo Act. 6. irritum iudicatur Concilium quoddam Constantinopolitanum, quòd ab Imperatore congregatum fuisset, sine consensu Apostolicæ Sedis. Et in Concilio quarto Romano in causa Symmachi, cùm Episcopi aliquot Theodorico Regi, qui Synodum conuocauerat, libertate Sacerdotali dixissent, ab ipso Papa debuisse Concilium conuocari: respondit Rex, id ipsum per literas Symmachum Pontificem postulasse. Et cùm Episcopi literas Pontificis videre cupiuissent; Rex continuò iussit ostendi. Simile est quod legimus apud Theodoretum lib. 5. Histor. cap. 9. in epistol. Concilij ad Damasum; Mandato, inquiunt Patres, literarum superiore anno à vestra Reuerētia ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim vsque faciendum nos præparauimus. Proinde Theodosius quidem Concilium indixerat, sed ex mandato literarum Pontificis Damasi. Quale est etiam, quod habemus in Epistola Adriani II. ad Basilium Imperatorē, quæ lecta est in octaua Synodo, Act. 1. Volumus, inquit Papa, per Tuæ Pietatis industriam, Constantinopoli numerosum conuocare Concilium. Item id quod scribit Sixtus Papa III. Sancti Leonis prædecessor in epistola ad Orientales: Augustus, inquit, Valentinianus nostra auctoritate Synodum conuocauit. Denique addamus vnum ipsius etiam Leonis Pontificis testimonium. Is in epist. 93. quæ est ad Turbiū: Dedimus, inquit, literas ad fratres & Coepiscopos nostros, eisque Concilium Synodi Generali indiximus. Ac de his hactenus, quæ in libris Catholicorum Scriptorum fusissimè disputata inueniuntur.

Pag. 102. Aggreditur Auctor aliam digressionem. *De vno verò verbo, inquit, quod ab eo ponitur in media quasi turba exemplorum, non sanè possum, quin eum vehementer collaudem. Id autem vnum, hoc est: quòd omne genus supplicij, ipsamq́; adeo mortem Martyres tolerare oporteat, potius quàm vnam syllabam diuinæ legis corrumpi sinant. Ad quam amussim si ipse se exigeret, & reliqui eiusdem fidei cum illo professores sese componerent; nec Eucharistia iam administraretur sub vna specie cōtra euidentissimam Christi institutionem, contra praxim Apostolorum, institutumq́; totius primitiuæ Ecclesiæ per non pauca secula; Nec verò Missæ priuatæ successissent in locum Cœnæ Dominicæ, nec verba Canonis Missæ verbis opponerentur Sanctorum Lucæ & Pauli; in quo habemus aduersarium nostrū confitentem reum, & omnino reconciliari ea posse negantem inter se.* hæc ille, qui quàm verè loquatur in ijs, quæ sine vlla probatione dicit de communione sub vna specie, & de Missis priuatis; intelligi poterit ex mendacio, quod adiungit de oppositione verborum Canonis ad verba Sanctorum Lucæ & Pauli. Et quoniam habere se dicit Bellarminum aduersarium cōfitentem reum, & ea reconciliari inter se posse negantem, adscribemus ipsa Bellarmini verba ex loco, quem ipse allegat. Sic igitur scribit Bellarminus lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 14. Secundò calumniatur Chemnitius detracta esse illa verba ex consecratione panis, Quod pro vobis traditur, vel frangitur. Respondeo, illa verba non haberi apud Matthæū & Marcum, nec apud Iustinum Apologia secunda, Cyrillum catechesi 4. Mystagogica; & Eusebium Emissenum homil. 5. de Paschate: cū tamen ij omnes referant formam consecrationis. Et sicut hos Auctores reprehendere non possumus; ita nec nostram Missam reprehendere vllus deberet, præsertim cùm antiquior sit liturgia nostra, si à sancto Petro prodijt (vt sanctus Thomas docet 3. p. quæst. 18. articul. 2. ad 4. & ante eum Leo IX. in epistola ad Michaelem cap. 5.) quàm Euangelium Lucæ, & Epistola Pauli, qui addiderunt illa verba, Quod pro vobis frangitur. Hæc sunt verba, in quibus Auctor Apologiæ dicit contineri oppositionem verborum Canonis Missæ ad verba Lucæ & Pauli; & ex quibus gloriatur se habere aduersarium confitentem reum, & negantem ista posse vllo modo inter se conciliari. At vbi est in his verbis vlla mentio oppositionis? vbi est contradictio irreconciliabilis? vbi confessio rei? Docet Bellarminus Canonem Missæ optimè se habere, etiam si in eo desint pauca illa verba, Quod pro vobis frangitur. Probat primò, quia consecratio panis est apud Matthæū, & Marcum sine illis verbis, quod est argumentum certissimum, ea verba non esse de essentia consecrationis; alioqui enim, qui habebant Euangelium solius Matthæi, vel solius Marci, non rectè consecrationem peregissent. Probat secundò, quia Iustinus Martyr, Cyrillus Hierosolymitanus, & Eusebius Emissenus referūt verba consecrationis sine illis verbis. Probat tertio, quia liturgia nostra Latina censetur à sancto Petro tradita; proinde verba consecrationis, quæ sunt in nostro Canone reprehendi non possunt, etiamsi careant illis verbis, quæ sunt addita à sanctis Luca & Paulo. quæ verba non sunt contraria verbis Canonis, alioqui essent etiam contraria verbis sanctorum Matthæi & Marci. sed nulla est contrarietas. Nam Matthæus & Marcus breuiùs; Lucas & Paulus paulò fusiùs rem eandem scribere voluerunt.

Iam verò quoniam Bellarminus in Epistola sua meminerat Nicolai Sanderi, eumq́; laudauerat, vt hominem de Ecclesia Anglicana optimè meritum; Auctor Apologiæ respondet pag. 104. Sanderum fuisse quidem optimè meritum de Ecclesia AngloRomana, sed meritum pessimè de Regina Anglicana, & vniuerso Regno. Id vt probet, describit aliquot sententias ex libris eius, quas ironicè aureolas vocat: sed eæ sententiæ nobis verè aureæ esse videntur: quas tamen omittimus hic adscribere, quia nec aduersarius ad eas refellendas aliquid attulit; & nos librum nostrum ex alienis scriptis augere non volumus.

Pag. 106. reprehendit Bellarminum, quod prope finem Epistolæ suæ scripserit, Ioannem Roffensem & Thomam Morum mortem oppetijsse pro hoc vno grauissimo dogmate de Primatu Pontificis: ac probare nititur eos mortem oppetijsse, non pro hoc vno dogmate,

Mendaciū circa Missas priuatas.

An Catholici discedant à verbo Dei.

De Nicolao Sādero.

De Ioanne Roffensi & Thoma Moro.

ſed etiam quòd approbare noluerint ſecundum matrimonium Regis Henrici; & affert ipſa verba Thomæ Mori ad Iudices: Non ignoro, inquit, cur me morti adiudicaueritis; videlicet ob id, quod numquam aſſentire voluerim in negotio matrimonij Regis. & tandem ſubijcit Auctor Apologiæ: *Quæ meo iudicio valde carnalis cauſa Martyrij fuit*. At Bellarminus non dixit Ioannem Roffenſem & Thomam Morum pro hac ſola cauſa Primatus mortem oppetijſſe; ſed pro hac vna cauſa duces fuiſſe plurimis ad martyrium. Illi enim, qui regnante Elizabetha necati ſunt; non pro cauſa matrimonij, ſed pro cauſa Primatus necati ſunt: illis autem duces ad Martyrium Roffenſis & Morus fuerunt. Quòd autem duo iſti Clariſsimi Viri pro Primatu Pontificis aſſerédo, & Primatu Regis deteſtando mortui ſint, Auctor Apologiæ negare non poteſt, niſi verborum ſuorum obliuiſci velit, quæ in hoc ipſo libro pag. 48. habentur. *Sub Henrico*, inquit, *octauo primùm introductum eſt Iuramentum Primatus; ſub eoq́, Thomas Morus & Roffenſis ſupplicio affecti, idq́, partim ob eam cauſam, quòd Iuramentum illud recuſarent*. Sed neque cauſa matrimonij à cauſa Primatus tantùm differebat, vt non poſſet etiam ad Primatus cauſam reuocari. quod enim in quæſtionem tunc vertebatur circa matrimonium, Illud erat; Vtrùm ſummus Pontifex diſpenſare potuiſſet, vt Héricus Catherinam vxorem fratris ſui Arthuri iam defuncti duceret. Poſita enim legitima diſpenſatione, Catherina legitima Henrici vxor erat. at verò legitima vxore viuente, non poterat Henricus Annam Bolenam coniugem accipere. Ex quo ſequitur vt Roffenſis & Morus, qui mori maluerunt, quàm ſecundum matrimonium approbare, pro legitima poteſtate ſummi Pontificis in diſpenſando, mortem oppetierint. Cui autem carnalis cauſa martyrij ſuſcipiendi videtur eſſe cauſa illegitimi matrimonij, is poterit etiam irridere ſanctiſsimum Præcurſorem Domini noſtri, quod carnalem cauſam martyrij habuerit, quem conſtat ab Herode occiſum, quòd eius illegitimum matrimonium liberè improbaret.

Quod verò contra B. Martyrem Roffenſem Auctor adducit pag. 109. vniuerſalem atque Catholicum Eccleſiæ Anglicanæ conſenſum; ac dicit vniuerſalitatem apud Bellarminum eſſe notam veræ Eccleſiæ, omnino ridiculum eſt. Quaſi Chriſtianæ Eccleſiæ vniuerſitas, ad vnius Inſulæ anguſtias redigi debeat: & quaſi non ſciamus Catholicum illum conſenſum Eccleſiæ Anglicanæ, nihil fuiſſe aliud, niſi conſenſum partim hominum adulatorum, partim vi, & metu compulſorum. cui conſenſui opponere Roffenſis potuiſſet conſenſum Orbis terræ, id eſt, Eccleſiarum Catholicarum toto terrarum orbe diffuſarum.

Martyres qui ſecuti ſunt Roffenſem & Morum in Anglia.

Simile eſt, quod addit pag. 110. Perpaucos fuiſſe è popularibus, nullos autem ex inſignioribus Viris, qui Roffenſem & Morum pro hoc dogmate ad Martyrium ſecuti ſunt. Nos enim ex hiſtorijs propè innumerabiles omnium generum adducere poſſemus, qui ab anno 1535. (quo anno duo illa lumina occubuerunt) vſq; ad hunc annum 1608. tum regnante Henrico, tum regnante Elizabetha, tum regnante Iacobo, pro fide Primatus Apoſtolici ſanguinem effuderunt. Conſulat, qui carnificinam horribilem ſpectare cupit, librum ſeptimum Nicolai Sanderi de viſibili Monarchia, librum eiuſdem de Anglicano ſchiſmate, Commentarium Laurentij Surij de rebus geſtis in Orbe terrarum ab anno 1500. librum de vita & Martyrio Carthuſienſium Monachorum, & alios ſimiles libros non paucos.

Ad extremum Auctor Apologiæ confirmare aggreditur ex verbis Dei Primatum Regium in ſpiritualib. ac primùm producit multa argumenta ex Teſtamento veteri: quæ, vt ab ipſo curſim producuntur; ſic etiam à nobis curſim refutabuntur.

Quæ ſcripturæ teſtimonia afferantur pro Regis Primatu.

Primò, *Sub veteri*, inquit, *teſtamento Reges propriè erant gubernatores Eccleſiæ. 2. Chron. 19. 4.* At ne nomen quidem Eccleſiæ eo loco legitur: & in eodem capite diſtinguitur officium Regis ab officio Pontificis. Amarias Sacerdos & Pontifex in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Non igitur Rex Primatum habebat in ſpiritualibus, cùm ea ad officium eius non pertinerent.

Secúdò, *Reges corruptelas purgauêre, abuſus ſuſtulêre. 2. Sam. 5. 6.* At nihil eiuſmodi legitur in loco citato, niſi ſit error in numeris. quáquam etiam nó negamus, poſſe ac debere Reges corruptelas & abuſus, ſiue in moribus, ſiue etiam in doctrina, poſt Eccleſiæ declarationem, legibus & ſupplicijs purgare ac tollere.

Tertiò, *Arcam ad conſtitutum quietis locum perduxêre. 1. Chron. 13. 12. & eidem Arca deportãda ipſi præſultauêre. 2. Sam. 6. 14.* At non ſoli Reges, ſed etiam Sacerdotes communi conſilio Arcam deduxerunt: & licuit quidem Dauidi Regi ludere ac ſaltare ante Arcam, quod humilitatis & reuerentiæ erat: non tamen licuit illi arcam contingere, quod poteſtatis Sacerdotalis erat.

Quartò, *Templum ædificauêre, 1. Chron. 28. ædificatum dedicauere, & ſuis corporibus opus conſecrationis præſentes cohoneſtauêre. 2. Chron. 6.* At ſicut Templa ædificare, Deoque dicare, ad magnificentiam Regum, & ſacris ſolemnijs, quibus Templa conſecrantur, intereſſe ad pietatem eorundem Regum pertinere concedimus: ita negamus in ipſo Templo Pontificale munus attingere illis vllo modo poſſe permitti. Ex quo ſequitur, vt Primatus in ſpiritualibus Regi nulla ratione conueniat, cuius rei teſtis eſſe poteſt Rex Ozias, qui cùm ſe Caput Eccleſiæ eſſe arbitraretur, velletque incenſum adolere Domino, continuò à Sacerdotibus repulſus fuit: & cùm Sacerdotibus non acquieſceret, mox adfuit vindicta diuina. Nam lepra diuinitus percuſſus, non ſolùm ex Templo expelli meruit; ſed etiam in domo ſeparata habitare coactus eſt. 2. Paralip. 26.

Quintò, *Librum legis de nouo repertum populo recitare fecêre. 2. Reg. 22. 11.* At neſcio vbi inuenerit auctor iſte librum de nouo inuentum, populo iuſſu Regis legi debuiſſe. Nam in noſtris Biblijs loco ab ipſo notato, habemus librum in Templo à Pontifice inuentum, & lectum:

ctum: deinde lectum etiam coram Rege, & Regem misisse aliquos, qui consulerent Dominum super verbis libri. Sed quid hic est pro Primatu Regis in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus?

Sextò, *Fœdus inter Deum, populumque redintegrauêre. Nehem. 9.38. & 2.Reg. 8. 4.* At nulli erant Reges apud Iudæos tempore Nehemiæ: quomodo ergo Reges fœdus redintegrauere inter Deum & populum? Non igitur Reges, sed primores Iudæorum tum Leuitici generis, tum etiam aliarum tribuum fœdus iterum percusserunt cum Deo; sed illud tamen admittimus, quamuis scriptum non sit neq; Nehem.9.38. neque 2.Regum 8. 4.ad Reges pertinere, redintegrare fœdus inter Deum & populum: quoniam ipsi Reges fuerunt in causa, cur populus per Idololatriam à Deo recederet. Addo quòd 4.Regum 15.Pontifex percussit fœdus inter Deum, ac Regem, ac populum.

Septimò, *Serpentem aneum confregêre, quamuis in deserto & Dei mandato erectum, & Christum Dominum suo modo figurantem. 2.Reg.18.4. Idola omnia Deosq; falsos exterminauêre, 1.Reg. 15.12.* Rectè Ezechias Rex serpentem æneum confregit, quoniã populus ad Idololatriam propensus, serpenti illi, qui numini cuidam Sacrificia offerre cœperat. Rectissimè etiam Asa Rex confregit Idola, quæ fuerunt à Regibus prædecessoribus fabricata; sed non ideo Rex primatum habet in rebus spiritualibus, quia scelus Idololatriæ punire potest. Hac enim ratione seruiunt Reges Deo, dum hostes Ecclesiæ, quales sunt Idololatræ, hæretici & schismatici, ab ipsa Ecclesia damnati, & declarati, legibus & gladio puniunt.

Octauò, *Reformationes publicas instituêre, conuocatis eo fine & congregatis mixtim cum sacerdote laicis, 2.Chron.17. 8.* Non inuenio loco notato eiusmodi reformationem: sed solùm quòd miserit Iosaphat multos ex Leuitis & Sacerdotibus, alijsque viris doctis, qui populos docerent. Ista verò missio studium ac zelum Regis ostendit; Primatum in spiritualibus non ostendit. Ad Primatum enim propriè pertinet docere, & legis diuinæ dubia explicare, quod munus nõ Regi, sed summo Sacerdoti tribuitur, Deuter.17. cui omnes sub pęna vltimi supplicij parere tenebantur.

Nonò, *Pontificem summum exauctorauêre, aliumq; in eius locum subrogauêre, 1.Reg.2.27.* At Pontifex quoque Reginam non solum exauctorauit, sed etiam interfici iussit, & Regem alium subrogauit. 4. Reg.11. & aliud est facta Regum referre, aliud auctoritatem, potestatemque probare. vt omittam, quòd factum illud Salomonis ex 1.Reg.2.tribui solet Salomoni, non vt Regi, sed vt Prophetæ, extraordinariam potestatem diuinitus obtinenti.

Decimò, *In summa,* inquit, *cuncta moderati sunt, qua ad Ecclesiasticum regimen quoquo modo pertinuêre.* At hic oportuit allegare verbum Dei, non in particularibus illis officijs, de quibus non controuertitur. De hoc enim quæstio est, an Regi conueniat regimen Ecclesiasticũ; non autem an liceat Regi Templa ædificare, ante Arcam Domini saltare, Idololatras interficere, & alia id genus; sed hic, vbi minimè o-

A portuit, deseruit Auctorem Apologiæ Verbum diuinum. *At,* inquit, *Scriptura ornant Reges titulis honorarijs, qui ab actionibus illis non discordant. vocantur enim filij Altissimi, imò vero Dij, & vncti Domini, in Dei solio sedentes, famuli Dei, imò Angeli Dei, facti iuxta cor Dei, Lumina Israelis, Nutricij Ecclesia.* Sed primus titulus, pro quo allegatur locus 2. Samuel. 7. non conuenit Regibus generatim; sed solum Salomoni, vt figura Christi erat, de quo dictum est ab Angelo, Et filius Altissimi vocabitur. Lucæ 1. quamquam in Deuteron. cap.32. toti populo dicitur, Nonne ipse est Pater tuus, qui fecit te, & creauit te? & nos omnes Deo dicimus, Pater noster qui es in Cælis? Secundus titulus non solis Regibus, sed omnibus Iudicibus conuenit, siue Ecclesiastici, siue politici sint. Sic enim

B locum ab Auctore citatum Psalm.81. Ego dixi dij estis intelligendum esse docent illa verba eiusdem Psalmi, Deus stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat, vsquequo iudicatis iniquitatem, &c. Locus quoq; ex libro Exodi allegatus cap.22. de Iudicibus, non Regibus intelligitur. quia nulli tunc erant Reges in populo Dei. Tertius titulus communis est Regibus cum Pontificibus: vtrique enim apud Hebræos vngebantur. apud nos autem multi Reges non vnguntur, nulli autem Pontifices sine sacro oleo consecrantur. Quartus titulus non scio vnde huc irrepserit. Nam in lib.2.Samuel.cap.3. 10. qui locus ad marginem allegatur, Thronus Dauid legitur, Solium Dei non legitur. Quintus titulus nimis est vulgaris; quippe qui conuenit omnibus rebus creatis, de

C quibus dicitur Psal.118. Quoniam omnia seruiunt tibi. Sextus titulus in loco allegato lib.2. Samuelis cap.14. soli Dauidi tribuitur, non ob Regiam potestatem, sed ob singularem sapientiam, qua præditus erat. De Sacerdote autem generatim scribit Malach.cap.2. Labia Sacerdotis custodiunt sciẽtiam, & legem requirent ab ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Septimus titulus proprius est Dauidis, non communis omnibus Regibus; alioqui etiam Saul, & Hieroboam, & Achab, & cæteri fuissent secundum cor Dei. Octauus magis conuenit Sacerdotibus, quàm Regibus. illi enim erant lucernæ; vel, vt Auctor loquitur, luminaria Israel: istis autem Dominus dicit, Vos estis lux Mundi, Matth.5. Nonus titulus verè, propriequе Regibus conuenit, vt sint Nutri-

D cij Ecclesię, sed tantò est inferior eo titulò, qui conuenit Sacerdotibus, ac præcipuè Summis Pontificibus; quantò nutricius est inferior parente. Summum enim Pontificem Patrem esse Christianæ plebis sanctus Augustinus dicit in epist.161. & totius Orbis Christiani vsus confirmat. Quare, si nihil aliud habet auctor Apologiæ ex verbo Dei, vnde Primatum Regis in rebus Ecclesiasticis stabiliat; verè possumus affirmare, non ex verbo Dei, sed ex verbo Henrici VIII. Primatum istum in Angliam esse inuectum.

Sed Auctor Apologiæ quasi iam ex Testamento veteri fundamenta solidissima iecisset, addit pag.112. ex Testamento nouo reliquam ædificationem. *Quid,* inquit, *in nouo Testamento? Omnis anima ijs subijci iubetur, idque propter con-*

De eadem re ex Testamento nouo.

scientiam, Rom.13. Orandum quidem & pro omnibus, sed præcipuè pro Regibus, & in auctoritate constitutis, vt sub ijs piam & pacatam, honestamq; vitam degamus, 1. Timoth.2. Magistratus Dei administer est, & ad vlciscendos facinorosos, innocentes autem atque probos remunerandos, Rom. 13. Omnibus quidem obtemperandum est superioribus potestatibus, sed potissimùm Principibus, & in eminētia collocatis, 1. Pet.2. Reddite vnicuique quod suum est, timorem cui timor, amorem cui amor iure debetur, Rom.13. Date Cæsari quæ Cæsaris sunt, Deo quæ Dei sunt, Matt.22. Regnum meum non est huius mundi, Ioan.18. Quis me constituit Iudicem super vos? Luc. 12. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, Luc.22.

Responsio ad loca Testamenti noui allata pro Regis Primatu.

Hæc sunt omnia testimonia Verbi Dei, quæ aduersarius pro Primatu Regis in spiritualibus ex nouo Testamento allegare potuit. Ad quæ vnico penè verbo responderi potest. Ex his testimonijs nihil effici pro Primatu Regis in spiritualibus, nisi velimus Reges Paganos, & Ecclesiæ persecutores factos esse à Deo supremos Ecclesiæ gubernatores in rebus spiritualibus. Nam hæc testimonia ad Imperatores Paganos pertinent, quales erant cùm Testamentum nouum scriberetur, videlicet ad Tiberium, Caium, Claudium, & Neronem. Et quamuis aliquæ sententiæ ex citatis conuenire possint etiam Regibus Christianis, aliquæ etiam ad omnes Principes tum Ecclesiasticos, tū sæculares iure pertineant, qualis illa est; Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit; tamen nemo inficiari potest, quin Regibus quoque Paganis conueniant, vt quæ doctrinam contineant Principibus ómnibus cómunem, siue Pagani, siue Christiani sint. Alioqui frustra Petrus, & Paulus Christianos sui temporis admonuissent officij erga Reges, siue Imperatores, quos Paganos esse ignorare non poterant. Ac nemo est, qui non videat, quàm sit absurdum, vt Reges Pagani qui non sunt de Ecclesia, Primatum habeant in Ecclesia: & qui Christi hostes sunt, Vicarij Christi sint: & qui Christum abnegari, & Idola coli iubent, ijs à Christianis in spiritualibus, vt summis gubernatoribus sit obediendum. Deinde quales argumentationes istæ sunt, & secundum quam regulam Dialecticæ concludunt: Reges gentiū dominantur eorum, vos autem non sic: ergo Rex Primatum habet in Ecclesia in rebus spiritualibus? Vel, Regnum meum non est huius mundi: ergo Rex est supremus gubernator, etiam in causis Ecclesiasticis? Vel, Reddite quæ sunt Cęsaris Cæsari, quę sunt Dei Deo: ergo Papa nullum ius habet in Anglia, nec etiam quoad spiritualia? Credo equidem, si aduersarius libros Priorum Analyticorum Aristotelis summa diligentia annis multis euolueret; nunquam medium terminum in his argumentationibus inueniret. Quæ cùm ita sint, desinat aduersarius in Scripturis sanctis ludere, earumq; testimonijs abuti ad eum Primatum stabiliendum, quem non solùm Ecclesia Catholica semper detestata est; sed etiam Caluinus ipse cum schola Geneuensi nunquam approbauit: & quem in ipsa Anglia, vt à Regia cupiditate exortum, ipsi etiam Puritani molestissimè semper tulerunt.

A Venio nunc ad ea, quæ Auctor Apologiæ pag.114. & 115. ex Bellarmini scriptis attulit in medium, ad inuidiam illi conflandam; quasi parùm honorifica, vel etiam iniuriosa Principibus, & suprascriptis titulis contraria sint.

Falsa Bellarmino adscripta.

Primò, ponit Bellarminus, Reges seruos potiùs esse quàm dominos, lib. de laicis cap.7. in libro Anglicè scripto, ad augendam inuidiam, Reges non serui qualescunque, sed mancipia nominantur.

Respondeo, sententiam Bellarmini ex Augustino desumptam esse, qui sic ait lib. 19. de Ciuit. Dei cap.14. Qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare. Vbi qui imperant, non dicuntur serui quasi subiecti sint populis, sed quia laborant regendo, & imperando, non propter suam vel vtilitatem, vel cupiditatem, quòd Tyrānorum est; sed propter populi vtilitatem, & propter publicum bonum: B quomodo B. Paulus seruum se Corinthiorum appellauit 2.Cor.4. quia in eorum commodum laborabat; & tamen in eos potestatem habebat, eisque minabatur, dicens: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis? 1.Cor.4. quomodo etiam Magnus Gregorius Seruum seruorum Dei se nominabat: quem titulum, vt valde honorificum, successores omnes imitati sunt.

Secundò, Dicit idem Bellarminus, Reges subiectos esse non solùm Pontificibus, sed etiam Presbyteris, & Diaconis, lib. 1. de Pontif. cap.7.

Respondeo, id Bellarminum non ex capite suo, sed ex sancto Ioanne Chrysostomo accepisse, cuius hæc verba sunt homil.83. in Matth. C Si Dux quispiam, si Consul, si is qui diademate ornatur indignè adeat, cohibe & coerce, maiorem tu illo habes potestatem. hæc ille, qui ad Diaconum loquebatur cùm hæc diceret.

Tertiò, Quòd Imperatorem non grauatè bibere oporteat non solùm post Episcopum, sed etiam post Presbyterum. Ibidem.

Respondeo, neque id Bellarminum ex se affirmare, sed referre iudicium sancti Martini apud Maximum Imperatorem discumbentis: quam historiam refert Sulpitius in vita sancti Martini.

Quartò, Quòd Regum auctoritas, atque functio, non immediatè ex Deo descendat, neque ex iure Diuino, sed duntaxat ex iure gentium. Ibidem, & lib. de Clericis cap.28.

D Respondeo, Bellarminum id asserere ex communi sententia omniū penè Scriptorum, & ex ipso vsu. Videmus enim Regna in Respublicas, & Respublicas in Regna mutari, & tamen vtrumque regimen æquè iustum haberi: quod nullo modo fieret, si Regum auctoritas non ex humana voluntate, sed ex Diuino iure penderet.

Quintò, Quòd à Pontificibus Imperatores multi depositi fuerint; nulli autem Pontifices ab Imperatoribus. lib.3. de Pontif. cap.16.

Respondeo, Nusquam dicere Bellarminum nullum Pontificem fuisse depositum ab Imperatore: sed si illud etiam addidisset, verum dixisset. siquidē Ioannes XII. & Gregorius VI. Etsi qui alij sunt, qui ab Imperatoribus depo-

fiti fuisse dicantur; non propriè ab Imperatoribus,sed à Concilijs Episcoporum,Imperatoribus procurantibus depositi fuerunt. Idque non legitimè, sed per iniuriam factum fuisse facilè demonstrare possemus. & nunquam legitimum Pontificem iure ab Imperatore potuisse deponi.

Sextò, Quòd Episcopis, qui mancipia sunt Papæ,deponere licet Principes,& eorum leges rescindere.

Respondeo,Meritò non adscribi locum ex libris Bellarmini,quia eiusmodi locus non extat in eius libris.Neque Episcopi mancipia,sed Venerabiles Fratres à summis Pontificibus appellantur.

Septimò, Quòd Ecclesiastici homines tam longè supra Principes sint, quàm anima supra corpus, lib.de Laicis,cap.18.

Respondeo,Id non de quibuslibet Ecclesiasticis,sed de Principibus Ecclesiarũ dici;& eam sententiam apud sanctum Gregorium Nazianzenum in Oratione ad populum timore perculsum,& Præsidem irascentem, totidem verbis haberi.

Octauò, Quòd Reges deponi possunt per subditos suos ob multas causas. lib.5. de Pontif. cap.8.

Respondeo, Non bona fide aduersarium agere. Bellarminus enim in loco citato, non dicit Reges posse per subditos suos deponi; sed solùm profert duodecim exempla, partim ex Testamento veteri,partim ex Historijs diuersis, vel decretis Ecclesiasticis,ex quibus constat Reges,vel Imperatores aliquando à Summis Pontificibus fuisse depositos. de depositione per subditos ne verbum quidem.

Nonò,Pontifices nullo modo deponi posse: nemini enim mortalium permissum esse de ijs iudicare.lib.2. de Pontifice,cap.26.

Respondeo,Quod Bellarminus scripsit,ante multa sæcula in generalibus Concilijs, quæ ipse eo loco citauit, disertis verbis scriptum esse. proinde aduersarius,vt in superioribus, sub nomine Bellarmini, sanctos Patres Augustinum,Chrysostomum, Martinum, Nazianzenum reprehendit; ita hoc loco non soli Bellarmino,sed etiam pluribus Generalibus Concilijs litem mouere præsumpsit.

Decimò, Quòd obedientia Papæ debeatur propter conscientiam.lib.4.de Pontif. cap.15.

Respondeo,Aduersarium satis feliciter progredi in accusatione Bellarmini. qui enim sub nomine Bellarmini sanctos Patres, & sacra Concilia hactenus accusauit; nunc tandem ipsum etiam Dei Verbum, & Spiritum sanctum accusat. quod intelliget, quicunque caput sequens,id est, caput sextumdecimum, lib.4.de Pontifice,legere voluerit. Nam eo loco multis, ijsque perspicuis diuinæ Scripturæ testimonijs ostẽditur,non solùm Pontificem summum,sed etiam Episcopos cæteros leges condere posse,quibus ob conscientiam parere subditi teneantur.

Vndecimò,Quòd obedientia Regi non alio respectu debeatur, quàm propter ordinem politicum.lib.de Clericis,cap.28.

Respondeo, Aduersarium more suo calumniatorem se prodere. Neq; enim eo loco Bellarminus disputat de obedientia, quæ Regi à subditis debetur. de ea enim disputat in libro de Laicis;vbi cap.3.& cap.11. probat ex diuinis literis non solùm deberi Regibus,alijsque politicis Magistratibus obedientiam; verum etiam coram Deo, & propter conscientiam. In libro autem de Clericis, cap. 28. demonstrat Clericos exemptos esse à Iurisdictione Principum sæcularium, ac per hoc non esse subditos Regibus : sed debere tamen leges eorum de temporalibus rebus obseruare, nõ vi legis, sed vi rationis;id est, nõ quia subditi sint, sed quia ratio dictat, ob commune bonum & pacem Reipublicæ, eas leges ab omnibus esse seruandas.

Duodecimò,Quòd ipsi illi homines Ecclesiastici,qui & nati sunt & degũt in Regnis Principum; non tamen sunt eorum subditi, nec ab ijs iudicari possint: ipsis autem fas sit Principes suos iudicare. Ibidem.

Respondeo,Aduersarium ad inuidiam Bellarmino conflandam semper aliquid addere, quod in libris Bellarmini non inuenitur. Affirmat quidem Bellarminus cum cõmuni sententia Catholicorum,Ecclesiasticos exemptos esse à potestate Principum terrenorum : sed illas particulas(qui & nati sunt,& degunt in Regnis Principum) Bellarminus in libro suo non posuit;non quòd veras esse non existimet, sed quia non erat opus ad ista descendere; sed Aduersario opus fuit ista exprimere ad odium concitandum. Illud verò (ipsis autem fas sit Principes suos iudicare) non solùm Bellarminus non dixit,sed falsum esse credit.Hæc enim verba significant, Fas esse cuicunque Ecclesiastico,etiam maximè priuato, Principem suum iudicare: quemadmodum vnusquisque Ecclesiasticus, etiam maximè priuatus, exemptus est à subiectione Principis sæcularis. At vnicuique Ecclesiastico, etiam priuato, fas esse Principem suum iudicare, Bellarminus nunquam dixit, nunquam credidit, nunquam somniauit.

Decimotertiò, Denique quòd obedientia, quam Clerici tribuunt Regibus, etiam in minimis mereque ciuilibus negotijs, non fit à necessaria aliqua subiectione, sed tantùm ex discretione, & propter obseruantiam boni ordinis atque moris.Ibidem.

Respondeo, Non esse hanc propriam sententiam Bellarmini, sed omnium Catholicorum Doctorum, tum Theologorum, tum Iurisconsultorum. quamuis enim Catholici Scriptores disputent, quo iure data sit exemptio Clericis: tamen datam esse, & vsu receptam ab antiquissimis temporibus, nemo Catholicorum in dubium vertit.

Quæ cùm ita sint,cùm Aduersarius colligit immane discrimen esse inter librum Dei, & Bellarminianos Codices, & non magis Deum & Belial, lucem & tenebras, Cælum denique & Inferos distare, quàm Bellarminianum iudicium de Maiestate Regia à diuino de ijsdem iudicio dissideat : eadem facilitate, sed maiori temeritate colligere potuisset, sanctos Patres, & ipsam diuinam Scripturam de Maiestate Regum, cõtraria iudicia protulisse. nihil enim Bellarminus asseruit de Pontificum potestate,

de Clericorum exemptione, de Regum & Principum obedientia, quod ex verbo Dei, Conciliorum auctoritate, doctrinis Patrum, & Ecclesiæ sensu, atque consensu non hauserit.

Conclusio totius operis.

Restat pars Apologiæ postrema, quæ tribus vltimis paginis continetur. In ea laudat Aduersarius verba cohortationis, quibus in epistola sua vtitur Bellarminus; sed reprehendit, quòd tam sanctis sententijs ex ipsa Scriptura petitis nonnullas voces admiscuerit, quarum aliquæ prophanæ sunt: cuiusmodi est illa de Pontifice Maximo, quæ in tota Scriptura nunquam legitur. aliæ soli Christo conueniunt, vt illa de Capite fidei, quam Apostolici soli Christo tribuerunt.

At Bellarminus legit in lib. Iudith cap. 15. Ioacim autem Summus Pontifex, quem librũ tametsi vos Caluiniani cum Iudæis non recipitis inter Sacros libros: nos tamen Catholici cum Nicæna Synodo libenter recipimus. Et quamuis vestri Magistri librum diuinum esse negent: non tamen prophanum appellare audent. Sed præterea, nomen Pontificis, nonne in Scripturis Testamenti veteris frequentissimè legitur? & idem nomen cum adiuncta voce (magnus) nonne legitur in epist. ad Hebræos? Sic enim habemus cap. 4. Habentes ergo Pontificem Magnum, qui penetrauit cælos, Iesum. qua fronte igitur vocem prophanam audes appellare, quam Spiritus sanctus Christo ipsi tribuit? Nisi fortè tantùm interesse putes inter Pontificem Magnum, & Pontificem Maximũ, vt Pontifex Magnus sacra vox, Pontifex Maximus vox prophana dicenda sit. quasi Christus non potuerit piè dici Pontifex Maximus, sicut dictus est Pontifex Magnus. Deinde tot sancti Patres Romanum Episcopum Pontificem Summum, vel Maximum appellauére, vt eorum auctoritas planè sufficiat ad huius hominis temeritatem refutandam. Vide Stephani Episcopi Carthaginensis epistolam ad sanctum Damasum, Gregorium lib. 1. Dialogorum cap. 4. Anselmum præfatione libri de Incarnatione Verbi ad Vrbanum Papam, Bernardum in omnibus epistolis ad Romanos Pontifices, Innocentium Secundum, & Eugenium III.

Quod verò attinet ad nomen Capitis fidei, optassem, vt aduersarius qui affirmat nomen illud soli Christo ab Apostolis fuisse tributũ, vel vnum locum notasset in toto volumine Bibliorum, vbi Apostoli hoc nomen Christo tribuerint. Auctorem fidei, & Caput Ecclesiæ legi Christum ab Apostolis appellatum; sed Caput fidei non legi. sed neque Bellarminus hanc vocem excogitauit, sed ex sancto Gregorio retulit. Non igitur Bellarminum, sed Gregorium aduersarius accuset, si audet.

Claudit Apologiam Auctor, lectores rogans, vt alieni à studio partium, de veritate sententiam ferant, prout illam candidè à se descriptam protestatur, ad discutiendas illas tenebras mendaciorum, ac calumniarum, quę in Regem Serenissimum contra ius fasque collatæ indignissimè fuerant. Ego quoque responsionem claudo. & quoniam spero me calumnias, & mendacia huius Apologiæ luce ipsa solis clariora fecisse; non rogabo lectores, vt iudicium ferant, quasi de re dubia, sed vt oculorum sensum tantùm ad Scripturas admoueant, & à re ipsa edocti, lucem veritatis aspiciant. Illud in extrema oratione lectorem admonendum esse censui; vnam ex notis veræ Ecclesiæ semper fuisse Catholicæ nomen, de quo sanctus Pacianus in epistola ad Sympronianum: Catholicum, inquit, neque Marcionem, neque Apellem, neque Montanum sonat, neque hæreticos sumit Auctores: Catholicum non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit. Item: Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit. Sanctus item Cyrillus Catechesi 18. Si iueris, inquit, in aliquam Vrbem; non petas vbi sit Ecclesia, vel domus Dei; nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei & Ecclesiam: sed petas vbi sit Catholica Ecclesia. id enim nomen proprium est huius Sanctæ Ecclesiæ Matris omnium nostrum. Sanctus Augustinus (vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum) in lib. contra epistolam Fundamenti, cap. 4. describens notas Ecclesiæ, quæ illum in Ecclesia Catholica retinebant: Tenet postremò, inquit, ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa, inter tam multas hæreses, ista Ecclesia sola obtinuit. Vbi ergo Lector Apologiæ tertio quoque verbo videbit Catholicos appellari in ipsa Apologia illos, aduersus quos ipse Auctor Apologię scribit, & à quorum communione se alienum esse profitetur; certè ex ipsa Apologia discet, non Catholicum, sed planè Hæreticum esse huius Auctorem Apologiæ. Ex quo denique facilè iudicabit, quanta sit illi habenda fides in rebus cæteris, qui se ipse proprio iudicio condemnauit.

De nomine Catholici.

(∴)

FINIS.

ROBERTI
BELLARMINI
POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S. R. E. CARDINALIS

APOLOGIA
PRO RESPONSIONE SVA AD LIBRVM IACOBI MAGNAE BRITANNIAE REGIS, CVIVS TITVLVS EST,


Triplici nodo triplex cuneus;

IN QVA APOLOGIA REFELLITVR PRAEFATIO MONITORIA REGIS EIVSDEM.

RVDOLPHO SECVNDO IMP. CAESARI SEMPER AVGVSTO,

CAETERISQVE REGIBVS AC PRINCIPIBVS, QVI DEVM Patrem, & Ecclesiam Catholicam Matrem agnoscunt, Dominis suis clementissimis,

ROBERTVS CARDINALIS BELLARMINVS
Felicitatem à Domino sempiternam precatur.



NTE annos circiter tres, Iacobus magnæ Britanniæ Rex Iuramentum subditis suis Anglis Catholicis suscipiendum proposuit: in quo sub specie fidelitatis, quæ principibus debetur à populis, fidei Catholicæ abnegatio continebatur. Admonitus de hac re Summus Pontifex PAVLVS V. ad quem sollicitudo omniũ Ecclesiarum pertinet, pro suo pastorali munere binas literas, in forma Breuis, ad Anglos Catholicos dedit, instruens eos, & docens, vt cauerint insidias: Iuramentum enim illud sine pernicie animarum suscipi non posse. Et quoniam Archipresbyter Anglorum, qui cæteris Dux esse debuerat ad periculum vitandum, primus in foueam cecidit; ego ad eum, cum quo mihi olim necessitudo intercesserat, exhortatoriam Epistolam scripsi. Hæc officia pietatis cum ad Regem delata fuissent, mirum in modum eius animum pupugerunt. Itaque librum edidit, tacito nomine auctoris, quo & Breuia Summi Pontificis, & Epistolam meam vehementer exagitauit. Libri inscriptio erat, Triplici nodo, triplex cuneus. Ad eum librum, cum primum is ad manus meas peruenit, breuiter, & modestè respondere studui; ne

A fortè libellus regius fructum illum nobis eriperet, quem Breuia Summi Pastoris, & Epistola mea in animis fidelium Anglorum gignere cœperant. Quia verò regius liber nomen auctoris non præferebat; visum etiam mihi est iustis de causis, nomen meum ita tegere, vt tamen iuxta regulas Ecclesiasticas nomen alicuius docti viri liber gereret, qui, si opus esset, B de libro edito rationem redderet. Hanc meam necessariam defensionem Rex in deteriorem partem interpretatus, excanduit, rursusque in arenam descendens, non solum priorem libellum recudi iussit, se auctorem professus; sed etiam addidit monitoriam præfationem, qua ita responsionem meam carpit potius, C quam refellit, vt simul Maiestates, & Celsitudines Vestras ad perfidiam sollicitare, atque ab Ecclesiæ Catholicæ complexu abstrahere, & ad sinum adulteræ pellicere non dubitauerit. Ego igitur Apologiam hanc meam, qua præfationem monitoriam, & refutationem libri mei, refellere statui, Vobis Reges, & Principes Orthodoxi, & potentissimi, dican- D dam esse censui: non vt antidotum contra venenum propinem, quo Maiestates, & Celsitudines Vestras in recta fide fundatas, & radicatas nequaquam egere, certissimè scio; sed quia cùm in tota præfatione, atque adeò in toto regio libro ego pungar, ego carpar, ego apud Maiestates, & Celsitudines Vestras in inui-

diam adducar, æquum eſt, vt apud eaſdem ipſe me defendam, & ſcriptionis meæ rationem reddam, & ſimul (quod Sacerdotum Domini proprium officium eſt) dogmata Sanctiſſimæ noſtræ fidei impugnantibus pro viribus reſiſtam. Neque debet nouum, aut inſolens videri, quod ſcribamus aduerſus Regem, & regios libellos, vbi neceſsitas fidei id requirit, cum extent libri non pauci veterum Epiſcoporum, maiorum noſtrorum, Hilarij Epiſcopi Pictauienſis, & Luciferi Epiſcopi Calaritani aduerſus Conſtantium Imperatorem hæreticum; Gregorij Epiſcopi Nazianzeni, & Cyrilli Epiſcopi Alexandrini aduerſus Iulianum Imperatorem Apoſtatam. Aggrediar igitur veſtra bona venia, Præfationem monitoriam excutere, atque ab inſcriptione principium faciam.

DE INSCRIPTIONE PRAEFATIONIS.

CAPVT I.

SACRATISSIMO *atque inuictiſsimo Principi, ac Domino Rudolpho Secundo Rom. Imp. ſemper Auguſto: Sereniſsimis, atque potentiſsimis Chriſtiani Orbis Monarchis, ac Regibus, Illuſtriſſimis celſiſsimiſque Principibus, Rebus publicis atque Ordinibus: Fratribus, Conſanguineis, affinibus, fœderatis, atque amicis chariſsimis Iacobus Dei gratia magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex, fidei verè Chriſtianæ Catholicæ, Apoſtolicæ, veteriſque ac primitiuæ Eccleſiæ, tot Epiſcoporum, aliorumque fidelium martyrij gloria coronatorum ſanguine illuſtris, propagator, ac defenſor, in Chriſto* IESV *omnium noſtrûm Saluatore, ac mediatore vnico, ſalutem, felicitatemque perpetuam.*

Fides Proteſtantium Anglorũ non eſt verè Chriſtiana.

HAEc inſcriptio, quod attinet ad fidem, ab omni parte falſa eſſe conuincitur. Primum enim fides, quam Rex defendit, non poteſt eſſe verè Chriſtiana, niſi Chriſti verba ſint falſa. Damnat Rex in hac ipſa præfatione, pag. 42. tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti; & tamen Chriſtus ipſe accepto pane dixit: Hoc eſt corpus meum: teſtibus Matthæo cap. 26. Marco cap. 14. Luca cap. 22. Paulo 1. Corint. 11. Neque fieri poteſt, vt verba illa Chriſti ſint vera, niſi per conuerſionem, & tranſmutationem, quam Eccleſia Catholica proprio vocabulo tranſubſtantiationem vocat, vt rectè docet Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 4.

Iudæi Antichriſtum pro ſuo Meſſia recipient.

Negat Rex pag. 48. primatum Apoſtoli Petri; & tamen Dominus Ioan. 21. non ſemel, ſed tertiò dixit: Simon Ioannis diligis me plus his? Et reſpondente Petro: Domine tu ſcis quia amo te: ſubiunxit, Paſce oues meas; vbi nemo negare poteſt Sanctum Petrum eſſe Paſtorem omnium fidelium, & ipſorum etiam Apoſtolorum, niſi neget fideles omnes, & ipſos etiam Apoſtolos fuiſſe oues Chriſti. quem locum fusè tractaui, & expendi, lib. 1. de Summo Pontifice, cap. 14. 15. & 16.

A Affirmat Rex pag. 56. Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum. At Chriſtus Ioan. 5. dixit ad Iudæos: Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. Ex quo loco colligunt Sancti Patres Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Cyrillus in hunc locum, nec non Irenæus libro quinto aduerſus hæreſes, Ambroſius in commentario 2. Theſſal. 2. Hieronymus in Epiſt. ad Algaſiam quæſt. 11. Antichriſtum recipiendum eſſe à Iudæis, vt Meſſiam; ſatis autem conſtat Romanum Pontificem à Iudæis nunquam habitum eſſe pro Meſſia: proinde ſententia Chriſti, Antichriſtum non eſſe.

Omitto cætera, quæ Rex in hac præfatione damnat, vel negat, vt Interceſsionem B Sanctorum, Miſſam, Purgatorium, Indulgentias, & ſimilia, quæ qui negat, eum Catholicum Chriſtianum non eſſe fideles omnes, non ſolum docti, ſed etiam ideotæ ſciunt & profitentur.

Fides Proteſtantium Anglorum non eſt verè Catholica.

Deinde, quod fides, quam Rex defendit, non poſsit iure dici Catholica; intelligi poteſt ex definitione, quam tradit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio aduerſus prophanas vocum nouitates. Illud enim dicit eſſe Catholicum, quod ſemper, & vbique creditum eſt. Certè autem per mille quingentos annos, ne nomen quidem Proteſtantium auditum eſt. Ac ne de omnibus articulis nouis, quos Rex defendit, diſputationem ſuſcipiamus: ille certè primarius, & proprius Anglorum de primatu Regis in ſpiritualibus, quem C articulum Rex ipſe potiſsimum propagare, & defendere nititur, adeò recens eſt, vt primus auctor eius noſtro tempore vixerit, Henricus, videlicet, Octauus Rex Anglorum. Ipſe primus abnegata obedientia Summi Pontificis, ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ nominari, & agnoſci voluit. Cuius rei teſtes ſunt omnes eius temporis hiſtorici, Ioannes Cochleus in libro de vita Martini Lutheri, Laurentius Surius in hiſtoria noſtri temporis, & alij multi. Sed vnum auctorem præterire non poſſum, qui ſcribit ea, quibus interfuit; Is eſt Mauritius Channei Anglus Carthuſianus in libro de vita & martyrio Carthuſianorum cap. 9. cuius hæc ſunt verba.

Quando cœpit hæreſis Anglicana.

In principio anni Domini M. D. XXXV. diffinitum fuit per Regem Angliæ, & in cele-D bri actu parlamenti ſui inſtitutum, vt omnes auctoritatem, & obedientiam, quam debebant Domino Papæ, & cuique alio ſuperiori, in alijs regnis abrenunciarent, & ipſum Regem, vt ſupremum caput Eccleſiæ, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ſub iuramenti atteſtatione ſuſciperent: contradicentes verò tanquam rei læſæ Maieſtatis haberentur, & æquali morte punirentur. Et cap. 10. ſcribit, miſſum fuiſſe D. Thomam Crouuel cum aliquot conſiliarijs ad tres monachos Carthuſianos in turri Londinenſi carceratos, vt eis proponeret decretum parlamẽti, quo iubebantur auctoritati Domini Papæ renunciare, & ſolum Regem in caput Eccleſię recipere.

Cumque, inquit, reſpondiſſent Patres noſtri,

Hæretici non magni faciunt legem diuinam, quando repugnat humanæ cupiditati.

se consensuros omnibus, quæ, & in quantum lex diuina permiserit. Subiunxit ille: nullam exceptionem admittam, siue lex diuina permiserit, siue non. Replicauerunt nostri beatissimi Patres, Ecclesiam Catholicam aliter semper tenuisse, ac docuisse. Respondit ille, non curo Ecclesiam, vultis consentire, an non? Dixerunt illi, se propter timorem Dei non ausos esse contraire, ac deserere Ecclesiam Catholicam. hæc ille. qui satis apertè nos docuit, vnde, & quando initium habuerit noua hæc fides Anglicana, quam Rex hoc loco Catholicam nominat. Quomodo autem Catholica est, id est, semper credita, si ante annum millesimum quingentesimum trigesimum quintum audita non est? vel si noua non est; sed antiqua: cur sancti illi Martyres nouitatem eius ita exhorruerunt, vt dicerent Ecclesiam Catholicam semper aliter tenuisse: & ob timorem Domini crudeli supplicio mori maluerunt, quàm nouum istud dogma, & prædicatæ fidei contrarium recipere?

Alia ratio, cur fides protestantium non possit dici Catholica.

Neque solum fides ista Regis non est Catholica, quia non semper credita, sed etiã quia non vbique credita. Fides enim verè Catholica ab initio Apostolicæ Prædicationis in vniuerso mundo seminari, crescere, & fructificare cœpit. sic enim loquitur Apostolus ad Col. 1. In vniuerso mundo, inquit, est verbum veritatis Euangelij, & fructificat, & crescit. Et ad Rom. 1. fides, inquit, vestra annunciatur in vniuerso mundo. Neque huic veritati repugnat, quod hæreses quoque in vniuerso mundo sunt. nam vt S. Augustinus scribit in lib. de Pastoribus cap. 8. hoc interest inter fidem Catholicam, & hæreses, quòd fides Catholica in vniuerso mundo eadem est, hæreses autem in vniuerso mundo non eædem, sed diuersissimę sunt, ac per hoc nulla earum Catholica dici potest.

Certè Romanæ Ecclesiæ fides, vt verè, proprieq; Catholica eadem est in Europa; eadem est in Asia; eadem in Africa; eadem in orbe nuper inuento; eadem in Monte Libano; eadem in America; eadem apud vltimos Iapones. Cõtra verò hæreses Nestorij, & Eutychetis Oriẽtis loca quædam occupant; ad Occidentem nõ pertinent. Hæreses Lutheranæ Septentrionis angulum possident, mare non transierunt; Asiam & Africam non attigerunt; ad Græciam appellere conatæ cum ignominia repulsæ sunt. Sed neque vna est fides Lutheranorum, sed multæ, atque adeò inter se contrariæ, vt aliæ alias hæreticas vocent.

Porrò fides Anglorum de primatu Regis in spiritualibus adeò Catholica dici non potest, vt ne vnius quidem Regni fides dici possit, cum in ipsa Britannia magna sit multitudo Puritanorum, qui Caluinum auctorem sequuti, Primatum Ecclesiasticum, non ad Regem, sed ad Senatum Ministrorum pertinere contendant. Caluinus enim lib. 4. Inst. c. 6. §. 9. cùm docuisset monarchiam non esse optimum regimen; addidit, etiamsi esset in politica administratione regimen optimum monarchia: tamen in Ecclesia non esse: neq; vllum hominẽ dici debere caput Ecclesiæ, non solum principale, sed neq; ministeriale. Et eod. lib. 4. ca. 11.

Caluinus oppugnat Caluinistis Anglicanis, qui protestantes dicuntur.

§. 13. docet. in causis Ecclesiasticis non esse Imperatorem idoneum cognitorem, ac propterea vehementer laudat Sanctum Ambrosium, quod vocatus ad Palatium ad conferendum de fide coram Imperatore, omninò accedere recusauerit. Et eod. lib. ca. 10. §. 7. disertis verbis dicit, Regis officium apostolicum munus non esse: sollicitudinem autem Ecclesiarum ad Apostolicum munus in primis pertinere docet Apostolus 1. Cor. 12. & 2. Cor. 11. Et idẽ Apostolus apud Lucam Act. 20. dicit, Episcopos à Deo positos Ecclesiam regere. Sed apertissimè in cap. 6. Amos, inuehitur in eos, qui Henricum VIII. Ecclesiæ caput appellant.

Quod autem Puritani non admittant Primatum Regis in spiritualibus, docet ipse idem Rex in opere quod inscripsit, ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ ΔΩΡΩΝ. Nam libro 2. pagina 43. dicit, eos paritatem quandam, & ęqualitatem in Ecclesiam inducere. Et in hac ipsa Præfatione pagina 48. *In confusam, inquit, illam Anarchiam, & paritatem Puritanorum inuectus sum, vt ex* ΒΑΣΙΛΙΚΩ *meo* ΔΩΡΩ *satis constat*. Quare cùm fides quam Rex defendit ante paucos annos nata, angustissimis limitibus contineatur, non Catholica, id est, vetus, & vniuersalis; sed noua, & particularis nominari debet.

Fides Protestantium Anglorum non est verè Apostolica.

Quod verò Apostolica (quod nomen fidei suæ tertio loco Rex tribuit) nullo iure appellanda; sed apostatica omni iure nominanda sit; eo eo manifestè conuincitur; quod fides, quæ nunc in Anglia viget, seminatores habuerit Bucerum, & Petrum Martyrem Vermilium vtrumque apostatam. Primi autem in Scotia euersores Catholicæ fidei, & hæresis sators fuerunt viri quidam factiosi, & turbulenti, quos Apostolos nominare scelus maximum esset. Neq; de hac re mihi fidem haberi volo, sed Regi. sic enim ille scribit in Basilico suo Doro lib. 2. pag. 40. & 41.

Reformata religio in hanc nostram Scotiam diuino planè miraculo introducta est. nam cùm multa in illo negotio à concitata multitudine temerè fierent, & perturbatè, multi etiam cupiditatum suarum turbine abrepti, cæco animi impetu, & nullo iudicio ad opus illud Dei peragendum ferebantur. & paulò post. *In illa & rerum, & temporum confusione orti sunt quidam ignea natura concionatores, qui eò potentiæ apud populum prouehebantur vt dulcedinem iam Imperij degustantes, inciperent nescio quam Democratica Reip. formam sibi somniare.*

Itaque reformata religio; id est, Catholicæ religionis euersio, ipso Rege teste, ab hominibus temerarijs, cupidis, sine iudicio, cæco impetu, principatum, atque imperium ambientibus, in Scotia introducta est. Mirum est autem valdè, quod Rex reformationem religionis, ac non potius deformationem appellet, quam ab hominibus cæcis, temerarijs, cupidis, ambitiosis, id est, nulla forma virtutis præditis, & multitudine vitiorum deformatis, introductam esse concedit.

Dicet fortasse, diuino miraculo, per homines deformatos omni genere vitiorum & qui ab Apostolorum virtutibus longissimè absint, Apostolicam fidem in Scotia restitutam fuisse.

At nos contra scimus, diuinam legem per Mosem, & Prophetas, viros sanctissimos introductam; Euangelium Christi per Apostolos, qui Spiritus sancti donis omnibus abundabant, Mundo prædicatum; Cœtus hominum reformatos, quos ordines religiosos appellamus, per homines excellenti virtute prædites, institutos. Noua ista miracula, quibus colligantur de spinis vuæ, & de tribulis ficus, id est, à deformatis reformatio, & ab Apostatis Apostolica Religio, Ecclesia verè Christiana non nouit. Sed de hac re in sequenti disputatione plura dicemus.

Fides Protestantium Anglorum non est fides veteris Ecclesiæ, sed recens adinuentio.

Sequitur igitur, vt ostendamus fidem, quam Rex defendit, non esse veteris, ac primitiuæ Ecclesiæ, Martyrum sanguine illustris, fidem. hęc enim est quarta laus, quam Rex fidei suę in inscriptione attribuit. Non esse autem fidem Regis Anglorum, fidem Ecclesiæ veteris, ac per hoc neque esse verè Christianam, neq; Catholicam, neque Apostolicam; ex ijs quæ Rex in hac ipsa Pręfatione docet, nullo negotio demonstrabimus.

Scribit enim Rex pagina 38. admittere se, præter Scripturas sanctas, tria Symbola, Apostolicum, Nicenum, & Sancti Athanasij; quatuor prima Concilia generalia; & quæ Sancti Patres, quadringentis (in Anglico quingentis) post Christum annis vnanimi consensu docuerunt. Deinde pagina 42. damnat Intercessionem Sanctorum, Reliquiarum venerationem, quam intolerabilem idololatriam vocat, Missas priuatas, transubstantiationem, & alia id genus multa; vt etiam pag. 46. Purgatorium, Indulgentias, Satisfactiones pro defunctis, & similia.

Intercessionem Sanctorũ, & venerationem Reliquiarum admittit vetus Ecclesia Orientalis.

Accipiam Intercessionem Sanctorum, cum reliquiarum veneratione; quæ si ostendere potuero, à Patribus, qui primis quadringentis, & quingentis annis floruerunt, vnanimi consensu approbari; simul effecero, fidem Regis Anglorum non esse fidem veteris, & primitiuæ Ecclesiæ, sed figmenta, & hæreses Nouatorum.

Primum igitur Concilium quartum generale, in quo DC.XXX. Episcopi interfuerunt, & quod ab ipso Rege cum honore suscipitur, ita loquitur Act. 11. Flauianus post mortem viuit, Martyr pro nobis oret. Et in Epistola Episcoporum Europæ ad Leonem Imperatorem, quæ tempore eiusdem Concilij scripta est: Sanctissimum verò Proterium in Choro, & Ordine Sanctorum Martyrum ponimus, & eius intercessione misericordem, & propitiũ Deum habere postulamus. Qui ergò recipit Concilium quartum, quod omnium maximum, & frequentissimum fuit, cur intercessionem Sanctorum cum illo non recipit?

Sanctus Basilius verè Magnus in Oratione in XL. Martyres: Qui, inquit, aliqua premitur angustia, ad hos confugiat; qui rursus lætatur hos oret: ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis. Idem de reliquijs Sanctorum eorundem, quæ per totam eam regionem diuisæ erant: Hi sunt, inquit, qui nostram regionem administrant, & veluti turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non vno loco seipsos includentes, sed multis iam locis hospites facti, & multas patrias exornantes. Idem in oratione in Psalm. 115. Qui contingit, inquit, ossa Martyrum, quandam significationis societatem assumit ex gratia corpori insidente. hæc ille. Quid ni igitur veneremur Sanctorum reliquias, vnde tanta bona nobis proueniunt? vide eundem Basilium Oratione in Mamantem, & Oratione in Iulittam.

Sanctus Gregorius Nyssenus S. Basilij frater, Oratione in S. Theodorum: Intercede, inquit: ac deprecare pro patria apud communem Regem & Dominum. Et infra. Quod si maiori opus fuerit deprecatione, & aduocatione fratrum tuorum Martyrum, coge Chorum, & cum omnibus vna deprecare, admone Petrum, excita Paulum, Ioannem Theologum, ac discipulum dilectum. Idem in eadem Oratione de reliquijs loquens: Corpus, inquit, venerandum, & immaculatum ipsius instrumentum, cum multo honore, & cultu cõpositum, atque ornatum, in angusto, sacroque loco situm est. hæc ille. qui etiam addit puluerem ipsum, qui circa conditorium reliquiarum reperitur, pro magno munere à pijs peregrinis rapi consueuisse. Tanta erat in primitiua illa Ecclesia erga sacra pignora piorum deuotio, quam Rex intolerabilem idololatriam esse dicit, & tamen fidei primitiuæ Ecclesię defensorem se facit.

Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione in S. Cyprianum, Tu, inquit, è supernis nos respice, & populum hunc sanctum dirige, &c. Et ibidem, refert certamen Sanctæ cuiusdam Virginis pro castitate: Virginem, inquit, Mariam rogauit, vt periclitanti Virgini opem ferret. ac paulò post refert, eam fuisse exauditam: Vicit, inquit, Virgo, vincitur dæmon. Idem in Oratione 1. in Iulianum Imperatorem Apostatam, arguit eum, quod Sanctorum Martyrum reliquias non coleret, cùm Deorum falsorum monimenta veneraretur: Hæc, inquit, non colis, sed contemnis, & aspernaris, qui Herculis rogum ex calamitate, iniurijsque muliebribus illatis excitatum admiraris.

Eusebius Cæsariensis in libr. 13. de Præp. Euang. capit. 7. Explicans ritum Ecclesiæ veteris: Hæc, inquit, nos quotidie factitamus, qui verè pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum: Nam, inquit, & ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, & fastu deposito stat sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant. Vbi prædicat gloriam Sanctorum Martyrum ex eo quod non solum populus, sed etiam Imperator ad reliquias eorum accederet, & Sanctis ipsis supplicaret. Idem in libro aduersus Gentiles, loquens de Reliquijs Sancti Babylæ: Sententiæ, inquit, nostræ abundè fidem faciunt, quæ quotidianà à Martyribus eduntur miracula. Et in Oratione de Sanctis Iuuentino, & Maximo: Sæpius, inquit,

illos inuisamus, tumulos adoremus, magnaq; fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur. Quid hic quæso Rex dicet? Si Patres veteris Ecclesiæ clamant, Sanctorum tumulos adoremus; Quomodo Rex veteris Ecclesiæ fidem retinet, & interim dicit, reliquiarum adoratio intolerabilis Idololatria est?

S. Ephræm in serm. de laudibus sanctorum Martyrum: Precamur, inquit, beatissimi Martyres, vt pro nobis miseris, & peccatoribus Dominum interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi.

Beatus Cyrillus Hierosolym. Catechesi V. mystagogica: Cùm hoc sacrificium, inquit, offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierũt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum, vt Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras. Et Catechesi XVIII. Vt autem non solùm animæ Sanctorum honorentur, credaturq; quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia; iacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuumque Prophetæ corpus attingens viuificatus est. hæc ille, qui inde probat corpora Sanctorum honoranda esse, & non solùm animas. Atque hi quidem Græci Patres sunt, & Orientis lumina ad ætatem illam pertinentia, quam Rex requirit, vt Patres Ecclesiæ veteris, & primitiuæ esse intelligantur. Addamus nunc testimonia Patrum Latinorum ætatis eiusdem.

Eadem admittit vetus Ecclesia Occidentalis.

Sanctus Ambrosius in libro de Viduis, Obsecrandi, inquit, sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, si quæ habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere: quia ipsi infirmitatem corporis etiam cùm vincerent, cognouerunt. Item in sermone 93. qui est de Sanctis Nazario & Celso, satis fusè commendat reliquiarum cultum, qui Regi Angliæ Idololatria est. Quod si dicas mihi, inquit, quid honoras in carne iam resoluta atque consumpta? honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum docuit mortem non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & Dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, & glorificant in sepulchro? honoro itaque corpus, quod Christum honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in Cœlo.

Sanctus Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ: Vale, inquit, ô Paula, & cultoris tui vltimam senectutem orationibus iuua. fides & opera tua Christo te sociant: præsens facilius quod postulas impetrabis. Idem in libro aduersus Vigilantium, qui eo nomine hæreticus habitus est in veteri Ecclesia, quod reliquiarum cultum improbaret: Dolet, inquit, Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicijs colligari, vel proijci in sterquilinium; vt solus Vigilantius ebrius, vel dormiens adoretur. Idem in Epistola ad Marcellam, hortatoria, vt commigret Bethleem, inter alia bona eius commemorat, posse Sancti Ioannis Baptistæ, Helisæi, atque Abdię cineres adorare. non enim Idololatriam, sed pium cultum esse sentiebat adorationem reliquiarum; quia non ignorabat, adorationis esse multa genera, & aliam Deo soli, aliam rebus sacris deberi.

Theodosius Imper. per intercessionem Sanctorum victoriam maximam obtinuit.

Ruffinus eiusdem temporis auctor libro 2. histor. capit. 33. de Theodosio Imperatore sic loquitur: Circuibat cum Sacerdotibus, & populo omnia Orationum loca: ante Martyrum, & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. hæc ille. nec vana fides. obtinuit enim aduersus Eugenium Tyrannum Theodosius victoriam incredibilem non viribus militum, sed præsidio Sanctorum, quos fideliter implorauerat. Hunc pium Imperatorem, reliquiarum adoratorem, & Sanctorum inuocatorem Rex Anglorum idololatram vocare non dubitabit, & tamen edoctum scimus à Sacerdotibus Ecclesiæ veteris, & à Deo ita dilectum, vt propter hanc victoriam scripserit ille:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Sanctus Maximus in sermone de Sancta Agnete, Itaque, inquit, ô splendida Christo, pulchra Dei filio, & omnibus Angelis, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus. Idem in sermone de Sanctis Octauio, Aduentore, & Soluto re: Cuncti, inquit, Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed ij præcipuè venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus.

Sanctus Gaudentius Episcopus Brixiæ in tractatu de Dedicatione Basilicæ multa scribit de cultu reliquiarum, ac inter alia: Vt venerandas, inquit, Sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit; deinde, vt hanc honori earum Basilicam fundare valeremus, ipse largitus est, &c. Vbi vides, tanti fecisse reliquias Sanctorum Ecclesiæ veteris Patres, vt earum honori etiam Basilicæ conderentur.

Sanctus Paulinus in Epistola duodecima ad Seuerum inuocat his versibus Sanctum Clarum.

Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Vt sis Paulini, Therasiaq; memor.

Idem in tertio natali Sancti Felicis Martyris, inquit,

Ad tumulum debes, & terra coronas.

Et ibidem de reliquijs Apostolorum loquens ait.

Nam prius Imperio tantùm, & victricibus armis
Nunc & Apostolicis terrarum es prima sepulchris.

Prudentius eiusdem ætatis nobilis poeta Christianus in hymno de S. Laurentio.

O ter

O ter quaterq́; ô septies
Beatus Vrbis incola,
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat ossium.
Cui propter aduolui licet
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.
Vix fama nota est abditis,
Quam plena Sanctis Roma sit:
Quam diues Vrbanum solum
Sacris sepulchris floreat.

Multa similia in singulis propè hymnis de Sanctorum reliquijs, & inuocatione scribit.

Sanctus Augustinus ser. 17. de verbis Apostoli: Habet, inquit, Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cùm Martyres eo loco recitant ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem defunctis oretur; iniuria enim est orare pro Martyre, cuius nos debemus orationibus commendare. Similis locus habetur tract.84. in Ioan. quibus locis non solum intercessionis Sanctorum meminit sanctus Doctor, sed etiam orationis pro defunctis, & altaris, vbi offertur Sacrificium Missæ. quæ non minus damnat Rex, quàm inuocationem Sanctorum. Idem Pater in Epistol. 103. ad Quintianum: Portant, inquit, Reliquias beatissimi, & gloriosissimi Martyris Stephani; quas non ignorat Sanctitas Vestra, sicut & nos fecimus, quàm conuenienter honorare debeatis. Idem in libr. 22. de Ciuit. Dei capit. 8. fusissimè commemorat miracula, quæ Deus suo tempore demonstrabat per inuocationem Sanctorum ad eorum reliquias, vel memorias.

Hæc sunt testimonia veteris Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ primorum 500. annorum post Christi Ascensionem in Cœlum, de intercessione Sanctorum, & reliquiarum cultu. In promptu autem esset similia testimonia adscribere de cæteris dogmatibus, quæ Rex negat, aut damnat: sed quia hæc habentur tum in nostris libris Controuersiarum, tum in scriptis multorum aliorum Catholicorum Doctorũ: parco labori & lectorum, & meo. Volui enim ex vno saltem dogmate constare, fidem, quam Rex defendit, non esse veteris Ecclesiæ, vt ipse in inscriptione dicit.

At inquiet, multa docentur in Anglia, & Scotia à Ministris, quæ sunt communia veteri Ecclesiæ, atque ea potissimum, quæ in Symbolo fidei, & decretis quatuor primorum Conciliorum continentur. Ita est, sed quæstio inter Catholicos, & Protestantes non est, vtrũ nihil omninò eorum, quæ Protestantes docent, habeatur in libris veterum; sed vtrum ea, in quibus dissentimus, vt Intercessio Sanctorum, Reliquiarum cultus, Oratio pro defunctis, Primatus Sancti Petri, Purgatorium, & similia recepta, & probata sint à veteri Ecclesia, vt à nobis recipiuntur, & probantur; an reiecta, & improbata, vt à Rege, & eius prædicatoribus reijciuntur, & improbantur. Nos autem de vno principali dogmate controuerso demonstrauimus, receptum, & probatum fuisse ab Ecclesia veteri, vt à nobis recipitur, & probatur: & idem in libris nostris de cæteris controuersis dogmatibus manifestũ fecimus. Itaq; nos cum Ecclesia veteri in omnibus articulis conuenimus: Protestantes verò in paucis conueniũt, in plurimis dissident, in ijs videlicet omnibus, in quibus à nobis dissentiunt. proinde fides, quam aduersus nos defendunt, non est fides veteris Ecclesiæ, sed hæresis, vt suprà diximus, Nouatorum.

Restat vt pauca dicamus de vocibus, Propagator, & Defensor, quæ in inscriptione vltimo loco ponuntur. Et quidem vbi Rex fidem propagauerit, vel Euangelium annunciauerit, ignorare me fateor.

Titulum Defensoris fidei, quem maiusculis literis hoc loco scribi video, vt etiam in priore pagina, & in Basilico Doro, & alibi, non ignoro, neque vllus est, qui ignoret, à Leone Decimo Pontifice Maximo delatum Henrico Octauo Angliæ Regi, ob librum ab eodem Rege scriptum de Septem Ecclesiæ Sacramentis aduersus Lutherum, cæterosque eius temporis Nouatores. Quod si quæratur, quid nomine fidei in eo titulo significetur; nihil aliud responderi poterit, nisi fidem illam significatam esse, quam prædicabat, qui titulum dedit, & quam profitebatur, qui titulum accepit, & quæ defendebatur, in libro, cuius gratia titulus datus, & acceptus est. Titulus Defensoris fidei datus a Leone X. Henrico VIII. non conuenit Iacobo I.

Quæ cum ita sint, non possum non vehementer admirari, cur hunc titulum sibi desumat, qui Romanum Pontificem, à quo titulus datus est, non agnoscit; qui eam fidem damnat, quam profitebatur, qui titulum primus accepit; qui denique non Septem Sacramenta, ob quorum defensionem titulus datus est, sed duo, vel tria tantum esse contendit.

Quæro præterea, qui titulo isto tam honorifico Regem Angliæ cohonestauit, Christi Vicarius, an Christi aduersarius fuit? Si Christi Vicarius, cur defensor Christianæ fidei Christi Vicarium non audit? non recipit? non veneratur? Si Christi aduersarius, cur Christianus Rex titulo à Christi aduersario dato gloriatur? cur characterẽ Antichristi gerit? Quomodo enim ista cohærent, vt quis Romanum Pontificem Antichristum esse credat, & titulum honoris ab eo datum non exhorreat? Ergò Rex, si sapit, originem huius tituli apud se diligenter cogitet, & facilè intelliget, cum ad se minimè pertinere, & apud homines sapientes plus vanæ ostentationis habere quàm solidæ dignitatis.

CAPVT II.

Quod non sit communis causa Regis Anglorum, cum Regibus & Principibus Orthodoxis, & Catholicis.

INITIO suæ monitoriæ Præfationis conatur Rex Anglorum, communem facere causam suam cum omnibus Regibus, & Principibus Christianis. *Causa*, inquit, *communis agitur, & quæ ad ius, dignitatemq́, pertinet omnium non modò Regum, sed aliorũ etiã quibuscunq; suprema est à Deo rerũ ciuiliũ demandata potestas.*

Cur autem communis causa agatur, vnico verbo attingit, cùm ait, hoc libro suo contineri Apologiam pro iuramẽto fidelitatis. ex quo intelligi vult, pugnare se aduersus Romanum Pontificem pro iuramento fidelitatis, quod

omnibus Regibus, atque Principibus præstari debet, & solet à subditis. Quasi Pontifex Romanus eiusmodi iuramenta prohibeat, ac velit Reges, & Principes omni potestate exuere.

Frustra conatur Iacobus Rex causam suã communẽ facere cum Principibus Orthodoxis.

Sed frustra laborat Rex, vt causam istam communem faciat. Nam neque Summus Pontifex in Breuibus suis ad Catholicos Anglos; neque ego in epistola mea ad Archipresbyterum Angliæ, iuramentum quodcunque fidelitatis improbauimus; sed iuramentum, quod sub specie ciuilis fidelitatis, abnegationem Pótificiæ auctoritatis continebat: neque Reges, & Principes Catholici ita sibi iurari volunt à populis fidelitatem; vt Summi Pontificis auctoritas abnegetur. Quæ duo si demonstrare potuero, nemini dubium relinquetur, quin causa Regis Angliæ propria ipsius sit, neque aliquid commune habeat cum causa Regum, & Principum Catholicorum.

Quod igitur iuramentum, quod Rex Angliæ fidelitatis, & ciuilis obedientiæ vocat, non sit iuramentum simplicis fidelitatis, neque solius ciuilis obedientiæ; perspicuum est ex titulo Edicti, quo iuramentum hoc [illegible] æscribitur. hic enim est titulus: *Ad deteg*[illegible] *r reprimendos Papistas*. Finis igitur hu[illegible] iuramenti non est, detegere seditiosos, inobedientes, rebelles; sed Papistas, id est, eos, qui summum Pontificem, vt Christi Vicarium venerantur. Neque finis est continere populos in ea obedientia, quæ Regibus, & Principibus debetur; sed reprimere Papistas, qui ciuilem obedientiam Regibus exhibent; sed nolunt Regem agnoscere caput, vel supremum gubernatorem Ecclesiæ in spiritualibus; neque volunt primatum Apostolicum summi Pontificis abnegare. Sed quoniam ea, quæ ad hunc locum pertinent, satis copiosè tractaui in responsione ad librum Regis, qui inscribitur, Triplici nodo triplex cuneus; & hæc ipsa Responsio denuò recusa hic adiuncta fertur; ad eandem remitto lectorem, ne bis eadem repetendo, & me, & lectorem frustra fatigem.

Quod autem Reges, & Principes Orthodoxi ita velint fidelitatem, & obedientiam à populis sibi subiectis iurari, & exhiberi; vt simul velint suam Pontifici Maximo, vt Christi Vicario, fidelitatem, & obedientiam conseruari: ex ipsa reuerentia, & obedientia, quam ipse nuper, de more, huic ipsi Summo Pontifici Paulo Quinto publicè per Legatos suos, viros amplissimos exhibuerunt, luce clarius demonstratur.

Honorificẽ legationes ad Paulum V. Pont. Max. causa exhibendæ reuerentiæ, & præstandæ obediẽtiæ, more maiorum.

Vidimus enim tota spectante Roma Legatos Reipublic. Lucensis, deinde Genuensis, ac demum Venetæ, cum splendidissimo comitatu ad Vrbem aduenire, Summi Pontificis pedes deosculari, latina, & pereleganti Oratione reuerentiam, & obedientiam nomine totius Reipublicæ exhibere. Vidimus non diu post, Regem Hispaniarum per Oratorem suum Illustrissimum, & Excellentissimum Feriæ Ducem; ac post aliquot tempus Regem Francorum Christianissimum per Oratorem suum Illustrissimum, & Excellentissimum Ducem Niuernensem, cum eo, procerum comitatu, eaque nobilium virorum multitudine, qui

A tantorum Regum magnificentiam decebat, eiusdem Summi Pontificis deosculari pedes, eique amplissimis verbis per eloquentissimos Oratores suos reuerentiam, & obedientiam præstare, quæ Sancto Petro Apostolorum Principi, eiusque successoribus iure debetur. Nec defuerunt officio suo supremi, ac liberi Principes cæteri, quotquot nomine Catholico censentur, siue Germani, siue Galli, siue Itali; apparatu quidem minore, sed pietate & deuotione pari.

Quare si Reges, ac Principes Orthodoxi publicè profitentur obedientiam supremo Ecclesiæ capiti, Romano Pontifici, à Christianis omnibus deberi; & ipsi exemplo suo præeunt populos, quos regendos susceperunt: Et Pontifex Maximus non modò non improbat iuramenta fidelitatis erga Reges, & Principes; sed probat, & laudat; & ad ea seruanda, cùm opus B est, censuris Ecclesiasticis cogit: quid habet commune causa Regis Anglorum cum cæteris; cùm ipse hoc inprimis contendat, vt populos suos ab obedientia Summi Pontificis auertat, atque eo modo à Christi corpore, quod est Ecclesia, separet, ac secum in inferna demergat? Vera est enim sententia illa Magni Leonis in Epistola ad Episcopos Prouinciæ Viennensis: Quisquis huic Sedi Principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem; sed inflatus spiritu superbiæ suæ semetipsum in inferna demergit.

Quæ cùm ita sint, poterat Rex ab illis C verbis abstinere, quę in iniuriam omnium Catholicorum Principum protulit. *Expergiscimini igitur, dum tempus est, neque finite somno diuturniore incidi in singulis, ad ruinam vniuersorum, auctoritatis vestra neruos.* quasi vnus Rex Anglorum vigilet, vnus sapiat, cæteri dormiant, & desipiant vniuersi: neque possint Reges auctoritatis suæ neruos integros seruare, nisi auctoritatis Pontificiæ neruos ipsi præcidant. Expergiscatur potius Rex Anglorum, & verbum Domini diligenter expendat. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Audiat & Apostolum Christi, qui quemadmodum ad Rom. 13. admonet populos, vt subiecti sint, & obediant temporalibus potestatibus, & reddant vectigal, cui debetur vectigal, & tributum, cui debetur tributum; ita eosdem D monet, ad Hebr. 13. vt obediant spiritualibus præpositis, & subiaciant eis, qui peruigilant, quasi rationem pro animabus ipsorum reddituri.

CAPVT III.

De comparatione Regis, & Pontificis.

Cur Rex Iacobus nomen suũ non adscripserit Apologiæ pro iuramento fidelitatis.

INGRESSVRVS disputationem Rex, duas rationes reddit, cur in Apologia pro iuramento fidelitatis, primum edita, nomen suum celauerit, nunc autem prodat. Altera ratio est, quòd indignum Maiestate sua Regia existimaret sub nomine suo disputationem Theologicam euulgare: cùm ad Reges pertineat scribere potius decreta & edicta, quàm libros. Id autem probat dicens, *Nam neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem esse*

credo (pace ipsius dixerim) quem eadem ratione Censores meæ apologiæ excusant: eum quippe Breuia strictim, & præcisè conscripsisse; nec rationes, aut argumenta addidisse, quod non sit illius disputare, sed iudicare, atque decernere.

At Censores Apologiæ non dixerunt, non esse Pontificis libros scribere, aut de rebus Theologicis disputare. Scimus enim Pontifices aliquos magna cum laude libros doctissimos edidisse: sed Paulum V. Pontificem, cum Breuia illa ad Anglos misit; non librum, sed epistolam hortatoriam misisse, quæ vicem edicti gereret. Addiderunt etiam, imprudentem fore Principem, qui iniquam actionem prohibere se non posse crederet, nisi librum integrum Philosophorum more conscriberet. Itaque non dixerunt Censores Apologiæ, indignum esse Pontificia, vel Regia Maiestate libros Theologicos, vel Philosophicos scribere; sed edicta, & decreta Pontificum, vel Regum non esse scribenda more philosophico cum adiunctis rationibus, & argumentis, subtili & longa disputatione.

Non rectè affirmat Iacobus Rex, nulla ex parte se Pontifice Romano inferiorem esse.

Sed his omisis quæ ad rem non multum faciunt, illud omninò præterire non possum, quod Rex ait, nulla ex parte se Pontifice inferiorem esse. Certè enim si ad Ouile Christi se pertinere credit, non potest se non inferiorem illo iudicare, cui dictum est à Domino, Pasce oues meas: nisi fortè oues Pastore inferiores esse negare voluerit.

Neque ad rem facit, quod ipse in hac præfatione pag. 21. dicit, nihil in se potestatis Pontificem habere, quod à nobis hæreticus censeatur, Iulianoque apostatæ æquatur, extra caulam, gregemque Pontificis esse credatur: proinde eodem iure cum Ethnicis Principibus censendus, in quos nihil posse Pontificem fatemur. hoc, inquam, ad rem non facit; siquidem hæresis, & Apostasia priuat hæreticos, & apostatas multis bonis, quæ communia sunt fidelibus; sed non priuat Pontificem auctoritate, quam in eos habet. alioqui neque punire eos, neque redeuntibus pœnam condonare posset. Et sunt quidem hæretici extra caulam de facto, & in fauorabilibus, vt Iureconsulti loquuntur; sed de iure & in pœnalibus ad eam pertinent, atque ad eam vt redeant compelli iure possunt. Neque fatemur absolutè, Pontificem in Ethnicos Principes nihil posse. sequimur enim Doctrinam S. Thomæ, qui in 2. 2. q. 10. ar. 10. affirmat, posse infideles Principes per sententiam Ecclesiæ priuari in certis casibus dominio quod habent super fideles, vt si terras Christianorum vi occupauerint, vel subditos fideles à fide auertere satagant.

Iurisdictio Summi Pontificis ad hæreticos puniendos extenditur.

Adde quod cùm Summus Pontifex multa maxima regna, atque adeò totum Orbem Christianum, & ipsos etiam Reges, & Principes, vt filios Pater, atque vt oues Pastor gubernet, & regat: mirum est, quod is qui in angulo Septentrionis duas Insulas subiectas habet, ita de se præsumat, vt dicat, *Nulla ex parte me Pontifice inferiorem esse credo.* Quod si nulla ex parte inferior est; numeret Reges, & Respublicas, quæ obedientiam illi præstent; quemadmodum nos paulò ante numerauimus Reges, & Respublicas, quæ solemni ritu Paulo Quinto Pontifici obedientiam præstiterunt.

A Neque iste honor exhibetur Summo Pontifici à Regibus tantùm Occidentis; nam Iustinus Imperator, venientem ad se Ioannem Papam, pronus in terram adorauit, vt Anastasius Bibliothecarius testatur. Iustinianus Senior Ioannem Secundum, caput omnium Ecclesiarum appellauit, vt videre est l. inter claras, C. de summa Trinitate, & fide Catholica. Scribit etiam Liberatus in Breuiario de causa Nestorianorum capit. 22. quo tempore Imperator, Siluerium Papam in exilium misit, Episcopum Patarensem adijsse Imperatorem, & contestatum esse diuinum iudicium ac dixisse multos esse Reges, sed nullum talem esse, qualis ille, qui est Papa super Ecclesiam mundi totius.

B Sed si Iacobus Rex nulla ex parte Pontifice inferiorem se esse affirmat; certè non id affirmare poterit de Regibus Angliæ prædecessoribus suis.

Reges Angliæ olim Summi Pontificis auctoritatē super omnem Ecclesiam, & super ipsos Reges agnoscebāt, & confitebantur.

Extat Epistola Henrici Secundi ad Alexandrum III. Pontificem in hæc verba: Sanctissimo Domino suo Alexandro, Dei gratia Catholicæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Henricus Rex Angliæ, Dux Northmaniæ, & Aquitaniæ, Comes Andegauensis, & Cenomanensis salutem, & deuotæ subiectionis obsequium. & infra: Vestræ iurisdictionis est Angliæ Regnum, & quantum ad feudatarij iuris obligationem vobis duntaxat obnoxius teneor, & astringor. Experiatur Anglia quid possit Romanus Pontifex. Vide Petrum Blesensem Epistola 136. vel Cardinalem Baronium tomo 12. pagina 660.

C Extat Epist. Aleonoræ Reginæ Angliæ ad Cœlestinum III. vbi hæc leguntur: Nonne Petro Apostolo, & in eo vobis omne Regnū, omnisque potestas regenda committitur? Benedictus Deus, qui talem potestatem dedit hominibus. Non Rex, non Imperator, aut Dux à iugo vestræ potestatis eximitur. Vide hæc, & alia multa his similia apud Petrum Blesensem epistol. 145. vel apud Cardin. Baronium eodem tom. pag. 865.

Extat querela Regis Anglorum aduersus Regem Franciæ ad Innocentium III. tanquam ad communem iudicem, cap. Nouit de iudicijs.

D Extat Legatio Richardi Regis Angliæ ad Pontificem Romanum in hæc verba: Pater Sancte salutat Excellentiam vestram Dominus noster Rex Anglorum Richardus, & postulat sibi iustitiam exhiberi de Duce Austriæ. Vide Matthæum Paris. in historia Anglicana anni Dom. M. C. XCV.

Extat apud eundem Matthæum Paris. in histor. Anglicana anni Domini M. CC. XIII. resignatio totius Regni Angliæ, & Hiberniæ facta à Ioanne Rege Angliæ de consensu Baronum in manus Innocentij III. Pontificis; & receptio eorundem Regnorum in feudum: ita vt Rex tanquam secundarius Dominus à Romana Ecclesia illa se habere agnoscat; & in signum subiectionis debeant successores eidem Ecclesiæ fidelitatem præstare, & homagium recognoscere: nec non in annos singulos mille

Marcas sterlingorum eidem Ecclesiæ numerare. Ergo Rex Anglorum ex testimonio, & sententia maiorum suorum, non solùm par non est Romano Pontifici; sed duplici iure subiectus, vno communi omnibus Christianis hominibus, ratione Apostolicæ potestatis, quę in omnes extenditur, iuxta illud Psalm. 44. Constitues eos (Apostolos videlicet) Principes super omnem terram: altero proprio ratione directi dominij, quod in Regnum Angliæ, & Hyberniæ Romana habet Ecclesia, testibus duobus omni exceptione maioribus Henrico II. & Ioanne Regibus.

Anglia tributaria facta est Romano Pontifici ante annos octingentos sexaginta.

Quanquam hæc subiectio multò est antiquior, si Polydoro Virgilio credimus. scribit enim lib. 4. histor. Anglicanæ, Inam Regem fuisse primum, qui Regnum Angliæ Summo Pontifici tributarium fecit circa annum Domini DCC. XL. Idem postea tributum confirmatum anno Domini DCC. LXXV. ab Offa Rege: nec non postea à Rege Adulpho anno Domini DCCCC. XLVII. Denique à Rege potentissimo Anglorum, & Danorum Canuto, qui regnare cepit in Anglia anno Domini M. XVI. Idem tributum confirmatum testatur Ingulphus, qui ante quingentos annos scripsit historiam.

Hyberniã Hadrianus IV. Pontif. Regibus Anglorum sub certis conditionibus tradidit.

Porrò quod attinet ad Hyberniam, ius longè maius in eam Pontifex habet. Constat enim ab Hadriano IV. Pontifice datam fuisse eam Insulam Henrico II. Regi anno M. C. LVI. sub conditionibus multis, quas Reges Angliæ minimè seruarunt. Extant de tota hac re testimonia historicorum, Gulielmi Neubrugensis lib. 3. cap. 9. Polydori Virgilij lib. 13. Nicolai Sanderi de Schismate Anglicano ad ann. 1542. extant deniq; literę Apostolicę Ioannis XXII. ad Edouardum II. datæ.

CAPVT IV.

De comparatione Regis & Cardinalis.

ALTERA ratio, quæ Regem mouit, vt Apologiæ suæ nomen suum non adscriberet, fuit imparitas Cardinalis Bellarmini ad Regem Iacobum. sic enim ipse loquitur pag. 5. *Altera tacendi nominis ratio mihi fuit eorum conditio, cum quibus ad disceptandum descendebam. Quanquam enim paucis Pontificia Breuia notabam, mihi tamen id præcipuè laboris dederam, vt Bellarmini litteras ad Blakuellum refellerem. Neque verò mihi vnquam persuasi tantum esse in purpura Cardinalitia dignitatis, vt occurrere Regio fulgori par, ac æmula, & velut æquali Maiestate cum eo posit ad certamen componi. Nam & multa millia in subditis habeo, qui splendore natalium Bellarmino non concedant; & hanc illius Ecclesiasticam dignitatem, Cardinalatum inquam, nescio quo loco, aut pretio habeam, siue ad scripturæ auctoritatem, siue ad Imperatorum constitutiones expendam: cùm sit nihil aliud, quam noua Paparum institutio, quam in immensum excrescere decessorum nostrorum, Regum inquam, qui his aliquot sæculis rem Christianam rexerunt, mollis & ad omnia Pontifici conniuens lenitas permisit.*

At ego non video in disputatione Theologica quid necesse sit paritatem natalium, aut dignitatis, aut Imperij quærere, cum sola necessaria sit paritas ingenij, atque doctrinæ. Henricus VIII. Rex Anglorum non indignũ sibi putauit, aduersus Martinum Lutherum monachum, vel, vt ipse Rex loquitur, fraterculum scribere. Iulianus quoque Imperator, quia non contentus Imperiali splendore, cupiebat etiam clarere nomine eruditionis, scripsit libros non aduersus Reges, sed aduersus magistros Christianorum, cumque Cyrillus Episcopus copiosissimè confutauit. Denique Nero Imperator cùm cantu, & cithara cum antagonistis in Theatro decertare vellet, non quæsiuit Reges aut Principes, sed homines peritissimos musicæ artis, quos si vicisset, tum magnam gloriam adeptum se esse arbitrabatur.

Testimonium veteris Ecclesię de eminenti dignitate S.R.E. Cardinalium.

Sed quando Rex Anglię Maiestate sua indignum iudicat, vt vel ipse scribat in Cardinalem Rege longè inferiorem, vel Cardinalis in ipsum scribat Cardinali longè superiorem; de comparatione Regis, & Cardinalis adducam iudicium, & testimonia Patrum veterum, qui primis quingentis annis floruerunt, quos à se recipi Rex ipse supra testatus est.

Igitur Cardinales nihil sunt aliud, nisi Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, Electores, Consiliarij, & coadiutores Summi Pontificis. Ac de Episcopis quibuscunque etiam non Cardinalibus, scribit Gregorius Nazianzenus in Oratione ad populum timore perculsum, & Principem, siue Præsidem irascentem: An me, inquit, liberè loquentem æquo animo fertis? nam vos quoque potestati meæ, meisque subsellijs lex Christi subiecit. Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius, atq; perfectius. nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere. hæc ille, qui apertè docet Episcopos potestate spirituali maiores esse Regibus, & potestatem spiritualem præstantiorem esse temporali, atque terrena.

Sanctus Ioannes Chrysostomus in lib. 3. de Sacerdotio, confert potestatem Regis cum potestate Sacerdotis, quo nomine Episcopum præcipuè intelligit, ac dicit, Sacerdotem tantò maiorem à Deo potestatem accepisse, quantò Cœlum terræ, & quantò animæ corporibus præstant. Reges enim corpora ligandi, atque soluendi potestatem habent; Sacerdotes verò animas ipsas ligant, & soluunt.

Sanctus Ambrosius in libr. de dignitate Sacerdotali, ca. 3. Nihil, inquit, est in hoc sæculo excellentius Sacerdote, nihil Episcopo sublimius reperitur.

Ac ne solis hominum testimonijs nitamur, quamuis doctissimorum, sanctissimorum atque antiquissimorum; audiamus Spiritum S. per os Apostoli loquentem in Epistol. ad Hebr. capit. 7. Sine vlla contradictione minor à meliore benedicitur. vbi melior ponitur pro maiore, & potiore, omnium consensu. Certum autem est, Regem ab Episcopo benedici, non Episcopum à Rege: proinde sine contradictione potior Rege Episcopus est. Quare si Episcopi quicunque maiores sunt Regibus, multò magis Episcopi Cardinales maiores Regibus erunt.

Iam verò de Presbyteris eadem ratio est, Sunt enim Presbyteri minoris Ordinis Sacer-

dotes, & quamuis sub Episcopis, tamen potestate ipsi quoque habent animas ligandi atque soluendi; Reges & Principes benedicendi; & Sacrificium illud admirandum celebrandi, quod Angelicas virtutes longè superat. Quare S. Ambrosius, cùm Theodosius Imperator in presbyterio sedere vellet, iussit eum arceri, dicens: Purpura Imperatores facit, non Sacerdotes. refert hæc Theodoretus libr. 5. histor. Eccles.

Addam & verba Seueri Sulpitij, auctoris eiusdem seculi, & testimonium Sancti Martini de dignitate presbyterali. Cùm ergò narrauisset Sulpitius, Sanctum Martinum aliquando ad conuiuium Imperatoris Maximi, cum vno ex presbyteris suis rogatum accessisse; ita subiunxit: Conuiuæ aderant, velut ad diem festum euocati, summi, atque illustres viri, Præfectus, idemque Consul Euodius, quo nihil vnquam iustius fuit, Comites duo summa potestate præditi, Frater Regis, & Patruus. medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autem sellula iuxta Regem posita consederat. Ad medium ferè conuiuium (vt moris est) pateram Regi minister obtulit. ille sancto admodum Episcopo dari potius iubet, expectans, atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus, vbi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: nec integrum sibi fore, si aut Regem, aut eos, qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset. hæc ille. Vides Rex, quale fuerit iudicium Sancti Martini, viri omnium ore laudatissimi, de dignitate Presbyterorum. Quod si quicunque Presbyteri, solùm quia Presbyteri, tali ac tanta dignitate præditi sunt, vt etiam Regibus præferantur, quis iure mirabitur, si Cardinales æquales Regibus à nonnullis esse dicantur?

Porrò de Diaconis Ecclesiæ Constantinopolitanæ Sanctus Ioannes Chrysostomus in ipsa Vrbe Regia, in qua Imperator residebat, affirmare non dubitauit, maiorem eos ipsis Imperatoribus habere potestatem. sic enim ad eos loquitur homil. 83. in Matth. Si Dux quispiam, si Consul ipse, si is qui diademate ornatur, indignè adeat: cohibe, & coerce. maiorem tu illo habes potestatem. Etsi Diaconi Constantinopolitani, Chrysostomo auctore, maiorem Ducibus, Consulibus, & ipso etiam Imperatore potestatem habebant; cur non eandem habeant Diaconi Romani, atque ij potissimùm, qui Cardinales, id est, principales totius Orbis terræ Diaconi sunt? Quæ cùm ita sint, desinat Rex Anglorum dicere, Cardinalitiam dignitatem, nescio quo loco, aut pretio habeam. Iam enim discere potuit ex Patribus veteris, & primitiuæ Ecclesiæ, quam solam probat, quo loco, aut pretio, habendi sunt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi: atq; inde coniecturam facere, quo loco, aut pretio sint habendi Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales, qui præter Sacrum Ordinẽ Electores sunt supremi Ecclesiæ Catholicæ Præsulis & Sacerdotum omnium Principis, atque ipsius Christi in terris Vicarij generalis; & eiusdem coadiutores, & consiliarij principales.

Cardinales sunt Electores, Cõsiliarii, & Coadiutores Summi Pontificis.

Antiquitas Cardinalium.

A At, inquit, Cardinalatus noua est Paparum institutio. Non ita est. nam si Cardinales vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi considerentur, à Christo ipso instituti sunt, & ab initio Ecclesiæ vsque ad nostra tempora perdurarunt. Itaque tam sunt antiqui, quam antiqua ipsa Ecclesia est. Si verò consideretur officium eligendi Pontificem, eundemque consilio atque opera adiuuandi, semper hoc officio functi sunt Presbyteri, & Diaconi Romani, cum Episcopis Vrbi adiacentibus. Hoc solùm interest inter antiqua tempora, & recentia, quòd olim ob paucitatem personarum, non distinguebantur Presbyteri, & Diaconi Romani Cardinales à non Cardinalibus, sed omnes in communi hoc officio fungebantur: postea verò crescente numero Presbyterorum & Diaconorum, & confusionem, ac tumultus varios ipsa multitudine pariente; necesse fuit paucos ex multis seligere, qui hoc munere fungerentur, atque ij dicti sunt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales.

B

Neque hæc reuocatio ad paucos, & eminentia, quæ inde sequuta est Cardinalium, tam recens est, vt noua dici posit, cùm anni quingenti vel sexcenti ab eo tempore numerentur. Multa enim scribit de Cardinalium amplissima dignitate, qua etiam Patriarchas & Primates omnes superabant, Petrus Damiani in Epistola ad Antipapam Cadaloum. Vixit autem Petrus Damiani ante annos sexcentos. Multa scribit Sanctus Bernardus in libro 4. de consideratione, vbi præter cætera dicit, Cardinales de omni orbe esse eligendos, quoniam totum Orbem sunt iudicaturi. Multa leguntur in probatis historicis antiquis, ex quibus Abbas Vrspergensis in chronico ad annum Domini 1116. testatur in Concilio Generali sub Paschali secundo vocatos Cardinales, potiora membra Ecclesiæ. Hanc verò eminentiam dignitatis, neq; Rex probare poterit, ex conniuentia, vel lenitate Principum temporalium processisse; & nos apertissimam rationem reddidimus, cur tanta sit dignitas Cardinalitia, quia videlicet, vt diximus, ipsi soli Summum Pontificem eligant, eique vt collaterales, & coadiutores in regenda vniuersali Ecclesia semper assistant.

C

Ac vt absoluamus hunc locum de Cardinalibus: excutiam etiam breuiter, quæ multò infra Rex adiungit. siquidem non contentus ijs, quæ hoc libro scripsit, iterum pagina 116. ad idem argumentum reuertitur, ac primum exprobrat Cardinali Bellarmino obscuritatem natalium. *Iam, inquit, præter Regis Maiestatem esse puto, vt in lite, ac certamine Cardinali se componat, saltem cum eo Cardinali, qui non felicius, ac illustrius, quam iste natus sit.* Fatetur Bellarminus, parentes suos homines priuatos, sed honestos, & probos fuisse: Auunculum verò habuisse Marcellum II. Pontificem Maximum, cuius ea virtus, & doctrina fuit, vt etiam ab hostibus testimonium acceperit. Theodorus enim Bibliander homo Lutheranus in tabulis suis Chronologicis, vbi Pontificum successiones describit; Sedit, inquit, anno M. D. LV. Marcellus II. vir sanctus, & doctus. Sed etiam si Cardinalis Bellarminus parentes habuisset

D

Marcellus II. Papa ab ipsis etiam hostibus fidei laudatus.

opifices

Splendor natalium non necessarius ad Ecclesiasticas dignitates, sed splendor sapientiæ, & virtutum.

opifices, aut rusticos, modò Catholicos, & pios, non erubesceret, cùm sciat Principum Apostolorum, alterum piscatorem, alterum tabernaculorum opificem fuisse: Dauid quoque Regem, & Prophetam à pascuis ad Regnum euectum: & quod maximum est, Christum Dominum nostrum fabrum, & fabri filium dici, & haberi voluisse, vt nos humilitatem, & contemptum Mundi doceret: Et Apostolum audiat dicentem in priore ad Corinth. cap. 1. Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia.

Addit Rex, *Ecclesiastica illa dignitas (Cardinalitia videlicet) quanquam Principum incuria, vt iam dixi, ad hoc præsumpti honoris culmen ascendit: tamen si ad eius originem, & cunabula redeamus, nihil est aliud quam titulus Presbyteris, & Diaconis parœciensium Ecclesiarum Vrbis Romæ attributus: olim quidem Presbyteris & Diaconis cuiuslibet Cathedralis Ecclesiæ vniuersæ concessus. sed cùm eiusmodi Cardinalium ingens multitudo vndique Romam commeantium Vrbem implerent, tandem nomen Cardinalis cæteris ademptum est, & solum Romanarum parœciarum Presbyteris, & Diaconis reseruatum. Et cùm ante S. Gregorium nemo illius tituli meminerit, qui sexcentis post Christum annis, in quibusdam Epistolis de Cardinalibus loquitur, atque ita multis post Apostolos sæculis, hodierni isti Sedis Apostolicæ electores, inuisi omnibus, & incogniti fuerunt.*

Iacobus Rex de rebus sibi nō cognitis loquitur.

Non miror si multa hic dicantur non vera, quoniam Rex de rebus sibi incognitis, & sine auctore loquitur. Non est verum Diaconos Cardinales habuisse olim titulos parœcienses; tituli enim parœciarum solis Presbyteris dabantur, Diaconis autem Ecclesiæ aliæ, quæ Diaconiarum nomen habebant. Neque verum est olim Presbyteris, & Diaconis cuiuslibet Cathedralis Ecclesiæ permissum fuisse titulum Cardinalitium, rarissimæ enim Ecclesiæ his vocibus vtebantur: ac ne in Romana quidem Ecclesia tempore sancti Syluestri omnes Diaconi Cardinales erant, sed soli septem: tempore autem Symmachi Pontificis soli viginti octo erant tituli Cardinalium Presbyterorum, vt ex Concilijs Romanis sub Symmacho intelligi potest: Presbyteri autem Romani multò plures erant quàm viginti octo. Illud etiam non est verum, venisse vnquam ad Vrbem ingentem multitudinem Cardinalium non Romanorum. id enim ex nulla historia (quod sciam) probabitur. Neque illud est verum, nomen Cardinalis ademptum alijs, & solis Romanis reseruatum. nam vsque ad hanc diem Ecclesia Compostellana habet suos Cardinales. Neque verum est, ante tempora Sancti Gregorij nomen Cardinalis fuisse inauditum. legitur enim nomen septem Diaconorum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ in Concilio Romano sub S. Syluestro, qui trecentis annis S. Gregorium antecessit.

Subiungit Rex, *Sed quomodo*, inquit, *præter rationem suæ originis, ac institutionis tam prodigiosi sunt elati, vt ex parœciarum Presbyteris, ac Diaconis nunc Principes sint, Regumq́ue æquales, & ex gradu Episcopali dignitate minori sint hodie soli Pontificis electores, qui cum generalium Conciliorum vice fungantur (vnde etiam vsus generalium Conciliorum exoleuit) immò vt nonnisi ex illorum collegio fas sit Pontificem eligi, qui supremam in Reges sibi auctoritatem vendicat: hoc, inquam, tam insolens incrementum quomodo cœperit, nulliusq́ue repugnantibus adoleuerit, nostrum est omnium prouidere, qui cū in terris Vicarij Dei simus, iure optimo suspectos habere debemus, istiusmodi nuper exortos Principes, qui sua origine modici, humilesq́ue seipsos ad summum fastigium, suis ipsi suffragijs subuehunt, Regibusq́ue deinde se componunt.*

Hic quoque Rex ex ignoratione rerum nostrarum, & quia nimis magnam fidem habere videtur hostibus Ecclesiæ, multa non vera sibi elabi passus est. Non enim præter rationem, & institutionem suæ originis, sed potius secundum originis rationem, & institutionem Cardinalitia dignitas creuit. Nam vt supra diximus, antiqua institutio erat, vt Presbyteri, & Diaconi Romani cum Vicinis Episcopis Pontificem Romanum eligerent, eumq; consilio & opera adiuuarent: sed postea excrescente nimium Presbyterorum, & Diaconorum multitudine, paulatim hæc functio ad paucos redacta est. Ita pauci illi super alios eminere cœperunt, vt Cardinales, id est, principales Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, atque adeò Principes Ecclesiastici iure dici possent: quomodo qui secundas partes à Regibus obtinent in administranda temporali Republ. Principes temporales dici solent.

Cardinales Regibus inferiores sunt temporali potestate: sed potestate spirituali & Ecclesiastica superiores.

De æqualitate cum Regibus distinguendum esse censeo: nam si de potestate temporali sermo sit, de Imperio, de opibus, de viribus, de armis, dubium non est, quin Reges longè, ac longè Cardinalibus præstent. si de potestate spirituali, atque Ecclesiastica agatur; non solos Cardinales, sed omnes Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Regibus superiores esse; paulò ante ex testimonio Ecclesiæ veteris demonstratum est. Quod verò apud Iurisconsultos dici solet, Cardinales æquiparari Regibus, de externo cultu, & honore intelligendum videtur. vsus enim obtinuit, vt quemadmodum Principes omnes Regibus cedunt, sic etiam cedunt Cardinalibus: & in hoc paritas quidem esse videtur.

Quod addit Rex, Cardinales Presbyteros, & Diaconos, aliquando minores fuisse Episcopis non Cardinalibus, verum est, quoniam eo tempore non solùm inferiores erant, quod attinet ad potestatem ordinis, vt etiam hoc tempore sunt; sed etiam quoad potestatem regendi Ecclesiam vniuersalem, quia ipsi quoque ad Concilia Romana vocabantur, & nobiliore loco sedebant, quàm Presbyteri & Diaconi Cardinales: olim etiam ad electionem Summi Pontificis admittebantur. Sed posteaquam soli Cardinales Electores esse, & in Consistorio cum Pontifice Maximo Ecclesiam vniuersalem administrare cœperunt; mirum videri non debet, si Cardinales Episcopis non Cardinalibus antepositi sint. Non tamen est verum, quod hoc loco Rex scribit, Cardinales cum Pontifice fungi vice Conciliorum gene-

Dignitas Cardinalitia generalium Con-

ralium, & ideò vſum generalium Conciliorum penitus exoleuiſſe. nam ab eo tempore quo cœperunt Cardinales ea eminentia excellere, qua nunc excellunt, habita ſunt multa Concilia generalia, tria Lateranenſia, duo Lugdunenſia, vnum Viennenſe, vnum Conſtantienſe, vnum Florentinum, vnum Tridentinum, & alia paulò minora. Concilia ergò Romana particularia exoleuerunt, & in eorum locum Conſiſtoria Cardinalium ſucceſsiſſe videntur, Concilia generalia non exoleuerunt.

[ciliorum v... non ſuſtulit.]

Neq; illud verum eſt, niſi ex collegio Cardinalium Pontificem eligi fas non eſſe. Scimus enim his poſtremis quingentis annis electos fuiſſe Pontifices Calliſtum II. Eugenium III. Vrbanum IV. Gregorium X. Cœleſtinum V. Clementem V. Vrbanum V. Vrbanum VI. Felicem V. quamuis hic poſtremus legitimus non ſit habitus, qui omnes extra Collegium erant. Quod autem Rex addit, à Romanis Pontificibus ſupremam in Reges ſibi auctoritatem vindicare: ſi per vindicare, ſignificare velit, vſurpare, omninò negamus; ſin autem vindicare ſit, quod ſuum eſt aſſerere: libenter admittimus: ſic tamen, vt per auctoritatem, non diſpoticum imperium, ſed paternam, ſiue paſtoralem poteſtatem intelligamus, qua de re ſæpe dictum eſt, & infra iterum recurret oratio.

Quod etiam Rex ait, ad Reges, vt Dei in terris Vicarios, pertinere curam videndi, quomodo tam inſolens incrementum Cardinalitiæ dignitatis cœperit, nulla ratione admitti poteſt. ſunt quidem Reges Miniſtri Dei in terris, vt eos vocant Sapiens in lib. Sap. cap. 6. Et Apoſtolus ad Rom. 13. ſed miniſtri ſunt in ijs, quæ ad terrena, & temporalia ſpectant. nam quod attinet ad ſpiritualia, & cœleſtia, atque vno verbo ad Eccleſiaſtica, Vicarij Dei Epiſcopi ſunt, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo Act. 20. Et ſummus Vicarius ille eſt, cui Dominus dixit, Sequere me, & paſce oues meas Ioan. 21. proinde videre, an, & quomodo, & quouſque creſcere debeat dignitas Cardinalitia, quæ eſt Eccleſiaſtica & ſpiritualis, ad Reges non pertinet.

[Reges Miniſtri Dei ...ant in temporali regimine.]

Minus verum eſt, quod Rex addit, iſtiuſmodi nuper exortos Principes ſuis ſuffragijs ſeipſos ad ſummum faſtigium euexiſſe, Regibuſque ſe deinde componere. Nam neque nuper exorti ſunt (niſi quingentorum annorum, aut etiam ſexcentorum ſpatium, nuper dici poſsit) neq; ſuis ipſi ſuffragijs, ſed auctoritate eius, qui Dei locum tenet in terris, euecti ſunt. neque ſe Regibus ipſi componunt, non enim Cardinalis erat, qui ſcripſit, Cardinales æquiparari Regibus, quod quomodo intelligendũ ſit, paulò ante diximus.

Poſtremò hæc Rex adiungit. *Sed hæc eſt præcipua, quam nobis inferunt, iniuria, quod ius Chriſtianis commune Regibus in generalibus Concilijs nobis adimant, cùm illorum habendi modum penitus ſuſtulerint: eorum vi, ac poteſtate ad ſe pertracta, & veluti monopolio in Pontificio Conclaui inſtituto. Et tamen ſi ſpes vlla, aut expectatio ſupereſſet, poſſe Chriſtianos omnes ad aliquem in Religione conſenſum adduci, id eſſet à generali Concilio expectandum, indicto in locum commodum, nec ſuſpectum conuentu, vbi Chriſtiani omnes Principes, aut per ſe, aut per Legatos poſſent adeſſe, & Eccleſiaſtici omnes, qui Chriſtianam religionem profitentur, illiq; veteribus vera, antiquæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei fundamentis adhæreſcunt, tutum acceſſum, ac commeatum haberent, incendiarijs vtrimq; furioſis, ac nouitijs, ſiue Ieſuitis, ſiue Puritanis excluſis.*

Ad hanc vltimam partem pari breuitate reſpondeo. quod enim nulla auctoritate, aut ratione probatur, ſimplici negatione refelli ſolet. Primum igitur nego, ſublatum eſſe modum habendi Concilia generalia: nego vim & poteſtatem eorum ad Cardinales pertractam: nego in Pontificio Conclaui eſſe quaſi monopolium conſtitutum. Iam enim Concilia generalia enumerauimus, quæ his poſtremis annis celebrata ſunt. Quomodo enim verè dici poteſt, ſublatum eſſe modum habendi generalia Concilia, cum Concilia celeberrima, & plurima paulò ante hoc ſeculum, & hac ipſa ætate noſtra ſint habita?

[Vana querela de ſublato modo habendi concilia generalia.]

Quod autem Rex queritur, factam ſibi, atque alijs Regibus iniuriam, quod commune ius Regibus Chriſtianis in Concilijs generalibus ſit ademptum: qua veritate nitatur non video, cùm in Concilio generali apud Tridentum habito, interfuerint Legati Cæſaris, Regum penè omnium, & Principum plurimorum. Quod addit, indicendum fuiſſe Concilium in locum non ſuſpectum, & commodum: id quoque præſtitum eſt, cùm Tridentum in finibus Germaniæ, atq; Italiæ conſtitutum, locus aptiſsimus, & minimè ſuſpectus à Summo Pontifice, & Cæſare, alijsque Regibus & Principibus iudicatus ſit.

Quod verò dicit, omnes Eccleſiaſticos, qui Chriſtianam Religionem profitentur, tutum acceſſum, & commeatum habere ad Concilium debere: hoc verò eſt, recedere à forma quatuor primorum Conciliorum, vel potius omnium, quæ habita ſunt vnquam in Eccleſia Conciliorum. Concilia enim Epiſcoporum ſunt, non omnium Eccleſiaſticorum; alioqui nullus locus tale Concilium caperet. neque de dogmatibus fidei iudicare ad omnes pertinet, ſed ad Principes Eccleſiarum, qui Epiſcopi ſunt. ſic enim loquitur Concilium Chalcedonenſe, vnum ex primis quatuor, quæ à Iacobo Rege admittuntur: Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt. Cui conſentit Imperator Theodoſius in Epiſtol. ad Concilium Epheſinum, tom. 1. cap. 32. ſic dicens: Illicitum eſt eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus. Ne tamen quererentur Proteſtantes, aut Caluiniani, inuitati ſunt omnes, & ſaluus conductus publica fide præſtitus, dilatæ quoque rerum grauiſsimarum determinationes in longa tempora, vt ſpacium comparandi ſe, atque ad Concilium veniendi, non deeſſet. Omitto quæ dicuntur in Ieſuitas, & Puritanos, quoniam ad conuicia pertinent, non ad doctrinam.

[Tale Concilium Rex Iacobus petit, quale nunquam à condita Eccleſia celebratum eſt.]

CAPVT

CAPVT V.

Quod Cardinalis Bellarminus nulla iniuria Regem affecit, cùm Apostolicorum Breuium, & Epistola sua defensionem suscepit.

PERGIT postea Rex in præfatione sua, & vt rationem reddat propositi iuraméti, de pulueraria coniuratione satis copiosè disserit. De qua re quod mihi dicendum videbatur, scripsi in alio libello, qui huic Apologiæ adiunctus est. Venit tandem ad Bellarminum, & primum pagin. 15. ex coniecturis probare nititur, librum, quo Breuia Pontificia, & Epistola Bellarmini defenduntur, eiusdem Bellarmini esse, non Matthæi Torti, cuius nomen gerit.

Ad hoc facilis responsio est. fatetur Cardinalis Bellarminus librum esse suum, sed vt supra admonui, non est visum illi suum nomen inscribere, quia neque aduersarius nomen inscripserat suum. Queritur deinde de modo scribendi, quod sit ab omni modestia alienus; idque probat pag. 16. ex præfatione Typographo Politano adscripta, vbi Cardinalitia dignitas cum Regia dignitate componi videtur. At eam præfationem neque Bellarminus scripsit, neque vsq; ad hanc diem cognoscere potuit, quis eius præfationis sit auctor; aut quis tandem ille sit Typographus Politanus. Cardinalis enim librum suum, sine vlla præfatione, vel dedicatione Coloniensibus excudendum dedit. Qua verò modestia soleat in scribendo vti, lectoribus iudicium relinquit.

Arguit deinde pag. 17. Rex fastum Cardinalis in scribendo, atque inde colligit, eum cum Rege quasi de pari dignitate contendere, quod eius breuitatem in scribendo imitari voluerit. *Quam ego*, inquit, *in scribendo breuitatem, eandem ipse in respondendo sequi voluit. quo compendio in secundo Pontificis Breui refutando vsus eram, eodem in me voluit vti; meoq; exemplo sese penè intra vnius pagina angustias coercere. Et quoniam Sacramenti fidelitatis summam in articulos quatuordecim distribui, peccare in suam amplitudinem credidisset, nisi & publicorum ordinum edictum, quo istud iuramentum continetur, in totidem particulas diuisisset.*

Deus bone, quam misera conditio est sub eo Rege viuere, qui iniuriam sibi fieri iudicat, si quis ab eius exemplo scribere discat. Alij certè Principes gratissimum habent: quod ille scripsit: Totus componitur Orbis Regis ad exemplum. Adde quod Bellarminus non sciebat, se aduersus Regem scribere, cuius nomen in fronte libri non viderat, & fidem habuerat ijs, qui nunciauerant librum Anglico idiomate esse, nescio cuius Decani Sacelli Regij, versionem autem in Latinam linguam esse Chronographi cuiusdam Regij, quas ille personas neque de nomine, neque de facie nouerat. Itaque non potuit Regium in scribendo modum de industria æmulari, qui Regium librum esse nesciebat: breuitas autem in scribendo, & distinctio, quam sit illi familiaris, & amica, norunt omnes, qui libros eius legerunt; vt opus ei non fuerit ab alijs hæc discere.

Descendit paulò post pag. 18. ad accusationem multò grauiorem, atque ait. *Quod si mani*

A *hac superbia, & amplitudinis sua ostentatione ita animum expleuisset, vt à grauiore in me iniuria temperaret, videri sanè tolerabilior potuisset. Nunc verò quid esse causa dicat, cur pœnè continuus in me, meamq; Apologiam conuicijs suam responsionem referserit? Nam cum ego nusquam Bellarminum verbo atrociore læserim, & præcipuè id cauerim, ne hominem mendacij insimularem; ille hac lege humanitatis spretâ nouies disertis verbis me mentiri pronunciat, & septies falsi arguit. quod perinde est, ac si mendacium mihi exprobraret. cæteris verò contumelijs, nescio an vlla pars libri vacet, cuiusmodi sunt, nugæ, conuitia, temeritas, vanitas, impudentia, blasphemia, sermonis barbaries, cum eadem felicitate scribendi, cauillationes, applicatio inepta, fingere historias, audacia, quæ in hominem sanæ mentis cadere non potest, vel sensu communi-* B *caret, imperitia, & leuitas, omnem omninò pudorem & conscientiam exuisse, mala fide nobiscum agit, vt lectoribus per fas & nefas imponat. His & eiusmodi conuicijs nescio vllamne paginam immunem reliquerit.*

Ad hæc ita respondeo; primum, breuiter, & distinctè scribere, non potest superbiæ, vel arrogantiæ imputari, nisi ab eo, quem nimia perturbatio transuersum agat. Deinde, quod auctor Apologiæ, quam Rex suam esse nunc dicit, nullo atrociore verbo Bellarminum læserit, neque mendacij insimulauerit: falsum esse, ipsa Apologiæ verba testantur. hæc enim sunt eius verba pag. 37.

An sit verum, quod Rex Cardinalem nullo atrociore verbo læserit.

Magnus ille, & præclarus Controuersiarum scriptor Cardinalis nuper exiesuatus Bellarminus, suo C *quoque talento cœptum hoc opus bonum locupletat & amplificat, dum quasi flabello admoto, & calcaribus infixis seditionem acuit, accenditq; missis huc ad Archipresbyterum litteris, ijsq; ita scriptis, vt mirum sit quomodo partim animi passio, partim ambitiosum fulciendæ Pontificiæ Monarchiæ studiũ, eum ita abripere, & lumen iudicij tam docti viri perstringere, & fascinare potuerint.* pag. 47. *Cunctos*, inquit, *mecum hic admirari non possum, quin exoptem, tàm crassum errorem tam docti viri.* pag. 69. *Hoc nobis*, inquit, *notum est, quod nisi quidam è Cardinalibus, in illo negotio, maiori prudentia, & maturitate vsi fuissent quàm Pontifex: fasti ipsi Pontificij, in quos relati sunt Diui, nobis tacentibus, Bellarminum apertè mendacij conuicissent.* pag. 83. *rectè omninò quadrat in Bellarminum tam inepta similitudine vtentem Poetæ veteris illius sententia,* D *Perdere quos vult Iuppiter, hos dementat.*

Hæc, & similia à se scripta oblitus erat Rex, quando dixit, nullo atrociore verbo à se læsum fuisse Bellarminum; nisi fortè non sint habenda verba atrocia, exiesuatus Cardinalis, flabellum seditionis, ambitione abreptus, crasso errore detentus, apertè mendacij conuincẽdus, à Ioue dementatus, &c. quæ tunc libens præterij, quoniam ad argumenta, non ad conuicia respondere decreueram.

Postremò quod ego disertis verbis nouies Regem mentiri pronunciauerim, & septies arguerim falsi, vt Rex ipse conqueritur, omninò inficior. Iam enim supradixi, Apologiam illam nunquam me pro Regia scriptura habuisse; nam, neque auctor Apologiæ Regem se aliquando nominauit, quin potius semper se pro Regio administro, & defensore gessit. At

Non est conuiciari, conuicia aduersarij detegere. neque vitio verti debet, vitia in lib. aduersarij notare.

neque ministrum Regis mendacij, vel falsi, vel barbari sermonis accusare deberes. Ita est, si vera scriberet; si non sciens, & prudens mentiretur; si latinè loqui didicisset; quæ enim mendacia sunt, non scio latinè appellare, nisi mendacia; quemadmodum etiam nugas, conuicia, blasphemias, confictas historias, sermonis barbariem, & alia id genus, quæ in Apologia reperi, suis nominibus appellaui. Iudicium lectorum erit, an talia sint, qualia esse dixi. Quanquam si Regium librum esse scire potuissem, sententias notassem, à verbis acerbioribus honoris gratia temperassem. quo honore dignum non existimaui Decanum, vel Chronographum illum, à quo non me solùm, sed etiam Summum Pontificem, Vicarium Christi, & Christum Domini tam inuerecundè tractari videbam.

A

Vltimo loco, pagin. 19. commemorat ea, quæ propriè ad iniuriam suam pertinere arbitrabatur. *Sed hæc*, inquit, *fortè in ignotum Apologiæ auctorem solummodo probra mittebat; Imò verò nec mihi ipsi, nec nomini meo pepercit. Modo affirmat Clementem Pontificem sensisse, me non abhorrere à fide Catholica. Me in Scotia Puritanum & Protestantium inimicum extitisse. Alibi concludit, Quia Iacobus non est Catholicus, hoc ipso hæreticus est. Iterum ex Christiano Caluinistam fecerunt. Alio loco: Neque omninò verum est, Iacobum non deseruisse Religionem, quam primò susceperat. Et posteaquam Iuliano apostata me contulisset, hoc argumento rem concludit: Cùm Catholicus non sit, neque Christianus est. Sit hæc honesta necne ratio cum Rege agendi, vestro sane iudicio relinquo, quos non potest tanta contumelia vni vestri ordinis illata, non grauiter commouere.*

B

Hic verò libenter audirem, honestum ne, an turpe Rex existimet abhorrere à fide Catholica. Si enim turpe sit à fide Catholica abhorrere, vt re vera turpe est, non fecit Regi Bellarminus iniuriam, cùm scripsit Clementem VIII. Pontificem sensisse Regem Iacobum à fide Catholica non abhorrere. sin autem honestum sit à fide Catholica abhorrere. non fecit eidem Regi iniuriam, cùm affirmauit, Regem Iacobum non esse Catholicum, & quia Catholicus non est, hæreticum esse, cùm hæc duo contraria sint.

C

Sed ad singula breuiter respondeamus. Dico, nullam factam esse Regi iniuriam, ex eo, quòd sanctæ memoriæ Clemens Pontifex vna nobiscum spem habuerit bonam de Regis conuersione, & existimare cœperit ex eo potissimum quod Catholicos in Scotia quietam, ac tranquillam vitam ducere patiebatur, eum à fide Catholica non abhorrere. Sperabat enim, & sentiebat de illo, quod bonum illi esse credebat. quod si verum non est, Regem à fide Catholica nunquam non abhorruisse; nos decepti sumus, Pontifex quoque spe sua frustratus est, sed non ideò iniuria Regi facta est, quia sperauimus, & sensimus de illo, nostro iudicio, meliora.

D

Quod autem scripsit Bellarminus Regem in Scotia Puritanum, & Protestantium inimicum fuisse, ad historiam, non ad iniuriam pertinet. Id autem ita esse non absolutè pronunciauit, sed addidit, si vera sunt, quæ narrantur ab ijs, qui eum intimè nouerunt. Itaque de rebus sibi ignotis alijs credidit, qui fide digni visi sunt. Si falsa narrarunt, ipsi viderint. Quanquam non desunt coniecturæ ex BASILICO DORO, vnde confirmatur quod scripsit Bellarminus. nam lib. 1. pag. 6. sic legitur. *Et nisi mihi mea conscientia certè persuasisset, Religionem illam, quam in Scotia iam profitemur, ipsis expressis, etiam conceptu scripturæ verbis fundatam esse, &c.* libr. verò 2. pag. 40. *At verò*, inquit, *reformata religio in hanc nostram Scotiam diuino planè miraculo introducta est, &c.* dicit enim miraculo introductam; quoniam à furiosis, & cupidis Puritanis introducta fuit. Ex his locis colligitur, Regem in Scotia Scoticam religionem progressum esse, & displicuisse illi quidem mores Puritanorum, qui illam introduxerant, sed non Religionem, quam per illos miraculo introductam, id est, per malos homines bonam religionem inuectam arbitrabatur.

Porrò illa consequutio, quia Rex Iacobus non est Catholicus, hoc ipso hæreticus est; non potest vitio verti apud eum, qui Catholicum se non esse palam profitetur, cùm in tota illa Apologia nomen Catholicorum semper tribuat illis, qui Romano Pontifici adhærent; à quorum fide, & religione se abhorrere non negat. Quamuis autem in hac præfatione, Catholicum se probare nitatur, cùm tamen à Romana religione, & à Romani Pontificis obedientia alienum se esse dicat; non ideò iudicio Orbis terræ Catholicus vnquam haberi, vel dici poterit. quoniam nomen Catholici, Ecclesia Romana ita obtinuit, vt etiam hæretici interrogati, vbi ad Catholicam conueniatur, non suas domos, sed istam vnam ostendant, in qua ab Apostolicis temporibus per successiones Episcoporum conseruata est antiqua traditio, & vnde hæretici omnes, tanquam rami fracti exciderunt. Itaque S. Ambrosius, in Oratione de obitu Satyri, cùm dixisset: Quæsiuit, an cum Episcopis Catholicis consentiret, mox addidit explicationem, id est, inquit, an cum Romana Ecclesia consentiret. de quo nomine vide quæ diximus in extrema pagina prioris nostri libelli, qui huic Apologiæ adiunctus est.

Nomen Catholici solis illis conuenit, qui Romanæ Ecclesiæ filij sunt.

Iam verò quod dixi, hæreticum non esse Christianum, non ideò dixi quod ignorarem, ampla quadam significatione Christianos dici posse, quotquot in Christo baptizati Christum se colere profitentur: sed quoniam propriè illi soli veri Christiani sunt, qui veram, atque integram Christi fidem in eius Ecclesia tenent, nulliq; hæreticæ sectæ adhærent. Quæ communis est sententia veterum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, vt S. Cypriani libr. 4. epistol. 2. ad Antonianum. Et libr. de vnitate Ecclesiæ, S. Athanasij orat. 2. aduersus Arianos, Sancti Hieronymi in Dialogo aduersus Luciferianos, Sancti Augustini lib. de gratia Christi cap. 20. Et aliorum, quos gratia breuitatis omitto: quare si iniuria est de non Catholico dicere eum hæreticum, ac per hoc non Christianum esse, non de me queri debet, qui iniuriam sibi fieri credit; sed de Patribus veteris Ecclesiæ, qui me ita loqui docuerunt.

Hæretici non sunt verè, & propriè Christiani.

Ex quo

Ex quo intelligimus, non esse falsum, neque iniuriosum dicere, eum, qui ex parentibus Catholicis natus est, & baptismum Catholico ritu suscepit, ac postea ab educatoribus deprauatus in hæresim incidit; ex Christiano hæreticum factum, religionem, quam cum baptismo susceperat, dimisisse. Non facit, inquam, illi iniuriam, qui hoc dicit, sed verè iniuriam grauissimam illi fecit, qui eum abstraxit à matre Catholica, & instituendum Caluinianis tradidit. Neque enim dubium esse potest, quin hoc tempore Iacobus Rex, non solum vnus esset ex ordine Regum, sed etiam vnus è numero Catholicorum Regum, si à parente Catholica institui potuisset.

Porrò Principes Orthodoxi meritò commoueri deberent, si aliqui de ipsorum ordine, & numero nota hæreseos iniustè inurerentur: sed quod Princeps, qui ab ipsorum religione abhorret; qui, vt Antichristum execratur, quem illi vt Christi Vicarium colunt; qui intercessionem Sanctorum palam irridet, qui venerationem reliquiarum intolerabilem idololatriam vocat; qui denique Purgatorium, Missam, & cætera fidei Catholicæ dogmata conspuit; hæreticus & non Christianus dicatur, molestè ferre non possunt, neque commoueri, nisi commotione fraterni doloris, quod tantum Regem, quem ipsorum ordini susceptum, & corona coniunxerat; ab ipsorum communione hæresis & schisma disiunxerit.

Libertas S. Hilarij in Rege hæretico increpando.

Ac vt Rex intelligat non esse nouum in Ecclesia, vt Sacerdotes Domini libera voce arguant Reges hæreticos; adscribam hoc loco verba sancti Hilarij Episcopi ad Constantium Imperatorem Arianum, ex libro qui incipit, Tempus est loquendi, quia iam præterijt tempus tacendi: Nunc, inquit, pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum. Et infrà. Sed temerarium me fortè quispiam putabit, quia dicam Constantium Antichristum esse. quisquis petulantiam istud magis, quam Constantiam iudicabit, relegat primum Ioannem dixisse ad Herodem, non tibi licere facere istud. Et infrà. Proclamo tibi Constanti, quod Neroni loquuturus fuissem, quod ex me Decius & Maximinianus audirent. contra Deum pugnas, contra Ecclesiam fæuis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum, sed diuinorum, Hæc tibi à me, atque illis socia, atque communia sunt. at verò nunc propria tua accipe. Christianum te mentiris, Christi nouus hostis es, Antichristum præcurris, & arcanorum mysteria eius operaris. Condis fidem, contra fidem viuens, Doctor prophanorum es, indoctus piorum, Episcopatus tuis donas, Sacerdotes custodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem Ecclesiæ disponis. Et infrà. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, vt excludas & in peccato veniam, & in confessione Martyrium. Et infrà. O tu scelesté, quod ludibrium de Ecclesia facis? soli canes ad vomitum suum redeunt: tu sacerdotes Christi resorbere ea quæ expuerunt coëgisti. Christianum te loqueris, sed quam non sis, ipse testaris. hæc ille, qui ex veteribus, & Sanctissimis, & laudatissimis Patribus vnus est. Possent addi non dissimilia ex Lucifero Caralitano, ex Gregorio Nazianzeno, & ex alijs. sed ista pauca hoc loco sufficiant. Neque verum est, quod quidam suspicati sunt, librum illum sancti Hilarij, Constantio defuncto, editum fuisse. nam viuente editum, & viuenti oblatum conuincit Card. Baron. tom. 3. Annal. pag. 815.

CAPVT VI.

Quod Cardinalis Bellarminus directè responderit ad Apologiam pro iuramento fidelitatis. Aduersarius verò statum causæ mutet, & ad alia extra rem digrediatur.

POSTEAQVAM Rex modum scribendi Cardinalis Bellarmini frustra reprehendit, aggreditur scriptionem ipsam, siue materiam libri, vt ipse loquitur reprehendere. Sic enim scribit pag. 19. *Iam verò argumentum, & subiecta materia libri modo tractādi probè conuenit. nusquam enim ad id, in quo causæ cardo vertitur, directè respondet, quippè duo tantum sunt capita, de quibus in Apologia disserui, vt supra monui. primum vt probarem in fidelitatis Sacramento nihil aliud, quam obedientiam merè ciuilem, & secularem Summis Principibus à Subditis debitam contineri. alterum vt ostenderem, hanc in Reges potestatem à Pontificibus iniquè vsurpatam, cum Scripturis, Concilijs, & Patribus pugnare. Primum non aliter quam hac vitiosa consecutione refutat: tum hoc iureiurando ius abdicandorum Regum Pontifici negetur, ne quidem excommunicandorum potestatem illi relinqui, Nec posterius disputationis meæ caput alijs machinis adoritur, quam illis Christi verbis, Pasce oues meas, &, Tibi dabo claues Regni Cælorum, & nemini vnquam Catholico id dubium fuisse.*

At Bellarminus Deo gratias agit, quod liber ipsius adhuc superest, atque bis recusus à multis videri, & legi potuit; Et nunc iterum cum hac noua Apologia recuditur. Siquidem eo libro inspecto, qui nec obscurus, nec prolixus est, omnes intelligent, à qua parte stet veritas, & quis imponere lectoribus satagat. Siquidem Bellarminus ad prius illud caput directè respondit, in illo iuramento fidelitatis non contineri solam ciuilem obedientiam; sed abiurationem Pontificiæ potestatis, idq; ostendit tribus argumētis; ex titulo F. dicti, qui est, ad detegendos, & reprimēdos Papistas; ex verbis iuramenti, vbi negatur Pontifici potestas ligandi, & soluendi; & ex alio iuramento clariore, quod est de Primatu Regis in spiritualibus.

Ex inspectione libri Bellarmini anno superiore editi refelluntur omnes calumniæ.

Illa verò consecutio, quam vitiosam esse, & solam in eius libro positam Rex dicit, nusquam in libro Bellarmini inuenitur. Ipse enim non disputauit vniuersè, possetne Summus Pontifex Reges deponere: quod ad rem ipsius non faciebat; sed assumpsit solum, posse à Summo Pontifice Reges hereticos excōmunicari, atq; deponi, quod apud Catholicos in dubium reuocari non solet. Posterius caput ad fallendos lectores, ambiguè hoc loco proponitur, cum dicitur; *Alterum, vt osten-*

Non fideliter referuntur scripta Bellarmini.

derem, hanc in Reges potestatem, à Pontificibus iniquè vsurpatam cum Scripturis, Concilijs, & Patribus pugnare. Quæro enim, quid sibi vult illud, hanc potestatem? neque enim de potestate Pontificis in Reges; sed de obedientia Subditorum ad Reges paulò antè Rex loquutus erat. Cæterùm ex Apologiæ libro, quem Bellarminus refutandum susceperat, satis apparet; hunc locum esse intelligendum de potestate prohibendi iuraméta ciuilis obedientiæ. hanc enim ciuilem obedientiam Regibus deberi, & iuramento quoque confirmari posse probat eo loco Rex testimonijs Scripturæ, Conciliorum, & Patrum: & paulò antè conquestus erat, quod hanc obedientiam iniustè Summus Pontifex in suo Breui prohibuisset. vnde librum illum, pag. 22. 23. 24. 25. 26. & 27.

Bellarminus directè respondit.

Ad hoc autem posterius caput Bellarminus directè respondit, falsum esse, quod Summus Pontifex in suo illo Breui obedientiam ciuilem prohibuisset: ac propterea testimonia illa Scripturarum, Conciliorum, & Patrum perperam adduci ad probandum, quod nemo negat. Illa verò Euangelica loca, Pasce oues meas, &, Tibi dabo claues, non adduxit, vt Rex dicit, ad oppugnandum caput illud posterius; sed ad probandum esse in Summo Pontifice potestatem excommunicandi, absoluendi, dispensandi, & similia faciendi, quæ ad prius caput, non ad posterius pertinent. Ex his quæ dicta sunt facilè cognosci poterit, reliqua omnia à pag. 21. vsque ad pag. 35. nihil esse aliud, nisi digressiones ad inuidiam atque odium Summis Pontificibus, & Ecclesiasticis omnibus conciliandum. Certi verò sumus, Catholicos, piosq; Reges, ac Principes prudenter cogitaturos à Rege hæretico, quiq; se hostem manifestum Ecclesiæ Catholicæ, totiusque Orthodoxæ religionis profitetur, nihil aliud expectari posse, nisi fidei religionisque contemptum.

Perperam applicantur ab aduersario argumenta Bellarmini.

Igitur, vt hæc breuiter percurramus, pagina 21. *Hoc*, inquit, *verborum fundamento, Pasce oues meas, immane quam amplum, solutumque Imperium Pontifici extruat; quo ad libidinem condonare, atque adimere Regna possit. huic tamen seruituti non alios quam Christianos Reges addicens*. Et paulò post, *Nam cum me hæreticis annumeret, cum Iuliano Apostata æquet, extra caulam etiam, gregemque Pontificium esse putet, necesse est. At vos, de Pontificio grege estis, vos magnus ille Pastor, instar ouium ad occisionem ducere pro libidine sua potest*.

Amplificatio ad conflandā inuidiam.

Hæc omnia cum bona Regis venia, qui nos ita loqui cogit, meræ calumniæ sunt. non solum enim nihil horum in Bellarmini libro reperietur, sed contra potius de solis hæreticis, qui ex ouibus lupi rapaces euadunt, locutus est; qui quámuis à grege Christiano, vel recesserint per hæresim manifestam, vel eiecti fuerint per Ecclesiasticam censuram; subsunt tamen Pastori, vt vel ipsi ad caulam emédati redire cogantur; vel oues cæteræ, ne ab eis discerpantur, & deuorentur, ab ipsorum consortio, & obedientia quam longissimè arceantur.

Pergit pag. 22. calumniari, cum ait, *Sic nouum, & egregium sensum his Christi verbis affinxit, Pasce oues meas, tanquam hoc significarent, tolle, proscribe, abdica Christianos Principes, atque Reges*. Et paulò post. *Hæc verba, quæ Petro in extasim rapto dicta sunt, Surge Petre, occide & manduca: ita Baronius exponit, Age Papa, confige Venetos, penitusque disperde*.

Conficta interpretatio.

At vbi quæso expositionem illam tam inciuilem, & inuerecundam in libro Bellarmini vidisti? non igitur ipse affinxit sensum illum Christi verbis, qui nusquam in libris eius extat: sed interpres tuus, ô Rex, Bellarmino eum sensum sine vlla specie verisimilitudinis affinxit. neque enim Bellarminus vnquam Patrem Christianæ plebis (sic enim Sanctus Augustinus Romanum Pontificem vocat) in Caligulam aut Neronem, aut Dionysium Syracusanum, commutauit. Pari calumnia Cardinalem Baronium, virum æquè pium ac doctum, ac de historijs Ecclesiasticis optimè meritum, aspergendum esse Rex duxit, maiorem fidem habēs famoso libello, quā viris grauibus, qui sensum verum & pium eius loci à Cardin. Baronio explicatum, scriptis libris testati sunt.

De exemptione Clericorum nihil nom Card. Bellarminus scripsit.

Digreditur deinde Rex sine vlla causa, pagina 23. ad exemptionem Clericorum, ex qua Bellarmini animum alienum à Regibus detexisse se dicit. Quasi vltrò nouum aliquid ipse scripserit de Clericorum exemptione, & non potius id quod Doctores omnes iuris diuini, atque humani docent; ipsa etiam Concilia sacrique Canones iubent. Sed qualem animum erga Reges, & Principes Bellarminus gerat, illi omnes sciunt, qui librum eius de laicis fortè legerūt. Ibi enim aduersus Anabaptistas, aliosque hæreticos principatum politicum defendit, atque ornauit ex diuinis literis, ex testimonijs Patrum, ex fontibus philosophiæ ductis multis, & varijs orationibus.

Henricus VIII. initio sui primatus Ecclesias, & Monasteria spoliauit.

Transit deinde Rex pag. 24. nihil laborans, si libri sui partes inter se aptè cohæreant, an non; ad bona temporalia Ecclesiarum, & Clericorum, à quibus occupari dicit tertiam partem soli, & fundorum. hoc videlicet illum malè habet, quod non omnes Principes exemplum Henrici Octaui sequi velint, qui cùm primum à Romano Pontifice defecit, seque caput Ecclesiæ declarauit; continuò Ecclesias, & Monasteria omnia diripuit, & redditus Ecclesiasticos Baronibus suis attribuit: egregiè imitatus Antiochum & Nabuchodonosor Reges, qui templo Domini spoliato, ex vasis aureis & argenteis Deo dicatis gazam suam ditauerunt. Sed qui Reges impios imitati sunt in scelere, eorum iusto Dei iudicio socij facti sunt in pœnis, non temporalibus, sed æternis.

Pagina 25. Videtur redire voluisse ad id vnde digressus fuerat, ad iuramentum videlicet fidelitatis; sed reuera tamen longius expatiando, atque euagando ad alia magis adhuc remota digreditur, ait enim. *Ac vt vobis in perspicuo magis sit, non alium mihi scopum in hoc negotio extitisse, quam vt de ciuili, & temporali obedientia, quæ mihi à subditis debetur, agerem, nec illorum conscientijs insidias à me esse comparatas (quod hic mihi conuitiator falsissimè*

obiecit) primum illud videamus, quam longè Imperatores, atque Reges, qui superioribus seculis religiosè, Christianeq; vixerunt, ab eo absfuerint, vt ius in se aliquod Pontifici esse crederent: cum contra Papas ipsi creauerint, in ordinem redegerint, adeoque de sede deiecerint.

Hæc ille, qui multas paginas consumit in describendis historijs Imperatorum, & Regum, qui cum Pontificibus Romanis inimicitias gesserunt. Sed quorsum quæso ista narrantur, si nihil aliud Rex demonstrare intendit, nisi in iuramento fidelitatis solam ciuilem, & temporalem obedientiam contineri? Qualis obsecro hæc argumentatio esset: Multi Reges nullum ius in se habere Pontificem Romanum crediderunt; sed contra potius eum quando libuit deposuerunt; Ergò Rex Anglorum in iuramento suo fidelitatis, nihil aliud, nisi ciuilem, & temporalem obedientiam requirit? Nam ne ipse quidem Aristoteles medium terminum in hac argumentatione reperiret. siue enim Pontifex in Reges ius habeat, siue non habeat, debetur Regibus obedientia ciuilis à subditis. Itaque longa digressione opus non erat, vt probaret quod nemo negat. Sed quemadmodum Rex Angliæ sub specie ciuilis obedientiæ adigere voluit subditos suos Catholicos ad abiurandam Pontificiam potestatem: sic in hoc suo libro sub specie Apologiæ pro iuramento fidelitatis, persuadere cupit Regibus, & Principibus Catholicis, vt exemplo suo ab Apostolica sede, & Orthodoxa religione discedant.

Mira argumentatio.

Videamus tamen quid tandem adferat, & cum illo, quando ita placet, & nos digrediamur, Euangelicum illud implentes: Quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo, Matth. 5. Primum igitur pag. 26. probat certum ius, ac inuiolatum apud Imperatores mansisse Romanos Pontifices creandi, ex eo quod *Hadrianus Papa in Concilio CLIII. Episcoporum Abbatumque decreuit, vt Carolo Magno Imperatori ius, ac potestas esset eligendi Papam & ordinandi Sedem Apostolicam: dignitatemque Patriciatus ei concessit: Insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Prouincias, ab eo inuestituram accipere definiuit. Et quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit: & nisi resipisceret, bona eius publicari præcepit.* hæc ille, & allegat Sigebertum, VValthramum, & alios posteriores.

An Hadrianus Papa concesserit Carolo Magno potestatem creandi Romanum Pontificẽ.

Ad hæc respondemus; si hæc omnia vera sint, sequi multa contraria ijs, quæ Rex probare conatur. Nam si Pontifex concedit Imperatori ius eligendi, & inuestiendi Episcopos: non igitur Imperator ex se caput est Ecclesiæ in ditione sua, ac per hoc neque Rex est caput vel supremus gubernator Ecclesiæ in Regno suo; cum Episcopos eligere, vel inuestire non possit, sine priuilegio Romani Pontificis. Deinde si Pontifex donat Carolum Regem dignitate Patriciatus Romani, quæ erat dignitas temporalis, & Imperatoriæ proxima: ergò Pontifex ius magnum in Imperio temporali habebat, quippè qui ipsos etiam Reges ornare, & augere poterat dignitatibus ad Imperium pertinentibus. Præterea si Pontifex iubet eos, qui contra decretũ ipsius

A agerent, non solum anathematis vinculo alligari; sed etiam bona ipsorum temporalia publicari; ius igitur Pontifex habet non spirituale solum, sed etiam temporale, in eos qui decretis ipsius obtemperare nolunt.

Addo secundò historiam illam confictam videri, non veram. Nam Sigebertus qui primus illam mandauit litteris, trecentis circiter annis posterior fuit Carolo, atque Hadriano: ij verò qui cum Carolo vixerunt, & res eius gestas accuratissimè conscripserunt, vt Eginarthus, & annalium Francorum auctor, nullam huius priuilegij mentionem fecerunt. Deinde quo pacto verum esse potest, dedisse Hadrianum priuilegium aliquod Carolo Magno Imperatori, cum tempore Hadriani Carolus Imperator non esset? Hadrianus enim

Historia Sigeberti de priuilegijs Carolo Magno ab Hadriano Papa concessis, videtur cõficta.

B obijt anno salutis 795. Carolus autem imperare cœpit anno Domini octingentesimo, vt Eginarthus & alij tradunt. Præterea si Carolus Magnus Pontifices Romanos creandi ius habebat, cur nullũ omninò creauit, neq; ipse, neque multi ex successoribus eius? nam Anastasius Bibliothecarius scripsit accuratè vitam, & creationes duodecim Pontificum, qui sibi inuicem post Hadriani Primi Pontificatum successerunt; nusquam Caroli, vel successorum eius meminit; sed à solo Clero, & populo electos, & creatos fuisse tradit. Porrò Gulielmus item Bibliothecarius, qui Anastasio successit, scripsit vitam Hadriani II. à Clero pariter, & populo solum electi. Et cum fortè Legati Imperatoris tum Romę adessent, & quererentur se ad electionem Pontificis in-

C uitatos non fuisse: responsum eis fuisse scribit Gulielmus, id ea ratione factum esse, ne Legatos Principum in electione Romanorum Pontificum expectandi mos inolesceret. qua ratione accepta, inquit Gulielmus, Legati omnem suæ mentis indignationem medullitus sedauére, & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.

Hæc certè apertissima demonstratio, vel nullum eiusmodi priuilegium datum fuisse, Carolo, vel certè ab illo admissum non fuisse, manifestissimum reddit. Quod etiam inde confirmatur, quod & Carolus in Capitulari suo lib. 1. cap. 84. Et habetur etiam apud Gratianum distinct. 63. can. sacrorum; decernit, liberas esse debere electiones Cleri, & populi: & Hadrianus II. in Concilio generali

D octauo, can. 22. prohibet omninò Principibus, ne se electionibus Episcoporum admisceant; Et habetur hoc decretum etiam apud Gratianum distinct. 63. can. 2. Et tamen neque Carolus, neque Hadrianus II. mentionem vllam faciunt priuilegij cõcessi ab Hadriano I. quam mentionem omninò facere debuissent, vel vt ei priuilegio Carolus renunciare se diceret, vel vt illud abrogari nouo decreto Hadrianus in generali Synodo declararet.

Addo postremò nihil præiudicari summæ Summi Pontificis auctoritati, etiam si verum esset Pontifices aliquando ab Imperatoribus fuisse creatos; tum quia id Imperatores non ex proprio iure, sed ex priuilegio Pontificis Maximi fecissent: tum quia Electores auctoritatẽ aliquam exercent in personam designan-

Electio Pontificis si per Imperatorem facta fuisset, summæ potestati Pontificis minimè præiudicasset.

dam,

dam,cui Pontificatus dignitas conferenda est, nullam exercere possunt in Pontificem electũ. alioqui etiam Electores Imperatoris ius haberent in Imperatorem electum,cum reuera nullum ipsi habeant in Imperatorem, & magnum in eos habeat Imperator : quemadmodum & S. R. E. Cardinales, quamuis Electores Pontificis sint : tamen vbi electus est, non subijcitur ille Cardinalibus, sed Cardinales illi, vt Pastori,& Principi subijciuntur.

Pergit deinde Rex pag. 27.& addidit, *Quod Imperatoris assensus,longo annorum decursu,eligẽdis Pontificibus interuenerit,Platina, multiq́ue alij ex Pontificijs scriptoribus testes sunt. atque ipse Bellarminus in suo controuersiarum opere hoc commodè eludere non potest.quin & certam pecuniam, vt confirmationem obtinerent, Pontifices in imperatorium fiscum dependere cogebantur, quem morem penè ad septingentesimum Christi annum durasse,Sigebertus, & Luitprandus, alijq́ue Pontificia secta historici testes sunt.* hæc ille.

Gothi Reges, & Græci Imperatores Romanam Ecclesiam diu vexarunt.

Negare non possumus quin Principes Ariani,Gothi videlicet,cum multis alijs rebus Ecclesiam Catholicam afflixerint, tum hoc ipso, quod absque consensu suo, aliquando etiam absque numerata pecunia Pontificem creari non permittebant. quem morem sequuti sunt aliquamdiu Græci Imperatores, qui Gothis expulsis Italiam recuperauerunt. Sed hæc tyrannis ab initio anni quingentesimi initium accepisse , & anno Domini 684. desiisse videtur. hoc enim anno scribit Athanasius, Constantium Imperatorem concessisse Benedicto II. Summo Pontifici, vt deinceps consensus Principis non expectaretur. Fuisse autem tyrannicam legem illam siue Gothorum, siue Græcorum, sanctus Gregorius Papa disertis verbis testatur in explicatione Psalmi quarti Pœnitentialis. Quid autem mirum est,si Principes illi electioni Summorum Pontificum se admiscuerint, qui personas ipsas Pontificum vel exilio vel carceribus, vel morte mulctabant ? non enim iudicandum est de potestate Principum in Summos Pontifices ex eo,quod aliquando fecerunt, sed ex eo quod iustè facere potuerunt. Sed si per annos circiter ducentos, ac fortasse minori tempore sustinuit Ecclesia tyrannidem illam partim à Gothis partim à Græcis ; per annos mille quadringentos libertatem suam obtinuit.

Pergit Rex pag.eadem, & ait, *Sed passim occurrunt Imperatorum exempla, qui Romanis Pontificibus suam potestatem abrogarunt. Otho Imperator Ioannem XII. Pontificatu abdicauit. quod esset varijs criminibus, ac præcipuè libidine infamis. Henricus III. Imperator exiguo temporis spatio Benedictum IX. Syluestrum III. & Gregorium VI. Synodaliter deposuit, cum insimulatos auaritiæ, tum quod hanc in Principes extraordinariam potestatem proteruè, & procaciter vsurpassent.* hæc ille.

An ab Imperatoribus fuerint vlli Romani Pontifices depositi.

Sed facilis est responsio; nam neque Otho Ioannem XII. neque Henricus Benedictum, Syluestrum,& Gregorium propria, vel imperiali potestate deposuerunt : sed per Synodum Episcoporum Ecclesiastica auctoritate deponi curarunt. Id Rhegino,& alij citati testantur. Neque facilè concedimus, iustam fuisse depositionem eorum Pontificum; sed hoc ad rem præsentem non pertinet. Illud autem quod Rex adiungit, depositos fuisse Benedictum,Syluestrum, & Gregorium, quòd hanc in Principes extraordinariam potestatem proteruè, & procaciter vsurpassent : aliquo testimonio probari potuisset. Siquidem hic solum allegari video Marianum Scotum , Sigebertum, Abbatem Vrspergensem, & Platinam: poterat etiam addere Othonem Frisingẽsem, & Hermannum Contractum. Marianus ad Annum 1045. sic loquitur : Henricus Rex Italiam ingressus pacificè à Romanis suscipitur. Papas tres non dignè constitutos Synodaliter deposuit. neq; causam particularem explicat. Abbas Vrspergensis eadem verba repetit,quæ videlicet à Mariano Scoto accepit. Sigebertus sic ait:Romæ vno contra duos,& duobus contra vnũ de Papatu contendẽtibus, Rex Henricus contra eos Romam vadit, & eis canonica, & imperiali censura depositis , Suidigerius Bambergensis Episcopus,qui & Clemens Romanæ Ecclesiæ CLIII. præsidet. Hermannus Contractus sic loquitur : Iuxta Natalem Domini non longè ab vrbe Roma apud Sutrium Synodo item acta, causaque erroneorum Pontificum diligentius ventilata, Gratianum Papam conuictum baculo pastorali priuauit. Dein omnium tam Romanorum, quam aliorum consensu Suidigerium Episcopum Romanæ Eccclesiæ elegit Pontificem. Otho Frisingensis, auctor grauissimus lib.6. Chronici cap.36.sic ait: Porrò Gratianus Regi apud Sutrium occurrens ad leniendum ipsius animum diadema preciosum obtulisse dicitur. quem Rex primò, vt decuit, honorificè suscepit: postmodum autem collecto Episcoporum conuentu à Pontificatu pro nota Simoniæ cedere persuasit. hæc Otho,qui verissimè scribit, Gregorium VI. qui antè Pontificatum Gratianus dicebatur, persuasum fuisse ab Imperatore, vt se ob notam simoniæ abdicaret Pontificatu. proinde non propriè Gregorius depositus fuit, vel ab Imperatore, vel à Synodo; sed sponte cessit, eò quod de crimine simoniæ conuictum se cerneret.

Grego VI. Papa non depositus fuit, sed ipse se Pontificatu abdicauit.

Non desunt tamen viri grauissimi,qui Gregorium VI. nullius criminis conuictum fuisse defendant. sed ad rem nostram non facit, qui in hoc loco solum demonstrare volumus, à nullo auctore scribi, quod Rex hoc loco dicit, depositos fuisse Pontifices tres, eò quod extraordinariam potestatem in Principes proteruè, ac procaciter vsurpassent. Id enim nullus omninò scribit. Porrò Platina, qui vltimo loco adducitur, nullam causam reddit, cur hi Pontifices in Concilio depositi fuerint, nisi quod essent mali.

Iam verò si ex his duobus exemplis Othonis , & Henrici Imperatorum aliquid efficeretur ad probandum , habere ius aliquod Imperatores ad Pontifices deponendos : multò facilius probaretur ex plurimis exemplis, habere Pontifices ius ad deponendos Imperatores. Isti enim duo Otho, & Henricus Pontifices deposuerunt , non auctoritate sua, sed Synodi, id est, Ecclesiastica potestate: Pontifices verò Imperatores deposuerunt, nõ laica

Princi-

Imperatores à Pontificibus depositi.

Principum potestate, sed sua, ac propria. Exempla sunt ad manus. Gregorius Iunior Imperatorem Leonem Isauricum, hæreticorum Iconoclastarum Principem excõmunicatum priuauit vectigalibus Italiæ, ac per hoc Imperij parte mulctauit. Testantur hoc, & laudant Græci scriptores Cedrenus, & Zonaras in vita Leonis Isaurici. Leo Tertius, transtulit Imperium totum Occidentale à Græcis ad Francos, ac per hoc priuauit dimidia Imperij parte Græcos Imperatores, & ea donauit Francos; de qua re testes sunt innumerabiles, quos adduximus in primo libro ex tribus, quos de Imperij translatione conscripsimus. Gregorius Septimus Imperatorem Henricum Quartum, publica atque solemni ceremonia excommunicatum priuauit Imperio, quod rectè factum fuisse, quicquid pauci schismatici contra dicant, testantur omnes graues historici, & cæteri eius temporis auctores, quos, verbis singulorum in medio allatis, produximus in libro quarto, de Pontif. cap. 13. Innocentius III. Othonem IV. Imperatorem deposuit, teste Flauio Blondo libro 6. Decadis 2. Innocentius IV. in Generali Concilio Lugdunensi assentientibus omnibus publicè deposuit Fridericum III. Imperatorem, Ecclesię persecutorem maximum. Extat adhuc sententia, cap. Ad Apostolicæ, de sententia, & re iudicata in 6. Clemens VI. Ludouicum IV. Imperatorem à Ioanne XXII. & Benedicto XII. excommunicatum Imperio priuauit. Vide Albertum Pighium lib. 5. Hierarch. Eccles. cap. 14. & 15.

De inuestituris Episcoporum à Regibus vsurpatis.

Pergit deinde pag. 28. & adfert exempla Regum, qui Pontificibus strenuè restiterunt. Primum ex VValthramo in libro de inuestituris Episcoporum, probat Episcopos Hispaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hungariæ per Reges introisse cum pace temporalium purè, & integrè, ex antiqua institutione vsque ad modernam nouitatem. Vocat autem VValthramus modernam nouitatem decretum Gregorij VII. prohibentis inuestituras Ecclesiarum accipi à Regibus, & Principibus seculi. Respondemus, verum esse per non breue tempus consueuisse Episcopos à Regibus inuestiri: sed Gregorium VII. fortissimum Ecclesiæ Dei vindicem, Dei auxilio fretum non timuisse veteres, & sanctas Ecclesiasticas leges renouare, atque defendere. Scribit enim in Epistol. ad Hugonem Diensem Episcopum, vt in Concilio habendo, cui ipse vt Legatus Apostolicæ Sedis præsessurus erat, canonem vicesimum secundum, octauæ Synodi generalis renouari curaret, quo prohiberet Principibus omnibus, etiam Regibus, & Imperatoribus, ne se in Episcoporum electione admisceant. quam Gregorij sententiam de tollendis inuestituris Principum, defenderunt non solum successores eius Victor III. Vrbanus II. Paschalis II. & alij: sed etiam viri sancti, qui eo tempore floruerunt, vt duo sancti Anselmi, alter Cantuariensis, alter Lucensis, & alij.

Deinde Rex pag. eadem ex annalibus Francij Nicolai Gillij refert Initium Epistolæ Philippi Pulchri Regis Francorum, ad Bonifacium VIII. Pontificem, quæ Epist. ridiculam

A continet salutationem, qualem scribere potuit iracundia potius, quam consideratio. Scimus enim grauissimam inimicitiam gessisse Philippum Regem cum Bonifacio Pontifice; neque esse mirum, si iratis animis quædam exciderint, quæ sedatis nunquam excidissent.

An S. Ludouicus Rex Francorum Papales exactiones in Regno suo prohibuerit.

Addit postea sanctum Ludouicum Regem publica pragmatica sanctione omnes Curiæ Papalis exactiones intra Regnum suum prohibuisse; & citat ad marginem, ex arestis Senatus Parisiensis. Ego verò legi quidem apud Nicolaum Gillium, inter alias sancti Ludouici ordinationes, hæc verba: Item exactiones, & onera grauissima per curiam Romanam Ecclesiæ Regni nostri imposita, vel impositas, quibus Regnum nostrum miserabiliter depauperatum existit, siue etiam imponendas, aut imponenda, leuari, aut colligi B nullatenus volumus, nisi pro rationabili, pia, & vrgentissima ineuitabili necessitate: & de spontaneo expresso consensu nostro, & ipsarum Ecclesiarum Regni nostri. Et fortasse hæc eadem verba habentur in aresto Senatus Parisiensis, quod mihi notum non est. Cæterùm legi pragmaticam sanctionem eiusdem sancti Ludouici, quæ habetur ad finem tomi sexti Bibliothecæ Sanctorũ Patrum editæ Parisijs anno 1589. vbi habentur eædem ordinationes, demptis verbis suprascriptis, quæ videntur postea addita in odium Ecclesię Romanæ.

S. Ludouicus Rex Francorũ Ecclesiæ Romanæ addictissimus.

Legi etiam similes ordinationes tum apud Paulum AEmilium, tum apud Robertum Gaguinum in vita sancti Ludouici, & verba C illa à Nicolao Gillio recitata non reperio: sed contra potius legi apud eosdem auctores sanctum Ludouicum Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, Innocentio IV. Alexandro IV. Vrbano IV. & Clementi IV. quorum temporibus vixit, fuisse addictum, & obedientem. Nam Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi excommunicanti, & deponenti Imperatorem Fridericum, astitit S. Ludouicus, atque, vt verbis AEmilij vtar: Se viresque Regni sui, ac consilium Sacrosanctæ potestati tutandæ paratum esse professus, Innocentij causæ dignitatem, roburque addidit. Et infrà. Interea Francus (sanctus Ludouicus) auctoritate nominis Franci tegens Pontificem, sacram insuper militiam in barbaram religionem professus erat. Denique in vita sancti Ludouici, quæ extat D apud Laurentium Surium à Confessario eius, vt creditur scripta, inter alia monita, quæ sanctus moriens filio suo, Regnique hæredi dedit, hæc verba habentur; Semper sis addictus & deuotus Romanæ Ecclesiæ, eius Pontifici haud secus atque spirituali patri te morigerum præbeas.

Pragmatica sanctio sublata.

Refert postea Rex eadem pag. & seq. ex Ioanne Maierio in libro de schismate, & Concil. quid actum sit inter Pium II. Pontificem, & Ludouicum XI. Regem Francorum, circa pragmaticam sanctionem, quam ex sententia Concilij Basiliensis Carolus VII. Rex Francorum edidit. Sed nõ est opus vt in hac re diutius immoremur. quod enim Pius II. Ludouici temporibus efficere non potuit, vt pragmatica illa sanctio omninò de medio tolleretur;

retur; effecit postea Leo X. Francisco primo regnante. Itaque in Concilio Lateranensi Sess. 11. pragmatica illa sanctio publico decreto sublata est. Sed hunc exitum pragmaticæ sanctionis, quia causæ suæ parum fauebat Rex facilè præteriri passus est.

An antiqui Reges Angliæ Romanis Pontificibus obedientes, an refractarij fuerint.

Addit vltimo Rex pag. 30. & quatuor sequentibus exempla Regum Angliæ, prædecessorum suorum. Siquidem Henricus I. Episcopatum VVintoniensem VVilhelmo Gifferd contulit; eumque contra noui Concilij decretum, de possessionibus cunctis ad Episcopatum pertinentibus inuestiuit. Idem quoque Henricus Archiepiscopatum Cantuariensem Rudolpho dedit, eumque per baculum, & annulum inuestiuit. Idem Turstano Eboracensi Archiepiscopo electo ad Callistum Pontificem proficiscenti mandauit, vt à Pontifice benedictionem non acciperet: quod cùm ille neglexisset, Rex illi omnem suæ dominationis locum interdixit. atque hæc ex Matthæi Paris historia probantur. Rex Edouardus primus inhibuit Abbati de VValtam, & Decano sancti Pauli, ne decimas colligerent in sumptus belli Hierosolymitani, quamuis ad hoc delegati essent à Pontifice Romano. Et quoniam Abbate interim mortuo Decanus Edouardo Regi pariturum se pollicitus est; Rex Iacobus triumphat, & dicit. *Hic hominem Ecclesiasticum teneo, qui Papa non paruit, vt Regi suo pareret, in rebus quoque Ecclesiasticis. nondum scilicet noua hac Iesuitarum Theologia Orbi innotuerat.* Idem Edouardus tres viros Ecclesiasticos puniuit, ex quo intelligitur, non esse Ecclesiasticos à Principis tẽporalis potestate exemptos. Edouardus II. patrem imitatus, viros Ecclesiasticos in custodiam duci iussit. Edouardus III. maiorum vestigijs insistens, Ecclesiasticos nonnullos vel carceri mancipauit, vel bonis temporalibus, vel spiritualibus spoliauit. Denique sub Richardo II. publicorum ordinum decreto cautum est, ne quis beneficium à Pontifice Romano impetraret. qui secus faxit, extra Regis fidem, & tutelam censeretur. hæc ex Archiuijs Regijs deprompta esse dicuntur.

Ego verò admiror intra spatium quingentorum annorum tam paucos inobedientes à Rege numerari potuisse: cum constet à Regibus Angliæ per hoc tempus plurimos sanctissimos Episcopos, vel Archiepiscopos, ob eam causam vexatos: quod mallent Pontifici magis obedire, quam Regi; & libertatem Ecclesiasticam fortissimè tuerentur. Theologia enim hæc Iesuitarum non est noua, sed antiquissima apud viros Catholicos; nisi fortè plus valeat exemplum vnius Decani, quam plurimorum Episcoporum, sanctitate, doctrina, & miraculis illustrissimorum, & salutis æternæ Regis, & gregis sui cupidissimorum.

Episcopi Angli sanctitate conspicui à Regibus vexati.

Notum est quanta passus sit sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariæ à Rege VVilhelmo, quot annis exulauerit, quoties ad Romanum Pontificem confugerit, & quanta deuotione quocunque iret, ab omnibus, vt Angelus Domini reciperetur. Dedit illi tamen Deus post mortem VVilhelmi Regis gloriosam victoriam. sic enim scribit Edinerus Anglus in lib. 2. de vita S. Anselmi: eo igitur tempore adunato in Palatio Regis Londini cunctis primoribus Angliæ victoriam de libertate Ecclesiæ, pro qua diu laborauerat, Anselmus adeptus est: Rex enim antecessorum suorum vsu relicto, nec personas, quæ in regimen Ecclesiæ sumebantur, per se elegit; nec eas per dationem virgæ pastoralis Ecclesijs, quibus præficiebantur, inuestiuit.

Non minus notum est, quanta, & quam grauia passus sit sanctus Thomas Archiepiscopus Cantuariæ, & Martyr ab Henrico Secundo Rege, cuius persecutionum fugiens ad Pontificem Romanum, ipse quoque se contulit. sed is etiam victoriam præclaram obtinuit, cum post eius obitum clarificante eum Domino signis, & virtutibus; idem Rex publicam pœnitentiam egerit.

Huic adiungi potest sanctus Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, qui ob defensionem Ecclesiasticæ libertatis; multa tum à Rege, tum à Regni proceribus passus est. Itaque ipse quoque in exilium voluntarium concedens apud Pontiniacum obijt, vbi receptaculum & refugium erat omnium ab Anglia propter iustitiam exulantium Prælatorum.

Sed ante hos omnes sanctus Dunstanus Archiepiscopus item Cantuariẽsis de manu Summi Pontificis Ioannis XIII. pallium, insigne Archiepiscopalis dignitatis accepit; & admirandæ sanctitatis, & miraculorum gloria clarissimus fuit; nec tamen effugere potuit, quin ab Eduino Rege mulierum amore corrupto in exilium pelleretur. Sed postea tamen ab exilio reuocatus maxima constantia semper Regum scelera redarguit, & optimo fine in pace quieuit. cuius vitam ab Osberto Monacho Cantuariensi sancti Dunstani æquali fideliter scriptam habemus.

Sanctus Hugo Episcopus Lincolniensis non pauca sustinuit à Richardo Rege, sed constantia, & virtute omnia superauit. Adscribam verba, quæ habentur cap. 18. vitæ ipsius: Cùm aliquando Rex cõtra Regem Franciæ extra fines Regni sui alacriter dimicaret, & militi pecuniam multam erogasset, Archiepiscopum in patriam remisit cum mandato, vt Episcopis, & Prælatis in vnum conuocatis indicaret, se pecunia habere opus, cupereque ab illis adiuuari. sed vir sanctus accuratius rem ipsam examinans, cùm reperisset pauperculam plebem hac ratione grauari; respondit, etiamsi omnes Regi consenseritis: at ego nequaquam illi consentiam. Vnus etiam ex Episcopis auditis rationibus, quas B. Hugo copiosè contra illam exactionem afferebat, illi adhæsit. Grauiter hoc Archiepiscopus accepit, & gradu concito ad Regem abiit, multa ei de sancto Episcopo cõquesturus. Audiens Rex solum Lincolniensem, suum retardasse conatum, & alium etiam Episcopum in suã sententiam pertraxisse; præ ira insaniens cuidam amico suo dixit; Sicut tu meam diligis salutem, ita ego tibi præcipio, vt Hugonem cum adhærente ei Episcopo penitus extirpare festines. Eiectus est ergò alter ille, & omnia quæ possidebat, fisco Regis addicta sunt. Sed iustus tanquam leo confidens absq; terrore erit, &c. Et tandem Rex videns

constan-

constantiam viri, & quod minas vniuersaque pericula pro nihilo duceret, eum ex animo venerari cœpit. Addam & pauca ex cap.20. Hortantibus quandoque amicis, vt maioris periculi vitandi causa in quadam re parui momenti Regi contra ius Ecclesiæ consentiret; sic fertur dixisse, Absit, vt personæ laicæ, cuiuscunque etiam dignitatis, & eminentiæ, priuilegiũ Ecclesiasticæ libertatis infringant. Mihi verò non contingat, vt timore potestatis alicuius, aut formidine difficultatis quantæcunque, ius Ecclesiæ Dominæ meæ Sanctæ Mariæ, quantũ in me est, deperire sinam, & cæt. Hic nos quoque Ecclesiasticum hominem tenemus, cui nota erat Theologia, quam Iesuitæ hodie docent, non esse obediendum Regi, in præiudicium Ecclesiasticæ libertatis.

B Sanctus Richardus Episcopus Cicestrensis claudat hunc locum. Is electus fuit Episcopus contra sententiam Regis: propterea Rex furore percitus res Ecclesiæ Cicestrensis iussit confiscari. Episcopus multas iniurias, contumeliasque perpessus ad Apostolicam Sedem se cõtulit, cui tunc Innocẽtius Quartus præsidebat. præuenerãt autem eum Legati Regij, vt etiam apud Summum Pontificem Sanctum virum Richardum fatigarent: sed Pontifex partibus auditis Beati Richardi electionem sua auctoritate confirmauit, atque eundem sacrarum manuum impositione Episcopum consecrauit. Reuersus in Angliam Episcopus, non solum bona Ecclesiæ suæ recuperare non potuit, sed etiam proposito edicto publico Rex omnibus interdixit, ne quis ei pecuniam mutuò daret. Cæterùm vir sanctus memor verborum sancti Iacobi, quod Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit diligentibus se, egestate sua gaudens partes omnes boni Pastoris impleuit.

Hinc habemus, quod Rex quærebat exempla Regum, qui bona non tantùm temporalia, sed etiam spiritualia Ecclesiasticis per vim eripiebant: sed habemus etiam, quod Rex nõ quærebat, exempla Sanctorum Episcoporum, qui pro libertate Ecclesiastica tum agendo, tum patiendo fortissimè dimicabant.

Quinq; Reges Angl. quos Iacobus pro causa sua adduxit, Põtificem Romanũ, vt caput Ecclesiæ vniuersæ venerabãtur.

Sed hoc loco prætereundum non est, hos ipsos quinque Anglicos Reges, quicquid tandem egerint, fuisse fide Catholicos; neq; vnquam ab obedientia Summi Pontificis, vt supremi capitis Ecclesiæ, defecisse. Nam Henricum primum post longas dimicationes pro inuestituris Episcoporum, cõstat cessisse Pontificum decretis. Id præter testimonium Edineri supra allatum, testatur Florentius Vigorniensis in Chronico anni 1107. his verbis: Statuit Rex, vt ab eo tempore in reliquum numquam per dationem baculi Pastoralis, & annuli quisquam de Episcopatu, aut Abbatia per Regem, vel quamlibet laicam manum in Anglia inuestiretur. Idem testatur Gulielmus Malmesberiensis lib.5. historiæ his verbis: Inuestituras Ecclesiarum post multas controuersias Deo, & sancto Petro remisit.

Edouardus primus sine dubio Catholicus fuit, & Summum Pontificem caput Ecclesiæ confessus est. Extat enim Epistola eius apud

A Thomam Valsingamum in anno 1302. ad Bonifacium VIII. cuius hæc est inscriptio. Sanctissimo in Christo Patri, Domino Bonifacio Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Edouardus Dei gratia Rex Angliæ salutem, & deuota pedum oscula beatorum. Certè qui Bonifacium vniuersalis Ecclesiæ Summum Pontificem vocat, non potest ei negare obedientiam, & subiectionem, nisi ab Ecclesia vniuersali alienum se esse profiteatur. Et qui pedum deuota oscula Põtifici offert, nunquam profectò diceret, quod Iacobus Rex dicit, se nulla in re Pontifice inferiorem esse.

Edouardus II. vel ex eo Pontificis auctoritatem agnouisse testatus est, quòd cum illo egit, vt Scotiæ Regem censuris Ecclesiasticis coerceret, audita prius causa, quæ inter vtrosque Reges controuertebatur.

Edouardus III. Epistolam scripsit ad Clementem V. Pontificem eodem Valsigamo teste cum eadem inscriptione, videlicet, Sanctissimo in Christo Patri, Domino Clementi diuina prouidentia Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Edouardus eadem gratia Rex Angliæ & Franciæ, & cæt. deuota pedum oscula beatorum. & infrà, pensata etiam deuotionis plenitudine, qua domus nostra Regia, & Clerus, & populus dicti Regni perstiterunt hactenus in obedientia Sedis Apostolicæ, & cæt.

Denique de Richardo II. quod fuerit etiam ipse Catholicus dubitari non potest. nam cum eius tempore schisma factum esset in Ecclesia, creato Antipapa, Clemente VII. contra C Vrbanum Papam VI. Richardus Rex legem tulit, vt qui alium Pontificem, præter Vrbanum, quem vnicum & verum Ecclesiæ caput appellat, agnouerit, bonis omnibus, & Regis protectione priuetur.

Reges Scotiæ à Donaldo primo vsque ad Mariã huius Iacobi sexti matrem, per annos mille trecẽtos Catholici fuerunt.

Sed esto, quinque isti Reges alieni à Sede Apostolica fuissent: an non deberet Rex Iacobus imitari potius ducentos circiter Reges prædecessores suos, partim Anglos, partim Scotos, quàm quinque? Constat enim ex Ioanne Lesleo, Reges Scotorum à Donaldo primo, qui anno salutis 197. à sancto Victore Pontifice fidem Christianam accepit, vsque ad Mariam huius Regis matrem, Catholicos, & Romanæ Apostolicæ Sedi obedientes fuisse. Numerantur autem 84. Reges, vel, vt alij volunt, supra 90.

Reges Angliæ ab Ethelberto vsque ad Henricum octauũ per annos nongentos Catholici fuerunt.

D Nec minus constat ab anno salutis 600. Reges Angliæ ab Ethelberto, qui primus fidem Christianam à S. Augustino suscepit, vsque ad S. Edouardum, id est, vsque ad annum salut. 1066. non solùm Catholicos, sed etiam Romanæ Sedis deuotissimos fuisse, vt tradunt Beda, Polydorus, & alij. numerantur autem Reges isti circiter octoginta. Itaque solùm supersunt post conquestum Reges viginti, à VVilhelmo primo vsque ad Henricum VIII. ex quibus quinque solos Rex Iacobus sibi ad imitandum exposuit, omissis quindecim, vel potius ducentis & quindecim, quos & Catholicos, & Apostolicæ Sedis obedientes fuisse negare non potuit.

CAPVT VII.

IACOBVM REGEM AB HAERESI EXCUSARI NULLA RATIONE POSSE.

HIs digressionibus expeditis, Rex à pag. 35. vsque ad 40. probare nititur, se neque Apostatam esse, neque hæreticum. Apostatam propriè non esse facilè concedi potest. Illi enim dicuntur Apostatæ, qui Christianam fidem,& religionem omninò deserunt,vt ne Christiani quidē dici velint: qualis fuit Iulianus Imperator, qui ex Christiano paganus factus, cognomen Apostatæ sibi peperit. Quod autem Rex dicit Patrem suum,& Auum paternum idem de fide secum sensisse; à Matre quoque nullis litteris,quas frequenter ab ea accipiebat, inuitatum ad Pontificiam religionem:quin etiam supremis verbis per Præfectum domus ab ea sibi mandatum;posse se in Religione, quam colebat perseuerare, modò probè, sanctèque viueret; & commissos populos, prudenter, & piè gubernaret: deniq; Matrem eandem iussisse, vt in Baptismo filij sui, cerimoniâ sputi nuperâ non vterentur: nolle enim se, vt impurus Presbyter in os infantuli sui inspueret.

Cerimonia illa, quâ tanguntur saliua nares, & aures baptizandorum antiquissima est.

Respondeo quod ad cerimoniam sputi attinet,illam non esse nuperam, cum eius meminerint S. Ambros.lib.1.de Sacram.c.1. S.Gregor.in Sacramentario, Beda in homil.in Euangelium Dominicæ 12. post Trinitatem. Rabanus lib.1.de institut.cleric.cap.27. Hugo de S. Victore lib.1.de sacrament.cap.8.

Neque verum est,ea cerimonia saliuā Presbyteri in os infantuli inspui: sed solùm aures, & nares saliua tangi, vt Patres citati dicunt, & Ecclesia seruat. hæc enim sunt verba venerabilis Bedæ: Vnde credo mos increbuerit Ecclesiæ; vt Sacerdotes illius his, quos percipiendis baptismi sacramentis præparant; prius inter cætera consecrationis exordia, de saliua oris sui nares tangant,& aures, dicentes Epheta. Itaque credibile non est,eam cerimoniam à Catholica Regina fuisse prohibitam.

Quod ad Parentes Regis attinet, dico, non deesse apud nos,qui Regis Patrem,& Matrem, fortasse etiam Auum Paternum viderunt, quique pro comperto habere se dicant,Patrem,& Auum Regis fuisse Catholicos;Reginam verò matrem,non solum ipsam fuisse Catholicam, sed etiam dedisse omnem operam, vt filium à Nouatorum erroribus ad antiquam, & veram fidem traduceret. Quin etiam ostenduntur hic Romæ Epistolæ non paucæ manu propria eiusdem Reginæ exaratæ, quæ satis testantur zelum eius de conuersione filij ad Catholicam Religionem. Neque fidem habemus Præfecto domus Meluino,qui cum hæreticus sit,mirum non est, si ea sibi à Regina moriente dicta esse confingat,quæ ad hæresim suam commendandam pertinent.

Porrò hæreticum se non esse Rex dicit,quia Scripturis Canonicis credat; quia tria fidei Symbola Apostolicum, Nicænum,& S. Athanasij libens iuret; quia prima quatuor Concilia generalia,tamquam Catholica,&Orthodoxa veneretur;quia quicquid quadringētis post

A Christum annis (quingentis in Anglicano libro legitur) vnanimi consensu Patres ad æternam salutem esse necessarium statuerunt; aut cum ijs ita sentiat,aut modesto silentio obmutescat, reprehendere certè non audeat.Sed hæc non satis esse, vt hæreticus dici non possit, facili negotio demonstrabimus.

Primum enim, scripturis Canonicis, sine certo fundamento Rex credit, ac per hoc propriè non credit. Dicit enim duos esse ordines scripturarum, vt à Bellarmino tradi affirmat lib.1. de Verbo Dei,cap.4.& quidem scripturas secundi ordinis, non esse tantæ auctoritatis, vt fidei vllum caput inde stabiliri possit. Porrò Bellarminus facit quidem duos ordines scripturarum,vnum earum,de quarum auctoritate numquam dubitatum est: Alterum earum, B de quibus à nonnullis veterum dubitatum est; sed tamen vtriusque ordinis Bellarminus affirmat, scripturas esse diuinas, & Canonicas, & ex vtroque ordine scripturarum posse elici, & stabiliri capita fidei. Idque probat fusissimè in sequentibus capitibus.Scripturæ secūdi ordinis sunt Tobias, Iudith,Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæi, & alia quædam.atque hæc sunt ex quibus Rex & cæteri Caluiniani negant posse elici, vel stabiliri dogmata fidei.

Hæretici scripturis sacris non verè credunt.

A quibus ego libenter quærerem, vnde habetis scripturas primi ordinis esse diuinas, & Canonicas:scripturas secundi ordinis non esse tales? Nam certè ex ipsis scripturis neutrum probari potest. nusquam enim scriptum est,libros Genesis, & Exodi esse diuinos; libros C Tobiæ, & Iudith non esse: librum Isaiæ esse Canonicum; librum Baruch non esse: ex libris Prouerbiorum,ex Ecclesiaste,ex Canticis,posse elici dogmata fidei;ex libris Sapientiæ,&Ecclesiastici non posse: denique libros Regum canonicos; libros Machabæorum apocryphos esse. Dicent prioris ordinis libros hebraica lingua scriptos inueniri,posterioris non inueniri scriptos nisi græcè aut latinè. At scriptura nusquam docet, libros hebraicè scriptos esse Canonicos; alios non esse. Neque æquum est Spiritum sanctum, qui est verus auctor scripturarum,alligare velle ad linguam hebraicā, vt Iudæi faciunt,quasi nō potuerit etiam tempore testamenti veteris librum dictare lingua græca aut latina. Itaque rectè S.Augustinus lib. 18. de Ciuitat.Dei,cap.26.Libros,inquit, Machabæorum,non Iudęi,sed Ecclesia pro Canonicis habet. Dicent,libros primi ordinis apud D omnes indubitatos semper fuisse: de libris secundi ordinis aliquos scriptores aliquādo dubitasse. At non ideo prioris ordinis libri sunt habendi diuini,quia de illis scriptores particulares non dubitarunt: neque posterioris ordinis sunt habendi apocryphi, quia de illorum auctoritate aliqui dubitarunt.alioqui fides nostra ab hominum dubitatione, vel non dubitatione penderet. Sed illi soli sunt habendi libri Canonici,& diuini, quos Mater Ecclesia, quæ spiritum Dei habet, & est columna, & firmamentum veritatis per os summi Pastoris, vel Conciliorum legitimorum dicit, verè esse Canonicos, & diuinos. Verè enim scripsit S. Augustinus:Euangelio non crederem,nisi me Ec-

Qui sint libri Canonici, & qui apocryphi, ad Ecclesiæ iudicium pertinet.

clesiæ

clesiæ commoueret auctoritas. lib. contra Epist. fundamenti cap. 5.

Quemadmodum igitur Ecclesiæ credimus nos Catholici docenti, libros primi ordinis esse diuinos; ita eidem credimus docenti, libros secundi ordinis esse diuinos. omnes enim istos libros enumerat inter Sacros, canonicos, & diuinos Innocentius primus Pontifex in epistol. ad Exuperium; Gelasius primus item Pontifex in decreto de libris sacris edito in Concil. 70. Episcoporum; Concilium Carthaginense tertium can. 47. Concilia denique generalia Florentinum, & Tridentinum. Ecclesia verò, non ex verbo Dei scripto, sed ex verbo Dei à maioribus per temporum successiones tradito didicit, qui sint libri Canonici, qui sint apocryphi. Rex autem qui verbum Dei scriptũ proferre non potest, cum nullum extet de hac re; verbum Dei traditum non recipit, quia Nouatores recipi prohibent; Ecclesiæ iudicium, id est, summi Pastoris, & Conciliorum (extra prima quatuor) non admittit; quid superest, nisi vt arbitrio suo, aut Nouatorum opinionibus acquiescat; ac per hoc de ipso verbo Dei, non verbo Dei, sed humano iudicio credat?

Nõ minus de sensu, quã de numero librorum diuinorum incerti sunt Nouatores

Quod autem dixi de Scripturis sanctis, idem de intelligentia scripturarum dici potest. Nouatores enim vbi scriptura proprijs disertisq; verbis loquitur; pro nihilo ducunt, ea verba in tropos, & figuras transmutare, si quando opinioni suæ non fauent. sic verba illa Cœnæ rotunda, clara, perspicua, Hoc est enim corpus meum, mille figuris inuoluunt Caluiniani, vt quidlibet aliud significare videantur, quam quod verè, propriéque significant: sic illud Apocalyps. 11. de duobus Prophetis cum Antichristo pugnaturis, atque ab eo interficiendis, & paulò post à Deo resuscitandis; omisso literali, plano, proprio, ac perspicuo sensu, omninò laborant, vt metaphoris obscurent, atque ad alia transferant, quæ nos Catholici à proprio sensu alienißima esse censemus. sed de his hactenus.

Non satis est admittere tria symbola fidei, & quatuor prima Cõcilia, vt quis Catholicus dici posit.

Venio ad tria Symbola, & quatuor prima Concilia. Scimus Lutheranis Sacramentarios, & Sacramentarijs Lutheranos hæreticos esse: Scimus Pelagianos, & Monothelitas Catholicis, & Protestantibus hæreticos esse: Scimus alios plurimos alijs omnibus, præterquam suæ sectæ hominibus, hæreticos esse: & tamen isti omnes recipiũt scripturas Canonicas, tria Symbola, & quatuor prima Concilia, & Patres primorum quadringentorum annorum minimè spernunt. Vel igitur Pelagiani, Monothelitæ, alijque id genus homines hæretici non sunt, vel non satis est ad hæreticum nomen fugiendum illa recipere atque admittere, quæ Rex Anglorum recipere atque admittere se dicit.

Neque multum refert, quod Pelagius hæresiarcha antiquior fuerit tertio, & quarto Cõcilio: nam Pelagiani noui, qui tempore sancti Prosperi, & S. Fulgentij Pelagianam hæresim renouarunt, posteriores quatuor Cõcilijs fuerunt, neq; ea negabant. Vt etiam hoc tempore Græci in articulo de Processione Spiritus sancti à Patre, & Filio, hæretici habentur à Lutheranis etiam, & Caluinistis; & tamen scripturas, tria symbola, quatuor Concilia, &

A Patres veteres venerantur. non igitur ista sufficiunt.

Nulla ratio reddi potest, cur primis quatuor Cõcilijs fides haberi debeat, & reliquis nõ debeat.

Deinde quæro à Rege, cur quatuor tantum prima Concilia generalia recipit? cur non quintum etiam, sextum, septimum, octauum; deinde Lateranensia, Lugdunensia, Viennense, Cõstantiense, Tridẽtinum? fortasse Ecclesia Christi post annum quingentesimum perijt? At regni Christi, quod est Ecclesia, nõ erit finis Luc. 1. Et aduersus Ecclesiam portæ inferi non præualebunt, Matth. 16. fortasse mansit Ecclesia post annum quingentesimum, sed inuisibilis, & in antris, ac speluncis delitescens? Et Ecclesia ciuitas est supra montem posita, quæ abscõdi non potest Matth. 5. Et semper illud impleri poterit: Si te non audierit, dic Ecclesiæ, Matt. 18. Et rectè S. Augustinus de Ecclesia exponit

Ecclesia sẽper est visibilis.

B illud. Psalm. 18. In sole posuit tabernaculum suum, id est, inquit, in manifestatione Ecclesiã suam, non in occulto, non quæ lateat, non velut operta, ne fortè fiat sicut operta super greges hæreticorum. In sole ergo posuit tabernaculum suum, quid tu hæretice fugis in tenebras? Hæc S. Augustinus.

Fortasse post annum quingentesimum nulli extiterunt hęretici noui, aduersus quos Concilia noua conuocanda essent? At extiterunt Monothelitæ, qui vnam in Christo voluntatẽ esse docebant: quam hæresim condemnarunt Patres in Concilio 6. Extiterunt & alij, atq; alij aduersus quos varijs temporibus varia Cõcilia cogenda fuerunt. numquam enim bella hæreticorum defuerunt, neque deerunt vnquam, donec Ecclesia militans appellabitur.

Collatio Cõciliorũ primi, & sexti.

C Fortasse defuit aliquid Concilijs reliquis, quod in solis primis quatuor inueniri potuit? At quid illud est? Confer Concilium primum cum sexto. In primo adfuerunt Episcopi vndiq; euocati: adfuerunt & in sexto. In primo adfuerunt Legati Apostolicæ Sedis: adfuerunt & in sexto. In primo adfuit Imperator Constantinus: adfuit & in sexto Imperator nominis eiusdem. In primo dictum est anathema Arianis, atque inde tota Ecclesia Arianos, vt manifestos hæreticos detestata est. In sexto dictum est anathema Monothelitis, atque inde tota Ecclesia Monothelitas, vt manifestos hæreticos detestata est. In primo creditum est adfuisse doctorem Spiritum sanctum, & à Patribus in Christi nomine congregatis, dici potuisse, Visum est Spiritui sancto, & nobis. At hoc

D idem creditum est in sexto, nisi fortè Spiritus S. Ecclesiam deseruisse dicendus sit, qui missus est vt eam doceret omnem veritatem. Quod autem diximus de comparatione Concilij primi cum sexto, idem dici potest de comparatione primi cum reliquis eodem modo, & ordine congregatis. Quare vel dicendum est, nulla esse Concilia, ac ne prima illa quidem, in quibus fuerit auctoritas nouarum hæresum damnandarum; vel eadem auctoritas tribuenda est omnibus Concilijs generalibus ritè congregatis: ac per hoc frustra recipit quatuor prima, qui non recipit alia subsequentia.

Hæretici nõ integrè recipiunt symbolum Apostolorum.

Sed venio ad singula, quæ Rex post Scripturas Sanctas admittere, & venerari se dicit. Nego symbolum Apostolicum ab eo plenè recipi. Articulus quintus est, Descendit ad infe-

ros:qui etiam repetitur in symbolo sancti Athanasij,& habetur passim in Catechismis Lutheri, & Caluini,& aliorum omnium tum Catholicorum, tum hæreticorum. Hunc tamen articulum Caluiniani, quales sunt in Anglia tum Protestantes,tum Puritani, verbo confitentur,re ipsa negant. Siquidem apud Caluinū lib.2.instit.c.16.in paruo Catechismo, in psychopannychia,& alibi, Christum descendisse ad inferos, est pœnas damnatorum pertulisse; pertulisse autem pœnas damnatorum Christū Caluinus dicit,primum in horto,cum calicem passionis transferri à se rogauit:deinde inCruce, cùm ait, Deus meus vt quid dereliquisti me?

At symbolum Apostolicum tradit, Christum ad inferos descendisse post mortem, non dum viueret in horto, vel in Cruce.& hæc est traditio omnium veterum Patrum,qui primis quingentis annis floruerunt. Christum videlicet post mortem, secundum animam descendisse ad locum subterraneum animarum,secundum corpus iacuisse in sepulchro.

Christus secundum animam verè descēdit ad inferos: secundum corpus verè iacuit in sepulchro.

Consule ex Græcis sanctum Ignatium in Epistol.ad Trallianos, S.Iustinum in dialogo cū Triphone,S.Irenæum lib.5.extremo,Clementem Alex.lib.6.strom.Originem homil. 15. in Genesim,Eusebium Cæsariensem lib.4.de demonstrat.Euangel.cap.12.S. Cyrillum Hierosolym.Catechesi 4.S.Athanasium lib.de incarnatione Verbi,qui incipit, Mos pij hominis.S. Basilium in Psal.44.& 48. S.Gregorium Nyssenū orat.1.de Resurrectione Christi. S. Gregorium Nazianzenum orat.2.de Pascha.S.Epiphanium in Ancorato ante medium. S. Ioannem Chrysost.homil.2.de Symbolo. S.Cyrillum Alex.lib.12.in Ioan.cap.36. & in lib. de recta fide ad Theodosium.

Ex latinis Tertullianum in lib.de anima c.31. & 32. S. Hippolytum Martyrem in orat. de Antichristo. S. Hilarium lib.10. de Trinitate, & in Psalm.138. S. Philastrium in lib.de hæresibus cap. de descēsu Christi ad inferos. S.Gaudentium tract.6.de Exod.S.Ambrosium lib. 3. de fide cap.3. S.Hieronymum in cap. 4. ad Ephes.in cap.9.Zachariæ,& in cap.3. Ecclesiasticæ.Prudentium in hymno 1. & 9. καθημερινῶν, Ruffinum in explicatione Symboli. S. Augustinum epistol.57.ad Dardanum,& 99.ad Euodium,& tract.78.in Ioan.&in Psal.85.& lib.17. de Ciuitat. Dei cap.11.& lib.20.c.15. S.Leonem serm.1.de Resurrectione. S.Fulgentium lib. 3. ad Transimundum Regem cap.23. S.Vigilium Mart.lib.2.aduersus Eutychetem.S.Gregoriū lib.13.Moral.cap.20.Ex his nullus est,qui non vixerit primis quingentis annis, S. Gregorio excepto, quem addere volui, vt Apostolum Anglorum.

Consulat Rex hos veteres Patres, & si illis fidem habet,intelligit circa Symbolum Apostolicum multum se cum suis à veteris Ecclesiæ sententia aberrare. Neque solum in hoc articulo, sed etiā in articulo de Ecclesia Catholica,& in articulo de Remissione peccatorum, Rex Anglorum verba,non sensum tenet. Neque enim credere potest Ecclesiam esseCatholicam,dum Ecclesiam non habet, nisi particularē,quæ Regnum Angliæ non egreditur,vt initio demonstrauimus.Neq; veram peccatorū remissionē credere potest,qui cum Nouatoribus credit, peccata semper hærere in homine quantumuis iustificato,quamuis non imputentur. Non autem posuerunt Apostoli in Symbolo, credo non imputationem peccatorum; sed credo remissionem veram vtique & plenā. alioqui potentior fuisset culpa primi hominis, quæ omnes ex Adamo genitos verè,ac propriè inquinauit;quam gratia secundi hominis, quæ renatos in Christo,non potuit verè,proprieq; purgare.sed de his multa in Controuersijs diximus,quæ repetenda non sunt.

Porrò quod attinet ad Symbolum Nicænū, si Rex illud admittat cum additione Concilij secundi generalis,vt passim in Ecclesijs omnibus legitur;inueniet in eo hæc verba,Cōfiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. quæ verba recitari solent; sed credi non solent à Caluinianis, quorum doctrinam Rex ipse, Angli,& Scoti sequuntur.Primum enim quod attinet ad infantes,credunt Caluiniani,filios fideliū nasci sanctos, & sine baptismo posse saluari;proinde non baptizari in remissionē peccatorum.vide Caluinū lib.4.instit.cap.16.& in Antidoto Concilij Tridentin.sess.6.c.5. Quod verò attinet ad Adultos,illi per fidem,eorum opinione,iustificantur,quæBaptismum præcedit. sic nulli omninò apud eos baptizantur in remissionem peccatorum. Hæc causa est, cur Caluinus lib.4.institut.c.14. in definitione Sacramenti nihil aliud posuerit, nisi obsignationem promissionū beneuolentiæ Dei erga nos: & protestationem pietatis nostræ erga Deum. remissionis peccati, aut infusionis inhærentis gratiæ nulla mentio.Deniq; in Antidoto Concilij sess.5.Manet,inquit Caluinus, verè peccatum in nobis,neq; per baptismum statim vno die extinguitur;sed quia deletur reatus,imputatione nullum est.hæc ille. Itaq; ex sententia Nouatorum, peccatum nunquam verè remittitur,vt non sit,sed solum, vt non imputetur: hæc autem remissio, per non imputationem infantibus contingit, quia sanctorum sunt filij:Adultis verò per propriam ipsorum fidem. Potest igitur apud eos deleri articulus Symboli, Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.

Hæretici nō integrè recipiant symbolum Nicænum, siue Constantinopolitanū.

Verum autem esse hunc articulum, ac de propria & vera remissione intelligendum docent omnes veteres Patres primorū quingentorum annorum,quibus si Rex fidem haberet; Protestantib.suis fidem nullam haberet. Atq; vt vnum de multis testimonium proferam, S. Augustinus in lib.3.de anima,& eius origine c. 9.Noli,inquit,credere,noli dicere,noli docere infantes,antequam baptizentur,morte præuētos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorū,si vis esse Catholicus. Idem in epist.156.alias 157.ad Optatum:Non est, inquit, falsa etiam in paruulorū baptismate remissio peccatorum,nec verbotenus dicitur,sed veraciter agitur. Nam (vt iam verbis vtar)quæ in Epistola beatissimi Zozimi leguntur, Fidelis Dominus in verbis suis,eiusq; baptismus re,ac verbis,id est,opere,confessione, & remissione vera peccatorū in omni sexu,ætate,conditione generis humani eandē plenissimè tenēt. nullus

enim,

enim,nisi qui peccati seruus est,liber efficitur, nec redemptus esse potest,nisi qui verè per peccatum fuerit antecaptiuus. sicut scriptum est, Si vos filius liberauerit,verè liberi eritis. Per ipsum.n.renascimur spiritualiter, per ipsũ crucifigimur mundo,ipsius morte, mortis ab Adã omnib.nobis introductæ, atq; transmissæ vniuersæ animæ, illud propagatione contractum chirographũ rumpitur, in quo nullus omninò natorum antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.In his enim verbis Apostolicæ Sedis,tam antiqua,atq; fundata,certa,& clara est Catholica fides, vt nefas sit de illa dubitare Christiano.Hæc sanctus Augustinus.

Neq;Symbolum S. Athanasij integrè recipiunt.

Venio ad tertium Symbolum, in quo verba illa leguntur,Inde venturus est iudicare viuos,& mortuos,ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporib. suis, & reddituri sunt de factis proprijs rationem: Et qui bona egerunt,ibunt in vitam æternam;qui verò mala,in ignem æternum. In quib. verbis cõfitemur iudicium nouissimum,in quo iustus Iudex pro qualitate factorum, reddet alijs coronam iustitię,alijs opprobrium,&supplicium sempiternum. Nam si nõ pro meritis operum, sed in gratiam fidei, vel iustitiæ Christi misericorditer imputatæ fidelib. vita æterna daretur,non esset opus iudicio,neq; discussione factorum: neq; oporteret Iudicem iustum, sed Patrem misericordem aduenire;neq;rationem de factis proprijs reddere,sedChristi iustitiam nobis imputatam, & fide apprehensam ostendere deberemus.hunc ergò articulum credere non poterit Rex,si cum Caluino, & Protestantib. credet,omnia opera iustorum esse peccata. hæc enim sunt verba Caluini lib.3.Instit. c. 14. Nullum à Sanctis exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem. Quam enim rationem reddent iusti de factis proprijs Iudici Christo,si omnia opera ipsorum vitiosa sunt, & merentur iustam opprobrij mercedẽ? Et si iusti rationem reddere non poterunt de factis proprijs,certè multò minus rationẽ reddere poterũt iniusti. quorsum igitur stabimus omnes ante tribunal Christi, vt reddat vnusquisque de factis proprijs rationem?

Dicent fortasse,quod solent, opera quidem iustorum esse omnia sordida,& immunda, sed per misericordiam Dei tegendam esse immunditiam, & reputanda fidelibus propter Christum,ac si munda essent. At si ita esset,non iustitia Iudicis,sed (vt supra dixi)misericordia Patris,vel liberalitate Principis opus esset.Quorsum igitur articulus Symboli dicit, Venturus est iudicare viuos, & mortuos, & reddituri sunt omnes de factis proprijs rationem?Et cur Apostolus in 2. ad Timoth.cap.4.clamat:Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex? cur & Coapostolus eius Petrus,in priore epistol. c.1. similiter clamat:Et si Patrem inuocatis eum,qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, in timore incolatus vestri tẽpore conuersamini? cur ipse Dominus, qui Iudex venturus est,Matt.16.prædicit,vẽturum se cũ Angelis suis,vt reddat vnicuiq; secũdum opera eius?Sed nolo esse longior, ne videar de dogmatib.disputare, nõ Apologiam scribere.

A

B

C

D

De Concilio Nicæno, quod nõ magni fiat ab hæreticis huius tẽporis

Venio ad quatuor prima Concilia. Conciliũ Nicænum,quod est primum generalium Conciliorum, duab. potissimum de causis conuocatũ est;vt quæstio de fide diuinitatis filij Dei, & dissensiones de celebrando Paschate definirentur.Id testatur Sanctus Athanasius in lib. de Synodis Arimini,& Seleuciæ, non procul ab initio.necnon Constantinus in Epistola, quam refert Eusebius lib.3. de vita Constantini. Itaq; S.Epiphanius hæresi 70.scribit,Constantinum Imperatorẽ duo magna bona contulisse in Ecclesiam,vnum quod congregari curauerit Synodum Nicænam,alterum quod in eaSynodo curauerit terminari quæstionem de Paschate. Porrò quæstionẽ vtramq; sacra illa Synodus, non tam ex scripturis,quam ex traditione non scripta definiuit. De quæstione fidei testis est Theodoretus lib.1.hist. c.8. eam ex sermonib. non scriptis fuisse terminatam. quamuis enim scripturæ pro vtraq; parte adducerentur inter disserendum:tamenAriani ad suam sententiam illas detorquebant,neq; finis disputandi vllus fuisset,nisi Episcopi,qui de toto Orbe conuenerant,ex traditione maiorum veram intelligentiã scripturæ colligentes;eã fidem tenẽdam esse decreuissent,quam ante motam quæstionẽ in Ecclesijs totius mundi à maiorib. prædicatã & receptam esse constabat. Decretum autem de Paschate celebrando die Dominico, ne poterat quidem ex scripturis vllis deduci, sed ex sola traditione ab Apostolis,atq; inprimis à S. Petro accepta, & in Vrbe custodita formatum est.Quæ cum ita sint, videat Rex,quam benè cũ Patribus Nicænæ Synodi Ministri Caluiniani, & Lutherani conueniant, qui traditiones non scriptas reijciunt,& quæst.interminabiles reddunt. Extat præterea canon tertius Nicæni Concilij,vt nõ permittantur in domibus Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum mulieres habitare,excepta Matre, Sorore, Amita,vel Matertera,ex quarum cohabitatione carnalis commercij suspicio oriri non potest. Quomodo igitur, si in Regno Angliæ Nicæni Concilij regulæ locum habent,in domibus Episcoporum inueniuntur vxores, & filiæ cum gregib.ancillarum,non minore numero,vel licentia,quam in domib.laicorum? Dicent fortasse ex historia Sozomeni haberi, in eodẽ Nicæno Concilio,interueniẽte Paphnutio, in arbitrio Episcoporum,atq;aliorum Ecclesiasticorum relictum esse, vt vxoribus pro libito vterentur.

Historia Sozomeni de coniugio sacerdotũ falsa cõuincitur.

At historia illa Sozomeni conuincitur esse falsa ex canone Concilij paulò ante citato: Si enim in arbitrio relictũ esset,vti vxoribus, vel non vti: certè Concilium excepisset etiam vxores,& filias,vbi matres, & sorores excepit Deinde S.Epiphanius hæresi 59. & S. Hieron. in lib.aduersus Vigilantium,apertè scribũt,esse contra Canones,neq; esse licitum Episcopo,& Presbytero,ac Diacono liberos gignere. Et certè sancti Patres Epiphanius, & Hieronymus, maiori fide digni sunt,quã Sozomenus,qui posterior tẽpore,& inferior doctrina,& sanctitate fuit. Adde,quòd Sozomeno auctore, Paphnutius ijs solis Episcopis, ac reliquis Ecclesiasticis vsum coniugum liberũ esse volebat, qui eas ante sacros Ordines accepissent: illicitum

autem esse, post ordines sacros coniugio copulari. At Episcopi Anglicani contempta lege Concilij contra morem non modo Latinorū, sed etiam Græcorum Christianorum vxores ducunt etiam post adeptum Episcopatum. Itaque nullam habēt excusationem, nisi fortè velint liberè confiteri, quod verissimum est, se veros Episcopos non esse, quippè qui ritè ordinati non sint, neq; aliquid de Episcopatu habere, nisi quæ sibi iniustè vsurpant, nomen, & opes. Atqui hoc est longissimè abesseà regulis Nicæni Concilij, vbi can. 4. Episcopi ordinari iubentur à tribus saltem Episcopis, qui & ipsi ab alijs ritè ordinati sint. nemo. n. dare potest quod antea non accepit. Episcopi autem Protestantes à nullo vero Episcopo ordinati, meri laici sunt.

De secūdo & tertio Concilio generali.

Iam de secundo Concilio nihil est, quod hic addam, cum paulò ante ex Symbolo in hoc Concilio edito demonstrauerim fidem Protestantium, & ipsius Regis alienam esse à fide Patrum huius Concilij.

Ex tertio Cōcilio Generali, quod est Ephesinum primum, nihil aliud adducam, nisi partem Epistolæ Theodosij iunioris Imperatoris ad hanc ipsam Synodum missæ; vt Rex intelligat, quæ sint partes Regum in Concilijs, & quorum propriè munus sit in Concilijs sedere, & iudicare. Extat autem Epistola græcè, & latinè. Igitur, inquit Theodosius, Candidianum præclarissimum Religiosorum domesticorum comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus: sed ea lege, & conditione, vt cū quæstionibus, & controuersijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat. nefas est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs, & consultationibus admisceri; verùm, vt Monachos, & seculares, ac cæteros deniq; omnes, qui huius spectaculi causa vel eò nunc confluxerunt, vel in posterum fortè confluent, ab eadem illa ciuitate modis omnibus submoueat: tum etiam, vt diligenter prospiciat, ne qua dissensio ex mutuo repugnandi studio coacta, & sæuæ tempestatis instar debacchata, sanctissimę Synodi vestræ cōconsultationem, quouis modo perturbet. hæc ibi.

Videt certè Rex in Concilijs Ecclesiæ legitimis, quale hoc tertium fuit, non conuenisse omnes Ecclesiasticos, sed solos Episcopos. Videt præterea negotia Ecclesiastica ad Reges seculi non pertinere; nisi vt fortè protegant Episcopos, atque eorum tranquillitati consulāt. qua de causa Theodosius Candidianum misit; & in primo, & quarto Concilio Imperator ipse adesse voluit. Videt postremò ex his apertissimè colligi, Regem non esse caput Ecclesiæ. quomodo enim ab Ecclesiasticis negotijs arceretur Ecclesiæ ipsius caput? Proinde Rex, qui caput, vel, quod idem est, Gubernatorem generalem Ecclesiæ Regni sui se esse dicit, quique Concilia generalia ad Reges potissimum pertinere existimat, qui denique omnes Ecclesiasticos adesse vellet, exceptis Puritanis, & Iesuitis, nouam Conciliorum formam, atq; ab illis primis quatuor penitus abhorrentem introducere satagit.

Ex quarto Concilio generali conuincū tur hæretici huius tēporis.

A Ex quarto Cōcilio posset Rex si vellet multa perdiscere, vnde cognosceret, fidem, & religionem, quam ipse reformatam vocat, & quā defendere, & propagare satagit; longè abesse à fide, & religione Synodi Chalcedonensis, quę est quarta generalis. Primum omniū verus Ecclesiasticus primatus Romani Pontificis in Ecclesia vniuersa, ex hoc Concilio manifestè colligitur. Extant Epistolæ plurimæ ad Leonem Pontificem, & Concilium Chalcedonense, & semper nomen Pontificis nomini Concilij anteponitur. hoc modo: Sanctissimo, & Deo amantissimo, & vniuersali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & Sanctæ, & vniuersali Chalcedonensi Synodo, quę voluntate Dei congregata est. Extat epistola totius Concilij generalis ad eundem Leonē, vbi præter alia dicunt Patres: Quibus omnibus, Episcopis congregatis, tu quidem sicut membris caput præeras. Vbi apertè vocant Pontificem caput Cōcilij vniuersam Ecclesiam repræsentantis. Item dicunt: Et post hæc omnia insuper, & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoq; Apostolicam sanctitatem. Vbi fatentur totius vineæ, id est, Ecclesiæ custodiam ab ipso Christo, non ab Imperatore, vel à Concilio, commissam esse Romano Pōtifici.

B

Extat item inter canones totius Concilij, canon sextusdecimus in hæc verba: Virginem, quæ se Deo Domino consecrauit, similiter & Monachum non licere nuptialia iura contrahere. quòd si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excōmunicentur. Videat Rex an iste canō tam antiquus, tam sanctus à sexcentis Episcopis veteris Ecclesiæ constitutus, obseruetur in Anglia: an contra, si qui Monachi, aut Virgines sanctimoniales ad eos fortè diuertant, an ad matrimonium cogantur, vel suadeantur.

C

Extat canon vicesimusquartus, in hæc verba: Quæ semel ex voluntate Episcopi dedicata sunt Monasteria, consilio Episcoporū perpetuò manere monasteria, & res quę ad ea pertinēt, monasterijs reseruari: nec posse vltra fieri secularia habitacula. Cogitet Rex, quam benè canonē illum obseruauerit Henricus VIII. qui omnia monasteria prophanauit.

Extat denique in actione vndecima huius Cōcilij publica inuocatio sancti Martyris Flauiani. quæ vel sola satis esset ad ostendendum fidem Regis non conuenire cum fide Concilij generalis. Proinde, vel neget huius Concilij auctoritatem, vel concedat, sanctos homines piè inuocari posse. Atque hæc de quatuor Concilijs.

D

Restat, vt de Sanctorum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt, veneratione dicamus. ac vt omittam non posse reddi certam rationem, cur non sint etiam admittendi sanctus Gregorius, Venerabilis Beda, S. Anselmus, S. Bernardus, S. Thomas, S. Bonauentura, & alij, qui posterioribus seculis, sed eodem spiritu, nec minore scientia scripserunt; ex ijs quæ Rex in sequentibus paginis reprehendit, conabor ostendere, fidem Regis cum fide Patrum nihil habere commune.

CAPVT VIII.

NON ESSE RECENTIA DOGMAta, sed antiquissima, Intercessionem Sanctorum, Missam priuatam, transubstantiationem, & alia, quæ Rex Angliæ, nouitia, & nupera vocat.

IGITVR pagin. 40. & 41. De Beatissima Virgine Dei Matre scribit multa, quæ ex colloquijs Erasmi petita, ad solam inuidiam conciliandam pertinent. qualia sunt, quod nos Catholici Diuam, & Deam faciamus; quod ab ea petamus, vt filio suo Deo, & Domino imperet, & dominetur; quòd absurdis cuiuslibet inepti hominis orationibus pateat; quod in terras ad Sacerdotum oscula, & complexus descendat. & concludit, *In cœlis, in æterno Sanctorum animarum receptaculo, in æternam est felicitatem collocata, nunquam à tantis gaudijs vlla terrenarum rerum cura, aut sollicitudine auocanda.*

Refelluntur calumniæ circa cultum B. Virginis Mariæ.

At prudentes, & benè instituti Catholici, neque Diuam, neque Deam vocant: neque ab ea petunt, vt filio imperet, & dominetur: neque dicunt, eam ad oscula, & complexum Sacerdotum descendere; neque sentiunt eam à cœli gaudijs auocari, quando curam gerit rerum humanarum, siue sola prece apud Deum agat, siue præsentiam suam mortalibus exhibere dignetur. Nam neque Angeli à Cœli gaudijs auocantur, quando à Deo in ministerium mittuntur propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, vt dicitur ad Heb. 1.

Quòd autem Virgo sanctissima & clementissima non audiat preces miserorum, vel aliquando non descendat ad homines; repugnat apertè Sanctis Patribus, qui primis quingentis annis floruerunt. adferam pauca loca de multis, quibus nulli veterum contradicunt.

Sanctus Athanasius in serm. de sanctissima Deipara: Inclina, inquit, aurem tuam ad preces nostras, & ne obliuiscaris populi tui. & infra, Intercede hæra, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.

Sanctus Ioannes Chrysostomus in ipsa publica Liturgia coram Clero, & populo dicendum præscribit: Intercessione immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, dignum me fac, vt sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum, &c. & infra, Confirma nos in timore tuo, custodi vitam nostram, stabili ingressus nostros, precibus, & supplicationibus Sanctæ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum.

Apparitio admirāda, & verissima B. Virginis Mariæ.

Sanctus Gregorius Nyssenus in vita sancti Gregorij Taumaturgi scribit, eidemque sancto Gregorio apparuisse noctu beatissimam Virginem cum ingenti lumine, & vnà sanctum Ioannem Euangelistam, & ipsa Virgine iubente, institutum fuisse sanctum Gregorium ab eodem Euagelista circa mysterium sanctissimę Trinitatis. hæc scribuntur à Patre antiquo, & sancto de alio Patre antiquiore, nec minus sancto; & nō referuntur somnia, aut figmenta, sed apparitio vera vigilanti facta, & extat adhuc confessio fidei à sancto Ioanne sancto Gregorio coram tradita, & tota illa regione celebratissima.

A Refert quoque S. Gregorius Turonicus lib. de Gloria Martyr. cap. 9. cum iussu Magni Constantini Basilica ædificaretur Beatissimæ Virgini Mariæ, & columnæ adeò immanes paratæ essent, vt hominum viribus, non sine maximo labore erigi possent, ipsam Virginem apparuisse Architecto, ac docuisse rationem columnarum erigendarum.

Neque solam Virginem Deiparam, sed etiam alios Sanctos palam apparuisse hominibus, testantur passim veteres Patres, vt S. Basilius in orat. de sancto Mamante, S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, Sulpitius in vita sancti Martini, Theodoretus libro quinto histor. cap. 24. S. Paulinus Natali 8. sancti Felicis. Sed vnum Augustinum audiamus in libr. de cura pro mortuis, cap. 16. non solum, inquit, B beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus Confessorem apparuisse Felicem audiuimus, non incertis rumoribus; sed testibus certis. Denique vt multa omittam, nunquam idem Constantinus Magnus Vrbem Constantinopolim sanctissimæ Deiparæ dedicasset, quod eum fecisse scribit Nicephorus lib. 8. cap. 26. nisi credidisset multum eidem Vrbi patrocinium tantæ Virginis profuturum.

Pergit deinde Rex, ac de intercessione Sanctorum scribit, *Scio ego Christum præcepisse, vt ad eum veniamus, quicunque peccatis oneramur, illum quippe nos refecturum, & leuaturum. Scio Paulum, humilitatem, & religionem Angelorum prohibuisse, omnemq; eiusmodi venerationis cultum in superstitione, & humilitate, non ad parcendum* C *corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis, sed qua fiducia quove auctore decurratur ad Deos penates istos, siue tutulares, quasi aulicos, & familiares Dei optimi Maximi nescio.*

Sed nos hoc loco non controuersias disputandas suscepimus, sed quo honore veteres Patres primorum quingentorum annorum Rex afficiat, demonstrare voluimus. Ostendimus enim paulò antè, id est, in primo cap. huius Apologiæ, veteres Patres Græcos, & Latinos magno consensu intercessionem Sanctorum verbo, & exemplo docuisse. Quare falsum est, quod Rex subiungit pagin. 42. istos articulos ante Christi quigentesimum annum inauditos & inuisos in Romana officina recenter esse excusos.

Soluitur obiectiuncula aduersus inuocationem SSctorum.

D Ad id verò quod Rex obijcit, Christum præcepisse, vt ad ipsum veniamus; Respondeo, ad Christum nos venire, siue ad ipsum per nos, siue per alios adeamus. Nam & Euangelista Matthæus cap. 8. scripsit: Accessit ad eum Centurio: cùm tamen non per se accesserit, sed per alios, dicente eodem Centurione, apud Lucam cap. 7. meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te. verè enim non ipse per se accesserat, sed miserat seniores Iudæorum: & cùm audisset Dominum ad se venire, misit iterum amicos dicens, Domine noli vexari, non enim sum dignus, vt sub tectum meum intres. Neque ideò falsum est, quod ait Matthæus: Accessit ad eum Centurio. Sic igitur & nos verè ad Christum accedimus, cùm ad eum per intercessionem Sanctorū accedimus: verè quoque semper ad Patrem per Christū accedimus,

cum Sanctos oramus, vt à Deo Patre per Christum nobis impetrent ea, quibus indigemus. Neque enim Sanctis locum Dei, aut Christi damus; neque eos pro Dijs, aut pro Christo habemus: sed eos rogamus, vt quæ nos à Deo per Christum optamus, & petimus; eadem ipsi, qui Deo propinquiores, & gratiores sunt, nobis à Deo per Christum impetrare dignentur.

Soluitur alia obiectiuncula.

Ad illud autem de Religione Angelorum; Respondeo cum Patribus eum locum Apostoli explicantibus, doctrinam fuisse hæreticorum, neminem posse per Christum ad Deum accedere, sed per Angelos, qui & Mundum fecissent, & per Prophetas loquuti essent: horum igitur fictitiorum Angelorum Religionẽ Paulus prohibet. Sunt nonnulli, inquit S. Ioannes Chrysostomus homil. 7. in epistol. ad Colos. qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari; & ad Patrem accedere, sed per Angelos. propterea Paulus, sursum ac deorsum quæ de Christo sunt versat. S. Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 10. addit, reprehendi ab Apostolo eos, qui Angelis, vt Dijs sacrificabant. Christianos aũt Angelis, vel Sanctis sacrificasse nemo demonstrare potest.

Pergit Rex pag. 42. & ait. *Quod si Romana Ecclesiæ officina fidei articulos ante quingentesimum Christi annum inauditos, & inuisos recenter excudit; non sum credo damnandus pro hæretico, si ad hæc nouitia, & nupera non accedam. In his articulis priuatas illas Missas numero, in quibus sacrificus simul & populi personam, & sacerdotis sustinet. In his quoque est Sacramenti mutilatio, qua laicis partem illius mediam subtraxerunt, Transubstantiatio, Adorandi causa eleuatio, In supplicationibus Sacramenti circumgestatio, Supererogationis opera, quibus thesauri Ecclesiastici nomen iure optimo accommodauerunt, Baptizatio Campanarum, & mille præterea nugæ, & quidem super omnia illa veneratio statuis, imaginibusq; delata.*

Ecclesia Catholica ius habet nouas hæreses damnandi.

Non esse hæc nouitia, & nupera, & horum pleraque non esse ante quingentesimum Christi annum inaudita, facilè demonstrabo; sed etiam si nouitia & nupera essent, non ideò Rex qui ea negat, ab hæresi immunis esset. Habet enim Ecclesia Catholica, cum nouæ controuersiæ exoriuntur, ius eas explicandi, & terminandi; & eos qui non obediunt, hæreticos declarandi, & à communione sua eijciendi. Neque poterit vnquam vera ratio reddi, cur licuerit Nicæno primo Concilio quæstionem ab Ario motam definiri, & Arianos hæreticos dicere; Concilio Constantinopolitano primo quæstionem à Macedonio, & Eunomio allatam, explicare, & Macedonianos, atque Eunomianos hæreticos declarare; Concilio Ephesino primo quæstionem à Nestorio introductam profligare, & Nestorium hæreticum proclamare; Concilio Chalcedonensi quæstionem ab Eutychete, & Dioscoro agitatam componere, & Eutychetem, & Dioscorum inter hæreticos numerare: & non licuerit postea Concilio secundo Constantinopolitano quæstionem de tribus capitulis motam definire, & qui contra sentiebant, hæreticos dicere; neque Concilio tertio Constantinopolitano quæstionem à Cyro, & Sergio Monothelitis allatam explicare, & Monothelitas hæreticos declarare; Neque Concilio Nicæno secundo quæstionem ab Iconomachis introductam profligare, & Iconomachos hæreticos proclamare; Neque Concilio Lateranensi quæstionem de veritate corporis Domini à Berengario agitatam componere, & Berengarium inter hæreticos numerare; Neque (vt alia omittam) Concilio Tridentino quæstiones à Luthero, & Caluino disputatas examinare, & iudicare, & Lutheranos, & Caluinianos in hæreticorum numerum referre. Eadem enim est semper Ecclesia, eadem auctoritate, & potestate prædita; & cum ea semper erit ille, qui dixit: Ecce ego vobiscum sum vsque ad Mundi consummationem.

Missa priuata nõ est res noua, sed antiquissima.

Sed veniamus ad Missas priuatas, quas Rex nouitias & nuperas dixit. Missas priuatas, id est, in quibus nulli participant Eucharistiam, præter Sacerdotem, non esse nouitias, & nuperas, testatur sanctus Ioannes Chrysostomus, qui homil. 3. epistol. ad Ephesios queritur de populo suo, qui rarissimè ad communionem accedebat, cum quotidiè Missa celebraretur: Frustra, inquit, habetur quotidiana oblatio, cùm nemo sit, qui simul participet. At, inquies, si frustra fiebat, non debuisset fieri. sed quæstio nostra non est, an rectè fieret, sed tantum an fieret. Rex enim dicit rem esse nouitiam, & ante annum Domini quingentesimum inauditam, & inuisam. At tamen Chrysostomus, qui vixit ante annum quingentesimum, testatur quotidie suo tempore celebratam fuisse oblationem, & neminem cum Sacerdote simul participasse.

Nec tamen concedimus non debuisse fieri oblationem sine participantibus; alioqui enim S. Ioannes vir sapiens, & doctus eam non fecisset. Quòd ergò dicit frustra fieri, significat, frustra fieri in ordine ad communicantes, non frustra in ordine ad Deum. Optabat enim Chrysostomus, vt etiam optare se dicit Tridentina Synodus sess. 22. cap. 6. vt simul offerretur sacrificium Deo, & populus communione reficeretur: sed si populus communione refici negligeret; non ideò sacrificium Domini omittendum erat.

Habemus præterea alia exempla veterum, qui interdum sacrificium offerebant pro causa tam particulari, & in loco tam angusto; vt non sit vllo modo credibile adfuisse vllos communicantes. Scribit S. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 12. dum mater eius apud Ostia Tyberina sepeliretur, oblatum fuisse sacrificium corporis Domini pro anima eius, cadauere iuxta sepulchrum constituto. Scribit etiam lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. Vnum è suis Presbyteris sacrificium corporis Domini obtulisse in domo quadam rustica, ad eandem domum à malignorum spirituum vexatione purgandam. Certè locus, & causa satis arguunt, non adfuisse qui communicarent. Sanctum quoque Gregorium Nazianzenum in exigua cellula extructo Oratorio oblationem celebrare solitum testatur Sozomenus lib. 7. histor. cap. 5. quæ loci angustiæ populum communicantem non admittebant.

Sed ratio præcipua, cur Nouatores mirentur, quòd in Ecclesia Catholica celebretur my-

sterium

A sterium Eucharistiæ sine participantibus, est; quia non credunt Eucharistiam institutam fuisse à Domino, vt offerretur Deo in sacrificium; sed solum, vt sacramentum communionis esset, & populo offerretur in alimoniam spiritualem: si enim sacrificium admitterent, facilè intelligerent, posse sacrificium offerri Deo pro populo, etiamsi populus de sacrificio non participet manducando, modo participet impetrando.

Et quoniam sciebat Rex sacrificium Missæ esse antiquissimum, & mentionem eius à Patribus omnibus fieri, quippe, qui scripsit in suo Basilico Doro lib. 3. antiquitatem sine veritate, esse vetustatem erroris; idque etiam de Missa dici posse affirmat; ideò non fuit ausus inter res nouas ponere sacrificium, siue Missam, sed B solum Missam priuatam, quam non facilè arbitrabatur in libris veterum Patrum inueniri posse. Sed cum Missam, vetustatem erroris esse pronunciauit, non potuit diuinare, in hac præfatione scripturum se fuisse, se reprehendere non ausurum, quod Patres primorum quingentorum annorum vnanimi sententia docent. Neque enim vetustas erroris, sed potius testimonium veritatis dici debet, quod sanctissimi, doctissimi, & antiquissimi Patres vnanimi consensu prædicant.

Vide si placet de sacrificio Missæ, id est, de oblatione Eucharistiæ Deo in sacrificium, S. Iustinum in dialogo cum Triphone, S. Irenæum lib. 4. cap. 32. 33. & 34. Tertullianum lib. de corona militum, & lib. 3. contra Marcionem, S. Cyprianum lib. 1. epistol. 9. & lib. 1. C contra Iudæos, cap. 16. Eusebium Cæsariensem lib. 1. de demonst. Euangel. cap. vltim. S. Ambrosium lib. 2. epistol. 8. & in Psalm. 38. S. Gregorium Nyssenum in orat. de Resurr. S. Basilium in Liturgia, S. Ioannem Chrysostomum homil. 24. in priorem ad Corinth. & homil. 17. in epistol. ad Hebræos. S. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 5. mystagogica, S. Hieronymum in primum cap. Malachiæ. S. Augustinum lib. 4. de Trinit. cap. 14. & lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. S. Cyrillum Alexandrinum in li. de adoratione in spiritu, & veritate. S. Leonem serm. 8. de Passione Domini. S. Fulgentium lib. 2. ad Monimum cap. 2.

Secundo loco inter nouitia, & nupera Rex ponit Sacramenti mutilationem, quod videlicet apud nos populus sub vna specie communicet. Sed nos nullam scimus in Ecclesia fieri D Sacramenti mutilationem, neque partem dimidiam laicis esse subtractam. Siquidem duæ species Eucharistiæ necessariò requiruntur ad sacrificium, & si in sacrificio altera deesset, rectè dici posset sacrificium mutilatum. At ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ, quælibet ex duabus sufficit; proinde Sacramentum sub specie panis, est verum, atque integrum Sacramentum; & Sacramentum sub specie vini verum atque integrum sacramentum est: nec tamen sunt duo sacramenta, quando simul sumuntur per modum vnius refectionis; secus autem si vnus sumeret Eucharistiam sub specie panis, & alius sub specie vini; vel si vnus, & idem sumeret hodie sub specie panis, alio die sub specie vini.

Sumptio Eucharistię sub vna specie, non est sacramenti mutilatio, neque res noua.

Simile est in baptismo, si quis vnica mersione baptizetur, integrum baptismum recipit: & si baptizetur tribus mersionibus, integrum etiam baptismum recipit. Si verò vnus vnica mersione, & alius trina mersione baptizetur; vel vnus, & idem hodie vnica mersione, cras altera, & tertia die tertia mersione baptizetur; multa baptismata erunt. Et quemadmodum Ecclesia Catholica ius habuit, aliquando iubere, vt trina mersione baptismus daretur; aliquandò, vt vnica tantùm mersione id fieret; sic etiam eadem Ecclesia ius habuit aliquando liberum relinquere, vt sub vna specie, vel sub duabus Eucharistia reciperetur; aliquandò iubere, vt sub vna tantùm reciperetur. Quòd autem ab initio Ecclesiæ non deessent, qui sub vna tantum specie communicarent, nec tamen Sacramentum mutilare dicerentur, multis testimonijs antiquitatis probare possumus.

Primum initio Ecclesiæ adhuc seruabantur ceremoniæ legis, vt notum est ex cap. 21. Actorum Apostolorum, inter quas vna erat votum Nazaręorum non bibendi vinum. Non est autem credibile, hos contra votum suum bibisse de calice Domini: quamuis enim in calice Domini non adsit vini substantia: adsunt tamen accidentia, sapor, color, calor, & similia: Nazaræi autem tanta religione abstinebant à vino, & omni quod inebriare potest, vt ne vuas quidem passas gustare possent, Numer. 6. Itaque propter hunc tantum Religionis rigorem omninò credibile est, Nazaræos eo tempore non fuisse ausos vini saporem gustare: neque tamen credibile est, eos omninò à communione abstinuisse. Restat igitur, vt sub sola specie panis communicauerint. Atque hæc ratio est, cur sanctus Lucas Act. 2. scripserit: Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & oratione. Vbi non addidit quidquam de calice, sed solùm meminit fractionis panis, quoniam ab ea specie nulli se abstinebant. Neque negant aduersarij, in hoc loco per fractionem panis intelligi distributionem Eucharistiæ. Id certè admittit Ioannes Caluinus lib. 4. Institut. cap. 17. §. 35. Eadem fortasse causa est, cur Apostolus de calice scripserit 1. Corinth. 10. Calix benedictionis, cui benedicimus: de pane autem, Panis quem frangimus. Calix enim semper benedicebatur, sed non semper omnibus distribuebatur: panis autem semper frangebatur, id est, diuidendo porrigebatur. Vnde paulò infra: Vnus panis, inquit, & vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus. neque de calice aliquid addidit, quoniam vt vnum corpus simus, hoc sufficit, vt de vno pane participemus.

Primũ exemplũ antiquitatis pro cõmunione sub vna tantũ specie.

Deinde Manichæi sub sola specie panis Eucharistiam sumebant, vt disertis verbis scribit sanctus Leo serm. 4. de Quadragesima, vbi etiam addit, eos vt Romæ à Catholicis internosci non possent, solitos cum Catholicis panem Eucharistiæ sumere, à calice autem abstinere. Quod si necessarium fuisset eo tempore Eucharistiam sub vtraq; specie sumere; & omnes fideles eam sub vtraque specie semper accepissent: neque Manichæi latere potuissent, qui à

Alterũ exemplũ antiquitatis.

vino

vino semper abstinebant; & S.Epiphanius, & S.Augustinus inter errores Manichæorum numerassent, Eucharistiam sumere sub vna specie, & eo modo Sacramentum mutilare. Cùm ergò nunquam inter errores Manichæorum id positum fuerit, & diu inter Catholicos Manichæi ob communionem latuerint, perspicuum est in veteri Ecclesia non defuisse, qui sub vna tantum specie communicarent.

Tertiũ exemplum.

Præterea mos erat antiquissimis temporibus, vt qui vellent, Eucharistiam in manibus sumerent, ac domum deferrent sumendam, cum eis opportunum videretur. Id testatur Tertullianus lib.2.ad vxorem. S.Cyprianus in sermon.5.qui est de lapsis. Clemens Alexandrinus lib.1. stromatum, S. Basilius in epistol. ad Cæsariam, S. Hieronymus in Apologia pro libris aduersus Iouinianum. Certum autem est, Eucharistiam nunquam fuisse datam in manibus, nisi sub specie panis. nam sub specie vini, aut offerebatur ore bibenda, aut non omittebatur. Neque vlli erant in domibus laicorum Calices sacri ad Eucharistiam sub vini specie conseruandam, vt apertè colligitur ex S. Athanasio, Apologia 2. aduersus Arianos; efficitur igitur, vt sæpissimè Christiani Ecclesiæ primitiuæ sub vna tantum specie communicarent. Neque audiendus est quidam ex aduersarijs, qui absurdum esse iudicat in Ecclesia communicare sub vna specie, in domo priuata non esse absurdum. Quasi verò liceat in domibus priuatis mutilare Sacramenta, in sola verò Ecclesia id non liceat. vel quasi mutilatio Sacramenti, non sit mala, nisi ratione loci.

Quartũ exemplum.

Denique (vt alia multa præteream) extra controuersiam est, apud veteres consueuisse deferri ad ægrotos Eucharistiam sub sola specie panis, vt notum est ex epist. Dionysij Episcopi Alexandrini apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 36. ex vita S. Ambrosij à Paulino scripta, ex vita S.Basilij scripta ab Amphilochio. Neque tamen Sacramentum mutilari veteres Patres ea deportatione censebant.

Dogma de transubstãtiatione antiquissimum est.

Tertio loco inter nouitia, & nupera numerat Rex transubstantiationem. Et si quidem de voce quæstio sit, nomen transubstantiationis inuenitur in Concilio Lateranensi omnium frequentissimo, sub Innocentio III. Pontifice ante annos circiter quadringentos celebrato. quòd autem ante annos circiter quadringentos in vsu fuit, videat Rex, an rectè nouitium, & nuperum appelletur. sed si de re ipsa agatur, certè transubstantiatio, id est, substantialis transmutatio, non solum ante annos quadringentos, sed ante mille & ducentos à Patribus vsurpari cœpit.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. mystagogica: Aquam, inquit, aliquando in vinum commutauit; & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinẽ transmutauerit? hæc ille. Mutationem aquæ in vinum factam in Cana Galilęæ per Christi omnipotentiam, veram, realem, substantialemque fuisse Rex profectò non negabit. at illi similem esse dicit auctor grauissimus, qui ante annum Christi quadringentesimum vixit mutationem vini in sanguinem Christi, per eiusmodi omnipotentiam Christi.

A Sanctus Ambrosius Cyrilli ferè æqualis, lib. de ijs, qui initiantur mysterijs cap.9. Quantis, inquit, vtimur exemplis, vt probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit? maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. hæc ille. quod si panis consecratus non est panis, quem natura formauit, sed est corpus Christi, consecratione naturam panis mutante: ergò transmutatio substantiæ panis in substantiam corporis Dominici consecrationis virtute facta est. transmutatio autem substantiæ in substantiam quid aptius, quam transubstantiatio dici potest? hoc enim modo figuræ in figuram trãsmutatio in Euangelijs transfiguratio dicta est. Matth.17.

B Sanctus Gregorius Nyssenus eiusdem temporis auctor in oratione magna Catechetica cap.37. Rectè, inquit, verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus credimus immutari. & infra. Hæc autem tribuit virtus benedictionis in illud. rerum quæ videntur, panis, & vini naturam mutans.

Sanctus Gaudentius eiusdem seculi scriptor tract.2. de Exodo: Ipse, inquit, naturarum creator, & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia & potest, & promisit, efficit proprium corpus; & qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit.

Sanctus Ioannes Chrysostomus, qui & ipse ante annum quingentesimum floruit, homil. 83. in Matthæum: Non sunt, inquit, humanæ virtutis opera proposita: nos ministrorum locum tenemus, qui verò sanctificat ea, & immu-
C tat ipse est. & hom. de Eucharistia in Encænijs: Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui sibi in secessum vadunt? absit, ne sic cogites. sicut enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia.

Addam & vnum scriptorem, qui nomen sancti Cypriani gerit, sed quanquam non est ille Cyprianus Martyr notissimus, est tamen grauis, & valde antiquus, etiam aduersarijs testibus. Cyprianus igitur siue quicunque est auctor Sermonum de operibus Cardinalibus Christi, in serm. de Cœna Domini: Panis, inquit, iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipo-
D tentia verbi factus est caro. hæc ille, qui & naturam, id est, substantiam mutari dicit, & effigiem, id est, accidentia non mutari, eamque mutationem fieri omnipotentia verbi, non voluntaria significatione, veram ac realem transubstantiationem apertissimè docet. Omitto cæteros auctores, quos qui videre cupit, tum in nostris libris de Controuersijs, tum in alijs aliorum doctissimis scriptis inueniet.

Mos adorãdi Sacramentum Eucharistiæ, Ecclesiæ veteri non fuit incognitus.

Quarto loco Rex ponit inter nouitia, & nupera dogmata, Adorationem Sacramenti Eucharistiæ, id est, adorationem Christi Domini nostri in Sacramento Eucharistię miro, sed vero modo præsentis, quamquam si Rex crederet, quod Catholici credunt, Christum Deum, ac Dominum in Eucharistia verè esse præsentem; non negaret opinor esse adorandum. Ac

vt bre-

vt breuiter ostendamus, hanc adorationem non fuisse ignotam Ecclesiæ veteri, audi verba S. Ambrosij lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. tractantis illud Psalm. 98. Adorate scabellum pedum eius: Per scabellum, inquit, terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus; & quam Apostoli in Domino Iesu, vt supra diximus, adorauerunt.

Audi S. Gregorium Nazianzenum in oratione de obitu sanctæ Gorgoniæ sororis suæ, vbi laudans pietatem Gorgoniæ ita scribit: Ad altare procubuit, cumque qui supra illud colitur, magno cum clamore obtestans, &c. quid autē super altare colatur, docet sanctus Optatus Mileuitanus, qui lib. 6. contra Parmenianum, vocat altare sedem corporis, & sanguinis Christi; vbi certo tempore membra Christi superponuntur.

Audi S. Ioannem Chrysostomum hom. 61. ad populum Antiochenum: Si pura, inquit, sunt vestimenta, adora, & communica.

Audi S. Augustinum tract. in Psalm. 98. Nemo, inquit, illam carnem manducat, nisi prius adorauerit.

Circumgestatio Eucharistiæ ad pietatē excitandā rectè instituta est.

Quod Rex addit de Sacramenti circumgestatione in publicis supplicationibus; institutū fuit ab Vrbano IV. Pontifice ante annos plus trecentos, vt non possit dici res nouitia, ac nupera. & cum hoc ad ritus, non ad dogmata pertineat; mirum videri non debet, si primis quadringentis annis hęc res in vsu non fuerit. Quia tamen hæc institutio in ipso suo exordio viris doctissimis, & sanctissimis mirificè probata est; & non diu postea in Concilio Viennensi generali confirmata, & per omnem Christi Ecclesiam propagata; de ea rectè dici potest, quod monet S. Augustinus in epistol. 118. ad Ianuarium, cum aliquid per Orbem tota frequentat Ecclesia, quin hoc ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.

Opera supererogationis in scripturis sanctis fundamentum habent.

Quinto loco placuit Regi inter nouitia, & nupera numerare Opera supererogationis, quibus dicit thesauri Ecclesiastici nomen iure optimo esse accommodatum. Sed mirum est, vnde Rex opera supererogationis nouitia, & nupera esse dicat, cum fuerint semper in Ecclesia, non solum testamenti noui, sed etiam veteris. Illa enim dicuntur à nobis opera supererogationis, quæ non sunt imperata à Deo, & tamen illi gratissima sunt. Vota omnia quæ leguntur in scripturis testamenti veteris, Leuitic. 27. Numer. 6. & 30. Deuteron. 12. & 13. erant de rebus nusquam præceptis, & tamen gratissima erant Deo, vt ex eo colligitur, quòd seuerissimè eorum solutio exigebatur, Deuter. 23. Si votum voueris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris polliceri, absque peccato eris. En vt perspicuè scriptura dicit, votum liberè fieri, ac per hoc esse opus supererogationis, & tamen postquam factum est, seuerè à Deo, exigi, vt rem sibi gratam.

Sed adijciamus testimonia veterum scriptorum, qui primis quingentis annis vixerunt. Origenes in commen. ad cap. 15. ad Rom. Ea quæ supra debitum facimus, non facimus ex præcepto. verbi causa, Virginitas, non ex debito soluitur, non enim per præceptum expetitur. sed supra debitum offertur. S. Ioannes Chrysostomus homilia octaua, de pœnitentia, Nequaquam Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi & ipsa superant mandata. S. Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 30. loquens de præceptis, & consilijs: In illis, inquit, Dominus debitum imperat vobis: in his autem si quid amplius supererogaueritis, in redeundo reddet vobis. idem S. Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli: Ambierunt Virgines illam maiorem pulchritudinem cordis sui, tanquam dicerent, quid iubes? ne adulteræ simus? hoc præcipis? amando te plus faciamus, quam præcipis. hæc ille, qui satis apertè declarauit, quid sit quod anteà dixerat, si quid amplius supererogaueritis. id enim est supererogare, plus facere, quam Deus præcipiat. Multa alia testimonia possem addere, sed in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.

Vetus calumnia de baptismo Campanarum.

Sexto loco ponit inter nouitia, & nupera, Baptizationem campanarum, & mille præterea nugas. sed piget ad ista respondere, cùm nemo nesciat, campanas in Ecclesia Catholica benedici, non baptizari, vt pleraque alia benedicuntur, & vt Apostolus de cibis loquitur 1. Timoth. 4. per verbum Dei, & orationem sanctificantur. Quod si vulgò aliquibus in locis campanæ benedictio baptismus dicitur; id ex eo fit, quod nomina campanis, dum benedicuntur, alicubi imponantur. Certè nusquam aduersarij reperient, in campanarum benedictione dici, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sine quibus verbis baptismus propriè dictus constare non potest. Illæ autem mille nugæ, mille Nouatorum calumniæ sunt; qualis est ista de baptismo campanarum, quā sæpe apud Nouatores, non sine admiratione impudentiæ ipsorum legi.

Imaginum sacrarum veneratio antiquissima est.

Septimo loco Rex numerat inter nouitia & nupera, Reliquiarum, atq; Imaginum adorationem; quam intolerabilem Idololatriam esse dicit. Et quidem de antiquitate venerationis reliquiarum multa diximus in primo capite huius nostræ Apologiæ: de antiquitate venerationis Imaginum sacrarum, nunc pauca dicamus. Iulianus Imperator apostata locupletissimum testimonium nobis præbebit. sic enim scribit, referente S. Cyrillo libro 6. in eundem Iulianum: O miseri homines, cum seruentur arma, quæ magnus demisit Iuppiter, hoc est, Pater Martis, pignore dato, non verbo, sed re, quod ciuitatem nostram perpetuo protecturus sit, cessatis adorare, & colere? & interim Crucis lignum adoratis, imagines illius in fronte, & ante domos pingentes. hæc ille. qui certè non objiceret Christianis, quod lignum Crucis, quod nihil est aliud, nisi imago Crucifixi, adorarent, eiusque figuram ad protectionem in fronte, & ante domos pingerent, nisi hoc ipse passim fieri vidisset, quo tempore Christianus erat. Huic testimonio consonat Tertullianus, qui in Apologetico aduersus gētes ca. 16. Christianos à paganis Religiosos crucis appellatos fuisse testatur.

Sed sanctos Patres audiamus. S. Ambrosius in orat. de obitu Theodosij: Sapienter, inquit,

Helena

Helena egit, quæ Crucem Christi in capite Regum leuauit, & locauit, vt Crux Christi in Regibus adoretur. S. Hieronymus in epistol. ad Eustochium de obitu Paulæ. Prostrata, inquit, ante Crucem, quâ pendentem Dominum cerneret, adorabat. S. Ioannes Chrysostomus in Liturgia: Sacerdos, inquit, ad imaginem Christi caput inclinat, S. Basilius, referente Hadriano Pontifice in epistol. ad Imperatores, quæ lecta est in septima Synodo Act. 2. Historias, inquit, imaginum illorum honoro, & palam adoro. hoc enim nobis à Sanctis Apostolis traditum. Extat carmen Lactantij Firmiani de Cruce, vbi inter cætera ait, Flecte genu, lignumque Crucis venerabile adora. Cui concinit Sedulius libro 5. carminis Paschalis, dicens, Neve quis ignoret speciem Crucis esse colendam. S. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 10. loquens de signis sanctis, qualia sunt Sacramenta, Imagines, & similia; & in specie nominat serpentem æneum, qui imago Christi crucifixi erat: Sed, inquit, quia hæc hominib. nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquã Religiosa possunt habere, stuporem tanquam mira non possunt.

B

Sed his omissis, quoniam Rex dignatus est aliqua obijcere aduersus Reliquiarum, & Imaginum cultum, quod aduersus Missas priuatas, transubstantiationem, & cætera non fecit: ad ea quæ obijcit breuiter respondeamus.

Prima obiectio aduersus cultũ reliquiarũ, & imaginum.

Primum de reliquijs dicit, *Quod ad reliquias Sanctorum, si quas eiusmodi haberem, quas constaret Sanctorum corporum partes esse, eas ego honorificis tumulis solemniter inferrem: nec committerem, vt supremis defuncta funeribus ad eius infamia imaginem seruarentur, quam perditis hominibus, publicoq; iudicio damnatis constitutum us in pœnam vltra mortem duraturam.*

C

Solutio.

Respondeo, multum interesse inter infamiam membrorum, quæ sub dio exponuntur iniurijs cœli, & morsibus auium diuexandæ: & honorem Sanctarum reliquiarum, quę preciosis linteis obuolutæ, & argenteis thecis inclusæ, in sanctis Basilicis asseruantur.

Altera obiectio.

Pergit Rex, *Sed cùm reliquiarum, tum imaginum adorationem pro intolerabili idololatria habeo, atque abominor; Iconomachus sanè non sum. Non arguo si quis, aut fingere statuas, aut imagines pingere, siue ad publicum splendorem, siue ad priuatorum hominum domesticos vsus volet. Sed quod illas adorari, quod illis supplicari, quod aliquam Sanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum, scripturis verò in contrarium apertissimè atque ex diametro pugnantibus ita est oppositum, vt mirari nõ desinam, quod hominum ingenium, quæ Satanæ fraus hoc tam audax commentum Ecclesiæ Christianæ obtrudere attentarit.*

D

Solutio.

Respondeo: Idololatria est colere creaturam pro creatore, & imagini falsi, atque fictitij Dei (id enim est idolum) eum honorem habere, qui soli debetur Deo. Reliquias verò, & imagines Sanctorum nemo vnquam sensit, aut dixit esse imagines fictitiorum Deorum: neque sensit, aut dixit habendas esse pro Creatore, aut eo cultu adorandas, quo adorari debet Deus. Videat ergo Rex qua ratione habeat pro intoleranda idololatria reliquiarum, & imaginum Sanctorum venerationem, cum neq; reliquiæ, neque imagines sint idola, neque earum veneratio sit latria.

A

Caluiniani verissimi Iconomachi.

Porrò Iconomachi dicti sunt, non qui statuas, atque imagines quascunq; & ex quocunque loco deturbabant; sed qui ex templis, imagines, aut statuas Christi, & Sanctorum sustulerunt, aut confregerunt; quod à Caluinianis passim factum esse, notissimum est: neque Rex patitur, vt opinor, in templis Angliæ cruces, aut imagines palam extare. Catholici verò qui Iconomachos pro hæreticis habent; Imagines quidem adorant, sed ea adoratione, de qua scriptum est, Adorate scabellum pedum eius. Psalm. 98. vbi per scabellum pedum Domini, Arca lignea intelligitur: non ea de qua legimus Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies Matth. 4. Imaginibus non supplicant, quippe qui sciunt eas sensum audiendi non habere, sed antè imagines prostrati supplicant Sanctis in cœlo cum Christo regnantibus, quorum illę sunt imagines: sanctitatẽ aliquam imaginibus Sanctorum tribuunt, sed relatiuam, id est, quam habent ex eo quòd Sanctos ipsos repræsentãt; de quali sanctitate scriptũ est, Exod. 3. Locus, in quo stas terra sancta est. & Iosue 5. Locus, in quo stas sanctus est. & Psalm. 98. Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Ex quo intelligimus falsum esse quod Rex dicit, hæc omnia antiquis esse inaudita, & scripturis è diametro contraria. quin potius antiquis (vt paulò antè ostendimus) notissima erãt, & scripturis maximè cohærentia: vt non Satanæ fraus hæc Ecclesiæ obtruserit, sed pietas veterum conseruarit, & impietas Nouatorum euerterit, vt omnia monimenta salutis obliuioni apud Christianum populum traderentur.

Tertia obiectio.

Pergit Rex, *Quæ tamen omnia excusantur argutis hoc genus effugijs & sophisticis distinctiunculis. Idolum scilicet nihil esse: se autem rerum, quæ sunt, & veri Dei imagines venerari. At scriptura omnis rei à Deo conditæ similitudinem coli vetat. non igitur nihil fuit, cui Deus cultum deferri interdixit. Sed nec serpens æneus, nec corpus Moysis nihil erant, ille tamen contritus est, hoc absconditum, ne idololatriæ materiam causamq; praberet.*

Solutio. Quo sensu dicatur ab Apostolo Idolum nihil esse.

Respondeo, Idolum nihil esse sententia Apostoli Pauli est 1. Corinth. 10. quæ sententia non significat, Idolum nihil omninò esse, cum sit res corporalis, & sensibus exposita: sed nihil esse ratione repræsentationis, quia Deum fictitium, & vanum, siue imaginarium, non realem, ac verum repræsentat. Inde rectè nos colligimus, imagines Christi non esse Idola, quia vnum Deum humanatum repræsentant; imagines Sanctorum non esse Idola, quia veros Dei amicos, & seruos repræsentãt. quomodo etiam imagines Regum, & Imperatorum idola non sunt, quia veros homines repræsentant. quo sensu imago Iouis, si solum hominem illum repræsentaret, qui sepulchrum habet in Insula Creta idolum non esset: sed cum existimatur repræsentare Iouem in Cœlo sedentem, & tonantem, idolum est, & nihil est, quia Iuppiter neque in cœlo est, sed in gehenna, neque fulminat, aut tonat; sed flagella, & supplicia sustinet.

Porrò scriptura non vet. coli similitudinem omnis rei creatæ, absolutè; sed omnis rei creatæ, quæ pro Deo accipiatur. nam Exod. 20.

Vbi prohibentur coli similitudines omnium rerum, quæ sunt in cœlo, vel in terra, vel in aquis; prius prohibentur fieri, & postea prohibentur coli: Non facies, inquit, tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c. & postea: Non adorabis ea, neque coles. at fieri absolutè non est prohibitum, nisi fiant, vt habeantur pro Dijs: nam ipse Dominus iussit fieri ad ornatum Propitiatorij similitudines Cherubim. Exodi 25. Et alias iussit fieri similitudinem Serpentis. Numer. 21. Et rursum Salomon fecit in templo similitudines boum, leonum, & aliarum multarum rerum. Item declarauit Deus præceptum, non facies tibi sculptile, & omnem similitudinem, cùm ait Exodi 20. Non facietis mecum Deos aureos, & argenteos, id est, non facietis sculptile vel similitudinem, quæ sit vobis pro Deo, ita vt non sim ego vobis solus Deus, sed sint alij mecum. Et Rex ipse fatetur licitum esse fingere statuas, & pingere imagines. Quemadmodum igitur prohibitio imaginum faciendarum non est absoluta, sed restringitur ad imagines, quæ habentur pro Dijs; sic etiam prohibitio imaginum colendarum, non est absoluta, sed restringitur ad imagines, quæ coluntur, vt Dij. Nam alioqui solebant Iudæi venerari prostrati ad terram imagines Cherubim, & alia quæ erant in propitiatorio. Sic enim loquitur S. Hieronymus in epistol. ad Marcellam, qua exhortatur, vt commigret Bethlehem: Venerabantur, inquit, quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & arca, & cæt.

Quòd autem dixi venerationem istam fuisse cum prostratione ad terram, colligitur ex voce Hebraica in illis locis Psalm. 5. Adorabo ad templum sanctum tuum. & Psalm. 98. Adorate scabellum pedum eius. vox enim Hebraica וישתחו sonat, incuruate vos, siue prosternite vos ad templum, & ad scabellum pedum eius.

Iam verò serpens æneus, & corpus Moysis, quamdiu non habebantur pro Dijs, idola non erant, ac per hoc non nihil, sed aliquid erant. Sed cùm cœpissent filij Israël sacrificare serpenti æneo; cœperunt illum habere pro Deo, & tunc Idolum euasit, & nihil; quia Deum fictitium repræsentabat; & ideò zelus sancti Regis Ezechiæ illum confregit 4. Reg. 18. Corpus Moysis absconditum fuit, ne in Idolum verteretur apud eos, qui ad Idololatriam propensissimi erant. proinde non fuit vnquam idolum, ideò semper aliquid fuit.

Quarta obiectio.

Solutio.

Pergit Rex, & multum laborat, vt probet, prohibitum esse imaginem Dei non solum coli, sed etiam fingi. Sed labore opus non est. Si enim agatur de imagine, quæ Deum ipsum, vt est in se, repræsentet: eiusmodi Imago nulla ratione fieri potest. & hoc probant argumenta Regis, cui nemo in hac parte contradicit. at si agatur de imagine, quæ repræsentet Deum incarnatum, non ratione Deitatis, sed ratione carnis: vel repræsentet Deum, non vt est in sua natura, & essentia, sed vt apparuit in specie hominis senis apud Danielem cap. 7. vel in specie sedentis in solio sublimi, & eleuato apud Isaiã cap. 6. vel in specie columbæ Marci 1. & Ioan. 1. vel quomodo pinguntur virtutes ad significã-

A das earum proprietates, quæ dici possunt imagines metaphoricæ, non propriæ: his modis imaginem Dei nihil prohibet pingi, neque Regis argumenta aduersus eiusmodi imagines vllas vires habent.

Transit posteà ad crucem Domini veram, ac negat ratione contactus sacratissimi corporis vllam ei venerationem deberi; & adfert argumenta quædam Ioannis VViclefi, quòd si Crux ob contactum veneranda est, veneranda etiam fuisse labia Iudæ, quæ Christum osculata sunt; & manus illius ministri, qui Christũ alapis cæcidit; & alterius, qui eum Cruci affixit. quæ argumenta hæretici Angli iam olim refutauit Thomas VValdensis, insignis Catholicus Anglus.

Pietas veterum Catholicorũ in colendis particulis Crucis Dominicæ.

B Sed vt Rex videat, quantum absit à pietate Sanctorum Patrum, qui primis quingentis annis floruerunt: legat S. Cyrillum Hierosolymæ Episcopum Catechesi 10. & 13. & videbit, ex ligno sanctissimæ Crucis à sancta Helena inuento, Mundum penè totum continuò fuisse repletum, certatim ambientibus omnibus eius particulas. legat S. Paulinum epistol. 11. ad Seuerum, vbi dicit, se ad illum mittere particulam veræ Crucis auro inclusam, vt summum, & preciosissimum donum. legat eundem Natali 10. sancti Felicis, & videbit incendium maximum particula sanctæ Crucis ostensa subitò fuisse restinctum. Legat S. Ioannem Chrysostomum in hom. Quod Christus sit Deus: & cognoscet ardorem fidelium in perquirendis particulis sanctæ Crucis, atque auro includendis. Legat S. Augustinum lib. 22. de Ciuitat. Dei C cap. 8. vbi scribit, ad terram Sanctam ex monte Caluariæ allatam in Africam, miracula fieri solita, & se cum alio Episcopo eam infodisse, & orationis locum super eam constituisse. Quo quæso honore S. Augustinus prosequebatur Crucem Domini, qui sic honorauit terram, quæ Crucem ipsam attigerat?

Quinta obiectio.

Et quoniam Rex adiungit, etiam per vmbram sancti Petri facta esse miracula, & tamen sanctum Petrum non fuisse passurum, vt sua vmbra, imò nec sua persona adoraretur; audiat quid idem S. Augustinus dicat de vmbra, & de vinculis sancti Petri. Sic enim loquitur in serm. 5. de SS. Apostolis Petro & Paulo: Meritò per omnes Christi Ecclesias auro preciosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. si enim tam medicabilis fuit obumbratio D visitantis, quantò magis catenæ vincientis? Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quantò plus de corpore meruerũt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis? Quamuis autem sanctus Petrus ex virtute humilitatis non fuisset passurus, dum in terris viueret, vt sua persona, nedum vmbra sua adoraretur; tamen ob hanc ipsam humilitatem dignissimus est, qui non solum adoretur adoratione illa, quæ Sanctis conuenit, non ea quæ soli Deo propria est; sed vt eius vincula auro preciosiora æstimentur, religioseque in Ecclesia vniuersa colantur.

Solutio.

Post Crucem Domini spretam, transit Rex ad Purgatorium irridendum. *Iam, inquit, Purgatorium, iam illa friuola, quæ id commentum cõse-*

quuntur indigna existimo, in quibus opera ac tempus impendatur. Sanè Bellarminus, nullum ei ex scripturis fundamentum astruere potuit. Hoc eum tantummodo percontari velim, an viridis ille amænusq; campus, qui in Purgatorio florentibus spatijs extenditur, interfluente riuo distinctus sit, vt si forte in eam regionem peruenero, aucupio tempus, ac otium fallam.

Purgatoriũ in diuinis literis fundamentum habet.

Ego verò nisi ista contemnere decreuissem: responderem quod respondendum esse existimarem. Sed iam hoc solum non tacebo, quod præterire veritas ipsa prohibet. Falsum est inprimis à Bellarmino nullum fundamentum Purgatorio ex scripturis astrui potuisse. Siquidem lib. 1. de Purgatorio Bellarminus viginti scripturę sacrę testimonijs Purgatorium astruxit. Addidit etiã testimonia Patrum antiquissimorum, tum Latinorum, tum Græcorum. Et eodem lib. 1. cap. 15. aduersus Petrum Martyrem, qui scripserat Purgatorium non pertinere ad dogmata fidei, demonstrauit Bellarminus, Purgatorium ad fidei dogmata ita perspicuè pertinere, vt quodlibet aliud certissimum dogma fidei, vt nullo colore à manifesta hæresi excusari possit, qui Purgatorium negat.

Deinde quia Rex friuola vocat quæ Purgatorium consequuntur; & in eis numerat satisfactiones pro defunctis; legat apud eundẽ Bellarminum lib. 1. de Purgatorio cap. 10. perspicua testimonia omnium Patrum Græcorum, & Latinorũ, & cogitet, an friuola dici debeant, quę vnanimi consensu Patres antiquissimi docent, ab eo, qui in hac ipsa præfatione testatus est, se non ausurum reprehendere quæ Patres vnanimi consensu docent. Deinde quod attinet ad viridem amœnumque campum Purgatorij, sciat hæc à Bellarmino lib. 2. cap. 7. quem locum Rex citat ad marginem, relata esse ex Venerabili Beda, nobilissimo Anglico Doctore, atque ab illo petendum esse, an interfluente riuo distinctus sit. Quamquam superuacanea cogitatio est, quemadmodum se habeat Purgatorium apud eos, qui Purgatorium negant, cum satis constet, eos non Purgatorium, sed gehennam manere.

Vltimo loco Rex ponit primatum sancti Petri inter ea, quæ sibi admittenda non esse iudicat; atque hũc præcipuum articulum esse dicit, in quo à nobis dissentiat. Sic enim loquitur pag. 48. *Sed in hac omni ratione nondum Romanæ Religionis arcem attigimus, id est, caput Ecclesiæ, Petriq; primatum. nam qui hunc articulum negant, ex Bellarmini sententia Catholicam fidem negant. Episcopos esse in Ecclesia debere, tanquam institutionẽ Apostolicam, ac ordinationem proinde diuinã contra Puritanos, contraq; Bellarminum semper sensi, qui negat Episcopos à Deo immediatè suam iurisdictionem accepisse; sed nihil mirum à Puritanis eum stare, cum Iesuitæ nihil aliud, quam Puritanopapistæ sint. Et quo studio in Episcoporum, & Ecclesiasticæ Hierarchiæ (politici duntaxat ordinis causa) defensionem semper incubui, eodem in confusam illam anarchiam, & paritatem Puritanorum inuectus sum, vt vel ex Basilico meo Dorosatu constat.*

Primatus S. Petri, eiusq; successoris Rom Pont. ad fidẽ Catholicam pertinet.

Ita est omninò; qui negant caput Ecclesiæ sanctum Petrum fuisse, eundemque Primatum in Apostolos habuisse, atque in eodem Primatu Romanos Pontifices sancto Petro succedere, ij fidem Catholicam negant. Id multis libris nõ Bellarminus solus probatum reliquit, sed plurimi alij Doctores Catholici, atque inter alios Nicolaus Sanderus Anglus, in libris de visibili Monarchia Ecclesiæ, quos hactenus à nullo scriptore refutatos vidimus.

Episcopos esse in Ecclesia debere, idque diuina ordinatione; nos etiã scimus & docemus. Sed alia quæstio est, Vtrum Episcopi necessariò esse debeant in Ecclesia, alia verò, Vtrum immediatè iurisdictionem à Deo accipiant, an à Petri successore. Nam Presbyteri quoq; & Diaconi necessariò, & diuina ordinatione debent esse in Ecclesia, & tamen iurisdictionem non à Deo immediatè, sed ab Episcopis accipiũt. Itaque duo ista non pugnant inter se, Episcopi diuina ordinatione sũt in Ecclesia, & iurisdictionem immediatè à Pontifice Summo accipiunt. neque ista quæstio apud nos ad fidem pertinet, sed inter Doctores liberè disputatur.

Inepta cõparatio Iesuitarum cum Puritanis secum ipsa pugnat.

Quod verò Rex Puritanos cum Iesuitis cõparet, omninò mirabile est, cum Puritani Anarchiam, Iesuitæ Monarchiam Ecclesiasticã pro viribus defendant. Neq; minus admirabile est, quod Rex hoc loco fateatur à Puritanis Anarchiam, & paritatem quandam introduci: & tamen in hoc ipso volumine, vbi quartum mendacium Torti refelli dicat, Puritanos non abhorrere à iuramento primatus, sed quotidie suscipere, nec vnquam recusasse. At si Puritani nõ abhorrent à iuramento Primatus, quam Anarchiam, & paritatem introducunt? Denique mirum quoque est, quod Rex tam iniquo animo ferat, quod Bellarminus scripserit, Regem Iacobum in Scotia fuisse Puritanum, vt etiam hoc mendacium Cardinalitium vocet, pag. 49. cum tamen extet confessio Scotica à Puritanis ministris cõscripta, & à Rege subscripta Edemburgi die 28. Ianuarij anno Domini 1581. & Regni eius 14. quam confessionem scripto libro refutauit Episcopus Vasionensis, natione Scotus, & librum suum edidit Auenioni anno 1601. vt nunc omittam coniecturas alias; quas supra retuli. Nam de ista re solicitus non sum, neque ad me pertinet. scripsi tamen bona fide, quod à testibus fide dignis audiui, & quod in libris aliorum legi.

Pergit Rex pag. 50. atque admittere se dicit ordinem inter ipsos Episcopos, & Romanum Episcopum primum esse omnium Episcoporum. addit pag. 51. non esse vllum terrestrem hominem Ecclesiæ vniuersæ Monarcham; cùm sit Christus Ecclesiæ suæ Monarcha, Christiq; vices expleat, quem venturum promiserat, Spiritus sanctus.

Protestantes Angli Spiritũ Sanctum Christi Vicariũ, ac per hoc inferiorem Christo faciunt.

Hic verò Rex eadem luce veritatis negauit, Pontificem Romanum Ecclesiæ vniuersæ esse Monarcham, qua Spiritum sanctũ affirmauit, Christi vices gerere, id est, Christi Vicarium esse. Nam cum ordinariè inferior sit; qui alterius vices gerit, eo cuius vices gerit (nam & Proreges Regibus, & Vicarij Episcoporum Episcopis sunt inferiores) certè si Spiritus sanctus Christi vices gerit in Ecclesia gerenda, Christo inferior erit, atque ad nutum Christi officium vel sumet, vel deponet. Et quid hoc est aliud, nisi vt Pontificem priuet vicariatu Christi, Spiritum sanctum vera diuinitate priuare?

uare? atque vt Summus Pontifex ad celsitudinem sibi debitam non assurgat, Spiritum quoque sanctum à celsitudine sua deijcere?

At, inquit, Rex Spiritum sanctum Christus promisit Ioann. 14. non Petrum qui Apostolos dirigeret, ac doceret. imo vero promisit Spiritum sanctum, vt inuisibilem, ac internum doctorem, & consolatorem; Sanctum Petrum, vt visibilem Rectorem, atque Pastorem in terris loco suo reliquit. Quod enim Spiritum sanctum non promiserit vice sua Doctorem, aut Rectorem futurum, ex eodem loco apertè monstratur. nam cùm dixisset Dominus Ioan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis; paulò post subiungit. Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos. Et paulò post. Si quis diligit me, sermonē meū seruabit, & Pater meus diliget eū, & ad eū veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Sed audiamus sanctum Augustinum hæc verba explicantem, & Regis sententiam refellentem tract. 75. in Ioannem, sic loquitur sanctus Augustinus: Post promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret, quod ita eum Dominus daturus fuerit velut pro se ipso, vt non & ipse cum eis esset futurus, adiecit atque ait, Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Itaque Spiritus sanctus promissus à filio docet omnem veritatem, sed non sine Patre & filio, quorum indiuisa sunt opera, quemadmodum est eorum vna substantia. sed vt Ecclesiæ corpus visibile, caput Vicarium haberet visibile, dixit Dominus coram omnibus Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? ac postea, Pasce agnos meos. quod ipsum tertio repetiuit, primò commendans illi Agnos, deinde ouiculas, tertiò oues, sic enim legit, & exponit S. Ambrosius in caput vltimum Lucæ, vt nullus omninò exciperetur, siue incipiens, siue proficiens, siue perfectus: vel siue laicus, siue Presbyter, siue Episcopus, qui Petro Pastori non subijceretur.

Obiectio prima contra primatum S. Petri.

At, inquit Rex, verba ista Christi, Tibi dabo claues, Matth. 16. & Pasce oues meas, Ioann. 21. ad omnes Apostolos pertinent. alioqui quomodo potuisset Paulus Corinthiorum Ecclesię auctor esse incestum illum excommunicandi cum spiritu suo? dicendum sanè fuerat cum spiritu Petri.

Solutio.

Nego verba illa ad omnes Apostolos pertinere, cùm propriè dicta sint vni Petro, qui per ea constitutus est verus, atque ordinarius Rector & Pastor Apostolorum, atque Ecclesiæ totius, atque hoc aduersarij admittere deberent, qui in omnibus cōtrouersijs expressum verbum requirunt.

Heretici verbum expressum quærunt, inuentum reijciunt.

quid enim potuit expressius dici, quam illud, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in Cœlis est: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues &c. & illud, Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues. Hæc enim dicuntur vni Petro filio Iona, vt distinguitur ab alijs Apostolis, qui pręsentes erant. sed hæretici non hoc loco solum, sed vbicunque expressum verbum eorum errori non fauet; ad figuras troposque confugiunt.

Non tamen negamus quin Apostoli cæteri

A plenam habuerint potestatem in Ecclesias, sed longè aliter, quam habuerint sanctus Petrus. hic enim habuit ordinariam, quam transmitteret ad successores; illi extraordinariā; quæ cum ipsis finiretur; hic & super Apostolos potestatem habuit, illi super Apostolos nullam habuerunt. Sed de his multa diximus in Controuersijs, quæ repetenda non sunt. Apostolus verò Paulus etiamsi Apostolus non fuisset, sed simplex Episcopus, facilè poterat incestum Corinthium per Ecclesiam Corinthiorū, spiritu suo præsente excommunicare.

Obiectio secunda.

At, inquit Rex, *in Concilio quod Hierosolymis actum est, disertè scribitur, Visum est Apostolis, & Presbyteris, totiq́; Ecclesiæ mittere lectos viros; sed mirum de Ecclesiæ capite silentium. Sic & in eorum literis, Apostolorum, Seniorum, & fratrum fit mentio: de Petro nec verbum.*

B

Solutio.

Respondeo in eo Concilio, primum omniū loqui cæpisse Petrum, atque in eius sententiam fuisse Iacobum, & alios. quod satis est, vt Petrus Præses Concilij agnosceretur. vide sanctum Hieronymum in epistol. ad Augustinum, quæ est 11. inter epist. Augustini, & Theodoretum in epist. ad Leonem Papam.

Obiectio tertia.

At obijcit iterum Rex, locum Apostoli 1. Corinth. 1. alios dixisse, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cœphæ. nam si Cœphas, id est, Petrus visibile caput Ecclesiæ fuisset, qui non ab eo stabant, à fide Catholica recessissent.

Solutio.

Respondeo, si ex hoc loco colligi posset, Petrum non fuisse caput Ecclesiæ; posse etiam colligi, Christum quoq; non esse caput Ecclesiæ. hæc enim est integra sententia eius loci. Ego quidem sum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cœphæ, ego autem Christi. non igitur qui dicebant, se esse Pauli, aut Apollo, recedebant à Christo, vel à Petro; sed gloriabantur, alij se baptizatos à Paulo, alij ab Apollo, alij à Petro alij prudentiores, baptismum suum ad principalem auctorem referebant, id est, Christum. hic est enim qui omnes baptizat per ministerium famulorum suorum, quicunque illi sint. proinde vnum est baptisma, siue Petrus, siue Paulus, siue alius inferioris gradus, aut sanctitatis, aut dignitatis baptizet.

C

Obiectio quarta.

Addit Rex, *sed apertissimè constat, Paulum non satis in hac nupera, ac nouitia doctrina fuisse institutum, qui cum Petro tam parum comiter egit, vt illi se non aquaret modo, sed etiam anteferret.*

Solutio.

D Respondeo legisse me caput secundum Epistolæ ad Galatas, hunc enim solum locum Rex citat: sed neque in eo capite, neque vsquam alibi me legisse, Paulum se antetulisse Petro; nisi fortè prælationem istam colligat Rex ex eo, quod Paulus Petrum reprehendit. quasi nō soleant aliquando superiores ab inferioribus reprehendi. Ipse certè Petrus Christum increpare cæpit dicens, Absit Domine, non erit tibi hoc. Matth. 16. Nec tamen ideò suspicari possumus. Petrum Domino suo antetulisse se. Sed quoniam Rex, nuperam, & nouitiam doctrinā appellat de Primatu sancti Petri, cogor adscribere pauca testimonia Patrum antiquissimorum.

Testimonia Patrum de primatu S. Petri.

Origenes in cap. 6. ad Romanos, sic ait: Petro cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum veluti super terram

fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis ab eo nisi charitatis exigitur. Sanctus Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ facit Petrum caput, fontem, & radicem totius Ecclesiæ. Et in epistol. ad Quintum: Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam, &c. Vbi nō solum dicit Cyprianus, Petrum primum electum, quod Rex hoc loco admittit, sed addit, super eum ædificatam esse Ecclesiam, ac per hoc esse fundamentum Ecclesiæ: quod autem est fundamentum in ædificio, idem est caput in corpore. Sanctus Basilius in serm. de Iudicio Dei: Ille, inquit, Beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claues Regni cœlestis commissæ. Sanctus Hilarius in caput 16. Matth. O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius Petra, quæ Inferorum leges dissolueret. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. de moderatione in disputationibus seruādа: Vides, inquit, quemadmodū ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat, ac reliqui discipuli posthaberi se tranquillo animo ferant. Sanctus Maximus serm. 3. de Apostolis: Quanti, inquit, meriti apud Dominum suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur? Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. 55. in Matth. Petrum, inquit, Ecclesię futuræ Pastorem constituit. & paulò post. Deus concedere solus potest, vt futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor, & caput homo piscator, atque ignobilis, &c. Hic apertè legimus, caput Ecclesiæ Sanctum Petrum fuisse, vt etiam in sequenti testimonio. Sanctus Hieronymus lib. 1. in Iouinianum: Inter duodecim, inquit, vnus eligitur, vt capite constituto schismatis occasio tolleretur. Vbi si nomine capitis intelligeretur primus ordine, non potestate, non fuisset sublata schismatis occasio. S. Augustinus serm. 142. de tempore, qui est primus feriæ 4. post Dominicam Palmarum: Totius corporis, inquit, morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, & in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem. Vbi sanctus Augustinus apertè vocat sanctum Petrum, caput corporis Ecclesiæ. Atque hæc satis sint de Primatu sancti Petri. Cætera quæ Rex addit, ad conuicia pertinere, vel repetitiones esse eorum, quæ antea non semel dicta fuerant, facilè ex se Lector intelliget.

CAPVT IX.

Nulla probabilitate ex cap. 2. Epistol. secunda ad Thessal. colligi posse Romanum Pontificem esse Antichristum.

Cur disputatio de Antichristo noua responsione non egeat.

AGGREDITVR postea Rex disputationem de Antichristo, quam fusissimè tractat à pag. 53. ad 114. quam disputationem Bellarminus sine vlla Regis iniuria, intactam relinquere potuisset. nihil ferè in hac disputatione Rex attingit, quod ipse in lib. 3. de Pontifice, qui totus est de Antichristo, non refutauerit.

Deinde multa Rex ex Roberto Abbato, qui

A nuper de Antichristo scripsit, mutuatus est: ad quæ anno superiore respondit Andreas Eudemon, Ioannes Cydonius Iesuita, quam responsionem doctis viris, præsertim in Germania, vbi edita est, valde probari accepimus.

Præterea non pauca eorum, quæ Rex adducit, inuenimus apud Thomam Brigmannum in explicatione Apocalypsis; quā explicationem idem Andreas Eudemon Ioannes sibi refellendam desumpsit.

Denique in hac disputatione Rex nō certas demonstrationes, sed coniecturas suas, vel sensum suum lectoribus proponit. sic enim initio disputationis præfatur pag. 56. *Sanè,* inquit, *quod ad definitionem Antichristi, nolo rem tam obscuram, & inuolutam, tanquam omnibus Christianis ad credendum necessariam vrgere, sed quid de* B *toto hoc negotio sentiam, nudè, & simpliciter explicabo.* & rursum in extrema disputatione pag. 113. *Id,* inquit, *mihi maximè in votis est, vt si cui hanc meam de Antichristo coniecturam libebit refellere, singulis disputationis meæ partibus ordine respōdeat.*

Poterat igitur disputationem ab alijs, atque à se antea refutatam, & in qua de coniecturis & opinionibus, non de certis fidei dogmatibus agitur, facilè præterire: sed voluit tamen breuiter singula persequi, & sententijs Regis sententias veterum Patrum opponere, sperans non eum molestè laturum, si Patrum veterum expositiones ipsius expositionibus anteferantur.

Igitur pag. 56. tractans verba illa Apostoli Pauli 2. Thessal. 2. Nisi venerit discessio primū: accipit vt exploratum, ea verba intelligenda esse de vniuersali discessione à fide. *Discessionem,* C inquit, *illam generalem tantum Antichristi temporibus fore in Ecclesia omnes Pontificij constanter affirmant.* & pagin. 58. *Ne seducerentur,* inquit, *veritus, diem Domini appropinquare existimantes, ait Paulus, visum esse sibi præmonere eos, vniuersalem à fide discessionem ante venturam.*

Atqui falsum est omnes Pontificios ita sentire: quin potius Pontificij sentiunt cum Patribus, discessionem illam fore à Romano Imperio. Sic sanctus Cyrillus Catechesi 15. hunc locum exponens ait: Veniet prædictus Antichristus, cùm impleta fuerint tempora Romani Imperij. Sanctus Ioannes Chrysostomus in commentario huius loci: Quando, inquit, de medio sublatum fuerit Romanum Imperium, tunc veniet Antichristus. Sic Tertullianus in Apologetico cap. 32. sic Lactantius lib. 7. cap. 15. D Sic S. Ambrosius in hunc locum. sic S. Hieronymus in epist. ad Algasiam quæst. 11. sic S. Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 19.

Non loquitur Paulus de discessione à fide 2 Thess. 2.

Neque potest fieri, vt vniuersalis discessio à fide sit futura ante aduentum Antichristi, quia tunc Antichristus adueniens, non inueniret quos seduceret: & Christi Ecclesia omninò perijsset, quæ sunt contra manifesta Euangelij testimonia dicente Domino Matth. 24. Dabūt prodigia, & signa magna, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi. & Matth. 16. Portæ inferi nō præualebunt aduersus eam. & Matth. 28. Ego vobiscum sum vsque ad mūdi consummationem. Tantum autem abest, vt verum sit, discessionem à fide generalem futuram esse ante aduentum Antichristi, vel Antichristo regnante; vt sanctus August. dicat lib.

20. de

20.de Ciuitate Dei cap. 11. tempore Antichristi, Ecclesiam Christi toto Orbe passuram persecutionem maximam à ciuitate Diaboli; & tamen perseueraturam in fide, nec deserturam militiam suam.

Ex quo intelligere potest Rex, Antichristum nondum venisse, cùm ante eius aduentum discesio generalis fieri debeat à Romano Imperio: quæ discesio nondũ facta est, cùm adhuc maneat Romanus Imperator, ad quem Rex ipse misit monitoriam præfationem suam dicens: Sacratissimo & Inuictissimo Principi ac Domino Rudolpho II. Rom. Imp. semper Augusto.

Deinde pag. 57. tractat Rex illa verba eiusdem loci: Homo peccati, filius perditionis, extollet se super omne quod dicitur Deus. Et probare nititur hunc esse Romanum Pontificem, quia extollitur super Principes, & Prælatos, qui dicuntur Dij iuxta illud, Ego dixi, Dij estis Psalm. 81.

Quo sensu Antichristus extollet se super omnem Deum.

Sed facilis est responsio. Antichristus enim non extollet se tantum super eos, qui dicuntur Dij per quandam similitudinem, vel participationem; quales sunt Principes Ecclesiastici, vel temporales; sed super omne quod dicitur Deus, id est, super omnẽ Deum, siue per essentiam, siue per participationem; siue falsum, siue verum. quod clarius scripsit Daniel, cap. 11. Deum Patrum suorum non reputabit, nec quẽquam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget.

Romanus autem Pontifex ex doctrina Catholicorum Vicarius Dei est, ac per hoc non extollitur super Deum: ex doctrina Protestantium, tot Deos colit, quot sunt Sancti in Cælo, quot sunt imagines in templis, quot sunt reliquiæ in sepulchris: ergo neque ex sententia Catholicorum, neque hæreticorum, extollit se super omne quod dicitur Deus: ac per hoc non est homo peccati, non est filius perditionis, non est Antichristus.

Tertio eadem pagin. tractat verba illa eiusdem capitis: Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. Ac pro templo dicit esse intelligendum sinum, & penetralia Ecclesiæ. Sedere autem Pontificem in Ecclesia tanquam Deum, probare nititur, quia, vt ipse dicit, Papa peccata condonat, animas redimit, fidei articulos definit, omnium hominum censor, & iudex est ipse à nemine iudicandus.

Quæ sit futura sedes Antichristi

At sedem Antichristi non fore Ecclesiam Catholicam, sed templum Salomonis, quod instaurare conabitur; aut certè aliud templum in ciuitate Hierusalem, notum est in Apocal. 11. Vbi Antichristus regnaturus dicitur in ea vrbe, in qua Dominus crucifixus est. quæ omnium consensu Hierosolyma est.

Secundo ex Patribus antiquissimis. nam sanctus Irenæus lib. 5. sic ait: Cùm Antichristus sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus. Idem habet sanctus Hyppolitus Martyr in oratione de Mundi consummatione. Sanctus Cyrillus Catechesi. 15. Sanctus Hilarius can. 25. Matthæi. Sanctus Martinus apud Sulpitium lib. 2. dialogorum. Sanctus Ambrosius in cap. 21. Lucæ. porrò Sanctus Ioannes Chrysostomus, & qui eum sequuntur, Theodoretus, & Theophylactus, dicunt quidem Antichristum sessurum in Ecclesijs Christianorum, quas occupabit, & prophanabit; sed addunt etiam eum sensurum in templo Hierosolymitano. Sic enim Chrysostomus loquitur in comm. ad 2. Thessal. 2. iubebit seipsum pro Deo coli; & in templo collocari, non Hierosolymitano solum, sed etiam in Ecclesijs. Sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam q. 11. & sanctus Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 19. paulò aliter exponunt, sed non negant, Antichristum sessurum in templo Hierosolymorum. Vnus est OEcumenius, qui hunc locum exponens, negat Antichristum sessurum in Hierusalem. sed videtur locus deprauatus, omissione particulæ, tantum. Hic enim auctor perpetuò sequi solet Chrysostomum; sed neque tanti faciendus est, cùm sit auctor recens, vt sancto Ioanni Chrysostomo, & alijs citatis anteponendus sit.

Adde postremò, quod cum Antichristus sit à Iudæis pro Messia recipiendus, vt Patres communiter docent, sine dubio Regiam suam in Hierosolymis constituet. Ex quo sequitur Romanum Pontificem nullo colore Antichristum posse dici, qui nunquam in Hierosolymis sedit, neque à Iudæis pro Messia habitus est.

Soluuntur obiectiunculæ hæreticorum.

Neque verò Deum se esse Papa demonstrat, quia peccata condonat, animas redimit, articulos fidei definit, iudicat omnes, ipse à nemine iudicandus. nam peccata condonat, non auctoritate propria, sed ministerio Sacramentorum. Animas non propriè redimit, sed peccata eleemosynis redimere docet, iuxta illud Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime. Articulos fidei non propriè condit, sed qui sint articuli fidei, iuxta scripturas, Apostolicasque traditiones declarat. Iudicat omnes homines, ipse à nullo homine iudicandus, sed iudicandus tamen à Deo, & ante tribunal Christi rationem de factis proprijs cum cæteris hominibus redditurus; proinde neque Deus est, neque Deum se facit, qui seruum seruorum Dei se nominat. Omitto quod pag. 58. Rex multũ laborat, vt probet, quod nos non negamus, Apostolum loqui de Antichristo venturo post multa tempora.

Quo sensu Dominus Iesus interficiet Antichristũ spiritu oris sui.

Quartò pag. 59. tractans illa verba eiusdem capitis: Quẽ Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Scribit Rex per hæc verba significari, Verbi Dei prædicatione potentiam Antichristi paulatim minui: quæ est antiqua Lutheri interpretatio à Catholicis millies refutata. Sed mirum est, quam variè ludant Aduersarij in Verbo Domini. nunc. n. dicũt Verbo Domini Antichristum interficiendũ, nunc verò contra, Verbum Domini ab Antichristo interficiendum dicunt. nam Robertus Abbatus, & Rex ipse pagin. 81. apertè scribit, duos Prophetas ab Antichristo interficiendos, vt scribitur Apoca. 11. esse duo testimonia, id est, verbum Dei scriptum in libris testamenti veteris, & testamenti noui. Deinde valdè hebetem gladiũ Verbi Dei esse oportet, vel certè valdè debilem spiritum oris Christi, si Antichristum supra mille annos regnantem, ex opinione Aduersariorum, adhuc Dominus Iesus isto suo gladio, vel Spiritu conficere non potuit.

At, inquiunt, Dominus Iesus per prædicantes suos, potentiam Antichristi debilitauit. sed scriptura non dicit, debilitabit, sed interficiet. Satius igitur est audire Sãctos, ac veteres Patres, qui per Spiritum oris Christi, non intelligunt prædicationem Verbi Dei, quæ ad salutem, nõ ad perditionem adhiberi solet; sed potestatem atque imperium Christi, qui vel solo nutu Antichristum interficiet. Sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam q. 11. Quem Dominus Iesus, inquit, interficiet Spiritu oris sui, diuina videlicet potestate, & suæ Maiestatis imperio, cuius iussisse fecisse est. Sanctus Ioannes Chrysostomus ho. 4. in 2. ad Thess. Quemadmodũ igitur ignis irruens passim minuta animalcula etiam antequam planè adueniat, procul adhuc situs terrefacit, & consumit: ita & Christus. sufficiet solum iubere, atque adesse illum, atque ista omnia peribunt.

De signis & prodigijs Antichristi

Quintò eadem pag. tractans illa verba eiusdem capitis: Cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus; conatur ostendere, Ecclesiam nostram esse Antichristianam, quia iactet innumerabilia miracula, quæ tamen sint cõtraria suæ ipsius doctrinæ. & ponit exemplũ miraculi, cuius meminit Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 8. quod oblitum iumentum pabuli Sacramentum curuatis genibus adorauit. *Et tamen*, inquit Rex, *certè erubescet dicere Bellarminus, institutum esse sanctissimum Sacramẽtum, quod adorent oues, & boues, & pecora campi.*

At miracula, quæ fiunt in Ecclesia Catholica, non esse prodigia mendacia, pro comperto habemus ex eo, quod eiusdẽ sunt generis cum ijs, quæ faciebant Prophetæ, & Apostoli, & ipse Christus Dominus. Neque miracula Ecclesiæ aduersantur vllo modo nostræ doctrinæ, sed eam mirificè confirmant. quamuis enim non sit institutum sanctissimum Sacramentum, vt ab animantibus rationis expertibus adoretur: tamen cùm id fit, Deo cui nihil impossibile, præter naturæ ordinem, membra animantium illorum mouente, vt Sacramentum adorare videantur, sine dubio præsentiam Domini in Sacramento adesse, adoratio illa demonstrat.

Eiusmodi miraculum factum precibus sancti Antonij, etiamsi à Rege nunc rideatur, effecit tamen coram ingenti multitudine, vt fides Catholica de Sacramẽtaria hæresi triũpharet.

Miraculum quod ridetur à Rege, habet exẽpla plurima in sacris literis.

Idem enim Deus fecit, vt iumentum famelicũ, pabulo sibi ostenso neglecto ad reuerentiam sanctissimo Sacramento exhibendam accurreret; qui fecit, vt Vaccæ fœtæ, & indomitæ, dimissis vitulis, sine vllo Rectore Arcam Domini ferrent, nec declinarent ad dexteram, neque ad sinistram 1. Reg. 6. Et qui fecit, vt iumentum rationis expers aliquandò loqueretur, & Prophetæ insipientiam redargueret, Num. 22. Et qui Ceto mandauit, vt Ionam tribus diebus in ventre suo gereret, ac paulò post incolumen ad littus euomeret. Ion. 2. Et qui Coruis præcepit, vt ad Eliam panes, & carnes bis in die deferrẽt. 3. Reg. 17. Et qui leonibus famelicis iussit, vt Danielem inter ipsos cubantem, non attingerent. Dan. 6. Nec tamen Arca Domini ad hoc instituta erat, vt à Vaccis indomitis deferretur; nec Prophetæ instituti, vt à iumento admonerentur; vel à Coruis pascerentur; vel in ventre Ceti, tanquam in carcere detinerentur; vel à famelicis Leonibus intacti custodirentur.

CAPVT X.

De Sede & duratione Antichristi.

SExtò pag. 60. transit ad Apocalypsim, ac dicit ex cap. 13. & 17. Apocalyp. manifestè colligi, sedem Antichristi fore Romam. nam cap. 13. describitur Antichristus sub figura prodigiosæ Bestiæ, quæ habebat capita septem, & cornua decem. deinde capit. 17. explicatur, vbi Meretrix magna appellatur, quæ sedet super aquas multas, & prodigiosæ Bestiæ insidet: quæque ciuitas magna, & Babylon nominatur. per Babylonem autem Romam intelligi, ipsi, inquit, Pontificij passim admittunt.

Sedes Antichristi nõ erit Roma, sed Hierusalem.

Sed quamuis Rex hic multum laboret, tamen res facillima est. Nam nõ est idem, Bestia, quæ describitur cap. 11. Apocalyp. & Meretrix magna, quæ describitur cap. 17. neque vsquam scriptura Bestiam cum Meretrice confundit. Igitur Bestia, Antichristus est, eiusque sedes Hierusalem erit non Roma. Disertis enim verbis cap. 11. Ioannes dicit, Vrbem illam esse in qua Dominus eorum crucifixus est, quæ Vrbs spiritualiter dicitur AEgyptus, & Sodoma, propriè autem Hierosolyma est; & in hoc conueniunt omnes Patres, vt supra notaui: & præter illos adest Lactantius lib. 7. cap. 15. & 17. vbi dicit, Regnum Antichristi præcipuum futurũ esse in Syria, vbi Iudæa est. Item S. Hieronymus, & Theodoretus in comment. ad cap. 11. Danielis, dicunt Antichristum in regione Hierosolymorum tentoria fixurum, & tandem in monte Oliueti occidendum. Denique S. Irenæus lib. 5. perspicuè docet, Antichristum Hierosolymæ regnaturum.

Meretrix autem, quæ describitur in cap. 17. & dicitur ciuitas magna, quæ habet imperium super Reges terræ, & vocatur etiam Babylon, tùm in eo capite, tùm initio capitis 18. ipsa est Roma, sed Roma Ethnica, non Roma Christiana, vt disertis verbis scribit sanctus Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum: Ad te, inquit, loquor, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti. Atque in eo capite describit sanctus Ioannes excidium Romani Imperij, propter persecutiones in Christianos. sic enim incipit visio cap. 17. Veni ostendam tibi damnationem Meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt Reges terræ. & infra, vocat ciuitatem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu. Itaque nisi Rex ostendat, Bestiam ca. 11. & Mulierem cap. 17. eandem rem significare, numquam euincet, sedem Antichristi fore Romam, aut qui Romæ sedet esse Antichristum.

Quod autem Rex adducit de tempore quadraginta duorum mensium, quod ex sententia nostra spatium trium annorum cum dimidio, quo regnaturus Antichristus est, ad rem non facit. nam hoc tempus habetur, cap. 11. & 13. vbi tempus Bestiæ, quæ Antichristus est, describitur: non autem habetur, capit. 17. vel 18. vbi de Muliere, & Babylone agitur, per quam Roma, siue Romanum Imperium significatur.

Antichristus tribus annis cũ dimidio regnaturus est.

Septimò pag. 63.64.65.& 66. disputat Rex de spatio, quo regnabit Antichristus. Et quoniam nos ex Daniele cap.7.& 12. & ex Apocalypsi cap.11.12. & 13. & ex communi Patrum sententia docuimus, Antichristum regnaturũ tribus annis cum dimidio, ex quo manifestè sequitur, Romanum Pontificem sine vlla verisimilitudine à Nouatoribus Antichristum vocari, cum regnauerit ex eorum sententia multis seculis: Rex conatur eludere Scripturæ sacræ sentẽtias, quod in eis numerus certus pro incerto accipiendus sit. Sed id solet habere locum, cum vnus aliquis numerus, isque perfectus adscribitur, vt cum Apoc. 7. describuntur ex omni tribu filiorum Israel duodecim millia signati. Et cum Apocal.20. dicitur, Draco ligatus per annos mille.

A

At hoc loco cum tempus Antichristi accuratissimè describatur per annos, per menses, & per dies; mirum est si cui certus numerus, pro incerto poni videatur. Dicitur enim regnaturus per tempus, & per tempora, & dimidium temporis, id est, annum, biennium, & dimidiũ anni, quæ faciunt tres annos cum dimidio. Item per menses quadraginta duos; qui eundem numerum reddunt. Deniq; per dies mille ducentos sexaginta, qui sunt menses quadraginta duo, siue anni lunares tres cum dimidio.

B

Sed quod nos maximè mouet, vt scripturas ita intelligamus, est vnanimis consensus Patrũ, qui antè scripserunt, quàm Nouatores de hac re nobis litem mouerent. Sanctus Irenæus lib. 5. Regnabit, inquit, Antichristus annis tribus, & mensibus sex, & tunc veniet Dominus de cælis. Sanctus Hippolytus Martyr oratione de consummatione Mundi: Tres, inquit, annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram. Sanctus Cyrillus Catechesi 15. Regnabit, inquit, tribus annis, & dimidio tantum, quod non ex libris apocryphis dicimus, sed ex Daniele Propheta. Sãctus Hieronymus in comm. ad caput 7. Danielis: Tempus, inquit, annum significat; tempora, iuxta hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerum habẽt, duos annos præfigurant; dimidium autẽ temporis, sex menses, quibus Sancti potestati Antichristi permittendi sunt. Sanctus Augustinus lib.20. de Ciuit. Dei cap.23. Antichristi, inquit, aduersus Ecclesiam sæuissimum Regnum, licet exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei vltimo iudicio Regnum Sancti accipiant sempiternum, qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sinitur. tempus quippè, & tempora, & dimidium temporis, annum vnum esse, & duos, & dimidium: ac per hoc tres annos, & semissem, etiam numero dierum posterius posito dilucescit. aliquando in scripturis, & mensium numero declaratur. Denique idem docẽt Theodoretus in cap.7. Dan. & omnes ferè Expositores Apocalypsis, Primasius, Beda, Anselmus, Haymo, Arethas, Richardus, & Rupertus.

C

D

Obiectio contra durationem trium annorũ cum dimidio.

At, inquit Rex, *Nam quod ad literalem illam interpretationem, quam omnes Pontificij sequuntur, trium annorum & sex mensium, qua volunt illud, tempus ad amussim incidere in dies omnium nouissimos, exceptis quadraginta quinque ante secundum Domini aduentum, plane toti nouo testamento repugnat.* repugnare autem probat ex cap. 24. Matth. vbi legimus: De die illa, & hora nemo scit, neque Angeli, nisi solus Pater: & ibidem, & alibi sæpè Dominus hortatur ad vigilandum, quia dies illa inopinatos, & securos homines opprimet. Et in hac ipsa Apocalypsi bis repetitur, diem illam, vt furem in nocte venturam. quæ omnia falsa essent, si certò scirent homines, quadraginta quinque diebus post mortem Antichristi, Iudicem esse venturum.

Solutio.

Respondeo, si quid hæc argumentatio valet, aduersus sanctum Hieronymum potissimũ valere. ille enim explicans illa verba Daniel. cap.12. Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos trigintaquinque: Beatus, inquit S. Hieronymus, qui interfecto Antichristo, dies supra numerum præfinitũ quadraginta quinque præstolatur; quibus est Dominus, atque Saluator in sua Maiestate venturus. quare autem post interfectionem Antichristi quadraginta quinque dierum silentium sit, diuinæ scientiæ est: nisi fortè dicamus: dilatio Regni Sanctorum, patientiæ comprobatio est. hæc sanctus Hieronymus, magnus Pontificius, à quo nos minores Pontificij hanc expositionem didicimus.

Neque ex ea sequitur aliquid contra Euangelium. Nos enim verè nescimus diem, atque horam Iudicij, vt etiam nesciunt Angeli de cœlo; quoniam cum ignoremus, quando Antichristus venturus sit, necesse etiam est, vt ignoremus Iudicij diem, qui Antichristi interitum consequetur. Illi autem, qui Antichristi temporibus in viuis inuenientur; facilè scire poterũt, non longè abesse diem iudicij, & mundi consummationem, cum Dominus dixerit Matth. 24. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, &cæt. & mox, Et videbunt filium hominis venientem in nubibus. & paulò post, Cum videritis hæc omnia, scitote quia propè est in ianuis. Et concordat Apostolus cum Euangelio 2. Thessal. 2. cum ait de Antichristo; quem interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui, & destruet illustratione aduẽtus sui. Sed neque illi certò scient diem, neque horam, quoniam etsi dies quadraginta quinque, Daniele teste, expectandi erunt post mortem Antichristi; tamen scriptura non dicit, diem iudicij non esse longius prorogandum. Itaque scient homines illi diem Iudicij, non esse expectandum ante diem quadragesimum quintum ab Antichristi cæde, sed an diutius differendus sit, ignorabunt.

Quemadmodum autem in dieb. Noe plurimi fuerunt increduli, quamuis Noe, & verbo, & exemplo, id est, fabricatione arcæ prædicaret diluuium futurum; & imperati, & oscitantes à diluuio oppressi sunt: sic erit in nouissimis diebus, prædicabunt serui Dei, Iudicij diem non longè abesse, imò etiam instare, & imminere: tamen filius huius seculi, more solito de ijs quæ mundi sunt cogitabunt, & quando ipsi minus putabunt, filius Dei Iudex adueniet.

CAPVT XI.

DE HENOCH ET HELIA.

Henoch & Elias sunt duo Prophetæ, qui pugnabũt cum Antichristo.

OCtauò, pag. 67. & sequentibus ad 87. disputat Rex de duobus Prophetis, qui c. 11. Apocalypsis dicuntur pugnaturi cum Antichristo, atque ab eodem tandem occidendi, & post tres dies resurrecturi, & in cœlum assumendi. Hos duos Prophetas nos cum Sanctis Patribus dicimus esse Henoch, & Eliam, qui ad hunc ipsum finem translati sunt, & adhuc viuunt in carne mortali; vt in nouissimis diebus, cum maxima Dei gloria, & Ecclesiæ vtilitate, mortis debitum soluant.

Patres qui ex diuinis literis hoc docent, hi sunt. Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Origenes, & alij omnes interpretes S. Matthæi ad cap. 17. affirmant, Eliam venturum tempore Antichristi. idem de eodem Elia docent Lactantius lib. 7. cap. 17. Augustinus tractat. 4. in Ioan. Theodoretus in cap. vlt. Malachię, & Primasius in cap. 11. Apocalypsis. De Henoch, & Elia simul idem testantur Hippolytus Martyr in oratione de consummatione Mundi, Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 6. & Interpretes Apocalypsis cap. 11. Beda, Anselmus, Richardus, & Arethas, qui addit inuariabiliter à tota Ecclesia credi, Henoch, & Eliam venturos, vt Antichristo se opponant.

Sententiã veterũ Patrum Rex Angliæ iudaicam fabulam appellat.

Rex tamen cùm fateatur hanc esse Patrum sententiam, tamen Iudaicam fabulã non semel appellat; & huic tantæ testium nubi coniecturas suas, vel potius suorum Doctorum anteponit. Quam enim coniecturam suam vocat, nos in Abbato antea legimus, qui Abbatus non eam primus excogitauit, sed à venerabili Beda desumpsit. Beda verò, etiamsi spiritualiter ita exponit: tamen adiungit communem aliorum sententiam, quod duo illi Prophetæ sint Henoch, & Elias; neq; illam refellit, & non refellendo approbare videtur.

Calumniæ manifestę.

Omitto quæ Rex multis verbis disputat de cap. 11. & 17. Matth. de aduentu Eliæ, vbi etiam dicit, me mala fide agere cum Christo, impudenter exponere verba Christi, improbissimè cauillari super verbis Christi, & similia: quæ ideò dicit, quia malui verba Euangelij exponere cum Patribus Origene, Hilario, Hieronymo, Chrysostomo, & alijs veteribus; quam cum Nouatorib. Bibliandro, & Chitræo. Quãtumuis enim Rex irascatur, & conuicijs me oneret, malo cum illis desipere, quam cum istis sapere. Sed lectorum erit iudiciũ, vtri rectius exposuerint loca Euãgelij, Rex cum Chitræo, & Bibliandro, an ego cum Patribus. libri extãt sæpius recusi: non est cur tempus consumam in rebus ijsdem sæpius repetendis.

Hæc est reuerẽtia erga sanctos, ac veteres Patres.

Illud præterire non debeo, Regem, qui initio dixerat, se Patres primorum quingentorũ annorum venerari; neq; se ausurum eos reprehendere, hoc loco, id est, pag. 73. palam eos errasse dicere. *Sed quoniam*, inquit, *in hunc de Patrib. antiquis fortè sermonem incidimus, finite, quæso, hac occasione obiter vos moneam, mirum nõ esse, si sæpius Patres hic errent, & minus rectè multa Apocalypsis mysteria intelligant, propterea quod liber ille eorum temporibus adhuc obsignatus fuit. & licet mysterium iniquitatis iam tum ageretur, ille tamen homo peccati nondum erat reuelatus. in omnibus. n. obscuris prophetijs certissima est regula, nũquam eas satis intelligi posse, vsq; dum compleãtur.*

Hæc ille, qui veteres Patres non tantùm erroneos facit, sed etiam stultos, quòd librum obsignatum resignare tentauerint. Deinde, si iam hoc tempore prophetia impleta est, ac per hoc manifesta, & dilucida eius interpretatio; vnde tot adhuc de his rebus contentiones, & opiniones? cur ipse Rex pag. 56. ingressurus disputationem de Antichristo scripsit, in re tam obscura, & inuoluta, velle simpliciter sententiam suam dicere? & cur in extrema disputatione pag. 113. coniecturam vocat explicationẽ suam de Antichristo? si prophetia iam impleta est, & liber resignatus; quid opus est coniecturis? cur dicitur obscura, & inuoluta de Antichristo disputatio?

Verùm, quod iam sit reuelatus homo peccati, ac per hoc prophetia S. Ioannis adimpleta; Nouatores dicunt, sed nõ probant, nec probare possunt, cum contra demõstrationes euidentissimæ à Catholicis adferantur. Itaq; ex eo quod in quæstione est, quasi certum, & exploratum esset, argumenta petunt ad Patres veteres arguendos erroris. Sed Regi ignoscendum est, qui ea, quæ de reprehensione Patrum scripsit, non ex se protulit in medium, sed ex lib. 1. Roberti Abbati, subditi sui, mutuatus est.

Aliud quoque est in disputatione Regis de Henoch, & Elia, valdè admirandum. Scribit enim pag. 74. corpora Henoch, & Eliæ, nunc esse in cœlo glorificata, & per multa annorum millia exempta fuisse à maledictione mortis. Et pag. 76. disertis verbis scribit, Henoch, & Eliam per multa annorum millia cœli fuisse incolas, mortalitatis legibus solutos, incorruptibilia, & glorificata corpora habere: atq; inde efficit non posse fieri, vt ab Antichristo interficiantur.

Henoch, & Elias non sunt mortui sed morituri tempore suo.

Atqui, hoc dogma, etiamsi auctorem habeat Theodorum quemdam Eracleotem, & Apollinarium teste S. Hieronymo in epist. ad Minerium, & Alexandrum: tamen exploratus error est, & cõtrarius omnib. Patribus, qui Henoch, & Eliam scribunt nõdum esse mortuos, sed esse mortales, & morituros in persecutione nouissima. Ne tamen nihil omninò aduersus hanc hæresim dicamus, pauca de multis adducemus. Ioan. 14. Dominus ait, Vado parare vobis locum, & si abiero, & parauero vobis locũ, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. quod explicatur ab Apostolo ad Hebr. 6. cùm ait: Præcursor pro nobis introiuit Iesus. Si non poterant Apostoli in cœlum intrare, nisi præcursor intraret Iesus, & pararet illis locũ: quomodo Henoch, & Elias tot millibus annorum ante Christi ascensionem introierunt?

Ante Christi ascensionem nullus homo in cælum ascendit.

Idem Apostolus ad Heb. 9. Hoc, inquit, significante Spiritu sancto, nondum propalatã esse Sanctorũ viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Itaque dum status testamenti veteris durauit; nondum propalata erat Sãctis via ad cælestem patriam. quare concludit idem Apostolus ad Hebr. 11. Et hi omnes testimonio

monio fidei probati non acceperunt promissionem: Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Poteratne apertius dici, Patres veteris testamenti, quamuis fide probatissimi essent, inter quos Henoch ab Apostolo numeratus est, non accepisse promissiones, vt non sine nobis consummarentur, id est; vt non sine nobis consummatam corporis, & animæ gloriam acciperent?

Et quid est quod propheta Dauid tamquã singulare dicit in persona Christi in Psalm. 15. Notas mihi fecisti vias vitæ; si ante tot annorũ millia Henoch & Eliæ notæ factæ sunt viæ vitæ? quid est quod ipse Christus dicit Ioan. 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo: si ante ipsũ Christum, qui caput est electorum, ascenderũt in cælum cum corpore glorificato Henoch, & Elias, qui vtique membra Christi sunt? nam illud, nemo ascendit in cælum, non est præsentis temporis, sed præteriti, vt ex græco textu manifestum est οὐδεὶς ἀναβέβηκεν, est enim sensus, nullus homo hactenus ascendit in cælum, ac per hoc nemo scit cælestia, nisi filius hominis Christus, qui vt Deus descendit de cælo per incarnationem, & vt homo ascendit in cœlum per vnionem hypostaticam, & idiomatum cõmunicationem: vnde etiam subiecit, Filius hominis, qui est in cœlo. Erat enim tunc filius hominis in cælo, quia eadẽ persona erat Deus, & homo. Itaque non ait, nemo ascendet postea, sed nemo ascendit hucusq; : proinde Henoch, & Elias non ascenderunt cum corpore glorificato in cælum verum, atque æthereum, sed in cælum tantum aerium, vt subleuati à terra ducerentur in locum remotum ab hominum habitatione.

Verè igitur canit Ecclesia toto Orbe diffusa, in hymno illo notissimo; quem nec Lutherus despiciẽdum putauit: Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus Regna cœlorum, quod certè Ecclesia orthodoxa non caneret, si crederet Henoch, & Eliam, tot annorum millibus ante Christi Ascensionem introire potuisse in Regna cœlorum.

Generali decreto omnes homines morti addicti sunt.

Addo etiam generale decretum, vt omnes homines moriantur, à quo ne ipse quidem filius Dei immunis esse voluit; neque Sanctissimam matrem suam immunem fecit. Statutum est, inquit Apostolus ad Hebr. 9. hominibus semel mori, & post hoc iudicium, id est, cum omnes omninò mortis debitum soluerint, tũc aderit iudicium. Ergò ante iudicium necesse est, vt Henoch, & Elias, qui hactenus in viuis manent, ipsi etiam moriantur. Cui sententiæ simillis est illa 1. Corinth. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. & Rom. 5. In omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. & Psalm. 88. Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?

Ex quibus apertissimis sententijs declaranda est sententia illa alioqui ambigua 1. Thessal. 4. Deinde nos qui viuimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aera. Non enim significat hęc sententia, nõ morituros, qui viui reperientur in nouissimo die; sed in ipso raptu morituros, & mox resurre-

A cturos ad vitam immortalem, vt sanctus Augustinus docet lib. 20. de Ciu. Dei cap. 20. Ex ijsdem scripturis iudicandum est, vtra sit verior lectio 1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus, siue, vt est in græco, omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur: an illa, non omnes dormiemus, sed omnes immutabimur: illa enim prior est verior, quia concordat cum apertis scripturis: & veriorem, & communiorem esse affirmat S. Hieronymus in epist. ad Minerium, & Alexandrum. At objicit Rex testimonia Irenæi, & Tertulliani. Irenæus enim lib. 5. scribit Henoch, & Eliam manere in loco, ad quem translati sunt, vsque ad consummationem conspicantes incorruptionem. Tertullianus autem lib. contra Iudæos cap. 2. scribit, Henoch necdum mortem gustasse, vt ęternitatis candidatum.

De varia lectione loci Pauli-ni 1. Cor 15. & quæ sit lectio verior.

B

Explicãtur testimonia Irenæi, & Tertulliani de qualitate vitæ Henoch, & Eliæ.

Sed hęc non significant illos numquam morituros esse, vt Rex existimat. manent enim non in cælo, vt Rex dicit; sed in Paradiso terrestri, vt Irenæus dicit, vsque ad consummationem conspicantes incorruptionem, id est, non videntes corruptionem, sed viui, atque integri permanentes tot millibus annorum. Sed hæc incorruptio non est ea, quam habent in cœlo Beati, qui mori non possunt; sed ea, quam habebat Adam in Paradiso, qui poterat nõ mori donec peccaret, vt auctor est sanctus Augustinus lib. 9. de Genesi ad litteram cap. 6. & lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 3. Itaque Henoch, & Elias conspicantur incorruptionem, non absolutè; sed vsque ad Mundi consummationem, in qua debitũ mortis soluentes transituri sunt ad veram & per-

C fectam incorruptionem. Rectè verò dicitur, Henoch non gustasse mortem, vt candidatus æternitatis. Candidati enim nondum Consules erant, sed Consulatum expectabant, & petebant. Sic igitur Henoch non habet veram immortalitatem, sed eam exspectat, & desiderat, & ex vita tam diuturna multorum millium annorum, quam egit in terrestri paradiso, certam spem concipit vitæ sempiternæ futuræ in Paradiso cælesti.

Calumnia de situ paradisi terrestris.

Ad id autem quod Rex dicit, Bellarminum in controuersijs multum sudare, vt statuat, Paradisusne in terra sit, an in aere; & concludit, Paradisum terrestrem diluuio esse destructũ: facilis est responsio. Bellarminus enim nusquã

D dixit, neq; ex sententia sua, neque ex aliena, Paradisum in aere pendere: quod operosè confutare frustra Rex conatur. Retulit solum in lib. de gratia primi hominis cap. 12. sententiam quorundam, qui affirmant Paradisum in terra quidem situm, sed in montibus altissimis, qui ad globum vsque lunæ pertingant. quam sententiam idem Bellarminus refellit, nisi per hyperbolem excusetur. Paradisum autem terrestrem omninò esse destructum, quod Rex affirmat; contrarium est communi sententiæ Patrũ veterum, & recentiorũ Doctorum. Certè S. Augustinus lib. de peccato orig. c. 23. disertè sic pronũciat: Esse Paradisum vnde eiectus est Adam, fides Christiana non dubitat. Multum autem sibi Rex placet in ea coniectura, quam à Roberto Abbato desumpsit, quod nomine duorum Prophetarum ab Antichristo occi-

ſorum intelligi debeant, aut poſsint duo teſtamenta, id eſt, libri ſacri teſtamenti veteris, & noui. In qua diſputatione multa dicit, quę probare non poterit.

Calumniæ hæreticorũ.

Primò ſcribit, aduerſus Scripturam ſacram dicteria quædam à Pontificijs iactari, quod ſit naſus cereus, mortua littera, lesbia regula, ſexcenta alia probri, & ignominiæ plena. Ego verò cùm pleroſque Scriptores Catholicos euoluerim; apud nullum eiuſmodi dicteria reperire potui, niſi in hoc ſenſu, quod apud Aduerſarios, Scriptura S. ita torquetur in varios intellectus, vt naſus cereus, aut lesbia regula eſſe videatur. quod etiam in hac diſputatione de duobus Prophetis apertiſsimè locum habet. Nos enim Catholici, qui Scripturas ſacras ſequimur, non eas ad noſtras opiniones accommodamus. vbi legimus, duos Prophetas ſaccis indutos, aduerſus Antichriſti doctrinam prædicaturos, atque ab illo interficiendos, & à Deo poſt triduum reſuſcitandos: per Prophetas, veros Prophetas; per ſaccos, veros ſaccos; per prędicationem, veram prædicationem; per Antichriſtum, verum Antichriſtum; per occiſionem, veram occiſionem; per triduum, verum triduum; per reſurrectionem, veram reſurrectionem intelligimus. Nouatores, qui opinionibus ſuis ſcripturas deſeruire volunt: per Prophetas duos, intelligi volunt, aut miniſtros noui Euangelij, quamquam pluſquam ſexcenti ſint; aut libros teſtamenti veteris, & noui, qui plurimi ſunt; per Antichriſtum, qui vnus erit, ſeriem hominum bene longam; per triduũ, mille circiter annos intelligunt; & cætera per tropos, & metaphoras ita planè detorquent ad errores ſuos, vt de regula Lesbia, & de naſo cereo facerent.

Hæretici ſcripturas S. ad opiniones ſuas accommodare ſatagunt.

Alia calumnia.

Secundò dicit, Pontificios nolle corrigi locos etiam corruptiſsimos veteris editionis: & ponit exempla, vbi nos legimus euertere domum, pro euerrere Luc. 15. Et ſic eum volo manere, pro, ſi eum volo manere Ioan. 21. At prior locus correctus eſt in Biblijs Summi Põtificis auctoritate recognitis: poſterior non eſt mutatus, quoniam habetur in omnibus latinis codicibus etiam antiquiſsimis. Sic enim legunt S. Ambroſius in Pſal. 45. & ſerm. 20. in Pſ. 118. Sanctus Auguſtinus, Beda, & Rupertus in explanatione eius loci, Euſebius Emiſſenus, ſiue quiſquis eſt auctor in hom. de Sancto Ioanne Euangeliſta, & alij. Neque verum eſt, verba illa, ſic eum volo manere, mendacium continere, vt Rex nimis audacter affirmat. nó enim, ſic eum volo manere, ſignificat, non volo eum mori, ſed non volo eum morte violenta ante tempus naturalis periodi de hac vita migrare.

Alia calumnia.

Tertiò dicit, deprauatam eſſe à nobis ſcripturam, quoniam libros apocryphos Canonicis exæquauimus, cõtra quam Patres ſentiunt, & vetera Concilia decernunt. At nos contra verè dicere poſſumus, à Sectarijs, tamquam Antichriſti præcurſoribus, vtrumq; teſtamentum aliquot membris detrũcatis, miſerè eſſe fœdatum. Quos enim libros, vt apocryphos reiecerunt, non inuenimus in Concilio III. Carthaginenſi, ante mille ducentos annos celebrato, & apud veteres Patres omnes, vno vel altero excepto, inter Canonicos eſſe habitos.

Alia calumnia.

Quartò dicit à S. Bonauentura ſacrilegè corruptum eſſe Pſalterium, cum Dominam, pro, Domino in toto Pſalterio poſuerit. At S. Bonauentura Pſalterium Dauidis, quod ad ſcripturã canonicam pertinet, omninò non tetigit; ſed ad ſimilitudinem Pſalterij Dauidis, aliud Pſalterium ipſe compoſuit, ex pio ad B. Virginem affectu.

Alia calumnia, eaq; grauiſsima.

Quintò dicit ſcripturam à Pontificijs fuiſſe ſuppreſſam, quoniam multis ſæculis in magna cæcitate, & ignoratione ſalutaris doctrinæ populus Chriſtianus verſatus eſt; cum laici ſcripturã attingere prohibiti eſſent: maxima pars Clericorum eam legere, aut nollent, aut non poſſent. At nuſquam inueniet Rex Scripturæ diuinæ lectionem laicis aut Clericis fuiſſe prohibitam. Et valdè mirandum eſt quod Rex addit, ad ſilentium damnatos eſſe libros ſacros, vt pro hæretico combureretur, qui eos in manus ſumere auderet, aut inſpicere. quæ vnquam hiſtoria hoc prodidit? quis auctor tradidit? ne dicam quis vidit, aut audiuit pro hæretico comburi, qui ſcripturas attingeret, aut cerneret?

At, inquit, in ignota lingua libri ſacri abſcõditi iacuerunt. Neque hoc eſt verũm. non enim latina lingua ignota eſt Eccleſiæ Latinæ. Sed etiam Biblia vulgaribus linguis edita non deſunt, quamuis non paſsim concedantur ijs, qui rudes, & imperiti cùm ſint, eas niſi perperam intelligere non queunt; atque ad hoc ipſum inſtituti ſunt concionatores, qui populari lingua explanent, quæ latinè in Eccleſijs leguntur.

Calumnia intolerabilis.

Sextò dicit ſcripturam hanc fuiſſe ab Antichriſto interfectam, cum anno 1562. prodijt cenſura generalis, quæ omnes alias translationes, præter ſuam comburi iuſsit. quod etiam nunc fieri ſolet. At ſi anno 1562. ſcriptura interfecta eſt; ergo à Luthero antè à mortuis reuocata eſt, quàm ab Antichriſto interficeretur. Lutherum enim, à quo aduerſarij iactant Scripturam ſacram in lucem eſſe reuocatam, ad annum 1562. non perueniſſe nemo neſcit. Atqui hoc verè inauditum miraculum eſt, excitare à mortuis hominem antequam moriatur. Sed omiſsis iocis, Eccleſiaſtica cenſura non iuſsit cõburi translationes omnes, excepta ſua, cùm recipiat translationem 70. Interpretum, & permittat translationes Syriacas, Chaldaicas, Latinas etiam recentiorum non paucas; ſed comburi iuſsit translationes hæreticorum, Martini Lutheri, & ſimilium, quas conſtat plurimis in locis eſſe corruptas.

His breuiter calumnijs refutatis, dicam quid mihi videatur de ſententia illa, quæ per duos Prophetas duo teſtamenta ſignificari docet. Si ea ſententia vera ſit, tria ſequentur, quæ aduerſarij nullo modo concedent, cum omnium confeſsione, & ipſorum, & noſtra falſiſsima ſint.

Prima abſurditas ſententiæ de duob. Prophetis duo teſtamẽta ſignificantibus.

Primum eſt, in Eccleſia veteri primis quingentis, vel ſexcentis annis nullos fuiſſe Scripturæ ſanctæ libros. ſiquidè duo illi Prophetæ, per quos libri vtriuſq; teſtamẽti ſignificantur, non apparuerunt niſi poſt exortum Antichriſtum, Apoc. 11. Antichriſtus exortus non eſt, niſi poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ex ſententia

aduerſa-

aduersariorum; ex nostra verò neque post annum millesimum sexcentesimum: igitur primis sexcentis annis duo illi Prophetæ, id est, duorum testamentorum libri non apparuerunt. An hoc sit verum, Regi iudicandum relinquo, qui tot veterum Patrum Commentaria in sacros libros legit.

Secunda absurditas.

Alterum est, regnante Antichristo, toto tẽpore regni eius Scripturas diuinas, atque earũ prædicationem, publicam, & notissimam fuisse. nam duo Prophetæ, mille ducentis sexaginta diebus prædicauerunt, id est mensibus quadraginta duobus, siue tribus annis cum dimidio: quanto tempore Antichristus regnabit, vt in libro Apocalypsis cap. 11. disertè scribitur. quomodocunq; enim illa tempora intelligantur, negari non potest, idem temporis spatium tribui in Scriptura duobus Prophetis, & Antichristo, excepto breuissimo interuallo, quo Antichristus superuiuet post Prophetarum illorum interitum. Ergo si duo Prophetæ duo testamenta significant, toto tẽpore Regni Antichristi, Prædicatio scripturarũ vigeat, & valeat, omnino necesse est. Cur ergo paulò antè deplorauit Rex cæcitatem, & ignorantiam doctrinæ salutaris tot seculis inualuisse apud Christianos? Itaque nisi fingant aduersarij contra scripturam, duos Prophetas primis Antichristi diebus extinctos fuisse, nunquam efficient, per multa secula Antichristo regnante Scripturas sacras, vel sublatas, vel absconditas, vel ignoratas fuisse.

Tertia absurditas.

Tertium est, scripturas sanctas; posteaquã restitutæ fuerunt in lucem per diuinam potentiam, assumptas esse in cælum, neque apud homines in terris vnquam amplius visas. Sic enim scribitur in Apoc. cap. 11. Duos Prophetas post triduum excitatos, continuo in cælum assumptos fuisse. Quare si Lutherus, aut Caluinus, Scripturas vtriusque testamenti ab Antichristo sepultas, iterum quasi à mortuis reuocarunt: necesse est, vt scripturæ in cælum iam sint receptæ, atque ab oculis hominum absconditæ, si quid similitudo duorum Prophetarum, & duorum testamentorum valet. Atqui videmus duo testamenta in manibus hominum adhuc esse, & Bibliothecas publicas, & priuatas occupasse. Nutat igitur vndiq; coniectura Regis; neque vtile nobis est ob eam coniecturã à communi sententia Patrum nostrorum, Ecclesiæque recedere. Omitto quæ dicuntur de alia significatione duorum Prophetarum quoniam eam in libris Controuersiarum lib. 3. de Pontifice cap. 6. refutatam reliquimus.

CAPVT XII.

DE QVATVOR VISIONIBVS SANCTI Ioannis in Apocalypsi, quibus Antichristus designatur ex sententia Regis.

IN extrema disputatione Rex quattuor visiones sancti Ioannis explanare aggreditur, in quibus Antichristi descriptionem contineri existimat. Eas visiones nos quoq; breuiter excutiemus. Prima igitur visio habetur in Apoc. c. 6. Vbi S. Ioannes cùm vidisset equum vnum album, alterum rufum, tertium nigrum, vidit quartum pallidum. hunc pallidum equum, Antichristum esse Rex docet. quo auctore, nõ indicat. Ego interpretes huius loci cũ consulere instituissem, inueni tot sententias, quot ferè sunt auctores. Sanctus Augustinus scribit, per equum rufum, nigrum, & pallidum significari tria flagella, famem, bellũ, & pestem. Sanctus Anselmus, & Richardus per eosdem tres equos intelligi volunt persecutiones paganorum, hæreticorum, & falsorũ fratrum. Alij malunt significari Imperia trium Cæsarum, Neronis, Titi & Domitiani. Itaque sine vlla Regis iniuria dicere possumus, hanc visionem ad Antichristum non pertinere, præsertim cum ex communi sententia omnium expositorum de Antichristo agatur paulò post in eodem capite, in apertione sigilli sexti, vbi reuelatur vltima & grauissima persecutio futura propè Mundi finem. Ex quo intelligimus, falsum esse quod aduersarij dicunt, Antichristum iam regnasse annis mille, & amplius; nisi fortè vltima persecutio vltra mille annos duratura esset.

Antichristi persecutio propè mũdi finem erit.

Altera visio habetur in cap. 9. vbi ad clangorem quintæ tubæ, cadit stella de cælo, & aperit puteum abyssi, vnde progreditur exercitus locustarum. ac deinde ad clangorem sextæ tubæ procedit exercitus equitum horribilis, & innumerabilis, omnia conculcans, & deuastans. Et in hac quidem visione satis conuenimus, per stellam cadentem, & locustas, intelligi præcursores Antichristi. Sed nos per stellam cadentem Lutherum significari credimus, per locustas, hæreticos Lutheranos, & protestantes, ac cæteros huius temporis Sectarios: Rex autem per stellam cadentem, intelligi vult aliquem eximiæ dignitatis in Ecclesia, qui cùm lux Mundi esse deberet, munus suum deserens, Regnum sibi erexerit, & eo modo sedes Antichristi erigi cœpta sit.

Quid per stellam de cælo cadẽtem significetur.

Et nos quidem facilè demonstrare possumus quo modo Lutherus ceciderit, quo anno, qua occasione, quanto strepitu, & quem exercitum locustarum de abyssi puteo eduxerit. Rex autem non facilè docebit, quæ fuerit illa persona Ecclesiastica eximiæ dignitatis, quæ deserto munere suo Regnum sibi erexerit, & sedem Antichristo parauerit. Affirmat quidem pag. 99. Bonifacium III. fuisse hominem illum, qui primus se nuncupauit vniuersalem Episcopum, qui titulus Antichristi est.

Bonifac. 3. Papa optimus, summa iniuria Antichristi nomine infamatur.

At cum bona Regis venia, Bonifacius non se vniuersalem Episcopum nominauit, sed à Phoca Imperatore sic appellatus est, quo modo S. Gregorius à Patriarcha Alexandrino vniuersalis Episcopus dictus est, ipso sancto Gregorio teste in epist. ad Eulogium, quæ est 30. lib. 7. Indictionis primæ. Quo modo etiã sancto Leoni plus centum annis Gregorio antiquiori Vniuersalis Patriarchæ titulum Synodus Chalcedonensis obtulit, vt idem sanctus Gregorius in epistola paulò antè citata testatur. Quare si titulus iste ab alijs oblatus Antichristum facit, non Bonifacius III. sed sanctus Leo primus, Antichristus dicendus erit, vt iam etiam in primis quingentis annis Antichristum regnasse dicendum sit.

At, Bonifacius à Phoca petijt, & obtinuit,

Anastasio teste, vt solus Romanus Pontifex vniuersalis diceretur. Respondeo Bonifacium à Phoca petisse, & impetrasse, vt Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum coerceret, qui titulum vniuersalis Episcopi, qui soli Romano Pontifici iure debetur, sibi indebitè vsurpabat. Sed neque Bonifacius, neque successores hoc titulo vsi sunt, seruos se potius seruorum DEI in epistolis nominantes. Adde quod Bonifacius III. nullum sibi Regnum erexit, cum nulla in re à maiorum suorum humilitate recesserit, neque munus suum Ecclesiasticum deseruit, cum in breuissimo illo spatio octo mensium, quo sedit in Apostolico throno, Concilium Episcoporum Romæ coëgerit, & multa instituerit, quæ ad Cleri reformationem pertinere visa sunt. Itaque gratis omninò Rex Bonifacium III. potius, quàm quemuis alium, ex antecessorib. Antichristum, vel Antichristi præcursorem fecit.

Addit Rex, in eodem loco, doctrinam Antichristi declarari in eodem cap. 9. Apocal. vbi dicitur, residuos homines, qui non sunt occisi in his plagis, non egisse pænitentiam ab operibus manuum suarum, vt non adorarent Dæmonia & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque incedere: nec egisse pœnitentiam ab homicidijs suis, neque à veneficijs, neque à fornicationibus, neque à furtis.

Calumniæ variæ lōgè petitæ.

Ex his autem colligit Rex Pontificios sequi doctrinam Antichristi, quoniam Vasques Iesuita docet Dæmonia esse colenda: & reliqui Pontificij passim imagines aureas, argenteas, æreas, lapideas, & ligneas colunt: homicidia præterea faciunt, veneficijs vtuntur, cum per Agnos Dei cereos ignem restinguunt; & per indusia benedicta, & diuersorum generum reliquias, & orationes conseruant homines à tormētorum bellicorum impetu, vi flammæ, violentia ferri, ictu fulminum, cæterisque id genus periculis: fornicantur, tum spiritualiter idololatrando, tum carnaliter propter prohibitum Clericis, Monachis, & sanctimonialib. coniugium: furti denique rei sunt, tùm quod Deo subripiunt titulos honorum, vt eos in Antichristum suum conferant, tùm per Iubilæa, Indulgentias, reliquias, & similes nundinationes pecunias cumulant.

Refutātur calumniæ generatim

Adhæc omnia facillima, & expeditissima responsio est, Regem vehementer falli, cùm verba illa Apocalypsis ad doctrinam Antichristi refert, & cùm eam doctrinam Catholicis tāquam propriam accommodare nititur. Primum enim conueniunt interpretes huius loci Anselmus, Richardus, & alij, verba supra citata, nihil aliud significare, nisi cum Antichristo perituros in æternum, nō tantum Christianos, quos ille artibus suis deceperit; sed etiam paganos, qui non egerint pœnitentiam ab idololatria, & cultu Dæmoniorum. Dij enim gentium Dæmonia sunt. Psalm. 95. Et quæ immolant gentes, Dæmonijs immolant, & non Deo, 1. Corinth. 10. Et præterea Iudæos, qui non egerint pœnitentiam ab homicidijs, veneficijs, fornicationibus, & furtis. Iudæi enim præter cæteros homines student homicidijs, & veneficijs, & fornicationibus, & maximè furtis publicè per vsuras augendo copias suas.

Refutatur calūnia de cultu dæmonum.

Deinde quomodo potest fieri, vt doctrina Antichristi sit colere Dæmones, & Idola omnium generum, cum de illo scribat Daniel. cap. 11. Antichristum aduersus omnes Deos pugnaturum, vt ipse solus habeatur Deus? Mirum autem est, tantum Regem ea scribere non dubitasse de Iesuita Vasque, quæ sola libri ab ipso citati inspectione falsa esse intelliguntur. citat enim Rex librum tertium Vasques, De cultu adorationis disput. 1. cap. 5. At eo loco Vasques quæstionem illam tractat, An censendus sit Idololatra, qui Dæmonem sibi apparentem sub imagine Crucifixi adorauerit. Respōdet verò, non esse habendum Idololatram, sed illusum, si existimauerit eum qui sibi apparuit verè esse Christum, & solum Christum adorare intenderit, & inuincibiliter ignorauerit sub illa imagine Dæmonem latere. Hoccine est docere Dæmonis cultum? quid si Regius seruus indutus Regias vestes prodeat, & vt Rex ab ignorantibus adoretur; num imperiti adoratores Maiestatis rei habebuntur, an potius, vt illusi ridebuntur? Atque hoc est argumentum quo Rex probare voluit, Pontificios Dæmonum esse cultores. De cultu imaginū nihil addendum est ad ea, quæ supra disseruimus. satis enim constat, Imagines Sanctorum, neq; esse idola, neque adorari vt Deos.

Refutātur calūniæ de homicidijs alijsq; sceleribus.

Homicidia, veneficia, fornicationes, & furta, non negamus apud Catholicos inueniri, sed neque Rex negabit in suo Regno apud Protestantes suos frequentia esse. Quòd si probari posset, in Ecclesia Catholica doceri hæc esse licita, & iusta; & non potius, vt iniusta & illicita prohiberi, & puniri: tum aliquid aduersarij dicerent: sed ex flagitijs, & sceleribus toti humano generi cōmunibus, colligere doctrinam Antichristi apud solos Pontificios esse, ineptum, & ridiculum est.

Refutatur calūnia de Agnis Dei cereis.

At soli Pontificij per Agnos Dei cereos ignem restringunt: id autem venefic o simile est. Respondeo, Miracula diuina apud solos Pontificios conspiciuntur: sed inuocatio diuini nominis, & benedictio sacerdotalis, qua cerei Agni consecrantur, veneficijs tribui non possunt, nisi Deus habeatur pro diabolo. Illa enim veneficia sunt, quæ ex inuocatione Diaboli, & pacto quodam cum ipso Diabolo inito viam suam habent. Qui autem miracula, quæ per indusia, cæterasq; reliquias fiunt, damnat, damnare etiā debet miracula, quę teste Luca in Act. Apost. c. 19. fiebant per sudaria, & semincinctia sancti Pauli, & quæ teste S. Augustino lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. fiebant per reliquias sancti Stephani; & alia id genus plurima, quibus pleni sunt libri Sanctorum Patrum. Nec tamen probamus, sed damnamus, & reijcimus superstitiosas orationes, quas interdum nonnulli adhibent aduersus arma, vel fulmina, cum characteribus incognitis, & inuocatione Dæmonum.

Refutatur calūnia de multitudine Mona-

De multitudine Monachorum, & Sanctimonialium, id solùm dicam, non posse reprehendi eiusmodi instituta, nisi reprehendantur Patres omnes primorum quingentorum annorum.

chorum, & Sanctimonialium.

norum. Certè si quis legat vel epistolas sancti Hieronymi de custodia Virginitatis, & de obitu Paulæ ad Eustochium; vel librum sancti Augustini de moribus Ecclesiæ, vel S. Ioannis Chrysostomi libros aduersus vituperatores vitæ monasticæ; videbit tot millia Monachorum, & Sanctimonialium fuisse in illa prima Ecclesia, vt meritò dicere possit, sectas Lutheranorum, & Caluinistarum, vnde hæc instituta penitus exulant, nihil habere commune cum Ecclesia primitiua.

Refutatur calumnia de nundinationibus Indulgentiarum.

Denique quæ Rex dicit de cumulandis opibus per artificium Iubilæorum, & Indulgentiarum, satis ostendunt, eum plus fidei habuisse calumnijs Lutheri, & similium Nouatorum, quam simplici veritati. Hoc certè tempore si eleemosynæ faciendæ præscribantur ijs, quibus Indulgentiæ conceduntur; in arbitrio singulorum relinquitur, vt quibus egenis libeat, eleemosynas faciant.

Sequitur visio tertia quæ habetur in Apocalyp. cap. 13. Vbi describitur Bestia quædam horribilis, quæ de mari ascendet, habens capita septem, & cornua decem. Ex quibus capitibus vnum plaga lethali ferietur, sed paulò post resurget cum admiratione vniuersæ terræ. huic Bestiæ dedit Draco virtutem suam. Ibidem describitur alia Bestia, quæ ex terra ascendet, habens cornua duo similia Agni, & hæc posterior Bestia miracula faciet, vt ignem de cælo descendere, ad hunc finem, vt omnes priorem Bestiam adorent. Addit Ioannes, neminem illis temporibus habiturum potestatem vendendi, aut emendi, nisi in manu, aut in fronte characterem bestiæ gerat. denique numerum bestiæ dicit Ioannes futurum numerum D. CL. XVI.

Obscuritas huius prophetiæ, Antichristum nondum venisse conuincit.

De hac visione Rex multa dicit, atque omnia detorqueri conatur ad nos Catholicos, vt Antichristi adoratores, & sectatores. Sed ex hoc ipso cap. 13. Apocalypsis, nos multò facilius & clarius demonstramus, Antichristum nondum venisse. Quando enim Antichristus venerit, notissima erunt omnia, quæ sit prior Bestia, quæ posterior, quod caput occisum, & resurgens, quis character eius, quod nomen eius; & cætera quæ nunc ita sunt obscura, vt coniecturis, & diuinatione sit opus.

Communis expositio Catholicorum veterum est, per Draconem intelligi Diabolum; per priorem Bestiam, vniuersitatem impiorum; per caput huius Bestiæ occisum, & reuiuiscens, Antichristum, qui erit postremum, & maximum caput impiorum; quique finget se occisum, vt fingat resurrectionem ad imitationem Christi; per posteriorem Bestiam, prædicatores, & Apostolos Antichristi, qui miracula facient, vt ad Antichristum homines alliciant: de charactere, & numero nominis, rem fore abditam, & incognitam, donec Antichristus appareat.

Videamus nunc, quid Rex ex hac visione colligat aduersus Catholicos. Primum igitur, per caput Bestiæ occisum, & reuiuiscēs, intelligendum esse dicit Antichristum, qui vnà imperandi rationum à Gothis, & Vandalis plagam lethalem acceperat; sed mox curata plaga aperuit os suum ad blasphemias, & ab vniuersa

A terra adorari debuit. Et addit Rex, *Cultus autem, atque adoratio hoc eodem nomine, ac titulo, soleatne adhiberi singulis Pontificibus, cùm inaugurantur, nemo Cardinali nostro melius nouit*. hæc ille.

Refutatur expositio aduersariorum.

At Gothi, & Vandali, nullam plagam Romano Pontifici inflixerunt, sed Imperatori Romano, cui Gothi Italiam, & Hispaniam, Vandali Africam abstulerũt. plaga autem curata dici poterit, cùm Iustinianus Italiam, & Africam recuperauit. Itaque si is, cui plaga inflicta est, & paulò pòst curata, Antichristus est; non Romanus Imperator Antichristus erit. Quod si non placet Imperatorem Antichristum vocari, quemadmodum reuera Antichristus non est, acquiescat Rex expositioni sancti Gregorij lib. 11. epist. 3. Primasij, Bedæ, Aymonis, Anselmi, Richardi, & Ruperti in cap. 13. B Apocalyp. qui omnes vnanimi consensu docent, Antichristum simulaturum plagam incurabilem se accepisse, atque occisum esse, ac paulò post à mortuis propria virtute surrexisse, vt tanto facilius pro Deo haberi, & adorari possit. Cùm autem nullus vnquam Pontificum Romanorum mortẽ, & resurrectionem simulauerit, neque pro Deo haberi, & adorari voluerit; vel ex hoc intelligi potest, quantum absint à veritate, qui Pontificem Antichristum esse iactant.

Refutatur calumnia de adoratione Pontificis.

At, inquit Rex, adorari Pontifices cum inaugurantur, Cardinalis non negabit. Verum est Pontifices Maximos adorari, sed vt Vicarios Dei, non vt Deos. Et scriptura diuina passim vtitur voce adorationis pro veneratione, quæ adhibetur hominibus. Vix enim vlla est C adoratio externa, quæ soli vero Deo exhibeatur, præter honorem sacrificij, & quæ ad sacrificium pertinent, templa, aræ, sacerdotes. Hinc enim sanctus Augustinus lib. 20. contra Faustum cap. 21. respondens Fausto, qui scripserat nos Martyres in Idola vertisse; probat in Ecclesia Christi non adorari sanctos Martyres, vt Deos, quia Sacerdos ad Altare constitutus nunquam dicit, offero tibi Petre, vel Paule, vel Cypriane. Quare si Rex ostendet sacrificium Pontifici Romano fuisse aliquando oblatum, aut aras erectas, aut templa dedicata, aut Sacerdotes institutos, quemadmodum factum esse scimus Imperatoribus quibusdam, qui Dij haberi volebant; & quemadmodum Antichristus sibi fieri iubebit; tum D demum concedemus Pontificem haberi, & adorari, vt Deum. at dum eo cultu adorationis honoratur, qui non conuenit soli Deo, sed etiam creaturis, frustra de nomine adorationis calumnia struitur.

Refutatur calumnia de fulmine excommunicationis.

Deinde addit Rex miraculum Bestiæ minoris, quæ faciet ignem de cælo descendere; ipsum esse fulmen excommunicationis, quo Pontifex Romanus homines terret: Et ipsos etiam Reges percellit: At hoc miraculum non tribuitur in Apocalypsi Bestiæ maiori, quæ Antichristum significat; sed minori, quæ Antichristo deseruit. non igitur Pontifex, qui fulmine homines terret Antichristus erit: & Rex quærere iam debebit, quis sit Antichristus, in cuius gratiam Papa fulmen de cælo descendere facit. Deinde sanctus Ioannes memi-

A nit huius miraculi, vt rei nouæ, & insolitæ: at excommunicatio res est communis, & nota, qua etiam Protestantes vtuntur; & quam Ecclesia familiarem habuit multò antè, quam Antichristus, etiam iste fictitius, & à Nouatoribus excogitatus, exortus diceretur. Ergo cum communi expositione scriptorum veterum supra citatorum credendum est, verum ignem de cælo descensurum ad imperium Ministrorū Antichristi, & non per tropos verba Scripturæ detorquenda sunt ad excommunicationes. Ex quo intelligimus merum esse figmentū, quod Papa sit Antichristus, cùm nullus Pontificum Romanorum, neq; per se, neque per suos ignē de cælo descendere fecerit.

Character Antichristi non potest esse professio obediētiæ debitæ Pontifici.

Porrò characterem Antichristi esse dicit Rex professionem obedientiæ Romano Pontifici. Sed hoc multis modis repugnat scripturæ verbis. B Scriptura enim Apocalyp. 13. Significat, characterem Bestiæ accipiendum in dextera manu, aut in fronte: professio obedientiæ neque in dextera, neque in fronte accipitur. Deinde character Bestiæ necessarius erit in toto Antichristi regno omnibus hominibus, pusillis, & magnis, pauperibus, & diuitibus, seruis, & liberis. At quot millia sunt in ditione Romani Pontificis, qui professionem obedientiæ non possunt ostendere? professio enim fieri solet ab ijs, qui promouentur ad gradus dignitatum, aut Doctoratum, aut certa officia: ab alijs plurimis, atque adeò à maxima parte hominum non exigitur. quamuis enim teneātur omnes Romano Pontifici obedire: tamen non tenentur omnes C conceptis verbis, & certo ritu professionem istam facere, multò minus in fronte, vel in manu gestare. Præterea eadem scriptura dicit, in toto Regno Antichristi, neminem permittendum emere, aut vendere, nisi characterem habeat, aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis eius. At quot sunt in ipsa Vrbe Roma Iudæi, qui publicè vendunt, & emunt, nec habent eiusmodi characterem, neque Summo Pontifici adhærent?

Itaque licet multi multa de isto charactere diuinare conentur, non tamen certo scietur quid sit, nisi cum Antichristus venerit; nisi fortè placeat cum antiquissimo scriptore Hippolyto Martyre dicere, Christi characterem esse signum Crucis, Antichristi characterem fore signi Crucis abolitionem; quali charactere dignoscuntur hoc tempore Caluiniani, vt D præcursores Antichristi.

Character Christi signum Crucis: character Antichristi abolitio Crucis.

Refelluntur coniecturæ de numero nominis Antichristi.

Denique de numero D.C.LXVI. dicit Rex, eo numero designari nomen Græcum Λατεῖνος. nam litteræ huius nominis faciunt hunc numerum. Papam autem esse latinum, & apud Latinos potissimum dominari notissimum est. Sed nomen, Latinum, non scribitur per ει, & sine ει, non reddit numerum 666. Præterea nomen Antichristi proprium designatur ab Euangelista, non nomen commune plurimis, vt est, Latinus. proprio autem nomine nullus Pontificum dictus est Latinus. Denique inueniuntur nomina plurima, quæ numerum illum 666. efficiunt. notauit Arethas in commentario huius loci septem nomina, quæ hunc numerum reddunt. alij alia plurima, de qua re multa scripsimus in lib. 3. de Pontif. cap. 10.

Numerus 666. non est numerus temporis, sed nominis Antichristi.

Addit Rex per numerum 666. posse intelligi tempus, quo Antichristus apparere debuit. Siquidem Bonifacius III. Papa, qui primus Antichristi titulum vsurpauit, sedit anno Domini DC.VI. At numerus ille numerus nominis est, vt sanctus Ioannes expressè dixit; non igitur detorqueri debet ad numerū temporis. deinde numerus annorum à Christo ad Bonifacium non continet DC. LXVI. sed DC. VI.

Frustra aduersarij supputando se torquent.

At, inquit Rex, potest inchoari tempus huius numeri ab anno, quo Pompeius Magnus templum Hierosolymitanum diripuit. Omitto id gratis dici: illud ad refutandam hanc supputationem sufficit, quod ab illa direptione templi, vsque ad annum Domini DC. VI. quo Bonifacius sedit, sunt anni DC. LXX. Itaque necesse est, vel sanctum Ioannem fuisse deceptum, quod fieri non potest, vel errare eos, qui volunt numero 666. designari tempus aduentus Antichristi. Quòd autem Rex dicit, sexaginta annis post obitum Bonifacij III. fuisse confirmatum Regnum Antichristi, atque hoc indicari per numerum DC. LXVI. aliquid esset, si posset ostendi aliquid peculiare accidisse ann. DC. LXVI. vt aliquam mutationem regiminis, vel creationem noui Pontificis, vel acquisitionē noui tituli, aut aliquid eiusmodi. Sed cum annus Domini DC.LXVI. inciderit in Pontificatum Vitaliani, qui iam aliquot annis sederat, & pacificè, ac sine vlla innouatione sederat: nulla ratio reddi potest, cur tempus illud tam insolita reuelatione notari debuerit, vt omittam, quod supra dixi, hunc numerum nominis Bestię, non temporis ab ipso sancto Ioanne nominari.

Restat visio quarta ex cap. 17. Apocaly. quæ quanto prolixius tractatur à Rege, tantò breuius expedietur à nobis. Describitur enim in eo capite magna quædam Meretrix insidens Bestiæ, quam Rex Antichristum esse vult; & eo posito fundamento multa disputat de Antichristo, addens etiam de infelici huius Meretricis exitu ex cap. 18. 19. & 20. quæ omnia prætereunda existimo; quoniam per eam Meretricem Antichristus intelligi non potest: & fundamento euerso totum ædificium corruat necesse est.

Mulier, quæ insidet Bestiæ, non est Antichristus.

Non posse autem per eam Meretricem intelligi Antichristum, probamus primò ex sententia veterum Patrum. Patres enim permulti per eam Meretricem, intelligunt vniuersitatem impiorum. Ita sanctus Augustinus in Psal. 26. Arethas, Aymo, Richardus, Anselmus, Beda, & Rupertus in cap. 17. Apocalypsis: Alij intelligunt Romam imperantem, siue Romanum Imperium, quale erat tempore Apostolorum. cum dominaretur omnibus gentibus, & omnium gentium seruiret erroribus. Sic exponunt Tertullianus in libro contra Iudæos, & lib. 3. contra Marcionem, & sanctus Hieronymus in epistola ad Marcellam, & in altera ad Algasiam quæstione vndecima, & confirmari potest horum auctorum sententia ex eo, quod sanctus Petrus in epistola priore, capit. vltimo Romam, qualis tunc erat, sub

nomine

nomine Babylonis significat. Et sanctus Ioannes hanc ipsam Meretricem magnam, Babylonem appellat; ac vt explicet de qua Babylone loquatur, dicit esse ciuitatem, quæ habet Imperium super Reges terræ, & sedet super montes septem.

Adde quod ex sententia Regis pagin. 88. & alibi, per Bestiam, cui mulier insidet, Antichristus intelligitur. Sic enim loquitur sanctus Ioannes cap. 17. Et dixit mihi Angelus, quare miraris? ego dicam tibi sacramentum Mulieris & Bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem. Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitũ ibit. Sic autem Rex loquitur. *Octaua, quæ est Bestia, quæ erat, & non est, & itura est in perditionem, ipse est Antichristus.* Iam si Bestia, quæ mulierem portat, Antichristus est, quomodo ipsa mulier est Antichristus? quis ferat equitem cum equo confundi, vt eques supra se ipse sedere dicatur? Ignoscat igitur Rex nobis tardioribus, si malumus cum antiquis expositoribus, aliud per Bestiam, aliud per mulierem insidentem Bestiæ intelligere, quàm cum Nouatoribus Bestiam cũ Meretrice confundere. Atque hæc de Antichristo hoc loco sufficiant.

Ineptè aduersarij equitem cũ equo confundunt.

CAPVT XIII.

Diluuntur varia calumniæ.

EXPEDITA disputatione de Antichristo, Rex multa addit aduersus Catholicos, quæ breuiter refellẽda sunt pag. 109. *Et certè*, inquit Rex, *credo, non est illa mediocris animarum negotiatio, cum homines, vsque eò spe & promissione æternæ salutis fascinantur, vt facilè persuadeatur fraterculo, Regem Dominum suum confodere, imberbi adolescentulo in vitam proximi successoris perditè inuadere; multis in Serenissimæ Reginæ nuper defunctæ necem sæpius coniurare; Denique me Imperium obtinente nitrati pulueris impetu Regnum Regniq́ue ordines funditus euertere, atq; ita tam animi quam animæ iacturam facere.*

Hæc grauis omninò reprehensio est, & quantò est grauior, tantò grauioribus testimonijs confirmari debuisset. nam si ex particularibus hominum factis de doctrina iudicandum esset, non solum doctrina recentiorum Catholicorum, sed etiam veterum omnium Doctorum, siue in republica antiqua Iudæorum, siue in Ecclesia Christianorum hanc calumniam pati posset. Illud vnum in libris Ecclesiasticis inuenio; indulgentiam peccatorum à Summis Pontificibus in generalibus Concilijs concessam fuisse ijs, qui cruce suscepta in bellis Christianorum Principum aduersus infideles arma sumpsissent. Atque hanc Indulgentiam prædicatam lego, tùm ab alijs viris doctis & sanctis, tùm præcipuè à S. Bernardo, Domino cooperante, & sermonem cõfirmante sequentibus signis; vt ipse breuiter modesteque testatur in præfatione libri secundi de Consideratione: & fusius hoc ipsum scribitur in 3. libr. de vita eiusdem S. Bernardi cap. 4.

Atrocissima calumnia apertissimè refutatur.

At quod Sicarijs promissa sit spes æternæ vitæ, si Regum vitę insidientur, nusquam legi, numquam audiui. Sed contra potius legi in Concilio Constantiensi Sess. 15. publicè damnatum articulum illum, Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcunque vasallum suum, & subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque præstito iuramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato Iudicis cuiuscunque. Hunc articulum ita damnauit Concilium, vt hereticos censendos, & vt hæreticos puniendos esse decreuerit, qui eiusmodi articulum pertinaciter defendere voluerint.

Illos autem, quos in exemplum Rex adducit, fuisse persuasos ab aliquo Ecclesiastico Antistite sub promissione, & spe vitæ æternæ, vt facerent quod fecerunt, Rex non probat, neque ex confessione ipsorum, aut alijs indicijs constare potest. Sed si Regi placeat vera audire, vel legere, facilè inueniet doctrinã, quam obijcit Catholicis, propriam esse Nouatorum.

Certè Ioannis VVicleffi Angli, quem Protestantes in pretio habent, & eius laudes in capite libri posuerunt Foxius, & Crispinus historiæ noui Euangelij in Anglia scriptores; illi articuli sunt in Concilio Constantiensi damnati Sess. 8. Nullus est Dominus ciuilis, nullus est Prælatus, dum est in peccato mortali. Item populares possunt ad suum arbitrium Dominos peccantes corrigere.

Hæreticorum proprium est in proprios Dominos arma sumere.

Hi sunt articuli Patriarchæ, vel Prophetæ vestri VVicleffi, qui non ob tyrannidem solum, sed ob quodlibet adulterium vel sacrilegium, vel iniustam cædem, vel ob quodcunque aliud lethale crimen Dominos priuat dominijs suis: & quasi iniustos possessores tradit popularibus pro arbitrio corrigendos. Atque ex hac doctrina natus esse videtur error, de quo paulò antè diximus.

Quis autem Lutheri temporibus auctor fuit tot millibus rusticorum, vt aduersus Principes arma sumerent? nonne Ministri reformatæ vel deformatæ potius à Luthero religionis? Catholicos certè fuisse seditionis illius auctores, ne aduersarij quidem scribere ausi sunt. Qui verò Franciscum Regem Francorum Secundum, fratres, matrem, & coniugem sumptis armis interficere moliti sunt; nonne Fratres Euangelici fuerunt, auctore Beza, suasore Caluino? Id Surius narrat in historia anni salutis. M. D. LX. Qui denique sunt, qui tot turbas in Scotia aduersus hunc ipsum Regem excitarunt, quique eum in ordinem redigere, & Anarchiam introducere voluerunt, nonne illi ipsi, qui reformatam Caluini religionem, vt ipsi eam vocãt, in Scotiam introduxerunt? hoc Rex ipse in suo Basilico Doro apertè testatur. Desinat igitur notam illam Catholicis inurere, quam in Doctoribus suis inhærere negare non potest. Subiungit postea Rex pag. 116. nonnulla de excellentia Regię dignitatis supra Cardinalitiam, quę omnia sunt à nobis excussa in capite de comparatione Regis, & Cardinalis.

Pagina 120. Iterum reuertitur ad inuidiam conflandam Catholicis apud Reges ob exemptionem Clericorum: sed illud præcipuè reprehendit, quod scripserim sanctum Grego-

rium, Mauritio Imperatori coactum paruisse. *Non pudet*, inquit Rex, *hominem Christianam Sancti illius viri Gregorij humilitatem traducere, quasi id fuisset violentum, coactumque obsequium Gregorio, vel non satis valente, vel non auso repugnare. qua in re non iniuriam Gregorio tantum facit, sed omnino humilitatis, ac patientia splendorem illũ, qui in prima illa, & adhuc oriente Ecclesia, ac præsertim sub persecutionum sæuitia nituit, fœda, turpique labe maculat; si hæc ingens martyrij, & Christiana patientia gloria non dimissioni animi spontanea, sed necessitati adscribatur; quod aut viribus, aut animis defecti (instar Iudæorum, aut Turcicorum mancipiorum) fortioribus aduersarijs cederent: contra SS. Pauli Petrique præcepta, qui propter conscientiam subditos esse iubent; contra illam etiam Tertulliani pro Christianis Apologiam, & antiquorum Patrum apertam professionem, & vbique repetitam.*

Refellitur noua calũ[mn]ia, circa Sancti Gre[g]orij, & Beatorum Martyrum patientiã

Hæc ille, qui primum meminisse deberet, me quicquid scripsi, ex verbis sancti Gregorij scripsisse; citaui Epistolas, citaui Commentaria in Psalmos pœnitentiales, vbi Mauritium Imperatorem Gregorius Papa cum Nerone, & Diocletiano comparat: eumque grauissimè reprehendit, quòd Ecclesiam Romanam sibi subiugare, quodque iugum importabile toti Reipublicæ imponere voluisset. Oportuisset sanè Regem ad loca citata ex sancti Gregorij libris aliquid respondere, & si me falsò aliquid citasse conuincere potuisset, tum demum iure me impudentiæ notasset.

Miratus autem valde sum, quorsum exempla Martyrum, & testimonia SS. Petri & Pauli allata pertineant. quasi non possit humilitas, & patientia seruari, & simul violentia, & crudelitas persecutorum reprehendi. In 2. lib. Machabæor. cap. 7. Martyres sanctissimi, & patientissimi, quorum patientiam, prædicat sanctus Cyprianus libro quarto, epist. 6. & sanctus Gregorius Nazianzenus integra oratione, sanctus Augustinus, & alij passim, Antiocho Regi dicunt, Tu quidem scelestissimè in præsenti vita nos perdis, sed Rex Mundi nos pro suis legibus defunctos, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Christus ipse humilitatis, & patientiæ verum exemplar, non timuit patientiam amittere, si seruo cædenti se diceret, Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: sin autem benè, cur me cædis? Ioan. 18. Sanctus Stephanus primus Martyr à vestigijs Domini non recessit, cum persecutoribus suis dixit, Dura ceruice, & incircuncisi cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Actor. 7. Neque Apostolus Paulus oblitus est patientiæ, & humilitatis, cum Pontifici iubenti percuti os eius dixit. Percutiet te Deus, paries dealbate Act. 23. Similia legimus in histor ijs Sanctorum Martyrum, & ipsarum etiam Sanctarum Virginum Agathæ, Agnetis, & aliarum.

Deinde, cur quæso maculatur humilitas, & patientia Martyrum, si dicamus, eos coactos subiisse flagella, vulnera, ignes, rotas? Satis enim humilis, & patiens est, qui coactus fidem negare, aut crudelem mortem subire, mauult subire mortem quantumuis crudelem, & naturæ repugnantem, quam negare fidem: quamuis magis vellet, neminem esse qui tam duram ei necessitatẽ imponeret. nam (vt loquitur sanctus Paulus 2. Corinth. 5.) Nolumus exspoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Et sancto Petro prædicitur à Christo Martyrium, per ea verba Ioan. 21. Cùm senueris extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo tu non vis. Et sanctus Augustinus libro 10. Confess. cap. 28. Quis, inquit, velit molestias, & difficultates pati? tolerare iubes eas, non amare. Nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amat. quamuis enim gaudeat se tolerare, mauult tamen non esse quod toleret.

Sed maximè admirandum est, quòd Rex cùm loquitur de patientia Martyrum, adducat præcepta SS. Apostolorum, Petri & Pauli iubentium propter conscientiam subditos esse Principibus. Quasi Martyres Sancti contra præcepta Apostolorum facerent, quando contemnentes iussa Principum malebant mori, quam eorum legibus, edictisque parere, quibus Christum abnegare, & Dæmonibus immolare iubebantur. Legibus enim Principum, quæ contra legem Dei non pugnant, nemo nostrum dicit, parendum non esse à subditis. Sed de eiusmodi legibus non agitur, cum de Martyrio agitur.

Pag. 121. exagitat Rex locum quendam ex Recognitione librorum meorum, quam nuper edidi. Et quamuis sciam Regem, non tam esse curiosum in alienis rebus, vt libellos vix dum editos ad se deferri curet: & satis intelligam, quis in eiusmodi rebus Regi laboret: respõdebo tamen, & obiecta crimina breui responsione purgabo. *Nupero*, inquit, *tractatu, cui titulum fecit, Recognitio librorum de controuersijs: vniuscuiusque nostrorũ populos, ac subditos nostris fascibus superiores esse voluit.* Et paulò infra: *Inter cætera, eximere Clericos ab omni temporalium Principum potestate: & non modo Pontificis, sed & ipsius populi supra nos imperiũ stabilire penè præcipua sunt egregia illius recognitionis argumenta.*

Ad hæc ego respondeo, exemptionem Clericorum à temporalium Principum potestate, docuisse me cum omnibus omninò scriptoribus Catholicis, tàm Theologis, quàm Iureconsultis. quæstio enim aliqua est de iure, quo Clerici sunt exempti, sed aliquo iure exemptos esse omnes docent. Cur ergo mihi vni tribuitur, quod est mihi cum omnibus commune? quod autem subditos Regum ipsis Regibus superiores fecerim, nõ poterit Rex ex libris meis probare. cum contra potius in lib. de Laicis, debere populos legibus Regum temporalium, non solum ex necessitate, sed etiam in conscientia obedire, eisque subesse, & subiacere longa disputatione docuerim.

Sed audiamus egregium argumentum Regis aduersus Clericorum exemptionem. *Et quidem*, inquit, *in illa eximendorum Clericorum quæstione, eo studio, eaque contentione depugnat, vt & Cæsarem neget legitimum Iudicem Pauli fuisse cõtra ipsa contextus verba, & prouocationẽ Pauli, qua Cæsarẽ suũ esse Iudicem fatebatur.* Omninò nego Cæsarem legitimũ Iudicem Pauli fuisse. nam cum ea quæstio quæ tunc agebatur inter Apostolum, & Iudæos, qui eum tradide-

Etiam in controuersia de Religione Paganũ Imp[eratorem]

rant

utorem aduersarii iudicem faciunt.

rant in manus Romanorum, esset quæstio de Religione; certè non poterat Iudex legitimus esse Princeps infidelis, & laicus. Causam autem illam fuisse Religionis perspicuum est ex cap. 22. Actor. vbi Paulo dicente, se missum esse à Christo, vt gentes doceret: Clamor populi ortus est, tolle de terra huiusmodi. non enim fas est eum viuere. & ex cap. 23. vbi Paulus ipse dicit, quoniam de spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor. & ex cap. vigesimoquarto, Vbi accusant eum Iudæi, tanquam auctorem Sectę Nazarenorum. & ex cap. 25. vbi Præses ipse Romanus dicit: Cùm stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum. quæstiones verò quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Itaque præcipua quæstio erat de resurrectione Christi. cuius quæstionis essetne Cæsar iudex legitimus, an non, Rex ipse iudicet.

Deinde ipsa verba contextus nusquam dicunt Cæsarem fuisse legitimum Iudicem Pauli. quod tamen Rex affirmat, & inde me reprehendit, quasi negauerim aliquid contra ipsa contextus verba, nisi fortè codices Anglicani à Latinis, Græcisque dissentiant. Id solum nos legimus, Ad tribunal Cęsaris sto, vbi me oportet iudicari. & paulò post, Cæsarem appello. Actor. 25. Et rursum, Coactus sum appellare Cæsarem. Act. 28. Hic nusquam lego, Cæsarem fuisse Iudicem legitimum Pauli, sed solum ob importunitatem Iudæorum, coactum fuisse Paulum appellare Cæsarem, non vt iudicaret causam religionis, sed vt eriperet eum de manibus Iudæorum, à quibus non facilè eripi poterat per Præsidem Iudææ. Iam enim expertus fuerat Paulus debilitatem, ne dicam improbitatem Felicis Præsidis, qui planè agnouerat innocentiam ipsius, & tamen in gratiam Iudæorum reliquit eum vinctum, cùm magistratu abiret, vt legimus Act. 24.

Pergit Rex pag. 123. *Vbi verò*, inquit, *fasces Regios populo submitti debere disputat, hoc seditionum fundamento vtitur, vt probet non Regibus auctoritatē à Deo immediatè, perinde ac Pontificibus, esse concessā. Nam Rex quilibet, inquit, à populo suo eligitur: imò & populus nunquam ita suam potestatem in Regem trāsfert, quin illam sibi in habitu retineat, vt in certis casibus etiam actu recipere possit.*

Non bona fide referūtur verba Bellarmini.

Hæc ille, qui si dignatus fuisset verba mea, vt in libro meo posita sunt, recitare; respondendi labore opus non esset. Aio igitur me nusquam disputasse, fasces Regios populo submitti debere. Libellus quem Rex ad marginem notat exiguus est, & locus quem ex eo libro citat breuissimus. Recognitio videlicet in librum tertium, qui est de laicis. cōsulat lector locum notatum, nihil eiusmodi reperiet.

Aio præterea, non esse in meo libro illa verba, quæ Rex citat vt mea; Rex quilibet à populo suo eligitur. Hæc enim propositio nec mea est, neque vllius alterius, quod sciam, & apertissimè falsa est; cùm tam multa sint in Orbe terrarum Regna successiua, in quibus successio non electio locum habet: nonnulla etiam electiua, sed per electores designatos, non per populum.

A Denique neque illa sententia est propriè mea. Quòd populus nunquam ita transferat potestatem suam in Regem, quin illam sibi in habitu retineat. Ego enim sic dixi. Itaque Nauarrus loco notato in cap. Nouit. de Iudic. notab. 2. non dubitat affirmare, nunquam populum ita potestatem suam in Regem transferre, quin illam sibi in habitu retineat, vt in certis casibus etiam actu recipere possit. Hæc verba auctoris notissimi sunt, & per omnes Christianas prouincias, à plurimis lecta, & considerata longo tempore: & tamen nemo vnquam scripsit, Nauarrum iecisse fundamenta seditionis. Cur igitur nunc tandem mihi soli verba Nauarri referenti calumnia struitur.

B Quod autem & Nauarrus, & nos dicimus; populi potestatem in Regem esse translatam, habetur apud Iustinianum Imperatorem Institut. de iure natur. gent. ciuili, §. sed & quod Principi placuit. Sed intelligitur de primordijs Regnorum, non de quacunque Regni adoptione. Initio enim liberum fuit populis, vel Magistratum cum determinata potestate & ad certum tempus sibi creare, vt Respublicæ liberæ faciunt; vel Regem cum absoluta potestate, & perpetuum eligere, atq; in eo totam suam potestatem transferre; vt in Regnis successiuis factum esse videmus: sed posteaquam Magistratus siue temporalis, siue perpetuus creatus est: non habet Imperium populus in Magistratum, sed Magistratus, ac Regius potissimum in populum: neq; licet sine grauissimo crimine à legitimo Principe suo deficere, aut seditionem, rebellionemve agitare.

C Pergit deinde pag. 124. & quod in eadem Recognitione dixi, Saulem, Dauidem, & Hieroboam, quamuis à Propheta inunctos in Reges, tamen non sine populi assensu regnare cæpisse; conatur refellere ex eo quòd Saul forte electus fuit in Regem, vt sanctus Matthias forte electus est in Apostolum. quemadmodum enim sanctus Matthias immediatè à Deo, sine Apostolorum consensu, electus creditur, quia cecidit fors supra Matthiam; sic etiam Saul immediatè à Deo, sine populi assensu, fuisse credendus est, electus in Regem.

Respondeo & sanctum Matthiam, & Saulem, quamuis forte electi sint, non tamen immediatè à Deo, sed per consensum hominum electos esse. Quod enim attinet ad sanctum

D Matthiam, historia perspicua est Act. 1. Sanctus enim Petrus conuocato cœtu fratrum, qui erant ad centum viginti, docuit ex prophetia necesse esse eligi vnum in locum Iudæ. tum communi consensu electi sunt duo, qui videbantur omnium optimi: sed quoniam non constabat ex duobus vter esset præferendus, confugerunt ad orationem, & ad consilium sortium, quo in rebus dubijs vti solebant Iudæi, vt intelligerent voluntatem Dei. Illa enim optima est electio, qua homines eligunt eum, quem à Deo præelectum sibi persuadent. Itaque dederunt sortes eis, orantes Deum, vt sortes dirigeret, & ostenderet eo signo, quem ipse præelegisset. vbi autem cecidit sors super Matthiam, ipsi quoque eum elegerunt. quod enim nos legimus annumeratus est

Sanctus Matthias non solo forte, sed etiam suffragio Apostolorum electus fuit.

cum vndecim Apostolis, in Græco textu est συγκατεψηφίσθη, id est, suffragijs electus est, vt etiam interpres Chrysostomi vertit. Itaque Deus elegit sanctũ Matthiam,& Apostoli eundem elegerũt. Elegerunt autem Apostoli partim iudicio, & consilio proprio, partim sortium auxilio.

Saul Rex & sorte,& suffragijs electus fuit.

Quod autem ad Saulem attinet, res est adhuc clarior. sorte enim electus est Saul, vt haberet populus signum diuinæ voluntatis, & sciret quem tutò eligere, & in quem potestatem suam transferre securè posset. Et quidem cadente sorte super Saulem, multi de populo clamauerunt, viuat Rex; multi etiam recusarunt consentire in eam electionem: sed paulò post, cum Saul facto quodam egregio virtutem suam probasset, vnanimi consensu electus fuit, vt habetur 1. Reg. 11. Perrexit, inquit scriptura, omnis populus, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino in Galgala. Vt autem intelligatur, iudicium sortium fuisse apud Hebræos iudicium potius, siue præiudicium, quam absolutum iudicium: consulenda sunt Scripturæ diuinæ Iosue 7. 1. Reg. 14. & Ionæ 1. In his enim tribus locis inuestigatur per sortes, quis ex multis reus esset commissi delicti. Sed ille in quem sors cecidit, non prius punitur, quam ipse delictum ore proprio confiteatur. Quod postea Rex addit de electione Summi Pontificis, non coniectu sortium in vrnam, sed prægrandi pecunia in Cardinalium fauces, ad calumnias pertinet. Nos certè electioni Pontificum bis interfuimus, nec tamen de prægrandi ista pecunia quidquam audiuimus. sed solemne est aduersarijs id, in quo vnus aliquando fortè peccauit, ad omnes Catholicos transferre. sic enim feliciter ipsorum Euangelium propagatur.

Apud Hebraos iudicio sortiũ inuestigabantur occulta crimina.

Quod verò pag. 125. & 126. dicit, mirari se quod lapsus memoria, in eodem paruo opusculo mecum ipse pugnem, quod Saulem, & Dauidem à Propheta inunctos dixerim, eguisse populi consensu, vt Regnum adipiscerentur: & tamen in eodem opusculo scripserim, Cypriani ætate potestatem eligendi Episcopos non fuisse apud populum: Ego admirationem eius miror; hæc enim inter se contraria non sunt, Rex eligebatur à populo tempore Samuelis, &, Episcopus non eligebatur à populo tempore Cypriani. quæ enim, rogo, hic contrarietas, quę repugnantia est, vbi personæ, & tempora diuersissima sunt? quod si illa contraria sunt, etiam ista erunt contraria, & secum ipse pugnabit, qui dixerit, Rex Poloniæ eligitur à populo, Imperator non eligitur à populo, sed à Principibus; Rex Francorum neque à populo, neque à Principibus eligitur, sed hæreditaria successione Regnum acquirit.

Quæ fuerit electionis forma, tẽpore sancti Cypriani.

Quæ fuerit Cypriani tempore ratio electionis Episcoporum, ipse his verbis testatur lib. 1. epistol. 4. Apud nos, & ferè per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit, & vniuscuiusq; actum de eius conuersatione perspexit. & paulò antè: Vt plebe præsente, inquit, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur. Hæc ille, ex quo intelligimus ad plebem pertinuisse Episcoporum electionem per testimonium vitæ, & morum; ad Episcopos autem prouinciæ eiusdem per iudicium, & autoritatem.

At, inquit Rex, cùm agitur de Rege, Bellarminus vult per consensum populi eligendi potestatem designari: cùm agitur de Episcopo, eodem illo consensu non ius eligendi, sed electionem ab alijs factam confirmandi intelligit. Respondeo, nullam hic quoq; esse repugnantiam; nam consensum populi fuisse necessarium ad Regis electionem, demonstrant verba Scripturæ, quæ dicunt, Fecerunt ibi Regem Saul coram Domino: consensum populi adhibitum fuisse ad testimonium ferendum de vita, & moribus eligendorum, vel electorũ ab Episcopis demonstrant verba S. Cypriani paulò antè citata.

Pergit Rex, & à pag. 127. ad 133. multa dicit de coniuratione pulueraria aduersus Garnettum, & Ouldcornium Iesuitas. de qua re, quoniam maxima ex parte in facto consistit, & extat publicè edita actio in Garnettum, plena mendacijs; & breui extabit responsio, quæ iam tota conscripta est, atque à me quoque diligenter perlecta; ad illam lectorem remitto. Id solùm paucis refellam, quod in historia ista percensenda, aduersus Bellarminum propriè dicitur.

Scripserat Bellarminus, Henricum Garnettum Iesuitam, proditionem illam pulueraria nouisse quidem, sed in Confessione sacramentali, quam detegere nulla ratione poterat. Rex contra demonstrare nititur, & Garnettum eius proditionis extra Confessionem sacramentalem cõscium fuisse: & proditiones eiusmodi in sacramentali confessione auditas, posse ac debere detegi, modò persona confitentis non detegatur. Ad hæc duo ita respondeo. Quod Garnettus, non solum in iudicio, sed etiam in ipso Theatro iam iam moriturus apertè pronunciauerit, se proditionis illius cõscium non fuisse, nisi in Confessione sacramentali; testes multi sunt, sed vnus præcipuè vir grauis, non Sacerdos, non Iesuita, non seminarij Alumnus, qui in ipso Theatro propè ipsum Garnettum cum esset, ex ore eiusdem Garnetti id se accepisse mihi sanctè affirmauit: quod ego facilè credidi, qui multorum annorum Garnetti consuetudine vsus, optimè noui summam illius viri probitatem, & innocentiam, cum summa ingenij, & omnis generis eruditione coniunctam.

Henricus Garnettus in sacramentali tantũ confessione proditionẽ puluerarià nouit.

Sigillum verò Confessionis sacramentalis posse detegi ad ingens detrimentum auertendum, modò persona confitentis reticeatur; non ignoro. Sed quæro à Rege, si Garnettus retulisset, scire se Regi à proditoribus mortem imminere: an passus fuisset ob religionẽ sacramenti confessionis, personam proditoris silentio præteriri? certè qui confessionis sacramentũ nullum esse credit, quiq; eiusmodi sigillum, vt Reipublicæ maximè perniciosum auersatur, mox Garnettũ rapi in vincula, & exquisitissimis tormẽtis examinari iussisset, neq; destitisset donec in cognitionẽ Proditoris,

An liceat sigillum confessionis sacramentalis detegere in aliquo casu.

ditoris,

ditoris, & omnium eius conſciorum deueniſſet: licet igitur proditionem in ſacramentali confeſsione cognitam verbis generalib. Chriſtiano, & pio Principi aperire, vt remedium imminenti malo paret, quia pro comperto habetur, eum Principem nihil vltra fas interrogaturum: ſed Principi à vera Religione alieno, qui ſigillum confeſsionis diuinitus imperatum irridet, & quem ſatis conſtat non paſſurum, vt perſona confitentis lateat, nullo modo licet.

Denique Rex pag. 134. 135. & 136. opinionem crudelis ſæuitiæ in Catholicos à ſe remouere conatur. *Ac primum,* inquit, *id conſtanter aſſeuero, hic neminem ſiue meis, ſiue defunctæ Reginæ temporibus, conſcientiæ, ac Religionis cauſa vltimo ſupplicio affectum. Nam quantumuis Religioni ſuæ deditus ſit, quantumuis eam apertè, & conſtanter profiteatur, nullum ei à legibus impendet capitis periculum, niſi comperto contra leges, externo aliquo actu deliquiſſe: aut coniurationem conſiliumve ſummæ rei pernitioſum iniiſſe: exceptis tantummodo ſacrificulis, cæteriſque Pontificiarum partium, qui in tranſmarinis regionibus initiantur.*

An verum ſit neminẽ in Anglia extremo ſupplicio affectum eſſe propter Religionem.

Ad hæc facilis eſt reſponſio: nam tametſi verum eſſet, neminem in Anglia religionis cauſa extremo ſupplicio affici, niſi contra leges externo aliquo actu deliquerit: tamen quia leges prohibent recipere Sacerdotes Catholicos in domum, prohibent reconciliari cum Eccleſia Catholica, prohibent intereſſe ſacrificio Miſſæ, iubent præſtari iuramentum de Primatu Regis in ſpiritualibus, vel certè iubent ſuſcipi iuramentum de non curanda excommunicatione Summi Pontificis, & alia id genus multa, quæ ad Religionem pertinent: idcirco qui vltimo ſupplicio afficiuntur propter tranſgreſsionem eiuſmodi legum, meritò dici poſſunt vltimo ſupplicio affici propter religionem.

Deinde qui plectuntur, quia ſacris ordinibus in tranſmarinis regionibus initiati ſunt, cùm in patria eiuſmodi ſacri ordines non conferantur; nonne propter religionem plectuntur? nonne ſacri ordines ad Religionem pertinent? Hinc videlicet tam multi numerantur Martyres in libro de perſecutione Anglicana, & in altero de ſchiſmate Anglicano Nicolai Sanderi, & in alijs Catholicorum libris. Parum enim refert ad Martyrium, vtrum quis occidatur, quia Chriſtianus Catholicus eſt, an quia legem tranſgreſſus eſt, quæ iubet fidem Catholicam abiurare. Nam Imperatores Pagani edicta proponebant, ne cui liceret Chriſtum Deum confiteri, vel vt ſuſpecti de Chriſtianiſmo iuberentur Dijs publicè ſacrificare. deinde tanquam inobedientes legibus Imperatorum ſupplicio afficiebant. Et quemadmodum Rex in hoc eodem loco dicit, ſacrificulos ſub pœna perduellionis à finibus Angliæ arceri, quia coniurationibus, & proditionibus vel conceptis, vel laudatis infames ſunt: Sic etiam Pagani Principes quicquid ſceleris publicè agebatur, Chriſtianis imputabant; vt etiam ob incendium, cuius auctor Nero ipſe fuerat, teſte Suetonio, & quo magna pars vrbis conflagrauit, Nero Imperator Chriſtianos plurimos, tamquam auctores exquiſitiſſimis ſupplicijs interemit, vt libro annalium 15. Tacitus prodidit. Certè puluerariæ coniurationis odium in Ieſuitas conuerſum eſt, cùm neque Ieſuitæ, neque vllus ex numero Sacerdotum particeps eius coniurationis fuerit.

Sic imputantur hodie proditiones in Anglia ſacerdotibus: vt imputabantur olim publica ſcelera Chriſtianis in terris Paganorũ.

A

Atque hæc dicta ſint, ſi verum eſſet, quod Rex hoc loco tam conſtanter affirmat. Sed id manifeſtè falſum eſſe, conſtat tum ex libro 3. de ſchiſmate Anglicano; tum ex libro Andreæ Philopatri ſectione 4. pagina 266. & ſequentibus, vbi ex ipſis hiſtorijs hæreticorum Anglicanorum apertè demonſtratur, plurimos tum clericos, tum laicos, ſolius Religionis Catholicæ cauſa necatos fuiſſe, vt mirum ſit Regem ea ſcribere voluiſſe, quæ ex ipſis ſubditorum ſuorum aut verbis, aut ſcriptis refutantur.

B

Quia verò Rex pagin. 136. Reginæ Mariæ, Catholicæ ac piæ Principis tempore ſæuitiæ nota infamat dicens, *Tunc nulla ſuppliciorum atrocitas in viros, in fœminas, in infantes noſtram Religionem profitentes, eſt omiſſa: imò contra Dei, naturæq; leges, grauidis mulieribus mors immaniſſimè illata, infanſq; è materna aluo exiliens in eaſdem cum matre flammas iniectus.* Sciendum eſt, hanc omnem tragœdiã excitari propter vnius meretriculæ obſtinationem, quæ grauida cùm eſſet, grauidam eſſe ſe numquam fateri voluit. Igitur igni tradita, more pertinacium hæreticorum, eſt: ac vt non ſolùm hæreſis, ſed & mendacium etiam pateſieret, ex eius aluo prodijt non infans, ſed informis ac ſine anima caro. quam in ignem fuiſſe coniectam mirandum non eſt, quemadmodum verè mirandum, & execrandum eſſet, ſi viuus infans prodijſſet.

Defenditur Regina Maria, à nota barbaræ crudelitatis.

C

Sed hæc immanitas tantùm aberat à moribus illorum, qui regnante Maria iudicijs præerant, quantùm abſunt, qui iſta confingunt, à ſtudio veritatis. Hanc hiſtoriam, ſi tamen hiſtoria eſt, fama accepi, non in libro aliquo legi. Sed ſcio etiam à viris grauibus pro fabula haberi, conficta videlicet à Foxio eiuſmodi rerum artifice peritiſsimo. Conſulat lector Hardingum aduerſus Iuellum, vel auctorem triplicis conuerſionis Angliæ aduerſus Foxium.

CAPVT XIV.

Excutitur peroratio Regis.

D

IN extrema peroratione ſua Rex, primùm admonet in communi Principes omnes, tamquam Vicarios Dei, vt ſeriò cogitent de Euangelij plantatione, & propagatione; & ſceptrorum ſuorum ſecuritati maturè prouideant, cùm Dei benignitas ſpiritualem libertatem cum temporali voluerit eſſe coniunctam. Deinde hortatur Principes alienos ab Eccleſia Romana, vt veræ fidei vnitatem conſeruent, & communionem ſpiritus in vinculo pacis; ne factis inter ipſos ſchiſmatibus, ſcandalum fidei oriatur, & fiant parabola opprobrij aduerſarijs, quibus vnitas vna è præcipuis eſt veræ Eccleſiæ nota. Addit autem, mediam propè partem Orbis Chriſtiani in ſuam Religionem conſentire. Denique Principes Catholicos, quorum mentes dicit

Summa totius perorationis tribus capitibus comprehenſa.

nondum veritatis fulgore esse illustratas, excitat vt oculos aperiant, atque inprimis vt Scripturas perlegere velint, atque ex illis credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus; sed super propria, & certa Scientia, fidei fundamenta collocare.

Euangelij plantatio & Ecclesiæ gubernatio, Apostolis, non Regibus à Christo commissa.

Et quidem quod attinet ad primam partem admonitionis, videtur ea mihi sacris Euangelijs prorsus esse contraria. Christus enim in Euangelio, nusquam Principes seculi Vicarios suos facit; nusquam illis mandat Euangelij plantationem, vel propagationem, nusquam libertatem spiritualem cum temporali coniungit, vt videlicet Principes liberi in temporalibus, liberi sint etiam in spiritualibus. Sed Apostolis, qui Reges, & Principes temporales non erant, dixit: Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit Regnum cælorum Matthæi 10. ijsdem dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Matth. vlt. ijsdem dixit: Prædicate Euangelium omni creaturæ. Marc. vltim. ijsdem dixit: Sicut misit me Pater & ego mitto vos: Et quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Ioan. 20. Petro verò Apostolorum primo, nō Tiberio Principum temporalium primo, ouile suum commisit dicens: Pasce oues meas. Ioan. 21. Qui sint autem Apostolorum successores Apostolus Paulus docet Act. 20. vbi dicit, Episcopos positos esse à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo: Apostoli verò Petri successores, Romanos esse Pontifices, docent antiquissimi Patres, qui eos enumerant, Irenæus lib. 3. cap. 3. Eusebius in historia, & in Chronico, Epiphanius hæresi 27. Optatus li. 2. contra Parmenianum, sanctus Augustinus in epist. ad Generosum, quæ est 165. Denique Hieronymus, & Prosper in continuatione Chronici Eusebij.

Reges in Ecclesia esse debent, non super Ecclesiam; quippe oues non Pastores.

Videat ergo Rex, dum Principes temporales liberos facere nititur ab obedientia Pastorum Ecclesiæ, & super ipsam Ecclesiam constituere; ne captiuos Diaboli faciat, & ab Ecclesia excludat. Quicunque enim in Ecclesia Christi sunt, aut Pastores, aut oues sunt: oues autem Pastoribus subditas esse debere, non Scriptura solùm, sed & ratio ipsa demonstrat. Principes temporales, non esse in Ecclesia Pastores à Christo institutos, paulò ante monstrauimus, neque ipsi negare possunt, nisi non contenti solio, & sceptro, & corona; cathedras quoque Episcoporum, & baculos Pastorales, & mitras Pontificum velint inuadere. Restat igitur vt oues sint, ac per hoc obedientes Præpositis esse debeant, & subiacere eis, qui peruigilant, tamquam rationem pro animabus illorum reddituri, vt Apostolus monet ad Hebr. 13.

Iam verò in altera parte admonitionis gloriatur Rex, mediam propè partē Orbis Christiani in suam religionem consentire. quod quidem verum est, si per religionem suam intelligat omnes sectas quotquot sunt à Catholica fide discordes. Plurimi enim sunt ad Orientem, & Meridiem Nestoriani, Dioscoriani, Iacobitæ, & similes, cum quibus magna ex parte Abyssini conueniunt: plurimi quoque sunt ad Occidentem, & Septentrionem Hussitæ, Lutherani, Zuingliani, Anabaptistæ, Confessionistæ, Caluiniani, Ariani quoque & Samosateni. Si hos omnes pro suis Rex agnoscit, rectè gloriatur, sectam suam ita propagatam, vt mediam propè partem Christiani orbis obtineat. Si verò pro suis non agnoscit, nisi Caluinianos mistos, Puritanis videlicet exclusis, nescio an mediam partem Regni sui numerare poterit in ijs, qui religioni suæ consentiunt.

Non media pars orbis Christiani, sed vix media pars Angliæ in Religionem Regis consentit.

Quòd autem Rex cupit, omnes qui à Luthero descendunt, in vnitatem fidei conuenire; cùm principales veræ Ecclesiæ nota sit vnitas; inani desiderio tenetur, frustra laborat, impossibilia concupiscit. Quomodo enim fieri potest, vt lites finiant, qui Iudicem nullum admittunt, nisi Scripturas, quas vnusquisque pro arbitrio suo ad opiniones suas detorquet? certè si in litibus ciuilibus dirimendis nihil haberemus præter leges, Iudicibus, atque Arbitris omninò exclusis, quem finem litium sperare possemus? Et nonne iam per nonaginta circiter annos Lutherani experti sunt, in discordijs grauissimis de summa fidei se concordiam frustra tentasse? desinat ergo Rex vnitatem Spiritus apud eos quærere, qui Spiritu contradictionis pleni sunt: neque speret concordiam in fide apud eos vnquam futuram, qui circa fidem naufragauerunt, qui fidem diuinam in opiniones humanas commutauerūt, & qui denique (quod potissimum est) ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ, in petra firmissima stabilitæ atque fundatæ semel recesserunt.

Vnitas fidei inter hæreticos optari potest, obtineri non potest.

Venio ad tertiam partem admonitionis, in qua Rex Principes nostros Catholicos, nondum luce veritatis illustratos esse dicit, atque ideò monet, vt lumen aspiciant. Vnde primùm quæro, vnde nouum istud lumen Anglis affulserit? ab Aquilone respondebit. inde enim primus eorum Propheta Lutherus emersit. At nos Prophetam audimus dicentem: ab Aquilone pandetur omne malum, Hierem. 1. Et si omne malum, certè etiam tenebræ errorum, non lux veritatis.

Proprium est hæreticorum, cū in tenebris errorum degant, lucem veri a tis polliceri.

Deinde Christus in nouissimis temporibus pseudoprophetas surrecturos prædixit. Matthæi 24. non Prophetas nouos. Apostoli Petrus, & Iudas illusores venturos in vltimis diebus admonuerunt, non reformatores, 2. Petri 3. Iudæ v. 18. Idem Iudas Apostolus, sydera errantia prædixit exoritura ijs, qui veram lucem amiserunt. Denique Sanctus Paulus 2. ad Timotheum 3. In nouissimis, inquit, diebus instabunt tempora periculosa: erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi. & 1. Timoth. 4. dicit, futuros in ijsdem nouissimis temporibus, qui discedentes à fide intendant spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum. Ergo si Scripturas scrutari Rex voluerit, intelliget omninò, nouos istos fidei Architectos, non reformatores, sed illusores, non Prophetas, sed pseudoprophetas; non stellas lucidas, & matutinas, sed errantia sydera esse, quibus procella tenebrarum seruatur in æternum.

Atque

Atque vt Principes Orthodoxi planè perspiciant, quale lumen aspiciendum, Anglorum Rex ipsis ostendat, verba illa perpendant, quę Rex in extrema sua adhortatione posuit, cum ait. *Cum Paulo opto vos omnes fieri tales, hac vna in re, qualis ego sum: in primis vt velitis scripturas peruoluere, ex his credendi normam petere, neque super aliorum incertis opinionibus, sed vestra ipsorum certa scientia, fidei fundamenta collocare, quando iustus ex fide viuet, & vnusquisque sit fide propria saluus.* Vbi satis apertè docet, vnumquemque debere esse iudicem in rebus fidei, suoque iudicio potius, quàm Ecclesiæ, vel Conciliorum, aut Summi Pontificis acquiescere.

Hic omnibus hæresibus ianua aperitur.

Quæ doctrina non est ipsius Regis propria, sed illis communis, qui nunc in Anglia rem Theologicam tractant. Sic enim clarioribus verbis hoc idem tradit VVitacherus, vnus ex primarijs Anglorum scriptoribus, in libro, quem propriè contra me scripsit, controuersiæ primæ, quæstione quinta. Vnusquisque sibi Iudex esse debet, & suo iudicio, non planè priuato quidem, sed diuinitus inspirato stare. & paulò infra rationem reddens ait, Concilia, Patres, Papæ, homines sunt, & Scriptura testatur, omnem hominem mendacem esse. quomodo ergo illorum sententiæ acquiescam? hęc ille. Quod sanè dogma omnibus hæresib. aditum aperit, neque tam est hæresis, quàm hæresum omnium ianua. Verissimè enim Sanctus Cyprianus libro 1. epistol. 3. scripsit, hinc hæreses ortas esse, quòd vnus in Ecclesia Dei ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi non cogitatur. quomodo enim hæreses impediri possunt, ne nascantur; vel iam natæ resecari, ne propagentur; vbi tot sunt Magistri, quot discipuli; tot Iudices, quot litigatores?

Neque solùm ex hoc vno dogmate nascuntur hæreses multæ, sed perit omninò ipsa fidei certitudo: cùm nemo sibi polliceri posit, se verum spiritum Dei habere, aut veram scientiam adeptum esse, quàm ad fidem stabiliendam Rex requirit. Scriptura siquidem de Ecclesia ipsa testatur, quòd sit columna, & firmamentum veritatis 1. Timoth. 3. de spiritu, vel scientia propria nusquam testatur. Patres in Concilio legitimo congregati, verè, & tutò dicunt, Visum est spiritui Sancto, & nobis. Act. 15. Priuati homines nisi temerè hoc dicere non audebunt, quantumuis docti, & spirituales sibi esse videantur. Apostolorum Principi dictum est à Domino, Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22. Et quoniam priuilegium hoc Petro primo Summo Pastori propter Ecclesiam datum est, non temerè à fidelibus creditur ad successores quoque Petri pertinere: de priuatis hominibus nihil tale legitur.

Qui proprium spiritum Iudicem controuersiarum fidei facit, amittit fidei certitudinem.

Denique vtriusque testamenti tabulæ in rebus dubijs ad Sacerdotis summi iudicium nos remittunt: ad iudicium proprium neminem remittunt. Si difficile, atque ambiguum iudicium apud te esse perspexeris, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, Deuteron. 17. & Malach. 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ab ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Et Dominus in Euangelio Matth. 23. Super cathedram Mosis sederunt Scribæ, & Pharisæi: quęcumque dixerint vobis seruate, & facite. Et Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Et cur Dominus Petro pascendas oues commisit, nisi vt oues rationales pascua doctrinæ non à se ipsis, sed ab illo acciperent? Et cur posuit Deus in Ecclesia sua Pastores, & Doctores, iuxta Apostolum ad Ephes. 4. si vnusquisque sibi Pastor, & Doctor esse debeat?

At Concilia, Patres, Papæ, homines sunt, & secundum Scripturæ testimonium mendaces. Respondeo Apostolos quoque & Prophetas homines fuisse, & tamen eis tutò credi potuisse, quoniam non erat mendax spiritus, qui loquebatur in eis. Sic igitur Concilia legitimè congregata, Patres vnanimi consensu prædicantes, Papa in Cathedra Petri sedens, & docens, homines sunt, & ex naturæ humanæ fragilitate mendaces; sed non est mendax Spiritus sanctus, qui per eiusmodi homines Ecclesiam docet.

Soluitur obiectio aduersariorum.

Particulares verò homines, non tantum homines sunt, & per se, atque ex se mendaces; sed neque promissionem vllam habent, quòd eius Spiritus veritatis assistat: Et experimento didicimus hæreticos huius temporis, qui contraria, atque inter se pugnantia dogmata profitentur, omnes omninò Spiritus sancti illustrationem, & scientiam Scripturarum iactare: & illos ipsos magis de Spiritu, & scientia gloriari, qui longius à veritate absunt, quales sunt omnium ferè iudicio Anabaptistæ. Quare si super scientia propria, vel priuata spiritus illustratione fundaméta fidei collocanda sunt; non super petram, sed super arenam domus fidei nostræ fundata, non poterit effugere, quin flante vento tentationis, fiat ruina illius magna.

Sed si Regi Iacobo licuit, optare cum Paulo, vt omnes Catholici Reges, & Principes fierent, qualis ipse est; cur non maiore ratione licebit tot magnis Regibus, alijsque Principibus Orthodoxis optare, vt Rex Iacobus fiat quales ipsi sunt, & quales fuerunt omnes maiores eius, Aui, Proauiq; Scotiæ Reges à Donaldo primo, qui à Sancto Victore Papa, & Martyre Christiana sacra suscepit, vsque ad Mariam parentem eius, fœminam optimam, atque sanctissimam? Satis enim constat, Scotiæ Reges, singulari Dei benedictione per annos mille trecentos sibi inuicem succedentes, Catholicos fuisse, vno Iacobo sexto excepto, qui temporum iniuria, piorum parentum cura destitutus in educatores hæreticos incidit, atque ab illis institutis à via maiorum deflexit.

Optant igitur, quod de illorum summa pietate, & caritate fidenter præsumo, omnes Catholici Reges, & Principes cæteri, in primis Cæsar ipse Rudolphus, atq; à Deo precantur,

vt Iacobus

vt Iacobus Rex aliquando maiorum suorum vestigia requirat, atque ad ea rediens, iisque insistens ita viuat, & regnet in præsenti seculo, vt etiam in futuro vnà cum ipsis in æternum viuere, ac regnare mereatur.

CAPVT XV.

Responsio ad ea, quæ sub nomine Mendaciorum, ementitarum historiarum, & nouorum dogmatum, Rex scripsit aduersus librum Matthæi Torti, qui verè Cardinalis Bellarmini liber est, sed iustis de causis alieno nomine editus.

POST præfationem monitoriam Iacobus Rex exponit tabulam, in qua notat mendacia viginti, ementitas historias quinque, & noua dogmata item quinque, in libro Matthæi Torti à se reperta: vt inde de toto libro iudicium fiat. Eandem ipsam tabulam ego quoque hic adscribam, adiuncta breui responsione, ex qua manifestè appareat, nullum in eo libro esse mendacium, nullam historiam ementitam, nullum dogma nouum.

I. MENDACIVM pag. 9. edit. Politanæ.

Hic, in iuramento fidelitatis, apertè negatur Summo Pontifici potestas excommunicandi Reges hæreticos.

CONFVTATIO.

Quæstio de Pontificis potestate in Regibus excommunicandis nec tractatur, nec vllo modo definitur in iuramento fidelitatis; sed ex proposito declinatur. Inspiciantur verba iuramenti, & monitoria præfatio pag. 10. *&* 11.

RESPONSIO.

Auctor libri non scripsit, in iuramento fidelitatis tractari, aut propriè definiri quæstionem de potestate Pontificis in Regibus excommunicandis. satis enim intelligebat, in formula iuramenti non esse locum quæstionum Theologiæ disputandarum. Sed affirmauit in ea formula negari Pontifici Maximo potestatem excommunicandi Reges etiam hæreticos: quod verum esse, perspicuum est ex illis verbis iuramenti: Item iuro ex corde, non obstante aliqua declaratione; vel sententia excommunicationis, aut depriuationis facta, vel concessa, aut fienda, vel concedenda per Papam, vel successores eius, &c. fidelitatem, & veram obedientiam suæ Maiestati, hæredibus, & successoribus suis præstabo. hæc ibi. qui verò iurat se obediturum Regi hæretico, non obstante excommunicatione Papæ: non iurat simul, se non agnoscere in Papa potestatem excommunicandi Reges hæreticos? alioqui enim non iuramentum, sed sacrilegium esset, iurare se non obediturum sententiæ excommunicationis à Papa latæ in Regem hæreticum, si crederet esse in Papa veram potestatem excommunicandi Reges hæreticos.

II. MENDACIVM pag. 10.

Nam ex verbis illis Dominicis, Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis: Catholici omnes colligunt ad Pontificis Maximi auctoritatem pertinere, non solùm potestatem absoluendi à peccatis, sed etiam à pœnis, censuris, legibus, votis, atque à iuramentis.

CONFVTATIO.

Quod non omnes Romani Catholici ita colligant ex hisce Christi verbis Matth. 16. vt alia argumenta tacitus prætercam, vel inde apparet, quod ex plurimorum sententia quicquid Christus promisit Matth. 16. id actu præstitit Ioan. 20. cùm dixisset, Quorum remiseritis, & cat. vnde constat, Christum potestatem illam soluendi promissam sensisse de absolutione à peccatis, nulla hic mentione facta de absolutione aliqua à legibus, votis, iuramentis. Atque ita sentiunt Theophylactus, Anselmus, Hugo Cardinalis, & Ferus in Matth. 16. Sic etiam Scholasticorum primarij, Alexander Hales in summa pag. 4. q. 79. memb. 5. & 6. art. 3. Thomas in 4. d. 24. q. 3. artic. 2. Sotus in 4. d. 19. artic. 1. Hadrianus sextus Papa in 4. d. q. 2. de clauibus pag. 302. edit. Paris. ann. 1530. qui etiam pro hac interpretatione citat Augustinum, & glossam interlinearem.

RESPONSIO.

Ea de causa scripsi, ab omnibus Catholicis colligi ex illis verbis Dominicis, Quodcunque solueris, &c. ad Pontificem Petri successorem pertinere potestatem, non solùm remittendi peccata, sed etiam soluendi à pœnis, censuris, legibus, votis, iuramentis: quoniam nullus Catholicorum negat hæc omnia ad Summum Pontificem pertinere; neque rationem efficaciorem reddere possunt, quam amplissimum, & vniuersale priuilegium illud, Quodcunque solueris, &c. & quamuis verum sit, quod Theophylactus & alij dicunt, quod vni Petro promissum fuit Matt. 16. datum esse omnibus Ioan. 20. tamen non est verum quoad omnia. Siquidem Petro Matth. 16. promissa fuit potestas, non solùm remittendi peccata, sed etiam soluendi omnia vincula, quæ impedire possunt adoptionem Regni cœlorum: Apostolis autem Ioann. 20. data potestas est remittendi peccata, non quomodocunque, sed per sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, vt docent S. Chrysostomus, & Cyrillus in cap. 20. Ioann. & S. Hieronymus in epist. ad AEdibiam q. 9. quibus accedit S. Anselmus, qui in cap. 16. Matthæi scribit, per illa verba Ioan. 20. Quorum remiseritis, &c. dari potestatem remittendi peccata, non solùm Apostolis, sed etiam omnibus Episcopis, & Presbyteris. Constat autem Presbyteros non habere potestatem remittendi peccata, nisi per sacramenta, quæ vocatur potestas ordinis. Nec minus constat, habere Episcopos, & multò magis Summum Pontificem, potestatem iurisdictionis, dandi Indulgentias, dispensandi in legibus, votis, iuramentis, & similibus; sed Pontificem illam habere absque limitatione, & Principem, & caput Ecclesiæ vniuersæ, Episcopos autem cum limitatione, vt vocatos in partem sollicitudinis. Si quis autem quærat, vbi datum sit Petro, quod ei promissum fuerat Matth. 16. Respondeo datum fuisse Ioan. vltim. quemadmodum enim Dominus Matth. 16. nominatim expressit Simonem, & patrem eius, vt eum distingueret ab alijs, & promisit claues Regni cœlorum, & super eum Ecclesiã ædificaturum

caturum se dixit: ita postea Ioan. vlt. nominatim expressit Simonem, & patrem eius, & distinxit ab alijs, atque ei dixit, Pasce oues meas. Idem enim est esse fundamentum ædificij, & Pastorem ouilis, & caput corporis, & Principem Ciuitatis, cui in signum potestatis dantur claues eiusdem Ciuitatis, vt possit admittere, vel excludere. Sed ad singulos auctores respondeamus. Theophylactus in cap. 16. Matth. Solum dicit, quod promissum fuit Petro Matthæi 16. datum fuisse omnibus Apostolis Ioan. 20. quod est verum de potestate remittendi peccata per sacramenta: non autem verum est, de omni potestate soluendi, atque ligandi. neque Theophylactus hoc negare potest, cùm Sanctus Ioannes Chrysostomus (cuius Commentaria Theophylactus in compendium redegit) scribat in caput 16. Matthæi, Petrum factum esse à Christo caput totius Ecclesiæ, & totum orbem terrarum illi esse commissum, ad quod officium certè non sufficit potestas remittendi peccata per sacramenta. Anselmus in cap. 16. Matth. dicit quidem eandem potestatem remittendi peccata, datam esse Apostolis, imo etiam omnibus Episcopis, & Presbyteris Ioan. 20. quæ promissa fuit Petro Matth. 16. Sed addit, vnum Petrum factum esse Principem Apostolorum, vt intelligeremus in Ecclesia esse debere vnum principalem Christi Vicarium, ad quem diuersa Ecclesiæ membra recurrant. Hugo Cardinalis in caput 16. Matthæi secutus Anselmum loquitur de potestate remittendi peccata, & rectè dicit, eam promissam fuisse Matth. 16. & datam Ioan. 20. sed non negat, aliam quoque potestatem promissam, & datam Petro, quæ non est expressa Ioan. 20. Ioan. Ferus in cap. 16. Matth. non confert hunc locum cum cap. 20. Ioannis. Itaque frustrà citatur, neque tantus est auctor, vt eius testimonium mouere nos debeat. Alexander Halensis non dicit, quod fuit promissum Matth. 16. fuisse datum Ioan. 20. sed contra, dicit, claues datas fuisse Petro Matth. 16. etiamsi videantur verba esse de futuro: Respondeo, inquit, quod claues fuerunt datæ ibi, Tibi dabo claues. & licet, tibi dabo claues, exprimatur per modum promissionis euentus futuri: nihilominus ibi cum verbis sequentibus, quæ sunt, Quodcunque ligaueris. datæ fuerunt Petro præcipuè. & infra, alijs fuerunt datæ Ioan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Idem Alex. in eodem art. 3. paulò ante, sic loquitur: Voluit Deus quosdam in alios plures habere potestatem, & deinde in illos, alios pauciores; & sic semper quousque perueniretur ad vnum, scilicet Papam, qui sub Deo immediatè est. Sanctus Thomas in loco citato à Rege, ponit in argumento contrario, quæ Rex pro se citat, & postea soluit illud argumentum dicens, datam esse primo soli Petro potestatem ligandi, & soluendi: deinde datam esse alijs, vt ostenderetur, ab illo tanquam à capite descendere debere potestatem in alios. Idem quoque Sanctus Thomas in 4. distinction. 19. quæst. 1. articul. 3. ad primum, distinguit de potestate ordinis, & iurisdictionis, & priorem dicit esse datam omnibus æqualiter Ioan. 20. non solùm Apostolis, sed etiam omnibus Sacerdotibus, quod probat ex ritu Ecclesiæ, vbi in ordinatione Presbyterorum dicuntur hæc verba, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c. posteriorem potestatem dicit non esse æqualiter in omnibus, sed principaliter in Petro, vt habetur Matth. 16. Et per illum in alios descendere. Dignetur autem Rex consulere eundem Sanctum Doctorem in cap. 16. Matthæi, & inueniet, quod ego supra dixi, quod promissum fuit Petro Matth. 16. per illud, Tibi dabo claues; datum est reipsa eidem Petro Ioan. 21. per illud, Pasce oues meas. Inueniet quoque hæc verba, Papa qui est loco sancti Petri, habet plenariam potestatem, alij verò ab ipso. Sotus in loco à Rege citato, id est, distinct. 19. articul. 1. nihil de hac re dicit. Sed vitio scriptoris fortasse posita est distinctio 19. articul. 1. pro distinct. 20. quæst. 1. articul. 2. in hoc enim loco tractat Sotus de clauibus, & allegat duo testimonia Scripturæ Matth. 16. & Ioa. 20. & 21. sed non dicit, quod Rex vellet, quod promissum fuit Matth. 16. id totum datum fuisse Ioan. 20. sed dicit cum Cardinali de Turrecremata, potestatem Ordinis collatam Apostolis Ioa. 20. promissam autem Petro plenissimam potestatem Ordinis & Iurisdictionis Matth. 16. & re ipsa collatam, eidem Petro Ioannis 21. Restat Hadrianus VI. in 4. sentent. quæst. 2. de clauibus Ecclesiæ, vbi dicit, duas esse claues, alteram scientiæ, alteram potestatis, & hoc probat ex Augustino, & glossa interlineari. Sed an ex hoc dicto Hadriani, vel ex alijs citatis auctoribus conuincatur Tortus mendacij, lectorum erit iudicium.

III. Mendacium pag. 18.

Odi parricidia, execror conspirationes; sed occasiones desperandi datas nemo inficiari potest.

Confutatio.

Quod occasio desperandi puluerarijs proditoribus non erat data, vt iste mentitur: sed quòd à Iesuitis edocti irruebant in hoc sanguinarium facinus, Vide Monitor. Præf. pag. 132. & 133. & Actionem in proditores.

Responsio.

Verissimè datam fuisse occasionem desperandi Proditoribus, testantur grauissima edicta in recusantes adire Ecclesias hæreticorum, quæ tantò grauiora sunt, quantò magis sperauerant Catholici sub nouo Principe mitigandam fore acerbitatem persecutionis Elisabethæ Reginæ. Quòd autem à Iesuitis edocti non fuerint Proditores solis luce clarius est. Ipsi enim Proditores sub ipsum mortis articulum publicè professi sunt, nullum se habuisse, vel auctorem, vel socium in eo facinore ex Iesuitis, vel alijs Catholicis Sacerdotibus. Id mihi retulit vir nobilis, & fide dignissimus, qui supplicio Proditorum interfuit, & auribus ipse suis audiuit protestationem vnius ex præcipuis Proditoribus. Ipse quoque Garnettus publicè, & in iudicio coram multis nobilibus, & ad patibulum coram populo protestatus est, eam proditionem sibi non fuisse notam, nisi in

confessio-

confessione sacramentali; notam à se damnatam, & totis viribus impeditam. Actionem in Proditores, quam Rex citat, plenam esse mendacijs maximis, & clarissimis perspicuum est ex responsione iam edita, vel breui proditura, quam ego antequam ederetur, vidi, & miratus fuissem inueniri homines, qui mentiri auderent de rebus notissimis: nisi legissem apud Eusebium lib. 9. hist. Eccles. cap. 5. ex versione Ruffini, à persecutoribus Christianorum conficta fuisse acta apud Pilatum de passione Christi, & per omnes prouincias disseminata plena blasphemijs, & mendacijs. Quid enim mirum est, si de seruulis Christi acta scribantur eiusmodi, si de ipso Domino scripta fuisse dubitari non potest?

IV. Mendacium pag. 26.

Nam ab eo iuramento non solùm Catholici, sed etiam Caluinistæ Puritani abhorrent.

Confutatio.

Puritani non abhorrent à iuramento Primatus, sed quotidie suscipiunt, nec vnquam recusarunt. Eundem etiam primatum tuetur Caluinus, Instit. lib. 4. cap. 20.

Responsio.

Puritanos Caluinistas abhorrere à iuramento Primatus, ex Præfatione monitoria, & ex Basilico Doro eiusdem Regis didicimus. nam in vtroque libro Rex Puritanis tribuit Anarchiam. Anarchia enim, & Monarchia, siue Primatus contraria sunt. Non tamen negauerim, à Puritanis admitti iuramentum Primatus, sed temporalis, qui ad Ecclesiam protegendam, non ad spiritualia eius negotia administranda pertineat. Sic enim explicatur Primatus Regis in Confessione Scotica edita anno 1581. Et quoniam, inquiunt, percipimus Ecclesiæ, & religionis nostræ tranquillitatem, & stabilitatem, ex salute, & bono regimine Regiæ Maiestatis, tanquam instrumento consolatorio diuinæ misericordiæ, huic Regno pro Ecclesiæ conseruatione, & iustitiæ administratione inter nos, concesso pendere: spondemus, & promittimus corde, sub eisdem iuramento, subscriptione, & pœnis, defensuros eius personam, auctoritatem, & dignitatem bonis, corporibus, & vitis, in tutelam Euangelij Christi, libertatis Patriæ, &c. Atque hic est Primatus, quem Caluinus agnoscit lib. 4. Instit. capit. 20. qui Primatum in spiritualibus verum, & proprium, neque Regi, neque Pontifici vnquam permisit. Ac vt Regi domesticum testem adducam, extat liber Richardi Brancolti, qui se Cantuariensem Archiepiscopum vocat, cui titulus est, Prætensa Puritanorum disciplina, in quo libro cap. 22. hæc leguntur: Hinc est (vt veritatem apertè fateamur) quod Caluinus nullo modo ferre poterat, Regem Henricum Octauum caput Ecclesiæ vocari, aut supremum gubernatorem in terris Ecclesiarum Dei, quæ in suis ditionibus erant. hæc ille, qui eodem capite, & sequentibus duobus id inprimis demonstrare conatur, negationem Primatus Ecclesiastici in Regibus, communem esse Puritanis cum Papistis, & eo maximè differre à Protestantibus Puritanos.

A

V. Mendacium pag. 28.

Principio non scribit Pontifex se mœrore affici ob calamitates, quas tempore Reginæ, aut initio Regni Iacobi Regis, in Anglia pro retinenda orthodoxa fide Catholici patiebantur, sed ob calamitates, quas hoc tempore patiuntur.

Confutatio.

Verba ipsius Breuis recitasse, est hoc mendacium confutasse: sic enim scribit Papa. Magno mœrore nos semper affecerunt, tribulationes, & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide iugiter sustinuistis. sed cùm intelligamus omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio nostra mirum in modum aucta est.

Responsio.

B

Omnia verba ipsius Breuis recitasse, est cōfictum fuisse mendacium demonstrasse. nulla enim fit in verbis Breuis mentio temporis Reginæ Elisabethæ, aut initij Regni Iacobi; perperam ergo verba Breuis ad illa tempora referuntur, præsertim cùm neque tempore Reginæ, neque initio Regni Iacobi, Paulus V. Pontifex fuerit. Scribit igitur de calamitatibus Anglorum Catholicorum, quas initio Pontificatus sui grauissimas fuisse, & anno sequente, quo primum Breue scriptum est, non parum creuisse acceperat.

VI. Mendacium pag. 28.

In primo articulo [Statuti] confirmantur leges Elisabethæ.

C

Confutatio.

In primo articulo istius statuti nulla fit mentio de confirmandis legibus Reginæ Elisabethæ.

VII. Mendacium pag. 29.

In 10. articulo [eiusdem statuti] additur, vt sit tertia vice [Catholici] propositum iuramētum recusauerint, capitis, vitæque dispendiū patiantur.

Confutatio.

Nullus est eiusmodi articulus in toto illo statuto, vbi, vel de proponendo hoc iuramento tertia vice, vel de capitis, vitaque dispendio vlla mentio habeatur.

VIII. Mendacium pag. 30.

D

In 12. habetur, vt qui Principibus externis militare voluerit, is prius iuramentum præfatum præstet, alioqui perduellis habeatur.

Confutatio.

Non dicitur in statuto, quod perduellis habebitur, sed quod feloniæ reus habebitur, qui Principi extraneo militare voluerit, priusquam iuramentum susceperit.

Responsio ad tria prædicta.

Statutum, cuius articulos in libro meo descripsi, habetur in libello latino edito Rhotomagi anno 1606. cuius hic est titulus: Breuiculus duorum nuper in publicis Comitijs Anglicanis actorum, anno Christi 1606. Iacobi Angliæ Regis tertio, in eo libello habentur omnia illa, quæ Rex negat. hæc enim sunt verba ipsa articuli primi, *Visum est Regiæ Maiestati, Regniq; Proceribus, & statibus, qui ad hoc Parlamen-*

tum conue-

tum conuenerunt, omnes inprimis leges tempore Elisabethæ, & aliorum Regum contra Papistas stabilitas confirmare, & ratas habere. Articuli verò decimi hæc sunt verba, *Qui verò tertia vice iuramentum de Primatu Regis in spiritualibus recusauerit, si modo Regi, vt illi proponatur, placuerit, capitis, vitæque dispendio puniatur.* Articuli duodecimi hæc sunt verba vltima, *Statuitur auctoritate prædicta, vt quicunque huius Regni subditus, post decimum diem Iunij insequentem, Principibus externis militare voluerit, is prius iuramentum præstabit: alioquin perduellis habeatur.* Hæc ad verbum in eo libello habentur. Ac vt fidem meam certius liberem, & quia libellus elegantissimus est, dabo operam vt primo quoque tempore recudatur.

IX. MENDACIVM pag. 35.

Ostendimus eo iuramento, negari potestatem Apostolicam tum ligandi, & soluendi.

CONFVTATIO.

Nulla est sententia assertoria in isto iuramento, nec vllum verbum, nisi conditionale de Pontificis potestate vel ligandi, vel soluendi.

RESPONSIO.

Neque Auctor dixit per assertoriam propositionem negatam esse pontifici potestatem ligandi, & soluendi: sed per iurationis formulam affirmauit esse negatam. qui enim iurat, vt hæc formula præscribit, pariturum se Regi, non obstante sententia excommunicationis à Pontifice lata, is negare censetur potestatem Pontificiam ligandi per sententiam excommunicationis: & qui iurat (vt eadem hæc formula iubet) & credit à nullo se posse absolui, ac ne ab ipso quidem Pontifice, ab obligatione huius iuramenti, is negat in Summo Pontifice potestatem soluendi. Quod autem Rex dicit, nullum esse verbum nisi conditionale in hoc iuramento de Pontificis potestate ligandi, vel soluendi: non apparet in quo sensu veritate nitatur. Ista siquidem verba, *Verè credo, & certa conscientia teneo, quòd neque Papa, neque quiuis alius me ab hoc iuramento, vel illius vlla particula absoluere possit.* non sunt conditionalia, sed absoluta; & in hac iuramenti formula expressè continentur; & ad potestatem Pontificiam negandam circa absolutionem, apertissimè pertinent.

X. MENDACIVM pag. 37.

Diocletiano, & Neroni vellent nollent, ipsi etiam Summi Pontifices subiecti esse cogebantur.

CONFVTATIO.

Quo Christiani, sine exceptione, non coactè, sed liberè, & propter conscientiam, Ethnicis Imperatoribus subijciebantur: vide Apolog. nostram pag. 23. & 24. & veterum Apologetica.

RESPONSIO.

Quod Christiani subditi Regibus, vel Imperatoribus, etiam Ethnicis propter conscientiam subijci debeant, & obedire in ijs rebus, quæ contra Deum non sunt, nos quoque docemus; sed si qui sint eorum Imperio non subditi, etiam si Christiani sint, certè subijci, & obedire non tenentur, nisi fortè vi, & potentia adacti. Exempla habemus in prædecessoribus Regis Anglorum, & Scotorum. Romanis enim Ethnicis Imperatoribus, regnabat in Anglia Lucius Rex Christianus; & in Scotia Donaldus Rex item Christianus. quæro igitur à Iacobo Rege, vtrum existimet Reges illos Christianos Lucium & Donaldum debuisse obedientiam, & subiectionem propter conscientiam Imperatoribus Ethnicis? negabit opinor, neque alia de causa, nisi quia Summi Principes erant in suis Regnis, & ideò non subditi Imperatoribus Romanis. Eodem igitur modo Christiani subditi Imperatoribus Ethnicis, obedientiam illis debebant secundum conscientiam: Summus autem Pontifex Christi Reges Regum Vicarius Imperatoribus terrenis iure subditus non erat, ac per hoc obedientiam illis non debebat: sed tamen, tum quia potestas eius nota non erat Imperatorib. paganis, tum quia viribus temporalibus destitutus erat, vellet nollet, vt dixi, subiectus esse cogebatur.

XI. MENDACIVM pag. 47.

Quibus verbis [Breuium Clementis VIII.] Iacobus Scotiæ Rex non excludebatur, sed includebatur potius.

CONFVTATIO.

Si Breuia Clementis, non excludebant me à Regno, sed includebant potius; cur ea flammis tradidit Garnettus? quare non mihi videnda asseruauit, vt sibi, & suis Catholicis apud me maiorem inde gratiam conciliaret?

RESPONSIO.

Breuia illa Pontificia, neque nominatim Iacobum Regem excludebant, neque nominatim includebant, sed hortabantur Clerum, & populum Anglicanum Catholicum, vt curarent quantum in se esset, vt Rex eligeretur à fide Catholica non abhorrens: & quoniam talis existimabatur Rex Scotiæ, ideò per ea breuia includebatur potius, quàm excludebatur, nostro saltem iudicio. An autem, & cur ea Breuia Garnettus cremauerit, ignorare me fateor. Vidit fortasse, posse verba Breuium in malam partem accipi; vel audiuit Iacobum Regem verè à Catholica fide alienissimum esse. Ideò Breuia quæ tunc prodesse non poterant, ignibus tradidit, vt non obessent.

XII. MENDACIVM pag. 60.

Ex quatuordecim articulis in iuramento fidelitatis comprehensis, vndecim sunt qui Primatum Pontificis in spiritualibus attingunt.

CONFVTATIO.

Ex hisce articulis ne vnus quidem Pontificis Primatum in spiritualibus attingit. Quorsum enim attingeret, cum contra Primatum Pontificis in spiritualibus expressum alibi iuramentum extet?

RESPONSIO.

Ex quatuordecim articulis in iuramento comprehensis, vt Rex ipse diuisit, & numerauit per quatuordecim oppositas propositiones in Apologia sua pag. 51. & 52. soli sunt tres, primus, tertiusdecimus, & quartusdecimus, qui de potestate Papæ nihil dicunt. reliqui

omnes de potestate Papæ in excommunicandis, vel deponendis Principibus loquuntur. eam verò potestatem ad Primatum in spiritualibus pertinere dubium non est, cùm Papa non excommunicet, neque deponat Principes, nisi Apostolica potestate: Apostolicam autem potestatem spiritualem esse omnes fateantur.

XIII. MENDACIVM pag. 64.

Inter alias calumnias, illam profert in medium, quod Bellarminus vel conscius, vel auctor fuit proditionum aduersus Reginam Elisabetham.

CONFVTATIO.

Nunquam dixi (in Apologia) Bellarminum vel auctorem, vel conscium fuisse proditionum aduersus Reginam Elisabetham: sed proditorum Praeceptorem, eumq; tam prauis, & perniciosis dogmatibus eorum mentes imbuisse, vt ijs facillimum esset thesim transferre ad hypothesim: & quæ ille è Cathedra dictaret, ad suas machinationes pro re nata accommodare.

RESPONSIO.

Apologiæ verba pag. 58. hæc sunt, *Quidam ex eo numero Sacerdotum, & Iesuitarum, qui & ipsi præcipui Proditores erant, & proditionum grauissimarum fautores in nuperam Reginam initarum, Patrem Robertum Bellarminum pro vno ex præcipuis suis vel auctoribus, vel oraculis celebrare non dubitauerunt.* & ad marginem notat, qui sint illi proditores dicens: *Campianus, & Hartus. vide colloquium in turri Londinensi habitum.* Ex his verbis quis non iudicet, Campianum, & Hartum vocari Proditores, & eorum auctorem fieri Bellarminum? Sed quoniã Campianus, & Hartus nullius proditionis conuicti fuerunt, & in turri Londinensi, vbi Bellarmini scripta allegata sunt, non de proditionibus, sed de Controuersijs fidei disputabatur: & Bellarminus Hartum nunquam vidit, Campianum semel duntaxat Romæ in transitu salutauit; ac per hoc neutrum discipulum habuit: denique quia neque in cathedra Bellarminus aliquid vnquam dixit, neque in libris aliquid scripsit, quod ad proditiones pertineat: videat Rex qua conscientia dicat ea, quæ probare nunquam poterit.

XIV. MENDACIVM pag. 64.

Scit Bellarminus, Campianum contra hæreticam prauitatem solùm conspirasse.

CONFVTATIO.

Quod Campianus vltimo supplicio affectus est, non in causa fuit, quòd contra hæreticam prauitatem, vt hic libellator videri vult, sed quod contra Reginam Elisabetham, & huius Regni statum conspirauerit. id quòd ex actibus iudicialibus euidentissimè constabat.

Disputationes tertiò habitæ Ministrorum cum Campiano de fide Catholica in turri Londinensi, satis ostendunt causam veram supplicij: præsertim cùm post disputationem tertiam acerrimè tortus Campianus fuerit. Non tamen ignoro, neque nego conficta fuisse crimina conspirationum, quæ neque ipse fassus est, neque de ijs ab alijs conuictus fuit. Actis

A iudicialibus in Campianum quæ fides haberi debeat, docent acta similia in Garnettum.

XV. MENDACIVM pag. 65.

Cur Henricus Garnettus, vir doctrina omnis generis, & vitæ sanctitate incomparabilis, vltimo supplicio affectus est, nisi quia reuelare noluit, quod salua conscientia reuelare non poterat?

CONFVTATIO.

Quod huius nefandi facinoris notitia, non ex sola confessione, ad Henricum Garnettum peruenerit, vt iste mentitur, sed alijs etiam modis: nec ex vnius, sed plurimorum relatione, ita vt salua conscientia illud reuelasse potuisset, vide Monit. Præf. pag. 131. & Comitis Northamptonij librum.

B

RESPONSIO.

Vidi Monitoriam Præfationem, vidi etiam Actionem in Garnettum: sed vidi quoque responsionem, qua actionis illius mendacia deteguntur, & inde in sentẽtia confirmatus sum, quam ab oculatis, & auritis testib. acceperam, non fuisse vllo legitimo indicio probatum, proditionem pulueriariam alia via, quàm sacramentalis confessionis, ad Garnettum peruenisse, quòd ipse & in iudicio, & ad patibulum confessus est.

XVI. MENDACIVM pag. 71.

Itaque Sixtus Pontifex neque Regem cædi imperauit, neque cædem à priuato illo homine factam approbauit.

C

CONFVTATIO.

Quam splendidum sit hoc mendacium, patet ex oratione ipsa Sixti V.

RESPONSIO.

Nulla apud nos Sixti V. extat oratio: & quæ ab aduersarijs edita est, quamuis fidem nõ mereatur, tamen in eam sententiam commodè potest exponi, quæ in responsione nostra legitur pag. 70. 71. 72.

XVII. MENDACIVM pag. 91.

Quod autem additur de Stanleiana proditione, non fideliter, neq; verè narratur, siquidem more suo Auctor Apologiæ multis additis mendacijs historiam fœdè corrupit.

CONFVTATIO.

D *Quæ dicta sunt de proditione Stanleiana, recitata erant ad verbum ex Apologia Alani, pro causa Stanleiana, vt ibi videre est.*

RESPONSIO.

Apologiam illam totam nullo verbo omisso, denuò legi, nec inueni verba illa quæ Rex citauit. dicit quidem Alanus bellum Reginæ, quo in Hollandia oppida Regi Catholico eripuerat, fuisse iniustum, & ideò oppida illa Regi debuisse restitui: sed non dicit, *Quod quandoquidem excommunicata esset Regina, & hæretica, non solùm liceret iam eius subditis, verum etiam necesse esset ab obligatione conscientiæ, negare eam omni quo possent præsidio, & siue exercitus, siue oppida, siue arces, & propugnacula eius obtinerent, Regi Hispano hosti tradere, Regina deinceps nihil habente proprium, vel suum.* hæc inquam nõ dicit Cardinalis Alanus, & tamen Rex affirmat

hæc

hæc ipsa ad verbum recitata esse ex Apologia Alani, prò causa Stanleiana. Apologia illa extat Anglicè, Gallicè, & Italicè. consulat lector Apologiam, & iudicet.

XVIII. Mendacium pag. 93.

Constat Henricum Garnettum in publico iudicio constanter semper dixisse, neq; se, neque vllum Iesuitam huius conspirationis auctorem, vel complicem, vel consultorem, vel consentientem vllo modo fuisse. & paullò post idipsum instante morte coram innumerabili populo longa oratione protestatus est.

Confutatio.

Liber qui inscribitur, Actio in proditores, & nostra Monitoria Præfatio pag.131.132.clarè euincunt contrarium.

Responsio.

Monitoria Præfatio narrat, non probat. Actio in proditores sine pudore mentitur de ijs rebus, quæ notissimæ sunt Angliæ vniuersę: sed ideò edita est, vt apud exteros fidem inueniat, & fallat incautos.

XIX. Mendacium pag. 97.

Iacobus autem cùm Catholicus non sit, neque Christianus est.

Confutatio.

Contra. Ego verò Catholicus sum, vt qui fidem profitear verè antiquam Catholicam, & Apostolicam: ac proinde verè Christianus sum. Vide confessionem fidei meæ in Monit. Præf. pagin. 37. 38. & deinceps.

Responsio.

Vidi confessionem Regis in monitoria Præfatione, & ex ea planè, manifesteq; didici Regem non esse Catholicum. plurima enim Rex damnat, & negat, quæ fides Catholica etiam antiquissima semper docuit. Non potest autem dici Catholicus, qui aliquam partem Catholicæ fidei tenet, sed qui totam tenet. alioqui omnes hæretici Catholici essent. Et si Rex Catholicus est, cur in tota Apologia pro iuramento fidelitatis, eos Catholicos vocat, quorum fidem, & Religionem detestatur?

XX. Mendacium pag. 98.

Et si vera sunt, quę narrantur ab ijs, qui eum intimè nouerunt, cùm in Scotia Puritanus, & Protestantium inimicus esset, nunc in Anglia Protestans est, & Puritanorum aduersarium se gerit.

Confutatio.

Contra. Qualis Puritanus eram in Scotia, vide Præfationem in Basilicon doron, & Monit. Præfat. pag. 48. 49.

Responsio.

Vidi ista duo, sed vidi etiam confessionem Scoticam Puritanorum, cui Rex subscripsit. sic enim incipit confessio. Breuis, & generalis confessio Christianę Religionis, secundum Dei Verbum, & Acta parlamentorum: subscripta à Regia Maiestate, eiusque familia, & diuersis alijs: ad Dei gloriam, & bonum exemplum omnium. Edenburgi 28. Ianuarij,

A Anno Domini 1580. & Regni eius 14. Legi quoque in ipso Basilico Doro Regem dicentem, se certò cognouisse Religionem, quæ viget in Scotia, esse verissimam: Religionem autem quæ viget in Scotia, fatetur ibidem Rex diuino miraculo à Puritanis seditiosis introductam, &c.

SEQVVNTVR HISTORIAE, quas Rex ementitas dicit: cum responsione.

CAPVT XVI.

Prima Historia ementita pag. 70.

Constabat enim (Henricum IV.) naturali morbo extinctum fuisse.

Confutatio.

B *Non constabat quandoquidem historici nonnulli aliter scribunt, eum in vinculis mortuum fuisse, vel fame, vel pœdore, situq; carceris. lege Fasciculum temporum ad annum 1094. Laziardum Epitome vniuers. histor. cap. 198. Paulum Langium in Chronico Citizensi ad annum 1105. Iacobum VVimphelingum in Epitome rerum Germanicarum cap. 28.*

Responsio.

Dixi in loco notato, constare Henricum IV. non fuisse occisum gladio, aut veneno, sed naturali morbo extinctum. vbi opponitur naturalis morbus, gladio, & veneno, siue is morbus naturalis contractus sit ex crapula, siue ex inedia, siue ex nimia deambulatione, siue ex nimia detentione in carcere, siue ex luxu, &
C delicijs, siue ex pœdore situque carceris. Quare cùm nullus historicus referat, Henricum IV. fuisse occisum gladio, aut veneno: constat veritas historiæ, quam adduxi. Sed præterea constat etiam Henricum IV. non in vinculis, nec pœdore carceris, aut fame, sed naturali morbo defunctum Leodij anno 1106. cùm adhuc milites haberet, & bellum filio occultè mouere vellet. vide historicos ad annum 1106. Godefridum Viterbiensem, Additionem ad Lambertum Schaphnaburgensem, Dodechinum in additione ad Marianum Scotum, Sigebertum in Chronico, Syffridum Presbyterum in Epitome, Abbatem Vrspergensem, Othonem Frisingensem, & alios. Porrò Fasciculus temporum, Paulus Langius, & pauci, qui di-
D cunt illum obijsse in carcere: vel decepti sunt ex eo, quod Henricum in carcere fuisse nouerant, elapsum autem ignorabant, aut non recordabantur: vel certè dicunt obijsse in carcere; quia ciuitas Leodiensis, quæ ferè sola illi relicta erat ex toto Imperio, pro carcere computabatur.

II. *Historia ementita* pag. 83.

A quo (vinculo excommunicationis) vt absolui mereretur, ad istam humilitatem se ipse (Henricus IV.) spontè deiecit.

Confutatio.

Henricus IV. non spontè, nec metu excommunicationis Papæ, quam inualidam censuit, sed metu amissionis Regni, & vitæ, sese in tantum humiliasse testantur historici. Lambert. Schaphnab. ad annum 1077. Abbas Vrsperg. ad annum 1075. Platina in Gregorio VII. Auctor vitæ Henrici IV. Bruno in

A *historia Belli Saxonici, Cuspinianus in Henrico IV. Sigonius de Regibus Italiæ lib. 9. Laizardus in Epitome hist. vniuers. cap.* 193.

RESPONSIO.

Henricum IV. spontè se ad illam humilitatem deiecisse dixi, quoniam non vi adductus, sed propria voluntate accessit; vt omnes citati historici, & alij permulti testantur. Accessisse autem ad Papam, vt à vinculo excommunicationis solueretur, vt etiam absolutus fuit; ijdem historici testes sunt. Quod autem ab excommunicatione absolui desiderauit, ne Regnum amitteret, verissimum est. iam enim Principes Germaniæ decreuerant, eum Regno priuare, si annum integrum in excommunicatione perseuerarent. Sed ista non pugnant inter se, neq; efficiunt, vt conficta sit historia, quam B retuli. ijdem enim historici vtrumque dicunt, & Henricum spontè ex Germania in Italiam ad Papam venisse, & summa humilitate absolutionem ab excommunicatione petiuisse, & accepisse: & eam fuisse potissimam causam, cur absolutionem tanto labore, & humilitate quæsierit, ne Regno spoliaretur.

III. Historia ementita pag. 83.

Hæc historia (Alexandri III. Friderici Barbarossæ ceruicem pede conculcantis) est dubiæ fidei.

CONFVTATIO.

At non est dubiæ fidei apud historicos; cùm nullus neget, multi affirment, vt Nauclerus, Iacobus Bergomensis, Petrus Iustinianus, Papirius Massonus, C *Alphonsus Ciacconus, Hieronymus Bardus.*

RESPONSIO.

Confictæ historiæ reus non est, qui historiam aliquam dubiæ fidei esse dicit: sed qui falsam historiam narrat; nisi vocabulis abuti velimus. Sed præterea historici, quos Rex citat, recentiores sunt: antiqui enim nihil tale scripserunt. Porrò Romualdus Archiepiscopus Salernitanus, qui interfuit, & omnia accuratissimè descripsit, Fridericum narrat toto corpore procubuisse ad pedes Alexandri Pontificis, mox autem à Pontifice cum lachrymis benignissimè subleuatum. quod idem narrat Rogerius eiusdem ætatis auctor in annalibus Anglicis. At, inquit Rex, multi rem illam scribunt, nemo negat. Respondeo, argumentum D hoc concludere, quando veteres affirmant, & nullus eius temporis, aut posterioris negat: sed quando soli recentiores affirmant, non est mirum, si veteres non negent, quod diuinare non potuerunt à recentioribus confingendum fuisse.

IV. Historia ementita pag. 83.

Quid aliud Fridericus timuit, nisi excommunicationem?

CONFVTATIO.

At Fridericum timuisse solam excommunicationem nullus antiquus historicus scribit, sed Imperij, & dominij amissionem potissimum timuisse testantur plurimi, Martinus Polonus ad annum 1166. *Platina in Alexandro III. Laizardus in Epitome hist. vniuersalis cap.* 212. *Nauclerus generatione* 40. *Iacobus VVimphelingius in Epitome rerum Germaniæ cap.* 32.

RESPONSIO.

Quid Fridericus timuerit, docet ipse in oratione, quam habuit Venetijs coram Pontifice, & maxima Procerum multitudine, quam ex Romualdo Salernitano Archiepiscopo refert Cardinalis Baronius tomo 12. annalium, pagina 714. vbi apertè professus est, agnoscere se errorem suum, & schisma cuius auctor fuerat, & nihil magis timere, & odisse, quàm ab Ecclesia separationem. Idem etiam constat ex facto. nam permissus non est Venetias ingredi, nisi antea ab excommunicatione absolutus esset. Sed cùm eum Pontifex per Episcopos Hostiēsem, Portuensem, & Prænestinum absolui iussisset; tum demum Dux Venetorum illi obuiam profectus est, eumque in Vrbem Venetiarum magno cum honore, & publica lætitia introduxit. Neque verò historici allegati contrarium testantur. cùm enim dicant, eum timuisse, ne ab Imperio caderet, hoc ipso censentur dicere, timuisse excommunicationem, per quam, nisi maturè absolueretur, Imperiū amittere potuisset.

V. Historia ementita pag. 88.

Adde Cuspinianum (in hac re Turcæ fratre veneno sublato) aliorum historicorum testimonijs destitui.

CONFVTATIO.

Eadem historia à plerisque alijs celeberrimis historicis memoriæ prodita est. Vide Franciscū Guicciardinum lib. 2. hist. Ital. Paulum Iouium libr. 2. histor. sui temporis, Sabellicum Ennead. 10. *lib.* 9. *Continuatorem Palmerij ad annum* 1494.

RESPONSIO.

Historici citati narrant quidem fratrem Turcæ perijsse Neapoli, vel Caietæ, nam & de loco variant, sed perijsse veneno Sabellicus in dubium reuocat. Venenum autem datum auctore, vel non ignorante Pontifice, vt aliqui loquuntur, nullus affirmat. Suspicionem fuisse dicit Palmerij continuator; Guicciardinus, creditum fuisse; Iouius famam fuisse; Sabellicus fuisse, qui crederent: litteris mandarunt. Ista verò non sunt historicorum testimonia, quorum est res gestas verè narrare, sed opiniones, vel suspiciones hominum, qui non rarò suspicando, vel opinando falluntur. Certè Onuphrius Panuinius in annotationibus ad Platinam, Turcæ fratrem naturali morbo perijsse scribit.

SEQVVNTVR NOVA DOGMATA, quæ Rex notauit in meo libello.

CAPVT XVII.

Primum Dogma nouum pagina 9.

INTER omnes conuenit, posse Pontificem Maximum hæreticos Principes iure deponere, & subditos ab eorum obedientia liberare.

CONFVTATIO.

Imò verò tantum abest, vt inter omnes de hoc conueniat, verius vt dicas, ante Hildebrādi Pontificatum

catum, id nemini vnquam venisse in mentem, qui primus omnium hanc nouam doctrinam, planeque ante inauditam prodidit, vt multi viri docti, cùm illius, tum subsequentis seculi testantur (vt alios inferiorum ætatum testes omittam) qua de re vide epistolam Cleri Leodiensis ad Paschalem II. sententiam Episcoporum horum temporum apud Auentinum lib. 5. fol. 379. &c.

RESPONSIO.

Cùm dixi, inter omnes conuenire, de Theologis, & Iureconsultis Catholicis loquebar; non de schismaticis, quales sunt quos Rex allegat. Satis enim sciebam durante schismate Henrici IV. multos fuisse, qui pro, vel contra scriberent. Sed si hoc dogma à tempore Gregorij VII. (quem Rex Hildebrandum vocat) initium habuit: cur post annos circiter quingentos, ego quasi noui dogmatis inuentor aut sectator accusor? Certè non potest dici nouũ, quod ante tot secula viguit. Sed neque verum est, ante tempora Gregorij VII. hanc doctrinam fuisse inauditam; cùm constet, à Gregorio iuniore, qui trecentis circiter annis Gregorium VII. antecesit, excommunicatum fuisse, & vectigalibus Italiæ priuatum Leonem Isauricum Imperatorem, testibus Zonora, & Cedreno. Ex auctoribus, quos Rex citat, duo soli sunt non contemnendi, Otho Frisingensis lib. 6. c. 35. & Godefridus Viterbiensis par. 17. Sed hi scribunt solùm se non legisse ante tempora Gregorij VII. Imperatorem à Papa excommunicatum, & ab Imperio depositum fuisse: non tamen dicunt id fieri non posse, aut non licere, vt schismatici dicunt. Vt autem Rex videat, verè à me dictum esse conuenire inter omnes Catholicos Theologos, & Iureconsultos, posse à Pontifice Maximo Principes hæreticos iure deponi, & subditos ab eorum obedientia liberari: legat Concilium generale Lateranense sub Innocentio III. capit. 3. vnde extat cap. Excommunicamus de hæretic. & Lugdunense sub Innocentio IV. vnde extat cap. Ad Apostolicæ, de sent. & re iudic. in 6. His enim Concilijs nemo verè Catholicus cõtradicere potest: ac per hoc inter omnes Catholicos conuenit, Hæreticum Principem iure posse deponi. Neque his repugnat, quod in Concilio Lugdunensi citato Fridericus varijs de causis depositus fuerit: nam vna ex præcipuis fuit, quia suspectus de hæresi argumentis euidentibus habebatur, & si suspectus euidenter de hæresi depositione dignus à Papa in Generali Concilio iudicatus est, quantò magis hæreticus manifestus iure deponi poterit? Porrò ex auctoribus particularibus multos inueni, qui expresè id fateantur, qui expresè neget, nullum inueni: ideò non sine ratione affirmaui inter omnes conuenire. Consulat Rex S. Thomam 2. 2. q. 10. artic. 10. & ne fortè suspicetur S. Thomam loqui solùm de Paganis, aut Iudæis, cùm dicit, posse infidelem Principem auctoritate Ecclesiæ priuari dominio, quod habet super fideles: legat articulum 6. eiusdem quæstionis, & inueniet sanctum Doctorem loqui de Paganis, Iudæis, & Hæreticis, ac potisimum de Hæreticis, quos affirmat esse infideles, Paganis, & Iudæis absolutè, & simpliciter deteriores. Eandem sententiam de iure, quod habet Summus Pontifex excommunicandi, & deponendi Principes hæreticos, inueniet apud sanctum Raymundum in Summa titul. de Hæreticis §. 7. S. Bonauenturam de Hierarchia Ecclesiastica, parte 2. cap. 1. S. Antoninum in Summa parte 3. titul. 22. cap. 3. §. 7. & cap. 5. §. 7. Ioannem Andream in cap. Ad Apostolicæ de sent. & re iudic. in 6. Hostiensem in Summa titul. de Hæreticis, §. qua pœna puniatur, n. 11. Abbatem in cap. Excommunicamus num. 2. titul. de Hæreticis. Ioannem de Turrecremata lib. 2. Summa de Ecclesia ca. 114. concl. 4. in fine. Ioannem Driedonis lib. 1. De libertate Christiana cap. 14. Dominicum à Soto in 4. Sent. dist. 25. q. 2. art. 1. conclus. 5. Alphonsum de Castro de iusta hæreticorum punitione lib. 2. cap. 7. Iacobum Simancam in tract. De Catholicis institutionibus tit. de Papa, num. 25. & alios, quos longum esset, & non necessarium huc adferre.

II. NOVVM DOGMA, pag. 51.

In ortu supernaturali, quem habemus in baptismo, intelligi debet iuramentum tacitum & congenitum ad obediendum Principi spirituali, qui est Christi Vicarius.

CONFVTATIO.

Mirum est vnde iste hauserit hanc nouam, & prorsus incognitam Theologiam, qua non aliundè, quàm ex ipsius putrido cerebro nasci potuit: sin minus suos nobis auctores enumeret, qui doceant, & affirment Christianos omnes siue paruulos, siue adultos, virtute iuramenti cuiusdam taciti in baptismo suscepti, teneri ad obedientiam absolutã Christi Vicario præstandam, aut in aliud quàm in Christi nomen baptizari.

RESPONSIO.

Nusquam dixit Bellarminus, eos, qui per baptismum renascuntur in Christo, in aliud quàm in Christi nomen baptizari. Obligari autem eos, qui baptismum Christi suscipiunt, ad obedientiam Vicario Christi præstandam, docent omnes, qui fatentur, per baptismum admitti homines ad familiam Christi: & Christi Vicarium esse illum, quem constituit Dominus super familiam suam, Matth. 24. & Luc. 12. Sed mirum est, cur Rex miretur, vnde hæc Theologia nata sit, cùm satis facilè colligi potuerit, ex verbis ipsius in Apologia pro iuramento fidelitatis pag. 76. Ibi enim Rex docuit, duo esse iuramenta subditorum, vnum tacitum, & congenitum, cùm primùm nati sumus, alterum declaratorium in confirmationem prioris adhibitum, quod nihil aliud est, quàm prioris ingeniti expresio, & publica quædam prædicatio. Ex hac admiranda Regis doctrina sequitur, Si in ortu naturali debeat intelligi iuramentum tacitum, & congenitum ad obediendum Principi Politico; in ortu quoque supernaturali, quem habemus ex baptismo, intelligi debere iuramentum tacitum, & congenitum ad obediendum Principi spirituali, qui est Christi Vicarius. Itaque vel damnet Rex doctrinam suam de iuramento tacito & congenito in ortu naturali, vel probet etiam nostram de simili iuramento tacito, & cõgenito in ortu supernaturali, & vel numeret

ipse auctores doctrinæ suæ, vel desinat quærere auctores doctrinæ nostræ.

III. Novvm Dogma, pag. 94.

Sed cùm Catholica doctrina non permittat ad vllum malum vitandum secretum sacramentalis confessionis detegi, maluit ille mortem acerbissimam pati, quàm tanti sacramenti sigillum violare.

Confvtatio.

Quod secretum sacramentalis confessionis ad nullum malum quantumcunque vitandum vel preuenimendum possit detegi, vel indirectè saltem, aut in genere, modò persona, que confessionem edit, celetur, præterquam quod thesis est cunctis Principibus, & Rebuspublicis perniciosissima, nouum est dogma, &c. Consule Alex. Halensem, Thomam, Scotum, & cæteros.

Responsio.

Non est cur Rex fatigetur in auctoribus citandis, aut hac doctrina impugnanda. numquam enim venit Bellarmino in mentem docere, quod Rex existimat eum docuisse. quod igitur dixit secundum Catholicam doctrinam, non posse solui sigillum cõfessionis, ad quodcunque malum euitandum, intelligendum est, non esse licitum vllo modo prodere personam confitentis. hoc enim propriè cadit sub sigillum; alioqui nemini dubium est, posse detegi peccata ipsa vel ad capiendum consilium, vel ad præcauenda mala, vel alijs de causis, dummodo ex manifestatione peccati non sit periculum, ne manifestetur persona, quæ peccatum confessa est. Iam autem supra demonstratum est, nõ potuisse Garnettum detegere proditionem in confessione sacramentali cognitam, nisi etiam detegeret Proditores: Ideò maluisse crudeli supplicio vitam amittere, quam sacrosanctum secretum violare.

IV. Novvm Dogma pag. 102.

Ego verò audeo dicere, meliorem causam habere Catholicos iuramenti recusandi, quam Eleazarus habuerit carnis Porcinæ non gustandæ.

Confvtatio.

Hæc assertio reuera nouum dogma continet. Breue scilicet Pontificium legi Mosaicæ præferendum esse: & Catholicos magis teneri Pontificis decreto, quam Iudæi olim lege per Mosem tradita tenebantur.

Responsio.

At Bellarminus in illa pag. 102. disertis verbis comparauit præceptum non comedendæ carnis Porcinæ cum præcepto recusandi iuramenti Regij quoad materiam, non quoad legislatores. Itaque hoc solùm dixit, meliorem causam habere Catholicos iuramenti recusandi, quo Summi Pontificis auctoritas violatur, quam Eleazarus habuerit non gustandæ carnis Porcinæ; quoniam longè maior res est, violatio auctoritatis Summi Pontificis, quam esus carnis Porcinæ. frustra igitur Rex comparat breue Pontificium cum lege Mosis. Sed neque verum est, præceptum non admittendi iuramentum, de quo agimus, niti solùm auctoritate Breuis Pontificij: nititur enim auctoritate diuina per Breue Pontificis declarata. Ideò in eodem loco dixit Bellarminus auctoritatem Imperantis in vtroque loco eandem esse, videlicet Dei, qui per Mosem iussit in leuitico, vt Iudæi à carne suilla se abstinerent; & per eundem Mosem in Deuteronomio iussit, vt omnes Summo Sacerdoti obtemperarent.

V. Novvm Dogma pag. 135.

Clericos exemptos esse à iurisdictione Principum secularium, ac per hoc, non esse subiectos Regibus: sed debere tamen leges eorum de temporalibus rebus obseruare non vi legis, sed vi rationis, id est, non quia subditi sunt, sed quia ratio dictat ob commune bonum, & pacem Reipublicæ eas leges ab omnibus esse seruandas.

Confvtatio.

Quam sit amicus Regibus Cardinalis, & qui Cardinalis à sacellis est, qui tot subditos ab eorum potestate exemptos velint, docet monit. Pref. pag. 23. 24.

Responsio.

Expectabam, vt Rex nouitatem huius dogmatis demonstraret, iuxta titulum illum, noua dogmata, vna cùm nouitatis ipsorum declaratione. Sed quia vidit, dogma istud inueniri apud omnes Theologos, & Iureconsultos; imò in ipsis sacris Pontificum Canonibus, & Conciliorum decretis: prudenter diuertit ad inuidiam Cardinali apud Reges conflandam, quasi ipse primus sit auctor exemptionis Clericorum. Sed sicut ipse nihil noui docuit, ita sperat, manifestam illam calumniam, nihil ei apud Catholicos Reges, & Principes nocituram.

(∴)

FINIS.

ROBER-

ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S.R.E. CARDINALIS.

TRACTATVS DE POTESTATE SVMMI PONTIFICIS IN TEMPORALIBVS;

Aduersus

GVLIELMVM BARCLAIVM.

PRAEFATIO.



Vi *librum Gulielmi Barclaij de potestate Papæ nuper emisit in lucem, neque nomen suum, neque Typographi, ac ne loci quidē vbi liber excusus sit, prodere ausus est. Quamuis enim in quibusdam codicibus editus dicatur is liber Mussiponti: id tamen confictum fuisse, exploratum habeo. Timuit videlicet, nec sine causa, pœnam, aut vituperationem; non præmium, aut laudem exspectauit. Nomen tantùm auctoris quod ipse auctor, si viueret, libenter fortasse texisset, liberè detexit, quòd sciret eum ad Iudicem supremū auocatum, & raptum, nihil negocij cum mortalibus iam habere. Hæc sanè non boni operis argumenta sunt;* qui *enim* malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta, *Ioan 3. Ipse etiā Barclaius veritus fortasse, ne incredibilis arrogantiæ, ac temeritatis argueretur, si quasi alter Goliath, aduersus acies omnium Catholicorum scriptorum vnus procederet; dissimulata multitudine aduersariorum mea solius scripta ex proposito oppugnanda suscepit. Sed ego non tanti sum, vt causam Ecclesiæ vniuersæ à me vno pendere existimē: noui imperfectum meū; scio me vnum esse de multis, neque committam, vt communi causæ præiudicetur, siue disputādo stem, siue cadam. Ea de causa primùm adferam in medium sententias clarissimorum Scriptorum ex omni natione orbis Christiani, vt omnes intelligant Barclaij sententiā singularem esse, & Scriptori-* A *bus Catholicis omnibus, tùm Theologis, tùm Sacrorum Canonū, ac ciuilium legum professoribus repugnare. Mirum autem esset, si Barclaius nūc viueret, & in theatrum tot Virorum doctissimorum, Italorum, Gallorum Hispanorum, Germanorum, atque Anglorum introductus tot aduersa lumina intueri, vel os aperire, aut omninò mutire auderet. Deinde, vt de sententia Catholicæ Ecclesiæ nemo dubitare possit, plurium Con-* B *ciliorum Patres in vnum quasi maximum Concilium cogam; vbi aliquot Summi Pontifices, non pauci Patriarchæ, plurimi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, aliiq; viri doctissimi, qui varijs locis & tēporibus olim cōgregati sederunt; nunc iterum simul omnes cōueniant, & vnum Barclaium in medium vocatum sententijs suis obruant. Postremò cum satis constiterit, tum ex singu-* C *lis Scriptoribus, tum ex Concilijs generalibus, quis sit Ecclesiæ Catholicæ sensus de Summi Pontificis potestate in temporalibus: tum demum ad Barclaij obiectiones soluendas, atque eius argumenta examinanda deueniam. Et quoniam Barclaius potestatem Summi Pontificis in temporalibus vniuersè negat; ego quoque potestatem eandem vniuersè astruam, non multum la-* D *borans, si ea potestas sit absoluta, vel in ordine tantum ad spiritualia se extendat. Relaturus igitur sententias illustrium Scriptorum Occidentalis Ecclesiæ, de Potestate Papæ in temporalibus, visum est ab Italica natione incipere, quia idem obseruatum esse video in Concilio Constantiensi, Sess. quadragesima prima.*

(∴)

SENTENTIA ILLVSTRIVM SCRIPTORVM NATIONIS Italicæ.



RIMVS igitur ex Italica natione prodeat sanctus Gregorius VII. Papa, qui lib. 8. Registri sui, epist. 2. ad Episcopum Metensem, copiosè docet, posse à Romano Pontifice Principes Christianos excommunicari, & principatu priuari, eorumque subditos ab obedientia eorum absoluit: *Quod autem*, inquit, *postulasti, te nostris scriptis iuuari, & præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, non potuisse auctoritatem sanctæ, & Apostolicæ Sedis Regem Henricum excommunicare, nec quemquam à sacramento fidelitatis eius absoluere*, &c.

Sanctus Thomas Aquinas, qui non solùm excellenti doctrina floruit, sed ea sanctitatis gloria fulsit, vt eum ab omni adulatione erga Pontificem longissimè absuisse, dubitari non possit, in 2.2. q. 10. art. 10. *Considerandum est*, inquit, *quod dominium, vel prælatio introducta sunt ex iure humano: distinctio autem fidelium, vel infidelium est de iure diuino: ius autem diuinum quod est ex gratia, non tollit ius humanū, quod est ex naturali ratione: ideò distinctio fidelium, & infideliū secundum se considerata, non tollit dominium, & prælationem infidelium supra fideles. Potest tamen iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis, tale ius dominij, vel prælationis tolli: quia infideles meritò sua infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei, sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque non facit.* hæc sanctus Thomas, qui duo dicit aduersus Barclaium: vnum est, Dominium, & prælationem introductam esse de iure humano, non ex iure diuino, vt Barclaius frequenter affirmat: alterum est, auctoritate Ecclesiæ, quæ sine dubitatione plenissimè residet in Papa; priuari posse Principes infideles dominio, quod habent super fideles. Neque per infideles intelligit S. Thomas solos Ethnicos, vt videtur existimare Barclaius; sed omnes infideles, siue Pagani, siue Iudæi, siue Hæretici sint: nam artic. 6. eiusdem quæstionis enumerat, & comparat inter se species infidelitatis, ac dicit, Hæreticos esse infideles Paganis, & Iudæis absolutè, & simpliciter deteriores: deinde art. 10. de omnibus infidelibus disertè pronunciat, posse eos priuari dominio, quod habent super fideles, si Ecclesia iudicet expedire. Idem repetit quæst. 12. artic. 2. & addit, propter alia etiam crimina, posse ab Ecclesia priuari Dominos dominio, quod habent super alios. Idem in eadem 2.2. qu. 60. art. 6. ad tertium. *Potestas*, inquit, *secularis subditur spirituali, sicut corpus animæ; & ideò non est vsurpatum iudicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus.* Idem Sanctus Thomas in secundum senten. dist. 44. in fine, dicit, in Papa esse apicem vtriusque potestatis spiritualis, & temporalis. Idem, si tamen idem, libr. 3. de Regimine Principum, cap. 10. *Quod si dicatur*, inquit, *ad solam referri spiritualem potestatem* (plenitudinem videlicet potestatis Pontificiæ) *hoc esse non potest, quia corporale, & temporale ex spirituali, & perpetuo dependet.* Et cap. 19. *Simile contingit in Principe totius Regni, quia pro conseruatione regiminis super subditos ampliatur eius potestas imponendo taleas, destruendo ciuitates, & castra pro conseruatione totius Regni. Multò igitur magis conueniet summo, & supremo Principi, id est, Papæ ad bonum totius Christianitatis.* hæc ille. De quo etsi nonnihil dubium est, an sit Sanctus Thomas, cùm cap. 20. sequenti, mentionem faciat Alberti Imperatoris, cuius tempora Sanctus Thomas viuendo non attigit: & quia cap. 10. citato, Sanctum Petrum Christi successorem non semel appellat; qua voce, successoris videlicet, vti non solent, qui propriè loquuntur, vt S. Thomas imprimis solet; tamen auctor est antiquus, & doctus, quem Barclaius spernere non potest.

Sanctus Bonauentura, vir doctissimus, & sanctissimus Episcopus Card. Albanensis, tantum absuit ab adulatione Pontificis, vt ne leuis quidem suspicio tanti criminis in eo vnquam adhæserit. Is nihilominus, in lib. de Ecclesiastica hierarchia, part. 2. cap. 1. sic loquitur, *Iam verò possunt Sacerdotes, & Pontifices ex causa amouere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit, & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Respublica necessitas sic requirit. Summus verò Pontifex, penes quem in terris prima residet auctoritas, non à Rege, non à Principe seculari, non ab homine iudicatur, sed solius Dei iudicio reseruatur.*

AEgidius Romanus Ordinis Sancti Augustini, Archiepiscopus Bituricensis, in tract. de Potestate Ecclesiastica, part. 1. cap. 30. *Sed*, inquit, *diceret aliquis, quod Reges & Principes spiritualiter non temporaliter subsint Ecclesiæ. Sed hæc dicentes vim argumenti non capiunt: nam si solum spiritualiter Reges & Principes subessent Ecclesiæ, non esset gladius sub gladio; non essent temporalia sub spiritualibus; non esset ordo in potestatibus; non reducerentur infima in suprema per media.* hæc ille, qui toto illo tractatu hoc probat, potestatem Ecclesiæ, quæ plenissima est in Summo Pontifice, non ad sola spiritualia, sed etiam ad temporalia se extendere.

Beatus Augustinus Triumphus, alias de Ancona, vir adeo pius, & doctus fuit, vt in eius sepulchro, *beati* titulum incisum videamus. Is in lib. de Potestate Ecclesiæ quæst. 22. art. 3. *Imperatorem*, inquit, *à Papa posse deponi quis ibit inficias? eius enim est deponere Imperatorem, cuius est eundem constituere, id quod exempla ipsa declarant.* Vide plurima alia in tota quadragesima quæstione.

Beatus Ioannes de Capistrano, qui doctrina, & miraculis Ecclesiam Catholicam illustrauit, in lib. de Potestate Papæ, part. 2. secundæ partis principalis, in argumento 18. pag. 54. editionis Venetæ anni 1588. *Papa*, inquit, *Principes in spiritualibus, debet similiter in temporalibus eminere, vt tanquam dignior propter eminentiam, supremus in omnibus habeatur.*

Sanctus Antoninus Florentiæ Archiepiscopus, Vir æquè sanctus, ac doctus, atque ab omni adulandi specie alienissimus, in summa

sua part.3.tit.22.cap.3.§.7. *Talis*, inquit, *est potestas Imperatorum Regum, & Principum, quia per Papam habet institui, regulari, & confirmari, si bona est: & per ipsum habet iudicari, & condemnari, si bona non est*. Item c.5.§.7. *Potest*, inquit, *ipsos reges ex causa rationabili deponere*.

Isidorus Mediolanensis Ord. Prædic. lib.2. de Imperij militantis Ecclesiæ dignitate, tit.8. concl.3 *Papa*, inquit, *potest eorum demeritis exigentibus Imperatorem ac regem deponere*.

Thomas Caietanus Ord. Præd. S.R.E. Cardinal. doctrina, & vitæ integritate insignis, in Apologia, de comparata auctoritate Papæ, & Concilij, part.2.c.13. ad octauum, idem docet: nam proposito argumento octauo aduersarij his verbis, Octauo, quia nonnulli Summi Pontifices inueniuntur definiuisse, se in temporalibus habere supremam potestatē: cæteri verò in oppositum; Respondet his verbis, *Ad octauū dicitur, quod quia potestas Papæ directè est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finem humani generis; ideò suæ potestati duo conueniunt: primò, quod non est directè, respectu temporalium: secundò, quod est respectu temporalium in ordine ad spiritualia: hoc enim habet ex eo, quòd ad supremum finem omnia ordinari debent, etiā temporalia, ab eo proculdubio, cuius interest ad illum finem oēs dirigere, vt est Christi Vicarius: primum autem ex natura suæ potestatis consequitur. Ex his autem sequitur, quod vtrunq; verè potest determinare, vt Papa: & quod habet supremam potestatem in temporalibus; & quod non habet supremam potestatem in temporalibus: quoniam vtrunque verum est ad sanum intellectum. affirmatio namque est vera in ordine ad spiritualia: negatio verò est vera directè, secundum se ad ipsa temporalia. Vnde nihil ex vtraque decisione erroris accidit.*

Alexander de S.Elpidio Ord. Eremitarum S. Augustini, in lib. de auctoritate Summi Pontificis, & iurisdictione Imperij, cap.9. *Deo*, inquit. *non subditur, qui subiectus non est Dei Vicario, & Ecclesiastica potestati: nullus ergò Rex, nullus temporalis Princeps, cuiuscunque conditionis existat, excipi potest, si Christianum se fateri vult nomine, & re: quia etiam in temporalibus potestati supremæ spirituali subijci debent.*

Petrus de Monte Venetus, & Episc. Brixiensis, in Monarchia par.2.quæst.4.in fine. *Magnam*, inquit. *habet potestatem Papa super Imperatorem, quia ex delicto eum deponit.*

Petrus Ancharanus in cap. Canonum statuta, num.6.de constit. *Papa*, inquit, *habet vtrunque gladium, & superioritatem ad Imperium, & hinc est, quod Imperatorem coronat, & inungit, & quandoque deponit.*

Syluester Prieras Ord. Præd. Theologus, & Canonista doctissimus, in Summa, verbo, *Papa*, num.10. *Papa*, inquit. *potest eligere Imperatorem per seipsum immediatè, quando ex iusta, & rationabili causa expediret: quia principalis agentis habentis dirigere omnes fideles ad pacem, & finem spiritualem, est eligere ministros.* & infrà: *Potest* (Papa Imperatorem) *dignum excommunicatione excommunicare, & dignum depositione deponere.* & nu.11. *Habet* (Papa in Reges, & Principes Christianos omnes) *vniuersalem spiritualium, & temporalium iurisdictionem.* & infrà: *Potest ex rationabili causa deponere.*

Astensis in Summa, prima part. lib.2. tit.64. art.4.pag.101. *Ex prædictis*, inquit, *collige, quod Principes seculi, & Domini tēporales, non tantùm propter hæresim suā, sed etiam propter negligentiā extirpandi hæresim aliorum, sunt excōmunicandi, ab Ecclesia deponendi, de terris suis expellendi, & terræ eorum occupandæ Catholicis possunt exponi, & idem, si Princeps circa Regnum, & iustitiam faciendam, inuentus fuerit negligens, insufficiens, & ineptus: Vnde Zacharias deposuit Childericum, & Innocentius Othonem.*

Nicolaus Abbas Panormitanus, in cap. solitæ, de maior. & obed. num.7. *Papa*, inquit, *potest rationabiliter increpare Imperatorem, & alios Principes seculares: & non mirum, nam potest eos ex causa deponere.* Idem docet in cap. *Per venerabilem*, Qui filij sint legitimi.

Ioannes de Anania, Archidiaconus Bononiensis in ca. licet, de voto, num. 10. *Papa*, inquit, *priuat laicum ordine genituræ, quia habet potestatem super Reges, & Regna. Vnde deponit Imperatorem.*

Bartholus in l. si Imperator C. de legibus, num.4. *Ius*, inquit, *eligendi Imperatorem habent Principes de Alemania, & ius priuandi solus Papa habet.*

Baldus in procemio ff. vet. *Solus*, inquit, *Papa priuat Imperatorem.*

Petrus Andreas Gambara, in tract. de Officio, & potestate Legati lib.2. tit. de Varijs ordinariorum nominibus, nu.220. *Solus*, inquit, *Papa deponit Imperatorem, & Reges, demeritis suadentibus.*

Restaurus Castaldus, in lib. de Imperatore, q.21. *Solus*, inquit, *Papa sine Concilio deponit Imperatorem, quia Papa, & Christi vnum est tribunal.* & infrà, *Papa principem quantumcunque exemptum, si expedit, punit, & deponit.*

Dominicus Cardinalis Tuscus vir doctissimus, qui adhuc viuit, & magnū opus ante paucos annos edidit, in sexto tomo Practicarum conclusionum, verbo, Papa, multos auctores citat ad hoc ipsum propositum: ad eum, si quis plures auctores velit, lectorem remitto.

SENTENTIA ILLVSTRIVM Scriptorum nationis Gallicæ.

Sanctus Bernard. lib.4. de Consideratione ca.4. *Quid tu*, inquit, *denuò vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam: quem tamen, qui tuum negat, nō satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic, Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse tuo forsitan nutu, & si nō tua manu euaginandus; alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis, ecce duo gladij hîc: non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Vterque ergò Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille verò, & ab Ecclesia exerendus est, ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris.* hæc Sanctus Bernardus, qui certè non diceret, gladium materialem Ecclesiæ esse, & non solum pro Ecclesia exerendum, sed etiam ad nutum Sacerdotis exerendum, si cum Barclaio existimaret, potestatem in temporalibus nullo modo ad Ecclesiam, eiusque præsidem pertinere. Sed de hac sententia suo loco plura dicemus.

Iuo Episcopus Carnotensis, in Epist. 28. ad Vrbanum Secundum Papam: *Venturi sunt*, inquit, *ad vos in proximo Nuntij ex parte Regis Frãcorum, per quorum os locuturus est Spiritus mendax*. Et infrà. *Qui ergo venturi sunt in calliditate ingenioli sui, & venustate linguæ suæ, prædictis de causis impunitatem flagitij se impetraturos Regi à Sede Apostolica promiserunt, hac ratione ex parte vsuri: Regem cum Regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis; nisi Regem ab Anathemate absoluatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta spes impunè peccandi peccantibus de cætero relinquetur?*

Petrus de Palude Patriarcha Hierosolymitanus, vir doctißimus in tract. de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis, art. 4. qui est de potestate Papæ, sic loquitur: *licet Papa non habeat confirmare quemlibet Regem, qui consensu populi à principio Regnum assumpsit: tamen potest deponere omnem talem, nõ solùm propter hæresim, aut schisma, aut aliud crimen intolerabile in populo; sed etiã propter insufficientiam, vtpotè, si quis ideota sensu, vel impotens viribus in Regno præesset, & propter eius insufficientiam Regnũ fideliũ periclitaretur.* & infra, reddens rationẽ ait. *Quia Papa est superior in spiritualibus, & per consequens in temporalibus, quantum necesse est pro bono spirituali.*

Durandus Episcopus Meldensis Theologus insignis, in lib. de Origine iurisdictionum, quæst. 3. *Quia*, inquit, *vtraque potestas temporalis, & spiritualis est necessaria, ideò vtramque potestatem* (Christus) *contulit Petro.* & infra: *Isti sunt veri termini iurisdictionis spiritualis & temporalis à fundatione Ecclesiæ, quos transgredi non licet; quia iurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil nouit: iurisdictio verò spiritualis se extendit primò, & principaliter ad spiritualia, secundario verò, & per quandam consequentiam se extendit ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritualia tanquam ad finem.*

Erueus Brito Ord. Prædic. Magister Generalis, & Theologus acutißimus, tract. de Potestate Papæ. §. Ad euidentiam secundi, sic loquitur, *Ad Papam pertinet corrigere omnem abusum tam potestatis Ecclesiasticæ, quam terrenæ in quocunque existente de populo Christiano.*

Iacobus Almain. in tract. de Suprema potestate Ecclesiastica, & temporali, quæst. 2. principali, quæ est de suprema potestate laica, c. 5. ad tertiam allegationem, *Papa*, inquit, *potest Imperatorem deponere in duobus casibus: primus, pro crimine purè spirituali, vt est hæresis: secundus, quando illi, ad quos spectat iure ordinario, sunt negligentes ipsum deponere.* Ibid. ad quartam allegationem, sic ait, *Si gens imperij efficeretur hæretica, vel transferret se ad aliam sectam, dimittendo sectam Christianam: posset propter hoc Papa illam gentem priuare dignitate Imperiali, & sic transferre in aliam gentem.*

Henricus Card. Ostiensis in Summa tit. de Hæreticis. § Qua pœna puniantur nu. 11. *Nota*, inquit, *quod Domini temporales, nõ solùm propter suam hæresim, sed etiam aliorum, quod cùm possunt admoniti exterminare negligunt, excommunicari possunt, & terræ ipsorum exponi Catholicis occupandæ. Idem, si Princeps negligens inueniretur circa regimen, & iustitiam faciendam. Vnde Zacharias Papa deposuit Childericum Regem Francorum.*

Petrus Bertrandus Card. & Episcop. Eduensis, in tract. de Origine iurisdict. quæst. 4. nu. 5. *Potestas*, inquit, *spiritualis debet dominari omni humanæ creaturæ: & quemadmodum Iesus Christus, dum fuit in hoc mũdo, & etiam ab æterno naturalis Dominus fuit, & de iure naturali in Imperatores, & quoscunque alios depositionis, & damnationis sententias ferre potuisset: ita eadem ratione eius Vicarius.*

Ioannes de Sylua, tract. de Beneficio part. 3. q. 8. *Et Papa*, inquit, *potest deponere Regem.*

Stephanus Aufrerius, in tract. de Potestate secularium, nu. 5. & 6. *Papa*, inquit, *ipsum Imperatorem tanquã inferiorem destituit, exigentibus causis: & in omnibus arduis negotijs, & maximis difficultatibus generãtibus scandalum in Christianitate, Papa potest huiusmodi maioritatis ratione se intromittere, etiam inter laicos, & exercere huiusmodi potestatem sibi à Deo attributam.*

Gulielmus Durandus Episc. Mimatensis, speculator vulgò dictus, in speculo lib. 1. tit. de Legato. §. Nunc ostendendum nu. 17. *Papa*, inquit, *deponit Imperatorem propter ipsius iniquitates, & dat* (Principibus) *curatores vbi ipsi sint inutiles ad regendum.*

Ioannes Faber in legem primam, nu. 10. C. de summa Trinit. & fid. Catholica. *Sed*, inquit, *de Papa non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis, & in temporalibus, & in spiritualibus.* & infra: *Cùm agitur de præiudicio animæ, vel populi, Papa potest, & debet prouidere, & si necesse sit, quoscunque Reges deponere.*

Ægydius Bellamera Episc. Auenionensis, in ca. Alius. 15. q. 6. num. 2. sic ait: *Papa potest deponere Imperatorem, qui ab eo temporalitatem recognoscit.* & infrà. *Etiam in alios Reges, licet ab eo Regna sua non teneant in feudum, nec temporalitates suas ab eo recognoscant, nec iuramentum fidelitatis ei præstent, videlicet, pro delictis, & negligentijs*: & infrà, *Depositio autem Regum facienda per Papam, non ex illa ordinaria; sed ex quadam suprema, & absoluta potestate procedit: & quod illam supremam, & absolutam potestatem Papa habeat, videtur multum æquum, & Reipublicæ valdè expediens, scilicet vt sit aliquis supremus Monarcha, qui Regum huiusmodi excessus posit corrigere, & de ipsis iustitiam ministrare.* Vide eundem, in cap. Nouit. de Iudic. & in cap. Solitæ, de maiorit. & obed.

Ioannes Quintinus Hæduus in repetitione ad c. Nouit. de Iudic. num. 64. *Quare*, inquit, *ponimus vtrumque gladium Ecclesiæ datum esse hoc est Ecclesiæ Pontificem habere ius, & potestatem in spiritualia simul, & omnia temporalia, atque de his statuere, & decernere ex caussa posse, cuius decretis standum: nam quamuis homo sit mortalis, tamen cælesti potestate pollet.* & infrà, nu. 127. *Hoc*, inquit, *iure Papa Zacharias an. Christi nati 753. Childericũ longa maiorũ serie legitimũ Galliæ Regem, & possessorem Regno auito destituit, & in eius locum Pipinum Belgam substituit, caussatus peccatũ esse, hominem tantæ imparem potestati, inertem, & nihil agentem Reipub. gubernacula moderari*: & infrà: *Hinc & Leo, vt Pontifex Romanus, eadem fultus auctoritate, Carolum pariter Gallorum Regem Romanum creauit Imperatorem.*

Remun-

Remundus Ruffus contra Molineum, c. 6. pag. 106. *Non ignoramus*, inquit, *Leonem III. Pontificem, Græcis ademptum Imperium in Carolum Magnum contulisse: id enim cùm nostri Annales, tum Græcorum libri testantur: quod iure sibi quæsitum, & Carolus Magnus, & posteri Franci, Germaniq; putarunt. Omitto Pipinum à Stephano II. vel vt nonnulli, à Zacharia Regem factum, detruso in Monasterium Childerico ignauo, stupido, & bardo Rege.*

Petrus Gregorius Tholosanus, lib. 26. de Republ. cap. 5. num. 14. sic loquitur: *Neque Hildericus hæreticus erat; nec aliud crimen Ecclesiasticum commiserat, quod Iurisdictioni Sedis Spiritualis pro depositione illum subijceret.* Hæc ille, qui fatetur, Reges pro crimine Hæresis posse deponi, à sede Spirituali. Et num. 23. multos Canones citat ad probandum, posse deponi Reges à Sede Apostolica.

SENTENTIA ILLVSTRIVM *Scriptorum nationis Hispanicæ.*

Sanctus Raymundus, in Summa lib. 1. tit. de Hæreticis. §. 7. *Ex præmissis*, inquit, *inter alia collige notabiliter, quod Iudex, vel potestas secularis, non solùm propter hæresim suam sed etiam propter negligentiam cõtra hæresim extirpandam, potest non solùm excommunicari ab Ecclesia; sed etiam deponi: & extende hanc pœnam, & Ecclesiæ potestatem, quandocunque Princeps aliquis secularis fuerit inutilis, dissolutus, & negligens circa regimen, & iustitiam obseruandam.* 17. q. 4. si quis princeps.

Pelagius Aluarus Episc. Syluensis ex Ordine Minorum assumpt. in tract. de Planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 21. *Papa*, inquit, *transfert Imperium, & confirmat Imperatorem, electum canonicè inungit, & coronat; & contumacem, & persecutorem Ecclesiæ Imperio priuat.*

Ioannes de Turrecremata S.R.E. Card. doctissimus, in Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 113. propositione quarta docet, *Papam iure papatus nõ habere extra principatum suum Ecclesiasticum, potestatem in temporalibus directè:* sed cap. 114. docet per sexdecim conclusiones, *Papam in ordine ad spiritualia habere potestatem amplissimam in temporalibus.* Referam hoc loco vnam tantum conclusionem. *Quarta propositio, Romanus Pontifex videtur iurisdictionem etiam in temporalibus habere, quia non solùm Principes seculares circa vsum suæ iurisdictionis delinquentes potest per censuram Ecclesiasticam coercere; verùm etiam notabiliter negligentes à dignitate deponere.* Videat lector totum caput, & commentarium eiusdem auctoris in cap. *Alius* 15. q. 6.

Cyprianus Benetus Aragonensis Ord. Prædic. in lib. de prima Orbis sede, in resp. ad sextum pro 2. parte conclusionis primæ. *In traditione*, inquit, *clauium, includitur etiam collatio terrenarum potestatum pro conseruatione bonorum spiritualium.*

Franciscus Victoria Ord. Prædic. de Potestate Ecclesiæ Relectione 1. q. 5. prop. 8. *In ordine*, inquit, *ad finem spiritualẽ Papa habet amplissimã potestatem tẽporalem super oẽs Principes, & Reges, & Imperatorem.* & infrà. *Quando necesse est ad finem spirituale, potest non solùm omnia, quæ Principes seculares possunt; sed & facere nouos*

A *Principes, & tollere alios, & Imperia diuidere.*

Dominicus à Soto Ord. Præd. in 4. sent. dist. 25. q. 2. ar. 1. concl. 5. *Potestas*, inquit, *quæcunq; ciuilis, eatenus est Ecclesiasticæ subiecta in ordine ad spiritualia, vt Papa possit per suã spiritualem potestatẽ, quoties ratio fidei, & religionis exegerit, non solùm Ecclesiasticarum censurarum fulminibus aduersus Reges agere, eosq; cogere; verùm & cunctos Christianos Principes temporalibus bonis priuare, & vsque ad eorum priuationem procedere.*

Alphonsus de Castro Ord. Minor. lib. 2. c. 7. De iusta hæreticorum punitione, sic ait, *Nec mirari debet aliquis, quòd Papa propter hæresis crimen Regem à regia dignitate deponat, & Regno priuet; quoniam in negocio fidei, etiam Reges, sicut & alij inferiores subduntur Summo Pontifici.*

Iacobus Simanca Pacensis Episc. in libr. de Catholicis institutionibus, tit. 45. nu. 25. *Quamuis*, inquit, *Ecclesiastica potestas distincta sit à seculari, & Papa iurisdictionem ciuilem non habeat in*

B *secularium Principum Regna: nihilominus tamen in ordine ad finem spiritualem habet Pontifex Maximus amplissimam potestatem in omnes Principes Orthodoxos. Vnde si Princeps aliquis inutilis esset, aut iniquas leges contra Religionem, aut contra bonos mores conderet, aut quidpiam simile faceret in detrimentum rerum spiritualium, posset Papa seruatis iustis circumstantijs, congruum remedium adhibere, priuando etiam talem Principem, administratione & iurisdictione.*

Dominicus Bannes, in 22. q. 10. art. 10. in fine commentarij. §. Quarta concl. *Ita etiam*, inquit, *à iure diuino positiuo est potestas, quam habet Pontifex ad auferendum dominium, & iurisdictionem ab infidelibus supra fideles: quando autem vtendum*

C *sit hac potestate, relinquitur eius dominio, vel iudicio.* & quæst. 12. art. 2. in commen. §. Circa vltimam concl. *Ecclesia*, inquit, *non tantum priuat dominio in subditos, Principes apostatas perfectè, verùm illos, qui lapsi sunt aliquo pacto in hæresim.*

Martinus Ledesmius in secunda quartæ, q. 20. art. 4. concl. 8. *In ordine*, inquit, *ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes, & Reges, & Imperatores.*

Gregorius de Valentia, in 2. 2. disput. 1. qu. 12. punct. 2. asser. 2. *Iure*, inquit, *Ecclesiastico per summi Pontificis auctoritatem, atque sententiam, omninò potest quis dominio, & prælatione erga subditos priuari propter peccatum Apostasiæ à fide, neque est de hac assertione dubium vllum apud verè*

D *Orthodoxos.*

Gulielmus de Monserat Catalanus, in tract. de Successione Regum, nu. 30. *Papa*, inquit, *Vicarius Christi cum causa potest quemcumque Christianum Principem priuare, prout priuauit, & deposuit Childericum Regem Franciæ, & in eius locum Pipinum instituit, & Romanum Imperium à Græcis transtulit in Germanos.*

Alphonsus Aluarez, in Speculo, cap. 16. *Hinc* inquit, *est, quod* (Papa) *Imperium transferre potest de certo genere personarum, cum maxima causa ad aliud genus:* & infrà. *Et ipsum Imperatorem, tanquam inferiorem destituit, exigentibus causis maximis, & arduis.*

Antonius Cordubensis Ord. Minor. lib. 1. Quæstionarij, quæst. 57. dub. 3. *Potestas*, inquit,

ciuilis

ciuilis subiecta est, non quidem potestati temporali Papæ; sed spirituali aliquo modo, in casu necessitatis, vel magnæ vtilitatis spiritualium. Et Ecclesia, & maximè Papa, habet potestatem, & auctoritatem, vel iurisdictionem aliquam temporalem in ordine ad finem spiritualem super omnes homines, & Principes, & res omnes, & Regna totius Mundi.

Ludouicus Molina, tom.1. de iustit. & iure, tract.2. disp.29. cõcl.3 *Potestas*, inquit, *spiritualis summi Pontificis ad finem supernaturalem, adiunctam quasi ex consequenti habet supremam, & amplißimam potestatem iurisdictionis temporalis super omnes Reges, & reliquos, qui sunt de Ecclesia; præcisè tamen quantum postulat finis supernaturalis, ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest Summus Pontifex deponere Reges, eosque Regnis suis priuare.*

A

Didacus Couarruuias, in tract. de Restitutione super Regulam, *Peccatum*, p.2. §.9. num. 7. *Hæc*, inquit, *sententia vera est in hoc sensu, vt Papa verè habeat potestatem temporalem, etiam super Imperatorem, quatenus ea vtilis, & necessaria sit ad Ecclesiæ Catholicæ regimen, & spiritualis potestatis vsum.*

Ferdinandus Vasquius, lib.1. Illustrium controuersiarum, cap.21. *Cæterùm*, inquit, *Papa habet etiam iurisdictionem in temporalibus, quatenus necessaria sunt ad spiritualium expeditionẽ.* & infrà, *Id quod admittunt communiter vtriusque partis fautores.*

B

Michael de Aninyon, in tract. de vnitate Ouilis, & Pastoris, num.12. *Penes Papam*, inquit, *est vtraque suprema potestas, licet non habeat vsum gladij temporalis: & quia potestas Papæ immediatè à Deo emanauit, & ipsi soli Deo subest: potestas verò Imperatoris à Vicario Christi, cui est subordinata; ideò Papa potest Imperium de certo genere personarum trãsferre ad aliud, & Imperatorem vngit, & coronat, confirmat, approbat, & reprobat, ac etiam deponit causis exigentibus.*

C

Martinus Nauarrus, in Comment. ad cap. Nouit. de Iudicijs notab.3. num.41. *Potestas*, inquit, *Ecclesiastica, est species potestatis, distincta à laica, & longè nobilior ea < vt aurum est species metalli, distincta à specie plumbi, & nobilior ea; quæque directè solùm amplectitur supernaturalia: indirectè verò eatenus naturalia, quatenus sunt necessaria ad consecutionem finis supernaturalis.* & infrà, nu.99. *Colligitur*, inquit, *ratio quare Papa deponere potest Reges adeò negligentes in regendis Regnis suis, vt ob id populus Dei subditus illis retrahatur à consequenda vita æterna.* Porrò hic auctor plurimos citat in eandem sententiam.

D

Ioannes Azorius, tom. 2. institut. Moral. lib.10. cap.2. quæst.2. *Constantius*, inquit, *Imperator Arianus, & Arianorum fautor poterat authoritate Romani Pontificis ab Imperio deyci, de iure, non de facto; quia ad factum vires Pontifici deerant, non ius faciendi.*

Michael Vulturninus Pampilonensis in tractatu *de regimine Mundi*, parte secunda, quæstion.2 num.83. sic ait: *Ratione Fidei, aut peccati grauis & manifesti, si incorrigibilis fuerit Imperator, aut Rex, potest Papa eum deponere.*

SENTENTIA ILLVSTRIVM *Scriptorum nationis Germanicæ.*

Stephanus Episc. Albestatensis, in epist. quæ extat in Appendice Mariani Scoti, loquens de Henrico IV. Imperatore, *Dominus*, inquit, *Henricus hæreticus est, & pro nefandis malis à Sede Apostolica excommunicatus, nec Regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, potest obtinere.*

Hugo de Sancto Victore, natione Saxo, vir doctrina, & sanctitate celeberrimus, lib.2. de Sacrament. par.2. cap.41. *Spiritualis*, inquit, *potestas, terrenam potestatem, & instituere habet vt sit, & iudicare habet, si bona non fuerit. Ipsa verò à Deo primùm instituta est, & cùm deuiat, à solo Deo iudicari potest.*

Henricus de Gandauo, Quodlibeto 6. quæstione 33. *Iste*, inquit, *Hierarcha primus post Christum super vniuersalem Ecclesiam Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commisit; sic, vt regimen vniuersalis Ecclesiæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ad ipsum pertineret.*

Vlricus in sua Summa, sic ait, *Si Rex esset manifestè hæreticus, vel si interpellatus ab Ecclesia, negligeret nihilominus regimen Regni sui, quantum ad ea quæ sunt fidei, scilicet si non intenderet extirpationi hæreticorum, posset ab Ecclesia deponi à regia dignitate.* Hunc auctorem allegat Ioannes de Turrecremata, loco supra citato.

Dionysius Carthusianus, in lib. De regimine politiæ, art.19. *In Ecclesia*, inquit, *Dei est vnus Pontifex summus, videlicet Dominus Papa, in quo est vtriusque, potestatis, atque Dominij plenitudo, & apex, hoc est, tam spiritualis, quàm secularis potestatis: idcirco iurisdictionem, & dispositionẽ habet super omnia Regna & Principatus fidelium, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, dum rationabilis causa requirit. Nam & Imperatorem potest deponere, & Reges, si vita eorum id mereatur, Regnis suis priuare.*

Ioannes Driedo, lib.1. De libertate Christiana, cap.14. *Verùm*, inquit, *hic non est silentio prætereundum, quòd Papa ex plenitudine potestatis super vniuersos Principes Christianos, potest Reges, ac Principes propter hæresis crimen priuare suis Regnis, atque Imperijs, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia, & subiectione eorũ.* Vide etiam, cap.9. vbi demonstrat auctor in ordine ad finem supernaturalem, subiectam esse potestatem temporalem potestati spirituali.

Albertus Pighius, lib.5. de Ecclesiastica Hierarchia, cap.2. *Quare*, inquit, *hi omnes* (Reges, & Principes videlicet Christiani) *vt pars, & membra sunt Ecclesiæ, necessariò etiam subsunt Ecclesiasticæ Hierarchiæ Præsidi, qui sui Imperij habenâ moderetur eosdem; in suam mutuò, & totius corporis vtilitatem conspirantes teneat; omnes contineat in officio, præuaricantes corrigat, & si ita exigat totius necessitas; administratione quoque, & officio amoueat, & in locum eorum constituat alios, aut constituendos præcipiat per eos, ad quos hoc ipsum de iure, ac consuetudine pertinet.* Vide eundem auctorem, cap. quartodecimo, vbi id ipsum repetit, & exemplis allatis probat.

Iacobus

Iacobus Latomus, in lib. de Ecclesia, cap. 14. *Ex eisdem*, inquit, *principijs conficitur, Regem aut alium quemcunque terrenum Principem Christianum, Regno, & Principatu iure priuari posse per Ecclesiam; quia Regnum, & Principatus cum personis, vt supra dictum est, in Ecclesia corpus, & ius transit per sacrum baptisma, & per Christianæ Religionis liberam acceptionem Christo, & Sponsæ eius dedicatum, & consecratum, & donatum donatione irreuocabili.* hæc ille, qui potestatem Ecclesiæ plenissimè residere in summo Pontifice demonstrauit in alio libro, quem de Primatu Romani Pontificis inscripsit.

Conradus Brunus, lib. 3. de Legationibus, cap. 6. *Hæc*, inquit, *iurisdictio iudicia ciuilia, & criminalia, denunciationes, & inquisitiones, accusationes, pœnas item, & censuras Ecclesiasticas complectitur in personas, & res Ecclesiasticas: multis etiam casibus, in laicas personas, & pro rebus temporalibus datur. In his omnibus plenissimam habet iurisdictionem summus Pontifex: determinatam autem, & certis limitibus conclusam Archiepiscopi, Episcopi, &c.*

Gabriel Biel insignis Theologus, lect. 23. in Canone Missæ, *Ille*, inquit, *regit, & custodit, qui propter ipsius Ecclesiæ regimen, vnum* (Papã videlicet) *præposuit vniuersis, vt omnes ab vno, sicut corpus à capite gubernentur.* Et propè finem: *Papa transfert potestatem supremam secularem de gente in gentem, & Imperatorem deponere potest*, &c.

Lupoldus à Bambergâ in libro de Iure Regni & Imperij cap. 10. *Potest*, inquit, *Rex propter crimen Hæresis vel aliud crimen notorium, de quo incorrigibilis appareret, à regno deponi.* Et infra cap. 12. Declarat hanc depositionem fieri debere per Papam.

Cunerus Petri, Episcopus Leouardiensis lib. de officio Principis Christiani. cap. 8. sic loquitur. *Quodsi hæc non iuuent, & Superiorem in temporalibus non agnoscit, vti Rex; tunc supremus Ecclesiæ Pastor interpellandus occurrit, qui bonis & æquis subditorum querelis auditis, plura Deo cooperante, ratione & auctoritate præstare poterit, quam vnquam populus armis impetrabit, cuius etiã diuina potestate, si Princeps Hæreticus sit, vel pertinaciter intolerabilis, deponi poterit.*

Sententia Illustrium Scriptorum nationis Anglicæ, & Scoticæ.

Alexander Alensis Anglus Ordin. Min. Vir doctissimus, & Sanctorum Thomæ, & Bonauenturæ Præceptor, par. 4. quæst. 10. in explicatione Canonis Missæ, in illud, Et pro Rege. N. *Spiritualis*, inquit, *potestas terrenam habet instruere, & iudicare, si bona fuerit: ipsa verò à Deo primum instituta est, & cùm deuiat, à solo Deo iudicari potest.* Idem Alexand. par. 4. q. 79. memb. 5. & 6. *Voluit*, inquit, *Deus quosdam in alios plures habere potestatem; & deinde in illos alios pauciores; & sic semper donec deueniretur ad vnum, scilicet Papam, qui sub Deo immediatè est.* Quo loco docet Alexander, Papam ita præesse omnibus potestatibus, vt ipse solus sub Deo immediatè sit.

Robertus Olkot Anglus, in lib. Sapientiæ, lect. 200. *Hic autem*, inquit, *est Rex Regum, cui omnes subsunt nationes, & populi, qui temporalia ab eo recipiunt: Sacerdotio tamen, ac summo Pontifici debet subesse.* & infra, *Samuel vnxit Dauid in Regem in figura, quod Vicarius Christi, & Prælatus Ecclesiæ confert principatum, & regiam potestatem ad vtilitatem Ecclesiæ: vnde ius & auctoritas examinandi personam electam in Regem, & promouendi ad Imperium, ad Papam pertinet.*

Franciscus Maironus Scotus, in 4. sent. dist. 19. quæst. 4. *Plenitudo*, inquit, *potestatis secundùm vtramque iurisdictionem concurrit in eandem personam: hoc patet auctoritate Christi dicentis, Quodcunque ligaueris, &c.*

Ioannes Bachonus Anglus Ord. Carmelitarum, in Prologo super 4. sent. quæst. 11. art. 4. *Papa*, inquit, *habet iudicare de Regnis, & de Regibus in causa belli, & pacis: potest enim compellere Principes temporales, vt pacem, & iustitiam sibi inuicem seruent.* & infrà, *Habet Regem deponere, vt alteri Regnum tribuatur, ratione iniquitatis, vel inutilitatis suæ personæ. Item habet Imperatorem deponere, & Imperium alteri dare, si non defendat Ecclesiam.*

Thomas Valdensis Ordin. eiusdem, in lib. 2. Doctrinalis fidei antiquæ, art. 3. cap. 75. explicans quo sensu Sanctus Gregorius seruum se Imperatoris dixerit, *Profectò*, inquit, *nec Beatus Papa Gregorius eminentiæ sui status super statum Imperatoris præiudicauit in aliquo, cùm Regem sibi verbotenus præposuit, negocio quoque, quod tunc tractabatur attento: quod tunc aptè videbimus, si posteriora eius facta, & scripta quæramus. Vide an se Magistrum & Imperatorum, & Regum non arbitraretur, cùm post priuilegia quædam Senatori presbytero, & Abbati Xenodochij Francorum directa sub interminatione dignitatis, & honoris omni eius violatori conclusit.* hæc ille, qui continuò subiungit duo priuilegia Sancti Gregorij, quibus minatur Regibus Regnorum amissionem, si priuilegia illa violare præsumerent.

Reginaldus Polus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in lib. de summo Pontifice, c. 8. *Ex quo*, inquit, *id quod paulò ante diximus, ita concludi potest, Christi Vicarium, cui singulare, & maximum omnium ministerium commissum est, illud nimirum, quod vltimum spectat hominis finem, in orbe terrarum, Ecclesiæque gubernandæ, obtinere summam, ac præcipuam potestatem inter cæteros omnes Dei Ministros, seu Imperatores, seu Reges, seu Principes, aut quocunque alio nomine nuncupentur.*

Nicolaus Sanderus, in lib. 2. De Visibili Monarchia Ecclesiæ, cap. 4. *Ex his igitur*, inquit, *quæ tum diuinum ius, tum ipsius naturæ lumen reuelat, abundè apparet, quantoperè aberrent à veritate, qui putant Reges Christianos in suis Regnis supremam semper potestatem habere, nec vnquam Episcopis ita subesse, vt cum in fidem obstinatè peccant, à Regno remoueri queant.* & supra, *Pontifex igitur non minus dabit operam, vt Regem, qui populum Christianum falsa doctrina imbuit, à regimine populi remoueat, quam Pastor operam dat, vt malè affectum Arietem de medio tollat.*

Habemus igitur, quæ doctrina viguerit in Ecclesia antequam Barclaius, & Ego litigare inciperemus. Et si S. Augustinus, in lib. 2. cap. vltimo aduersus Iulianum, adductis testimonijs vndecim Scriptorum, quorum aliqui ante

ducentos annos, aliqui ante centum, aliqui ipsius ætate vixerant; affirmat, in nullo Concilio Ecclesiastico tot illustres Scriptores, & Magistros vnquam simul conuenisse; & miratur, si Iulianus in illum conuentum introductus os aperire, & tot viris grauissimis, & doctissimis resistere ausus fuisset: quantò maiore ratione possumus nos affirmare, in nulla Synodo quãtumuis numerosa conuenisse vnquam Scriptores eximios supra septuaginta, quorum aliqui ante quingentos annos floruerunt, quique diuersis seculis in diuersis Christiani Orbis partibus, non solùm doctrina, sed etiam sanctitate, & miraculis Ecclesiam illustrarunt? Et quãuis affirmare non possum, an Barclaius in coronam tot insignium Scriptorum introductus, si nunc viueret, resistendum, an cedendum sibi esse censeret: hoc tamen securus affirmo, vel omnium istorum libros, quibus Ecclesia tot iam sæculis vsa est, exterminandos esse; vel Barclaij libellum, vt scandalosum, temerarium, seditiosum, & erroneum flammis vltricibus esse tradendum.

Sententia Conciliorum de potestate Summi Pontificis in temporalibus.

SEd si fortè alicui fidem non faciant testes singulares, quamuis plurimi, & omni exceptione maiores: veniam ad testes, contestes, eosque penè innumerabiles, qui aduersus Barclaium testimonium dicent. Ante annos nongentos à Gregorio secundo Romano Pontifice excommunicatum fuisse Leonem Isauricum Imperatorem, propter crimen hæreseos, & vectigalibus Italiæ, ac per hoc parte Imperij mulctatum, testantur Historici Græci, Glycas, Theophanes, Cedrenus, & Zonaras, in Leone Isaurico; & Latini Sigebertus anno 727. Paulus Diaconus lib. 21. & Platina in Gregorio III. Latini enim tribuunt Gregorio III. hoc factum, quoniam is Gregorij II. sententiam confirmauit. Porrò sententiam Gregorij II. in Synodo Episcoporum latam fuisse, testatur Ioannes Zonaras Græcus auctor, in vita Leonis Isaurici, cuius hæc sunt verba, tom. 3. Annalium, *Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, illos vnà cum Imperatore synodico anathemate obstrinxit. & vectigalia, quæ ad id vsque tempus Imperio inde pendebantur, inhibuit, inito cum Francis fœdere.* Itaque tota illa Synodus Gregorio Pontifici assensit, totque sunt eius rei testes, quot in eandem Synodum Episcopi conuenerunt.

Deinde post annos circiter trecentos, cùm Gregorius VII. Pontifex, Henricum IV. Imperatorem sæpius admonitum excommunicauit, & Imperio, Regnoque priuauit; non id occultè, & solo suo arbitratu, sed in Synodo Romana, ad quam plurimi Episcopi vndique conuenerant, omnibus consentientibus, & laudantibus; publicè, & solemni ritu, ac ceremonia fecit: de hac Synodo scribitur, in lib. 7. Registri Gregorij VII. actam esse anno Domini 1080. anno septimo eiusdem Gregorij, atque ad eam Synodum conuenisse Archiepiscopos, & Episcopos, nec non Abbates, & diuersorum ordinum Clericorum & Laicorum innumerabilem multitudinem.

A His addi debent alia quinque Concilia habita à successoribus Gregorij VII. videlicet Beneuentanum à Victore III. Placentinum ab Vrbano II. Romanum à Paschale II. Coloniense à Gelasio II. Remense à Callisto II. in quibus confirmata est sententia Gregorij VII. Vide de his Concilijs infra cap. 9.

Præterea cum Vrbanus II. Pontifex Philippum primum Francorum Regem, ob repudiatam legitimam vxorem, & adulteram in matrimonium acceptam, & admonitum obedire recusantem, excommunicaret, & corona Regni priuaret; id fecit in Concilio frequentissimo Claramontano, vt testis est Sigebertus, in Chronico anni 1095. & clarius idē refert Matthæus Paris in Villielmo II. ad annum 1095.

B Sed quòd cum excommunicatione intelligeretur priuatio regiæ dignitatis, intelligi potest ex Iuone Episcopo Carnotensi, qui in Epist. 28. ad Vrbanum II. Papam, sic loquitur, *Qui ad vos venturi sunt in calliditate ingenioli sui, & vetustate lingua impunitatem flagitij se impetraturos Regi à sede Apostolica promiserunt, hac ratione ex parte vsuri, Regem cum Regno ab obedientia vestra discessurum, nisi coronam restituatis, eumq; ab anathemate absoluatis.* Intelligi potest etiam ex historicis, qui testantur, veritum fuisse ab Vrbano Pontifice, ne diadema regium Philippo excommunicato imponeretur. Vide Chronicum Io. Naucleri, Gener. 37. Paulum Aemiliũ, lib. 3. in Rege 38. Papirium Massonium, Annal. lib. Adde etiam quod scribitur, in Summario, siue Compendio historiarum Francicarum Nicolai Vignerij, toto tempore quo

C Philippus sub anathemate vixit, in publicis scripturis non fuisse positum de more, *regnante Philippo*; sed, *regnante Christo*, quia videlicet Regem excommunicatum pro Rege populus non habebat.

Adhæc, Innocentius III. Pontifex anno 1215. Concilium generale Lateranense, quod iure maximum dici solet, conuocauit: adfuerunt enim cum ipso summo Pontifice Patriarchæ Orientales duo per se, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus: duo per Legatos, Alexandrinus, & Antiochenus, Archiepiscopi septuaginta, Episcopi quadringenti duodecim, Abbates, Priores conuentuales octingenti, Legati Imperatorum Occidentis, &


D Orientis, Regum verò, Hierosolymæ, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypr. In hoc igitur Orbis Christiani celeberrimo conuentu editus est Canon, qui est ordine tertius, aduersus hæreticos in hæc verba, *Excommunicamus, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam Orthodoxam Catholicam fidem, quam superius exposuimus*, &c. & infrà, *Si verò Dominus temporalis admonitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & Comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, vt extunc ipse Vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis sine vlla contradictione possideant,*

deant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure Domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum praestet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus lege seruata circa eos qui non habent Dominos principales. Quid hic Barclaius diceret? si hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, vbi obsecro eam inueniemus? & si est (vt verissimè est) qui eam audire contemnit, vt Barclaius fecit, an non vt Ethnicus, & publicanus, & nullo modo Christianus, & pius habendus erit? si nō habet summus Pontifex potestatem in terris, disponendi de temporalibus vsque ad depositionem Principum eorum, qui vel ipsi hæretici sunt, vel hæreticis quoquo modo fauent, cur in editione huius Canonis nullus ex tanto numero reclamauit? Cur ne vnus quidem ex tot Imperatorum, & Regum Oratoribus mutire ausus est? Nondum videlicet parasiti Principum temporalium exorti fuerant, qui, vt regna temporalia stabilire videantur, Regnum æternum ijs, quibus adulantur, eripiunt.

Sed addamus & Lugdunense Concilium. Ergo Innocentius IV. Pontifex anno salutis 1245. Lugduni generale Concilium celebrauit, in quo præter Archiepiscopos & Episcopos vndique euocatos, interfuerunt etiam Balduinus Imperator Orientis cum alijs multis Principibus. Sanctum quoque Ludouicum Francorum Regem eo tempore Lugduni fuisse, & Pontifici adfuisse, testantur AEmilius, & Nauclerus. Atque in conuentu illo, Ecclesiam vniuersam sine dubio repræsentante, lata est sententia in Fridericum II. Imperatorem in hæc verba, *Nos itaque super præmissis, & quam pluribus alijs eius nefandis excessibus, cum fratribus nostris, & sancto Concilio, deliberatione præhabita diligenti, cum Iesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, nobisque in B. Petri persona dictum sit, Quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis, memoratum Principem, qui se Imperio, & Regnis, omnique honore, & dignitate reddidit indignum, quiq; propter suas iniquitates, à Deo, ne regnet, vel imperet est abiectus, suis ligatum peccatis, & abiectum, omnique honore, & dignitate priuatum à Domino ostendimus, & denunciamus; & nihilominus sententiando priuamus; omnes qui ei fidelitatis iuramento tenentur astricti, à iuramento huiusmodi perpetuo absoluentes, auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero, sibi tanquam Imperatori pareat, & intendat: decernendo quoslibet, qui ei deinceps veluti Imperatori, vel Regi consilium, vel auxilium præstiterint, sententiæ excommunicationis sententia subiacere. Illi autem ad quos in eodem Imperio, Imperatoris spectat electio, eligant liberè successorem. De præfato Siciliæ Regno prouidere curabimus, cum eorundem fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.* Hæc sententia est summi Pontificis toto approbante Concilio, hoc est, tota consentiente, & laudante Christianorum Præsulum vniuersitate: & tamen audet vnus, nescio quis contra disputare, & librum suum in lucem edere, atque imperitorum oculos fascinare. Quod si singula per se Concilia Catholicæ Ecclesiæ, præsertim cùm in ijs præsidet summus Pontifex, fidem amplissimam faciunt, vt nemini fas sit contra sentire; quanta temeritas esset, si quis decem Concilijs frequentissimis, simul iunctis, contradicere auderet? Nam etiam si Concilia illa diuersis locis, & temporibus habita sint, tamen facilè possunt ante oculos mentis omnia simul constitui, & ex omnibus vnum maximum, & numerosissimum fieri, vbi simul conspiciantur Gregorius VII. Victor III. Vrbanus II. Paschalis II. Gelasius II. Callixtus II. Innocentius III. & Innocentius IV. Sanctissimi omnes, doctissimique Pontifices, apostolica potestate, Reges hæreticos, vel hæreticorum patronos excommunicantes, atque à Regni solio deponentes; & simul omnes Præsules Ecclesiarum cum Legatis omnium ferè Principum sententias tantorum Pontificum, vt iustissimas approbantes & collaudantes. Certè si Barclaius, aut quicunque illi similis est, in eiusmodi conuentum introduceretur, mirum est, si loqui auderet, imò si non continuò obmutesceret. Sanct. Augustinus lib. 1. in Iulianum, cap. 2. Concilium Palæstinum Episcoporum 14. satis magnæ auctoritatis futurum existimauit ad vnius Iuliani audaciam comprimendam; cur igitur non multò magis valeant ad vnius Barclaij temeritatem damnandam Episcopi supra mille, qui in 10. Concilijs conuenerunt? Hanc igitur sententiam Ecclesiæ Catholicæ, quam in meis Disputationibus de summo Pontifice, cùm iuuenis adhuc essem, breuiter attigeram, cogor nunc aduersus Gulielmum Barclaium senex defendere: quem sanè laborem ab homine, qui se Catholicum profitetur, mihi adferendum, suspicatus nunquam fuissem: Nam eos, qui foris sunt, & assiduè contra me scribunt, nihil moror.

CAPVT PRIMVM.

DE EXCVSATIONE BARCLAII.



HIS ergo quasi prolegomenis præmissis, venio ad librum Barclaij. Is in primo capite totus est in se excusando, & purgando, quòd in hac quæstione de potestate Papæ scripserit, quod scripsit. Ac primùm probat, licuisse sibi sententiam suam dicere, quia multi alij Catholici id fecerunt.

§ *Si complures*, inquit, *tum Theologi, tum Iureconsulti, alij post alios in eandem hanc quæstionem excutiendam incubuerunt, nec priorum de ea iudicium sequentium Scriptorum sententijs præiudicauit; cur non & ego aliquem indagandæ veritatis locum (quandoquidem in eo studio ætatem consumpsi) meo mihi quodammodo iure vindicem?*]

At quanti momenti sit hæc ratio, vel ex eo potest intelligi, quòd ne suo quidem hæredi, aut amico singulari persuasit. Cur enim hæres ipsius, aut quicunque fuit, qui librum eius edidit, qui certè amicissimus fuit, & nomen suum, & Typographi, & loci, in quo liber editus est, silentio inuoluendum censuit, nisi

quia non sine causa existimauit, non licuisse auctori impunè scribere quod scripsit? Nam alioqui hæreticorum omnium errores excusari possent. Ergo licuit Catholicis scriptoribus, qui consentiunt in re, disputare de modo: non licuit Barclaio aduersus omnes alios Scriptores, atque aduersus Conciliorum etiam generalium sententiam, negare omninò potestatem Summi Pontificis in temporalibus: quemadmodum licuit, & licet Scholasticis Doctoribus, qui confitentur in Deo vnitatem essentiæ cum Trinitate personarum, multa disputare de attributis essentiæ diuinæ, & personarum constitutione: sed non licuit Arianis veteribus, & nouis, vel essentias Dei scribendo multiplicare, vel Trinitatem confundere. Pari ratione licuit, & licet Catholicis Doctoribus, qui consentiunt de substantia septem Sacramentorum, disputare de multis, quæ ad fidei fundamenta non pertinent; non tamen licet, nec licuit sectarijs Lutheranis, & Caluinistis tam multa scribere contra substantiam, & numerum Sacramentorum: quod idem de alijs Fidei dogmatibus dici potest. subiungit Barclaius.

§ *Monendus in primis Lector est, omni me reuerentia, & beneuolentia Sedem illam prosequi. nec id aut hic, aut alibi agere, vt debita potestatis, & dignitatis aliquid decedat Vicario Christi, & successori Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.)*

Ad hoc videtur simile esse ei, quod scribit S. Marcus cap. 15. *Percutiebant caput eius arundine, & ponentes genua adorabant eum:* & quod scribit S. Ioan. cap. 19. *Veniebant ad eum & dicebant, Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas.* Sic enim Barclaius omni reuerentia, & beneuolentia prosequitur Apostolicam Sedem, sed interim potestatem eius ferè dimidiat: addit postea.

§ *Eos itaque obsecro, qui ante me bono, vt opinor, animo scripserunt, ne indignentur, aut succenseant, si ab illorum opinione recessero: neque enim (vt cum sancto Augustino loquar epist. 111.) quorumlibet disputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum, veluti scripturas canonicas habere debemus, &c.)*

At ego non indignor, neq; succenseo, quòd à mea opinione, vel Barclaius, vel alius quicunque recesserit: sed illud æquo animo ferre non possum, quòd à communi Scriptorum sententia in re tam graui, imò etiam à Conciliorum vniuersalium sensu, & consensu vllus recedat. Et quamuis non debeamus libris doctorum, quantumuis Catholicorum, & laudatorum hominum eam reuerentiam, quam Scripturis sanctis debemus: tamen negari non potest, quin communi Scriptorum sententiæ multum omninò tribui debeat, vt à temeritate excusari non posit, qui contra torrentem Doctorum, vt dici solet, scribendo nititur. Nam ipse idem sanctus Augustinus, qui scripserat, disputationes quorumlibet hominum nullo modò æquandas esse auctoritati scripturarum diuinarum; Iuliani temeritatem arguit, quòd se auderet opponere vndecim scriptoribus Catholicis, quorum verba, & sententias diligenter expendit lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. vlt. aduersus Iulianum.

A Deinde Barclaius ad rem propius accedens refert duas Catholicorum sententias. Alteram, quam plerique Canonistarum sequuntur, quòd in summo Pontifice sit potestas vtraque spiritualis, & temporalis, vt Christi Vicarius est. Alteram, quæ Theologis ferè communis est, quòd Potestas summi Pontificis, vt Christi Vicarius est, spiritualis propriè, ac per se sit, sed tamen per eam disponere posit de temporalibus, vt ad spiritualia ordinantur. Tum sententiam suam, pro qua nullum Catholicum scriptorem citat, ita proponit.

Mihi verò, inquit, *neutra istarum opinionum, quantum ad temporalem potestatem, satis firma visa est.* & paulò infrà, *Theologi itaque isti Canonistarum opinionem probissimè refellunt, sed pace ipsorum dicam, nec ipsi melius sentiunt.)*

B Hæc ille, qui satis apertè se prodit, tamquam alterum Ismaelem è regione vniuersorum fratrum suorum fixisse tabernaculum, vt manus eius contra omnes essent. Gen. 16. Extremam partem primi capitis totam consumit in refutatione, vel potius irrisione Bozij, qui cùm se Theologum profiteatur, Canonistarū opinioni adhærere maluit. De qua re nihil habeo quod dicam: nam Bozij opinionem, neque refutare, neque defendere statui; sed id tantùm, in quo Catholici omnes conueniunt, & in quo à Barclaio omnes dissidemus, confirmare, meque ipse ab eiusdem Barclaij obiectionibus propugnare decreui.

CAPVT II.

C *Excutitur Principium siue fundamentum doctrinæ Barclaij.*

IN secundo capite Barclaius fundamenta iacere aggreditur doctrinæ suæ: quorum vnum, ac fortè primarium est, *Potestatem Ecclesiasticam, & Politicam iure diuino distinctas, & separatas esse, vt, quamuis ambæ à Deo sint, vtraque suis terminis conclusa in alterius fines inuadere suo iure nequeat, neutrique in alteram imperiū sit.* Ad probandum hoc principium adducit Can. *Duo sunt*, &, *Cùm ad verum*, dist. 96. cap. *Nouit.* de Iudicijs, cap. *Per venerabilem*, *Qui filij sint legitimi*, S. Bernardum lib. 1. de Consid. Ioan. Driedonem lib. 2. de Libertate Christiana, cap. 2. & Hosium Cordubensem Episcopum, apud Athanasium in epist. ad solitariam vitam agentes.

D At qui hoc principium, siue fundamentum in vltima particula falsum omninò esse contēdimus, in illis videlicet vltimis verbis, *Neutrique in alteram imperium sit.* Siquidem affirmamus, Ecclesiasticam potestatem, distinctam quidem esse à Politica, sed ea non modo nobiliorem, verum etiam ita superiorem esse, vt eam dirigere, & corrigere, & in certis casibus, in ordine videlicet ad finem spiritualem, & vitam æternam, eidem imperare posit.

Neque vltima illa particula, videlicet: *Neutrique in alteram imperium sit*, inuenitur in testimonijs allegatis siue ex Canonibus, siue ex Doctoribus. In Canon. *Duo sunt*; qui desumptus est ex epist. Gelasij Papæ primi, ad Ana-

Italium Imperatorem, hæc habentur, *Duo sunt quippè Imperator Auguste, quibus principaliter Mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis Potestas: in quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regiminibus hominum in diuino sunt reddituri examine rationem.* & infrà, *Nosti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.*

Hæc ibi: vbi non solùm non habetur, quod Barclaius dicit, *Neutri in alteram imperium esse*; sed habetur omninò contrarium: nam si Pontifex redditurus est Deo rationem pro regiminibus hominum, certè dirigere debet ea regimina, & si fortè deuiant corrigere, atque in viam reducere. Quo modo autem potest dirigere, & corrigere humana regimina, si nullum in ea imperium habet?

Pari ratione in Canone, *Cùm ad verum*, qui ex epistola Nicolai Papæ primi, ad Michaelem Imperatorem, sumptus est, non habentur illa verba, *Neutri in alteram imperium esse.* Hæc enim sunt verba Pontificis Nicolai: *Cùm ad verum ventum est, vltra sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: quoniam mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit.*

Hic quoque nullo verbo indicatur, Neutram potestatem in alteram habere imperium, sed solùm discretas esse actibus, dignitatibus, & officijs.

Et quoniam idem Nicolaus paulò post subiungit, Christianos Imperatores egere Pontificum ministerio pro æterna vita; & contra Pontifices vti legibus imperialibus pro cursu tantùm vitæ temporalis: apertissimè indicatur, finem potestatis pontificiæ, superiorem esse fini potestatis politicæ, ac per hoc potestatem Pontificum imperium habere super politicam potestatem, quatenus opus est, vt potestas politica non impediat adeptionem vitæ æternæ, ad quam à pontificia potestate dirigenda est: Sic etiam in cap. *Nouit*, de iudicat. & in cap. *Per venerabilem*, Qui filij sint legitimi, quæ sunt Innocentij III. Pontificis; nihil omninò habetur, vnde colligi possit, politicam potestatem spirituali, siue Ecclesiasticæ potestati non esse subiectam: alioqui non decreuisset idem Pontifex in Concilio Lateranensi generali, cap. 3. posse Principes sæculi per Apostolicam Sedem Principatu priuari, si negligentes essent in purgandis terris suis ab hæretica labe, & admoniti ab Episcopis, non obedirent. Neque idem ipse Othonem IV. Imperatorem deposuisset, si existimasset, potestati Ecclesiasticæ nullum imperium esse in politicam potestatem. Sanctus quoque Bernardus in primo lib. de Considerat. dicit quidem, Pontificis potestatem esse in peccata, & spiritualem; sed idem Sanctus Bernardus lib. 4. de Consider. cap. 4. vtrumque gladium spiritualem, & materialem dicit esse ecclesiæ, & materialem *ad nutum Pontificis* euaginandum esse: quæ sanè non diceret, nisi crederet gladium materialem gla-

A dio spirituali esse subiectum.

Porrò de sententia Ioann. Driedonis, nulla dubitatio esse potest: nam dicit quidem potestates, Ecclesiasticam, & politicam esse discretas; sed dicit etiam politicam Ecclesiasticæ adeò debere esse subiectam, vt possit Pontifex in certis casibus in ordine ad vitam æternam Reges, & Principes Regnis suis, dominijsque priuare, vt nos supra allatis verbis ipsius indicauimus. Denique Hosij Episcop. Cordubensis verba à Sancto Athanasio commemorata, distinctionem officiorum vtriusque potestatis demonstrant, æqualitatem non demonstrant: *Tibi Deus*, inquit, *Imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit: & quemadmodum, qui tuum Imperium malignus oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ; ita*

B *& tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias: date, scriptum est, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Neque igitur fas est nobis in terris Imperium tenere, neque tu tymiamatum, & sacrorum potestatem habes Imperator*, hæc ille, qui non repugnat sancto Gregorio Nazianzeno, qui Oratione, ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem apertissimè docet, Ecclesiasticam potestatem ita se habere ad politicam, vt anima se habet ad corpus: animam autem præesse corpori, illudque regere, eique imperare nemo vnquam in dubium reuocauit.

Pergit deinde Barclaius, & Bozium exagitat, eiusque responsiones, & disputationes refellit: quæ ipsi Bozio integra relinquo; non enim defendenda suscepi, nisi ea, quæ causam

C communem, vel meam particularem attingunt: quale est illud, quod in extremo capite Barclaius dicit, non posse vnam potestatem alteri subordinari, & subiectam esse, nisi dignitas, & officium, quod est in subordinato, sit etiam in subordinante. Nam subiectionem & subordinationem potestatis politicæ ad Ecclesiasticam, omnes Catholici docemus: sed non omnes admittimus quod Barclaius inde colligit. Hæc enim subordinatio duobus modis potest intelligi: vno modo, vt potestas, quæ est in subordinato, deriuetur à subordinante, qualis est potestas Vicarij, quæ deriuatur ab eo, cuius est Vicarius, & Legati, quæ deriuatur à Principe, qui eum legauit, & Iudicis, siue Præsidis, quæ deriuatur à Rege;

D & tunc sine dubio potestas subordinantis includit potestatem subordinati: altero modo, vt vna non deriuetur ab altera, sed ob id solùm subiecta, & subordinata sit alteri, quia finis vnius subijcitur, & subordinatur fini alterius, qualis est subordinatio, & subiectio variarum artium ad artem regendi populos, quæ Regia dici potest. Verè enim dixit Poeta.

Excudent alij spirantia mollius æra,
Credo equidem viuos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius, cœliq; meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere Imperio populos Romane, memento,
Hæ tibi erunt artes.

Ars enim regendi populos distincta est ab artibus, sculptoria, oratoria, astronomica, & a-

lijs similibus, neque vna deriuatur ab alia, neque vna propriè alteram includit; & tamen omnes subordinantur, & subiectæ sunt arti regendi populos, vt possit Rex omnes dirigere ad communem populi vtilitatem, & nisi pareant, exterminare de regno suo, vel remouere quoslibet artifices, & alios substituere; quoniam fini artis Regiæ subijciuntur, & subordinantur fines artium cæterarum. Iam igitur si subiectio, & subordinatio potestatis politicæ ad Ecclesiasticam intelligatur priore modo, vtique sequitur, vt potestas politica coniuncta sit Ecclesiasticæ; neque video quo modo id non repugnet verbis Gelasij, Nicolai, & Innocentij Summorum Pontificum; necnon Hosij, Bernardi, Driedonis: sed si intelligatur posteriore modo, vt nos eam intelligimus, tùm ratio, & exempla Barclaij nihil omninò concludunt: quemadmodum enim ars Regia non includit artem sculptoriam, neq; sculptoria deriuatur à Regia; & tamen ars Regia imperat sculptoriæ, eamque subiectam, & subordinatā habet, & potest, ac debet Rex Sculptori iubere, vt non sculpat statuas obscœnas, ne corrumpatur iuuentus; neque ex auro, vel argento, vt ea metalla seruentur ad vsum magis necessarium; neque statuas suas nimis magno precio vendat, ad coercendam auaritiam: sic ars Ecclesiastica regendi animas, quæ est ars artium, & præcipuè residet in Papa, non includit necessariò artem regiam, neque necesse est, vt omnia Regna deriuentur ab Ecclesia; & tamen quia finis eius est vita æterna, ad quam subordinantur omnes alij fines; subiecta, & subordinata est illi ars politica regendi populos, & potest, ac debet Summus Pontifex Regibus imperare, vt non abutantur potestate Regia ad Ecclesiam euertendam, ad hæreses, & schismata fouenda, ad perniciem denique æternam animæ suæ, & populorum sibi subiectorum; & si non obtemperent, cùm admoniti fuerint, potest eos de Ecclesia per censuram excommunicationis eijcere, & populos à iuramento fidelitatis absoluere, denique etiam eos Regno exuere, & Regia potestate priuare.

CAPVT III.

Potestatem summi Pontificis in temporalibus, non esse rem dubiam, neque ab opinionibus Doctorum solùm pendere.

IN tertio capite contendit Barclaius, de potestate Summi Pontificis in temporalibus nihil certi haberi, sed rem totam inter Theologos, & Canonistas liberè disputari.

* *Ingens*, inquit, *Theologos inter, & Canonistas, & vtrorumque inter se hac de re dissensio, dum hi directam, alij indirectam potestatem astruunt, facit, vt quæstio hæc de temporali potestate Papæ dubia, & incerta, ac tota in hominum opinione posita videatur: ac proinde solutionis eius veritatem lumine rationis, & differendi subtilitate esse peruestigandam.*] Hæc ille.

At magnum est discrimen inter quæstionem. *An sit, & quid sit*, vel, *quomodo sit*. Deum esse, ne Pagani quidem in dubium reuocare solebant: tamen de natura Deorum plurimæ erant apud Philosophos opiniones. Deum esse Trinum, & vnum, nullus Catholicus ne-

A gat, sed omnes firmissima fide tenent: & tamen, quot sunt inter Scholasticos Theologos de constitutione personarum, de relationibus, de notionibus opiniones? Sic igitur de potestate in temporalibus, quod ea sit in Papa, non opinio, sed certitudo apud Catholicos est: quamuis non desint altercationes, quid sit, & qualis ea potestas, id est, an sit per se, & propriè temporalis: an potius ipsa quidem spiritualis sit, sed per quandam necessariam consequentiam, & in ordine ad spiritualia de temporalibus disponat. Quare non rectè colligit Barclaius, dum sic ratiocinatur.

Dissensio est inter Theologos, & Canonistas, dum hi directam, illi indirectam potestatem astruunt, ergo quæstio de temporali potestate Papæ dubia & incerta, ac tota in opinione B hominum posita est.

Esse autem rem certam, & exploratam, posse Pontificem Maximum iustis de causis de temporalibus iudicare, atque ipsos temporales principes aliquando deponere; probamus.

1. Primùm ex communi consensu Scriptorum, quorum verba initio disputationis attulimus: quod enim communi consensu Doctores varijs in locis, & temporibus docent, id Ecclesia vniuersa sentire, & docere censetur: ideo enim *posuit Deus in Ecclesia Pastores, & Doctores*, vt dicitur ad Ephes. 4. vt eos populi tanquam duces sequantur, neque ab eis recedant, nisi fortè videant vnum aliquem noui aliquid contra doctrinam communem inuehere, vt hoc tempore Barclaius fecit.

2 Secundò probamus per Extrauagantem, C *Vnam sanctam*, de maiorit. & obedientia. vbi docemur, gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subijci potestati; & quod, si deuiat terrena potestas, iudicabitur à spirituali; si deuiat spiritualis minor, à suo superiore; si verò suprema, à solo DEO poterit iudicari. Neque obstat quod definitio huius decretalis videtur esse reuocata à Clemente V. in Extrauaganti, *Meruit*, de priuilegijs. Neque enim Clemens V. Extrauagantem Bonifacij reuocauit, sed admonuit, eam nihil noui definiuisse, sed antiquam obligationem declarasse, quam habent homines ad obediendum, & subiacendum Apostolicæ Sedi.

3. Tertiò probamus ex Concilijs suprà allatis D quorum duo postrema generalia fuerunt: quomodo enim potest in dubium reuocari, & à sola hominum opinione pendere, quod generalia Catholica, legitimaque Concilia probant? Posse autem per Summum Pontificem deponi Principes temporales, quando Ecclesiæ necessitas id postulat, ac per hoc temporalem Principum potestatem spirituali potestati Pontificum subiectam, & subordinatam esse, cōcilia illa decem, ac præsertim duo postrema Lateranense, & Lugdunense apertissimè docēt.

4. Quartò probamus ex diuinis literis, quēadmodum id probat Gregorius VII. in epist. 21. libri octaui. Nam in Scripturis, & traditione manifestissimè reperimus fundatum Primatum Ecclesiasticum Romani Pontificis, quo primatu amplissima potestas continetur regendi, ligandi & soluendi quoscunque etiam

Reges

Reges & Imperatores: id quod neque Barclaius, neque vllus Catholicus negat. Ex hoc autem principio satis apertè colligitur, esse in Romano Pontifice potestatem temporalia disponendi, vsque ad ipsorum Regum, & Imperatorum depositionem: nam per ipsam spiritualem potestatem potest Summus Pontifex ligare Principes sæculares vinculo excommunicationis; potest per eandem soluere populos à iuramento fidelitatis, & obedientiæ; potest obligare eosdem populos sub excommunicationis pœna, vt Regi excommunicato non pareant, atque vt alium sibi eligant Regem. Præterea cùm finis spiritualis regiminis sit adeptio æternæ vitæ, qui est finis supremus, & vltimus, cui omnes alij subordinantur fines; certè necesse est, vt spirituali potestati supremi Hierarchæ Ecclesiastici subijciatur, & subordinetur omnis sæcularis potestas; quam ille dirigere debet, & si deuiat corrigere, & iudicare, ac demum efficere, ne impediat salutem populi Christiani. Atque hæc est ratio cur, & Gregorius VII. & Innocentius IV. in depositione Imperatorum, vt ostenderent iure se id facere, verba Domini allegauerint, *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*: &, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis*, Matth. 16. &, *Pasce oues meas*, Ioann. 21. nimirum vt significarent potestatem suam disponendi de temporalibus, quando id requirit salus animarum, Religionis incolumitas, Ecclesiæ conseruatio; non pendere ab incertis hominum opinionibus, sed ab ordinatione diuina Christi Regis æterni, & Pontificis Maximi, qui & super omnia Deus est benedictus in sæcula, teste Apostolo ad Rom. 11.

Sed videamus, quid contra hæc Barclaius obijciat.

1. Primum argumentum eius, hoc est, §. *Absurdum, & iniquum est dicere, Principes Ethnicos duriore & deteriore conditione ad Ecclesiam esse receptos, quam homines priuatos: vel, Papam habere maiorem nunc potestatem in Principes politicos Christianos, quam olim Beatus Petrus, & cæteri Apostoli in quemlibet priuatum hominem Ecclesiæ filium: At hi nullum ius, & potestatem temporalem habuerunt tunc temporis in Christianos laicos: ergo nec Papa in Principes seculares potestatem vllam temporalem nunc habet.*]

Respondeo. Assumptio argumenti falsa est, & Scripturis sanctis omninò contraria: primum enim ius habebant Apostoli percipiendi ex bonis temporalibus laicorum. Id probat Apostolus 1. ad Corinth. cap. 9. dicens, *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? si alij potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi: nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt, cùm altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Deinde, potuerunt Apostoli iubere, vt Christiani in causis ciuilibus Iudices Christianos constituerent, nec ad

A Iudicia gentilium magistratuum accederent: sic enim mandat Apostolus 1. ad Corinth. 6. dicens. *Audet aliquis vestrum habens negocium aduersus alterum; iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos? nescitis quia Angelos iudicabimus? quanto magis secularia? secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Quare si poterant Apostoli ordinare iudicia in causis ciuilibus, & mandare laicis, vt ministros Euangelij suis facultatibus sustentarent: quomodo nullum ius habebant in bona temporalia laicorum?

2. At, inquit Barclaius: §. *Certo certius est, Ecclesiasticam potestatem fuisse omninò separatam à politica, tempore Apostolorum, & hanc totam penes Ethnicos Principes, extra Ecclesiam*
B *fuisse, adeò vt ipsi Apostoli in potestate temporali Ethnicorum fuerint; idque Albertus Pighius, & Robertus Bellarminus, aliíq; Theologi insignes ingenuè fatentur.*

Respondeo. Ecclesiastica potestas nunc etiam separata est à politica: non enim eadem, sed diuersa est potestas Pontificum, & Regum. Sed quoniam, vt suprà diximus, potestas Ecclesiastica, quæ spiritualis est, præest potestati politicæ temporali, & eam dirigere debet ad finem supremum æternæ vitæ; ideò potest in ordine ad spiritualia disponere de bonis temporalibus. Verùm autem est Apostolorum tempore, politicam potestatem non quamcumque, sed Regiam, siue imperatoriam, fuisse apud Ethnicos totam, quia nulli tunc erant Reges, aut Imperatores Christiani; sed ex hoc
C nihil aliud sequitur, nisi potestatem Ecclesiasticam eo tempore non habuisse paratam executionem, præsertim in temporalibus, vt hoc tempore habet: ipsos verò Apostolos fuisse in potestate temporali Principum Ethnicorum scripsi olim cum Alberto Pighio, & alijs nonnullis: sed postea recognoscens, & expendens diligentius libros meos, censui, Apostolos *de facto* subiectos fuisse Principibus illis, non *de iure*; vt in Recognitione mea posui.

3. At, inquit Barclaius: §. *Non venit Christus soluere legem, sed adimplere, nec naturæ, & gentium iura tollere, aut quemquam temporali rerum suarum dominio excludere. Itaque sicut ante eum Reges politica potestate subditis præerant, ita etiam posteaquam aduenit, & à nobis deinde in cœlos recessit, eam ipsam potesta-*
D *tem Apostolica doctrina confirmatam, nullaq; ex parte debilitatam retinuerunt. Si itaque Petrus, cæterique Apostoli, antequam Christum sequerentur, temporali Principum Ethnicorum ditioni & iurisdictioni subijciebantur, quod negari non potest, nec Dominus vllibi disertè, & nominatim iuris obligatione liberauit; consequitur necessario, mansisse eos sub eodem iugo, etiam post Apostolatum.*

Respondeo. Christus non venit legem soluere, sed adimplere: ideò non sustulit iura gentium, & naturæ, sed perfecit: non priuauit Reges & Principes dominio, aut iurisdictione; sed eorum iurisdictionem, & dominia ordinauit: nam & in ipsa Ecclesia Reges & Principes sunt non minore præditi potestate politica, quàm Ethnici essent; hoc solùm accessit,

quod proposuit illis Pastorem magnum, qui vice sua fungeretur in terris, à quo dirigerentur, si fortè à via quæ ducit ad Regnum cœlorum, eos aberrare contingeret: quod beneficium Dei inter potißima debet agnosci à fidelibus omnibus; sed à nullis magis, quàm Regibus, & Principibus, qui, quo sunt in loco sublimiore, eò magis obnoxij sunt casui grauiori, & tantò magis egent Episcopo, & Pastore animarum suarum, vt eleganter, & copiosè admonuit Reginaldus Polus Cardinalis, in dialogo de Pontifice Maximo: quod autem Christus non liberauerit nominatim & expressè Petrum, & Apostolos ab obligatione, qua tenebantur Ethnicis Principibus; videtur omninò Euangelio repugnare: siquidem Matth. 17. Christus soluit didrachma pro se, & Petro, ob scandalum vitandum: nam alioqui neque se, neque Petrum ad id vectigal soluendum obligatos fuisse demonstrauit illis verbis. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? & respondente Petro, ab alienis, dixit illi Iesus, ergo liberi sunt filij.* quibus verbis declarauit se, quòd filius esset Regis omnium Regum, immunem esse ab omni tributo, & censu: & quoniam cùm filius Regis immunis est, ipsa quoque eius familia censetur immunis; ideò Petrus, & Apostoli, qui ad familiam Christi, ipsius beneficio pertinebant, immunes quoque esse debebant: sed de hac re alibi scripsimus copiosius.

4. Sed non quiescit Barclaius, addit enim. §. *Sed & eos aliorum ciuium instar Principibus subditos extitisse, ex ipsorum doctrina, & factis apparet: quippè id illis exprobrari non potest, quod Christus Scribis & Pharisæis improperat, aliud eos fecisse, aliud docuisse. Docuerunt autem Christianos subiectionem, & obedientiam, de qua loquimur, Regibus & Principibus exhibendam: qua de causa Paulus ipse, ad Cæsarem appellauit, & iussit Christianos omnes subiectos esse temporali potestati Ethnicorum, non solùm propter iram, sed et iam propter conscientiam.*]

Respondeo: Apostoli sine dubio non fuerunt similes Pharisæorum, qui aliud docebant, aliud faciebant; sed non ideò *de iure* subiecti erant instar aliorum ciuium temporalibus potestatibus, cùm essent ipsi constituti à DEO *Principes super omnem terram*, vt legimus in Psalm. 44. quamuis enim Principatus ille spiritualis esset, non temporalis; tamen verus Principatus erat, & temporali Principatu longè nobilior. Porrò sanctus Paulus appellauit ad Cæsarem, vt ad Iudicem Præsidis Iudææ, & Hebræorum, qui iniustè illum opprimebant: alioqui enim causa illa, quæ spiritualis erat, videlicet de Resurrectione Christi, & ceremonijs legis Mosaicæ, ad Principē Ethnicum iure pertinere non poterat. Vide Acta Apostolorum cap. 21. 22. 23. 24. 25. & 26. Idem verò Paulus ad Rom. 13. vniuersalem doctrinam tradidit de obedientia inferiorum ad superiores, cùm ait, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* quam postea doctrinam applicauit in particulari ad obedientiam, quam debent subditi Principibus temporalibus; & tandem concludit, *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Quare si quis probet, se non esse iure subditum alicui potestati, non tenebitur hac Apostolica sententia, etiam si fortè *de facto*, vel ad scandalum vitandum subditum illum esse oporteat.

5. Subiungit Barclaius: §. *Nam quod quidam dicunt, Beatum Paulum non de potestate temporali secularium Principum illic loqui, sed de potestate in genere, vt quisque suo superiori obediat, laicus laico, Ecclesiasticus Ecclesiastico: mera cauillatio est, & responsum viris doctis, ac Theologis indignum: nulla siquidem tunc temporis alia, quam politica, & temporalis potestas vulgò ab hominibus agnoscebatur.*]

Respondeo. In verbis Apostoli, vt paulò ante diximus, quædam sunt sententiæ generales, quædam particulares. Quis enim inficiari potest, illam esse sententiam generalem. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit?* Item illam, *Non est potestas, nisi à Deo?* & illam, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit?* At Apostolus subiungens, *Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali*; & infra: *Si malè egeris, time, non enim sine causa gladium portat: videtur omninò, per sublimiores potestates, intelligi voluisse Principes politicos.* Ita est, per sublimiores potestates, politicos Principes intelligi voluit, sed non solos: maluit enim doctrinam suam Apostolus generalibus verbis concipere, & proponere, vt pluribus prodesset. Vnde alibi monet, vt filij parentibus obediant; vxores viris; serui Dominis; & populi Præpositis suis Ecclesiasticis. Nam quod Barclaius dicit, nullam tunc temporis agnitam fuisse vulgò hominibus potestatem, nisi politicam, & temporalem; sententia est prorsus indigna homine docto, & Iureconsulto. Siquidem notißima semper fuit potestas patria, potestas herilis, potestas maritalis, potestas magistri in discipulos, potestas denique Ecclesiastica: quæ omnes potestates à politica (si propriè loqui velimus) apertißimè distinguuntur. Ac de potestate Ecclesiastica, nonne idem Apostolus frequentißimè meminit? Certè sic loquitur 2. Corinth. 10. *Nam & si amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem, non erubescam.* & cap. 13. *Hæc absens scribo, vt non præsens durius agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi.* & ad Heb. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.*

6. Addit Barclaius testimonium S. Augustini, in expositione quarundam propositionū epist. ad Rom. Ex quo testimonio colligit Barclaius. Primo, Christianæ Religionis professionem non eximere quemquam à temporalis potestatis subiectione: Secundò, Apostolos, & ipsum sanctum Petrum, Ethnico Magistratui subiectos fuisse. Tertiò, non licuisse primis illis Christianis ab Ethnicorum Principum imperio deficere, & alios sibi Principes constituere, etiā si vires illis ad perficiendū suppetijssent. Quartò, Augustinum intellexisse verba Apostoli de potestate temporali tātùm. Quintò, Augustinum seipsum includere in numero eorū, quos Apostolus iubet subiectos esse debere potestatibus temporalibus: Ex quo sequitur

vt etiam

vt etiam Episcopi & Clerici omnes subditi esse debeant iisdem temporalibus potestatibus. Sextò, duplex esse officium subditorũ: vnum, vt obediant Regi, quando nihil iubet contra Deum: alterum, vt nòn obediant Regi, quando contrarium iubet Deus.

Respondeo. S. Augustinus verè docet Christianæ Religionis professionem non eximere quemquam à temporalis potestatis subiectione: idque rectissimè colligit ex verbis Apostoli, neque nos contradicimus. Sed ex hoc non sequitur S. Petrum, & Apostolos cæteros subiectos fuisse *de iure* temporalibus potestatibus; neq; hoc S. August. dicit: nam etiamsi non eximebat Apostolos ab illa subiectione professio Christianæ Religionis; eximebat tamen Principatus Apostolicus, qui sublimior est omni Principatu temporali. An autem licuerit Christianis deficere ab Ethnicis Imperatoribus, infra suo loco tractabimus: interim hoc solùm dicimus, id non colligi ex verbis Augustini, vel Apostoli: docet enim Sanctus Augustinus ex Apostolo, Christianos debere obedientiam temporalibus Principibus, dum videlicet, cum potestate imperant: non autem si à Principatu excidant. Vtrum autem licuerit Christianis Imperium Ethnicis abrogare, neque Apostolus, neque Augustinus hoc loco definit: Illud verò falsum est, S. Augustinum intelligere hũc locum Apostoli de temporali potestate tantũ: nusquam enim habetur apud Augustinum, neque apud Apostolum particula, *tantùm*, & nos habemus Sanctum Ioannem Chrysostomum cum Theodoreto, & Theophylacto, qui exponunt de potestate in genere: & Sanctum Anselmum, qui exponit de potestate Ecclesiastica, & temporali, & S. Bernardum Epistola 42. & 183. qui exponit etiam de vtraque. Quòd autem Sanctus Augustinus se ipse numeret inter eos, qui iubentur obedire temporalibus potestatibus; non cogit, vt inde colligamus, Episcopos, & Clericos non esse exemptos à potestate seculari: nam cùm dicit, *Cùm constemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ huius vitæ vtimur; oportet, nos ex ea parte, quæ ad hãc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus:* ostendit, omnes homines egere legibus, & magistratibus Politicis, sine quibus hæc vita tranquillè duci non potest. Quemadmodum etiam Nicolaus Papa in Epistola ad Michaëlem scribit, ipsos etiam Pontifices vti legibus Imperialibus pro cursu rerum temporaliũ; omnes enim obseruare debent huiusmodi leges, sed nos omnes vi legum ipsarum, sed aliqui vi legum, aliqui vi rationis.

7. Pergit Barclaius, & ait, §. *Quid indignius, & iniquius dici potest, quam Principes Christi fidem profitentes, duriori iugo pressum iri, quàm singulos de multitudine? At priuati homines, quando in spiritualem Ecclesiæ ditionem concedebant; nihil patrimonij, aut iuris temporalis amittebant, exceptis rebus illis, quas spontè obtulerant, vt ex Actis Apost. patet: similiter ergo, & Principes, vbi Christo nomen dabant, ius suum temporale, imperium dico, & potestatem Politicam, integram, & intactam retinebant.*]

A Respondeo. Priuati homines cùm in Ecclesiam admittuntur, non amittunt quidem patrimonia, aut alia temporalia iura: possunt tamen per Ecclesiam cogi, vt Parochos suos alant, &c, vt Apostolus loquitur, seminantibus spiritualia, concedant, vt carnalia metant; ad quæ ante fidem susceptam minimè tenebantur: possunt quoque in pœnam variorum criminum; non solùm cogi in foro interiore à confessarijs, vt eleemosynis redimant peccata sua: sed etiam ab Episcopis in foro exteriore mulctari pœna pecuniaria, vel etiam carceribus mancipari, vt ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. perspicuum est. Pari ratione Principes temporales cum ad familiam Christi veniunt, neque Principatum, neque iurisdictionem suam amittunt; sed subijciuntur ei, quem Christus super familiam

B suam constituit, vt ab eo regantur, & dirigantur in ea via, quæ ducit ad vitam.

§. *Nec iuuat*, addit Barclaius, *aduersariorum causam, dicere, Apostolos ideò nõ habuisse temporalem potestatem in sui sæculi Principes, quia nondum facti erant Christiani: secundùm illud, Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? 1. Corinth. 5. Papam verò nunc illam potestatem habere, quia facti sunt Christiani, & filij Ecclesiæ, cuius ipse supremus Princeps, & caput in terris est, atque omnium Christianorum Pater: & rectum naturæ, & rationis ordinem postulare, vt filius Patri, non Pater filio subijciatur. Hæc, inquam, adeò nihil ratio est, vt mirum sit, locum ei aliquem à viris doctis datum esse: nam illa subiectio spiritualis, per quam Principes facti sunt filij Papæ, penitus distincta, & separata est à subiectione temporali, ita, vt altera alteram*

C *non sequatur. Sed quemadmodum Præses, vel Consul interea dum magistratum gerit, potest se in adoptionem alij dare, atq; ita in familiam Patris adoptiui, & patriam potestatem transire, cùm tamen per illum actum legitimum, nec fasces consulares, nec aliud quicquam iure magistratus sibi competens in adoptantem transferat.*]

Respondeo. Mirum est quam facilè Barclaius de scriptis hominum doctorum pronunciet: cùm optimo iure in ipsum retorqueri possit: eius responsiones atque similitudines, adeò nihil esse, vt vix credibile sit eas auctori suo satisfacere potuisse. Siquidem illa similitudo de filio adoptiuo, qua tota eius responsio nititur, nihil omninò facit ad rem: potestas enim Patris ad filium adoptiuum, & potestas Præsidis, siue Consulis, non solùm distinctæ, &

D separatæ sunt; sed etiam prior posteriore inferior est; & si Pater potestate patria abutatur, potest per Præsidem siue Consulem, ac multò magis per Regem, & Principem corrigi, & in certis casibus potestate sua priuari: cum è contrario, si Præses, aut Consul, aut Princeps potestate sua politica abutatur, non possit à Patre adoptiuo, vel etiam naturali pro imperio corrigi, & multò minus potestate sua priuari. Iam verò potestas Summi Pontificis spiritualis, & supernaturalis, & Regia temporali, & terrena potestate sublimior, atque maior non debuit conferri cum potestate humana Patris adoptiui erga filium Præsidem, aut Consulem, id est, cum potestate inferiore erga superiorem: sed cum potestate Principis, aut Præsidis erga potesta-

tem patriam ciuium priuatorum, id est, cum potestate superiore erga inferiorem. Ex quo sequitur, vt quamuis potestas Papæ, & Regis distinctæ sint, separatæ, & non necessariò alia aliam sequatur: tamen cùm in eodem Ecclesiæ corpore inueniuntur, potestas Papæ ita eminet, vt Regiam potestatem dirigere, & corrigere; non ab illa dirigi, vel corrigi debeat, aut posit. Itaque tota deceptio Barclaij in eo posita est, quòd spiritualem, & supernaturalem paternitatem Summi Pontificis erga Reges, & Principes Christianos, nihilo sublimiorem esse censuit paternitate humana, & ciuili hominis priuati erga filium adoptiuum; quæ manifesta & puerilis hallucinatio est.

9. §. *Huc accedit*, inquit Barclaius, *quod florente plurimum Republica Christiana tum multitudine credentium, tum sanctimonia Pontificum, tum eruditione & exemplis Doctorum, atq; à malis interim Principibus Christianis vexata, atque iactata, nulla de hoc Principatu & Iurisdictione temporali in Principes seculares, non dicam expressa, & manifesta declaratio, sed ne leuißima quidem mentio facta sit.*]

Respondeo. quærere possem à Barclaio, vnde factum sit, quod in testamento veteri tot secula transierint, antequam Pontifex Regem deponi & alium substitui iusserit: quod factum est cum Ioiada Pontifex Athaliam Reginam, non solum deponi, sed & interfici mandauit, & Ioas Regem substituit 4. Reg. 11. Item cùm post diuisionem Regni Salomonis in Regnum Israel, & Regnum Iuda; inter Reges Israel nullus fuerit pius, sed omnes impij, & idololatræ; cur alijs multis toleratis Propheta Domini vnxerit Iehu in Regem, & iusserit, vt Regem Ioram, cui fidelitatem iurauerat, interficeret: quod ille continuò fecit, & laudatus à Deo fuit, vt habemus 4. Regum 9. & 10. Responderet, opinor, sic placuisse Deo, cuius iudicia inscrutabilia sunt. Eodem igitur modo Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, non semper exerit potestatem suam, sed pro loco, & tempore, vt à spiritu Christi admonetur, & ducitur. Et quidem primis trecentis annis Ecclesia Christiana, non habuit Reges Christianos, nisi paucissimos, vt Lucium in Britannia, & Donaldum in Scotia, qui cùm pij essent, non erat causa, cur Ecclesia potestatem suam in illos exerceret. Successerunt postea Reges aut valdè pij, & religiosi, vt Constantinus Magnus, Constans eius filius, Iouinianus, Valentinianus, Gratianus, Theodosius, Honorius, & alij: aut valdè impij, & blasphemi, vt Constantius, Iulianus, Valens, Theodoricus, Totila, Gensericus, Hunericus, & alij: Erga priores Ecclesia beneuolentiam ostendere debuit, non seueritatem: erga posteriores, quoniam potentissimi erant, seueritatem ostendere nihil profuisset, ideò potentia potius adhibenda fuit, quàm auctoritas. Sed cùm temporibus Gregorij secundi Pontificis, Italici populi ægrè ferrent Imperium Leonis Isaurici, hæretici, & persecutoris; & prompti essent ad iugum nefarij Principis excutiendum, Pontifex iuberet, vel annueret, tùm demum opportunum visum est Apostolicæ sedi auctoritatem suam ex-

A erere; quando videlicet non frustra exereret. Sic etiam non ante Pontifex Zacharias de Childerico Rege deponendo, & Pipino ad Regnũ euehendo cogitauit; quam populus, & Proceres Franci id expeterent: neque enim prudens consilium Pontificis fuisset, si inuito populo, & Proceribus, Regem illorum quamuis ineptũ, & ignauum exauthorare tentasset. Quod si Barclaius tanti facit silentium annorum septingentorum. cur non maioris facere debemus nos verba, & exempla annorum nongentorũ? nam Pontifices, & Scriptores Ecclesiæ prioris temporis, vt no affirmarunt, ita etiam non negarunt, esse in Apostolica sede potestatem aliquam disponendi de temporalibus, in ordine saltem ad spiritualia: Pontifices autem, & Scriptores posterioris temporis, disertè pronuntia-

B runt, eam potestatem Ecclesiæ non deesse. Ecclesia certè eadem est, neque aduersus eam portæ inferi vnquam præualebunt; neque desunt Ecclesię temporis posterioris homines doctrina, & sanctitate illustres. Quare non rectè de Ecclesia Christi sentit, qui nihil admittit, nisi quod expressè in veteri Ecclesia scriptum, aut factum esse legit; quasi Ecclesia temporis posterioris, aut desierit esse Ecclesia, aut facultatem non habeat explicandi, & declarandi, constituendi etiam, & iubendi, quæ ad fidem, & mores Christianos pertinent.

10. Adducit Barclaius sanctum Gregorium, qui in Epistol. 61. lib. 2. vocat se *famulum indignum Imperatoris*; & dicit, Imperatori cœlitus datam esse potestatem super omnes homines: vbi notat illud, *omnes*, comprehendere etiam

C Papam, si Papa est homo. & ne quis fortè respondeat, sanctum Gregorium ex humilitate ita esse locutum, citat illud ex sancto Augustino serm. 29. de verbis Apostoli, *Cùm humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod euitaueras.* Denique addit verba S. Gregorij, in fine illius Epistola, *Vtrobique ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod sensi, minimè tacui*]

Respondeo. Sanctus Gregorius non solius Imperatoris; sed omnium fidelium seruum se nominabat, cùm initio Epistolarum suarum adscriberet, *Gregorius seruus seruorum Dei.* Et Ioannes Diaconus lib. 4. vitæ sancti Gregorij, cap. 58. testatur à sancto Gregorio vocari solitos fratres, omnes Sacerdotes; filios, omnes cle-

D ricos; Dominos, omnes laicos; nec tamen opinor, Barclaius concedet, sanctum Gregorium omnibus laicis fuisse subiectum. Porrò quod scribit sanctus Gregorius datam fuisse potestatem Imperatori cœlitus, non significat Imperatoriam potestatem esse immediatè à Deo; sed esse à Deo in eo sensu, quo dicit Apostolus, ad Rom. 13. *nõ est potestas nisi à Deo.* Omnis enim potestas à Deo est; sed aliqua immediatè, vt Moysis, vt sancti Petri, vt sancti Pauli: aliqua mediante consensu hominum, vt potestas Regum, Consulum, Tribunorum: nam vt sanctus Thomas docet in 2.2. q. 10. art. 10. & q. 12. art. 2. dominia, & Principatus humani de iure humano sunt, non de iure diuino. Quod addit sanctus Gregorius, *super omnes homines*, intelligitur super omnes homines Romano Imperio sub-

ditos;

ditos; alioqui poteſtas Mauritij Imperatoris, fuiſſet etiam ſuper Antipodas, ſuper Garamantas, & Indos, & tamen non fuit ſuper vicinos Perſas, vel Scytas, nec ſuper Germanos, aut Francos, aut Hiſpanos, aut alios innumerabiles: proinde poterat Barclaius omittere illam conſecutionem, *ergo ſuper Papam ſi homo eſt*. Neque mentitus ex humilitate Beatus Gregorius, cùm ſeruum ſe dixit eorum, quibus ſubiectus non erat; ſeruus enim dicitur qui ſeruit aliorum vtilitati, ſiue id faciat obediendo, ſiue imperando: nam & Apoſtolus, ſeruum ſe fuiſſe ſcribit Corinthiorum, ſuper quos tamen poteſtatem à Chriſto accepiſſe ſe dicit. 2. Corinth. 4. & 13. Denique quod attinet ad obedientiam, quam ſe exhibuiſſe ſcribit S. Gregorius Imperatori; dico eam fuiſſe coactam, & *de facto*, non *de iure* præſtitam: nam idem ſanctus Gregorius in explicatione Pſalm. 101. de Mauritio Imperatore ſcribit hæc verba, *In tantum autem ſuæ temeritatis extendit veſaniam, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vindicet, & in Dominam gentium terrenæ ius poteſtatis vſurpet.*

Pergit Barclaius, & exclamat §. *O diuinum Antiſtitem & ſententiam nullis non ſequentium ſeculorum Pontificibus inculcandam, Sed proh Numen; quo benigna illa & humilis confeſsio à noſtris ſeculis exulauit? cui paulatim ſuccreuit hæc minax & faſtuoſa aduerſus Reges, & Imperatores oratio, Nos in ſupremo iuſtitiæ throno collocati, ſupremum, in omnes Reges, & Principes vniuerſæ terræ, cunctoſq́; populos, gentes, & nationes, non humana, ſed diuina inſtitutione nobis traditam poteſtatem obtinentes, declaramus, iubemus, præcipimus, &c. quæ verba falſa, & inania, vel ex eo eſſe patet, quòd Papa in Principes, & populos infideles, qui multitudine Chriſtianos ſuperant, neque temporalem, neque ſpiritualem poteſtatem habeat, vt Bellarminus in libris de Romano Pontifice firmiſsima ratione oſtendit.*]

Reſpódeo. Hanc inanem exclamationem, & humilis confeſsionis laudationem, ſanctus ipſe Gregorius refellit in eo priuilegio, quod Monaſterio ſancti Medardi conceſsit, quodque ſubſcriptum ab ipſo Gregorio, multiſque Epiſcopis legitur, lib. 12. Epiſtolarum, poſt epiſtolam triceſimam primam: in eo ſiquidem priuilegio ita loquitur, *Si quis autem Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel quarumcunque ſecularium perſonarum, huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, aut contradixerit, vel fratres inquietauerit, vel conturbauerit, aut aliter ordinauerit, cuiuſcunque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur, & vt Catholicæ fidei deprauator, vel ſanctæ Dei Eccleſiæ deſtructor, à conſortio Chriſtianitatis, & corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſequeſtretur*. Et ſupra dixerat, *auctoritate diuina, vice Beati Petri Apoſtolorum Principis* ſe ſtatuere. Iiſdem verbis vtitur ſanctus Gregorius in alio ſimili priuilegio, quod habetur, lib. 11. epiſtol. 10. quæ eſt ad Senatorem Abbatem. Itaque humilis ille ſeruus ſeruorum Dei eminentiam ſuæ dignitatis non ignorauit, cùm diuina auctoritate, vice Principis Apoſtolorum, omnibus Regibus cuiuſcunque dignitatis, & ſublimitatis eſſent, ſub interminatione priuationis proprij honoris imperare non timuit, vt præceptionis ſuæ decreta violare non auderent. Quid igitur eſt in Bullis Pij V. & Sixti V. (has enim bullas notat in margine) quas *minaces* & *faſtuoſas* appellat Barclaius, quod non ſit in priuilegio illo ab humili Gregorio dato? Pius, & Sixtus dicunt, poteſtatem diuina inſtitutione ſibi traditam: & Gregorius dicit, auctoritate diuina ſe præcipere. Illi dicunt ſuper omnes Reges ſe poteſtatem habere: iſte dicit. *ſi quis Regum, vel quarumcunque ſecularium perſonarum*, &c. Illi dicunt, *iubemus, præcipimus*: Iſte dicit, *ſi quis Regum*, &c. *huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit*. At, inquit, *verba illa Pij V. & Sixti V. falſa, & inania eſſe, vel ex eo patet, quod Papa in Principes infideles, neque temporalem, neque ſpiritualem poteſtatem habet*. Reſpondeo ſi falſa & inania ſunt iſta verba, multò magis falſa, & inania erunt verba ſancti Gregorij, in epiſtola 61. lib. 2. à Barclaio ſupra citata, & laudata, vbi S. Gregorius dicit, Mauritio Imperatori datam eſſe à Deo ſuper omnes homines poteſtatem: conſtat enim Imperatoris Mauritij poteſtatem non fuiſſe ſuper omnes homines, cùm non fuerit, niſi ſuper homines Romano Imperio ſubditos, quod Imperium eo tempore ne tertiam quidem hominum partem continebat; quemadmodum igitur verba S. Gregorij de poteſtate Mauritij ſuper omnes homines, intelligi debent de omnibus hominibus, qui Romano imperio ſubiecti erant: ſic etiam verba Pontificum de poteſtate ſuper omnes Reges, & populos, intelligi debent de omnibus Regibus, & populis, qui ſunt in Eccleſia Catholica, quæ toto terrarum orbe diffuſa eſt: ſic enim debere intelligi verba illa, docent verba præcedentia. Pius enim V. initio Bullæ ſcribit, vnicam eſſe veram Eccleſiam Dei, eamque totam ſancto Petro eiuſque ſucceſſoribus eſſe commiſſam, atque inde colligit, Summum Pontificem poteſtatem habere ſuper omnes Reges, & populos, qui videlicet ad Eccleſiam pertinent, quæ in vniuerſo Mundo eſt. Sixtus verò V. dicit, ſibi curam incumbere Eccleſiarum omnium populorum, & gentium; vbi non dicit, ſe habere poteſtatem in omnes populos, & gentes; ſed in Eccleſias, quæ ſunt in omnibus populis, & gentibus. Similis locutio inuenitur apud ſanctum Bernardum, in lib. 3. de Conſid. cap. 1. vbi dicit, totum orbem terrarum ad curam Summi Pontificis pertinere, *Ita*, inquit, *tu hæres, & orbis hæreditas*. &, *orbe illi exeundum eſt, qui fortè voluerit explorare, quæ non ad tuam pertinent curam*; & tamen ibidem dicit, Papam non eſſe Dominum orbis; ſed orbem totum ad eum pertinere, quia debet fideles paſcere, eiſque cum poteſtate præeſſe, & infidelium conuerſioni ſtudium, & diligentiam adhibere, vt Apoſtoli faciebant. Sanctus quoque Thomas in 2. 2. q. 12. art. 2. dicit, Papam habere poteſtatem ſuper fideles, & infideles, qui fidem aliquando ſuſceperunt; non autem ſuper eos, qui fidem nunquam ſuſceperunt, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 5. *Quid ad me de his qui foris ſunt iudicare?* quos auctores, & multos alios ego ſecutus ſum in loco quem Barclaius notauit, videlicet lib. 5. de Pontifice cap. 2. Neque his repugnat

pugnat, quod supra docuimus cum S. Thoma, posse à Summo Pontifice priuari quoscunque infideles à dominio, quod habent super fideles: nam etiam si absolutè non pertineat ad Pontificem de his *qui foris sunt* iudicare, neque habeat Pontifex in illos ordinariam potestatem, cùm ad gregem sibi commendatum non pertineant, nisi in potentia; tamen in ordine ad conseruationem fidelium, habet à Deo auctoritatem priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles, vt idem sanctus Thomas docet secunda 2. quæst. 10. articul. decimo.

Addo postremò, verba Pij V non esse ita *fastuosa*, & *minacia*, vt Barclaius dicit: hæc enim sunt ipsius verba in Bulla excommunicationis Elizabethæ prætensæ Angliæ Reginæ. *Regnans in excelsis, cui data est omnis in cœlo, & in terra potestas, vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, extra quam nulla est salus, vni soli in terris, videlicet Apostolorum Principi Petro, Petriq; successori Romano Pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc vnum super omnes gentes, & omnia Regna Principem constituit, qui euellat, destruat, dissipet, disperdat, & plantet, & ædificet, vt fidelem populum mutuæ charitatis nexu constrictum in vnitate spiritus contineat, saluumq; & incolumem suo exhibeat Saluatori: quo quidem in munere obeundo, nos ad prædicta Ecclesiæ gubernacula, Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus*, &c. & infra. *Illius itaque auctoritate suffulti, qui nos in hoc supremo iustitiæ throno (licet tanto oneri impares) voluit collocare, de Apostolicæ potestatis plenitudine declaramus, prædictã Elizabetham hæreticam, & hæreticorum fautricem, eiq; adhærentes in prædictis anathematis sententiam incurrisse, esseq; à Christi corporis vnitate præcisos: quin etiam ipsam prætenso Regni prædicti iure, nec non omni, & quocunque dominio, dignitate, priuilegioq; priuatam*, &c. Porrò Bulla Sixti V. ita incipit: *Ab immensa æterni Regis potentia, Beato Petro, eiusq; successoribus tradita auctoritas omnes terrenorum Regum, & Principum supereminet potestates, stabiliq; in petra consistens, nec vllis aduersitatibus, vel etiam secundis flatibus à recto deflexa inconcussa profert in omnes iudicia.* & infra, *Itaque in praexcelso hoc solio, & in plenitudine potestatis, quam ipse Rex Regum, & Dominus Dominantium, nobis, licet indignis, tribuit, constituti, auctoritate Dei omnipotentis, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, & nostra, ac de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinaliũ consilio, pronuntiamus, & declaramus*, &c. Quare sententia, quam Barclaius recitat, non habetur ad verbum in Bullis Pij V. vel Sixti V. Sed eam ipse varijs ex locis ita construxit, vt ad inuidiam conflandam aptissimum esse iudicauit. Omitto cætera, quæ sunt in hoc tertio capite: quia non argumenta vel rationes; sed maledicta sunt, & conuicia aduersus Pontifices: illum enim imitari volumus, qui *cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.* 1. Petri 2.

CAPVT IV.

De falsa causa originis temporalis potestatis Pontificiæ à Barclaio assignata.

IN quarto capite differit Barclaius de origine temporalis potestatis põtificiæ: quasi iam exploratum esset, diuino iure sola spiritualia ad Summum Pontificem pertinere. Sed quoniam id neque exploratum, neque verum est, facilè potuissem totum hoc caput silentio præterire, vt quod ad rem non faciat, vel certè solido fundamento careat. Videamus tamen quid sit, quod hoc loco adfert Barclaius.

§. *Duas res*, inquit, *potissimum inuenio, quæ ansam Pontificibus tantam potestatem arrogandi videntur præbuisse. Vna est ingens ille honor, qui vt par erat à Principibus, & populis Christianis summo animarum Pastori deferebatur, & deferri adhuc debet, atque etiam præiudicata sanctitatis opinio de Sede illa Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli.* & infra, *Alteram tantæ iurisdictionis temporalis captandæ ansam præbuit gladius excommunicationis.*]

Respondeo. Frustra quærit Barclaius vnde tanta potestas Summis Pontificibus accesserit, cùm ratio sit in promptu, quam & Doctores communi consensu, & ipsa generalia Concilia tradiderunt, summa videlicet spiritualis potestas diuinitus collata Apostolo Petro, eiusque successoribus super omnem Ecclesiam: ex ea siquidem manifestè sequitur, vt in ordine ad spiritualia, & vitam æternam, possit Summus Pontifex de temporalibus quoque disponere, vt capite superiore explicatum est. Quod autẽ Barclaius dicit, ex honore maximo, qui Summis Pontificibus deferebatur, & præiudicata sanctitate illius Sedis, captasse ansam Pontifices arrogandi sibi potestatem temporalem super Reges & Principes; falsum esse constat ex ijs, quæ supra Barclaius ipse scripsit: siquidem honor maximus, & præiudicata sanctitas non defuit primis mille annis, imò tunc maximè viguit: & tamen Barclaius contendit primum fuisse Gregorium VII. qui sibi potestatem temporalem in Reges, & Principes vsurpauit, pòst annum millesimum, ac septuagesimum, ab aduentu Saluatoris. Dicet fortasse, primis illis annis fuisse Pontifices optimos, sed postea factos deteriores ad gloriam temporalis Imperij aspirare cœpisse. At Gregorius VII. vir sanctissimus fuit, nec solùm innocentia vitæ, sed etiam miraculis clarus; cuius rei tot sunt testes, quot scriptores illius temporis, exceptis schismaticis, vel hæreticis: quemadmodum etiam Innocentius III. & IV. qui hac potestate præter cæteros vsi esse videntur, Pontifices laudatissimi habiti sunt. Neque verum est Gregorium VII. fuisse primum, qui de temporali Regno disponere cœpit: nam & Gregorius primus, & secundus, & alij Pontifices optimi, & laudatissimi ante Gregorium VII. hanc potestatem habere se testati sunt, vt paulò infra docebimus. Porrò excommunicatio est quidem instrumentum, quo Pontifices plerunque vti solent ad coërcendas huius seculi potestates; sed etiam sine isto instrumento non semel Pontifices Maximi de temporalibus dignitatibus pro Ecclesiæ vtilitate, & animarum sa-

lute

lute disposuerunt; vt cùm Zacharias Childericum Regem Francorum deponi mandauit, & Pipinum inungi, atq; in solium exaltari iussit, & populos ab obedientia, & fidelitate Childerico præstita liberauit: & cùm Hadrianus primus Carolo Magno Regi Francorum dignitatem Patritiatus Romani contulit: & cùm Leo III. eundem Carolum Imperatorem Occidentis dixit. Quare verum non est, excommunicationis censuram ansam dedisse Pontificibus, vt potestatem temporalem sibi arrogarent.

Sed placet notare nonnulla, quæ in hoc capite Barclaius non sine magna temeritate effutijt.

1. Primum est illud: §. *Sed hic Lector monendus est, sententiam illam omnium vocibus celebratam, excommunicationem omnem esse timendam: cùm hac exceptione intelligi debere, extra quam si manifestè constet esse iniustam; tunc enim nec curanda, nec timenda est, modo absit ab excommunicato contemptus, & præsumptio.*

Hanc Barclaij doctrinam damnant omnes boni Scriptores, qui distinguunt inter excommunicationem iniustam, & nullam: & iniustam quidem docent cum S. Gregorio esse timendam; nullam autem, non esse timendam, nisi aliquando ob scandalum, quando videlicet nullitas excommunicationis nota non est. Ac ne singulos Doctores afferre necesse sit, audiamus Martinum Nauarrum, qui communem doctrinam hanc esse testatur. In Enchiridio ca. 27. num. 3. sic Nauarrus loquitur, *Sententia excommunicationis, quantumuis iniusta, valet regulariter, & ob id Gregorius in c. 1. 11. q. 3. dixit, timendam esse siue iusta sit, siue iniusta.* & infra, *Vbi gloss. & vbique Doctores apertè dicunt valere, & ligare excommunicationem iniustam, & differre ab ea quæ est nulla.*

2. Alterum est in illis verbis: §. *Cuius generis excommunicationis illa videtur, quæ in subditos profertur, eò quòd Regi, vel Principi suo excommunicato pareant in ijs, quæ temporalis sunt iurisdictionis, & Dei mandatis non repugnant.*]

Huius doctrinæ temeritatem, vel ex eo possumus demonstrare, quòd per eam damnatur sententia Innocentij IV. lata in Lugdunensi Concilio: quæ potest enim maior esse temeritas, quàm damnare manifestæ iniustitiæ sententiam Summi Pontificis, in generali Concilio latam, & omnium consensu probatam?

3. Tertium est in illis verbis: §. *Et verò Gregorius VII. partim publica offensa Henrici IV. Imperatoris, partim priuata iniuria permotus, id iuris dandi, & auferendi Regna apertè sibi primus omnium asseruit.*]

At qui falsum omninò est, quod Gregorius VII. primus omnium sibi asseruerit ius dandi, & auferendi Regna: iam enim supra numerauimus sex Pontifices, qui ante Gregorium VII. idem fecerunt, videlicet Gregorium primum, Gregorium secundum, Zachariam, Leonem tertium, Gregorium quartum, & Hadrianum secundum. Nam Gregorius prius in priuilegio supra citato apposuit illa verba, *Si quis autem Regum, Antistitum, &c. honore suo priuetur.* Gregorius secundus Imperatorem Leonem Isauricum vectigalib. Italiæ priuauit, teste Zonara, & Cedreno, & alijs. Zacharias Childericum à Regno deposuit, & Pipinum in Regnum exaltauit, testibus Annalibus Francorum antiquissimis, vbi sic legimus: *Data auctoritate sua* (Zacharias) *iussit Pipinũ Regem constitui.* & infra: *Secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.* Idem dicit Aimoinus Eginarthus, Lambertus, Regino, Sigebertus, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Abbas Vrspergensis, Otho Frisingensis, & Albertus Krantzius, quorum verba infra citabimus. Leo tertius à Græcis ad Francos Imperium Occidentis transtulit, quod testimonijs historicorum, Pontificum, Imperatorum, & ipsorum Principum Electorum probauimus in libr. 1. de translatione Imperij. Gregorius IV. decretum Francorum, quo Ludouico Pio Imperium auferebatur, auctoritate sua rescidit, & Imperium Ludouico restituit, vt refert Marianus Scotus lib. 3. Chronici, his verbis. *Ludouicus Reginam Aquis obuiam ei venientem iubente Papa Gregorio accepit: siquidem filij Ludouici non solum Imperium patri abrogauerant, sed etiam Iuditham vxorem ei ademerant; sed vtrumque iubente Gregorio recepit.* Et Paulus AEmilius lib. 3. de rebus gestis Francorum: *Lugduni,* inquit, *Concilium Episcoporum, quos Ludouici Imperatoris filij contraxerant habitum, Imperiumq́; patri abrogatum, quod decretum mox à Gregorio Pontifice Maximo rescissum est.* Denique Hadrianus secundus plus ducentis annis Gregorio septimo antiquior, cùm accepisset, Imperium Ludouici iunioris Imperatoris à Carolo Caluo Rege armis tentari, scripsit ad Carolum minaces literas, teste Aimoino lib. 5. cap. 24. qui sic ait, *In epistolis Papæ continebatur, vt Regnum quondam Lotharij, quod Ludouico Imperatori spirituali eius filio hereditario et iure debebatur, & & quod ad eum post mortem eiusdem Lotharij redijt, vel homines in eo degentes, mortalium nullus inuaderet, nullus commoueret, nullus ad se conaretur inflectere: quod si quis præsumeret, non solum per sua auctoritatis ministerium infirmaretur, verùm etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis priuatus, cum Diabolo omninò locaretur.*

4. Quartum est in verbis sequentibus: §. *Verùm enim nihil aliud Gregorius eo facto quàm cruentas, & furiosas tragœdias excitauit, nec infeliciter destinata vi, & armis prohibitus perfecit.*]

Hoc quoque falsum esse notissimum est, quoniam cruentas, & furiosas tragœdias non Gregorij decretum, sed Henrici inobedientia peperit: & quod potissimum optauit Gregorius, vt videlicet inuestituras Episcoporum de manibus laicorum eriperet, partim per se, partim per successores omninò perfecit. Siquidem Gregorij sententiam, & decretum confirmarunt omnes eius successores, Victor tertius, Vrbanus secundus, Paschalis secundus, Gelasius secundus, & Callistus secundus, cuius tempore Imperatoribus cedentibus pax inter Sacerdotium, & Regnum facta est: sic enim scribit Abbas Vrspergensis in Chronico anni millesimi centesimi vicesimisecundi, *Ipse, in cuius manu cor Regis est, omnẽ animositatem Augusti sub Apostolica reuerentia obedientiam, causa matris Ecclesiæ, etiam vltra spem plurimorum inflexit,* &c. vide totum locum.

5. Quintum, & vltimum est in illis verbis, vbi magnificè laudat Hosium Episcopum Cordubensem, quem vocat virum magnum, & nobilissimum Confessorem: atque ex eius sententia constare dicit, Ecclesiam primis temporibus, neque temporalem potestatem in Principes habuisse, neque habere se credidisse; ac ne quidem ob hęresim, quod crimen grauissimum & perniciosissimum est]

Sed nos Hosium virum magnum aliquando fuisse scimus, sed turpissimè postea lapsum in Arianam hæresim non ignoramus. Id enim tradit Athanasius in epistol. ad solitariam vitam agentes, & in Aplogia secunda; Hilarius in lib. de Synodis; Epiphanius hæresi 73. Sebadius in libro contra Arianos; Sulpicius libr. 2. Sacræ historiæ; Socrates lib. 2. cap. 26. Sozomenus lib. 4. cap. 5. Vigilius Martyr, in lib. 5. aduersus Eutychetem: denique Isidorus de viris illustribus in Gregorio Betico. Deinde Hosius quantumuis nunquam lapsus fuisset, tamen non tanti faciendus est ab hominibus Catholicis, vt anteponatur Concilijs generalibus, nō vni, sed multis, & Doctoribus omnibus initio à nobis citatis, qui communi consensu docent, propter hæresim posse à Summo Pontifice Principes deponi, ac principatu priuari. Addo postremo verba Hosij nihil omninò aduersus communem sententiam facere. Quid enim ille dixit? non licere Pontifici Imperium gerere, vt neque Imperatoribus Pontificatum. Sed etiam si Pontifex Imperium non gerat, potest tamen per ipsam Pontificalem potestatem Imperatorem hæreticum, ab Ecclesia arcere, ac ne Ecclesiæ noceat, Imperium illi abrogare. Neque enim Zacharias Rex erat, & potuit tamen Regem deponere: Neque Leo III. Imperator erat, & tamen Imperium ab vna gente ad aliam transferre potuit. Imò si Papa Rex aut Imperator esset, non posset Imperiali, aut Regia potestate Imperatorem aut Regem deponere, quia par in parem non habet imperium: proinde quod facit Papa, facit Apostolica, id est, suprema spirituali potestate, vt Christi Vicarius, nō vt Princeps terrenus. Ex his apparet quantum officiat lumini mentis prauus propriæ opinionis affectus: Barclaius enim amore captus opinionis suæ, in verbis Hosij perspicuè se id videre existimauit, cuius nos ne vestigium quidem cernimus.

CAPVT V.

De potestate in temporalia, quàm indirectè Theologi Summo Pontifici tribuunt.

IN quinto capite Barclaius explosa (vt ipse dicit) Canonistarum, & Bozij sententia, aggreditur refutare sententiam Theologorum, qui dicunt Papam habere potestatem in temporalia *indirectè*. Sed antequam ad eius argumenta refellenda accedam, explicabo breuiter quid intelligamus per voces illas *directè* & *indirectè*; & quis sit auctor earum vocum. Igitur per voces *directè* & *indirectè*, non intelligimus, vt aliqui per iocum dicunt, potestatem spiritualem esse in Pontifice *directè*, id est, *iustè & legitimè*; temporalem autem *indirectè*, id est, *iniustè & vsurpatiuè*; sed potestatem Pontificiam per se, & propriè spiritualem esse, & ideò *directè* respicere, vt obiectum suum primarium, spiritualia negocia; sed *indirectè*, id est, per ordinem ad spiritualia, reductiuè, & per necessariam consequentiam, vt sic loquamur, respicere temporalia, vt obiectum secundarium, ad quod non conuertitur hæc spiritualis potestas, nisi in casu, vt loquitur Innocentius tertius, in cap. *Per venerabilem*, qui filij sunt legitimi, *In alijs*, inquit, *regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus*: quemodo etiam loquitur S. Bernard. in lib. 1. de Considerat. cap. 5. *Sed*, inquit, *aliud est incidenter excurrere in ista* (temporalia negotia) *causa quidem vrgente, aliud verò vltrò incumbere istis, tanquam magnis, dignisq́; tali.* Porrò auctorem harum vocum habemus Innocentium IV. Pontificem doctissimum. Is enim explicans, cap. *Nouit.* de iudicijs. §. de feudo, dicit, Pontificem directè non iudicare de feudis, secus autem indirectè, ratione peccati. Eadem distinctione vtitur Ioannes de Turrecremata, Thomas Caietanus, Petrus de Palude, Durandus, Franciscus Victoria, Dominicus à Soto, Martinus Ledesmius, Iacobus Simanca, Antonius Cordubensis, Martinus Nauarrus, Ludouicus Molina, & alij.

Venio nunc ad argumenta Barclaij. Primùm adfert argumentum, quo ego fueram vsus aduersus eos, qui potestatem Pontificis, simul Pontificiam, & Regiam, spiritualem, & temporalem esse volebant, Reges autem temporales, non tam esse Reges, quam executores Pontificiæ potestatis, & voluntatis. Argumentum meum hoc fuit, *Potestas Regum terrenorum est à Deo*, vt confitentur ipsimet Pontifices; sanctus Leo, epist. 38. ad Martianum; sanctus Gelasius, in epist. ad Anastasium; sanctus Gregorius, lib. 2. epist. 61. Nicolaus in epistola ad Michaelem: *ergò vel potest Summus Pontifex tollere exequutionem administrationis à Regibus, & Imperatoribus tanquā summus ipse Rex, & Imperator, vel non potest: si potest, ergò est maior Christo, cùm possit auferre, quod Christus dedit; si non potest, ergò non habet verè potestatem Regiam in ipsos Reges, & Imperatores.* Hoc argumentum ita retorquet Barclaius aduersus meam, & Theologorum cæterorum sententiam.

1. *Aut potest Summus Pontifex aliquo modo, hoc est, directè, vel indirectè auferre Regibus, & Imperatoribus Regna, atque Imperia, alijsq́; conferre; aut non potest, ergò est aliquo modo maior Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert: minor enim vel par, auferre non potest, quod à maiore, vel æquali concessum est; ac ne Vicarius quidem eius, qui concessit sine expresso Domini mandato: (ne quis nobis reponat, Papam tamquam Christi Vicarium id facere, cùm ipse nullum de ea re mandatum neque expressum, neque tacitum accepisse inueniatur) si non potest, ergo falsum est, quod dicunt, eum habere summam potestatem indirectè disponendi de omnibus rebus temporalibus Christianorum, & deponendi de Solio Reges, & Imperatores, aliosq́; in eorum locum sufficiendi.* hæc Barclaius.

Respondeo. Cùm dicimus ex Pontificum sententia, Regum terrenorum potestatem esse à Deo: non intelligimus, esse à Deo *immediatè*, quomodo est à Deo potestas Summi Pontifi-

cis;sed esse à Deo, quia Deus voluit esse in genere humano policitum regimen; & ideò instinctum quendam naturalem dedit hominibus, vt eligant sibi Magistratus à quibus regantur: & præterea voluit Deus regimen politicum esse distinctum ab Ecclesiastico, vt expressè docuit Nicolaus Papa, in epistol. ad Michaelem;& post eum Innocentius in cap. *Solita*, de maiorit. & obedien. & ante vtrunque Gelasius in epist.ad Anastasium. Ex his perspicuum est, argumentum meum solidum esse,& argumentum Barclaij omninò infirmum:nam si in summo Pontifice esset potestas spiritualis, & temporalis *directè*,& esset Pontifex Rex mundi, vt est Pontifex Ecclesiæ vniuersæ,& Reges cæteri essent meri executores temporalis iurisdictionis; certè posset Pontifex pro arbitrio suo priuare quoslibet Reges administratione, & executione iurisdictionis temporalis, & hoc modo posset tollere regimen policitum, vel confundere cum Ecclesiastico;&esset maior Christo,cùm posset tollere,vel confundere potestates,quas ille voluit esse, & esse distinctas. At si in Summo Pontifice ponatur potestas spiritualis tantùm *directè*,& temporalis *indirectè*,id est, in ordine solùm ad spiritualia; non sequitur, posse Pontificem tollere, vel confundere politicum regimen;sed solùm sequitur,posse Pontificem per spiritualem, atque Apostolicam eminentissimam suam potestatem dirigere, & corrigere potestatem politicam, eamque, si opus sit, ad finem spiritualem, vni Principi adimere,& alteri conferre. Atque vt respondeamus in forma ad argumentum: cùm ille dicit, *Aut potest Summus Pontifex aliquo modo,* hoc est,*directè, vel indirectè, auferre Regibus,aut Imperatoribus regna, atque Imperia, alijsq; conferre,aut non potest.* Respondeo, potest; cùm ille colligit, *si potest,ergo est aliquo modo maior Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert:* nego consecutionem. nam Deus non dedit *immediatè* regnum huic aut illi; sed dicitur potestas Regum esse à Deo,quia Deus voluit esse inter homines potestatem politicam, eamque distinctam ab Ecclesiatica; proinde cùm Summus Pontifex transfert Regnum ab vno ad alium, non tollit quod Deus dedit, sed ordinat,& dirigit: & quemadmodum Deus dat Regna hominibus *mediante consensu & consilio hominum*; & potest, & solet ea mutare & transferre de gente in gentem, mediante consilio & consensu eorundem hominum: ita potest maiore ratione ea mutare, & transferre propter finem spiritualem per Vicarium suum generalem, quem constituit super totam familiam suam. *At*,inquit Barclaius, *iste Vicarius non habet mandatum Domini, neque expressum, neque tacitum.* Imò habet expressum, sed in genere: eo siquidem ipso quod factus est Pastor gregis totius, & præpositus toti familiæ, & caput vice Christi totius corporis Ecclesiæ,intelligitur habere mandatum regendi, & dirigendi, & corrigendi omnes oues totius gregis; omnes conseruos, qui sunt in familia;& omnia membra quæ sunt in corpore: neque excipiuntur Imperatores, & Reges, nisi velint excipi à numero ouium Christi, & seruorum Christi,& membrorum corporis Christi.

A 2. Adfert deinde Barclaius alterum argumentum, quod ego proposui aduersus eorum sententiam,qui tribuunt Summo Pontifici potestatem temporalem *directè* in omnia Regna mundi: illudque reforquere conatur aduersus meam, & aliorum Theologorum sententiam de potestate temporali *indirectè*, id est,in ordine ad spiritualia,sic autem loquitur.

§. Sed aliud longè efficacissimum, quod ex eodem Bellarmini libro, & capite suprà retulimus, hoc loco ad institutum nostrum optimo iure in hunc modum adaptabimus. Si verum est, Papam habere potestatem indirectè disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, aut eam habet iure diuino; aut iure humano: si iure diuino, deberet id constare ex Scripturis, aut certè ex Apostolorum traditione: ex Scripturis B *nihil habemus, nisi datas Pontifici claues regni cælorum, de clauibus Regni terrarum nulla mentio fit: traditionem Apostolorum nullam aduersarij proferunt.*]

Respondeo: Habet Summus Pontifex iure diuino potestatē disponendi de rebus temporalibus Christianorum in ordine ad finē spiritualem. Id verò constat ex Scripturis; nam in clauibus Regni cœlorum Apostolo Petro, pro se,& successoribus traditis, Matth.16.non intelliguntur quidem claues Regni terrarum,de quibus nulla mentio facta est in Euangelio, quia non erat necessarium, vt Summus Princeps Ecclesiæ simul esset Monarcha temporalis huius Mundi: sed intelligitur potestas disponendi de temporalibus, quatenus ea iuuant ad aperiendum fidelibus Regnum cœlorum, C vel impediunt,atque obstant, ne fidelibus aperiatur Regnum cœlorum.

3. At, obijcit Barclaius,*§.Quod si dixerint,neque expresso Dei verbo, neque traditione Apostolorum ad huius potestatis confirmationem opus esse; cùm indirectè tantum, & ex quadam sequela Pontifici competat, tamquam inseparabilis quadam accessio, & appendix potestatis illius spiritualis, qua supremus animarum Pastor in omnes Christiani gregis oues praditus est. Nos rursus ab eis petemus aliquod eius accessionis, & coniunctionis testimonium ex Scripturis; vel traditione Apostolorum.*

Respondeo.Iam dixi,potestatem,de qua loquimur, haberi expressè in Scripturis, sed generatim non in particulari; in illo videlicet ca. 16.Matth.*Tibi dabo claues Regni cœlorum.* & Ioann.21.*Pasce oues meas:* atque ex ijsdem istis te- D stimonijs diuinis colligi particularem illam accessionem & coniunctionem potestatis, disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia,non semel explicatum est.Neque verum est,quod Barclaius subiungit, hanc tantam potestatem,tum à Christo, tum ab Apostolis, eorumque successoribus alto silentio in Ecclesia tot seculis fuisse prætermissam. Nam à Christo apertè satis significata est in locis citatis: & ab Apostolo etiam indicata 1.Corinth.6.cùm ait, *Nescitis, quia & Angelos iudicabimus? quanto magis secularia?* & à successoribus Apostolorum Petri, & Pauli, Romanis videlicet Pontificibus, reipsa demonstrata est in depositione Regum, & Imperatorum, iam inde ab anno Domini septingentesimo: nam ante illud tempus,

vel defuit necessitas, vel oportunitas.

4. Objicit rursus Barclaius. §. *Si vtraque potestas ab altera, spiritualis scilicet à temporali, & è contra, separari possit: locus erit sententiæ, qua quod directè fieri non permittitur, id nec indirectè fieri statui. ita enim prudentes definierunt, quoties aliquid directè fieri prohibetur, id nec indirectè quidem, siue per consequentiã fieri posse: nisi id quod prohibitũ est, sequatur necessariò ad aliud iure permissũ, ita vt permissũ sine prohibito non possit procedere, & nisi (vt cum Iurecõsulto dicã l.5.§ generaliter, de donatione inter vir. & vxor.) vtriusq; causa ita cõmixta sit, vt separari non possit. Vnde eum, qui solus rem alienare non potest, ne cedere quidem posse liti super ea mota concluditur, iuxta Panorm. in c. dudum. 54. de elect. & c. cùm pridem, de pact. quod nimirũ obliquè, & indirectè hoc modo rẽ alienaret. Si igitur Papa, quatenus Papa nullã temporalẽ iurisdictionem directè habet in Christianos, quod illi cõcedunt, superiore iuris sententia effici videtur, eum ne indirectè quidem habere posse. Quapropter vt suã hominibus sententiam persuadeant, debent ex Scripturis, aut Apostolorum traditionibus testimonium proferre, vel saltem docere, temporalẽ potestatem, de qua loquuntur, ita coniunctam esse cum spirituali, vt ab ea diuelli, & separari, vt inquam, spiritualis sine ea consistere nullo modo possit: quod quoniam præstare nequiuerunt, nihil nisi opiniones incertas sunt sequuti, & rationes, quæ non satis videntur concludere, quod assumunt.*

Respondeo. De coniunctione & separatione Ecclesiasticæ potestatis, & politicæ, duplex potest esse quæstio. vna, An possit Ecclesiastica potestas esse sine Politica, ita vt nullus in Ecclesia sit Princeps politicus; & contra, An possit potestas politica inueniri in aliqua gente, vbi nullus sit Prælatus Ecclesiasticus; & hoc modo concedimus posse inueniri has potestates omninò separatas: primis enim temporibus Ecclesiæ fuit in terris Ecclesia sine vllo Principe temporali Christiano, & fuerunt eodem tempore, & sunt etiam nunc aliqua Regna infidelium, vbi nulli sunt Prælati Ecclesiastici. Altera quæstio esse potest, An possit dari summa potestas Ecclesiastica, siue spiritualis, quæ non habeat aliquo modo annexam potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia: & hoc modo negamus posse dari potestatem summam Ecclesiasticam, siue spiritualem, quæ non habeat annexam potestatem temporalem aliquo modo, id est, in ordine ad spiritualia. nam etiam illo tempore, quo nulli erant in Ecclesia Principes temporales, potuit Princeps Ecclesiasticus iubere fidelibus, vt de bonis temporalibus alerent ministros Sacramentorum: item, vt fideles dirimerent inter se lites ciuiles, & non adirent pro his rebus tribunalia infidelium: quorum vtrumque docet Apostolus in priore ad Corint. cap. 6. & 9. Potuit quoque Ecclesia non tolerare super se Principem infidelem, si is auertere conaretur fideles à cultu veri Dei, vt sanctus Thomas docet in 2.2.q.10. articul. 10. Denique illo tempore deerat vsus potestatis huius in Principes, quia nulli erant; sed potestas ipsa non deerat: aliud enim est potestas, aliud vsus potestatis. Itaque fundamentum Barclaij de separatione harum potestatum omninò

A corruit, & eo ruente ruit totum ædificium argumentorum ipsius. Nam quod adducit ex iure ciuili, & canonico, non facit ad rem; quia non admittimus separari posse omninò potestatem spiritualem à temporali; & contrarium pro comperto habemus, idque ex testimonio Scripturæ, & praxi Ecclesiæ. Barclaius autem assumit tanquam certa, & concessa, nos destitui testimonio Scripturæ, & potestates illas nullo modo esse coniunctas: quæ nemo nostrum concedit; imò etiam falsa esse contendimus. Accedit præterea, quod quando in Ecclesia sunt Principes temporales, vt post primos ducentos, vel trecentos annos semper fuerunt: tunc potestas Ecclesiastica, & politica coniunctæ sunt adhuc strictiore vinculo; quoniam Princeps politicus subie- B ctus est Principi spirituali, vt filius patri, & membrum capiti. Siquidem Respublica politica, & spiritualis vnam Ecclesiam faciunt, non duas: & illius vnius Ecclesiæ caput est Vicarius Christi, Petrique successor. Quare si quid valerent argumenta Barclaij pro Principibus, qui fidem Christi nunquam susceperunt, quod tamen non admittimus; certè pro Principibus Christianis, aut qui Christiani aliquandò fuerunt, nihil prorsus valent. Sed de hac re plura suo loco dicenda sunt.

CAPVT VI.

Cur primis septingentis annis Summi Pontifices non deposuerunt Reges hæreticos, vel Apostatas.

IN sexto Capite Barclaius producit tanquã C argumentum insolubile, quod neque vsus, neque exemplum, neque mentio vlla talis Pontificiæ potestatis, annis circiter mille in Ecclesia fuerit: cùm multi interea Principes Christiani impiè, crudeliter, peruersè, & magno Ecclesiæ detrimento Regnis, atque Imperijs abuterentur. Deinde affert solutionem ad hoc suum argumentum, quàm ante annos viginti ad argumentum simile dedit Franciscus Romulus in Responsione ad Apologiam, quæ falsò Catholica inscribebatur: & eam solutionem in toto capite, & sequentibus vsque ad duodecimum prolixè admodum, & magnis clamoribus odiosissimè refellere nititur, vt in his sex capitibus non Iureconsultum, aut Theologum disputatorem; sed tragicum declamatorem agere voluerit. Quare adscri- D bam hoc loco responsionem integram Francisci Romuli, vt eam Barclaius refert, deinde respondebo ad singulas partes Barclaianæ confutationis. Sic igitur loquitur Franciscus Romulus in Apologia cap. 8.

[*Iam verò quod quarto loco aduersarius obijcit de maiorum nostrorum consuetudine, qui Principes multos hæreticos passi sunt, vt Constantium, & Valentem, Arianos; Anastasium Euthychianum; Heraclium Monothelitam, & si qui sunt alij, ad rem nihil facit; neque enim Ecclesia temerè, & inconsideratè potestate sua debet abuti. Porrò non rarò accidit, vt tanta sit quorundam Regum cum improbitate, ac sæuitia iuncta potentia, vt Ecclesiastica censura, neque ad eos coercendos quicquam prosit, & Catholicis populis, in quos Principes irritati magis sæuiunt, plurimum*

obsit.

obsit. Quid enim quæso profuisset quondam Ecclesiæ, si tentasset, vel Ostrogothos Reges in Italia, vel in Hispania VVisegothos aut VVandalos in Africa excommunicare, ac de solio deturbare, quamuis id facere optimo iure potuisset? Quod idem de Constantio, Valente, & alijs supra nominatis intelligi debet. Siquidem ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium subeundum Episcopi, quam ad Principes coërcendos parati esse deberent. At vbi vidit Ecclesia suæ potestati locum aliquem aperiri, vel cùm ipsorum Principum spirituali vtilitate, vel certè sine detrimento, & pernicie populorum; non sibi defuit, vt exempla paulò antè allata demonstrant. Sic enim Ecclesia Leonem Isauricum Imperij parte, & Henricum quartum toto Imperio, & Childericum Regno Franciæ spoliandos esse iudicauit, vt reipsa deinceps, & Leo parte Imperij, & Henricus Imperio toto, & Childericus Regno caruerit. Itaque veteres illos Imperatores Constantium, Valentem, & cæteros, non ideò tolerauit Ecclesia (vt aduersarius somniat) quòd legitimè in Imperium successissent; alioqui enim Leonem etiam, & Henricum, & Childericum, qui non minus legitimè successerant, pertulisset; sed quod illos sine populi detrimento coërcere non poterat, istos poterat.]

Hæc responsio Francisci Romuli à morsibus Barclaij vindicanda est, tùm quia ad rem nostram maximè facit, tùm quia est hominis Catholici, & eruditi, cuius librum iam olim vidi, non Romæ excusum, vt Barclaius fingit; sed in Gallijs; qua vrbe non memini. Ergò Barclaius partem illam reprehendendam primo loco sibi desumpsit, vbi dicitur, *Ea tunc erant tempora, vt potius ad martyrium subeundum Episcopi, quàm ad Principes coërcendos parati esse deberent*. Quæ verba Barclaius pro sua modestia dicit, falsa esse, & in meris mirisque mendacijs fundata. Deinde addit, ea indigna sibi videri, quæ ab vllo Catholico, nedum Theologo in medium adferantur. Denique ita in partem deteriorem ea verba interpretatur, vt exclamet. *Quid enim? an nos incidimus in ea tempora, quibus Episcopi milites potius, quàm Martyres esse debeant? aut legem Dei, atque Ecclesiam prælijs, quàm prædicationibus defendere?* Atque hinc accepta occasione toto illo capite, aduersus mores Episcoporum, & Cardinalium maximo furore bacchatur. Sed nos conuicijs, & maledictis præteritis, & tota eius canina eloquentia prætermissa, breuiter respondebimus. Primò falsum esse dico, quod initio capitis ipse sumit, annis circiter mille, neq; vsum, neq; exemplum, neq; mentionem vllam talis Pontificiæ potestatis in Ecclesia fuisse: siquidem exempla Gregorij primi, secundi, & quarti, nec non Zachariæ, & Leonis III. suprà allata contrarium euidenter ostendunt. Deinde addo, Franciscum Romulum non diuisisse responsionem in partes duas, vt ille fingit; vna est enim, & simplex responsio, videlicet non potuisse Ecclesiam illo tempore vti potestate sua; ideò subeundum fuisse martyrium potius, quàm fidem abnegandam. Quemadmodum etiam hoc tempore vbi Ethnici prævalent, vt in Insulis Iaponijs; vel hæretici, vt in Britannia, plurimi ad martyrium animantur, & reipsa martyrium for-

A tissimo animo suscipiunt potiùs, quàm ad fidei abnegationem perduci se sinant: Adiungo postremò tempus martyrij proprium illud esse, cùm neque fuga, neque iusta defensione, sed sola passione abnegatio fidei declinari potest. Neque enim Dominus in Euangelio vim vi repellere vnquam prohibuit; fugam autem non modò permisit, sed etiam in certo casu, vt cùm Ecclesiæ necessitas, vel maior vtilitas id postulat, imperauit dicens, *Cùm vos persequentur in vna ciuitate, fugite in aliam.* Matth. 10. neque in gladios persecuturum irruere, sed mortem pro fidei confessione illatam tolerare æquo animo iussit. Et quidem quod attinet ad fugam, tam euidens est mandatum Domini, & testimonia, atque exempla sanctorum Prophetarum, & Apostolorum, quæ copiosè adducit S.
B Athanasius in Apologia pro fuga sua, vt nulla de hac re dubitatio Catholicis relicta sit. quod autem liceat vim vi repellere, & iure belli persecutionem siue gentilium, siue hæreticorum propulsare, si vires adsint; docent bella Machabæorum aduersus Antiochum, qui populum Dei ad Idololatriam compellere satagebat, docent bella Catholicorũ aduersus hæreticos in Africa tẽpore S. Gregorij, de quibus loquitur idem S. Gregorius, lib. 1. epistol. 77. ad Gennadium Exarchum, vbi eum laudat, quòd magno zelo hæreticos armis persequeretur, eumque excitat, & hortatur, vt viriliter pergat. docent bella Catholicorum aduersus hæreticos Albigenses, & Tholosanum Comitem Raymundum patronum ipsorum, vbi diuina adiuuante gratia plus centũ millibus vno prælio à Simo-
C ne Comite Monfortio cum exigua manu cæsi sunt, vt scribit Paulus AEmilius, lib. 6. historiæ Francorum: docent nostro tempore bella Heluetiorum Catholicorum aduersus Heluetios hæreticos Zuinglianos. Nam vt scribit Ioannes Cochleus de Actis Lutheri anno 1531. Heluetij pro fide Catholica pugnantes, cùm numero, & viribus essent inferiores, & sola iustitia causæ superiores, quinque prælijs hæreticos gloriosè vicerunt. quo tempore autem Catholici à Constantio Ariano Imperatore vexari cœperunt, ad Constantem Principem Orthodoxum, qui in Occidente imperabat, S. Athanasius, alijque Episcopi Catholici confugientes, literas impetrarunt minaces ad Constantium, vt habetur in historia tripartita, lib. 4. cap. 25. quibus literis ad tempus repressa per-
D secutio est; sed paulò pòst Constante defuncto, & Constantio in toto orbe Romano Imperium obtinente, cùm nemo esset, qui illi resistere auderet; tempus illud aduenit, quo Episcopi ad martyrium parari, non autem de Imperatore excommunicando, vel deponendo cogitare deberent. Atq; hæc est sententia Francisci Romuli, nõ ea, quã illi Barclaius affingit, quasi voluerit olim Episcopos Martyres esse debuisse, nunc milites esse debere.

CAPVT VII.

Cur Ecclesia Constantium hæreticum, & Iulianum Apostatam Imperatores non deposuit?

IN septimo capite refutare Barclaius aggreditur verba illa postrema Francisci Romuli. [*Itaque veteres illos Imperatores Constantiũ,*

Valentem, & cæteros, non ideò tolerauit Ecclesia, quòd legitimè in Imperium successissent: alioqui enim Leonem etiam, & Henricum, & Childericum, qui non minus legitimè successerant, pertulisset; sed quod illos sine populi detrimento coërcere non poterat, istos poterat.] Et miratur, hoc idem scripsisse Bellarminum lib.5. de Pontifice cap. 7. Sed vt magis miretur, sciat hoc idem sensisse sanctum Thomam in 2.2.q.12. articul. 2. ad primum, vbi dicit Ecclesiam tolerasse, vt fideles obedirent Iuliano Apostatæ, quia in sui nouitate, nondum habebat vires compescendi Principes terrenos. Existimat igitur Barclaius, Ecclesiam facilè potuisse, si voluisset, tum Constantium Arianum, tum Iulianum Apostatam de solio deturbare; sed id non fecisse, quod sciret illos legitimè in Imperium successisse. Argumenta eius hæc sunt. Primum, quia totus orbis tempore Constantij Christianus erat, & eius pars maxima Orthodoxa. § *Falsissimum,* inquit, *esse dico, non potuisse Ecclesiam coërcere illos aquè facilè, atque istos, ne dicam facilius, & sine detrimento populi, siue id armis tentare, siue arte aliqua, & hominis deuoti opera vti voluisset. Iam enim totus orbis sub Constantio Christianus fuit (vt ex epistola Constantini Magni ad Ecclesiam, ab Eusebio, & Nicephoro relata constat) & eius pars maxima Orthodoxa: ita vt vires illis ad opprimendum Imperatorem nequaquam defuerint, si fas, aut pium credidissent armis aduersus legitimum Principem decertare.*]

Respondeo. Primùm, verum non est, tempore Constantij totum orbem fuisse Christianũ, neq; hoc dicit in ea epistola Constantinus. Et si hoc esset verum, quo modo Simmachus Præfectus vrbis longa oratione (quæ extat apud sanctum Ambrosium inter Epistolas eius vicesimam nonam, & tricesimam primam) persuadere conatus fuisset Valentiniano Imperatori, vt sacra gentilibus Romanis restitueret? Cur sanctus Ioannes Chrysostomus in oratione de sancto Babyla, & Theodoretus, in libris de curandis Græcorum affectionibus tam multa disputasset aduersus gentiles sui temporis? Cur sanctus Augustinus, & Paulus Orosius scripsissent contra querelas gentilium, ille libros de Ciuitate Dei: iste historiam cladium, quas Romani antequam Christus aduenisset, acceperant? Denique Barbari cum quibus post tempora Constantini ad Orientem, & Septentrionem Romani assiduè decertabant Parthi, Persæ, Sarmatæ, Gothi, nonne maxima ex parte gentiles erant? Deinde etiamsi hoc esset verum; non tamen inde rectè colligi posset, facilè fuisse Ecclesiæ coërcere Constantium, vel Iulianum: nam Imperatores illi potentissimi erant, & multas legiones armatas ducebant, aduersus quas nihil poterat inermis multitudo fidelium, præsertim cùm Principem aliquem Christianum non haberet, qui vellet, aut posset eam armare, & armatã ducere aduersus Imperatores. Hoc certè tempore in Imperio Turcarum plurimi sunt Christiani, & fortasse plures numero, quàm ipsi Turcæ sint: tamen quia neque Ducem, neque arma in promptu habent, aduersus Turcarum Regem nihil possunt; quæ causa fuit olim, cur neque Itali iugum Gothorum, neque Africani VVandalorum, neque Galli Francorum excutere possent. At Leonem Imperatorem Græcum facilè fuit Summo Pontifici Gregorio excludere ab Imperio Italiæ, quoniam vires eius in Italia debilitatæ erant, & Proceres Italiæ hoc ipsum maximè expetebant, vt facultas eis à Pontifice daretur deficiendi ab Imperatore impio: pari ratione Childericum Regem Francorum nullo negocio potuit Zacharias Pontifex Regno priuare, cùm id ipsum Proceres Franci cuperent, & ipse potestate rerum gerendarum ad Magistrum Palatij translata, ocio desidiaque langueret. Denique Henricum Imperatorem non ante Gregorius Papa deponendum esse decreuit, quàm grauissima eius crimina vocibus populorum ad eum delata iustitiam postularent, vt Marianus Scotus, alijque eius temporis historici docent.

Addit Barclaius, *temporibus Constantij non defuisse in AEgypto, & Lybia, alijsque locis per Asiam, & Europam Monachos per multos, in quibus non minor zelus erat quàm in illo, qui Henricum tertium Francorum Regem confodit, qui, si licuisset, facilè Constantium de medio tollere potuissent.*

Respondeo. Non pertinet ad Monachos, aut alios Ecclesiasticos viros cædes facere, vt habetur 23.q.8. Can.1. & sequentibus; multò autem minus per insidias Reges occidere. Neque Summi Pontifices consueuerunt ista ratione Principes coërcere. Ipsorum mos est, primùm paternè corripere, deinde per censuram Ecclesiasticam Sacramentorum Communione priuare, denique subditos eorum à iuramento fidelitatis absoluere, eosque dignitate, atque auctoritate Regia, si res ita postulat, priuare. Exequutio ad alios pertinet. Quare Innocentius Pontifex cùm in Concilio Lugdunensi Friderico II. Imperium abrogasset, dixisse fertur, *Ego, quod meum est, feci; faciat & prosequatur super his Deus, quod voluerit.* Id refert Matthæus Paris in Henrico tertio referens acta anni Domini 1245.

Pergit deinde, & probare nititur, facilè fuisse Ecclesiæ tollere de medio Iulianum Apostatam, & Valentem Arianum, quia exercitus eorum magna ex parte Catholici erant, & Episcopis obedientes, quod cùm non fecerit, sequitur, aut Pontifices illius temporis non esse functos officio suo, aut credidisse non sibi licere Principes, quamuis Apostatas, aut hæreticos deponere.

Respondeo. Iulianum Apostatam difficillimum fuit deponere, quoniam ipse solus Imperium regebat, neque verum est totum eius exercitum fuisse Christianum: scribit enim Ruffinus, lib.2. cap.1. totum fuisse pollutum sacrilegijs, sacrificijs videlicet idololatricis, nam vt scribitur in Historia tripartita, libr.7. cap.1. legem tulerat Iulianus, vt omnes milites sacrificarent Idolis, aut de militia eijcerentur. Itaque plenus erat exercitus Paganis, aut ijs, qui à Christo defecerant. Neque his repugnat, quod aduersarius citat ex Ruffino, Socrate, & Theodoreto; Iouiniano recusante Imperiũ sumere, quò ipse Christianus cùm esset, Paganis imperare nolebat, exercitum vna voce clamasse, *& nos Christiani sumus.* Siquidem ea vox

significa-

significabat, plerosq; illorum corde, ac voto Christianos fuisse, non manifesta professione: alioqui Iouianus, non eis obiecisset, paganismum, neque dixisset, se nolle imperare Paganis. Itaque si qui erant in exercitu Iuliani Christiani, occulti erant, & communicatione sacrilegorum sacrorum maculati, Pagani habebantur. De Valente idem omninò dici potest: quamuis enim paucos quosdam in exercitu suo Catholicos haberet, tamen multitudo Principis sequebatur errores. Neque alia causa est, cur Valentinianus Catholicus Imperator fratrem Valentem hæreticum toleraret, nisi quia non facilè erat sine periculoso, & ambiguo bello de Imperatorio solio illum deijcere.

Subiungit postremò Barclaius duo Patrum testimonia, vnum S. Gregorij Nazianzeni, orat. 1. in Iulianum, cuius verba sunt, ***Coercitus est Dei clementia, & lacrymis Christianorum, quæ multa iam, & à multis erant effusa, cùm solum hoc contra persecutorem haberent remedium.*** Alterum, sancti August. tract. in Psalm. 124. qui sic loquitur, ***Iulianus extitit infidelis Imperator, nonne extitit Apostata iniquus, idololatra? Milites Christiani seruierunt infideli Imperatori: vbi veniebant ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum qui in cœlo erat; quando volebat, vt Idola colerent, vt thurificarent, præponebāt illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant, distinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.***

Respondeo. Sanctus Gregorius dicit, nullum aduersus Iuliani persecutionem fuisse remedium præter lacrymas; quoniam non habebat Ecclesia vires, quibus illius tyrannidi resistere posset. Ideò enim lacrymis Dei benignitas imploranda erat; quoniam aliundè auxilium exspectari non poterat. Neque negauisset sanctus Gregorius, potestatem politicam iure subiectam esse debere spirituali Pōtificum potestati, cùm hoc ipsum disertis verbis scriptum reliquerit, in Oratione ad populum pertimescentem, & Præsidem iratum: quare hoc loco de facto loquitur, nō de iure. Sanctus Augustinus rectè dicit, Milites Christianos seruiuisse Iuliano Imperatori infideli, quoniam initio Imperij sui tolerabat Christianos; nec solos milites Christianos esse patiebatur; sed etiam Episcopos Catholicos, quos Constantius Arianus relegauerat, ad sedes suas reuerti permisit, vt refert Ruffinus, lib. 1. cap. 27. postea tamen, vt ex Tripartita citauimus, cogebat omnes, aut idolis sacrificare, aut militia excedere, quo tempore Iouinianus, & Valentinianus cingulum militiæ abijcere, quàm idolis sacrificare maluerunt; propter quod Deus, qui reddit centuplum in hac vita, vtrique paulò pòst, pro cingulo militiæ Regium diadema donauit. Porrò Barclaius perperam interpretatur illa verba, ***Vbi veniebant ad causam Christi***: dicit enim, causam Ecclesiæ esse causam Christi; & ideò si licitum esset Imperatorem Apostatam deponere, debuissent milites Christiani, iubente Ecclesia, in ipsum Iulianum arma conuertere. At sanctus Augustinus verba sua ipse interpretatur, cùm ait, ***Quando volebat Iulianus, vt Idola colerent, præponebant illi Deum.*** Hanc igitur vocat causam Christi sanctus Augustinus: quamuis autem sit etiam Christi causa, Ecclesiæ causa; tamen non tenebantur milites Christiani in Imperatorem suum, quamuis Apostatam, & persecutorem arma conuertere, nisi antea hostis iudicatus esset: Ecclesia verò tolerandum potius censuit, quàm irritandum, cùm satis virium ad eum deponendum non haberet, vt sanctus Thomas ad hoc ipsum Argumentum respondet, in 2. 2. q. 12. art. 2.

CAPVT VIII.

Cur Ecclesia non deposuit Valentinianum Iuniorem Arianum?

IN cap. 8. Barclaius probat, non defuisse vires Ecclesiæ, quibus Valentinianum Iuniorem hæreticum ab Imperio deponeret: sed frustra laborat; non enim Franciscus Romulus, cuius disputationem Barclaius refellendam suscepit, de isto Valentiniano vllam mentionem fecit: sciebat enim facile fuisse S. Ambrosio illum deijcere, præsertim cum Maximus Princeps Catholicus iam esset in armis, vt Valentinianum hæreticum coerceret, & tota ciuitas Mediolanēsis, & ipsi etiam milites ab Ambrosio starent. Cur igitur, inquies, S. Ambrosius Valentinianum hæreticum tolerauit? Causa est in promptu, quia Valentinianus puer erat, & non proprio iudicio, sed matris auctoritatem sequutus Ecclesiam persequi cœpit. Sperabat verò S. Ambrosius facilè posse adduci eundem Valentinianum, vt Parentis sui Valentiniani senioris, & fratris Gratiani, necnon collegæ Theodosij Catholicorum Imperatorum fidem, & pietatem sequeretur. Quod etiam breui contigit: resipuit enim Valentinianus, & S. Ambrosium ita colere cœpit, vt nullum haberet, cui magis fideret, neque quem magis obseruaret: denique parentis loco illum deinceps semper habuit: quæ omnia vera esse intelliget, qui orationem eiusdem S. Ambrosij in funere Valentiniani Imperatoris habitam legere voluerit. Ex quo etiam respondetur ad id quod Barclaius obijcit de Theodosio Imperatore, qui Valētinianum ad se confugientem complexus est, eumque fugato Maximo, in Imperium restituit.

§. ***Res notatu digna*** (inquit Barclaius) ***hæreticus à Catholico fugatur, ad Catholicum auxilij causa fugit: à quo & reprehensus est propter hæresim, & propter reuerentiam Maiestatis humaniter exceptus, atque in Regnum restitutus: & quia Ecclesia rebellionem Religionis ergo, aduersus legitimum Principem non laudauit, Maximus neque reformator Imperij dictus est, neque restaurator Ecclesiæ sed rebellis, & tyrannus.***]

Respondeo. Theodosius optimo iure Valentinianum adiuuandum suscepit aduersus Maximum, tum quia animaduertit, illum à matre seductum facilè posse ad Fidem Catholicam reduci, quod (vt diximus) continuò factum est; tū quia Theodosius à Gratiano Valentiniani fratre ad Imperij societatē vocatus fuerat, proinde æquū erat, vt benefactoris sui

fratrem, & Imperij collegam in tanto periculo non desereret; tum denique quia Maximus non præcipuè propter Religionem, sed propter dominandi cupiditatem Imperium vsurpauerat, & Gratianum legitimum Principem interfecerat. Itaque Theodosius non aduersus defensionem Catholicæ fidei, sed aduersus parricidam Imperatoris, & iniustum Imperij vsurpatorem arma suscepit.

His explicatis Barclaius, quasi parta victoria exultans, ait: §. *Hæc cùm ita sint, desinant nunc velim aduersarij commento suo nobis imponere, aut saltem dicant, vnde id hauserint?*]

Respondeo. Commentum dici non potest, quod omnes Doctores, & ipsa Concilia generalia tradiderunt. Vnde autem id hauserimus, non semel ostendimus, & paulò post clarius ostendemus.

Subijcit Barclaius: §. *Constat omnes ea ætate sensisse, nullam vel Episcopo Romano, vel Ecclesiæ vniuersæ temporalem potestatem vllo modo, vllave ex causa in eos competere, sed solius Dei iudicio, quantum ad pœnas temporales, relinquendos.* & paulò pòst, *Huius*, inquit, *rei testem in primis Tertullianum produco, qui de Imperatoribus loquens in Apologetico; Sentiunt*, inquit, *Deum esse solum, in cuius solius potestate sunt, à quo solo sunt secundi, post quem primi, ante omnes Deos, & super omnes homines. & in libro ad Scapulam, Colimus*, inquit, *Imperatorem sic, quomodo, & nobis licet, & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, solo Deo minorem: hoc & ipse volet; sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est.*]

Respondeo: Falsum est, constare, omnes Doctores ea ætate sensisse, nullam vel Episcopo Romano, vel Ecclesiæ vniuersæ temporalem potestatem vllo modo, vllave ex causa in Principes Christianos competere. Auctores enim, quos Barclaius adducit, & paucissimi sunt, & non dicunt quod ipse affirmat. Tertullianus, qui primo loco citatur, de Principibus Ethnicis loquitur, qui toti Orbi Romano imperabant, & nondum sceptra sua Christo subiecerant. Itaque secundi à Deo in rerum temporalium administratione de facto dici poterant. *At*, inquit, Barclaius, *lex Christi iure suo neminem priuat, proinde Reges, & Imperatores accedendo ad Ecclesiam, nihil iuris sui temporalis amittunt.* Verum est, nihil amittunt, sed multa lucrantur potius, cùm & Reges temporales sint, vt antea erant, & Regni cœlestis hæredes fiant, quod antea non erant. Sed si ad Regnum cœleste adipiscendum, oporteat eos Vicario Christi subesse, vt iam non liceat illis temporali potestate abuti ad suam, & aliorum perditionem, molestè ferre non debent.

Secundo loco Barclaius Ambrosium producit, qui in Apologia Dauid sic loquitur: *Rex vtique erat* (Dauid) *nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum: neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperij potestate.*]

Respondeo. Liberi sunt Reges à legibus politicis, tum suis, tum prædecessorum Regum, quia par in parem non habet potestatem: non sunt tamen liberi à legibus Dei, & Ecclesiæ; & hoc videmus etiam commune fuisse cum Regibus testamenti veteris, qualis erat Dauid. Siquidem cum Rex Ozias thus adolere vellet in templo Domini, quod erat officium summi Sacerdotis, & repulsus à Sacerdotibus non acquiesceret, continuò lepra percussus est, & ad iudicium Sacerdotum coactus est habitare seorsim, & à Regni administratione cessare; vt dicitur in 2. lib. Paral. cap. 26. Addit Iosephus lib. 9. antiquitatum cap. 11. ab eo tempore Oziam priuatum vixisse, ac longo mœrore consumptum. Simili ferè modo cùm Principem Christianum lepra hæresis infectū cernit Summus Pontifex, segregat illum à cœtu piorum per sententiam excommunicationis, ac ne cæteros inficiat, soluit eius subditos à iuramento fidelitatis, atque si opus sit, iubet etiam sub eadem excommunicationis pœna, ne illum pro Rege habeant, neve illi vt Regi pareant.

Tertiò Barclaius Gregorium Turonicum testem adducit, qui in lib. 5. historiæ Francorum, cap. 18. his verbis alloquitur Regem, *Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest: si verò tu excesseris, quis te corripiet? loquimur enim tibi, sed si volueris, audis, si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is, qui se pronunciauit esse iustitiam?*

Respondeo. Loquitur Gregorius de potestate, quam habent Reges *de facto* cogendi homines particulares, & quam non habent homines particulares ad cogendos Reges. Accusauerat enim Rex Childericus Prætextatum Episcopum Rothomagensem tamquam reum Maiestatis, apud Parisiensem Synodum, in qua cum alijs multis Gregorius Turonicus sedebat: & quoniam Gregorius Prætextatum innocentem esse, & à subordinatis falsis testibus grauari intelligebat, condemnationi eius assentiri nullo modo volebat. Itaque sciens Rex vnum Gregorium sibi resistere, dixit illi, *O Episcope iustitiam cunctis largiri debes; & ecce ego iustitiam à te non accipio; sed vt video consentis iniquitati, & impletur in te prouerbium illud, quod Coruus oculum Corui non eruet.*

Tum Gregorius demonstrare volens, fieri non posse, vt aliquis nolit Regi iustitiam facere, cùm Rex possit eum cogere, vt iustitiam faciat; sed è contrariò fieri posse, vt Rex nolit iustitiam facere, cùm nemo possit eum cogere, vt iustitiam faciat: respondit verba superius posita. *Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corripi potest: si verò tu excesseris, quis de corripiet?*

Atque hanc esse sententiam horum verborum, non solum perspicuum est ex verbis præcedentibus; sed etiam ex euentu illius causæ. nam cùm Rex varijs artibus, & dolis conatus esset extorquere à Synodo sententiam damnationis contra Prætextatum, & non obtinuisset; vi adhibita, coniecit eum in carcerem, & cùm is elabi voluisset, grauiter cæsus in exiliū missus est, vt eodem loco narrat Gregorius, & Aimoinus, lib. 3. historiæ Francorum, cap. 26. Neque hic finis furoris fuit Fredegundis Reginæ, in cuius gratiam, Rex omnia illa molieba-

liebatur, nam cùm postea per Guntrannum Regem Prætextatus in suam sedem restitutus fuisset, dolo eiusdem Reginæ per sicariũ quendam ad altare sacrum Prætextatus occisus fuit, teste eodem Gregorio lib. 8. c. 31. qui Prætextatus inter sanctos Martyres haberi cœpit. Hęc igitur est illa potestas, quam Reges in Episcopos habent, vt videlicet vi adhibita contra iustitiam in illos, si velint, animaduertant; & quã non habent Episcopi in Reges, vt eos, quamuis iure damnatos obtemperare cogant, nisi ab alia temporali potestate maiori iuuentur.

Quarto loco adducit Barclaius testimoniũ S. Gregorij Papæ, qui se famulum Imperatoris appellauit, & Imperatori cælitus datam potestatem super omnes homines fassus est. De quo testimonio satis multa dicta sunt capite tertio, neque opus est illa repetere.

B Vltimo loco adducit Othonem Frisingensem in epistola ad Fridericum AEnobarbum, cuius hæc sunt verba, *Soli Reges, vtpotè constituti supra leges, diuino examini reseruati, seculi legibus non cohibentur: vnde est illud tam Regis, quam Prophetæ, Tibi soli peccaui:* & mox, *Cum enim iuxta Apostolũ homini mortali horrendum sit incidere in manus Dei viuentis; Regibus tamen, qui nullum præter ipsum supra se habēt, quem metuant, eo erit horribilius, quo ipsi possunt cæteris peccare liberius.*]

Respondeo. Otho Frisingẽsis apertè loquitur de legibus seculi, quibus sinè dubio Reges subiecti non sunt subiectione coactiua: nam non solum in verbis citatis habetur, *seculi legibus non cohibentur*; sed etiam paulò ante sic loquitur Otho, *Præterea cum nulla inueniatur persona mundialis, quæ Mundi legibus non subiaceat, subiacendo coerceatur, soli Reges, vtpote constituti supra leges*, & cæt. At Reges ex Othonis sententia nullum habent supra se, quem timeant, nisi Deum; ergo non solum à legibus seculi, sed etiam à legibus Ecclesiæ, saltem quo ad temporalem pœnam liberi sunt, alioqui haberent supra se summum Pontificem, quem timerent, & non solum Deum. Præterea ex eiusdem Othonis sententia, Reges diuino solius Dei examini reseruantur, non igitur iudicio subijciuntur Papæ, saltem in temporalibus.

Respondeo. Otho Episcopus Catholicus, & pius, non voluit dicere, Reges non teneri legibus Pontificijs, vel non habere super se Christi Vicarium, quẽ timeant, vel non subiacere summi Pontificis examini, saltem in rebus spiritualibus; & quo ad pœnas spirituales, si enim id vellet, hæreticus esset. Ergo cum ait, Reges solius Dei examini reseruari, & non habere super se, quem timeant, nisi Deum, & solutos esse legibus, vtpotè supra leges constitutos, necesse est restrictionem addere, vel ex parte legum, vel ex parte pœnæ. Barclaius libenter admittet restrictionem ex parte pœnæ; sed nos dicimus restrictionem subintelligendam esse solum ex parte legum. Id probamus, quia in verbis Othonis inuenitur restrictio ex parte legum, cùm dicat, eos non subiacere mundi legibus, & rursum, seculi legibus non cohiberi: restrictio ex parte pœnæ, temporalis videlicet, in verbis eius nusquam legitur. Præterea, non ignorabat Otho Childericum Regem à

A Summo Pontifice fuisse depositum, & postea Hēricum Imperatorem à Gregorio Papa VII. exauthoratum. nam vtriusque rei meminit in Historia sua, lib. 5. cap. 23. lib. 6. cap. 34. 35. 36. neque reprehendit factum: imò videtur probare, cum his verbis laudat Gregorium septimum, lib. 6. cap. 34. *Forma*, inquit, *gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstrauit, ac fortis per omnia Athleta murum se pro domo Domini ponere non timuit*: & cap. 36. *Ecclesia*, inquit, *tanto Pastore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui zeli & auctoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.* Igitur sensus verborum Othonis hic erit, Reges legibus seculi non teneri, & quantum ad eas leges, solius Dei examini reseruari, & quantum ad easdem leges, neminem super se habere, quem metuant, nisi Deum.

Propter hæc testimonia triumphat Barclaius dicens: §. *Si contrariæ opinionis assertores tot antiquorum Patrum testimonia, imò si vel vnum proferre possint, quo disertè scriptum sit, Ecclesiam, vel eius caput summum Pontificem habere temporalem illam potestatem in Reges, & Principes seculares, & posse eos temporalibus pœnis quoquo modo, directè scilicet, vel indirectè coercere, aut Regno, Regnive parte mulctare, non equidem recusabo, quo minus lis tota secundum ipsos sine prouocatione iudicetur.*]

Respondeo. Auctores à Barclaio producti, non disertè scripserunt, Reges, & Principes Christianos non posse ab Ecclesia, vel eius capite Summo Pontifice pœnis temporalibus directè vel indirectè coerceri, aut Regno, Regnive parte mulctari: & si hoc disertè scripsissent,
C possemus nos Tertulliano ab ipso allato sanctũ Cyprianum opponere, qui lib. 1 Epist. 3. iubet cum hæreticis nulla cõmercia copulari: quod antea S. Irenæus Tertulliano antiquior docuerat, lib. 3. cap. 3. aduersus hæreses dicens: *Tantum Apostoli, & horum discipuli timorem habuerunt, vt neque verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem*; quemadmodum & Paulus ait, *Hæreticum hominem post vnam correptionem deuita*: in quam sententiam omnium Patrum testimonia possent adduci. Ex quibus apertè colligitur hæreticum Regẽ, si id fieri posit, non esse ab Ecclesia tolerandũ, sed excommunicandum; & fidelem populum
D ab eius obedientia remouendum, ne cogatur ei seruire, quem vitare iubetur, neque cum eo commercia copulare, cum quo ne colloquium quidem miscere deberet. Sancto Ambrosio, sanctum Gregorium Nazianzenum opponeremus eius æqualem, qui in oratione ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem, comparauit spiritualem potestatem animæ, temporalem carni, ac docuit ita subiectam esse debere potestatem temporalem spirituali, vt caro subiecta est animæ. Atque hoc ipsum est fundamentum sententiæ nostræ. Sancto Gregorio Turonico opponeremus sanctum Gregorium Romanum ætatis eiusdem, qui, vt supra diximus in duobus priuilegijs illa verba apposuit, *Si quis autem Regum, Antistitum, aut Iudicum, aut quarumcunque secularium personarum huius Apostolicæ auctoritatis, & nostræ*

praeceptionis decreta violauerit, honore suo priuetur. Denique Othoni Frisingensi opponeremus Gregorium VII. centum ferè annis antiquiorem, qui disertè scribit, posse Regem seculi à Sede Apostolica certis de causis Regno priuari. vide Epistolam eius ad Episcopum Metensem. Opponeremus etiam sanctum Bernardum, & Hugonem de sancto Victore, qui Othonis tempore floruerunt, quorum testimonia in præfatione produximus. Opponeremus prætereà sanctum Thomam, & sanctum Bonauenturam, qui Othone Frisingensi, non multum ætate inferiores; sed doctrina, & sanctitate longè superiores, disertissimè docent, quod Barclaius requirit. vide testimonia ipsorum supra allata. Præterea, quinque testimonijs veterum Scriptorum opponeremus plusquam septuaginta testimonia Scriptorum variarum ætatum. Denique quinque hominibus à Barclaio in testes adductis opponeremus decem Concilia, quorum duo generalia fuisse non dubium est. Neque ideò Concilijs, præsertim generalibus minus credendum est, quia posteriora fuerunt: nam eadem est Ecclesia, & Conciliorum eadem est auctoritas, siue priora sint, siue posteriora: & quemadmodum in Cõcilio Nicæno post annos trecentos ab aduentu Domini licitum fuit Ecclesiæ scripturas de filij Dei consubstantialitate declarare, ac illam præcipuè, *Ego & Pater vnum sumus*; sic etiam licitum fuit post annos septingentos eidem Ecclesiæ scripturas de potestate Summi Pontificis explicare qualis illa est, *Quicquid ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quicquid solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quare si Barclaius pollicitationi suæ stare vellet, lis tota sine prouocatione finita esset.

CAPVT IX.

An potuerint posteriores Principes sine detrimento populi per Ecclesiæ auctoritatem Principatu priuari: & simul, iustane, an iniusta fuerit Gregorij VII. sententia in Henricum Imperatorem?

IN capite nono Barclaius aggreditur demõstrare falsam esse illam alteram partem sententiæ Francisci Romuli, quod videlicet Ecclesia sine detrimento populi potuerit Regno, vel parte Regni priuare Childericum, Leonem, & Henricum: probat autem id esse falsum, quia Henricum quartum Imperatorẽ Gregorius VII. Papa non sine magno populi detrimento deposuit, cum, Othone Frisingensi auctore, inde nata sint bella, schismata, & alia id genus multa. Sed Franciscus Romulus non de vno Henrico loquutus est, sed de Leone quoque & Childerico. Constat autem Leonem Isauricum Imperatorem parte Imperij mulctatum sine vllo populi detrimento: quod idem manifestissimè constat de Childerici Regis depositione, & Pipini exaltatione. ad quæ duo exempla Barclaius nihil habuit quod responderet, ideò silentio illa inuoluens, in solo Henrico demoratus est. Quid si addamus etiam translationem Imperij à Græcis ad Francos sine populi detrimento à Leone III. Pontifice factam, completus erit numerus ternarius exemplorum, quæ Franciscus Romulus adferre voluit. Quia tamen Barclaio placuit de solius Henrici depositione Franciscum Romulum reprehendere, quasi vel historias ignorauerit, vel alia de causa mentiri voluerit. Respondeo, detrimenta aliqua populum Christianum accepisse ex Henrici excommunicatione & depositione, sed emolumenta maiora detrimentis fuisse, vt non immeritò dici possit, sine detrimento populi rem illam esse peractam; neque enim detrimentum pati dici potest, qui iacturam facit frumenti, quod seminando spargit in sulcos, si tempore messis multiplicatum cum exultatione reportet. Vidit Gregorius Pontifex sanctus, & sapiens, plenas esse prouincias concubinarijs, & simoniacis; animaduertit Imperatores contra Canones sacros, ac præcipuè Octauæ Synodi generalis, inuestituras Episcopatuum, & Monasteriorum sibi vendicasse. Adiecit animum ad Ecclesiam repurgandam, & liberandam; & quamuis per multas molestias, & pericula, partim per se, partim per Successores, quod voluit ad fœlicem exitum perduxit. nam & Sacerdotibus abstulit concubinas, & beneficia Ecclesiastica, vt gratis darentur & acciperentur, effecit, &, quod erat omnium difficillimũ, inuestituras Ecclesiarum Henrico V. Henrici IV. filio, Calixto II. Pontifici liberè renunciante, recuperauit. Id quod sine manifestis signis, & prodigijs cœlestibus factum non fuisse, testatur Abbas Vrspergensis in Chronico.

Sed libet iam per partes discutere, quæ Barclaius aduersus Gregorium septimum ex Othone Frisingensi, alijsque autoribus annotauit. Primum igitur adfert illa verba Othonis Frisingensis lib. 6. c. 35. *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc* (Henricum quartum) *à Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum; nisi fortè quis pro anathemate habendum ducit, quod Philippus ad breue tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à Beato Ambrosio propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit.*)

Respondeo. Fuit quidem Otho Frisingensis doctrina, moribus, & nobilitate insignis: sed tamen legendo & relegendo non inuenit omnia. Nam Archadium Imperatorem ab Innocentio primo Pontifice propter eiectionem S. Ioannis Chrysostomi, excommunicatum fuisse testatur Nicephorus lib. 13. cap. 34. qui & sententiam ipsam excommunicationis ad verbum recitat: eiusdem excommunicationis meminit Gregorius septimus, in epistola ad Episcopum Metensem, Leonem quoque Isauricum Imperatorem à Gregorio secundo, & rursum à Gregorio tertio, excommunicatum propter hæresim Iconomachorum, & vectigalibus Italiæ priuatum testantur historici Græci, & Latini, vt supra demonstrauimus.

Deinde Barclaius ex eodem Othone commemorat mala, quæ ob excommunicationem Henrici IV. Imperatoris Ecclesiæ acciderunt, bella videlicet, schismata, exilium Papæ, cædem Rudolphi Imperatoris à Gregorio electi, & alia id genus: & ijs connumeratis exclamat;

§ Hoc-

§. Hoccine est Principem sine detrimento populi coercere?

Respondeo. Quando Euangelium Christi prædicari cœpit ab Apostolis in Hierusalem, coorta est persecutio magna in Ecclesiam, Stephanus lapidatus, Iacobus capite cæsus, Petrus coniectus in carcerem, fideles dispersi per varias regiones: quando verò prædicari cœpit idem Euangelium inter gentes, commotum est Imperium Romanum vniuersum, persecutiones exortæ grauissimæ, direpta bona, incensæ Ecclesiæ, strages Sanctorum toto orbe terrarum incredibiles factæ; quæro igitur an Euangelium cum detrimento, an cum salute populorum prædicatum sit? si carnis oculis res consideretur, videbitur Euangelium non salutem, sed perniciem populis attulisse: sed si mentis oculo fidei lumine repurgato res eadem spectetur, perspicuè apparebit idololatriam fuisse de Mundo pulsam, Ecclesiam propagatam, Martyres coronatos, denique bona omnia per Euangelium ad nos venisse. Tale aliquid (vt paulò ante diximus) accidit Ecclesiæ, cùm Papa Gregorius Henricum Imperatorem excommunicatione coercuit.

Pergit Barclaius, & factum Gregorij his verbis reprehendit: *§. Fieri potest, vt bono id animo fecerit Gregorius* (*Deus de intentione iudicet*) *at fieri non potest, vt rectè, prudenter, & ex officio fecerit; & quin largiter errauerit more, & consilio humano: cùm id sibi tribueret, quod suum sanè non erat; deponendi scilicet, & abdicandi Imperatoris munus; inque eius locum alterius substituendi potestatem,* & infrà: *Culpa igitur Gregorij Papæ permagna mihi in hoc negotio videtur.*)

Respondeo. Satis audacter Barclaius in Christum Domini, & suum, atque omnium Christianorum Iudicem sententiam tulit: nec saltem dubitando vel suspicando, vel opinando locutus est; sed præcisè, & absolutè quasi de re explorata, & certa pronunciauit, fieri non posse, vt Gregorius in hac re iustè, prudenterque se gesserit. At ego sententiam Barclaij falsam & temerariam, ne dicam sacrilegam, & blasphemam his argumentis fuisse demonstrabo.

Primum, constat sententiam Gregorij ab omnibus Episcopis, qui in Concil. Rom. cum illo sederunt, fuisse probatam. At quis credat, Pontificem cum vniuerso Concilio tam iniustam, & imprudentem sententiam tulisse, vt Barclaius dicit?

Deinde iudicium Gregorij septimi, confirmarunt omnes eius successores, Victor tertius, Vrbanus secundus, Paschalis secundus, Gelasius secundus, & Callistus secundus, cuius tempore pax facta est inter Sacerdotium & Regnum: & tamen omnes isti viderunt bella & schismata exorta occasione sententiæ Papæ Gregorij: quod argumentum certissimum est, iustam, & prudentem fuisse sententiam, quam Gregorius tulit, cùm tot prudentissimi iustissimique Pontifices Concilijs Episcoporum cooperantibus, & spreta persecutione schismaticorum, defendendam, confirmandamque susceperint.

De Victore tertio, qui proximè post Gregorium sedit, testis est Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi lib. 3. cap. 71. ab eo celebratum fuisse Concilium Beneuentanum, atque in eo confirmatam sententiam Gregorij septimi, de inuestituris cum illa clausula, *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, vel cuiusuis potestatis secularis Episcopatum, vel quamuis aliam Ecclesiasticam dignitatem dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se adstrictum nouerit.*

De Vrbano secundo, Victoris tertij proximo successore, Bertoldus Constantiensis eius temporis Historicus scribit, in Synodo Beneuentana anno Domini 1091. confirmatam ab Vrbano sententiam excommunicationis in Guibertum Antipapam, & omnes eius complices, quorum præcipuus erat Henricus Imperator. Item anno 1095. eandem sententiam confirmatam ab eodem Vrbano in Synodo Placentina, coram innumerabili multitudine, & anno eodem rursus confirmatam in Concilio generali Claramontano.

De Paschali secundo, Vrbani secundi proximo successore, testatur Abbas Vrspergensis anno 1102. in Concilio Romano generali à Paschali confirmatam esse sententiam Gregorij VII. & excommunicatum Henricum, & omnes illi adhærentes. Addit quoque idem Abbas, se præsentem Romæ fuisse, & audiuisse feria quinta in Cœna Domini ab ore ipsius Pontificis, cùm Henricus excommunicatus denunciaretur.

De Gelasio secundo, Paschalis secundi proximo successore, testatur idem Abbas Vrspergensis anno 1118. ab eo per Cononem Episcopum Cardinal. Prænestinum, Legatum suum in Concilio Coloniensi, & altero Friteslarensi, confirmatum decretum Paschalis de excommunicatione Imperatoris Henrici.

De Callisto secundo, Gelasij proximo successore testatur Abbas Vrspergensis in Chronico, necnon Sugerius Abbas in vita Ludouici Regis Francorum, necnon Rogerius in annalibus Anglicanis à Callisto in Concilio Remensi Patrum quadringentorum iterum confirmata decreta synodalia prædecessorum, Gregorij videlicet, Victoris, Vrbani, Paschalis, & Gelasij.

Tertiò, iudicium Gregorij septimi approbatum fuit ab omnibus bonis, qui tunc viuebant, quique longè melius scire poterant iustitiam, vel iniustitiam illius causæ, quam Barclaius, qui plus quingentis annis posterior est. Marianus Scotus, qui tempore Gregorij vixit, in Chronico anni 1075. *Gregorius*, inquit, *querimonijs & clamoribus Catholicorum iustis aduersus Henricum & scelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accensus iam dictum Regem excommunicatum pronunciauit, maximè propter simoniam: quod factum Catholicis viris beneplacuit; Simoniacis verò, & fautoribus Regis nimium displicuit.* Hæc ille, qui non de vno aut altero loquitur, sed in commune de multitudine Catholicorum factum Pontificis approbante.

Lambertus Schaphnabürgensis, qui eodem tempore vixit, in historia rerum Germanicarum, *Hildebrandi*, inquit, *constantia, & inuictus aduersus auaritiam animus omnia exclu-*

debat

debat argumenta humana fallacia. & infrà: *Signa & prodigia, quæ per orationes Gregorij Papæ frequentius fiebant, & zelus eius feruentissimus pro Deo, & Ecclesiasticis legibus, eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* hæc ille, qui non solum detractores sui temporis, sed etiam Barclaium detractorem confundit: neq; enim Gregorius tam charus Deo fuisset, neque per eum tot miracula Deus patrasset, si sententiam tulisset tam iniustam, & tam imprudentem, & tot malorum causa extitisset, vt Barclaius dicit. Idem Lambertus refert ibidem horribilem mortem Gulielmi Episcopi Traiectensis, qui Gregorio detrahebat, vt Barclaius postea detraxit: *Repentè*, inquit, *grauissima ægritudine correptus, miserabili eiulatu coram omnibus vociferabatur iusto Dei iudicio se & præsentem vitam amisisse, & æternam: quod Regi ad omnia, quæ perperam intendisset, operam suam summo annisu præbuisset, atque in spem gratiæ eius Romano Pontifici sanctissimo, & Apostolicarum virtutum viro graues contumelias sciens, & prudens innocenti irrogasset.* Sanctus Anselmus Cantuariensis, qui eodem tempore vixit, initio libri de fermentato & azymo ad VValeramũ: *Scienti*, inquit, *breuiter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non fauere successori Iulij Cæsaris, & Neronis, & Iuliani, contra successorem, & Vicarium Petri Apostoli, libentissimè vos vt amicissimũ, & reuerendum Episcopum salutarem.* hæc ille, qui Henricum Imperatorem comparat cum Iulio Cæsare oppressore Reip. cum Nerone persecutore Ecclesiæ, & cum Iuliano Apostata, & persecutore: & VValeramum Episcopum, quẽ fauere existimabat Henrico contra Gregoriũ, ne salutare quidem audebat: quod certè non faceret, si Gregorij sententiam aduersus Imperatorem iniustam esse crederet. Idem Anselmus, in epist. 8. ad Gulielmum, sententiam Gregorij defendit, & apertè iustam esse pronuntiat. Sanctus Anselmus Episcopus Lucensis eiusdem temporis auctor vir Sanctissimus, & miraculis clarus scripsit Epistolam ad Guibertum Antipapam, quem Henricus Imperator Gregorio Papæ opposuerat; in qua Epistola Gregorium mirificè laudat. Scripsit quoque Apologeticum pro Gregorio aduersus eũdem Guibertum, vbi inter cetera refellit argumẽtum, quo vtitur hoc tempore Barclaius, & quo tunc vtebantur Antipapa, & eius complices; quod videlicet fuerit Gregorius causa turbarum, & sanguinis effusi, præsertim in Saxonia, quem sanguinẽ clamare dicebat aduersus Gregorium, & eius sectatores, quorum vnus erat hic S. Anselmus: sic autem loquitur, lib. 1. Apologetici, *Non aduersus nos clamat sanguis Saxonum; sed contra vos cum vniuerso Mundo, qui sceleris vestri tabe inhorruit, clamat cœlum, clamat terra, clamat omnis Ecclesia iustorum, & quæ adhuc peregrinatur, & quæ iam cum Christo regnat, clamat Christus, clamat Pater pro sponsa filij sui, clamat Spiritus S. qui quotidie postulat pro eagemitibus inenarrabilibus*, &c. Vbi rectissimè dicit, turbas illas, & bella non esse tribuẽda Gregorio, qui pro officio suo pastorali arcere conatus est Lupos à grege; sed inobedientiæ, & obstinationi eorum, qui in Pastorem, & gregem ipsum tanto ferocius sæuierunt, quanto humilius Deo eiusque Vicario obedire salubriter admonentibus, & consulentibus debuerunt.

Nam quam horrenda, & non toleranda fuerint Henrici scelera, ex sequenti testimonio intelligitur. Sanctus Gebehardus Archiepiscopus Salsburgẽsis, qui obijt tribus annis post mortem Gregorij VII. id est, anno 1088. disputans cum VVecilone Archiepiscopo Moguntino, apertè pronunciauit, Imperatorem non iniusto iudicio tam Regno, quam communione, Apostolica sententia, priuatum: cuius sententia ita probata est à Concilio quodam, vt contraria sententia VVecilonis hæresis sit appellata. Vide Abbatẽ Vrspergensẽm in Chronico anni 1085. Stephanus Halberstatensis eiusdem temporis auctor in Epistola ad VValramum, quam refert Dodechinus continuator Mariani Scoti ad annum Domini 1090. *Dominus*, inquit, *Henricus, quem Regem dicunt, Episcopatus, & Abbatias vendit: etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alios pro pecunia; Ratisponensem, Augustensem, Strasburgensem, pro gladio; Abbatiam Fuldensem pro adulterio; Monasteriensem Episcopatum (quod dicere, & audire nefas est) pro Sodomitica immunditia vendidit*, & infrà: *Pro quibus nefandis malis ab Apostolica Sede excommunicatus, nec Regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus poterit obtinere.* Leo Hostiensis Episcopus, eiusdem temporis auctor, in Chronico Cassinensi multa scribit de Gregorij VII. iustitia, sapientia, zelo, alijsque virtutibus. Sed lib. 3. cap. 53. refert etiam cœlestẽ visionem, qua Deus ipse testatus est placere sibi facta Gregorij, quæ nunc Barclaius cum veterib. schismaticis vituperare ausus est. Vidit igitur quidam candidissimam columbam super Gregorium sacrum Missæ mysterium celebrantem: quod visum cum is, qui vidit patefacere cunctaretur, his verbis aperire diuinitus iussus est: *Vade celeriter, & hoc ipsum auribus Papæ intimato, vt constanter vigore sancti Spiritus, quod capit, exequatur.* Bartholdus eiusdem temporis auctor, presbyter Constantiensis in Chronico suo plurima scribit pro iustitia causæ Gregorij septimi, sed inter cætera de Imbricone Episcopo Augustano hæc refert: Imbrico Augustensis Episcopus, qui in præterito pascha Rudolphi Regi fidelitatem iurauit, nil de periurio curans Henrico aduenienti adhæsit, & apud illum quadam die Missam faciens, hanc sibi conditionem miser imposuit, vt sacra oblationis perceptio in iudicium ei proueniret, si Dominus eius Henricus Regnum sibi iniustè vsurparet. Post hanc temerariam perceptionem, paruo quod superuixit tempore vsque ad mortem nunquam se sanum de lecto leuauit: nã circa Kal. Iulij absque Ecclesiastica communione defunctus est. Isti sunt auctores septem, qui ipso tẽpore Gregorij vixerunt, quibus addam quatuor alios, qui non diu postea floruerunt. Gulielmus Episcopus Tyrensis in lib. 1. de bello sacro cap. 13. de Henrici Imperatoris peruersis moribus loquens: *Quod*, inquit, *Dominus Papa contra omnem fieri honestatem considerans, & iura in eo facto conculcari Ecclesiastica perpendens, semel,*

secundo, ac tertio eundem Imperatorem cõmonuit, vt à tam detestabili desisteret præsumptione: quem præceptis salutaribus commonitum, cùm reuocare non posset, vinculo anathematis innodauit. Otho Frisingensis, vt suprà notauimus, Gregorium Septimum virum sanctissimum fuisse confessus est, lib. 6. cap. 34. & 36. & lib. 7. cap. 1. neque fieri potest vt vir tam sanctus iniustam sententiam publicè ferret, neque eam vnquam retractaret, sicut re vera non retractauit, vt perspicuum est ex verbis illis, quæ eodem Othone teste lib. 6. c. 36. moriens Gregorius pronunciauit, *Dilexi iustitiam, & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Dodechinus Mariani Scoti continuator in Chronico anni 1106. *Henricum,* inquit, *hominem peruersum, & iusto iudicio ab Ecclesia eiectũ constat manifestè. Vendidit enim omnia spiritualia.* & ad annum 1090. & 1093. tam multa, & tam horribilia scelera Henrici refert, vt mirum sit, si vllus audeat eum iniustè damnatum affirmare; quod tamen Barclaius audacter affirmat. Abbas Vrspergensis in Chronico an. 1106. narrat obitum Henrici repentinum, & tam miserabilem ipsi, quam lætum omnibus alijs: *Miserabile,* inquit, *dictu est, tanti nominis, tantæ dignitatis, tantiq; animi virum, sub professione Christiana mundum tanto tempore lucratum, nec ad instar cuiuslibet pauperis defuncti, pium, vel compassiuum luctum, à quauis inter tot Christianos persona promeruisse: sed potius vniuersorum tam ibidem, quam vbiuis verè Christianorum corda simul & ora infinito nimis tripudio, sui oblitos, rumore replesse. Non altius concinebat Israel Domino, Pharaone demerso, nec augustiori ipsi Octauiano, sine vllo Augustorum applaudebat Roma triumpho. Frænum enim quod erat in maxillis populorũ, versum est illis in canticum, sicut vox sanctificatæ solemnitatis.* hæc ille, qui certè sufficere deberet, vt os Barclaij iniqua loquentis opprimeret. Quo modo enim Henricus iniusta Gregorij sententia oppressus est, & nullus in toto orbe Christiano inuentus est, qui mortem eius defleret, imò qui non vehementissimè gauderet, vt olim Israel Pharaone demerso, vel Romanus populus Principe triumphante? nullusne in toto orbe repertus est, qui iustitiã Henrici perspexerit? nullus qui Gregorij iniustitiam viderit? Sed audiamus quid paulò infrà idem scriptor dicat: *Hic,* inquit, *finis, hic interitus, hæc sors vltima Henrici sub vocabulo quarti Romanorum Imperatoris à suis appellati: à Catholicis verò, id est, cunctis B. Petro, suisq; successoribus fidem, & obedientiam lege Christiana conseruantibus, Archipirata simul, & hæresiarcha, necnon & apostata, persecutorque plus animarum quam corporum competenter dicebatur, vtpotè qui nec naturalibus, nec consuetudinarijs contentus sceleribus, noua, & à seculis inaudita, ideoq; nonnulla incredibilia excogitasse, & exercuisse infamabatur.* Ac de his satis: nam si vellem auctores posteriores adducere pro iustitia, & sanctitate Gregorij, nullus esset finis. Videat Lector, quæ scripsimus lib. 4. de Pontifice cap. 13.

Pergit Barclaius, & probare nititur, non debuisse à Gregorio Henricum excommunicari, cùm in societatem sceleris Henrici tantus hominũ numerus coierit: adducit, autem ad hoc probandum sententiam S. Augustini ex lib. 3. contra epistolam Parmeniani cap. 2. quæ relata est in decretum Gratiani 23. q. 4. can. *Non potest.* Verba Augustini hæc sunt: *Non potest esse salubris à multis correptio, nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinẽ: cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat, quam dolor, & gemitus, vt per illud signũ quod Ezechieli sancto reuelatur, illæsæ euadere ab eorum vastatione mereantur. Ne cùm voluerint colligere zizania, eradicent simul & triticum: nec per diligentiam segetem Domini purgent, sed per temeritatem, ipsi potius inter purgamenta numerentur. Ideoq; idem Apostolus cùm iam multos comperisset & immundos luxuria, & fornicationibus inquinatos, ad eosdem Corinthios in secunda epistola scribens, non itidem præcepit, vt cum talibus nec cibum sumerent: multi enim erant, nec dici de eis poterat, si quis frater nominatur fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut aliquid tale, cum eiusmodi nec cibum quidem sumere: sed ait, ne iterum cùm venero ad vos humiliet me Deus, & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia, & luxuria, & fornicatione, quam gesserunt: per luctum suum potius eos diuino flagello coercendos minans, quam per illam correptionem, vt cæteri ab eorũ coniunctione abstineant.* & paulò pòst: *Reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est: nam consilia separationis* (hoc est excommunicationis) *& inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia & impia, & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos.*

§. *Hæc cùm ita sint,* inquit Barclaius, *nemo, vt arbitror ex collatione doctrinæ S. Augustini, quæ & Ecclesiæ est, cum gestis à Gregorio in Henricum, non perspicuè cernet, Papam magnoperè errasse, & cæt.*]

Respondeo. Barclaij temeritas vndecunque se prodit, cùm ob vnum sancti Augustini locum non benè intellectum, synodalem sententiam Pontificis Maximi, à multis alijs Pontificibus, & Concilijs confirmatam ita damnare audeat, vt dicat, Papam magnoperè errasse. Sed ostendamus non Papam in iudicando, sed Barclaium in intelligendo vehemẽter errasse.

Primum, sanctus Augustinus loquitur de correptione, sine excommunicatione illius, qui multos habet socios in eodem crimine: vt perspicuum est ex illis verbis, *Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, &c.* & ex illis, *Ideo Apostolus cùm iam multos comperisset, & immundos luxuria, & fornicationibus inquinatos, &c.* At Gregorius vnum Henricum excommunicauit propter crimina illi vni propria, quod videlicet venderet Episcopatus, & Abbatias, & admonitus resipiscere nollet: non ergo facit ad rem locus ex Augustin. vel ex Graciano citatus.

Deinde loquitur S. Augustinus aduersus Parmenianum, aliosque Donatistas, qui separauerant se ab Ecclesia vniuersa, & se solos esse dicebant Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam. Ideoq; docet Augustinus propter multitudinem peccatorum nõ esse faciendam separationẽ, cum semper futuri sint mali cum bonis vsque ad Mundi consummationẽ. Tunc enim (vt dicitur Matth. 13.) *exibunt Angeli, &*

separabunt malos de medio iustorum: atque hæc est causa, cur S. Augustinus dixerit, consilia eiusmodi separationis non solùm esse inania, & periculosa, sed etiam sacrilega, & superba; quoniam qui ita separantur, assumunt sibi officium Dei, qui solus potest separare omnes bonos ab omnibus malis, quod fiet in nouissimo die: atque interim oportet pisces bonos esse in eodē reti cum piscibus malis, & triticum cum paleis in eadem area, & zizania cum frumento in eodem agro. Porrò Gregorius nihil tale sibi desumpsit, sed solùm Ecclesiastica censura coercere voluit hominem, qui publicè multorum, & intolerabilium criminum reus erat.

Tertiò, quod Dominus ait Matth. 13. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*; non sic intelligitur, quasi prohibitum sit, purgare agrum à zizanijs, excommunicando incorrigibiles, necando maleficos, comburendo hæreticos, persequendo latrones, aliasque Ecclesiæ, vel Reipubl. pestes: alioqui grauiter peccasset Dauid, qui in Psalm. 100. dicit, *Interficiebam omnes peccatores terræ*: peccarēt Principes omnes, qui quotidie suspendunt fures, & latrones, ac viarum grassatores, & quo plures esse cognouerint, eo maiori diligentia, grauioribusque suppliciis delere, atq; extirpare conantur: peccasset Innocentius III. Pontifex cum Lateranensi Concilio excōmunicans oēs hæreticos, quamuis plurimos esse nō ignoraret: peccasset Principes Catholici, qui hæreticos Albigenses penè innumerabiles armis domuerūt, & vsq; ad internecionem deleuerūt. Igitur cùm Dominus ait, *Sinite vtraq; crescere vsque ad messem*, potest fieri, vt Dominus noster non tam imperando quam prędicendo, quod futurum erat, locutus sit. Significauit enim semper fore malos cum bonis, neque vlla diligētia effecturos homines, vt oēs mali ab omnibus bonis separentur, qualis est etiā illa loquutio Isaiæ 6 *Audite audiētes, & nolite intelligere, videte visionem, & nolite cognoscere: excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*: quod explicat Dominus Matt. 13. *Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & nō videbitis: incrassatum enim est cor populi huius, &c.* Et Apostol. Act. 28. citans eundē locum Isaiæ: *Aure*, inquit, *audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis: incrassatum enim est cor populi huius, &c.* Itaque verba Isaiæ, *Audite, & nolite intelligere*; hoc significāt *Audietis, & nō intelligetis*: & illud, *excæca cor populi huius*; significat, excæcabitur cor populi huius, siue, vt explicat S. Ioan. c. 12. *excæcatum est cor populi huius*. Hoc modo S. August. in Psalmorum explicatione oēs imprecationes malas, quæ exprimuntur per modum imperandi, vt, *Effunde iram tuā in gentes*, & alias similes, docet esse prędictiones, non imprecationes. Tales etiam loquutiones inueniuntur in Euāgelijs, vt Ioan. 2. *Soluite templum hoc*, id est, soluetis, vel permittam vt soluatis. Matt. 23. *Implete mensuram patrum vestrorum*, id est, implebitis, vel, sinam, vt impleatis. Ioan. 13. *Quod facis, fac citius*, id est, quod mente agitas, vt me tradas, citius implebis, quàm putas; idque me permittente. Sic igitur, *Sinite vtraque crescere vsque ad messem*, hoc videtur significare. Sinetis, siue permittetis, velitis nolitis, vtraq; crescere vsq; ad messem: nam omni vestra diligentia nunquam perficietis, vt mali permulti cum bonis permixti non sint vsque ad diem iudicij: tunc enim ego mittam Angelos meos, qui separabunt malos de medio iustorum.

Quartò dico, approbare me sententiam eorum, qui dicunt prohiberi in hac parabola, separationem malorum, siue hæreticorum, siue aliorū iniquorū, non absolutè; sed quando periculum est, ne cum zizanijs eradicetur triticū, id est, ne cum impijs inuoluantur pij; alioquin licitū esse, zizania euellere, quando non est periculum, vt eradicetur triticum, & contra periculum est, ne ex commixtione zizaniorū triticum corrumpatur. Sed hoc iudicium nō pertinet ad quoscunque; sed ad Patrem familias, siue ad illum, quem Christus constituit super familiam suam. Quare ad Barclaium non pertinebat iudicare, an Gregorius VII rectè fecisset, cùm excōmunicando Henricum, partem zizaniorum euellendam curauit; sed ad Pontificem Maximum pertineret, si Barclaius adhuc esset in viuis, eius temeritatem castigare.

Addit vlti. loco Barclaius argumentum ex historia Sigeberti, vt probet, Gregorium Papam valdè errasse in ijs, quæ egit aduersus Henricum Imperatorem *Hildebrādus Papa (inquit Sigebertus in Chronico an. 1085.) qui & Gregorius VII. apud Salernum exulans moritur; de hoc ita scriptum reperi. Volumus vos scire, qui Ecclesiastica cura solliciti estis, quod Dominus Apostolicus Hildebrandus, qui & Gregorius, nunc in extremis positus ad se vocauit vnum de duodecim Cardinalibus, quem multū diligebat præ cæteris, & confessus est Deo, & sancto Petro, & toti Ecclesiæ, se valdè peccasse in Pastorali cura, quæ ei ad regendum commissa erat, & suadente Diabolo contra humanum genus iram, & odium concitasse. Tunc demum misit prædictum confessorem ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, vt optaret illi Indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat, & tam citò induebat se angelica veste: & dimisit, ac dissoluit vincula omnium bannorum suorum Imperatori, & omni populo Christiano, viuis, & defunctis, clericis, & laicis; & iussit suos abire de domo Deoderici, & amicos Imperatoris ascendere*]

Respondeo. Sigebertus, teste Trithemio in Catalogo Scriptorum, vnus fuit ex sectatoribus Henrici Imperatoris, propterea nullam fidem meretur, & sine dubio falsum est, quod hoc loco scribit, cùm certum auctorē non habeat, aut indicare nō audeat. Nos autem habemus auctorem certum fideque dignissimum, qui scribit, Gregorium paulò antè mortem dixisse, *Dilexi iustitiam, & odiui iniquitatem, propterea morior in exilio*; quæ sunt omninò contraria ijs, quæ scribit Sigebertus; nam in his iustè se egisse, in illis grauiter se peccasse dicit; Habentur autē verba supradicta apud Othonem Frisingensem lib. 6. cap. 36. Bertoldus in Chronico ad annum 1085. & Leo Hostiensis in Chronico Casinensi, lib. 3. cap. 64. describunt mortem Gregorij, ac docent eum in eadem constantia permansisse vsque ad vltimum spiritum; & miraculis magnis viuum, & mortuū claruisse. Præterea confirmatio sententiæ Gregorij in Henricum, quam suprà demonstrauimus factam à quinque successoribus eius, Vi-

ctore

ctore Tertio, Vrbano Secundo, Paschali secundo, Gelasio Secundo, & Callisto Secundo, apertissimè docet, fabulam esse, quam Sigebertus scripsit de pœnitentia eiusdem Gregorij. Denique ipsa sibi narratio Sigeberti contradicit, ac repugnat. Nam si Gregorius grauiter peccasse se agnoscebat in pastorali cura, & suadente Diabolo se fecisse, quæ fecerat: quo modo tam audacter ibidē affirmabat, se mox veste Angelica induendum? certè ob peccatum tam graue non vestem Angelicam; sed gehennæ, aut Purgatorij graues pœnas exspectare debuisset.

CAPVT X.

Discutitur sententia Othonis Frisingensis de iudicio Gregorij Septimi Pontificis.

IN decimo capite actum agit Barclaius. Redit enim ad probandum auctoritate Othonis Frisingensis, nō licuisse Gregorio Pontifici Imperatorē Henricum cōmunione, vel regno priuare. Ac primum repetit, quæ supra citauerat ex Othone, l.6. c.35. *Lego, & relego Romanorum Regum, & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum.* Deinde addit ex lib.1. de gestis Friderici Imperatoris, cap.1. nouum esse visum Othoni Frisingensi, quod Henricus Imperator à Pontifice Romano, anathematis gladio percussus fuerit. Sed ad hæc respondimus cap. superiore: atq; ista non esse noua luculenter ostendimus.

Addit ex eo posse intelligi sententiam Gregorij fuisse iniustam, quòd Otho Frisingensis eodem loco, id est, lib.6. cap.37. scribit, ex decreto Gregorij inter alia mala illud consecutum esse, vt Papa super Papam, & Rex super Regem poneretur. §. *Quibus verbis*, inquit Barclaius, *ostendit Otho, vtrunque pari iure, sed potius pari iniuria factum esse, vt sicut iniustè Papa super Papam ab Imperatore, ita etiam iniustè Rex super Regem à Papa positus sit.*]

Respondeo. Scribit quidem Otho, occasione decreti Gregorij factum esse, vt Papa super Papam, & Rex super Regem poneretur; sed vtrunque pari iure, vel iniustitia pari, factum esse Otho non dicit, neque dicere potuit. Nam Regem super Regem posuit auctoritas legitima capitis Ecclesiæ; Papam super Papam posuit inobediētia schismatici Regis: quod enim iure possit Imperator Papam deponere, & aliū superponere, nescio an si vel vnum Barclaius inueniet virum Catholicum, qui dixerit, aut scripserit: quod autem possit Papa Imperatorem excōmunicare, & deponere iustis de causis, scripserunt auctores Catholici plurimi, & idipsum censuerunt Concilia multa generalia, quorum testimonia retulimus in prolegomenis huius libri, & nonnulla attigimus capite superiore. Itaque Otho enumerat mala, quæ nata sunt ex Henrici excommunicatione, & eiusdem inobedientia; sed non determinat, an ea iusta fuerint, vel iniusta: possunt enim aliqua esse mala, & iusta, qualia sunt mala pœnæ; & talis fuit depositio Henrici: possunt quoque alia esse mala, & iniusta, qualia sunt mala culpæ; & talis fuit creatio Antipapæ Guiberti ab Imperatore procurata, vel facta.

A Pergit Barclaius, & ponderat illa verba eiusdem Othonis Frisingēsis ex eodem lib.6. c.36. *Quia ergò in Principe suo Regnum ab Ecclesia præcisum grauiter percussum fuit, Ecclesia quoq; tanto pastore, qui inter omnes Sacerdotes, & Romanos Pontifices præcipui zeli, & auctoritatis erat, orbata dolorem non modicum habuit.* §. *Id*, inquit Barclaius, *quid aliud sonat, quàm propter violatum in Principe Imperium, violatam fuisse in Pontifice Ecclesiam, siue propter percussum Regnum in persona Principis, percussam fuisse Ecclesiam in persona Pontificis; inter quæ cùm nullum iuris, aut iniuriæ discrimen faciat, nec possit vtrunque iustè fieri, consequens est vtrunque iniustè factum esse existimet.*]

B Respondeo. Non intellexit Barclaius verba Othonis: non enim loquitur Otho, de depositione Gregorij à Pontificatu; quemadmodum loquitur de depositione Henrici ab Imperio. Sed dicit, percussum fuisse Imperium in persona Principis, quia Princeps excommunicatus, & depositus fuit: percussam autem fuisse Ecclesiam in persona Pontificis; quia per mortem subtractus ab hominibus dolorē magnum Ecclesiæ reliquit. Quare nō benè colligit Barclaius, tam in percusione Imperij in persona Principis, quā in percusione Ecclesiæ in persona Pontificis iniustitiam interuenisse. Nam Henricus quidem per sententiam Ecclesię depositus fuit ab Imperio; in qua sententia iustitia, & iniustitia locum habere potuit, & satis constat, sententiam illam fuisse iustissimam:

C Gregorius autem naturali morbo extinctus est, vbi si locum habet iniustitia, Deus iniustus dicendus erit, quæ est ingens blasphemia: non enim Gregorius occisus fuit ab Henrico, quēadmodū Henricus depositus fuit à Gregorio; sed, vt diximus, naturali morbo, piè, & religiosè obijt: mors autem naturalis post originale peccatum à Deo est: ipse enim sententiam illam, & quidem iustissimam tulit, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen.2. & de Deo dicitur, *Dominus mortificat, & viuificat.* 1. Reg.2. & Sapient. 16. *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem:* & Ecclesiast.11. *vita, & mors à Deo est.* Neque dici potest, Gregorium Papam, ex sententia Othonis occisum fuisse à Deo in pœnam peccati commissi in depositione Imperatoris: nam ipse idem Otho fatetur, Gregoriū

D fuisse hominem præcipui zeli, sed etiā si Gregorius in pęnam peccati occisus fuisset à Deo, non tamen iniusta mors eius dici posset, nisi Deo iniustitia tribueretur.

Pergit Barclaius, & ex libro 1. de gestis Friderici cap. 6. Othonis Frisingensis, probare nititur, iniustam fuisse depositionem Imperatoris per Gregorium factam, quia Otho defectionem Rudolphi Ducis Sueuiæ ab Imperatore rebellionem appellat: rebellio autem dicitur, cùm inferior deficit à superiore; sed Imperator superior non fuisset, si iure depositus fuisset, igitur non iure depositus erat ex Othonis sententia. Idem probat ex lib.7. historiæ cap.8. vbi Otho Frisingensis Henricum quartum, Imperatorem vocat, etiam post depositionem.

Respondeo. Rebellare dicitur non is solùm, qui à Principe legitimo deficit; sed etiam qui deficit à Principe regnante *de facto*, quamuis non *de iure*: quemadmodum etiam Rex dicitur non solùm, qui iure regnat; sed etiã qui de facto regnat: non enim vbique Scriptores proprietatem illam vocabulorum obseruant, vt neminem dicant Regem, nisi qui regnat legitimè, neque rebellare vllum dicant, nisi qui à legitimo Principe deficit. libro 4. Reg. cap. 18. ponitur in laudibus Ezechiæ Regis optimi, quod rebellauerit contra Regem Assyriorum. vbi rebellio dicitur defectio à Rege non legitimo, eodẽ lib. 4. Reg. c. 9. Iehu iussu Dei Rex factus, viuente adhuc Ioram Rege, dicitur coniurasse cõtra Dominum suum, eumq́; occidisse cum omni progenie. vbi coniuratio, quæ aliquid amplius est, quàm simplex rebellio, in bonam partem accipitur: cõiurauit enim contra Regem à Deo abdicatum, & damnatum. Quare dixit ad Iehu Dominus 4. Reg. 10. *Quia studiosè egisti, quod rectũ erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Habemus igitur nõ esse mirum, si Otho Frisingensis, rebellionẽ appellat defectionem à Rege iam abdicato, cùm eundẽ ipsum loquẽdi modum habeamus in diuinis literis. Idem dicere possumus de nomine *Regis*: nam lib. 2. Reg. c. 15. cùm Absalon filius Dauid eiecto Patre regnare cœpisset in Hierusalem, neq; Rex legitimus, sed Tyrannus reuera esset; tamen Dauid ipse *Regem* ipsum appellabat, cum diceret ad Ethai Gethæum. *cur venis nobiscum? reuertere, & habita cum Rege*: sic etiam lib. 3. Reg. cap. 16. Zambri, occiso Rege legitimo regnum sibi iniustissimè vsurpauit: & tamen Scriptura dicit; *Irruens ergò Zambri percussit, & odit eum* (Regem Ela) *& regnauit pro eo: cumque regnasset, & sedisset super solium eius, percussit omnem domum Baasa, &c.* Ac ne magnum videatur Barclaio, quod Otho Frisingensis vocet *Imperatorem* Henricum, etiam post excommunicationem, & depositionem: sciat idem nomen inueniri apud Abbatem Vrspergensem, aliosque Scriptores, imò & apud ipsum Leonem Ostiensem, qui addictissimus erat Gregorio VII. Nam lib. 3. Chronici Cassinensis ca. 49. plus quam decies Henricus *Imperator* dicitur à Leone Ostiense, & Leone referente, sæpissimè Desiderius Abbas, qui Gregorio in Pontificatu successit, eundẽ Henricum post abdicationem, Imperatorem appellat, non alia de causa, nisi quia re ipsa, quamuis non iure imperabat.

Pergit Barclaius, & ait §. *Est & alius eiusdem auctoris locus lib. 1. de gestis Friderici cap. 8. in quo id ipsum manifestius declarat, Papam scilicet per illam excommunicationem, & abdicationem nihil iuris Regni Henrico ademisse. Nam postquam narrauit, Bertolfum Rudolphi generum (quem, vt dictum est, Papa Regem creauerat) perempto socero, Ducatum Sueuiæ, tanquam sibi à socero concessum vsurpasse; & ex altera parte Henricum, Papæ iudicio depositum, concessisse eundem Ducatum nobili cuidam Sueuiæ, cui Friderico nomen: qui Bertolfum ad pacis conditiones, & ad exfestucationem Ducatus adegit, addit, Bertolfus iste quam-*

A *uis in hoc negocio Imperio simul, & iustitia cesserit, tamen strenuissimus, & fortissimus fuisse traditur. Et vt nihil circuitione vsus affirmat, Imperium, & iustitiam ab Henrico stare, in quem Pontifex sententiam depositionis multò ante tulerat.*]

Respondeo. Testem hoc loco Barclaius suspectũ adducit: nam ab isto Friderico Fridericus primus Imperator descendit: cuius Imperatoris patruus fuit Otho Frisingensis; nec solùm patruus Friderici Imperatoris; sed etiam Nepos Henrici quarti. Itaque Otho, ne Auum maternũ, Henricum quartum Imperatorem, & filium fratris vterini Fridericum primum Imperatorem læderet, scripsit, Bertolfum Imperio, iustitiaque cessisse in negocio Ducatus Sueuiæ. Quæ etiam causa fuit, cur idem Otho in historia sua mediam viã elegerit. Nam Gre-
B gorium VII. eximiè laudat lib. 6. c. 34. neque enim poterat salua conscientia, reprehendere hominem notissimæ sanctitatis: Henricum autem, non vt cæteri historici, turpissimorum plurimorumq́; criminum reum facit; sed modestissimè excessum eius vitamq́; lasciuam notat, lib. 7. c. 11. Quod autem hoc loco dicit, Bertolfum Imperio, iustitiaque cessisse: non cogit, vt existimemus, sensisse Othonem, iniustè Henricum à Gregorio fuisse depositum: nam, vt idem Otho narrat, post longam disceptationem coegit Fridericus ab Imperatore adiutus Bertolfum ad conditiones pacis, quæ erant, vt Bertolfus retineret Turegum nobilissimũ Sueuiæ oppidum, reliquam Sueuiam Friderico cederet. Cessit ergò Bertolfus Imperio, tanquam potentiori, cui par esse non poterat; ces-
C sit etiã iustitiæ, quoniam in re dubia iustũ esse censuit, retento nomine *Ducis*, & oppido nobilissimo, reliqua cedere fortiori. Nam si Bertolfus existimasset iniustè à se possessũ fuisse Sueuiam, debuisset totam dimittere, & neq; partẽ præcipuã, neq; *Ducis* nomẽ sibi retinere, vt eodem teste Othone retinuit, ad posterosq́; trãsmisit. Quod si Barclaius velit, Othonẽ sensisse, Henricum à Gregorio iniustè fuisse damnatum, repugnabit eidem Othoni, qui lib. 6. historiæ, cap. 34. dicit, Gregorium fuisse fortem per omnia athletam, murumque se pro domo Domini opponere non timuisse. & cap. 36. dicit, gladio anathematis Imperatorem ferire decuisse: & ibidem refert Gregorium in morte dixisse: *Dilexi iustitiam, & odi iniquitatem:* &, Ecclesiam in obitu tanti Pastoris, qui inter omnes Romanos Pontifices præcipui zeli, &
D auctoritatis erat, non modicum dolorem habuisse. & lib. 7. c. 1. ait, *Defuncto apud Salernum Beatæ memoriæ Gregorio summo Pontifice, &c.* Ista enim nullo modo cohærẽt cum opinione grauissimæ iniustitiæ, qualis fuisset depositio Imperatoris, si eum iustè Gregorius deponere non potuisset: hæc enim sola iniustitia omnes Gregorij laudes sine dubio corrupisset.

Postremò Barclaius cùm non haberet aliud, quod ex Othone adferret, nec tamen quiescere posset, repetit quod suprà dixerat, Reges ex Othonis sententia non habere vllum, præter Deum super se, quem timeant. Repetit quoque quod suprà verbosissimè deplorauerat, multa mala occasione excommunicationis Henrici Imperatoris in orbem terrarum, ac

præci-

præcipuè in Ecclesiam irruisse. Ad quæ omnia iam antè respondimus,neque libet eadem frustra repetere.

In extremo capite producit in medium verba Gregorij VII. quibus cùm Henricum deponeret, precatus est Apostolos Petrũ, & Paulum,vt sententiam suam ex eorum auctoritate prolatam confirmarent : & iudicium citò in Henricum eiusmodi exercerent,vt omnes intelligerent, iniquitatis filiũ non fortuitò, sed ipsorum opera ex imperio cecidisse. Hanc precationem dicit Barclaius nõ fuisse ab Apostolis auditam; cùm nihil non infaustum Pontifici,pontificiæ parti auctoribus, & fautoribus acciderit,triumphante interim, & Imperium tenente Henrico.]

Respondeo. Precationem Gregorij omninò exauditam fuisse, testantur ærumnæ maximæ, quæ Henricum diuinitus oppresserunt. Primum enim à magna parte Germaniæ destitutus ad Põtificis pedes abiectus misericordiam demisissimis precibus implorare compulsus est.Deinde cum duobus æmulis,Rudolpho, & Hermanno diu ambiguo marte certauit. Postea à proprio filio carceri mancipatus, coronam, sceptrum, & reliqua Imperatorum insignia resignare coactus est.Inde elapsus Leodiũ se recepit, vnde miseriam suam incredibilem proprijs literis, quæ apud Vrspergensem Abbatem extant, testatus est. Deinde repentina morte sublatus neminẽ inuenit,qui eius mortẽ defleret : cùm è contrario Mundus totus ob eius infelicem exitum summo gaudio exultaret, vt supra ex Abbate Vrspergẽsi retulimus. Hic videlicet est triumphus Henrici, quem fingit Barclaius. Porrò pontificiam partem semper in melius profecisse, cooperante Domino signis, & prodigijs, &tandem omninò præualuisse,constat ex ijs,quę de Callisto II. & Henrico V. omnes historici narrant, ac præsertim Abbas Vrspergensis in Chronico anni 1120. & sequentibus.

CAPVT XI.

De comparatione Iulij II. & Clementis VIII.

IN capite vndecimo Barclaius multa repetit ex ijs, quæ antea dixerat : neque aliquid addit,quod mihi refellendum noua responsione esse videatur,nisi cùm Clementem VIII. Pontificem veris laudibus effert, non tam vt eum laudet,quàm vt ex eius comparatione Iulium secundum carpat.§. *Quis*,inquit,*non paternam Clementis VIII. pietatem, cum summa prudentia coniunctam, qua Reges, & Principes Christianos ad concordiam reducere, & in concordia retinere annititur, infinitis partibus Ecclesiæ vtiliorem iudicet, quàm Iulij secundi loricati furores martios,quibus Italiam, Galliam, Germaniam,Hispaniam, cæterasq; gentes Christianas hostilibus animis inter se committere, impiè, & inhumaniter connitebatur.*]

Ad hæc ego, vt respondeam,admonitos Lectores esse volo,Romanos Põtifices, qui simul etiam Principes sunt tẽporales nõ contemnendi Imperij,non minus ex officio obligari ad ea cõseruanda, quæ Sedis Apostolicæ,siue Ecclesiæ Romanæ sunt,quã Principes cæteros. Quare quemadmodum Reges, & Principes supremi cæteri pro defensione Regnorum suorum, siue ditionum aliarum bella gerere possunt,& debent;& si ad ea defendenda confœderatione cum alijs Principibus opus habent,iure possunt cum socijs Principibus fœdus inire ; & coniunctis viribus hostem propulsare, quando iustam belli gerẽdi causam habent: sic etiam Romani Pontifices, qua Principes supremi sunt, omni iure possunt,& debent populos sibi creditos armis protegere,& si res ita postulet aduersus hostes bella gerere, nec nõ ad auxilium, vel belli societatem Principes alios euocare. Neque primus fuit Iulius II. qui pro recuperandis Ecclesiæ Romanæ prouincijs bella gessit,vel cum magnis Principibus fœdus percussit. Nam Pius secundus multò antea exercitum armatũ habuit, & bella cum hostibus cum laude gessit, vt Nauclerus, & Platina referunt : & ante Pij secundi tempora Innocentius sextus, vir prudentia,& vitæ Innocẽtia clarus per Legatum suum Albernotum Cardinalem,Ecclesiasticam ditionem à Tyrannis diuersis occupatam, fidelissimè armis recuperauit. vt scribunt eidem Nauclerus,& Platina, multiq; alij historici. Clemens IV. qui Innocentium sextum,multis annis prçcessit,& Pontifex sanctus est habitus,Carolum Andegauensem Ducem, sancti Ludouici Regis Francorum fratrem, è Gallijs euocauit, vt Manfredum Tyrannum è Regno Neapolitano,quod est Ecclesię Romanæ feudum,armis expelleret,ipsumque Carolum Regem instituit , imposita quadraginta millia nummorũ aureorum pensione quotannis soluenda in recognitionẽ feudi : testes sunt auctores ijdem & alij,quos ipsi citant. Sed ante hæc tempora Leo IX. Pontifex, non solùm vitæ probitate,sed etiam diuinis miraculis clarus,atque adeò in Sanctorum numerum relatus,aduersus Northmannos pro Beneuentana ciuitate recuperanda præsens ipse in exercitu armis decertauit , vt Hermannus Contractus in Chronico,& Leo Ostiensis in historia Cassinensi lib.2.c.88.testes sunt. Vbi illud memorabile accidit, quod cùm Pontifex à Northmannis victus, & captus fuisset, ea submissione,& reuerentia victores erga victum vsi sunt, vt Pontifex victus,& captus victoribus imperare,ac dominari videretur. Porrò Leo IV. Pontifex plus ducentis annis Leone IX. antiquior,vir sanctissimus, & miraculis clarus,teste Anastasio in eius vita, exercitum duxit aduersus Saracenos , qui ad Ostia Tyberina cum ingenti classe appulsi Romanam vrbẽ capere, & spoliare cupiebant; & oratione præmissa ad Deum , & exercitu Apostolica benedictione munito, memorabilem victoriam reportauit. Omitto confœderationem Zachariæ, Stephani secundi,Adriani,Leonis tertij,aliorumq; Pontificum cum Regibus Francorum,pro recuperatione,& defensione prouinciarum, & ciuitatum,quę ad Romanam Ecclesiam pertinebant aduersus Longobardos , & Græcos. Omitto etiam fortissimos Machabæos, qui & Summi Sacerdotes , & Principes erant, & pro patriæ defensione grauissima bella gesserunt. Omitto deniq; Moysen Pontificem , & Principem sapientissimum,qui aduersus Amorræos,aliosq; populi sui perturbatores armis decertare non

dubitauit. Hos igitur clarissimos sacrosq; viros Iulius secundus imitatus, eorumq; virtutem, & diligentiam æmulatus, partim armis proprijs, partim auxilio fœderatorum Regum Ecclesiasticam ditionem, ferè totam amissam magno labore recuperauit. Quod factum qui reprehendere voluerit, oportebit etiã, vt industriam, & virtutem sanctorum Pontificũ, addo etiam Machabæorum, & ipsius Moysis, virtutem bellicam reprehendat. Neq; ab hoc numero Clemens VIII. eximẽdus est, qui quemadmodum pacem inter Christianos Principes reformare studuit, vt Barclaius dicit; sic etiam exercitum comparare non neglexit, cùm ei Ferraria recuperanda esset: & ad bellum pro Ecclesiastica ditione faciendum, occasio defuit illi, non animus. Placuit enim Deo, in cuius manu sunt corda Principum, vt nobilissima Ciuitas ante ad Ecclesiam rediret, quàm militum gladij nudarentur. Hanc verò Clementis Octaui laudem Barclaius non ignorauit, sed dissimulare voluit, vt liberius Iulium reprehenderet.

CAPVT XII.

Diluuntur argumenta aduersus Theologorum sententiam de Potestate Pontificis Maximi in temporalibus.

IN capite duodecimo conatur Barclaius ex proposito affirmare, ac demõstrare, nullam habere Pontificem Maximum potestatem in temporalibus super Reges, aliosque Principes Christianos.

Primum argumentum eius est, *quia tota antiquitas Christiana semper censuit, Reges solo Deo minores esse.* Quod argumentum iam ante proposuerat in cap. 8. vbi & nos illi copiosè respõdimus. Id enim habet veluti proprium hic auctor, vt eadem argumenta sæpius repetat, & inculcet, nescio an vt librum grandiorem faciat, an vt importunitate obtineat assensum, quem vi rationum extorquere non potest. Hoc igitur primo argumento prætermisso, secundum audiamus.

2. §. *Quid*, inquit, *quod ipsi Pontifices fatentur, Reges non habere superiores in temporalibus? cap. Per venerab. Qui filij sint legitimi. Habent, & non habent, simul vera esse nequeunt. Falsum est ergò Reges non habere superiorem in temporalibus, si alius poßit iure ijs temporalia auferre, alterique conferre.*

Respondeo. Sententia Pontificis in eo capite est, Reges supremos esse Principes temporales, & ideò nullum habere supra se Principem temporalem, quemadmodum Duces, alijque Principes inferiores in eodẽ Regno superiorẽ in tẽporalibus Regem habent: sic enim loquitur Ecclesiast. c. 5. *Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.* & S. Petrus in priore epist. cap. 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis.* Idem igitur est Regem non habere superiorem in temporalibus, & Regem non habere supra se alium Regem, siue Principem alium tẽporalem, alioqui

A non esset Rex supremus in ordine Principatus temporalis, siue politici. Et ea fortè ratio est, cur idem Innocentius in eodem cap. *Per venerabilem*, paulò antè dixerit, nonnullos Principes nullum inter homines, excepto Romano Põtifice, superiorem agnoscere: addidit enim illam exceptionem, vt cùm postea dixit, Regem Francorum nullum in temporalibus superiorem agnoscere, intelligamus, sermonem fuisse de superioribus temporalibus: non enim Rex agnoscit vllum supra se Principem temporalem, sed agnoscit Romanum Pontificem, Principem spiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad spiritualia iudicare potest. *At*, inquit Barclaius, *habent, & non habent, simul vera esse nequeunt.* Respondeo. Habent, & non habent de re eadem, simul vera esse nequeunt: B de re diuersa, nihil impedit, quo minus vera esse poßint. Habet coccineum pallium, & non habet coccineum pallium, simul vera esse nequeunt: sed habet coccineum pallium, & non habet nigrum pallium, vera simul esse queunt. sic igitur. Habet Rex in temporalibus superiorem temporalem, & non habet in temporalibus superiorem temporalem, vera esse nequeunt. Sed habet Rex in temporalibus superiorem spiritualem, & non habet in temporalibus superiorem temporalem, verissima simul esse queunt, & sunt.

3. Sed instat Barclaius. §. *Quod*, inquit, *in verbis directè, & indirectè discrimen statuunt, id non ad facultatem iudicandi, & effectum iudicij, sed solùm ad modum, & rationem acquirendi tantam potestatem pertinet. Canonistæ enim dicunt, Papam directè Dominium temporale totius orbis à Christo* C *accepisse. Hi verò negant eum accepisse tale Dominium directè, quasi dicas per se, simpliciter & sine alterius rei consideratione, sed tantùm indirectè, hoc est, per consequentiam, ratione illius potestatis spiritualis, quam directè à Domino accepit. Hæc igitur ex verbis istis differẽtia ad initium, & modum acquirendi temporalem potestatem, non autem ad eius vim & effectum referri debet.*] Hæc ille, qui vult, Pontificem ex sententia Theologorum habere potestatem temporalem super Reges indirectè acquisitam; esseque eorum Iudicem in temporalibus: quod repugnare videtur Innocentio, in capite citato, vbi dicit Innocentius, Reges non habere superiorem in temporalibus.

Respondeo. Distinctione opus est, vt planè D intelligatur verene, an falsò Barclaius colligat, Pontificem habere potestatẽ temporalẽ super Reges, esseq; eorum Iudicem tẽporalem. Nam si per potestatem tẽporalem, intelligatur potestas disponendi de tẽporalibus, siue ipsa potestas in se sit spiritualis, siue tẽporalis, verè colligit, Pontificem habere potestatem temporalem in Reges: si verò per temporalem potestatem intelligatur potestas, quæ sit in se temporalis, vt est potestas Regum, & aliorũ Principum politicorum, falsò colligit, Pontificem habere potestatẽ temporalẽ in Reges ex Theologorum sententia. Theologi enim tribuunt Summo Pontifici temporalem, & spiritualem potestatẽ in Ecclesiastica ditione tantũ, quam potestatẽ plenam in patrimonio S. Petri appellat Innocentius, in cap. *Per venerabilem*: in

reliquas

reliquas Prouincias Christianas, & Principes Christianos, tribuunt Pontifici potestatem solùm spiritualem, quæ per se, & propriè respicit spiritualia; temporalia verò respicit, vt subordinantur spiritualibus. Et ideò quando propriè loquimur, dicimus Pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem habere potestatem temporalem, quà Pontifex est. Ex quo sequitur, vt discrimen vocum, *directè & indirectè*, non referatur propriè loquẽdo, ad modum acquirendi potestatem, vt Barclaius falsò dicit; sed ad explicandum obiectũ secundarium, & consectaneum supremæ spiritualis potestatis, quæ vt supra diximus, primario, & directè respicit spiritualia, secundario & indirectè, id est, in ordine ad spiritualia, respicit temporalia: quæ sententia Theologorum nullo modo repugnat verbis Innocentij in cap. *Per venerabilem*, vt ex dictis perspicuum est.

4. Addit præterea Barclaius hoc argumentum. *§. Quod si aduersariorum sententiæ locus sit, Reges, & Principes Christiani, non erunt solùm Vasalli, & Clientes Papæ in temporalibus; sed (quod vilius est) quasi precariò Regna, & Principatus ab eo possidebunt. Id facilè ex ipsis aduersariorum principijs, sic ostendo: Summus Pontifex potest alicui Regnum auferre, & alteri conferre, si necessarium sit ad animarum salutem; Atqui iudicare, & decernere, an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio, æquumne sit, an iniquum, nemo potest iudicare: ergo vbi libitum ei erit, poterit quemlibet Regno priuare, & illud alteri conferre.*]

Respondeo. Reges Christiani, alijq; Principes, ijs exceptis, qui feudatarij sunt Ecclesiæ, neque Vasalli, neque Clientes Pontificis Maximi dici debent, quamuis ita eos ad conflandam Ecclesiæ inuidiam, Barclaio appellare libuerit: multò minus precariò Regna, & Principatus ab eo possident: sed sunt veri Reges, verique Principes, tantoque Ethnicis Regibus, & Principibus nobiliores, & feliciores; quantò non solùm in terris ad tempus regnãt; sed etiam post hanc vitam, si iustè, pieque regnauerint, ad Regnum cœleste, & sempiternum transferuntur. Argumentum verò Barclaij ab omni parte vitiosum est: illa enim propositio, *Summus Pontifex potest alicui Regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem,* explicatione indiget; nam & benè, & secus intelligi, & vera, & falsa esse potest. Potest quidem Pontifex, si necessarium ad salutem animarum sit, alicui Regnum auferre; sed si antea admonuerit, si spacium resipiscendi dederit, si perniciosum, & incorrigibilem esse perspexerit. Potest quoque alteri Regnum conferre, non pro arbitrio tamen cui libuerit; sic enim verè precario Reges regnarent; sed cui iure debetur, siue successio, siue electio locum habeat. Et si fortè nemini debeatur; cui ratio dictauerit, esse tribuendum. Sic enim Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi cùm Fridericum Imperatorem deposuisset, electionem successoris Electoribus, quibus iure competit, liberam reliquit: sic etiam Gregorius Septimus post depositionem Henrici, Rudolphum à Principibus electum confirmauit. Sic etiam Zacharias Regnum Francorum Pipino adiudicauit, quoniam ille re ipsa Regnum administrabat, & Proceres eundem expetebant. Leo quoque Tertius Imperium Occidentale à Græcis ad Francos transtulit, quoniam ipsi in Occidente potentissimi erant, & soli poterant eam dignitatem sustinere, & eosdem Romanus populus maximè cupiebant. Sic etiam in testamento veteri Ioiada Pontifex postea quam Athaliam Reginam, quæ Regnum inuaserat, interfici iussit, Regnum contulit Regis demortui filio, cui iure hæreditario debebatur, 4. Reg. 11. & Azarias Pontifex, Rege Ozia ob lepram diuinitus immissam ab hominum commercio segregato, Regni administrationem non cui voluit, sed cui debebatur, id est, Regis filio dereliquit, 2. Paralip. 26. Illa igitur propositio Barclaij, aut malè intellecta falsa est, aut rectè explicata non efficit, vt Reges precario regnent, Iam verò assumptio illa, *Atqui iudicare, & decernere an sit necessarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius iudicio æquumne sit, an iniquum, nemo potest iudicare*, similis est propositioni: nam perperam intellecta, falsa est; rectè explicata, vera quidem est; sed non inde concluditur, precario Regna à Summo Pontifice data possideri, quæ est Barclaij conclusio. Pertinet quidem ad Pontificem iudicare, an sit necessarium ad salutem animarum, Regem aliquem Regno priuare; sed non pertinet ad eundem necessitates pro libito fingere, vel sub colore necessitatis cupiditati seruire. Et quoniam res hæc grauissima est, & necessitas manifesta, & explorata esse debet, idcirco Pontifices ordinariè in Synodis Episcoporum, vel Consistorijs S. R. E. Cardinalium, expositis rationibus, & consentientibus Patribus, ista gesserunt, vt supra ostendimus.

5. Pergit Barclaius, & posteaquam rationem superiorem multis verbis more suo amplificauit, & repetiuit, subiungit hæc verba: *§. Sed & omnis potestas, omneq; dominium & iurisdictio, aut iure diuino acquiritur, aut iure humano: & qui aliquid possidet, seu tenet, si neutro horum possideat, iniustè possidet, vt præclarè in Donatistas ratiocinatur Augustinus, tract. 6. ad caput primum Ioannis, Can. Quo iure. dist. 8. Fieri igitur non potest, vt Papa Imperium aliquod temporale in Reges, & Principes seculares iustè exerceat, nisi constet id ei iure diuino, vel humano esse tributum.*]

Respondeo. Iure diuino potestas in Reges, & Principes Christianos, non propriè temporalis, sed quæ se ad temporalia extendat, Summo Pontifici Christi Vicario attributa est. Vnde enim Barclaius ipse deducit, potestatem spiritualem amplissimam iure diuino Romano Pontifici in omnes Reges, Principesq; competere: inde nos colligimus, eodem diuino iure Pontifici Romano competere potestatem, quæ ad temporalia pertingat; quoniam id requirit ordo potestatis superioris ad inferiorem, spiritualis ad temporalem. *At*, inquit aduersarius. *nullus neque in diuinis, neque in humanis legibus locus reperitur, qui talem illi potestatem conferat.*

Respondeo. Imò locus inuenitur in diuina lege, qui potestatem illi conferat, & locus inuenitur in humana lege, qui locum, diuinæ legis exponat. Quod enim scriptum est Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni cœlorum*, &c. & Ioan. 21. *Pasce oues meas*; explicatum inuenimus in multis Concilijs, ac potissimum in Romano, sub Gregorio VII. In Lateranensi sub Innocentio III. & in Lugdunensi sub Innocentio IV. in eum sensum, vt potestas ligandi atque soluendi, nec non pascendi, atque regendi Ecclesiam vniuersam, non ad sola spiritualia; sed etiam ad temporalia ratione spiritualium porrigantur: quod idem communis Doctorum Catholicorum sententia, & ipsa praxis, atque experientia confirmat.

6. At, inquit, *Regum dominatio, & auctoritas multis sacrarum literarum testimonijs apertè commendatur, & probatur, vt cùm dicitur, Per me Reges regnant. Data est à Domino potestas vobis. Reges gentium dominantur eorum. Cor Regis in manu Dei. Dabo illis Regem in furore meo. Time Dominum fili mi, & Regem. Regem honorificate, & passim id genus similia.*]

Respondeo. Primus locus non demonstrat potestatem datam à Deo Regibus; sed sapientiam Regibus esse necessariam, vt regnent, sicut oportet. Verba enim illa sapientiæ sunt, quę Reges hortatur ad ipsius sapientiæ studium, si volunt verè regnare, & leges ferendo iusta decernere. Secundus locus dicit, quidem potestatem Regiam esse à Domino; sed hoc dicit, vt Reges non superbiant, sed intelligant habere supra se Dominum, à quo grauiter punientur, si potestate abutantur. Tertius locus, non potestatem tribuit; sed abusum potestatis reprehendit. Reges enim gentium, qui vera Dei cognitione carent non contenti administratione Regia, plerumque dominari populis, quasi mancipijs affectant, & politicum Imperium in despoticum transmutant, ac de Regibus Tyranni fiunt: quem abusum Græca vox κατακυριεύουσιν, quæ violentam dominationem significat, magis apertè demonstrat. Quartus locus potestatem Dei in Reges, non potestatem datam à Deo Regibus ostendit: ea enim est omnipotentia Dei, vt non solùm corpora Regum; sed etiam corda in potestate habeat, eaque vertat & conuertat, vt sibi libuerit. Quintus locus non potestatem Regiam commendat; sed minatur se permissurum, vt populus ob sua peccata in Regem iniquum, & crudelem incidat, à quo non tam regatur, quàm deuoretur. Sextus & septimus locus, timorem populi erga Regem; non potestatem Regis erga populum docet. Sed quicquid de his locis sit, vt non negamus Regiam potestatem esse à Deo; sic etiam negari non debet, Apostolicam potestatem esse à Deo; imò omnem potestatem esse à Deo, iuxta illud Apostoli Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* quod autem potestas Regia subiecta non sit Apostolicę potestati, vel quod subiecta sit in spiritualibus tantùm, non etiam in temporalibus; in his locis, neque apertè, neque obscurè habetur, atq; hoc est quod quæritur.

7. Postremò adducit Barclaius argumentum, quod etiam supra non semel adduxit. *Postremò*, inquit, *quandoquidem potestas, & iurisdictio ista temporalis Papæ, de qua nobis sermo, neque expresso Dei Verbo in Scripturis comprehensa, neque ex traditione Apostolorum, quasi per manus recepta, neque vsu, & consuetudine in Ecclesia per totos mille annos, & amplius obseruata, aut ab vllo Pontifice occupata, neque ab antiquis Ecclesiæ Patribus laudata & probata, immò ne memorata quidem inuenitur: quæ nos obsecro credendi necessitas cogit eam admittere? aut qua nobis eam auctoritate persuadeant?*]

Respondeo. Multa sunt quæ ex verbo Dei per Ecclesiam explicata credimus, quamuis in verbo Dei expressè non habeantur. Filium Dei esse patri consubstantialem, expressè in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Ioan. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* Spiritum à Filio procedere expressè in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba Domini Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: omnia quæ habet Pater mea sunt, ideò dixi vobis, quia de meo accipiet.* Baptismum paruulorum expressè in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia sic docet Ecclesia intelligenda esse verba illa Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*, &c. & Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me*, Sic ergo potestatem Summi Pontificis extendere se ad temporalia, ac præsertim ad Regna, & Imperia expressè in Scripturis non legimus; credimus tamen, quia Ecclesia in Concilijs generalibus, sic docet intelligenda esse illa verba Domini Matth. 16. *Tibi dabo claues*, &c. Falsum verò est, potestatem istã non fuisse in vsu apud Ecclesiam per totos mille annos, & amplius. Iam enim supra docuimus, in vsu fuisse post annum septingentesimum, tempore Gregorij II. & Zachariæ Pontificum. Item post annum octingentesimum tempore Leonis III. & Gregorij IV. Falsum quoque est ab antiquis Patribus non fuisse laudatam, vel commemoratam; cùm à Gregorio Nazianzeno paulò obscurius; sed à Gregorio Romano apertè commemorata, ac deinde posterioribus seculis ab omnibus scriptoribus, quorum nonnulli in album sanctorum relati sunt, apertissimè commendata, & celebrata fuerit. Quod in extremo capite Barclaius dicit, rationes nostras non esse demonstrationes, sed dialecticos syllogismos: proindè eas non certam fidem facere; id quale sit, & quantum ponderis, & momenti habeat, in sequenti capite explicabimus.

CAPVT XIII.

Defenditur prima ratio Bellarmini pro potestate Pontificis in temporalibus.

IN capite tertiodecimo aggreditur Barclaius refutare eas rationes, quas ego in libr. 5. de Pontif. cap. 7. adduxi ad probandam Pontificis Maximi potestatem in temporalibus. Et quoniam ille præfatur, neminem Bellarmino diligentius rationes pro hac potestate collegisse, vel argutius proposuisse, vel

breuius

breuius, & subtilius conclusisse, vt videlicet lectoribus persuadeat Bellarmino superato, rem totam esse confectam: ego quoque præfari debeo, me non admittere, quæ Barclaius de mea diligentia, argutia, & subtilitate dicit. Scio enim multos esse me longè doctiores, & diligētiores, ac subtiliores, qui in eodem argumento ante me versati sunt, & quorum ego diligentiam, & studium pro ingenij mei tenuitate æmulari studui: proindè non in me superando stat summa victoriæ, vt Barclaius persuadere lectoribus nititur. Admonendum quoq; lectorem esse duxi, me in hac re comprobanda rationes tantum, & exempla, non Scripturas, Concilia, & Patres adduxisse: quoniam ista in libris superioribus copiosissimè persecutus fueram in confirmando primatu spirituali summi Pontificis; quo confirmato & firmiter stabilito facillimum esse centui, ex eo tamquam ex fonte deducere riuulos rationum ad potestatem in temporalibus comprobandam.

Prima igitur ratio mea, quam Barclaius ad verbum refert, hæc fuit.

Potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quando vtraque pars est eiusdem Reip. Christianæ: ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum spirituale; omnis enim superior imperare potest inferiori suo.

Quod autem potestas politica non solùm, vt Christiana; sed etiam vt politica, sit subiecta Ecclesiastica, vt talis est: Primò demonstratur ex finibus vtriusque. Nam finis temporalis subordinatur fini spirituali, vt patet, quia felicitas temporalis, non est absolutè vltimus finis; & ideò referri debet in felicitatem æternam. Constat autem ex Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 1. ita subordinari facultates, vt subordinantur fines.

Secundò, Reges, & Pontifices, Clerici & Laici non faciunt duas Respublicas, sed vnam, id est, vnā Ecclesiam. Sumus enim omnes vnum corpus Rom. 12. & 1. Corinth. 12. At in omni corpore membra sunt connexa, & dependentia vnum ab alio: non autem rectè asseritur, spiritualia pendere à temporalibus: ergo temporalia à spiritualibus pendent, illisq; subijciuntur.

Tertiò, si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrandi, etiam cum detrimento temporalis boni: ergo signū est, subiectam esse temporalem potestatem spirituali. Hęc est mea ratio prima satis fideliter à Barclaio relata.

Huic rationi respondet ipse, falsum esse, quod ego assumpsi, ciuilem potestatem subiectam esse spirituali, quando vtraque pars est eiusdem Reip. Christianæ. Id autem falsum esse probare conatur his verbis: §. *Siquidem hæ duæ potestates ita sunt partes Reipubl. Christianæ, vt neutri in alteram imperium sit, vtpotè cùm liberæ, & sui iuris essent, mutuo amore coierunt. Vtraque ergo alterā in suo ordine, & munere recognoscit, & veneratur, & suam vtraque functionem arbitratu suo exercet; tantùm inter eas conspirans quidam consensus, & societas est, ad Christianam Remp. conseruandam.*]

Respondeo. In his verbis affirmari video, **A** non probari, politicam, & Ecclesiasticam potestates in eadem Ecclesia Christiana coniunctas esse vinculo beneuolentiæ, nō autem subiectione vnius ad alteram. Sed hoc rectè diceretur, si politica & Ecclesiastica potestas eiusdem ordinis essent, & quasi duas fœderatas Resp. facerent, vt sunt pagi Heluetiorum. At ex Scripturis diuinis Pontifices, & Reges, clerici, & laici in Christo regenerati vnam Remp. imò vnam ciuitatem, imò vnam domum, imò vnum corpus efficiunt. Neque potestas spiritualis, & temporalis in Ecclesia conueniunt, vt duæ Resp. in vnam confœderationem, sed vt spiritus, & caro in vnum hominem, vt Gregorius Nazianzenus præclarè docuit in oratione ad populum timore perculsum: certum autem est, spiritum in carnem imperium ha**B**bere debere, non contra: neque sunt in Ecclesia Christi Pontifices, & Reges, vt principales Arietes in Ouili, sed vt Pastores, & oues: neque in dubium reuocari potest, an Pastores ouibus, vel oues pastoribus cum imperio præsint.

Subiungit Barclaius: §. *Vtraque potestate, siue vt Genebrardi verbis vtar, vtroque magistratu Ecclesia continetur, munitur, & viget: ad quam protegendam, & sartam tectam conseruandam alterius sic:*

Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

vt quamdiu societatem retinent, Resp. Christiana innumeris concordiæ, & pacis commodis efflorescat. At vbi coitam dissoluunt, spiritualis quidem pote- **C** *stas, licet diuina virtute præstans, imbecillior tamē in oculis hominum, & corporalibus auxilijs destituta plerumque contemnitur: temporalis verò, quantumuis potens, atque fortis in suam ipsius perniciem per omne scelus, & insaniam properat, nimirum cœlesti gratia destituta, quæ per spiritualis potestatis coitionem fruebatur.*

Respondeo. Hæc omnia contra suum auctorem, non contra Bellarminum pugnant. Fatetur enim Bellarminus, optimum esse, vt duæ istæ potestates concordes sint, & valdè pernitiosum si inter se pugnent: sed non inde sequitur vnam alteri non esse iure subiectam. Nam & in homine optimum est, vt spiritus & caro concordes sint, & pernitiosum, si dissideant, vt sæpè carne reluctante imperio spiritus, & spiritu carnem in seruitutem redigere **D** conante, discordant: nec tamen vllus sapiens ex hac discordia colliget, non debere esse spiritui in carnem suam imperium; cùm contrarium apertissimè inde colligatur. Igitur eodē modo ex eo, quod ex discordia duarum potestatum, spiritualis, & politicæ in eadem Christiana Republica tam multa incommoda sequuntur, & vtrique valdè necessaria concordia est: colligi debet, pertinuisse ad sapientiam Christi, Christianæ Reipubl. Conditoris, vt vnam potestatem alteri subijceret, quò facilius pacem, & concordiam inter se retinerent, & colerent.

Addit Barclaius testimonium Hosij Cordubensis, & S. Bernardi: sed quoniam ad testimonium non semel supra respondimus; audiamus verba S. Bernardi libr. de Consideratione cap. 5. *Habent, inquit, hæc infima & terrena Iudices suos, Reges, & Principes terræ,*

quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?]

Respondeo. S. Bernardus ipse se declarat; cùm in eodem loco subiungit. *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippè potioribus occupatis: denique vbi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego, sed Apostolus, Si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Sed aliud est incidenter incurrere in ista, causa quidem vrgente, aliud verò incumbere istis, tanquam magnis, dignisq́; tali, & talium intentione rebus.*] Vbi demonstrat Pontifices maximos, vt plurimum debere in rebus maioribus occupari, & infima ista, ac terrena relinquere Iudicibus minoribus, Regibus videlicet, & Principibus terræ. Quemadmodum Apostolus 1. Corinth. 6. dixit. *Iudicia secularia si habueritis contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum.* Itaque S. Bernardus eo loco fines alienos, & messem alienam, iudicia terrena, vocauit, non quod non possit Pontifex, sed quod vt plurimum non debeat, dimissis rebus grauioribus, istis terrenis, & vilibus implicari: Et Barclaius non satis prudenter, ne dicam fraudulenter, verba citat, quæ secum adferunt explicationem, si locus integer adferatur.

Pari astutia Ioannem Driedonem allegat ex lib. 2. de libertate Christiana c. 2. cuius hæc sunt verba: §. *Christus vtriusq́; potestatis officia discreuit, vt vna diuinis, & spiritualibus rebus atq́; personis, altera profanis, atq́; mundanis præsideret.* & mox: *En planè vides Christum discreuisse vtriusq́; potestatis officia. distinctio igitur Ecclesiastica potestatis Papalis à potestate sæculari, ac Imperiali est de iure diuino facta*]

Respondeo. Scribit Ioannes Driedo, potestates illas duas distinctas esse; sed vnam alteri subiectam esse, temporalem videlicet spirituali hoc loco non negat. & paulò infra in eodem capite disertis verbis affirmat, dicens: *Vnde Papa, & Imperator sunt in Ecclesia non tanquam duo Rectores summi in se diuisi, quorum neuter alterum cognoscit, & veneratur tanquam superiorem: quia Regnum sic contra se desolabitur.* hæc ille: nec valet glossa Barclaij, quod Imperator in spiritualibus Papam, Papa in temporalibus Imperatorem cognoscere debeat, & venerari tanquam superiorem. Nam Ioan. Driedo explicuit sententiam suam lib. 1. eiusdem operis cap. 9. vbi docuit, in ordine ad finem supernaturalem, subiectam esse potestatem temporalem potestati spirituali. & capit. 14. docuit Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Reges, & Principes Christianos, & posse eos Regnis priuare, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab eorum obedientia, & subiectione: & nusquam docuit, potestatem spiritualem subiectam esse temporali, aut posse à Regibus priuari Pontificem Papatu, aut ab eius obedientia, & subiectione populos liberari. Allegat Barclaius antiquam glossam in can. *Hadrianus*, dist. 63. sic dicentem. *Quemadmodum ille huic in spiritualibus: ita hic illi in temporalibus pater est.* Sed ego istam glossam neque in nouis, neque in antiquis editionibus inuenire potui. Fortasse tanquam delira Anus antiquata est, aut præ nimio senio iam dudum excessit è viuis.

Postremò addit Barclaius testimonium Bellarmini, vt Bellarminum cum Bellarmino committat, eumque proprio gladio vulneratum prosternat. *Nota, inquit Bellarminus lib. 5. de Pontifice cap. 3. quemadmodum non est idem sydus Sol, & Luna, & sicut Lunam non instituit sol, sed Deus: ita quoque non esse idem Pontificatum & Imperium, neque vnam ab alio absolutè pendere.* His verbis recitatis subiungit Barclaius. §. *Sunt quidem Sol, & Luna duo luminaria magna, quæ Pontifex Innocentius, cap. Solitæ, de maiorit. & obedien. per allegoriam interpretatur duas dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas, & illam Soli, hanc lunæ comparat. Vnde hoc modo disputo. Quemadmodum Luna non minus Luna est, nec minus per se consistit, tunc cùm à sole recedit, & mutuatum ab eo lumen errans amittit, quàm cum ijs radijs pleno orbe atque aspectu illustratur, & neutro casu hæc ab illo, aut ille ab hac dependet; sed ambo institutionis suæ ordinem, & modum tenentes Deo, Mundoq́; deseruiunt: sic etiam potestas Regalis, siue politica proprijs subnixa viribus per se semper consistit, & licet magnum quidem lumen ad benè, beateq́; viuendum à Pontificali, spiritualiq́; potestate accipiat: tamen eius, neque accessu neque recessu vlla ex parte in sua ὑσία, siue essentia mutatur, minuitur, vel augetur, multoq́; minus aduenienti subijcitur.*]

Respondeo. Similitudines non in omnibus locum habent, sed in ea tantum re, ad quam explicandam adhibentur. Ideò frustra quæritur accommodatio in omnibus. Christus agnus Dei dictus est propter mansuetudinem, & leo propter fortitudinem, & petra propter firmitatem, & vitis propter fœcunditatem: nec tamen licet Christo tribuere stoliditatem ouis, aut sæuitiam leonis, aut duritiem lapidis, aut fragilitatem vitis. Rectè igitur comparauit Innocentius III. potestatem Pontificiam Soli, & potestatem Regiam Lunæ, quod illa præsit spiritualibus, ista temporalibus, illa sit maior, ista minor. Nec malè ego notaui, Pontificatū, & Imperium instar Solis, & Lunæ esse distincta, & à Deo; & Imperium absolutè non pendere à Pontificatu: quia videlicet Imperium Rom. fuit ante Pontificatum Christianum, ac per hoc institutum non fuit à Pontifice: neq; Pontifex Imperium sustulit vnquam, sed solùm transtulit ab vno homine ad alium, vel ab vna gente ad aliam. Concedimus autem Barclaio potestates Pontificiam, & Regiam instar Solis & Lunæ non pendere ab inuicem quoad essentiam. Sed non concedimus, quod Barclaius in fine addidit, Lunam Soli non subijci. Subijcitur enim Luna Soli, cùm ab eo lumen recipiat, & non subijcitur Lunæ Sol, qui nihil recipit à Luna. Nec solùm Luna, sed omnes etiam stellæ subijciuntur Soli, quoniam ab illo lumen recipiunt, & rectè Marcus Tullius in Somnio Scipionis de sole dicit, *Dux est & Princeps, & moderator luminum reliquorum.* Itaque quemadmodum Soli subijcitur Luna, & Lunæ non subijcitur Sol: ita quoque Pontifici subijcitur Rex, & Regi non subijcitur Pontifex.

CAPVT XIV.

Defenditur confirmatio prima rationis Bellarmini.

IN capite 14. Barclaius examinat tria illa argumenta, quibus ego probaui assumptionē primæ rationis, siue antecedens primi enthimematis, vt Scholarum verbis vtamur. Primum argumentum illud fuit: *Finis temporalis subordinatur fini spirituali; sed facultates subordinantur, vt subordinantur fines; igitur facultas, siue potestas temporalis, subordinatur facultati, siue potestati spirituali.* Ad hoc argumentum respondet Barclaius his verbis.

§ *Nego constanter talem ordinationem, vel subordinationem finem harum potestatum esse, quatenus ipsæ tales potestates sunt. Nam finis politicæ, seu ciuilis potestatis, quatenus politica est, nihil aliud absolutè complectitur, quàm felicitatem temporalem, commune scilicet bonum, & vitæ degendæ ordinatam tranquillitatem, vt ipsemet alibi Bellarminus fatetur. Politica potestas, inquit, habet suos Principes, leges, iudicia, &c. & similiter Ecclesiastica suos Episcopos, Canones, iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem æternam.* Hęc Barclaius, qui postea rem eandem confirmat ex Apostolo 1. ad Tim. 2. qui iubet nos orare pro Regibus, vt tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate. Item ex Nauarro, qui cap. *Nouit*, de Iudic. num. 90. dicit, finem potestatis laicæ esse vitam bonam, beatam, & quietam temporalem mortalium, quæ & finis est legum ab ipsa emanantium: potestatis verò Ecclesiasticæ, finem esse vitam æternam supernaturalem, eundemque esse finem legum ab ipsa emanantium.]

Respondeo. Negat Barclaius rem certissimam omnium consensione Doctorū; nec potest aliter paradoxa sua defendere, nisi audacter omnia negando, quæ illi obijciuntur. Quid enim apud Theologos, & Philosophos notius, quàm inter causas tum efficientes, tum finales ordinem esse, & inferiores superioribus subordinari? Certè Deus est prima causa efficiens omnium rerum, eique subordinantur causæ secundæ, siue vniuersales, quales sunt cœli, siue particulares, quales sunt res ipsæ inferiores, quarum vnaquæq; producit effectus sibi similes, non absque actione cœlorum, & cooperatione Dei, primę videlicet, atq; altissimę causæ. Eodem igitur modo finis vltimus absolutè Deus est, atq; ad eum ordine quodam referuntur, & subordinantur omnes alij fines. Finis quidem immediatus potestatis Politicę est pax Reip. temporalis, sed hæc pax subordinatur paci supernaturali hominis cum Deo; ista verò paci beatæ, quæ est in superna Hierusalem: quę tandem subordinatur gloriæ Dei Conditoris, qui primum principium, & vltimus finis omnium rerum. Atq; hoc ipsum docent auctores quos hic Barclaius citat, Bellarminus enim, quem primo loco nominat, li. 5. de Pontif. c. 6. vbi scripsit, finem politicæ potestatis esse pacē temporalem, & finem potestatis Ecclesiasticæ esse salutem æternam: paulò post addidit hæc verba: *Quando istæ potestates sunt coniunctæ, vnū corpus efficiunt, ideoq; debent esse connexæ, & inferior superiori subiecta, & subordinata:* cuius rei

A rationem reddit c. 7. *quia finis temporalis potestatis subordinatur fini potestatis spiritualis.* S. quoq; Apostolus 1. ad Tim. ca. 2. quem Barclaius secundo loco citauit, cùm iussit orari pro Regibus, vt tranquillam vitam agamus; adiunxit, *in omni pietate & castitate*; vt ostenderet tranquillitatem vitæ, quæ est finis politicæ potestatis, subordinari pietati & castitati, quę finis est potestatis spiritualis, per quem ad finem vltimum peruenitur, qui est felicitas sempiterna. Deniq; Nauarrus, quem tertio loco Barclaius attulit, in c. *Nouit*, de Iudic. nu. 90. scribit, finem potestatis temporalis esse vitam bonam, & beatā mortalium temporalium: finē spiritualis potestatis esse vitam æternam in cœlis. Sed idem auctor eodem loco, nu. 99. demonstrat, finem
B temporalis potestatis subordinari fini potestatis spiritualis, cùm docet ex S. Tho. li. 3. de Regimine Principum, c. 12. Christi dominium ordinari ad salutem animæ & spiritualia bona, licet à temporalibus non excludatur, eo modo quoad spiritualia ordinantur. *Expende*, inquit Nauarrus, *illa verba, eo modo, quoad spiritualia ordinantur: nam illo & non alio modo suprema hæc Papæ Patriæ Patris potestas extenditur ad illa, id est, ad temporalia.* Ibidem Nauarrus adducit aliū locum S. Thomæ ex 2. 2. q. 40. ar. 2. ad tertium. *Omnis persona*, inquit S. Thom. *vel ars, vel virtus ad quam pertinet finis, habet disponere de his, quæ sunt ad finem: bella autem carnalia in populo fideli sunt referenda ad spirituale bonum diuinum, cui Clerici deputantur: & ideò ad Clericos pertinet disponere & inducere alios ad bellandum bella iusta.*
C Vbi S. Thom. docet bella carnalia ordinari ad bonum spirituale, vt ad finem non immediatū, sed mediatum: finis enim belli carnalis immediatus est victoria, & pax temporalis: sed quia hæc ordinantur ad bonum spirituale, vt alia omnia temporalia, ideò dicitur bellum carnale ordinari vt ad finem, mediatum videlicet, ad bonum spirituale: & ea de causa disponere de bellis iustis agendis pertinet aliquo modo ad Clericos, id est, ad Ecclesiasticam potestatem, cuius finis immediatus est bonum spirituale. Multa similia habet idem Sanctus Thomas de subordinatione finium in 1. 2. quæst. 1. art. 4. & libro 3. contra gentes cap. 17. 18. & sequentibus.

Aggreditur deinde Barclaius secundum argumentum meum, quod erat huiusmodi:
D *Reges, & Pontifices, Clerici & laici non faciunt duas Resp. sed vnam id est, vnam Ecclesiam: sumus enim vnum corpus, Rom. 12. & 1. Cor. 12. At in omni corpore membra sunt connexa, & dependentia vnum ab alio: non autem rectè asseritur spiritualia pendere à temporalibus, ergo temporalia à spiritualibus pendent, illisq; subijciuntur.*

De hoc secundo argumento ita loquitur Barclaius. § *Secundum verò argumentum vsque adeò friuolum est, & fallax: vt nihil inscitius dici, aut vitiosius colligi possit, quam quod eo concluditur: ecqua enim Anus tam excors est, vt nesciat nō valere hanc consecutionem: Sunt membra vnius corporis, ergo vnum ab alio pendet: nam neq; pes à pede, neq; brachium à brachio, neq; humerus ab humero pendet, sed ab vno tertio.*]

Respondeo. Oblitus erat Barclaius, cùm hæc scriberet, eorum, quæ paulò ante dixerat,

nemine Bellarmino argutius argumenta proponere, neminem breuius, subtiliusque concludere. ista siquidem non benè cohærent: argumenta proposita argutissimè subtilissimeq; conclusa à qualibet excorde Anu posse nullo labore dissolui. Sed omitto Barclaij inconstantiam, qui Bellarminum nunc laudibus euehit in cœlum, nunc conuicijs deprimit in abyssum: parum enim Bellarmino est, vt à Barclaio iudicetur, aut ab alijs ei similibus, qui Iudices eius legitimi non sunt; omnes enim stabimus ante tribunal Christi, & ab illo iustè vereque, ac sine omni animi perturbatione iudicabimur. Quòd ergo dixi, membra eiusdem corporis esse connexa, & vnum pendere ab alio; de membris diuersi generis intellexi, qualia sunt digitus, manus, brachium, humerus, & caput: non de membris eiusdem generis, qualia sunt duæ manus, duo pedes, duo oculi, duæ aures: potestas enim politica, & Ecclesiastica, de quibus loquebamur, diuersi generis sunt, vt notum est,: & secundum subiectam materiam verba intelligenda sunt; alioqui nulla esset tã certa demonstratio, quæ calumniam pati non posset. Itaque potestas Regia, quæ in suo genere principalis est, si cum potestate Pontificia, quæ etiam in suo genere principalis est, in vnum corpus coalescat, necessariò debet, aut subesse, aut præesse, ne sint in vno corpore duo capita: & cùm satis constet Pontificem esse caput Ecclesiæ vice Christi, apertè sequitur, vt debeat Rex, aut non esse membrum huius corporis, aut Pontifici subesse; & eodem modo potestas politica, quæ præcipuè residet in Rege, aut debet subiecta esse spirituali, quæ præcipuè residet in Pontifice, aut extra Ecclesiam remanere: quemadmodum non potest esse digitus in corpore, qui non pendeat à manu; neque manus, quæ non pendeat à brachio; neque brachium, quod non pendeat ab humero: neque humerus, qui non pendeat à capite. Quod autem Barclaius dicit paulò post, *potestatem spiritualem, & politicam, esse veluti duos humeros in corpore, quorum neuter alteri subijcitur; sed vterque subijcitur vni capiti Christo*: non solum est falsum, quia potestates illæ non sunt eiusdẽ generis, vt duob. humeris comparari possint, quomodo rectè compararentur duobus humeris duæ Regiæ potestates: sed etiam ad hæresim pertinet, quæ hoc tempore maximè viget: quid enim hæretici huius temporis maiori conatu populis persuadere conantur, quã non esse summum Pontificem caput visibile corporis Ecclesiæ, cui omnes Christiani, quantumuis magni, necessariò subijci debeant, si salui esse velint? Atqui hoc illis vltro concedit Barclaius, qui tamen in toto libro Catholicum se facit. Itaque potestas spiritualis, & politica non rectè comparantur duobus humeris; sed vel spiritui, & carni comparari debent, vt facit S. Gregorius Nazianzenus in oratione sæpè citata ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem: vel brachio, & capiti, membris videlicet principalibus, quorum tamen vnum, quamuis in se valdè potens, & robustum ab altero superiore dirigi debeat, & gubernari.

Sed instat Barclaius, atque obijcit mihi mea ipsius scripta, lib. 3. de Pontifice cap. 19. vbi admitto Reges terræ non habere in terris iudicem, quantum ad res politicas pertinet: & contendit, me contraria loqui, cùm vno in loco doceo, Reges non habere iudicem in terris, quoad res politicas: in alio loco admitto, Pontificem iudicem esse Regum, vt etiam eos per sententiam Regno priuare possit.

Respondeo. Innocentius III. in cap. *Per venerabilem*, Qui filij sint legit. scribit Reges in temporalibus, non habere superiorem: & tamen ipse idem Othonem IV. Imperatorem deposuit. Audeat ergo Barclaius Innocentiũ, tanquam secum ipsum pugnantem arguere: & ego cum tanto Pontifice reprehendi non molestè feram. Sed defensio in promptu est: Reges enim non habere iudicem in terris, quoad res politicas, siue in temporalibus, dum eorum regimen ita intra res politicas, & temporalia se continet, vt spiritualibus non officiat. Præterea dicuntur Reges non habere Iudicem in politicis, & temporalibus, quia non habent super se iudicem politicum, siue temporalem, quãuis habeant Iudicem spiritualem, à quo dirigi, & iudicari possunt etiam in temporalibus per ordinem ad spiritualia.

Quod verò Barclaius addit, discrimen vocum *directè*, & *indirectè* ad formam, & modum pertinere, non ad vim, & effectum iudicij: iam supra refutatum est in cap. 12. vbi de his vocibus ex proposito disputauimus.

Restat argumentum meum tertium, quod tale erat. *Si temporalis administratio impedit spirituale bonum omnium, iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum administrationis, etiam cum detrimento temporalis boni, ergo signũ est, subiectam esse temporalem potestatem spirituali.*

§. Huic argumento duobus modis Barclaius occurrit: primum enim notat, quod cùm rem demonstrandam susceperim, signum tantum protulerim: deinde negat consecutionem argumenti: nam ex eo quod tenetur Princeps temporalis mutare formam regiminis, si per eam bonum spirituale impediatur: dicit Barclaius sequi, spiritualia esse digniora temporalibus, non autem potestatem temporalem spirituali esse subiectam]

Respondeo. Non est nouum, neque insolitum, post demonstrationes afferre quoque argumenta à signo. Quod autem attinet ad cõsecutionem, fallitur Barclaius. Nam ex illo antecedente, *Tenetur Princeps Politicus mutare administrationem suam, si obsit bono spirituali*: nõ sequitur absolutè. *ergo bonum spirituale est nobilius ac dignius temporali*: sed sequitur, *ergo ad bonum spirituale ordinatur, vt ad suum finem bonum temporale*, ac per hoc potestas temporalis subiecta est potestati spirituali: necessitas enim mutandi administrationem in eo casu non oritur ex dignitate, vel nobilitate boni spiritualis præcisè; sed ex subordinatione vnius ad alterum: quod perspicuè ostendi in meo libr. 5. de Pontifice cap. 7. in explicatione huius argumenti tertij, ad quæ Barclaius nihil respondit.

CAPVT XV.

Refutatur digreſsio Barclaij.

IN capite quintodecimo Barclaius non contentus ijs, quæ dixerat in reſponſione ad primam rationem meam: antequam tranſeat ad ſecundam examinandam, & refellendã, iterum repetit ſententiam ſuam de poteſtate Eccleſiaſtica, ac politica, quod videlicet, Principes temporales ſubiecti eſſe debeant Epiſcopis, quoad ſpiritualia, & contra Epiſcopi ſubiecti eſſe debeant Principibus, quoad temporalia: quemadmodum Epiſcopi cogere poſſunt ſpiritualibus pœnis Principes temporales ad obediendum in ijs, quæ ad animam pertinent: ſic poſſunt Principes temporales cogere Epiſcopos corporalib. pœnis ad obediendũ in ijs, quæ pertinẽt ad temporalia, modò fidei Catholicæ, & bonis morib. nõ ſint contraria. Excipit tamen ſummum Pontif. quem dicit non eſſe ſubiectum vlli Principi temporali, quoniam ipſe quoque eſt Princeps ſupremus temporalis in prouincijs ditionis Eccleſiaſticæ. In ſumma tollit Barclaius de medio omnem exemptionem Eccleſiaſticorum à poteſtate Principum ſecularium. Ac primum ad hanc ſententiam ſtabiliendam producit teſtimonium Franciſci Romuli in reſponſione ad certa capita Apologiæ, &c. qui diſertis verbis affirmat, Epiſcopos Regibus in temporalibus rebus, & Reges Epiſcopis in rebus ſpiritualibus debere eſſe ſubiectos. Sed facilis eſt reſponſio. Loquitur enim Franciſcus Romulus eo loco de ſubiectione, quam habent Epiſcopi, & reliqui Clerici ad obſeruandas leges politicas, & non perturbandum ordinem politicum à Regibus conſtitutum; vt etiam docent Gelaſius, & Nicolaus Pontifex: ille in Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem, hic in Epiſtola ad Imperatorem Michaelem, quos eo loco Franciſcus Romulus allegauit. Sed hinc non ſequitur, poſſe cogi Epiſcopum à Rege ad obediendum, vel puniri ſi non obediat, cùm Rex nullam habeat in Epiſcopos, vel Clericos poteſtatem, quod apertiſsimè legitur in Concilio Conſtantienſi, Seſſ. 31.

Secundo producit teſtimonium ipſius Bellarmini, ex lib. de Clericis, cap. 28. vbi docet, Clericos, vt ciues, eſſe partes, & membra Reipubl. politicæ, ac per hoc obligari ad leges politicas obſeruandas. Sed quoniam idem Bellarminus in eodem loco, excipit poteſtatem coactiuam, à qua liberos eſſe dicit Clericos: Barclaius reclamat, ac dicit; *Verius eſt Clericos ad obſequium legum, vbi cauſa poſtulat, à temporali Iudice cogi poſſe, vt nec in ea re exemptionis ſuæ beneficio gaudeant, quod ab Imperatorum, & Principum legibus, eos accepiſſe ſatis conſtat. Fruſtra enim legum auxilium inuocat, qui contra eas committit.*

At hic Barclaius more ſuo contra ſententiam Catholicorum omnium loquitur: quamuis enim diſputent Theologi, & Canoniſtæ de iure exemptionis, tamen eſſe Clericos aliquo iure exemptos, & non poſſe cogi à laica poteſtate, omnes docent. Vtrum autem verius ſit exiſtimandum, quod vnus, an quod vniuerſitas docet, alijs iudicandum relinquo: ſed de

A hac re inferius plura dicemus, & multa etiam in libro de Clericis diximus.

Tertio Barclaius producit teſtimonium S. Gregorij in epiſt. 15. libr. 4. vbi S. Gregorius ad Mauritium ſcribens, ſic loquitur: *Sacerdotibus non ex terrena poteſtate Dominus noſter citius indignetur; ſed excellenti conſideratione propter eum, cuius ſerui ſunt, eis ita dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat.*

§. *Dominetur nimirum*, addit Barclaius, *quatenus ciues ſunt, & partes Reip. reuerentiam impendat, quà Dei Sacerdotes, & Patres ſpirituales, quibus ipſe Imperator, vt Eccleſiæ filius ſubijcitur.*]

Reſpondeo. Poſſent verba S. Gregorij in eum ſenſum exponi, vt ſignificare voluerit, Imperatorem dominari poſſe Sacerdotibus conſtituendo leges politicas, quas ipſi quoque

B vi rationis, ſed non vi legis obſeruare tenentur; ſed eis reuerentiam illam impendere debere, vt non eos ipſe puniat, ſi leges non ſeruent, ſed Prælatis ipſorum puniendos relinquat. Sed quoniam ex ipſo Gregorio in Commentario Pſalm. 101. didicimus, Mauritium Tyrannicè imperaſſe in vltimis Imperij ſui annis, ac potiſsimum in Sacerdotes ſæuire cœpiſſe: mirum non eſt, ſi S. Gregorius ita loquatur, vt iugum Tyrannicum ſi auferre non poterat, mitigare ſaltem, & moderari niteretur.

Quarto producit teſtimonium Scripturæ, l. 3. Reg. c. 2. Vbi Salomon Rex ſacerdotem Abiatharem reum mortis pronunciauit, quòd cõiuranti Adoniæ conſenſiſſet: & eiecit eum, ne ſacerdotio fungeretur.]

C Reſpondeo. Non eſt improbabile in teſtamento veteri Regem abſolutè maiorem fuiſſe Pontifice, tum quod ita doceat S. Thomas in lib. 1. de Regimine Principum, c. 14. tum quòd in teſtamento veteri promiſsiones eſſent temporales, & ſacrificia carnalia; ſed quoniam probabilius eſt, in ipſo etiam teſtamento veteri, maiorem fuiſſe Pontificem Rege, vt oſtendimus lib. 2. de Pontif. c. 29. ideò perſiſtimus in ea reſponſione, quam in eo loco ſcripſimus, Salomonem non vt Regem; ſed vt Prophetam diuino inſtinctu iudicaſſe Abiatharem mortis reum, & ei ſacerdotium abrogaſſe, aliumque ei ſubſtituiſſe. Nam quod in ſcriptura 3. Reg. 2. legimus, *Vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo*: ratio eſt, cur Salomon hoc fecerit. *At*, inquit Barclaius, *illud, Vt impleretur ſermo Domini, nihil aliud ſignificat,*

D *niſi tunc impletum fuiſſe, quod Dominus prædixerat futurũ: quemadmodum Matt. 27. cùm dicitur, impios milites diuiſiſſe inter ſe veſtimenta Chriſti, vt impleretur illud Pſal. Diuiſerũt ſibi veſtimẽta mea.*

Reſpondeo. Illud, *vt impleretur verbum Domini*, aliquando ſignificat ſolùm, illud fuiſſe prædictum, & poſtea impletum, vt in loco allegato ab Aduerſario. Aliquando ſignificat id factum eſſe eo animo, eaq; intentione, vt obedientia præſtaretur Deo, qui voluit per eum id fieri, vt li. 4. Reg. 9. Iehu iuſsit, Ioram Regem occiſum proijci de curru in agrum Iezrael, *vt impleretur verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam Prophetam. Tolle*, inquit, *eum, & proijce de curru in terram, iuxta verbũ Domini.* Quod autem locus allatus ex lib. 3. Reg. c. 2. debeat intelligi hoc ſecundo modo, probari poteſt ex

voce hebraica: nam vbi nos habemus in textu latino, *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini; vt impleretur sermo Domini, quē locutus est super domum Heli in Silo:* in hebræo est verbū actiuæ significationis אׇלְמַלֵּא ad implendum, siue vt ipse impleret sermonem Domini. Quare verba textus latini debent sic intelligi *vt impleretur*, supple, *ab ipso Salomone sermo Domini*, &c. Adde, quod ex sententia Barclaij, Rex non potest punire Sacerdotem pœna spirituali, neq; miscere se in negotijs spiritualib⁹, sed solùm in temporalibus: Salomon autem priuauit Abiathar munere sacerdotali, & alium eius loco substituit; ergo vel excessit modum potestatis suæ, vel hoc fecit non vt Rex, sed vt Propheta, ex peculiari instinctu Dei, vt nos supra diximus. Deinde si hæc Lectori non satisfaciūt; dicere possumus, in Scriptura sacra narrari factum Salomonis, sed non definiri, iure ne, an iniuria id fecerit: quemadmodum etiā in eo loco narratur cædes Adoniæ fratris Salomonis, iussu eiusdem Salomonis patrata, ob id quod Adonias petierit sibi dari in vxorē Abisag Sunamitidem: quod rectè ne, an secus factū fuerit, disputari potest. Itaque non bene colligeret, qui diceret, Rex Salomon priuauit Sacerdotē functione sua, & occidit fratrem suū, quia petierat in vxorem illam puellam, quæ fuerat ancilla patris sui: ergo possunt Reges priuare functione sua Sacerdotes, aliosq; in eorum locum substituere: & possunt fratres suos interficere, si speciosam aliquam puellam, quā Rex ipse fortasse amat, sibi dari postulent in vxorem. Iste, inquam, non benè colligeret, quia Reges multa sæpè faciunt ex potestate, nō ex iustitia: & videndum est non tam quid possint, quàm quid debeant, siue quid iure possint: non enim verum est, quod Imperatori Antonino Caracallæ dictum fuit, *Regibus quodlibet, licet.*

Addit Barclaius: ¶. *Aequè fallitur vir idem doctissimus, cùm ait eodem libr. 2. de Summo Pontif. cap. 29. non mirum esse, si in Testamento veteri summa potestas fuit temporalis, in nouo spiritualis, quia in veteri Testamento promissiones tantùm temporales fuerunt, & in nouo spirituales, & æternæ.*]

Respondeo. Eam ego sententiam vt probabilem posui, propter auctoritatem S. Thomæ in lib. 1. de Regimine Principum, siue auctoris illius libri, quicunque fuerit, & propter non condemnandam rationem ab eodem auctore allatam. Barclaius autem dicit quidem in vtroque testamento potestatem Regiam fuisse solùm temporalem; potestatem Pontificiam, solùm spiritualem, sed nulla vel auctoritate, vel ratione probat. Quare nemo mirari debet, si veterem auctorem cum ratione loquentem anteponamus Barclaio, auctori recenti, & sine ratione veteres carpenti.

His expeditis percenset, ac numerat Barclaius ordine priuilegia exemptionum, quæ data sunt à Regibus, vel Imperatoribus ordini Ecclesiastico; ex quibus colligit, Ecclesiasticos ex se subiectos esse in temporalibus politicæ potestati: nisi enim subiecti essent, non egerēt priuilegijs, neq; illa vel quæsiuissent, vel etiam oblata accepissent.

Ad hæc breuiter respondeo, nos hoc loco non suscepisse disputationem de potestate Regum in Ecclesiasticos, sed de potestate Summi Pontificis in temporalibus: neque æquum est, de vna disputatione ad aliam transire. Quare Lectorem remittimus ad ea, quæ in Controuersijs de exemptione Ecclesiasticorum disputauimus, præsertim in editionibus post annum Domini 1598. in quibus paulò planius & plenius sententiam nostram explicuimus, quā in editionibus prioribus. Accedit etiam, quod Barclaius infra iterum de hac re, & fusius tractat, capite videlicet 32. & 33. vbi se in materia exemptionis nouam doctrinam contra scriptores omnes inuenisse gloriatur.

CAPVT XVI.

Refutatur alia digreßio Barclaij.

IN capite 16. Barclaius intermissa responsione ad orationes meas, pro potestate Pontificis in temporalibus, iterum digreditur ad potestatem Regum in Pontifices. Et quoniam ego in lib. 2. de Pontif. cap. 29. dixeram, discrimen esse agnoscendum inter Reges Ethnicos & Christianos, quòd illi non subiecissent se per Baptismum Summo Pontifici, vt Christi Vicario, isti autem subiecissent: & ideò probabiliter dici potuisse, Summos Pontifices olim subiectos fuisse Imperatoribus Ethnicis quoad temporalia; Imperatoribus autem Christianis, nunquam fuisse de iure subiectos: aggreditur hoc discrimen impugnare, seq; demonstraturum pollicetur, Pontifices Summos non minus subiectos esse de iure Regibus Christianis, quàm Ethnicis, quod attinet ad temporalia. Excipit tamen eos Pontifices, qui post adeptam temporalem ditionem in certis prouincijs cœperunt esse supremi Principes politici, vt sunt Reges alijq; Principes absoluti. Vtitur autem hac ratiocinatione: *Principes temporales per baptismum subiecerunt se potestati spirituali Summi Pontificis, vt Christi Vicarij: ex hac autem subiectione non sequitur Summum Pontificem, non esse subiectum potestati temporali Principum Christianorum: ergo Bellarminus vitiosè argumentatur.*

Respondeo. Quod dixeram in loco citato de subiectione temporali Summorum Pontificum ad Ethnicos Imperatores, in Recognitione operum meorum ante duos annos edita mutaui: secutus enim fueram auctoritatem Alberti Pighij; sed animaduerti postea, rationem eius sententiæ, non esse satis firmam. Sed nihil ad Barclaium: siue enim Pontifices subiecti fuerint temporali potestati Imperatorum Ethnicorum, siue non fuerint, Barclaij ratiocinatio vitiosa est, & Bellarmini argumentum vitio caret. Per hoc enim quod Reges per Baptismum potestati spirituali Pontificis se subiecerunt, censentur etiam eidem potestati spirituali Regna sua subiecisse, & politicam potestatem; vt videlicet à Pontifice dirigi, & corrigi vellent, si quo modo circa temporalia à via salutis deflecterent. Vana sunt autem omnia, quæ Barclaius subiungit de Constantino Imperatore, Clodoueo, & Donaldo Regibus, qui per Baptismum Imperio, & Regnis non exciderunt. Nam neque nos dicimus, Reges per Baptismum Regnis excidere, aut quicquā

sui

fui iuris amittere; fed contra potius affirmamus, Reges poſt Baptiſmum felicius, veriuſque regnare. Neq; enim Chriſti Vicarius Regna filiorum ſuorum ſpiritualium affectat, aut iuriſdictionem illorum temporalem imminuere, aut perturbare cupit, vt apertè ſcripſit Innocentius III. in capite ſæpè citato, *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi; ſed prouidere nititur, vt regnent in terris, vt Regnum cœleſte non amittant, & vt Regna terrena Regno cœleſti famulentur, vt præclarè ſcribit S. Gregorius in lib. 2. epiſt. 61.

Subiungit poſtea Barclaius ſimilitudinem, qua explicari aptiſsimè, & confirmari efficaciſsimè ſententiam ſuam cenſet. hæc eſt autem ſimilitudo. §. *Si quis filiusfamilias patre ſuo adhuc ſuperſtite magiſtratum publicum gerat: debebit patri parere in ijs, quæ ad res domeſticas pertinent, & poterit, ſi malè ſe geſſerit erga patrem, à patre puniri per exhæredationem, aliasq; pœnas, ad quas patria poteſtas ſe extendit: non tamen parere tenebitur in ijs, quæ ad publicam adminiſtrationem pertinent, neq; poterit à patre priuari Magiſtratu, aliiſve pœnis coerceri, quæ à publico Magiſtratu infligi ſolent. Contra verò pater tenebitur filio Magiſtratum gerenti aſſurgere, eiq; parere in rebus publicis, & politicis; non autem in domeſticis: & poterit in patrem animaduertere, atque in eum lege agere, vt in alios homines priuatos, ſi contra publicas leges aliquid fortè peccauerit. Sic igitur Pontifex, qui pater eſt omnium Chriſtianorum, etiam Regum, & Principum, poterit Regibus imperare in ijs, quæ ad res domeſticas, id eſt, Eccleſiaſticas pertinent, eosq; punire pœna grauiſſima exhæredationis, id eſt, excommunicationis: ſed non poterit aliquid eis iubere circa regimen politicum, neq; eos Regnis priuare: contra Reges poterunt Pontifici imperare in ijs, quæ ſpectant ad regimen politicum, non autem in rebus Eccleſiaſticis & ſpiritualibus.*]

Reſpondeo. Iam ſupra admonui, Barclaium eadem ſæpius repetendo librum ſuum augere, vt ex paruo libello, liber iuſtæ ſtaturæ efficiatur. Hanc enim ſimilitudinem iam ante propoſuerat capite tertio, eo excepto, quod eo loco Patri adoptiuo Pontificem comparauerat, hoc loco Patri ſimpliciter comparat: ſed quod attinet ad rem præſentem, eadem ſimilitudo eſt. Atque vt capite tertio admonuimus, ſimilitudo illa tam eſt inepta, & puerilis, vt mirum ſit, Barclaium ipſum non animaduertiſſe vitia ſimilitudinis à ſe allatæ. Nam poteſtas publici Magiſtratus maior eſt poteſtate patria ciuium priuatorum, & poteſt eam dirigere, & corrigere, &, ſi iuſtitia poſtulet, poteſt Patrem patria poteſtate priuare: contra verò, Pater, cùm ciuis priuatus ſit, non poteſt Magiſtratum publicum dirigere, & corrigere, multò minus illum poteſtate priuare, Poteſtas autem Summi Pontificis, patria quidem poteſtas eſt; ſed haud ſimilis poteſtati patriæ ciuium priuatorum; ſed poteſtati Dei, cuius Pontifex vices gerit in terris; proinde poteſtas eſt ſupernaturalis, ſpiritualis, publica, & omni poteſtate politica, atque humana longè ſublimior. Itaque duo ſunt in hac ſimilitudine Barclaij: vnum quod poteſtatem politicam magiſtratus, & poteſtatem ciuium priuatorum pares facit; cum tamen priori, vt ſuperiori, poſterior vt inferiori ſubijciatur: alterum, quod poteſtatem Pontificiā ſimilem fecerit poteſtati patriæ humanæ, & priuatæ; cùm ſit poteſtas publica, & diuina, qua neq; maior, neq; par in terris inueniri poteſt. Vide quæ diximus de hac re cap. 3.

Addit poſtremò Barclaius teſtimonium Nicolai Cardinalis de Cuſa, qui in lib. 3. de Concordia Catholica capit. 3. ſcribit, fuiſſe in antiqua quadam gloſſa ad Canonem *Hadrianus* diſt. 63. Papam eſſe Patrem Patricij in ſpiritualibus, & Patricium eſſe Patrem Papæ in temporalibus. & cap. 4. ſcribit, non eſſe in manu Romani Pontificis dare cuicunque prouinciæ per Mundum Regem, vel Imperatorem, ipſa non conſentiente.

Ad primum teſtimonium iam ſupra reſpōdi, gloſſam illam antiquam meritò fuiſſe antiquatam, & exploſam. Ad ſecundum reſpondeo, Pontificem Romanum poſſe; præſertim in caſu hæreſis, Imperatores, ac Reges excommunicare, atque deponere, eorumque ſubditos ab obedientia liberare: quis autem in locū ipſorum ſuccedere debeat, liberum relinquere illis ad quos de iure pertinet. Itaq; non obtrudit Imperatores, aut Reges pro arbitrio populis inuitis, neq; iura hæreditariæ ſucceſſionis, aut electionis tollit; atque hoc eſt ſolùm, quod Cardinalis ille requirit.

CAPVT XVII.

Defenditur ſecunda ratio pro poteſtate ſummi Pontificis in temporalibus.

IN capite 17. Barclaius digreſsionibus expeditis, redit ad examinandas, & refellendas Bellarmini rationes: & quoniam de prima ratione ſatis multa dicta ſunt in capite 14. aggreditur nunc ſecundam, quàm fideliter tranſcripſit in hæc verba.

Secunda ratio, inquit, *eſt: Reſpublica Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens in ordine ad finē ſuum: tales enim ſunt omnes Reſpublicæ benè inſtituta: ergò debet habere omnem poteſtatem neceſſariam ad finem ſuum conſequendum: ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas vtendi, & diſponendi de temporalibus rebus; quia alioqui poſſent mali Principes impunè fouere hæreticos, euertere Religionem; igitur, & hanc poteſtatem habet. Item poteſt quælibet Reſpubl. quia perfecta, & ſibi ſufficiens eſſe debet, imperare alteri Reipubl. non ſibi ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem, imò etiam deponere eius Principem, & aliam inſtituere, quando non poteſt aliter ſe defendere ab eius iniurijs: ergò multò magis poterit ſpiritualis Reſpubl. imperare temporali Reip. ſibi ſubiectæ, & cogere ad mutandam adminiſtrationem, & deponere Principes, atq; alios inſtituere, quando aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri.*

Hanc rationem ſatis fideliter allatam ex duplici capite Barclaius reprehendit. Primum enim negat duas eſſe Reſpublicas in Eccleſia, vnam Eccleſiaſticorum, alteram laicorum, ſiue vnam ſpiritualem, alteram temporalem; vnam ſacram, alteram politicam: & probat ex prima mea ratione, in qua dixi, poteſtatem politicam, & ſpiritualem eſſe partes eiuſdem Reipubl. Chriſtianæ, & Clericos, & laicos non facere in Eccleſia duas Reſp. ſed vnam.

Deinde negat, potestatem disponendi de rebus temporalibus necessariam esse ad finem spiritualem: quod ex eo probat, quòd Apostolus Petrus indicat Act. 5. se non habuisse potestatem disponendi de bonis temporalibus Ananiæ, cui dixit, *Nonne manens tibi manebat, & venundatum erat in tua potestate.*

Ad primum caput facillima responsio est. Respublica enim spiritualis, siue Ecclesiastica, & Respublica temporalis, siue politica, & duæ sunt, & vna; duæ partiales, vna totalis: quemadmodum spiritus, & caro simul iuncta vnum hominem faciunt, imò vnus homo sunt, vt S. Athanasius in Symbolo fidei loquitur: & colligitur ex 2. cap. Geneseos, vbi legimus, *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem:* & tamen ita distinctæ sunt potentijs, & legibus, & motibus, vt Apostolus ad Rom. 7. dicat, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ:* & ad Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem*; & quod magis est admirandum 2. Corinth. 4. vocatur spiritus, homo interior, & caro homo exterior, cùm dicitur, *Licet is, qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.* & Rom. 7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Itaque spiritus, & caro sunt vnus homo, & duo homines: neque Spiritus sanctus, qui vtrumque dicit, sibi ipse contradicit: quare nec Bellarminus secum pugnat, cùm Rempublicam Ecclesiasticam, & politicam in Ecclesia nunc considerat, vt partes vnius Reipublicæ Christianæ, nunc vt duas Respublicas inter se distinctas, nam simillimam esse Rempublicam Ecclesiasticam spiritui, & politicam carni, non Bellarminus solus, aut primus docuit; sed ante eum Thomas Valdensis, & ante Valdensem S. Thomas, & ante S. Thomam, Alexander Alensis, & ante Alensem, Hugo de S. Victore, & ante Hugonem S. Gregorius Nazianzenus, vt supra non semel admonuimus.

Ad secundum caput respondeo, Verba S. Petri ad Ananiam, non significare, non fuisse in Apostolorum Principe potestatem disponendi de rebus temporalibus Ananiæ, si ea necessaria fuissent ad finem spiritualem: sed indicare solùm, non vsum fuisse S. Petrum ea potestate, neque vti voluisse, cùm necessitas nulla esset: & certè si argumentum Barclaij aliquid valeret, efficeret etiam nullum Regem posse disponere de bonis temporalibus subditorum suorum in casu, quo necessaria essent ad Rempublicam conseruandam. Omnis enim Rex dicere potest subditis suis, Ager tuus nonne tibi manebat, & venundatus in tua erat potestate? quis te illum Reipubl. donare coegit? & si donasse integrum profiteris, cur parte retenta integrum te donasse mentiris? Itaque quemadmodum ius, quod habent Reges disponendi de rebus temporalibus ciuium, non est, vt pro arbitrio spolient ciues dominio rerum suarũ; sed vt possint ciues cogere ad bona sua exponenda pro communi bono conseruando: sic etiam potestas Apostoli Petri in bona temporalia Christianorum, non erat (vt Barclaius dicere nos fingit) vt posset Apostolus sine vlla

A causa priuare dominio rerum suarum omnes Christianos, neq; eis aliquid proprium relinquere: sed tantũ vt posset prouidere, ne Christiani bonis temporalibus abuterentur contra legem Dei; & contra, vt eis rectè vterentur ad vitam æternam consequendam. Habuisse autem Apostolos potestatem aliquam disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia, vel ex eo constat, quòd statuerunt, vt populi Christiani Prædicatores Euangelij ex facultatibus suis alerent, idq; iuxta ordinationem Domini; vt patet ex Apostolo in priore ad Cor. c. 9.

At, inquit Barclaius, *primis trecentis annis non fuit in Ecclesia potestas disponendi de rebus temporalibus Christianorum, inuitis Dominis; ergò vel Respub. Christiana tunc fuit imperfecta, vel non est necessaria ista potestas ad finem spiritualem consequendum.*] Atque hic multa verba Barclaius

B frustra profundit, vt ostendat ad prouidentiã Dei pertinuisse, vt Ecclesia illa prima instructa esset omnibus ijs rebus, quæ ad eius conseruationem necessaria essent.

Respondeo. Ecclesia illa prima instructa fuit omni potestate, atque omnibus præsidijs, quæ ad perfectam Remp. constituendam necessaria erant: primis autem trecentis annis nõ fuerunt in Ecclesia multi Principes politici: fuerunt tamen aliqui, vt Philippus Imperator, & Rex Lucius, ac Rex Donaldus. Sed fingamus, nullos fuisse: non ideò defuit Ecclesiæ potestas disponẽdi de bonis temporalib. Principum, & dirigendi potestatem eorum politicam, quando illi Ecclesiæ membra, vel filij effici vellent. Præterea, vt paulò ante dixi, in ipso

C principio Ecclesiæ, quanquam nulli fuerint Principes Christiani, Apostolis ipsis Ecclesiã regentibus; fuerunt tamen multi homines diuites, de quorum diuitijs Apostoli disposuerunt, statuentes, vt ex ijs ministros Euangelij sustentarent.

Adducit postea Barclaius verba S. Bernardi, ex li. 4. de Consid. c. 3. *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris: absque his tamen credit satis posse implere salutare mandatum, si amas me, pasce oues meas: in his successisti non Petro; sed Constantino.* hæc Bernardus: quibus subiungit Barclaius. § *Quamuis itaq; potestas temporalis, de qua nobis sermo, hominibus videri potuerit Ecclesiæ necessaria; Deo tamen neque*

D *necessaria, neque vtilis visa est.*]

Respondeo. Posset hoc loco Barclaio dici, quod in libro Iob c. 38. Deus ipse dicit, *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis?* Sanctus Bernardus scribit, Apostolum Petrum pauperem fuisse diuitiarum huius Mundi, & potuisse sine auro & argento proprio, sine equo albo, & sine satellitibus implere salutare mandatum pascendi oues: non tamen Sanctus Bernardus dicit, non fuisse in Apostolo Petro potestatem disponendi de temporalibus bonis Christianorum, & de ipsis Regnis, & Imperijs, si necessitas spiritualis id requireret; imò contrarium dicit, cùm Pontifici, quà Pontifex est, & Christi Vicarius, ac Petri successor, applicat illa verba Hierem. 1. *Ecce constitui te super gentes, & super Regna, vt euellas, & disperdas, & dis-*

sipes,

sipes, & adifices, & plantes: non enim pugnat paupertas propria cum potestate disponendi de diuitijs,& iudicandi Reges,& Principes terræ. Sic enim Prælati ordinum Religiosorum, cùm sint ipsi voto paupertatis obstricti, potestatem habent de opibus amplissimis sui ordinis disponēdi. Et apud veterēs Romanos multi ciues inopes, vt Fabricius, Curius, Cincinnatus, & alij Consules, vel Dictatores effecti, disponebant de Regnis,& Regum opibus, cùm ipsi tamen in pristina sua egestate remanerent. Ergò non debuit Barclaius diuitias cum potestate confundere; quasi non possit idem homo & pauper esse pecunijs, & diues potestate. Deinde S. Bernardus dicit, Pontificem in diuitijs, & temporali principatu non successisse Petro, sed Constantino: quid inde colligit Barclaius? potuisse Pontificem sine temporali principatu fungi munere Apostolico? Quid tum? non enim questio nostra est de principatu temporali Summi Pontificis, sed de potestate spirituali,& Apostolica, quàm nos dicimus extendi ad disponendum de reb. temporalibus,& de ipsis Regnis,& Imperijs in ordine ad finem spiritualem. Barclaius autem vt hoc refellat, disputationem transfert ad principatum temporalem, quo Apostolus actu caruit, vt omnia confundendo, & permiscendo aliquid dixisse videatur. Deniq; Barclaius, quasi raptus ad tertium cœlum in consilio Dei fuerit, absolutè pronūtiat. *Deo neq, necessariam, neq, vtilem Ecclesia visam esse potestatem temporalem*, de qua nobis sermo. Ego verò à Barclaio quæro, de qua potestate temporali loqueris? Nam si de potestate illa loqueris, quæ in se spiritualis cùm sit, extenditur ad temporalia, non obscurè Deo falsum imponis. Illam enim potestatem Deus Ecclesiastico Principi necessariam esse duxit, ideoq; eam illi tribuit, cùm ait, *Quodcunq, ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq, solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Sic enim ista verba intelligi debere docuerunt Concilia generalia, quæ supra citauimus; quæq: verissimè dicere poterant, *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Sin autem loqueris de potestate temporalis principatus, quem Ecclesia nunc possidet, & ante annos octingentos possedit: omninò temerè affirmas hanc potestatē Ecclesiæ, neq; necessariam, neque vtilem Deo esse visam. Nam (vt alia nunc omittam) si Deo visum esset, non esse vtilē Ecclesiæ hunc principatum, certè summi Pontifices Zacharias, Adrianus, Nicolaus I. & II. Leo III. & IV. & IX. & alij, qui communi omnium Scriptorum sententia optimi,& sanctissimi,& Deo gratissimi fuerūt, eum principatum non retinuissent, & multò minus pro eo conseruando decertassent. Vtrum autem de iudicio diuino magis credendum sit tot sanctis Pontificibus, quàm vni Barclaio, in dubium certè reuocari non potest.

At rursus instat Barclaius, & argumentum in nos retorquet his verbis: §. *Omitto quòd si ratio illorum bona esset, sequeretur è contrario, Rempubl. temporalem habere potestatem disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi supremum Reipublica Ecclesiastica Principem, quia debet esse perfecta, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum, & habere omnem potestatem necessariam ad finē consequendum. Sed necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi Principem Ecclesiasticum, quia alioqui possent mali Principes Ecclesiastici turbare statum, & quietem Reip. temporalis, & impedire finem ciuilis gubernationis, vt de facto aliquando nonnulli Summi Pontifices perturbarunt: Igitur hanc potestatem habet Respublica temporalis. Consequens planè falsum est, & absurdum (nam Princeps temporalis quatenus talis est, nullam habet potestatem spiritualem) proinde, & illud quoq, falsum est, cui hoc est consequens.*]

Respondeo. Tantum interest inter argumentum quod nos fecimus,& illud quod nunc Barclaius retorquendo facit, quantum distat verum à falso, & bonum à malo: illa enim propositio nostra, *Necessaria est ad finem spiritualem potestas disponendi de rebus temporalibus,* verissima est, quoniam temporalia scilicet ordinantur ad spiritualia, & bona est consecutio, *Ergo Respublica spiritualis potest disponere de temporalibus in ordine ad spiritualia*, quoniam, qui potest consequi finem, potest etiam ordinare media ad illum finem. At propositio Barclaij, *Necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de spiritualibus*; falsa est, quoniam spiritualia non ordinantur ad temporalia, & potestas ordinandi spiritualia ad temporalia non est vera potestas, sed abusio potestatis, & peruersio ordinis: fieri autem non potest, vt alicui Reipublicæ sit necessaria abusio potestatis, vel ordinis peruersio: & cùm necessaria non sit ad finem temporalem consequendum potestas disponendi de rebus spiritualibus; non potest bona esse consecutio, *ergo Respublica temporalis potest disponere de spiritualibus in ordine ad temporalia:* Hoc totum facilè potest intelligi ex similitudine iam sæpius repetita, spiritus, & carnis in homine: potest enim spiritus disponere de sensibus, & membris corporis in ordine ad vitam æternam, indicendo illis continentiam, abstinentiam, flagella, ieiunia, vigilias, labores; & quod maximum est, iubendo carni, vt mortem patiatur pro confessione fidei: non tamen potest caro disponere de intelligentia, & voluntate, neque prohibere actiones orandi & laudandi Deum, & multò minus potest spiritui iubere, vt mortem spiritualem, atque æternam patiatur, pro quocunque temporali bono: quod si fortè spiritus indiscretis laboribus mentis, vt nimis orando, vel meditando lædat corporis sanitatem, peccabit quidem spiritus, sed non ideò poterit caro in spiritum imperium sumere; sed gemendo, & fatiscendo faciet, vt spiritus remittat aliquid de nimio feruore suo. Sic etiam si fortè Princeps spiritualis abutatur potestate sua iniustè excommunicando temporalem Principem, vel eius subditos sine iusta causa ab obedientia eius absoluendo, & eo modo perturbet statū Reip. temporalis: peccabit Princeps spiritualis; sed non poterit tamen Princeps temporalis iudicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem Principē iudicare,& multò minus de Sede sua spirituali deponere. Animaduertit Barclaius infirmitatē argumenti sui; propterea reuertitur ad priorem solutionem, dicens:

§. Sed, vt dici solet, dare absurdum, non est soluere argumentum. Respondeo igitur aliter ad priorem partem huius secundæ rationis, non esse scilicet hic duas Respublicas vt ille retur, sed vnam tantùm, in qua sunt duæ potestates, siue duo magistratus, Ecclesiasticus, & Politicus, quorum vterque habet ea, quibus necessariò indiget ad suum finem obtinendum. alter nempè spiritualem, alter temporalem iurisdictionem: & neque hanc iurisdictionem illi potestati, neque illam huic esse necessariam, alioqui fatendum esset, vtramque potestatem medijs necessarijs fuisse destitutam tunc, cùm separatæ, vt olim fuerunt.]

Respondeo. Hæc non est alia solutio, sed prior repetita; quam solutionem refutaui paulò ante, cùm ostendi, Rempublicam Ecclesiasticam, & Politicam, posse dici duas, & vnam; quoniam distinctæ sunt, & separatæ inueniri possunt; tamen cùm in vnum corpus Ecclesiæ conueniunt, ita vna subordinatur alteri, vt sint duæ partiales, & vna totalis. Neque sequitur, vt quo tempore separatæ erant initio nascentis Ecclesiæ, medijs necessarijs fuerint destitutæ: nam Respublica politica non poterat aliquid detrimenti timere à potestate spirituali, cùm non esset capax censurarum Ecclesiasticarum, quæ in solos Christianos vim habent: & Respublica spiritualis habebat potestatem disponendi actu de rebus temporalibus eorum, qui ad ipsam accesserant, & in potentia eorum, qui accessuri erant. Denique non est verum, potestatem spiritualem, & politicam esse similes duobus Magistratibus, quorum neuter indiget iurisdictione alterius. Nam duo Magistratus pendent à Rege, cuius potestas supereminet vtrique Magistratui, & potest operam dare, vt neuter alterum impediat: at spiritualis & politica potestas, non habent vnam tertiam potestatem in Ecclesia, cui subordinentur, & quæ vtramque in officio contineat. Quare necesse est, vt vna subordinetur alteri, inferior videlicet superiori, temporalis spirituali. Atque ex hac responsione soluta manent omnia, quæ vsq; ad finem capitis Barclaius disputat de officio Cancellarij & Comestabuli amplissimorum Magistratuum, quibus Rex solus imperat. Quod autem Barclaius addit, Principem spiritualem, & Politicum vni Deo subesse, quemadmodum Cancellarius & Comestabulus subsunt Regi: salua fide Catholica admitti non potest. Ecclesia siquidem, quę Regnum Christi est, non solùm Christum pro Domino, & Rege suo agnoscit, sed etiam ex Scripturis sanctis, & traditione Apostolica, & declaratione generalium Conciliorum, & communi Patrum, & Doctorum consensu nouit, vnicum esse in terris Christi Vicarium generalem, qui caput sit visibile visibilis Ecclesiæ. Hunc autem Christi Vicarium, Romanum esse Pontificem in toto suo libro Barclaius admittit: proinde (si Catholicus dici velit) admittere etiam debet, Pontificem & Regem, non esse duos Magistratus immediatè sub Christo: sed Regem Christo & Pontifici, Pontificem soli Christo subiectum esse debere.

CAPVT XVIII.

Defenditur secunda pars rationis secundæ pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

IN capite decimooctauo Barclaius refutare nititur secundam partem secundæ rationis, quæ initio capitis superioris proposita fuit. Argumenti summa hæc est, *Potest vna Respublica, si ab alia Republica iniuriam accipiat, & per eius malam administrationem perturbetur, ac vexetur, armis cogere Rempublicam illam, quamuis aliàs non sibi subiectam, vt mutet formam administrationis suæ; & , si opus sit, potest eius Principem deponere: igitur maiori ratione poterit Respublica spiritualis, si à temporali iniuriam accipiat, atque ab ea perturbetur, & vexetur, imperare Reipublicæ temporali sibi subiectæ, vt mutet formam administrationis, & , si opus sit, poterit etiam Principem temporalem deponere.*

Ad hoc argumentum Barclaius respondet, quod iam ante responderat, non esse duas Respublicas, spiritualem & temporalem, sed vnam cum duabus potestatibus, quarum neutra pendet ab altera. Sed quoniam hanc solutionem videbat non esse solidam: admittit cætum Ecclesiasticorũ, quorum Princeps est Papa, & cætum laicorum, quorum Princeps est Rex, posse dici duas Respub. intra eiusdem Ecclesiæ sinum constitutas: & hoc admisso respondet, priorem Remp. id est, Ecclesiasticorum, non habere arma nisi spiritualia; posteriorem, id est, laicorum, non habere arma nisi corporalia, & ideò non esse similes duabus Rebuspub. quæ armis corporalibus se defendunt, & vna alterã cogit & subijcit.

Sed hęc solutio non est priore solidior, quãuis. n. arma Reipublicæ spiritualis, quibus ipsa per se vtitur, sint spiritualia; tamen arma corporalia sunt etiam in eius potestate, quia gladius est sub gladio, & potest Ecclesia inuocare brachium seculare, & per illud vti gladio corporali. Sed præterea arma ipsa spiritualia possunt cogere Remp. temporalem, & eius Principem, quia potest Princeps spiritualis excommunicare Principem temporalem, & eius subditos à subiectione liberare, & ipsis sub excommunicationis pœna mandare, vt Principem excommunicatum pro Principe non agnoscãt, sed alium sibi eligant, vel legitimo successori adhæreant.

Addit postremò Barclaius, §. *Quid multis? licet illis suam comparationem, conclusionemque concedamus, nihil inde effici potest, nisi Papam habere talem potestatem disponendi de rebus temporalibus Christianorum, & eorum Principes deponendi, qualem vel Rex Franciæ in Anglos, Hispanos, aliosve populos vicinos sibi iniurios, vel horum singuli, in res, Regesq́; Francorum ipsis infestos habere dignoscuntur: quæ qualis, quantaque sit, ferro tantum cerni potest.*]

Respondeo. Comparatio, & ratiocinatio, qua nos vsi sumus in comprobanda Pontificis potestate, non procedit à simili, sed à maiori. hoc enim est quod diximus, si potest ratione solius iniuriæ vna Respublica, aliam non sibi subiectam cogere, & eius Principem deponere: quantò magis poterit Respubl. spiritualis

cogere temporalem sibi subiectam, eiusque Principem deponere, si ab illa tale detrimentum accipiat, vt nō possit alia ratione sibi prospicere, nisi Principem illum remouendo, atq; alium substituendo? Itaque non est similis potestas quàm habet Respub. spiritualis in temporalem, potestati Francorum in Anglos, vel Anglorum in Francos: sed potestati, quam habet spiritus in carnem sibi coniunctam, vel caput in membra sibi adhærentia.

CAPVT XIX.

De sententia S. Bernardi circa potestatem Pontificis Maximi in temporalibus.

IN capite decimonono Barclaius respondere nititur ad testimoniū S. Bernardi ex lib. 4. de Consid. cap. 4. quod testimonium ad confirmandam rationem meam secundam ego adduxeram. Et quoniam S. Bernardus loco notato scribit, gladium materialem exerendū esse manu militis, ad iussum Imperatoris, sed ad nutum Summi Sacerdotis: Barclaius affirmat, per *nutum* non debere intelligi imperium, vel potestatem, sed assensum: felicius enim bella geruntur, cùm ad potestatem Regum accedit assensus Sacerdotum, quorum est iudicare an bellum sit iustum, vel iniustū. Probat autem per *nutum*, non intelligi potestatem, quoniam si fortè Imperator Pontifice dissentiente bellum gerere velit, S. Bernardus nō tribuit Pontifici potestatem vllam in Imperatorem, imò apertè docet, nullam ei potestatem competere, cùm dicat materialem gladium ab Ecclesia exerceri non posse, sed tantùm manu militis, & iussu Imperatoris: & confirmat hanc sententiam suam testimonio Gratiani. 23. qu. 8. in principio, qui scribit, Pontificibus interdictū esse gladium materialem, & solum spiritualem esse concessum.

Respondeo. Vox illa, *nutus*, significare potest assensum, præsertim quando alicui petenti aliquid, annuendo respondemus: sed quādo nutus præcedit alias causas, imperium significare solet, vel potius imperium ita potens, & efficax, vt sine alio expresso mandato, solus nutus ad rem efficiendam sit satis: sic accipitur Gen. 42. vbi dicitur: *Et Ioseph erat Princeps in terra AEgypti, & ad nutum eius frumenta populis vendebantur.* & clarius lib. 2. Reg. c. 17. *Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile.* vbi ridiculū esset, per *nutum*, intelligere assensum; cùm Scriptura loquatur de nutu Dei, qui solus potest corda Regum vertere quocunque voluerit. & 2. Machab. 8. eadem Scriptura de Deo dicit, *Potest vniuersum mundum vno nutu delere.* & Iob. 26. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius:* cui simile est illud Poetæ.

Annuit & totum nutu tremefecit Olympum.

Quod autem hoc loco per *nutum*, intelligat S. Bernardus *imperium*, & non simplicem assensum, perspicuum est ex eo, quòd primo loco inter causas efficientes ponit nutum Pontificis, deindè iussum Imperatoris, vltimò executionem militis: proindè quemadmodum miles ex sententia S. Bernardi exequitur iussum Imperatoris, ita Imperator mouetur ad iubēdum militi ex *nutu*, id est, *iussu* Pontificis. Deindè si

A nutus ille Pontificis esset simplex assensus, non diceret S. Bernardus vtrumq; gladiū esse Pontificis; sed vnum esse Pontificis, alterum Imperatoris. Cùm ergo dicit, *Vterque tuus est, sed non vterque tua manu exerendus*; manifestè docet vtrumque esse in potestate Pontificis; sed vnum ab ipso immediatè, alterum mediatè, id est, per alium; sed nutu siue iussu ipsius exerendum.

§. *Sed quid si Imperator* (inquit Barclaius) *nolit ad nutum sacerdotis gladium stringere? imò quid si planè contra nutum Sacerdotis strinxerit? nunquid aliquam sanctus Bernardus hoc casu potestatem temporalem sacerdoti tribuit in Imperatorem?*]

B Respondeo. Si nolit Imperator ad nutum sacerdotis gladium stringere, vel si contra nutum eius strinxerit, & res sit ad bonū spirituale necessaria, coget illum Pontifex gladio spirituali, id est, censuris Ecclesiasticis, gladium materialem stringere, aut in vaginam recondere: & si censuris non mouebitur, & Ecclesiæ necessitas id requirat, liberabit subditos eius ab obedientia, eique Imperium abrogabit. Ita ostendet gladium esse sub gladio, & vtrunque gladium ad potestatem Ecclesiæ pertinere, quamuis non eodem modo.

At, inquit Barclaius, *sanctus Bernardus nullam temporalem potestatem Pontifici competere posse docet, cùm dicat, materialem gladium (quo verbo summa potestas temporalis significatur) ab Ecclesia exerceri non posse; sed tantùm manu militis, & iussu Imperatoris: quod idem apertius tradit Gratianus Bernardi ferè coætaneus, 23. q. 8. in principio.*

C Respondeo. S. Bernardus solùm docet, gladium materialem non esse exerendum manu Sacerdotali, quod nos libenter fatemur; sed nonnegat, imò potius affirmat, gladium materialem subesse gladio spirituali, & nutu Pontificis exerendum, vel in vaginam esse condendum. Gratianus quoque nihil aliud docet, nisi non licere clericis materiali gladio vti, & homines interficere, quod multis canonib⁹ Pontificum, & Conciliorum confirmat, quæ vera sunt; sed non potest indè colligi, non habere Potestatem vllam in temporalibus.

Adducit postea Barclaius verba S. Ambrosij ex lib. 10. Comment. in Lucam, vbi hæc leguntur: *Lex ferire non vetat: & ideò fortasse Petro duos gladios offerēti, sat est, dicit Christus, quasi licuerit vsque ad Euangeliū, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.* Ex quo

D loco colligit Barclaius, materialem gladium Sacerdotibus, vsq; ad Euangelium fuisse concessum.

Respondeo. Non negamus, vt paulò antè diximus, Sacerdotibus post Euangelium, non licere propria manu gladiū materialem stringere: nisi fortè in defensionem propriam, aut ob aliam causam dispensante Pontifice: vsus enim ordinarius materialis gladij militum est, nō sacerdotum. Nec tamen eo loco S. Ambrosius de solis Sacerdotibus; sed de Christianis omnibus loquitur: & ideò Erasmus hoc loco abusus est ad probandum prohibitum esse bellum Christianis. Cæterùm sanctus Ambrosius, neque Erasmo, neque Barclaio fauet: docet

enim in lege fuisse licitam non solùm defensioné, sed etiam vindictam, in Euágelio defensionem licitam esse, non vindictam: hæc enim sunt eius verba: *ô Domine cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? nisi fortè vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referire* (sic enim legendum est, non *ferire*, vt Barclaius falsò citauit) *non vetat: & ideò fortasse Petro duos gladios offerenti, sat est, dicit, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.* hæc ille, qui non defensionem in Euangelio prohiberi dicit, sed vindictam: & referire non ferire vetitum. Cùm autem S. Ambrosius dicit, *Lex referire non vetat*, respicere videtur ad illa verba Domini Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente; ego autem dico vobis non resistere malo, &c.* Vbi non significatur, licitam fuisse vindictam antiquis auctoritate propria; sed auctoritate Magistratus publici, eamque non vindictæ cupiditate; sed amore iustitiæ: quod idem Christianis licet. Sed Magister bonus hortatur suos ad vitæ perfectionem, vt Ambrosius dicit; quę perfectio in eo consistit, vt radices contentionum extirpent, & supportantes inuicem in charitate non dent occasiones grauioribus malis, vt vulneribus, & cædibus, ob quæ necesse sit, vt publici Magistratus vindictam de malefactoribus sumant.

Addit rursus Barclaius, verba Euangelij de duobus gladijs in sensu literali non significare duas potestates, Ecclesiasticam, & politicam: sed ideò nos non facimus argumētum ex verbis Euágelij, sed ex verbis S. Bernardi, & Bonifacij VIII. qui mysticè Euangelij verba exponentes, per duos gladios duas potestates intelligi docuerunt. Sanctus. n. Bernardus, quē Bonifacius secutus est, duo loca Euangelij simul iunxit, vnum ex c. 18. Ioan. *Mitte gladium tuum in vaginam:* alterum ex c. 22. Lucæ, *Ecce duo gladij hic:* & quidem prior locus ad literam significat, noluisse Christum à Petro defendi gladio materiali, & impediri passionem suam: ideò enim subiunxit, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* posterior locus dependet à verbis superioribus, vbi Dominus dixerat, *Qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium:* existimantes enim Discipuli, Dominum per ea verba iussisse gladios parari, dixerunt, *Ecce duo gladij hic. Dominus aūt ait, satis est*; vel Ironicè, vt exponit Theophylactus, quasi diceret, *Quid sunt duo gladij aduersus cohortem militum armatam?* vel vt alij volunt, *videns eos non intellexisse, imposuit eis silentium dicens, Satis est*, satis loquuti estis, tacete de hac re. Verè enim cùm dixit, *Qui non habet gladiū, vendat tunicam, & emat eum*, non iussit, vt emerent gladios; sed significauit ad eas angustias eos esse venturos, in quib⁹ sunt, qui existimāt, bonū esse vendere tunicam, & emere gladium. Denique cùm Apostoli nō emerint gladios venditis tunicis, signum est, hoc non fuisse illis à Christo mandatum. Sed quidquid sit de expositione huius obscurissimi loci; Sanctus Bernardus, & Pōtifex Bonifacius mysticè; sed appositè, & eleganter, quę dicuntur de duobus gladijs ad duas potestates, Ecclesiasticam, & politicam transtulerunt.

A Rursus Barclaius obiicit: *Admissa hac mystica expositione, non potest colligi gladium esse sub gladio, vel vtrunque in manu Pontificis esse. Sanctus enim Bernardus hoc non dicit, nec potuit sine calumnia dicere.*

Respondeo. Gladium esse sub gladio, Bonifacius apertè dicit: Sanctus autem Bernardus idem dicit; sed aliis verbis: nam cum affirmat vtrunque gladium ad Pontificem pertinere, imò vtrunque ipsius esse, & vnum manu eius, alterum nutu eius euaginandum, satis ostēdit, vnum esse sub alio, materialem videlicet sub spirituali, & vtrunque esse in manu, id est, in potestate Pontificis.

Ad extremum Barclaius gloriatur se subtiliter aliquid in verbis S. Bernardi notasse, quod nescit, an vllus alius antea animaduerterit; cur

B videlicet S. Bernardus dixerit, *Tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus*; ac paulò pòst eadem repetens omiserit illud, *forsitan*. Scribit enim Barclaius distinguendum esse inter Pontificem, vt Pontifex est, & vt talis homo est. Pontifex enim, vt Pontifex, non absolutè, sed *forsitan* annuit, vt gladius euaginetur, id est, tūc solùm, cùm id Ecclesiæ vtile est, cùm sano, & sobrio consilio id iudicauerit expedire: Pontifex autem, vt talis homo est, inimicitias cum alio gerens, vel ambitiosam dominandi cupiditatem explere cupiens, absolutè gladium euaginari mandat.

Sed istam subtilitatem demonstrauit Barclaio non acumen ingenij, neque studium scripturarū; sed odium in Pontifices. certè ea subtilitas S. Bernardo nunquam venisset in mentem: neque enim *forsitan*, opponitur, *absolutè*;

C neq; accipi potest pro, *aliquando*, vel pro, *quando verè expedit*; nisi apud eum, qui peruersus ipse cùm sit, vocabula quoq; ipsa peruertit. Cur ergo initio dixit. *forsitan*, postea repetens omisit? responsio est in promptu: quia initio non posuerat nisi duo quædam, videlicet nutum, & executionem: & quoniam dubitauit, an deceret Pontificem annuere militi, vt gladium vibraret: ideò dixit, *Tuo forsitan nutu, non tua manu euaginandus:* postea verò tria posuit, nutum Pontificis, iussum Imperatoris, & executionem militis, & quia dubium esse non poterat, an deceret Pontificem annuere Imperatori, vt eius iussu miles gladio vteretur, omisit, forsitan, & substituit, sanè: ac de sententia sancti Bernardi satis multa dicta sunt.

D

CAPVT XX.

Defenditur tertia ratio Bellarmini.

IN capite vigesimo, aggreditur Barclaius tertiam rationem principalem Bellarmini, pro confirmanda potestate Summi Pontificis in temporalibus, excutere, atq; refellere. Ratio hæc erat. *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem, aut hæreticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam hæresim, vel infidelitatē: at iudicare, an Rex pertrahat ad hæresim, nec ne, pertinet ad Pontificem, cui est commissa cura Religionis: ergo Pontificis est iudicare, Regem esse deponendum, vel non deponendum.* Huius rationis propositionem tribus argumentis confirmaui; sed Barclaius eandem refellit his verbis.

§. *Quod non liceat Christianis tolerare Regem*

hæreti-

hæreticum, vel infidelẽ, ideò falsum est, quàm quòd falsissimum: alioqui damnanda tota antiquitas, quæ Reges hæreticos, & infideles Ecclesiam Dei destruere conantes submissè pertulit, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, hoc est, non quod deficerentur viribus ad impios Principes exigendos: sed quod id sibi per Dei legem non licere iudicarent.]

Respondeo. Vbi veritas quæritur inter cordatos, & serios disputatores, non vincit ille, qui maiore exaggeratione sententiam suã affirmat; sed qui fortioribus argumentis eam cõfirmat. Barclaius dicit quidem, Propositionem argumenti mei, tam esse falsam, quàm id quod falsissimum est; sed quod dicit nõ probat, nisi ex eo quòd Antiquitas tota Reges hæreticos, vel infideles Ecclesiam destruere conantes pertulit, non solùm propter iram, sed etiam propter conscíẽtiam. At hoc ipsum probare debuisset, videlicet Reges hæreticos, vel infideles Ecclesiam destruere conantes non solùm propter iram, sed etiã propter conscientiã toleratos ab Antiquitate fuisse. Nos enim contra dicimus, eos fuisse toleratos propterea, quod ad eos deijciendos vires Ecclesiæ non suppetebant: Potuisse aũt Ecclesiã, si vires adfuissent, Imò etiã debuisse Regibus illis imperium super fideles abrogare, nisi causa aliqua esset, cur hæc abrogatio in tempus cõmodius differenda videretur: probamus hoc argumento, quod est prima confirmatio propositionis meæ. *Prohibiti sunt Iudæi constituere super se Regem non Iudæum, Deuter. 17. & quia lex illa moralis est, eodem iure prohibentur Christiani constituere super se Regem non Christianum, ne ab illo pertrahantur ad infidelitatem: at eiusdem periculi, & damni est tolerare super se Regem hæreticum, vel infidelem conantem auertere populum à fide: ergo, si vires adsint, tenentur eum non tolerare, sed deponere.*

Ad hoc argumẽtum ita respondet Barclaius, vt admissa propositione, & assumptione, quas negare nõ potuit, solam neget consecutionem: dicit enim nõ rectè colligi ex paritate periculi, & damni, ita ius esse populo Regem deijcere, quemadmodũ ius illi fuit eum non admittere. Id autem non rectè colligi probat tribus argumentis ductis à simili: *nam qui plagas accipit, aut fortunis spoliatur, idem periculum, & damnum accipit siue id à Latrone per vim, siue à Iudice per iniquam sententiam patiatur: & tamen Latroni armis resistere potest, Iudici non potest. Rursus eiusdẽ periculi, & damni est, in nauim cogitatò conscendere, cuius cariuam scis esse quassatam, & illud intrare, quod putas esse bonum, cùm reuera rimosum, ac dissolutum sit: & tamen non est eiusdem peccati ex industria, & ex ignoratione periculo naufragij se committere. Denique eiusdem periculi, & damni est, vxorem ducere valde morosam, & rixosam siue id consultò propter fortunas, aut formam; siue ex errore, & imprudentia fiat: & tamen neq; par peccatum est eiusmodi matrimonio studiosè, vel ignoranter implicari: neque licitum est vxorem repudiare, etiam si licitum fuit eam initio non ducere*]

Ad hæc argumenta respondeo, ea non à simili, sed à dissimili duci, ac per hoc non impedire, quo minus consecutio rationis meæ optima sit. Primum argumentum non ducitur à simili; quoniam populus, ad quem pertinet Regem eligere, non solùm potest, sed debet Regem eligere *de fratribus suis*, vt lex iubet, id est, Christianum, atque Catholicum, & grauissimè peccat, si secus fecerit: qui autem incidit in latrones, potest, si velit, vim vi repellere; sed potest etiam iniuriam illam æquo animo tolerare, & magis apud Deum meretur, si malit iniustè à latrone occidi, quam iustè se defendendo latronem occidere.

Alterum exemplum de ascendente nauim rimosam, cum periculo naufragij faciẽdi, nullam habet cum re, de qua nos agimus, similitudinem: non enim ignoramus nõ esse idem peccatum, si quis ex industria, vel ex imprudentia eidem periculo se exponat: sed quod dicimus est idem, esse peccatũ consultò eligere Regem hæreticum, & consultò tolerare Regem hæreticum, si is conetur populum à veritate Fidei auocare, & ad eum remouendũ vires non desint: nam sicut nunquam licet adire periculum salutis æternæ amittendæ, ita nunquã licet perseuerare in simili periculo, modo possit illud vitari: *qui enim amat periculum, in illo peribit*; Eccl. 3. Tertium exemplum de vxore rixosa, non est etiam multũ ad rem, tum quia, vt modò diximus, disputamus de eo, qui studiosè adit periculum, & studiosè in periculo perseuerat: Aduersarius autẽ ponit exemplum de eo, qui per ignorantiam, aut imprudentiam ducit vxorem rixosam, & de altero, qui sciens, & prudens id facit. Deinde qui duxit vxorem more Christiano, siue prudens, siue imprudens id faciat, nõ potest post matrimoniũ consummatũ vlla ratione ab eo vinculo solui; quod enim Deus coniunxit, nõ potest homo separare: populus autẽ, qui Regem eligit, potest per Pontificiam auctoritatem ab eius obedientia, & iuramento fidelitatis liberari. Itaque si exemplũ aptum, & simile per omnia Barclaius à Matrimonio ducere velit, accipiat matrimonium fidelis cum infideli: quemadmodum enim nõ licet fideli vxorem ducere infidelẽ, quoniam periculum est, ne illum à fide auertat: sic etiam non licet cum vxore infideli perseuerare, non solùm, quia matrimonium illud non est legitimum, sed quia idem est periculum vxorem infidelem ducere, & cum infideli perseuerare. Nam etiam si matrimonium legitimum esset, vt est matrimoniũ infidelis cum infideli: tamen si alter coniugum conuertatur ad fidem, & altera nolit sine iniuria Creatoris viro cohabitare, potest matrimonium ritè contractum ritè dissolui, ex Apostolo in priore ad Corinth. cap. 7. & vsus Ecclesiæ nunc habet, vt propter ingens periculum fidei, non solùm liceat eiusmodi coniugium solui, sed etiam non liceat viro ad fidem conuerso cum infideli coniuge cohabitare.

CAPVT XXI.

Defenditur confirmatio rationis tertiæ principalis.

IN capite vigesimoprimo Barclaius magno studio, nec minore dicẽdi vi refutare conatur alteram confirmationem rationis meæ tertiæ principalis. Confirmatio hæc erat, *Quod si Christiani olim non deposuerunt Neronem, & Diocletianum, & Iulianum apostatam, ac Va-*

lentem

lentem Arianum, & similes: id fuit, quia deerāt vires temporales Christianis: nam quod alioqui iure potuissent id facere, patet ex Apostolo 1. Cor. 6. vbi iubet constitui nouos Iudices Christianos temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram Iudice Christi persecutore. Sicut enim noui Iudices constitui poterunt, ita, & noui Principes & Reges, propter eandem causam, si vires adfuissent.

Hanc confirmationem multis modis reprehendi posse Barclaius dicit: ac primum reprehendit, quod dixerim defectionem virium in causa fuisse, cur Christiani olim non deposuerint Neronem, Diocletianum, Iulianum & Valentem, ac Lectorem remittit ad ea, quæ supra scripsit de hac re, cap. 6. 7. & 8.

Nos quoque Lectorem remittimus ad ea, quę scripsimus cap. 6. 7. & 8. Id solum hoc loco admoneo, quod ego hoc loco dixi, dictum antea fuisse à S. Tho. in 2. 2. q. 12. ar. 2. ad primum. Itaque non me solùm, sed sanctum quoque Thomam Barclaius reprehendit: sed qui legere voluerit loca paulò ante notata, facilè iudicabit à qua parte stet veritas.

Deinde refellere nititur quod dixi, Apostolum iussisse, vt Christiani constituerent sibi Iudices Christianos ciuilium controuersiarū; ex quo deduxi, potuisse eodem modo iubere, vt Principes Christianos sibi Christiani populi eligerent, infidelibus & persecutoribus abrogatis, si vires ad id efficiendum præsto fuissent. Dicit autem Barclaius, Iudices illos de quibus Apostol. loquitur, fuisse meros Arbitros, siue iudices voluntarios, sine imperio; ex quorum constitutione nihil iurisdictionis detrahebatur Principibus Ethnicis, sub quib. tunc Christiani viuebant. Atq; ad hunc sensum confirmandum allegat S. Thom. & Nicolaum Lyranum in commentario ad hunc locum Apostoli.

Ego verò fateor quidem, non habuisse iudices illos Christianos iussu Apostoli constitutos vim coactiuam in foro exteriore, & si Christiani vocati fuissent, siue ab Ethnicis, siue à Christianis ad tribunalia iudicum Ethnicorū, debuisse omninò parere: & hoc est solū quod S. Thom. & Lyranus docent: tamen nego, eos fuisse meros Arbitros, siue Iudices volūtarios: Arbitri enim eliguntur à personis litigātibus, neq; aliam habent iudicandi potestatem, nisi eam, quam litigantes ex pacto inter se inito illis attribuunt. Isti verò cōstituebantur auctoritate publica multitudinis; & obligabantur, qui causas ciuiles habebāt, ad istos adire, & prohibebātur ad tribunalia Gentiliū accedere. Id ex verbis Apostoli facilè probari potest: *Audet*, inquit, *aliquis vestrum negocium habens aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* Vbi ostendit, non esse bonū adire tribunalia Iudicum Gentilium, quos *iniquos* vocat: & sic loquitur de vero iudicio, non de solo arbitrio, cùm prohibet iudicari apud *iniquos*; ita loquitur de vero iudicio, cùm iubet iudicari apud *sanctos*, id est, Christianos. Addit Apostolus, *An nescitis quia sancti de hoc mundo iudicabūt? & si in vobis iudicabitur Mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia?* Vbi demōstrat auctoritatem Ecclesiæ, quæ iure suo potest de secularibus rebus iudicare, cùm sit iudicatura cum Christo totum Mundum, & ipsos Angelos apostatas in die vltimi iudicij: & certè Christus, & Ecclesia nō iudicabunt vt arbitri, sine imperio, & iurisdictione Mundum. Sequitur: *Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Vbi concludit ex dictis, vt quoniam malū est iudicari apud iniquos Gentiles, & Ecclesia auctoritatem habet iudicandi, communi consensu constituant aliquos de Ecclesia, qui sint Iudices eiusmodi seculariū controuersiarum, & non dicit vnusquisque eligat sibi arbitros: sed vos congregati in vnū constituite Iudices. *Monet* (inquit Card. Caietan. in hunc locum) *vt sapiens aliquis constituatur Iudex multitudinis fratrum.* adiungit, *Ad verecundiam vestrā dico, sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suū, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.* Vbi declarat quod dixerat, *contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum*; se non dixisse, vt re vera sapientibus relictis, insipientes cōstituerent ad iudicandū: sed vt eos confunderet, qui sic adibāt tribunalia infidelium, quasi nullus esset in Ecclesia vir sapiēs, qui Iudex constitui posset; cùm contra deberent *contemptibiles*, id est, infimi Christiani aptiores esse ad iudicandum, quam supremi & sapientissimi infideles. Iam verò ex hoc principio, quod videlicet Apostolo teste, habeat Ecclesia ius, & auctoritatem constituendi sibi Iudices; rectè colligunt Theologi, atq; in primis S. Thomas in 2. 2. q. 10. art. 10. habere eandē Ecclesiam auctoritatem abrogandi Principibus infidelibus imperium super fideles. Neque obstat, quod S. Ioannes Chrysost. hunc locum exponens, mentionem faciat *Arbitri*. Nam neque ipse, neque alius interpres, quod sciam, dicit Apostolum hic loqui de *Arbitris* electis à partibus: sed solùm Chrysostomus dicit, non esse necessariam magnam sapientiam *Arbitro* controuersiæ inter fratres. Vbi vocat Iudicem, *Arbitrum* controuersiæ, quamuis publicam haberet iudicandi potestatem. Quomodo Iustinus initio historiæ scribit, arbitria Principum pro legibus erant: quamuis enim Principes veri Iudices essent, tamen eorum iudicia vocata sunt arbitria, quia non iudicabant ex præscripto legum, sed ex naturali suo iudicio: sic etiam Iudices ab Ecclesia constituti in causis ciuilibus Christianorum, veri Iudices erant, sed non tenebantur legum ciuilium apices sequi, ideò à Chrysostomo *Arbitri* dicti sunt.

Sed contradicit Barclaius, atque ait, *§. Nihil iubet Apostolus eo loco, quod iudicium infidelium, iurisdictionem, & imperium in Christianos aut tollat, aut minuat, aut ei aliquo modo præiudicet. Imò verò nihil contra eiusmodi subiectionem iustè iubere potuit, cùm sit iuris naturalis, Dei auctoritate confirmati teste S. Ambrosio, ipsemet Apostol. docet ad Rom. 13.*

Respondeo. Non præiudicat Apostolus per illā Iudicum Christianorum constitutionē iurisdictioni, & Imperio Principum infidelium; quoniam non iubet Christianis, vt non compareant coram Iudice infideli, si vocentur: sed

tantum

tantum præcipit, vt sponte non accedant. Sed quod non potuerit Apostolus eximere Christianos à subiectione Principum infidelium, si id vtile, vel necessarium censuisset, & vires ad perficiendum habuisset: id sine graui errore dici non posse arbitror: & ratio, quam pro sua sententia Barclaius profert, omninò infirma est. Nam iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati est, vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: sed non est iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati, vt nó possit sublimior potestas per aliá sublimiorem tolli de medio, & per hoc fieri vt ei subiectio, & obedientia non amplius debeatur. Siquidem Magistratuum quoque inferiorum potestati iure diuino parendum est, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: & tamen potest Magistratus inferior per Principem tolli, aut mutari, & tunc personæ illi, cui Magistratus abrogatus est, nemo iam subiectionem, aut obedientiam debet. Sic etiam vel Rex, vel à suprema spirituali potestate in casu hæresis, vel ab alio Rege in casu victoriæ de solio deponitur, non amplius ad illum pertinet, quod Apost. ait, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Idem dici potest de patria, & despotica potestate: nam iuris naturalis à Deo cófirmati, & ab Apostolo declarati ad Ephes. 6. est, vt filij obediant parentibus, & serui dominis; & tamen filij emancipari, & serui libertate donari possunt, & per hoc fieri potest, vt nec illi parentibus, nec isti Dominis suis obedire teneantur. Itaque nisi Barclaius naturalis iuris, à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati esse demonstret, vt Principes seculares, siue fideles, siue infideles in certis casibus, per Ecclesiasticam auctoritatem deponi non possint: nihil quod ad rem faciat, adhuc dixit, quantumuis multis verbis sæpè, ac sæpius repetitis sententiam suam in hoc capite persuadere conatus sit.

Addit postea Barclaius aliam solutionem nihilo priore solidiorem. § *Præterea, inquit, si quis locum illum Apostoli non limis oculis percurrerit, animaduertet eum id sibi negotij dare, vt ad Euangelicam perfectionem, quæ consilij magis, quam præcepti est, Christianos animos erudiat, cùm eos hortetur, vt potius iniuriam ferant, & fraudem patiantur, quam vt iudicia inter se habeant, &c.*

Respondeo, cùm Apostolus hortatur, vt Christiani iudicia inter se nó habeant, sed mansuetudine & patientia occasiones iudiciorum præueniant, consilium perfectionis, non præceptum iustitiæ docet: sed cum iubet, vt si iudicia inter se habuerint, ad Iudices Christianos, non ad infideles causas suas deferant; tùm verò non consilium, sed præceptum dare se luculenter ostendit, cùm ait, *Audet aliquis vestrum negotium habens aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos?* &, *Contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad iudicandum.*

Pergit Barclaius, & omisso Bellarmino sanctum Thomam aggreditur dicens: § *Quoniam autem singula persequimur, admonere oportet, D. Thomam in 2. 2. q. 10. art. 10. in ea opinione esse, vt existimet ius dominij, & prælationis Ethnicorum Principibus iustè illis auferri posse per sententiam, vel*

A *ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis vt ille ait. D. Thomæ magna apud me auctoritas est, sed non tantum, vt omnes eius disputationes pro canonicis scripturis habeam, vel vt rationem vincat, aut legem. Eius ergo manes veneror, & suspicio: sed non est tamen, cur illa eius opinione aliquis moueatur: tum quia nullam suæ sententiæ, vel rationem idoneam & efficacem, vel auctoritatē prefert: tum etiam, quia in explicatione Epistolæ Pauli ad Corinthios contrarium planè sentit: tum deniq; quia neminem secum antiquorum Patrum cōsentientem habet, & rationes multæ, auctoritatesq; in contrarium suppetunt. Ratio autem quam adfert, est, quia infideles meritò suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Mala ratio & tanto viro indigna: quasi verò si quis meretur priuari officio, beneficio, dignitate,* B *auctoritate, alioue iure, quod possidet, idcircò statim spoliari possit ab alio, quam ab eo, à quo id accepit, retinetq;, vel ab alio expressum mandatum & potestatem ab ipso habente.*]

Respondeo. Admiranda est huius Aristarchi importunitas, qui tam liberè Principem Theologorum reprehendit, vt dicat, *Mala ratio & tanto viro indigna*; cùm ipse Iureconsultum se profiteatur, & sacræ Theologiæ adyta, ne à limine quidem salutauerit. Illud autem non miror; quod *manes* Sanctæ Thomæ se venerari dicat: nam liber eius vocabulis improprijs plenissimus est: neque enim spiritus huius sanctissimi Doctoris cum *Dijs manib⁹* apud inferos, sed cum Angelis apud superos æuo sempiterno fruitur. Quod verò Barclaius dicit S. Thomę sententiam nulla efficaci ratione esse munitam, falsum est; quamuis sit verum, C vim rationis S. Thomæ ab ingenio Barclaij penetrari minimè potuisse. Quod autem addit, eundem sanctum Thomam in Commentario epist. ad Corinth. contraria scripsisse; manifestæ ignorantiæ Barclaium arguit. Siquidem in eo Commentario scribit quidem S. Thomas, esse contra ius diuinum prohibere, quod iudicio Principis infidelis non stetur, &, subiectionem deberi Principibus etiam infidelibus: quæ verissima sunt; sed ex ijs non sequitur, non esse in Ecclesia auctoritatem priuandi Principes infideles dominio, quod habent super fideles: proinde illa non sunt contraria, *Debetur subiectio Principi infideli, dum Princeps est*: &, *Potest Princeps infidelis priuari dominio, quod habet super fideles per auctoritatem* D *Ecclesiæ:* Et Barclaius, qui ea contraria esse iudicat, vel dialecticam non didicit, vel eius regulas obliuioni tradidit: quemadmodum etiam paulò infrà cum idem Barclaius dicit.

§. *Et verò S. Thomas in expositione Epistolæ Pauli superius hoc capite relata, satis apertè indicat, Ecclesiam non habere eam auctoritatem, qua possit Ethnicos deponere: ait enim esse contra ius diuinum prohibere, ne Principum infidelium iudicio stetur à subditis.*] Manifestè hallucinatur, & fallitur: tametsi enim contra ius diuinum est, negare Principi obedientiam, dum Princeps est, non tamen est contra ius diuinum, quod Ecclesia potestatem habeat Principem deponendi: nam est etiam contra ius diuinum prohibere filios ne parentibus obediant, dum sub patria

potestate sunt; nec tamen est contra ius diuinum, quod aliquando filij eximantur à patria potestate, vt re ipse eximitur filiusfamilias cùm ad Episcopale fastigium euehitur. Porrò illa sancti Thomæ ratio. *Infideles merentur ratione sua infidelitatis potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei: ergo potest Ecclesia priuare Principes infideles dominio, quod habent super fideles:* non est adeò debilis ratio, vt Barclaius dicit, sed verè debile argumentum est, quo S. Thomæ rationem Barclaius oppugnat: hoc enim est argumentum Barclaij, *Merentur infideles amittere potestatem super fideles, sed non potest eos potestate priuare, nisi qui dedit eam potestatem, aut qui mandatum expressum ab illo habeat. At Principes à Deo potestatem habent, & solo Deo sunt minores; ergo à solo Deo priuari potestate possunt: non autem ab Ecclesia, quæ neque dedit potestatem infidelibus, neque habet expressum mandatum Dei, quo illam auferre debeat, aut possit.*]

Hoc, inquam, argumentum nullas vires habet: nam falsum est, Principes politicos à solo Deo potestatem habere: habent enim illam à Deo, quatenus Deus instinctum naturalem in animis hominum inseuit, vt ab aliquo gubernari velint. Vt autem gubernentur homines à Regibus, vel à consulibus; ab vno, vel à multis; à magistratu perpetuo, vel temporario, ab hominum voluntate dependet: quemadmodũ etiam quod iste sit Rex potius, quam ille, non Dei specialis iussio, sed hominum voluntas fecit: quare idem S. Thom. loco citato, 2. 2. q. 10. art. 10. & quæst. 12. art. 2. tamquam rem certam, & exploratam ponit, dominia, & Principatus politicos, non esse de iure diuino; sed de iure humano: cùm nemo doctus contradicit, neq; Barclaius contradiceret, si rationem non passionem in consilium adhiberet.

Præterea etiamsi concederemus, Regem esse immediatè constitutum à Deo, & ab illo solo potestatem habere, quod tamen nos concedimus, adhuc argumentum Barclaij nihil efficeret aduersus rationem S. Thomæ: responderet enim S. Thomas, Ecclesiam habere auctoritatem à Deo per suum Rectorem, & Pastorem auferendi potestatem in certis casibus, illis, quibus Deus eam dedit: Summus enim Pótifex Vicarius Dei est, ac per hoc potestatem habet à Deo dispensandi, & mutandi in multis, secundùm voluntatem Dei, cuius ipse interpres est: hoc enim modo dispensat Pontifex in votis, & iuramentis, quæ Deus ipse iussit reddi, & quorum solutio de iure diuino est: dispensat autem, non quod sit ipse super ius diuinum; sed quia interpretatur Deo placere, vt in tali, vel tali casu, iuramentum aut votum relaxetur: quemadmodum & Apostolus ait in posteriore ad Corint. cap. 2. *Nam & ego, quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi.* Vbi dicit in Persona Christi condonasse Corinthio incestuoso pœnam, quam diuino iure, vel in hac vita, vel in Purgatorio luere debuisset: atque hoc est, quod S. Thom. in loco notato dicit, Ecclesiam habere auctoritatem Dei, qua Principes infideles priuare posit dominio, quod habent super fideles.

Deinde Barclaius, vt nihil intactum relinquat: carpit etiam illud, quod S. Thom. in eodem art. 10. qu. 10. in 2. 2. dicit; Ecclesiam non semper vti iure suo in deponendis Principibus infidelibus, ad vitandum scandalum: quemadmodum Dominus soluit didrachma, ad quod non tenebatur, ne scandalizaret eos, qui censum illum colligebãt; & Apostolus monet seruos obedire Dominis carnalibus, ne doctrina Domini blasphemetur.

§. *Non solùm*, inquit Barclaius, *propter scandalum abstinuit, vt putat Thomas eo loco, sed propter defectum potestatis, quia non erat Iudex infidelium, secundum illud Apostoli* 1. Corint. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare? & quia Principes à Deo constituti, solum Deum supra se Iudicem habent, à quo solo deponi possunt. Nec ad rem pertinet, quod Paulus tum iubet, seruos Christianos Dominis suis infidelibus omnem honorem exhibere, illud solum addit, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.*]

Respondeo. Intolerabilis est huius morosi censoris carpendi, & vellicandi libido: Sanctus enim Thomas cùm ait, Ecclesiam non vti suo iure propter scandalum: non addit particulam, *solùm:* quare si sint etiam aliæ causæ, non ideo reprehendi debet S. Doctor, qui vnam causam, eamque verissimam attigit, & illam ipsam, quã in simili causa Christus ipse, & eius Apostolus attigerunt: nam neque Dominus dixit propter solum scandalum à se solutum fuisse didrachma, neque Apostolus iussit honorandos esse Dominos à seruis, ea solum de causa, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur. Quod autem addit Barclaius, Ecclesiam non habuisse potestatem vllam in Principes infideles, quia scribit Apostolus, *quid ad me de his, qui foris sunt, iudicare?* non est contra sanctum Thomam, qui in 2. 2. q. 12. art. 2. declarat hunc locum Apost. intelligi de infidelibus, qui nunquã fidem receperunt, quatenus infideles sunt, non quatenus dominantur fidelibus: ob solã enim infidelitatem Ecclesia non potest infideles iudicare; quia ad eius regimen non pertinent. Sed quando dominantur fidelibus, & præsertim quando subditos fideles auertere conantur à fide: tunc Ecclesia ius habet illos priuandi dominio, quod habent super fideles. Sed non semper vtitur iure suo, vel quia vires non adsunt, vel ob scandalum euitandum. Quod verò dicit, Principes à Deo esse constitutos, & nullum præter Deum super se iudicem habere, antiqua est cantilena Barclaij vsque ad nauseam repetita, & in ipso capite, atque in superioribus refutata.

In extremo ca. Barclaius S. Thoma dimisso reuertitur ad Bellarminum, quem ex proprijs scriptis conuincere se posse dicit; producit autem verba quædam ex lib. 2. c. 29. de Summo Pontifice, vbi cum Alberto Pighio admittit, Apostolos subiectos fuisse de iure, & de facto Principibus infidelibus in ciuilibus omnibus causis: & Principes infideles, non fuisse Apostolis subiectos, neque de iure, neque de facto. Ex quo loco deducit Barclaius, Bellarminum sensisse, non habuisse illis temporibus Ecclesiam ius vllum ad deponendos Principes infideles.

Respondeo. Iam in recognitione scripto-

rum

rum meorum admonui, improbabilem esse sententiam Pighij, quam ego quoque olim sequutus fueram, & cum melioribus Doctoribus sentiendum esse, Apostolos de iure exemptos fuisse ab omni subiectione Principum terrenorum. Sed quamuis etiam vera esset sententia Pighij, non tamen sequeretur, non habuisse tunc Ecclesiam ius priuandi Principes infideles dominio, quod habebant super fideles. Diceret enim Pighius Ecclesiam, & ipsos Apostolos subiectos fuisse Principibus infidelibus, quamdiu Principes erant: sed si ab Ecclesia auctoritatem Dei habente, priuati fuissent, tunc demum non fuisse amplius de iure subiectos. Nam & populus subiectus est Regi, quamdiu regnat, sed si ab alio Rege victus in prælio, regnare desierit, non amplius illi subiectus erit.

A

B

Adducit postremò Barclaius aliud Bellarmini dictum in eodem lib.2. de Pontif. cap.29. Quod videlicet, iudicare, punire, deponere ad superiorem tantum pertinet. Quod quidem dictum verissimum est; sed tamen ex eo Barclaius secundum Dialecticam suam hunc syllogismum texit.

§. Subiecti non possunt iure iudicare, punire, deponere superiorem: Atqui omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano, & cæteris Imperatoribus, & Regibus Ethnicis: ergo non poterant eiusmodi Imperatores & Reges deponere. Propositio concessa est, itemq́; subsumptio, & certißima veritate nituntur: conclusio autem ex antecedentibus consecutione pendet, atque ex diametro opponitur ei, quod dixit Bellarminus, Christianos olim iure potuisse deponere Neronem, Diocletianum, &c. sed quia viribus temporalibus deficiebantur, eo consilio abstinuisse: Falsum igitur illud est, & reprehensione dignum: siquidem aientia, & negantia simul vera esse nequeunt. Hinc etiam patet falsitas opinionis D. Thom. quam supra hoc capite refutauimus.]

C

Respondeo. Magnus omninò Magister in arte Dialectica Barclaius est, qui vnico syllogismo; non solùm Bellarminum prostrauit, sed S. Thomam etiam, qui Doctoris Angelici cognomento ob eximium sapientiæ splendorem meritò celebratur. Ad syllogismum eius in forma sic respondeo. Propositio illa, *Subiecti non possunt iure deponere superiores*; vera est, sed deberet esse vniuersalis, vt syllogismus legitimus esset: & præterea intelligi debet formaliter, id est, subiectus, vt subiectus, siue quam diu subiectus est, non potest deponere superiorem, vt superiorem, siue quam diu superior est. Assumptio autem illa, *omnes Christiani erant subiecti Neroni, Diocletiano*, &c. falsa est, quoniam Apostoli, eorumq́; successores, qui Principes erant spirituales, non erant iure subiecti Regibus terrenis. Deinde populus Christianus, etiam si alioqui subiectus esset Regibus, & Imperatoribus infidelibus, tamen in casu periculi amittendæ fidei diuinæ, poterat iure iustæ defensionis excutere iugum Principis infidelis: præsertim si Ecclesia per Summos Pontifices, ita faciendum esse censuisset. Ex his sequitur conclusionem Barclaij esse manifestè falsam, & doctrinam S. Thomæ, ac Bellarmini, qui S. Thomam sequutus est, esse verissimam.

D

CAPVT XXII.

Defenditur altera confirmatio rationis tertiæ principalis.

IN capite vicesimosecundo Barclaius oppugnat confirmationem secundam rationis tertiæ principalis, quam in meo libro posui ad probandam Summi Pontificis potestatem in temporalibus. Hæc autem erat confirmatio. *Tolerare Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad suam sectam, est exponere Religionem euidentißimo periculo. At non tenentur Christiani, imò nec debent cum euidenti periculo Religionis, Regem infidelem tolerare: nam quando ius diuinum & humanum pugnant, debet seruari ius diuinum omisso humano: de iure autem diuino est seruare veram fidem & Religionem, quæ vna tantum est, non multa: de iure autem humano est, quod hunc aut illum habeamus Regem.*]

Ad hanc confirmationem respondet primò Barclaius, argumentum non esse in forma syllogismi, sed hoc cauillari est: nam neque ego volui, nec cogitaui redigere argumentum ad formam syllogismi, quod vel ex eo potest intelligi, quòd non expressè posui cōclusionem, & multa inserui ex scriptura sacra, ex prophanis auctoribus, & ex experimentis veteribus & nouis, quæ Barclaius omisit. Deinde omissa cauillatione de forma syllogismi, vim ipsam argumenti retundere conatur, dicens:

§. Demus eum optima forma ratiocinationem confecisse, & ad vim argumenti respondeamus. Dico igitur propositionem eius falsam esse, dico, inquā, non verum esse quod tolerare Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad sectam suam est exponere Religionem euidentißimo periculo, sed est tantùm pati Religionem versari in periculo, in quod incidit vitio Regis hæretici, aut infidelis, & cui iam sine culpa populi exposita est: cùm nullum eius liberandæ iustum, & legitimum remedium, præter constantiam, & tolerantiam, populo superfit.]

Respondeo. Quando non suppetunt vires Ecclesiæ excutiendi iugum infidelium Tyrannorum, vt verè temporibus Neronis, Diocletiani, Constantij, Iuliani, & Valentis non suppetebant: tùm verum est, tolerare Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere populum ad sectam suam, nō esse Religionem exponere periculo, sed pati eam in periculo versari: sed quando vires suppetunt, & potest Ecclesia, si velit, per auctoritatē Vicarij Christi priuare Regem hæreticum, vel infidelem dominio, quod habet super fideles: tùm si non faciat, verè, proprieque exponit Religionem euidentissimo periculo, cùm nolit adhibere remedium, quod in promptu habet, nisi fortè ratio suadeat, hoc remedium ad tempus differre, & alia leniora interim experiri.

Quod autem hic subiungit Barclaius, facillimum fuisse Christianis olim deponere Iulianum, Constantium, & Valentem; iam supra copiosè refutatum est cap.6.7.& 8. neque libet Barclaium imitari in ijsdem rebus sæpius repetendis.

Pergit Barclaius, & ait, *§. Iam verò ad illud, quod deducit ex pugna iuris diuini, & humani,*

respondeo breuiter, *illum valde falli in eo, quòd putet esse ibi concursum, & conflictum diuini iuris, & humani: non sunt enim pugnantia, seruare veram fidem, & Religionem; & tolerare Regem hæreticum, vel infidelem: neque alterum de iure diuino est, alterum de iure humano, vt ille putat; sed sunt duo præcepta iuris diuini, colere Deum vera Religione, & seruire, atque obedire Regi, quæ simul seruari, & expleri possunt, vt ipsimet Iesuitæ docent.*]

Respondeo. Non ignorabam, seruire, & obedire Regi, esse iuris diuini; & ideò non hoc negaui in meo libro: sed dixi, iuris humani esse, vt hunc, aut illum habeamus Regem; iuris autem diuini, seruare veram fidem, ac Religionem: quamuis enim iure diuino teneamur Regi parere, dum Rex est; non tamen iure diuino cauetur, vt Regi nullis de causis Regnum abrogari possit: alioqui quotquot ab exordio Mundi Regnis exuti sunt, omnes per iniuriam exuti fuissent: neque vlla esset Respublica, aut penè nulla iure instituta: Respublicæ siquidem vt plurimum exactis Regibus constituuntur. Hoc est igitur quod dicimus, vt ius diuinum seruetur de conseruanda vera Religione, fas esse aliquando mutari ius humanum, & transferri Regnum ab infideli ad fidelem, quando vel non possit, aut vix possit alia ratione vera conseruari Religio.

At rursum excipit Barclaius. §. *Id quidem*, inquit, *totum verum est, iure videlicet humano fieri, vt hic aut ille sit Rex. Sed caue lector, ne capiaris. Omisit Bellarminus, quod est præcipuum: addere enim debuit, At vbi hunc aut illum Regem semel habemus, de iure diuino est, vt illi in ciuilibus causis cum omni honore, & reuerentia pareamus. Hac adiectione, quam nemo Catholicus negare potest, illud eius argumentum prorsus eliditur.*]

Respondeo. Iam ante docui, Vbi hunc, vel illum Regem semel habemus, iure diuino illi parendum esse, dum in solio præsidet. Sed non esse de iure diuino, vt semper, dum viuit, in solio regali præsideat: nam fieri potest, vt vel ipse se abdicet potestate, vel ab alio Rege superatus cadat à Regno, vel hæresis causa deponatur, & quocunque modo Rex esse desinat, obedientia quoque ei deberi desinit.

At, inquit Barclaius. §. *Ex Bellarmini sententia, lib. 2. de Pontif. cap. 29. non licet Concilio iudicare, punire, vel deponere Papam nitentem turbare, & destruere Ecclesiam Dei; sed tantùm ei resistere non faciendo, quod iubet, & impediendo ne exequatur voluntatem suam. Cur non similiter, & potiore etiam ratione idem de Regibus etiam censeamus? cùm & ipsi sint populis (teste eodem auctore, lib. 1. de Pontif. cap. 9. & lib. 3. cap. 19.) superiores, & Iudicem in terris nullum habeant? cumque præterea nonnullis magni nominis Theologis visum sit, Concilium Oecumenicum maiore supra Papam auctoritate præditum esse, quàm habeat populus in Principem?*]

Respondeo. Si Pontifex Maximus hæreticus fieret, & Ecclesiam destruere, abducendo eam à fide Catholica, niteretur; sine dubio deponi, aut certè depositus declarari à Concilio posset, vt colligitur ex Canon. *Si Papa*; dist. 40. & hoc neque Bellarminus, neque vllus Catholicus negat. quare ex hoc ipso potuisset Barclaius intelligere, non esse mirum, si Reges propter hæresim deponi possint, quamuis non habeant in temporalibus superiores, cùm Papa propter similem causam deponi possit, qui neque in temporalibus, neque in spiritualibus superiorem habet in terris. Quod autem scripsi in lib. 2. cap. 29. Pontificem non posse iudicari, aut deponi à Concilio, intelligitur extra causam hæresis, si vita solùm, & moribus Ecclesiam perturbare, atque destruere velle videretur. Est autem discrimen inter Pontificem, & Regem; quòd Pontifex nullum omninò in terris superiorem habet, cùm sit ille seruus principalis, quem posuit Dominus super omnem familiam suam, Luc. 12. de quo idem Dominus eodem loco dicit, quod si seruus ille malè se gesserit, & cœperit percutere seruos, & ancillas, manducare, & bibere cum ebriosis: veniet Dominus in die, qua non sperat, eumque seuerissimè puniet: proindè non vult Dominus, vt à familia, vel aliquo de familia puniatur; sed ipse Dominus iudicium de seruo illo sibi reseruat. Rex autem, qui non immediatè à Deo Regnum accepit; sed populus in eum potestatem suam transtulit: & præterea si Christianus est, aut fuit, Pontifici, vt ouis Pastori, subiectus est, & quamuis non habeat in temporalibus superiorem aliquem temporalem; habet tamen superiorem spiritualem, cuius potestas ad temporalia etiam se extendit: ideò deponi à Summo Pontifice, vt Christi Vicario potest. Quod si aliqui viri docti senserunt, Concilium esse supra Papam, magis quàm Regnum supra Regem; non multum de eorum sententia laboramus, cùm ex Scripturis, & Conciliorum etiam generalium decretis contrarium colligatur: de qua re satis multa scripsimus in secundo libro de Concilijs.

Sed fortè quæret aliquis, *si Papa nullum omninò superiorem habet in terris: quo iure deponi potest à Concilio, vel Ecclesia propter hæresim?* Responsio est in promptu, quoniam cùm propter alia crimina eijciantur homines per excommunicationem ab Ecclesia, hæretici per se exeunt, & recedunt, & ipsi se quodam modo excommunicant; vt sanctus Hieronymus notauit explicans illa verba Apostoli ad Titum cap. 3. hæreticum esse proprio iudicio condemnatum. Itaque si Pontifex, quod fieri non posse arbitror, hæreticus, vel infidelis, vel Apostata fieret, non tàm deponendus, quàm declarandus depositus à Concilio esset.

CAPVT XXIII.

Defenditur tertia Confirmatio tertiæ rationis principalis.

IN capite vicesimotertio Barclaius refellere nititur confirmationem tertiam rationis meæ tertiæ principalis: hæc autem est confirmatio:

Denique cur non potest liberari populus fidelis à iugo Regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem; si coniunx fidelis liber est ab obligatione manendi cum coniuge infideli, quando ille non

vult

vult manere cùm coniuge Christiana sine iniuria fidei, vt apertè deducit ex Paulo 1. Cor. 7. Innocentius III. in cap. Gaudemus, extra de diuortijs? non enim minor est potestas coniugis in coniugem, quam Regis in subditos, sed aliquanto etiam maior.

Ad hanc confirmationem Barclaius ita respondet, vt videatur de industria intelligere noluisse, in quo vis rationis consistat: idque ea de causa facit, vt occasionem habeat, multa scribendi, vel doctrinam suam ostentandi, vel librum suum locupletandi. Sed prudens lector facilè animaduertet eum extra rem vagari. Initio enim fingit me loqui de coniugio inter fideles contracto, quorum alter postea in hæresim labitur: quod matrimonium omninò insolubile est, & non rectè comparari potest cum vinculo, quod est inter Regem, & populum.

Sed mihi nunquam venit in mentem de matrimonio eiusmodi loqui. Igitur locutus sum de matrimonio contracto inter infideles, quorum alter cum ad fidem conuertitur, liber est à cohabitatione, & à iugo coniugis infidelis. Quod autem de hoc matrimonio locutus sim, planum est ex Apostolo, & Innocentio, quos citaui: non enim Apostolus, aut Innocentius liberum pronunciant à coniugio eum, qui cõtraxit post baptismum cum fideli, sed eum qui contraxerat ante baptismum cum infideli, & postea conuersus est ad fidem coniuge in infidelitate permanente.

At, inquit Barclaius, *tu non dixisti coniugem fidelem liberum esse à iugo, aut vinculo, sed ab obligatione manendi cum coniuge infideli.*

Respondeo. Me dixisse, quod Apostolus dixit, & intellexisse, quod Apostolus intellexit. Apostoli verba hæc sunt: *Si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.*

Vbi loquitur de obligatione cohabitandi, quemadmodum & ego loquutus sum; sed non intellexit Apostolus per libertatem ab obligatione cohabitandi, solam libertatem ab obligatione cohabitãdi, manente vinculo, & iugo coniugij; sed plenam libertatem cum potestate ineundi aliud coniugium, soluto vinculo, & iugo coniugij prioris: & hoc eodem modo verba mea intelligi volui, quo modo verba Apostoli intelligunt omnes Theologi. Itaq; poterat Barclaius omittere plus quam partem dimidiam huius capitis xxiij.

Accedit deindè propius ad rem, sed vt argumentum soluat, implicat se grauissimo errori; sic enim loquitur:

§. Quod si de posterioribus coniugibus argumentum intelligat, in promptu responsio est ex eadem Innocentij Epistola decretali: nimirum inter tales coniuges, non esse ratum matrimonium, quantum ad indissolubile coniunctionis vinculum attinet: & ideò eiusmodi coniuges plenam dissoluendi matrimonij libertatem habent, vt vel mutuo consensu, & bona gratia, vel cum ira sui animi, & offensa discedant: & alter inuito altero, vbi ei libitum fit;

A *nexum illum coniugij per repudium, & diuortium dissoluat. & infra: Non mirum ergo si coniux ad fidem perductus à coniugis in infidelitate permanẽtis consortio, & potestate liber fit: cùm etiamsi ambo in infidelitate mansissent, æquè liberum alterutri eorum fuisset ab altero recedere & matrimonium repudio dissoluere; quia nullum initio inter eos ratum, & firmum obligationis vinculum intercessit. & infra. Cùm itaque nullum inter istos ratum coniugium existat: & subiectio politica, & regalis dominatio inter omnes gentes, & in omni lege, tàm iure diuino, quàm humano rata, & probata sit: quid absurdius, aut ineptius dici potest, quàm illa inter se componere, & argumentum aliquod ab infidelium coniugum societate, & iugo, quod excuti pro arbitrio potest, ad Regalis imperij iugum repellendum deducere, & id[...]e vtroque quasi de planè similibus iudicare.*

B Respondeo. Mirum [...], cùr tantus Iureconsultus ex vno verbo Innocentij malè intellecto in tãtum errorem se præcipitauerit. nàm quod ait Innocentius in cap. *Quanto*, de diuort. matrimonium infidelium non esse ratum, non significat, esse solubile ad libitum; sed non esse insolubile omninò, vt matrimonium fideliũ: solùm enim solubile est in casu Apostoli, ipso Apostolo declarante in ea re voluntatem Dei. Quod autem matrimonium infidelium legitimè contractum sit firmum, & insolubile, excepto illo casu, perspicuum est, primo ex ipso Innocentio in cap. *Quanto*, iam citato: Vbi dicit, Matrimonium infidelium esse verum: matrimonium autem verum definitur, *Coniunctio viri, & feminæ indiuiduam vitæ consuetudinem*

C *retinens*, cap. *Illud*, de præsumptionibus. Vbi Canonistæ communiter eam definitionem approbant, vt etiam Theologi apud Magistrum in 4. sent. dist. 27. Secundò idem Innocentius in cap. *Gaudemus*, de Diuort. expressè docet; repudium etiam apud infideles non esse licitum: quod idem habetur in Can. *Si quis Iudaica* 28. quæst. 1. vbi dicitur apud infideles valere repudium lege fori, non lege poli. Tertiò Cõcilium Tridentinum sess. 24. in principio: *Matrimonij*, inquit, *perpetuum, insolubilemque nexum primus humani generis parens diuini spiritus instinctu pronuntiauit, cùm dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et certè

D Adam non de matrimonio tantùm Christianorum, sed de matrimonio in genere locutus est: proindè omne verum matrimonium perpetuum insolubilemque nexum habet. Accedit quartò, communis Doctorum sententia: siquidem Magister sententiarum lib. 4. dist. 33. Et cum eo sanctus Bonauentura, Richardus, Dominicus à Soto, & alij plurimi docent, repudium permissum fuisse Iudæis à Deo per Moysem, vt minus malum, sed nunquã fuisse licitum, neque apud Iudæos, neque apud Gentiles. Alij verò non pauci, vt sanctus Thomas, Scotus, Durandus, Paludanus, docent quidem cum Iudæis ita dispensatum fuisse circa repudium ad duritiam cordis eorum, vt licitum eis esset repudium: sed tamen à Christo sublatam fuisse eam dispensationem, vt postea non fuerit amplius, neque Iudæis, neque

gentibus licitum: sunt enim Christi verba satis aperta, Marci.5. *Qui dimissam duxerit mechatur.* & cap.10. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum, & alij nupserit, mechatur.* Itaque excusari non potest Barclaius, qui Turcarum errorem sequutus, voluit licitum esse infidelibus pro arbitrio matrimonia separare. Tametsi enim Turcæ id faciunt, tamen cum errore manifesto faciunt. Ex quibus argumentum nostrum, quod frustra Barclaius soluere tentauit, omninò insolubile demonstratur. Nam si licet coniugi fideli propter fidem, & religionem disrumpere vinculum, alioqui insolubile, quo alligatus erat coniugi infideli ante conuersionem suam ad fidem: quantò magis licebit populo fideli disrumpere vinculum propter fidem, & religionem, quo alligatus erat Principi infideli, præsertim si is populum fidelem peruertere satagat? Debilius enim esse vinculum, quo adstringitur populus Principi suo, quam sit illud, quo astringitur vxor viro suo, perspicuum est, cùm vinculum populi ad Principem multis de causis solui potuerit, & adhuc possit; vinculum autem vxoris ad virum, apud Christianos in nullo casu solui possit, si ratum, & consummatum fuerit: apud infideles autem iure solui non possit, nisi per conuersionem alterius eorum ad fidem, altero perseuerante in infidelitate.

CAPVT XXIV.

Defenditur ratio quarta Bellarmini pro potestate Pontificis in temporalibus.

IN capite vicesimoquarto proponit Barclaius rationem quartam, qua ego vsus fueram ad stabiliendam potestatem Summi Pontificis in temporalibus vsq; ad ipsos Principes in certis casibus abdicandos. Hæc est autem ratio. *Quando Reges, & Principes ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito, vt sceptra sua subijciant Christo, & polliceantur, se Christi fidem seruaturos, & defensuros etiam sub pœna Regni perdendi: ergò quãdo fiunt heretici, aut Religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi à Principatu, nec vlla fiet eis iniuria si deponantur.* Hucusque recitat Barclaius, quamuis in meo libro plura addantur ad confirmationem huius rationis.

Respondet autem admittendo antecedens, & negando consequentiam. §. *Nam,* inquit, *licet verum sit, Principes ad Ecclesiam venientes se sceptraque sua Christo subijcere, & vel vltrò ea promissa seu tacitè, seu expressè facere, quæ Bellarminus commemorat: non tamen verum est, nec inde sequitur, eos iudicari, & deponi posse ab Ecclesia, vel Summo Pontifice, si fidem fallant, & pactum, ac iusiurandum negligant: quia suprema illa Christi iurisdictio, & potestas temporalis in Reges omnes, & Mundum vniuersum, quam habet, vt Dei filius, non competit Ecclesiæ, vel Pontifici: sed tantùm illa potestas, quam Christus sibi assumpsit, dum inter homines humano more versaretur: at Christus nullum temporale dominium, & potestatem vsurpauit, dum in terris, vt homo inter homines ageret, ac proinde neque Ecclesia, vt Ecclesia, neque Papa,*

A *vt caput Ecclesiæ, & Vicarius Christi vllam temporalem potestatem, vt pluribus explicat, & probat idem vir doctißimus libro secundo, de Pontif. cap.4.*]

Respondeo. Argumentum Barclaij, quo mei argumenti consequentia oppugnatur, malam habet consequentiam, & falsum antecedens; quare sine viribus vllis solo strepitu verborum pugnat. Consequentia, inquam, eius argumenti mala est, quoniam etiamsi Ecclesia, vel Papa non haberet ex se potestatem Principes hæreticos deponendi, haberet tamen ex ipsa promissione iurata, & ex pacto inito cum ipsis Principibus, quando ad Ecclesiam Christianam admissi sunt: id quod exemplo illustrari potest. quando enim Reges cum Romano Imperio societatem inibant, & fidelitatem
B illi iurabant; si postea Rex socius ad hostes Romanorum deficiebat, non existimabant Romani iniuriam se illi Regi facturos, si eum Regno priuarent: quoniam tametsi ante initam societatem, nullam haberent Romani potestatem in eum Regem: tamen fides data, & iuramento firmata potestatem illis dabat. Deinde falsum est antecedens argumenti Barclaiani, vt hucusque satis ostendimus disputatione tam prolixa, & ex ijs, quę Barclaius hoc loco admittit, nullo negocio demonstrari potest. admittit enim habere Summum Pontificem, vt Christi Vicarium, eam potestatem, quam Christus habuit, dum vt homo inter homines vixit. Christus autem, quamuis noluerit vllum temporale Regnum eripere ijs, qui ea possidebãt, idque vel sibi assumere, vel alijs tradere; tamẽ
C qui negat potuisse Christum id facere, Euangelium ipsum negat: quid enim est quod idem Christus dicit Ioan. 13. *Dedit ei omnia Pater in manus?* Si habuit omnia in manus, certè super omnia potestatem habuit: si super omnia potestatem habuit, cur non potuit de temporalibus rebus omnium hominum disponere? Item Ioan.17. Idem Dominus ait Patri, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.* Vbi per omnem carnem, omnes homines intelliguntur. Habuit igitur Christus homo in terris potestatẽ super omnes homines, ac per hoc super Imperatores: etiam, & Reges, potuitque eos, si voluisset, iudicare, punire, Regnis, Imperijsque priuare: cuius potestatis exemplum aliquod ostendit, cùm dæmonibus concessit, vt
D in ingentem porcorum multitudinem irruerent, eosque omnes in mare suffocandos præcipitarent: neque timuit ne fortè iniuria afficeret eos, qui ex interitu tam numerosi gregis, qui ad duo millia ascendebat, teste S. Marco, cap.5. non leuem iacturam patiebantur: Iudicauit enim Dominus expedire ad gloriam Dei, vt de re illa temporali disponeret etiam cum detrimento Dominorum, vt sciretur quanta multitudo spirituum immundorum hominem obsedisset, & quanta facilitate ipse tantum numerum dæmonum solo imperio eiecisset.

Quod addit Barclaius, me docuisse, Ecclesiam, vt Ecclesiam, vel Pontificem, vt caput Ecclesiæ, & Christi Vicarium, nullam temporalem potestatem habere posse: mera impostura est. Ego enim solùm docui, Pon-

tificis

tificis potestatem directè spiritualem esse, sed indirectè extendi ad temporalia, atque ad ipsam etiam Principum terrenorum depositionem. Et cur, obsecro, tantum laborat Barclaius in examinandis, & refellendis Bellarmini rationibus pro confirmanda Pontificia potestate in temporalibus, si Bellarminus cum Barclaio conuenit in abneganda Pontificia potestate in temporalibus; Sed libri sæpius recusi extant, & facilè poterit Lector iudicare, vtrum ego in eodem libro mecum ipse pugnem, an potius Barclaius impostorem agat, ea sententia nobilis Poetæ fretus,

Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

Addit postea Barclaius aliam responsionem, quoniam non erat tam stupidus, vt non videret priorem solutionem nullas vires habere. ait igitur: §. *Quæ omnia promittunt quidem Principes Christo, acceptante promissionem Ecclesia, tanquam eius Sponsa, in cuius sinu regenerantur, aut ipso Pontifice, non vt homine, sed vt Christi Dei ministro vicariam operam præbente; ac proinde ipsi Christo per Ecclesiam, vel Papam obligatio principaliter acquiritur.* & infrà: *Si pactum conuentum postea neglexerint, aut prorsus contempserint, ab eo solo puniri possunt, in cuius verba iurarunt, quique omnium rerum temporalium Dominus est, & quem supra se Iudicem in temporalibus solùm habent; non autem ab eo, cui rerum tantummodò spiritualium, & recipiendæ promissionis cura commissa est.*]

Respondeo. Promissio, qua Principes infideles cùm ad Ecclesiam veniunt, pollicentur se fideles futuros, & Ecclesiam defensuros, neque ab ea vnquam recessuros, aut eam oppugnaturos, sub pœna priuationis Regni: promissio, inquam, eiusmodi principaliter quidem ad Christum dirigitur: sed tamen transgressores non solus Christus immediatè, & per se punire potest: sed potest etiam Christi Vicarius, qui auctoritate à Christo accepta Ecclesiam regit, transgressores pacti, & iuramenti punire: quemadmodum quotidie videmus, eos qui absenti Regi coram Prorege fidelitatem iurant: si fortè defectionem moliantur, ab ipso Prorege continuò puniri: & Clericos, qui absente Episcopo, coram eius Vicario generali obedientiam spondent, si fortè contumaces efficiantur, ab eodem Vicario carceribus mancipari, & plecti.

At, inquit Barclaius. §. *Raro Rex ipse fidelitatis iusiurandum acceptat, sed vt plurimum per Cancellarium id opus exequitur. Cancellarius itaque cùm Magnates in verba Regis iurantes ad feuda, & dignitates admittit, eas in ciuili administratione, & iurisdictione temporali sub Rege partes obit, quas Pontifex in Christo in spirituali gubernatione Ecclesiæ, cum Principes ad eam venientes interposito fidelitatis, & pietatis erga Deũ sacramento, recipit. Et vt ille quidem clienti semel recepto (licet postea fidem frangat, crimenque committat, quod feloniam vocant) ex nulla causa feudum auferre potest, quod solius Regis sit, minimeque Cancellario concessum. Ita neque hic receptos in Ecclesiam Principes, quantumuis grauiter postea delinquant, fideique desertores fiant, Regnis, & dignitatibus priuare, aut alio modo temporaliter punire potest*]

Respondeo. Hæc est tota ratio deceptionis Barclaij, quod Summum Pontificem Cancellario similem esse ducit, in quo nulla est iurisdictio. Quæ similitudo longissimè abest à veritate: siquidem Scripturæ diuinæ veram potestatem, & iurisdictionem, eamque amplissimam, & supremam Pontifici tribuunt: nam quod dicitur. Matth. 16. *Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris*, non officium Cancellarij, sed officium Præsidis iurisdictionem habentis sonat. Et illud, *Pasce oues meas*, Ioan. vltim. non officium Cancellarij in Regno, sed potestatem illam Pontifici tribuit in Christianos, quam habet Pastor in oues, qui eas vtique regere, & ligare, & baculo ferire, & ad omnem obedientiam cogere potest. Illud etiam, quod Apostolus in Actis cap. 20. dicit, *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: non officium Cancellarij, sed officium Rectoris, & Præpositi significat. Denique illud Matth. 24.

Quis putas est fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam? non officium Cancellarij nobis ostendit, sed officium Magistri domus, qui toti familiæ cum potestate præest. Quare Summus Pontifex non Cancellario, sed Proregi in Regno, vel Vicario in Episcopatu, vel Rectori in ciuitate, vel Præposito in familia, vel capiti in corpore comparari debuit: & hæc quidem à nobis dicta sunt, si admittenda esset sententia illa Barclaij, quòd Principes cùm ad Ecclesiam veniunt, soli Christo fidelitatem, & obedientiam spondeant: sed ea sententia falsa est, neque eam admittere vlla ratione possumus. spondent enim Principes obedientiam, & fidelitatem expressè, vel tacitè, non Christo solùm, sed etiam ijs, qui Christi locum in terris gerunt. Atque huc pertinet illa confirmatio argumenti, quam ego rationi meæ quartæ subieci, & quam Barclaius in extremo capite vicesimoquarto refert, & quorsum pertineat ignorare se dicit, aut fingit.

§. *Quod autem*, inquit, *huic quartæ rationi subijcit: (nam non est idoneus Sacramento Baptismi, qui non est paratus Christo seruire, & propter ipsum amittere quicquid habet: ait enim Dominus Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.) id quorsum spectet, non video: nemo certè hoc negat. sed quid inde? talis ratio non magis ad institutum pertinet, quam quod remotissimum est: vt nec illud, quod ibidem sequitur. (Præterea Ecclesia grauiter erraret, si admitteret aliquem regem; qui vellet impunè fouere quamlibet sectam, & defendere hæreticos, & euertere Religionem.) est hoc verissimum, sed, vt dixi, nihil ad institutum pertinet: non enim de ea re hic quæstio est, sed de potestate temporali Ecclesiæ, siue Summi Pontificis.*]

Respondeo. Quorsum ista pertineant, & quod ad rem propositam maximè faciant, ita ostendo.

Fingamus Regem aliquem infidelem ad Ecclesiam venire, & à Barclaio institutum ita loqui, Ego ciuis Sanctorum per Baptismum

efficì cupio: & sanctè promitto, sceptrum meum Christo velle subijcere, Ecclesiam eius pro viribus defendere, & nunquam à sancto proposito deficere: protestor tamen, quod si fortè fidem fregero, si hæreticus, si Apostata, si paganus euasero, si Religionem Catholicam persequi, & funditus euertere conatus fuero: nolo ab Ecclesia, vel eius Præside, sed à solo Christo pœna temporali puniri: & si fortè Præses Ecclesiæ per sententiam excommunicationis me de cœtu piorum expulerit; volo vt nihilominus fideles Ecclesiæ filij mihi, vt Regi seruire, & obedire teneantur, neque ab huius obedientiæ vinculo absolui vllo modo possint. Quæro nunc à Barclaio, an eiusmodi Rex ab Ecclesia, vt idoneus, ad Baptismum possit admitti? affirmabit opinor; sed à prudentibus irridebitur. Nam si quis ciuitate terrena donari vellet, & protestaretur, si proditor ciuitatis fieret, nolle se à Præside ciuitatis, sed à solo Rege in longinqua regione manente, immediatè posse puniri: quis non rideret? Certè qui paratus esse debet, iuxta Euangelium, vitam propriam exponere pro Christi fide, nonne magis paratus esse debet Regnum terrenum amittere? ridiculum autem est, dicere, paratus sum Regno priuari, si Fidem fregero: sed nolo priuari per sententiam hominum, volo per Angelos de cœlo sententiam pronuntiari. Certè etiam Ecclesia valdè esset imprudens, si in gremium suum admitteret eum, qui vellet impunè grassari in Ecclesiæ membra, & nollet fidelem populum, posse per vllam hominum mortalium auctoritatem à sua tyrannide liberari.

CAPVT XXV.

Defenditur quinta ratio Bellarmini pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

IN capite vicesimoquinto Barclaius excutit rationem meam quintam, ac primum eam refert his verbis: *Quinta, & postrema ratio est ex cura, & officio pastorali. Cùm Petro dictum est, inquit, Pasce oues meas, Ioan. vlt. Data est illi facultas omnis, quæ est Pastori necessaria ad gregem tuendum: at Pastori necessaria est potestas triplex, vna circa lupos, vt eos arceat omni ratione, qua poterit: altera circa arietes, vt si quando cornibus lædant gregem, possit eos recludere: tertia circa oues reliquas, vt singulis tribuat conuenientia pabula; ergo hanc triplicem potestatem habet Summus Pontifex.*

His recitatis subiungit Barclaius: *§. Ex hoc principio, & fundamento tria, vt illi videtur, argumenta vrgentia deducuntur. Sed ne longius abeat, respondeo in primis ad istud ipsum fundamentum, totum verum esse, ac pro me stare, atque inde contrarium eius, quod ipse asserit bellissimè colligi.*] hæc ille, qui post multa inania verba texit hunc syllogismum: *Christus commendando suas oues Petro dedit omnem potestatem necessariam ad tuendum gregem: Atqui non dedit ei potestatem temporalem: Ergo potestas temporalis, non est necessaria ad tuendum gregem.*]

Respondeo. Si per potestatem temporalem A intelligi velit Barclaius potestatem, quæ sit in se propriè, & formaliter temporalis; admitti potest argumentum: sed nego inde sequi, non esse necessariam Summo Pontifici potestatem, quæ licet sit in se spiritualis, tamen extendi possit ad temporalia, prout ad spiritualia referuntur, eisque subordinantur. Sin autem per potestatem temporalem intelligat potestatem disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualia: tum dico, falsam esse assumptionem: & addo syllogismum Barclaij eo vitio laborare, quo nullum est in arte disserendi notius. id enim assumit, & sibi concedi petit, quod vertitur in quæstionem. Assumit enim S. Petro non fuisse datam temporalem potestatem, quasi hoc ipsum non esset, quod in toto libro suo probare contendit. Et certè B si isto modo disputare liceret, possem ego quoque ita ratiocinari: *Christus Petro dedit eam solùm potestatem, quæ necessaria est ad tuendum & pascendum gregem: Atqui dedit potestatem spiritualem, quæ extenditur ad temporalia, vt ad spiritualia referuntur; ergo eiusmodi potestas necessaria est ad gregem tuendum, atque pascendum.* Sed audiamus alium syllogismum Barclaij, priori non dissimilem.

§. Deinde, inquit, *progredimur hoc modo, Absurdum est Summum Pontificem, quatenus successor est Beati Petri, habere plus potestatis, quàm habuit Petrus: At Petrus nullam habuit potestatem temporalem in Christianos: ergò nec Summus nunc Pontifex, quatenus successor eius est.*

Ac ne hic quoque obijciatur, eum assumere, quod erat probandum: probat assumptionem C ex Bellarmino lib. 5. de Pontif. cap. 6. Vbi dicit, potestatem spiritualem, & temporalem esse similes spiritui, & carni: & quemadmodum spiritus, & caro possunt esse coniuncta, vt in homine: & separata, vt in Angelis, & bestijs: sic etiam potestas spiritualis, & temporalis possunt esse coniunctæ, vt nunc sunt inter Christianos; & separatæ, vt erant tempore Apostolorum, quando nullus erat in Ecclesia Princeps politicus. Ex his ita colligit Barclaius.

§. Si separatæ erant hæ potestates tempore Apostolorum, vt erant re vera de iure, & de facto: consequitur necessariò, D. Petrum nullam habuisse temporalem potestatem: alioqui falsum esset eas fuisse separatas.]

Hoc argumentum tanti facit Barclaius, vt D paulò infra dicat.

§. Et verò hæ rationes apertiores sunt, quam quibus aliquis sine fraude reniti, & repugnare possit; vt mirum sit homines eruditos, cæterosq; pios, ita zelo quodam inconsiderato occæcari, vt dubia pro certis, pro perspicuis obscura, pro rectis contorta, pro expeditis denique inuoluta, & implicata multis controuersijs, & contradictionibus amplecti, & sequi non dubitent:] hæc ille, qui vsq; ad finem capitis pergit reuerentiam suam erga sedem Apostolicam prædicare, nostram cæcitatem redarguere, & multa ex ijs, quæ antea dixerat, more suo repetere.

Respondeo. Verissimè dictum est à Bellarmino simillimã esse potestatem spiritualẽ, siue Ecclesiasticam spiritui, & temporalem, siue politicam carni: quam similitudinem ante

Bellar-

Bellarminum ad hanc rem explicandam adhibuerunt S. Gregorius Nazianzenus, Hugo de S. Victore, S. Thomas, Alexander Alensis, Thomas VValdensis, & alij. Nec minus verè dictum est, eas potestates tempore Apostolorum fuisse separatas, quomodo spiritus Angelicus separatus est à carne: & caro brutorum separata est à spiritu: nunc autem coniunctas esse, quo modo spiritus, & caro coniunguntur in homine. Ex his autem rectè colligitur, sanctum Petrum habuisse potestatem Apostolicam, id est, spiritualem, & Ecclesiasticam, supremam, & amplissimam, & non habuisse potestatem Regiam, siue Imperatoriam, aliamve merè temporalem, atque politicam: sed non rectè colligitur, potestatem spiritualẽ S. Petri non se potuisse extendere ad omnia temporalia, & ad ipsa Regna, & Imperia dirigenda, & corrigenda, si Reges, & Imperatores Christiani fierent. Itaq; discrimen inter tempus Apostolicum, & nostrum, non est circa potestatem, quæ semper eadem fuit in S. Petro, & in successoribus; sed circa materiam subiectam, siue circa vsum potestatis: tũc enim potestas Apostolica non exercebatur in Regibus dirigendis, quia nulli erant Reges in Ecclesia Christiana, cuius Ecclesiæ Pastor, & Rector est Christi Vicarius: nunc autem eadem illa potestas exercetur in Regibus dirigendis, & corrigendis, quoniam non desunt in Ecclesia Reges, & Principes politici.

Ac vt exemplis rem illustremus, certè spiritus humani à corporibus separati, ijdem sunt, qui antea erant cum corpora animarẽt, & eandem ipsam potestatem habent, quam antea habebant: & tamen nunc separati non regunt corpora, vt antea regebant, & iterum post resurrectionem regent, sic etiam spiritus Angelici siue boni, siue mali, dum corpora nulla assumunt, non exercent potestatem in membra corporis: cùm autem vel corpora aëria sibi adiungunt, vel in corpora humana ingrediuntur, corpora illa nutu mouent, eisque imperant, & moderantur: nec tamen vllus erit tam imprudens, qui existimet Angelos acquirere potestatem nouam, cùm corpora assumunt. Pari ratione cum in corpore humano membrum aliquod abscinditur, & à reliquo corpore separatur; non potest spiritus membrum illud mouere, eique dominari; non quod potestas spiritui desit, sed quia deest membrum, in quo mouendo spiritus exerceatur. Denique initio Ecclesiæ Christianæ antequam Apostoli Diaconos ordinarent, non poterant Apostoli Diaconis vti, eisque imperare: posteaquam autem ordinati sunt, ijs Apostoli vtebantur, eisque imperabant. Num igitur concedemus defuisse Apostolis aliquam potestatem Ecclesiasticam, antequam Diaconi esse cœpissent in Ecclesia? concedemus omninò, si cum Barclaio desipiamus, qui ex defectu materiæ defectum colligit potestatis. Ex his apparet, quàm leuia sint argumenta Barclaij, quæ ipsius iudicio demonstrationes indissolubiles videbantur.

(?)

A

CAPVT XXVI.

Defenditur prima pars rationis quintæ pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

IN capite vicesimosexto aggreditur Barclaius refutare primam partem rationis meæ quintæ: erat autem hæc ratiocinatio. *Pastori necessaria est potestas circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit ab ouibus: lupi autem, qui Ecclesiam vastant, sunt hæretici: Ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete lupus fiat, id est, ex Christiano fiat hæreticus poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequatur: ac proinde priuare dominio, quod habet in subditos.*

Ad hanc ratiocinationem Barclaius respondens admittit omnia, excepta illa extrema parte conclusionis, qua diximus, Posse Pastorem

B

iubere populo, vt non sequatur amplius Regẽ suum: distinguit enim hanc partem, ac dicit. Posse quidem Pastorem iubere fidelibus, vt non sequantur Regem hæreticum in hæresibus, sed non posse iubere, vt non sequantur eum in rebus politicis.

Addit autem posse quidem Regem hæreticum priuari communione fidelium in rebus sacris, sed neque hoc esse faciendum, si periculum sit schismatis, & scandali, & grauiorum malorum, ex Aug. lib. 3. ca. 2. contra Epistolam Parmeniani: de qua re diximus, cap 9. Vbi hæc eadem Barclaius fusius tractauit: iam enim admonui Barclaiũ in repetitione rerum earundẽ magnam partem libri sui consumere voluisse.

His igitur omissis, tota ratio ob quam negat

C

Barclaius posse à Summo Pastore prohiberi fidelibus, vt Regi hęretico obedientiam etiam in rebus politicis præstent, ea est, quoniã iure diuino debetur Regibus obedientia: & non potest vllus homo, ac ne ipse quidem Summus Pontifex dispensare in iure diuino; & ad hoc probandum adducit rescriptum Innocẽtij III. qui cap. *Cùm ad Monasterium*, de statu Monach. dicit, Non posse dispensari cum Monacho, vt vxorem ducat, vel rerum proprietatem habeat: & hoc loco multa disputat de iure diuino, & humano, & de matrimonio Constantiæ Rogerij Regis filiæ, quæ cùm esset sanctimonialis dispensatione Clementis III. Pontificis, nupsisse dicitur Henrico VI. Imperatori.

At nos supra, rationem Barclaij nullius roboris esse demonstrauimus: quoniam de iure

D

diuino est, vt inferior obediat superiori, quãdiu superior est, sed si desierit esse superior, desinet etiam præceptum de obedientia illi exhibenda. Id quod ostendimus ex multis similibus: siquidem iuris diuini est, non solùm, vt populus obediat Regi; sed etiam vt filij obediant Patri, serui Domino, vxores Maritis: & tamen si filius emancipetur, & seruus libertate donetur, & vxor per diuortium, aut repudium à marito separetur, non amplius tenentur lege illa diuina: quemadmodum etiam promissio iurata iure diuino seruanda est, & tamen si is, cui promissio facta est, eam relaxet, non tenebitur eam implere qui promisit. Restitutio iure diuino sancita est, & tamen si creditor debitum remittat, restitutionis obligatio nulla restat: atque exempla similia plurima possent

adduci. Sic igitur, iure diuino tenetur populus Regi seruire, dũ Rex est: sed si Rex desinat esse, quod multis modis fieri potest; nulla remanet obligatio seruitutis, aut obedientiæ. non est aũt de iure diuino, vt Rex iustis de causis deponi nõ possit: multoq; minus iuris diuini est, vt Sũmus Pontifex declarare nõ possit, Regem hæreticum non esse legitimum Regem, nullamque ei deberi à fideli populo obedientiam.

Quod autem attinet ad cap. *Cùm ad monasterium*, de statu Monachorum, res facilis est: id enim solùm Innocentius docet, non posse consistere matrimoniũ & proprietatẽ rerum cum statu Monachorum; cùm ad essentiã vitæ Monasticæ pertineant continentia, & paupertas. Itaque non poterit Summus Pontifex facere, vt idem Monachus sit, & coniugatus: idem Monachus, & diues opum in particulari. Aliud aũt est, vtrum possit Summus Pontifex dispensare cum Monacho, vt transeat à vita Monastica ad vitam secularẽ, & secularis effectus matrimonium inire possit, & opes proprias retinere, de hoc enim variè sentiunt Doctores. De Cõstantia verò Rogerij Regis filiã fabulam esse existimamus, quod sanctimonialis, & vetula cùm esset, dispensatione Clemẽtis III. nupserit Henrico sexto. Nam Gotefridus Viterbiensis, qui Henricum VI. in literis, & moribus instituebat, scribit, nuptias Henrici cum Constantia celebratas Mediolani anno salutis 1186. sedente in Apostolica Sede, Vrbano tertio, & ipsã Constantia annum trigesimũ agente. ex quo sequitur, vt falsum sit dispensasse cum ea in votis monasticis Clementem tertium, vel vt alij dicunt, Cœlestinum tertium, vel, vt alij, Alexandrum tertium: nam hic iam obierat, illi nondũ sedere cœperãt: falsum quoque sit, eam nupsisse cùm esset vetula annorum supra quinquaginta: falsum denique fuisse antea sanctimonialẽ, cùm id nullus scribat ex ijs, qui eo tempore vixerunt. Vide Card. Baronium tomo 12. annalium ad annum 1186.

CAPVT XXVII.

Vtrum votum, an iuramentum magis obliget?

IN capite vicesimoseptimo Barclaius, vt causæ suæ vndiq; adiumenta conquirat, cõfert votum Monachorum cum iuramento illo, quo populi Regibus fidelitatem, & obedientiam pollicẽtur. Ac dicit, Põtificem ex aliquorum Doctorum sententia dispensare posse in votis Monachorũ; sed etiam si hoc detur, non esse admittendum, vt dispensare possit in iuramẽto, quo populi ad Regis obedientiam se adstringunt. Videtur igitur sentire Barclaius maius vinculum iuramenti esse, quàm voti, cuius tamen contrarium disertè docet S. Thomas in 2. 2. quæst. 89. art. 8. & omnis ferè schola Theologorum in 3. Sen. dis. 39. Votum enim est promissio facta Deo; iuramentum est confirmatio promissionis homini factæ: magis autem tenetur homo implere promissionem factam Deo, quàm homini. deinde qui votum violat, infidelis est Deo; qui iuramentum frangit, crimen irreuerentiæ in Deum committit: grauius autem crimen infidelitatis est, quàm irreuerẽtiæ; cùm fidelitas omnis erga superiorem irreuerentiã coniunctam habeat, non omnis irreuerentia infidelitatem. Igitur grauius peccat votifragus, quàm iuramenti violator; proinde magis obligat votum, quàm iuramentum. Denique votum res est absolutè bona; iuramentũ bonum est necessitate cogente: alioqui Dominus Matth. 5. dicit, *Ego autem dico vobis, non iurare omninò*. Et Iacobus in epistola sua cap. 5. *Ante omnia*, inquit, *fratres mei, nolite iurare:* nusquam autem legimus, *nolite vouere*; sed contra, Rex & Propheta Dauid hortatur, dicens in Psalm. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro*. Igitur votum nobilius iuramento est, ac per hoc grauius peccat; qui votum frangit, quàm qui iuramentum violat. proinde magis obligat votum, quã iuramentum: quare si Summus Pontifex dispensare potest in votis, multò magis poterit in iuramento.

Sed Barclaius resistit hac ratone: §. *Totus ordo Monachalis, aliiq; in Ecclesia, vt quidam volunt, ab humanis constitutionibus, & iure positiuo profecti sunt, in quos idcirco plena, & omnimoda potestas Pontifici est, vti superius paulò diximus: at submissio, & obedientia Regibus, ac Principibus, atq; omnibus omninò Præpositis, & superioribus debita, est iuris naturalis, & diuini vtroq; testamento confirmata. Nam licet de humano iure sit, vt hac, aut illa Reip. forma vtamur, vel hunc, aut illum Principem habeamus; tamen vt eum, quem semel accepimus, revereamur, eiq; in omnibus, quæ Dei mandatis non repugnant, submisse pareamus, non humanæ solùm, sed naturalis, & diuinæ est ordinationis.*]

Respondeo. Hoc argumentum ab omni parte nutat: nihil enim solidi, nihil firmi habet. Nã quod totus ordo Monachalis ab humanis constitutionibus & iure positiuo profectus sit, non modò falsum, sed etiam hæreticum est, siquidem Consilia Euangelica, in quibus ordo Monasticus fundatur, non ex humana constitutione, sed ex ipso ore Domini, ac Dei nostri Iesu Christi profecta sunt: de qua re fusè tractaui in lib. de Monachis, neque id vllus Catholicus negat. Deinde vota ipsa Monastica, in quibus essentia Monasticæ vitæ consistit, iuris esse diuini, non modò Catholici omnes docent, sed & ipse Barclaius paulò ante cõfessus est. Vnde ergo nunc totũ ordinẽ Monasticum ab humanis constitutionibus, & iure positiuo profectũ esse dicit? Præterea si, vt ipse in hoc suo argumento assumit, submissio Regibus, ac Principibus, atque omnibus Præpositis, & superioribus debita, est iuris naturalis, & diuini, in vtroque testamento confirmata; ergo submissio Monachorũ suis Præpositis, & superioribus debita, est iuris naturalis, & diuini, in vtroq; testamento cõfirmata. Vnde igitur Barclaius colligit, posse Põtificẽ dispensare in obedientia, & submissione Monachorum erga suos Prępositos, & superiores; & nõ posse in obediẽtia, & submissione populorum erga Reges, & Principes, cùm vtraque sit iuris naturalis, & diuini in vtroque testamento cõfirmata? quin etiam cùm obedientia Monachorũ habeat votũ, idq; solemne adiunctum; & obedientia populorum simplici iuramento confirmata sit: videtur omninò facilius posse dispensari per Summũ Pontificem, in obedientia populorum, quàm Monachorum, cùm voti vinculũ maius sit, quàm iuramenti, vt Theologi docent. Deniq; quemadmodum

Barclaio

Barclaio teste iuris humani est, qua forma Reipub. vtamur, & hunc aut illũ Principem habeamus; sed posteaquam aliquẽ accepimus in Principem vt ei pareamus, iuris diuini est: sic etiam iuris humani est quo ritu, & forma viuẽdi Monachi vtantur, & hunc aut illũ Præpositum habeãt; & tamen vt ei, quẽ in Præpositũ semel susceperunt, submissè pareãt, iuris diuini est. Ergo omnia paria sunt, neque vlla est ratio cur possit Summus Pontifex in vno dispensare, & nõ in altero, id est, cur possit Monachos à vinculo obedientię Pręposito suo promissæ absoluere, & non possit absoluere subditum à vinculo obedientiæ Regi suo promissæ.

Pergit Barclaius, & aliud argumentum texit ex natura voti, & iuramenti: quod argumentũ, quia non multum ad rem facit, & tamẽ verbosissimè ab ipso proponitur, ego in pauca cõtraham; vt vis argumenti quanta sit appareat: sic igitur ille ratiocinatur, ***Votum est promissio facta Deo, & Ecclesiæ, proinde creditor principalis est De⁹: potest autem Pontifex, qui Vicarius Dei est, & caput Ecclesiæ, loco Christi, declarare non displicere Deo, & Ecclesiæ, vt promissio illa ob iustam aliquam causam, & magis Deo gratam, quàm sit promissionis illius adimpletio, remittatur, & condonetur ei, qui vouerat: At iuramentum quo pactum aliquod, vel sponsio obsignatur, non facit Deum propriè creditorem, sed hominem, cum quo pactum initum, & cui promissio iurata facta est: quod ex eo perspicuum est, quod homo creditor potest etiam sine vlla causa liberare debitorem, & iuramento soluere; si illi promissionem sibi factam liberè remittere velit: neque hic habet locum interpretatio, aut declaratio Summi Pontificis, cùm homo ipse creditor per se loquatur. Ergo non potest Summus Pontifex homines à iuramento soluere, quoniam priuaret creditorem initum obligatione sibi optimo iure quæsita, & omni iure diuino, & humano licita.***

Respondeo. Quando Summus Pontifex soluit homines iuramento, non tollit ius quæsitũ ex iusta, & licita obligatione: sed vel declarat obligationem, & promissionem fuisse, vel factam esse illicitam, vt cùm absoluit populos à iuramento fidelitatis præstito Principi hæretico, vel qui postea in hæresim lapsus est: aut tollit vinculum iuramenti, relicta promissione in suo vigore, ad eum finem tantùm, vt possit, qui promiserat, sine periculo sacrilegij prosequi ius suum coram legitimis Iudicibus.

Sed hæc Barclaio non erant incognita, vt qui iuris prudentiam præcipuè profiteretur: ideò subiungit: §. ***Sed esto, auferre ex causa possit, & promissionem iurisiurandi vinculo liberare*** (***ne de hac re amplius cum Canonistis hic contendam***) ***auferat igitur; quid ei deinde facta consequens in nostro hoc negocio videtur? liberum fore populum, dices, ab Imperio, & subiectione Principis, statim atque iurisiurandi nexus solutus est. Itane verò? an non perspicis, iusiurandum hoc non esse nisi accessionem tantùm confirmatricem illius obligationis, qua fides, & obedientia Principi promissa est? an ignoras accessiones tolli, & liberari posse sine interitu principalis obligationis? Manet ergo adhuc obligatio, cui iusiurandum accesserat: quæ quoniam iuris naturalis, & diuini est, non minus tenet hominum mentes, & conscientias apud Deum, quamsi esset iuramento sustentata.***]

A Respondeo. Potest quidẽ, vt supra dixi, tolli vinculũ iuramẽti, etiãsi nõ tollatur promissionis obligatio. Sed quando Summus Pontifex propter hæresim, aut aliam iustã causam, soluit populos à iuramento fidelitatis, simul etiã soluere solet à vinculo promissionis, ac iubere, vt populi non amplius obediant ei, cui promissionem obedientiæ fecerãt: posse autẽ id Ponificẽ, vt Christi Vicarium, præstare, nos supra ex Doctoribus, & Cõcilijs, & ex ipsis etiam diuinis literis ostendimus, & ante multos annos idipsum quinq; rationibus Theologicis ostendimus: neque Barclaius omnibus suis argumentis, & cauillationibus eas rationes refellere potuit. Nã quod hoc loco iterum repetit, & inculcat, obligationem parendi Regibus esse iuris naturalis, & diuini: non semel à nobis explicatum est, id

B esse intelligendum de obligatione parendi Regibus, dum Reges sunt: non esse autem iuris naturalis, & diuini, vt Rex non possit Regno priuari, si hæreticus efficiatur, & ratio manifesta, & vsus frequens apertissimè demonstrauit.

At, inquit Barclaius, §. ***hoc axiomate Bellarminus præcipuè nititur, dum vult ostendere, Papam nõ posse subijcere se ipsum sententiæ coactiuæ Conciliorum: quoniam (inquit lib. 2. de Concilijs, cap. 18.) Papæ potestas super omnes est de iure diuino: non autem potest Papa dispensare in iure diuino.***]

Respondeo. Si Papa se ipse subijceret sentẽtiæ coactiuæ Conciliorũ, aut Principũ quorũcunque, verè subijceret superiorem inferioribus, ac per hoc cum diuino, & naturali iure pugnaret: nã iure diuino Papa est Pastor, & Pater, & Præpositus omniũ Christianorũ, ac per hoc

C superior omnibus, qui oues, & filij, & subditi ipsius sunt: & iure etiã diuino superior ab inferiore iudicari nõ potest iudicio saltẽ coactiuo. At verò cùm Papa iudicat Regẽ, vel etiã deponit, nihil agit contra ius diuinum, quoniam superior inferiorem iudicat, Pastor ouem, Pater filium, Præpositus subditũ, quod est iuri diuino, & naturali rationi maximè consentaneum. Quãuis enim Reges in temporalibus nõ agnoscant superiorem temporalem, vel etiam nullũ agnoscant directè nisi Deum: tamen agnoscere debent superiorem spiritualem, cuius potestas ad temporalia se extendit, quatenus ea spiritualibus subordinantur, vt supra non semel dictum est.

Ad extremum sic loquitur Barclaius. §. ***Ne qua erremus, tenendum est, Apostolicæ potestatis plenitudinem eam tãtùm potestatem complecti, quam***

D ***Dominus Iesus Dei filius, cùm in hoc mundo versaretur, vt homo inter homines habere voluit: & eatenus Papã nobis Christũ referre, & eius esse Vicariũ; nõ autem potestatem illam, quam vt Dei filius, Deus ipse Patri æqualis ab æterno habuit, & diuinitatis suæ omnipotentia reseruauit, de qua ait, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.***]

Respondeo. Non admitto solùm, quod Barclaius hic postulat, plenitudinẽ Apostolicæ potestatis, non esse parẽ omnipotentiæ diuinitatis Christi: sed addo etiã, non esse omninò æqualem illi potestati, quam in terris habere voluit, & habuit Christus vt homo. Christus enim etiam dum mortalis cum mortalibus versaretur, habuit potestatem, quam Theologi vocant *excellentiæ*, per quam sacramenta instituere

poterat,

poterat, & sine sacramentis peccata remittere, & alia id genus, ad quæ plenitudo potestatis Pontificiæ non pertingit. Itaq; non sum de numero eorũ de quibus ais, Io. de Turrecremata, scripsisse, in Can. *Coniunctiones* 35. q. 2. *Mirum est, quod Summi Pontifices loquantur moderatè de potestate eis data, & quidam Doctorculi sine aliquo vero fundamento volunt adulando eos quasi aequiparare Deo.* Nihilominus tamẽ securus affirmo, potuisse Dominum nostrum Iesum Christum tempore mortalitatis suę disponere de temporalibus omnibus, & Reges, ac Principes Regnis dominijsque priuare; & hanc potestatem Vicario suo sine dubio cõcessisse, vt ea vtatur, quando necessarium iudicauerit ad animarum salutem, quæ illi præcipuè curæ esse debet.

CAPVT XXVIII.

Digressio circa sententiam cap. Inter corporalia, *de translatione Episcopi.*

IN capite vigesimooctauo inuehitur Barclaius in Canonistas, quos dicit potestatem omnem diuinam, & humanam Pontifici attribuere, ex ignoratione veræ sententiæ verborum Innocentij III. Pontificis, quæ habentur c. *inter corporalia*, & de translatione Episcopi. Ibi enim Innocentius dicit, fortius esse vinculum coniugij spiritualis, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, quam sit vinculum coniugij carnalis inter virum, & mulierem. Et quoniam vinculum coniugij carnalis homo soluere non potest, iuxta illud Matt. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet:* vinculum autem coniugij spiritualis non rarò Papa dissoluit: videtur sequi, vt, aut falsum scripserit Innocẽtius, aut Papam Deo æquare voluerit.

Sed quoniam hæc disputatio ad institutum nostrum non pertinet, & Barclaius ideò solùm hanc digressionem libro suo inseruit, vt occasionem haberet Canonistas carpendi: nam & in hoc capite audacter scribit; nihil esse meris Canonistis imperitius; & in capite sequenti non veretur dicere, Innocentium quartum, & Ioannem Andream Canonistarum facilè Principes ineptissimè hunc locum Innocentij III. explicauisse: propterea non ero in hoc capite confutando prolixior. Nam neque Canonistæ, inter quos multi viri doctissimi inueniuntur, defensione mea indigent; neq; ego scientiam Canonum ita calleo, vt audeam me patronum Canonistarum profiteri. Illud vnum annotare placuit, Barclaium calumniatorẽ videri, dum dicit Canonistas Summo Pontifici diuinam auctoritatem ex verbis Innocentij perperam intellectis tribuere. Id enim tantum abest à vero, vt contra potius nonnulli eorum propter istum canonem Pontifici detrahere, aut illum corrigere, non vereantur. Glossa certè, vbi Innocentius dicit, fortius esse vinculum spirituale, corrigit, dicens, *dignius, non fortius:* & Ostiensis in Summa, de Elect. num. 21. vt ipse hoc loco Barclaius refert, *Illa*, inquit, *ratio non est sufficiens, salua auctoritate, & reuerẽtia reddentis.* Denique neque Innocentius IV. neque Io. Andreas, neq; Abbas Panormitanus, neq; Ancharanus, neque vllus alius ex ijs, quos videre potui, ex verbis Innocentij III. diuinam potestatem Summo Pontifici tribuunt, vt Barclaius calumniatur.

CAPVT XXIX.

De Vero sensu cap. Inter corporalia, *de translatione Episcopi.*

A IN capite vicesimonono Barclaius reiectis aliorum explicationibus, profert sententiam suam de vero sensu cap. *Inter corporalia*, de translatione Episcopi: & in summa dicit, verba huius capituli pugnare cum mente legislatoris: vt aliud Pontifex senserit, aliud scripserit. Hoc aũt, quid aliud est, nisi Pontificem facere vel ignorantem, qui nescierit mentẽ suam explicare, vel malignum, qui voluerit mentiendo Lectores decipere? At fuit Innocentius omnium consensu Pontifex optimus, & sapientissimus, vt procul ab eo absuerit tum ignorantia, tum malignitas. Dicam igitur quid mihi videatur Pótifex in hoc obscuro capitulo docere voluisse; &, nisi fallor, ostendã, verba capituli nó tãtum in se esse verissima, sed etiam ad mentem Pontificis explicandam aptissima. Fortius esse dicit Pontifex vinculum coniugij spiritualis, quàm carnalis. id esse verũ probatur hac ratione, quoniam vinculum coniugij spiritualis nó potest in totum solui, ne per mortem quidem: semper enim manet impressus character Episcopalis, qui nulla vi deleri potest: vinculũ aũt coniugij carnalis per mortem ita soluitur, vt si maritus defunctus ad vitam rediret, non posset vxorem repetere, quam viuens duxerat. Doctrina est Apostoli ad Rom. 7. Deinde vinculum coniugij spiritualis à solo Pontifice Maximo solui potest, non quidem omninò, vt diximus, sed in ordine ad Ecclesiam particularem cui iunctus erat. Solus enim Christi Vicarius Episcopos transferendo, vel deponendo, vel facultatem renunciandi tribuendo, soluit à vinculo, quo Ecclesiæ suæ tenebantur obstricti: vinculum autem coniugij carnalis non solus Papa, sed ipsi etiam contrahentes aliquando licitè, libereque dissoluunt. Siquidem matrimonium ratum, non consummatum potest alter coniugum iure soluere, si ordinem religiosum profiteri velit, ex Concil. Trid. sess. 24. can. 7. neq; in hac re vllam à Summo Pontifice facultatem petere debet. Item matrimoniũ inter fideles contractum, & consummatum, quod vtique verum matrimonium est, potest dissoluere alter coniugum, si ad fidẽ Christianam conuertatur altero coniuge in infidelitate remanente, ex Apostol. 1. Cor. 7. Item in testamento veteri, matrimonia etiã cõsummata passim ipsi coniuges per libellum repudij dissoluebant, neque Pontificis auctoritatẽ expectabant, ex Deut. ca. 24. Denique matrimonia rata, & consummata fidelium solui possunt quoad thorum, & cohabitationem certis de causis ab Episcopis particularibus: matrimonium spirituale, ne quoad cohabitationem quidem ab alio, quam à Summo Pontifice solui potest. Ex his igitur manifestè colligitur vinculum spiritualis coniugij, quod à solo Pontifice solui potest, firmius ac fortius esse, quam vinculum coniugij carnalis, quod ab ipsis coniugibus, vel ab inferioribus Sacerdotibus soluitur. Atque huc respexisse videtur Innocentius Pontifex, cuius propositum in eo capitulo erat docere, translationes Episcoporum sine Pontificis Maximi consensu fieri non posse.

CAPVT XXX.

Respondetur ad obiectiones contra primam partem rationis quintæ pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

IN capite tricesimo Barclaius post longas digressiones reuertitur ad primam partem rationis quintæ Bellarmini, quam in capite 25. sibi refutandam susceperat. Ait igitur.

§. Admittimus quidem eius propositionem, Pastori scilicet necessariam esse potestatem circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua potest. Admittimus & assumptionem, lupos videlicet, qui Ecclesiam Dei vastant, esse hæreticos. Ex quibus concludit hoc modo, Ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete fiat lupus, id est, ex Christiano fiat hæreticus, poterit Pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo ne eum sequatur, ac proinde priuare eum dominio in subditos. Vitiosa collectio, cuius loco in bona dialectica reponendum est: Ergo si Princeps aliquis ex oue, aut ariete fiat lupus, poterit Princeps Ecclesiæ eum arcere omni ratione qua potest.]

Respondeo. Nullum hic est vitium, sed compendio dictum est, quod longiori circuitu dici potuisset: nam ratio, qua potest, & solet Pastor Ecclesiæ hæreticos, quasi lupos ab ouili suo arcere illa est, vt per sententiā excommunicationis eos remoueat à commercio Catholicorum, & per absolutionem à vinculo subiectionis efficiat, ne populus Catholicus Principem hæreticum deinceps sequatur. Neque propositum mihi fuit in libris scribendis, syllogismos propriè formare secundùm figuras & modos, vt in scholis faciunt, qui de proposita quæstione, exercendi ingenij gratia disputant: sed vim rationum explicare, atque ostendere, vt alij faciunt, qui libros Theologicos scribunt.

At, inquit Barclaius, *§. Potest quidem Pastor Ecclesiæ iure suo excommunicare Regem hæreticū: sed absoluere populum à iuramento fidelitatis, aut iubere ne populus Catholicus Regem hæreticum in rebus politicis sequatur, iure non potest, cùm hoc iuri diuino, & naturali repugnet.*]

Ac ne illi fortassè obijciamus, quod non seruauerit formam argumentandi, format hunc syllogismum.

§. Summus Pontifex nihil præcipere, vel dispensare potest contra ius naturale, & diuinum: Atqui subiectio, & obedientia Principibus, & superioribus debita, est de iure naturali, & diuino: Ergo Summus Pontifex nihil contra eam præcipere, & dispensare potest: & per consequens non potest præcipere subditis, ne Principi suo temporali obediant in eo, in quo Princeps est, & superior: & si de facto præceperit, licebit subditis, tanquam extra territorium ius dicenti, impunè non parere. Vtrunque propositum est certo certius, ex quibus conclusio necessaria consecutione inducitur: Qui huius argumenti vim eneruauerit, is magnam mecum gratiam inibit. Ego me hercle, vt ingenij mei tenuitatem ingenuè fatear, non satis perspicio, qua possit solida ratione elidi.

Respondeo. Hæc sunt omnia refutata in capite vicesimo sexto, neq; aliquid noui Barclaius attulit hoc loco, sed alijs, & alijs verbis more suo eadem repetiuit. Sed ne queratur, nihil nos ad insolubilem eius demonstrationem in forma respondisse, distinguo assumptionem: nam cùm assumit, *At qui subiectio, & obedientia*

A *Principibus, & superioribus debita, est de iure naturali, & diuino;* si intelligat de Principibus, & superioribus, pro tempore quo Principes, & superiores legitimi sunt; verum assumit, sed nihil inde cōcludere potest: nam Principes hæretici post sententiam Summi Pontificis declarantis illos excommunicatos, & depositos, non sunt amplius legitimi Principes, vel superiores: sin autem intelligat de Principibus, & superioribus, pro quocunque tempore, etiam post abrogatum illis imperium; falsum assumit, neque de hac re vllum esse dubium potest. Nam iure diuino tenentur subditi nō solum obedire Regi tanquam præcellenti, sed etiam Ducibus; tamquā ab eo missis, vt scribit S. Petrus in priore epist. c. 2. & tamen posteaquam Rex abrogauit Duci potestatem, non tenentur amplius illi

B obedire, quemadmodum neque ipsi Regi obedire tenentur, quando iure à Regni solio deiectus est. Quare Barclaius si aliquid solidi adferre voluisset, debuisset probare, Principes terræ cùm semel Principatum adepti sunt, iure diuino in Principatu ita stabilitos esse, vt nulla vi, nulloque iure deijci possint à Principatu. hoc autem, in quo totius vertitur cardo quæstionis, nunquam probare potuit.

Sed dicet, *esto Principes deponi possunt, non tamen deponi possunt, nisi à superiore.*

Respondeo. Papam omninò superiorem esse, cùm sit Vicarius Iesu Christi, non puri hominis, sed Dei & hominis, ac per hoc sit vice Christi Pastor, & Pater, & Rector, & Caput omnium Christianorum, etiam Principum, Re-

C gum, & Imperatorum, vt sæpè dictum est, & ex ipsis diuinis literis manifestè deducitur.

At, inquit Barclaius, *Papa quidem superior est, sed non in eadem specie superioritatis: superior enim est Regibus, & Principibus in rebus diuinis, & spiritualibus: in temporalibus autem fatentur ipsi Pontifices, se Regibus superiores non esse, vt notum est ex cap. Per Venerabilem, Qui filij sint legitimi, Vbi Pontifex dicit, Regem non habere superiorem in temporalibus.*]

Respondeo. Iam hæc omnia supra esse tractata, & discussa: ostendimus enim, Pontificem superiorē esse Regibus etiam in temporalibus, quando propter spiritualia necesse est disponere de temporalibus, quæ spiritualibus subordinata esse debent; idque ostendimus ex communi sententia Doctorum, allatis testimonijs supra septuaginta; item ex Concilijs Ecclesiæ ge-

D neralibus non paucis, denique ex rationibus diuinis literis fundata: aduersus quæ nihil attulit Barclaius, nisi clamores tragicos, & verba turgida, sed inania. Quod autem Innocentius scribit, Reges non habere superiorem in temporalibus, verissimum est in eo sensu, in quo id Innocentius dicit, quod videlicet sint Reges, supremi Principes temporales, neque habeant super se alios Reges, vel Imperatores, excepto Deo, qui est *Rex Regum, & Dominus Dominantiū:* sed hoc nō prohibet, quo minus habeāt Reges superiorem spiritualem tanta præditum potestate, vt possit temporalia dirigere ad spiritualia, cùm ordinis ratio postulet, vt potestas temporalis subiecta sit spirituali, quando in vnum conueniunt, & vnam Ecclesiam faciunt, quomodo corpus in homine subijcitur

spiritui,

spiritui, & ab eo regitur, &, vbi opus est, corrigitur & castigatur.

Subiungit postea Barclaius longissimam apostrophen populorum ad Pontificem, in qua quod ipse millies repetiuit, iterum repetendo tribuit populis; quæ imperitos, & leues permouere forsitan possint: sed homines cordati, & prudentes facilè intelligent, hæc esse refugia miserorum, qui quod viribus obtinere non valent, ea gemitibus, & importunitate extorquere conantur. Veruntamen, ne lector existimet, nos laborem respondendi subterfugere velle, aut quæ Barclaius in persona populi dicit, maiora esse, quàm re vera sint, institutam responsionem per modum dialogi, & populum verbis Barclaij loquentem, & Pontificem verbis meis respondentem inducam.

CAPVT XXXI.

Dialogismus inter populum nimis addictum Regi terreno, & Pontificem Populo salubriter consulentem.

POP. *Pater sancte, nequaquam es Rege nostro in temporalibus superior: eoq́; non potes obsequium temporale, quod illi præstamus, impedire.*

PONT. Quando salus tua æterna in periculum adducitur propter obsequium temporale, quod Regi præstas; tunc omninò superior sum Rege tuo etiam in temporalibus: nam & illum, & te ad vitam æternam dirigere debeo, & omnia impedimenta de medio tollere, quæ hoc iter impediunt.

POP. *Cur nos facere prohibes, quod Deus nos facere imperat?*

PONT. Absit; non hoc prohibeo, sed contra potius impero, ne facias, quod Deus te facere prohibet. Ego Pastor sum à Christo, qui Dominus gregis est constitutus. Vos populi, ouiculæ estis, Reges vestri arietes sunt. Itaq; dum Reges vestri arietes esse perseuerãt, sino vt vos regant, & ducant: sed si vertantur in lupos; æquumne erit, vt patiar duci oues Domini mei à lupis? Itaque iure veto, ne illos sequamini: nam & hoc Dominus vetat, quoniam cùm nimis grandi periculo ouiculæ reguntur à lupis.

POP. *An quia tuum est, voluntatem Dei in lege diuina, & scripturis comprehensam interpretari?*

PONT. Tu dixisti.

POP. *At non est tamen illa interpretatio adhibenda, quæ legem penitus euacuet, & mandatum omninò destruat, ac dissoluat.*

PONT. Quam legem Dei interpretando destruximus, aut dissoluimus vnquam, vel prædecessores mei, vel ego?

POP. *Si quid dubij, aut obscuri est in lege diuina ad sedem Petri, id est, ad sedem quam tu nunc tenes, interpretationis veritatem accepturi confugimus: quod autem per se clarum est, & perspicuum, id nulla interpretationis luce indiget.*

PONT. Quid tum?

POP. *Cùm Dominus, & Saluator noster iubeat, nos reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei Deo: & deinde per Apostolum Principibus, & potestatibus subditos esse, & dicto obedire: tuum est nobis declarare, quæ sunt Cæsaris, id est, quæ à nobis Regi nostro debentur, & quæ sunt Dei, vt sua vtriq́; reddamus: & in ea distinctione vocem tuam libenter audiemus. At cùm dicis, nolite quidquam Cæsari, siue Principi vestro reddere, contradicis Christo, ac proinde vocem tuam non audimus.*

PONT. Quando Dominus dixit, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* iussit censum dari ei, qui tunc imperabat, neque Iudęos ad idololatriam cogebat, neque adhuc erat ab vlla legitima potestate depositus: quod idem iussit multò antea per Hieremiam Prophetam Deus fieri erga Nabuchodonosor Regem Babylonis propter eandem causam. sed cum tempore Machabæorum Antiochus Rex populum auertebat à fide, & Religione diuina, non iussit Deus, vt eum pro Rege habere pergerent, sed inspirauit Matathiæ, & filijs eius, viris fortissimis, & religiosissimis, vt exercitu congregato bellum cum Antiocho tanquam cum hoste gererent, & populum in libertatem vindicarent. Sic igitur & tu popule Christiane, Regi legitimo, & qui à lege Dei, & Catholica Religione te non auertit, quique propterea à me Christi Vicario amatur, vt filius: reddes obedientiam debitam, in ijs, quæ contra legem Dei, & fidem Catholicam non iubebit. Regem autem, qui te siue minis, siue blanditijs, siue alio modo à via, quæ ducit ad vitam, reuocare conatur, & per sententiam meam à cœtu piorum eiectus, & Regno priuatus est, pro Rege non habebis; sed obedientiam ciuilem Regi debitam alteri exhibebis, qui in eius locum legitimè successerit. Porrò Deo, quæ Dei sunt reddes, quando fide, spe, & charitate Deum coles, neque vllius hominis timore, vel amore à Dei timore, vel amore separari te sines. Itaque nunquam ex me audies, nolite quidquam Cæsari, aut Principi vestro reddere; sed hoc audies, nolite seduci, vt etiam pro Cæsare, aut Principe vestro habeatis, qui re vera Cæsar & Princeps esse desijt.

POP. *Fatemur quidem, & profitemur Sanctitatis tuæ expositioni atque interpretationi in legis diuinæ obseruatione locum esse: sed eam non admitti asserimus, quæ facit, vt ius naturale, & diuinum sit ludibrio, & penitus contemnatur, veluti ne à re, quade agitur, aberremus: iubemur Principibus, & potestatibus obedire: tuas in huius mandati obseruatione explicationes, & restrictiones, quæ modo mandatum ipsum non extinguunt; tanquam filij obedientes libenter amplectimur: veluti cùm nullam inde obligationem parendi regibus oriri dicas, nisi in ijs, quæ ad temporalem ipsorum iurisdictionem pertinent: spiritualia omnia Vicario Christi, atque Ecclesiæ reseruanda esse. Item cùm admones non esse Regi obediendum in eo, quod contra ius diuinum, vel naturale imperat, aut quod alioqui bonis moribus aduersatur. At quando simpliciter, & absolutè præcipis, ne Principi nostro legitimo, eiusve monitis, mandatis, & legibus vllo modo obediamus: præcepto tuo parere non possumus, quia hoc non est mandata Dei interpretari, quod Sanctitati tuæ conceditur: sed penitus antiquare, & abrogare, quod nullo modo potes.*

PONT. *In multiloquio non deerit peccatum:* videris enim ex Barclaij alicuius schola prodiisse, dum tot verba sine ratione multiplicas: grauius autem peccas, dum doctorem tuum docere, & legislatori legem dare præsumis: sed grauissimè delinquis, & erras, dum Christi Vi-

cario imponis, quod faciat ius naturale, & diuinum ludibrio haberi, quodque mandatum Dei de obedientia Principibus debita antiquare & abrogare velit. nusquam enim ego, aut prædecessores mei simpliciter, & absolutè (vt tu loqueris) præcepimus, ne Principi legitimo, eiusve monitis, mandatis, & legibus vllo modo obediatur. Istę calumnię, & imposturæ sunt Doctoris tui Barclaij: quod enim dicimus, & docemus, hoc est, vt Principi ab Ecclesia, publica auctoritate excommunicato, & deposito, qui proinde legitimus Princeps esse desijt, nulla deinceps obedientia debeatur. Id verò cum nullo diuino mandato pugnat: diuinum enim mandatum non hoc habet, vt ei, qui Princeps legitimus esse desijt, obedientia deferatur. Tu verò diligenter attende, & expende vtrum maiorem fidem habere debeas Patri tuo, Christi Vicario, & Matri tuæ, Ecclesiæ; an vni falsò fratri, qui te seducit, ac facit, vt contra mandatum Dei, Patri, & Matri non obedias, dum obedientiæ Regiæ zelum sine scientia vis habere.

Pop. *Christus cùm claues Regni cœlestis Petro tradidit, non dedit ei potestatem faciendi de peccato non peccatum.*

Pont. Nescis quid loquaris: siquidem in bono sensu dedit Christus Petro potestatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum. peccatum est inire matrimonium in gradu prohibito, non ieiunare in quadragesima, die festo laborare seruiliter: & tamen hæc omnia, & alia id genus plurima, dispensante Petro, auctoritate clauium sibi datarum peccata esse desinunt. contra verò potest Petrus addere nouum gradum consanguinitatis, & affinitatis, addere nouum diem ieiunij, addere nouum diem festum, & hinc fient peccata, si quis in gradu illo addito coniugium contrahat, aut diebus additis non ieiunet, aut ab opere seruili non se abstineat, quæ tamen antea peccata non fuissent. Sic igitur peccatum fuisset Regi tali, vel tali non obedire; & tamen si per claues Petri ille talis Rex hæreticus declaretur, excommunicetur, & deponatur, iam non erit peccatum illi non obedire. Verum est tamen claues Petri ad id non se extendere, vt possit Summus Pontifex declarare, non esse peccatum, quod est peccatum, aut esse peccatum, quod peccatum non est: id enim esset dicere malum bonum, & bonum malum: quod longissimè abest, & semper absuit, & aberit à doctrina illius, qui Ecclesiæ præest, quæ est columna, & firmamentum veritatis.

Pop. *Nos igitur communem Canonistarum doctrinam in hac parte sequemur, qui tradunt, mandato Papa non esse parendum, si vel iniustum sit, vel ex eo multa mala seu scandalum verisimiliter est futurum, aut turbatio status Ecclesiæ & Reip. Christianæ oritura: & ideò si Papa mandaret Religiosis aliquid, quod esset contra substantiam ordinis, id est, quod repugnaret regulæ ab ijs professæ, vt interpretatur Felinus, in cap. Accepimus, de fid. instrum. & cap. Si quando, de rescript. non tenentur ei obedire; vt idem Innoc. docet in cap. Ne Dei, de Simonia, quē refert, & sequitur Martinus de Corazijs, in tract. de Principibus q.408. & Felinus dicto c. Si quando, & dicto cap. Accepimus: quanto igitur debent Regum subditi Pontificem, eos ab obedientia iure diuino, &* A *naturali Regi suo debita, & arctissimo iurisiurandi fœdere sancita, retrahere conantem audire?*

Pont. Quæ sit communis sententia non solùm Canonistarum, sed etiam Theologorum, & iuris ciuilis peritorum, imò & ipsorum sacrorum Conciliorum, discere poteris ex prolegomenis huius libri, vbi communi consensu affirmatur, iure posse à Summo Pontifice iustis de causis Regem excommunicari, & deponi, & subditos ab omni obedientiæ, & fidelitatis vinculo liberari. Non est autem credibile, Canonistas omnes secum ipsos pugnare. Cùm ergo dicunt aliqui Canonistarum non esse obediendum Pontifici quando mandatum ipsius iniustum est, aut scandalorum, & perturbationis causa; primùm: non loquuntur de Pontifice ex Cathedra docente Ecclesiam vniuersam: B deinde non loquuntur absolutè, sed conditionaliter, id est, si id fieret, si fortè contingeret, vt Pontifex alicui particulari homini mandaret aliquid contra legem Dei: tunc enim nota est S. Petri doctrina, Act. 5. *Obediendum est Deo magis quam hominibus.* Sed quando Pontifices prædecessores mei, vt Greg. VII. Innocentius IV. & alij Principes magnos excommunicare ac deponere, & subditos eorum ab obedientia liberare voluerunt: id fecerunt ex Cathedra, in Concilio, publica cerimonia, ex auctoritate Dei, & SS. Apostol. Petri & Pauli sibi diuinitus communicata: proinde, qui dicit, non esse obediendum Vicario Christi, ita præcipienti, is vniuersam condemnat Ecclesiam, & non tam Canonista, quàm Canonum deprauator dici debet. & quamquam non existimamus vllum C bonum Canonistam in hunc errorem incidisse: tamen si quis esset, securè posset fidelis Christianus & prudens vni, vel alteri Canonistæ cōditores Canonum anteponere. quod autem dicis, iure diuino, & naturali deberi obedientiam Regibus; verum est de Regibus legitimis, & nōdum per sententiā Iudicis depositis: & quoniam ab horum, non ab illorum obedientia te retrahimus; propterea vel falsum nobis imponis, vel frustra de nobis quereris.

Pop. *Si ob eam causam nos iubes Regis nostri iugum abijcere, quod per obedientiam illi exhibitam, spirituale bonum impediatur: respondemus, id quicquid est mali, ex quodam accedente euenire, siue per accidens fieri: malum enim ex bono, aut bonum ex malo per se oriri non potest: accidens autem illud dolenter ferimus, sed impedire non possumus.* D *Nos officium Regi debitum Dei iussu persoluimus, & secundùm patientiam boni operis gloriam, honorem, & incorruptionem quærimus. Ille si debito sibi obsequio, & tanto Dei beneficio abutatur, Deum supra se Iudicem, & vindicem acerrimum sentiet: nobis non licet officium deserere, & Dei mandatum præterire: vt bonum inde, quantumuis magnum consequatur, ne eam, quam Apostolus nunciat, damnationem nobis ipsis acquiramus.*

Pont. Videtur tibi satis aptè conuenire, quod Spiritus sanctus per os Dauid Prophetæ, & Regis, ait, *Noluit intelligere vt benè ageret*: siquidem detrimentum spirituale, id est, periculum subuersionis animarum, quod est annexum obedientiæ ad Regem hæreticum, præsertim quando is Rex fidem Catholicam molitur euertere, sufficiēs causa est Vicario Christi,

qui super totam Christi familiam constitutus est, vt Regem illum excommunicationis sententia feriat, & dominio illo priuet, quod super fideles habebat. Vbi verò Rex, alioqui legitimus, ob detrimẽtum spirituale Regno priuatus est, per sententiam eius, qui Ecclesiam vniuersam regit, non solùm non tenetur populus illi parere, sed tenetur non parere; ac per hoc cùm illi iure deposito obedientiam præbet, non per accidens, sed per se causa est mali, & inobedientia peccatũ incurrit, vt inobediẽtiæ peccatum euitet. Neq; officium Regi debitum Dei iussu persoluit; sed officium Regi indebitum Deo prohibente persoluit. qui verò Regi, vt dictum est, iure deposito obedientiam denegat, non facit malum, vt bonum inde sequatur: sed facit bonum, vt malum grauissimũ euitetur: neque damnationem sibi ipse acquirit, sed à damnatione, quam alioqui incurreret, liberatur. Quod si hæc non intelligis popule stulte, & insipiens; cur non audis me Pastorem tuum? cur iudicio tuo fidis? cur seduceris ab alieno? Oues certè Pastorem proprium sequuntur, quia sciunt vocem eius: alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia nõ nouerunt vocem alienorum, inquit Veritas Ioann. 10.

Pop. *Qui iubet nos Regibus obedire, & reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, nullam bonos inter & malos Principes distinctionem facit, ac per hoc nec nos distinguere debemus.*

Pont. Addo etiam cum Apostolo Petro, obediendum esse *non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* 1. Petr. 2. Itaque non distinguimus inter bonos & malos, dũ superiores sunt: sed quæstio nostra est, An sit obediendum Regi per sententiam reiecto, ac deposito; huic enim obedientiam exhiberi Christus non iubet, & Vicarius Christi prohibet, vel potius per Vicarium suum Christus ipse prohibet: proinde qui obedientiam illi exhibet, Christo non obsequitur, & Vicarium Christi lædit.

Pop. *Si, vt docet B. Augustinus, is qui continentiam Deo vouerit, nullo modo debet ista compensatione peccare, vt ideò credat vxorem sibi esse ducendam, quia promisit quæ nuptias eius appetit, futurã se esse Christianam: atque ita acquirat Christo animam in morte infidelitatis positæ feminæ, quæ parata est, si huic nupserit, fieri Christiana: qua nos apud Deum excusatione vtemur, si vt speratum aliquod bonum eueniat, iurisiurandi religionem, & fidem violemus Deo, Regiq; nostro datam? nihil enim anima preciosius, pro qua Dominus & Saluator mori dignatus est: si ergo vt eam Christo lucremur, peccare non liceret, eccuius rei causa peccandum?*

Pont. Non sunt facienda mala, vt veniant bona. hæc doctrina Apostolica est, ac per hoc & nostra: hinc non licet votum castitatis violare, vt animas Christo lucremur: neque licet contra iurisiurandi religionem aliquid facere, vt Mundum vniuersum saluum faciamus: sed non ideò non licet mihi, cui Christus dixit in persona S. Petri, *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis,* & in votis dispensare, & à iuramenti vinculo soluere, qui autem Apostolica auctoritate, vel voto, vel iuramento solutus est, iam non peccat contra votum, vel iuramentum, si ea faciat, quæ antea ligatus

A voto vel iuramento facere non poterat: quemadmodum enim inter homines, qui debet alteri pecunias, peccat, si non restituat: sed si creditor soluerit debitorem obligatione reddendi, iam non peccabit etiam si nunquam restituat: sic etiam dum votum, aut iuramentum viget, & ligat; peccat qui illa nõ seruat; sed si Vicarius Dei, accepta à Deo auctoritate, & ipsius Dei nomine relaxat obligationem voti, vel iuramẽti, iam non peccat, qui ea non seruat. stulta igitur est illa interrogatio tua, *eccuius gratia peccandum?* quasi hoc à populo Sacerdos discere opus habeat.

Pop. *Quod autem præterea dicis, te nos ab huius officij vinculo absoluere, atque absolutos declarare: id non omnẽ cõscientijs nostris scrupulum adimit; sed animo pendere, ac dubitare magis de tua*
B *potestate facit: quod sciamus præceptum, cuius tu nobis gratiam te facturum promittis, Dei & naturæ lege esse sancitum: Sanctitatem verò tuam non posse, ne quidem de plenitudine potestatis, legis naturalis, & diuinæ gratiam cuiquam facere.*

Pont. Tam indocilem omninò te præbes, cùm ad eadem semper reuolueris. Non ego tibi gratiam facio præcepti naturalis, vel diuini, cùm ab obedientiæ vinculo te absoluo. non enim permitto, vt Regi non pareas, quod esset contra ius diuinum; sed facio, vt ille qui tibi Rex erat, non sit tibi deinceps Rex: quemadmodum, qui donat seruum libertate, non concedit, vt seruus non teneatur obedire Domino, quod esset etiam contra ius diuinum: sed facit, vt Dominum non habeat, cui obediat, & qui filium emancipando eximit à potestate patria,
C non docet liberum esse filijs, parentibus non obedire, sed facit vt ille, qui filius erat, iam non censeatur filius. Et qui votum, aut iurametum relaxat, non dat facultatem violandi vota, vel iuramenta, sed facit, vt non habeat votum, vel iuramentum.

Pop. *Tibi igitur in spiritualibus, Regi in temporalibus obsequemur: vtrumque Deus iubet, vtrumque præstabimus.*

Pont. Si (vt paulò ante dicebas) pendebas animo, & dubitabas; cur in re dubia te ipse Iudicem constituisti; & tam audacter conclusisti? Deus certè in Deut. ca. 17. in rebus dubijs, & obscuris remittit homines ad Sacerdotem, nec vult vt vnusquisque sit iudex. Et tu ipse paulò ante dixisti, in rebus dubijs ad Sedem Petri esse confugiendum; cur igitur in dubitatione tam
D graui, ad locum quem elegit Dominus, id est, ad Sedem Petri non confugisti? Ac vt intelligas te tua conclusione nihil effecisse: attende primùm, Deum quidem iubere, vt Pontifici obedias in spiritualibus, sed non iubere vt in spiritualibus tantùm; imò iubere, vt consequenter etiam obedias in temporalibus; sed Regi qui legitimè regnat, non Regi, qui ob hæresim, vel alia iusta de causa Regno priuatus est: nam & ipsi Pontifici obedire non deberes in spiritualibus, si fortè (quod fieri nõ posse piè credimus) in hæresim lapsus ab Ecclesia Pontificatu priuatus esse denũciaretur. Attende postremò, dubitationem de potestate Papæ, an ad temporalia se extendat non esse dubitationẽ de re temporali, sed de re spirituali, & supernaturali, quæque non ab arbitrio, & iudicio hominum;

sed

sed ab intelligentia Scripturarum,& interpretatione voluntatis diuinæ dependet. quare non tuo iudicio, sed Ecclesiæ in tam graui dubitatione stare debuisti. Ecclesia verò,& per caput suum Christi Vicarium, & per Concilia, id est, per principalia membra sua, & per Doctores Theologos, & Canonistas, id est, per linguas suas, non obscurè docuit, Potestati spirituali subiectam esse potestatem temporalem, vt corpus animæ,& ideò potestatem temporalem etiam Regiam, à potestate spirituali, quæ plenissimè reperitur in Papa, dirigi,& corrigi, iudicari,& mutari posse, cùm deuiat.

POP. *Minas denique, quas mandato inseris miramur quidem, & ex parte metuimus: sed non ita sumus meticulosi tamē, vt plus eas, quàm oportet timeamus; aut ijs ita terreamur, vt metu iniustæ excommunicationis, iustum, ac iure debitum obsequiū Regi nostro denegemus. Licet enim vulgo iactetur, omnem excommunicationem esse timendam: scire tamen oportet iniustam excommunicationem, non lædere eum in quem fertur, sed eum potius à quo fertur: si ideò nos anathematis mucrone ferias, quia nolumus mandatum Dei, te iubente, prætergredi,& malum facere: maledictio vertetur in benedictionem, vt quamuis ligati exterius videamur, interius soluti, atque innocentes maneamus.*

PONT. Hoc nimirum est quod Sapiens dicit, *Impius cùm in profundum venerit, contemnit.* In hanc te foueam præcipitem egit superbia, quia te ipse Iudicem rerum diuinarum, & cœlestium constituisti: & in huius foueæ profundum demersus iudicium non solùm Vicarij Christi, sed ipsius etiā Christi contemnis. Nam etiam si timere te dicas minas censurarum Ecclesiæ; tamen cùm audacter pronuncias, eis te non pariturum, non solùm timorem excludis, sed addis manifestè contemptum: qui enim verè timet, saltem ex timore mandatum obseruat. Quod autem dicis, iniustam sententiam non lædere eum, in quem fertur: verum est quando is, in quem fertur, eam humiliter tolerat,& obseruat, donec iniustitia, vel potius nullitas eius manifestè se prodat. Sed cùm is, in quem fertur, eam superbè contemnit, & audacter mandata transgreditur, si non lædit eum excōmunicatio iniusta, vel nulla, lædit tamē superbia,& timor, quo Pastoris mādata contēnit. Sed hæc dicenda essent, si censura, & mandata, de quibus nunc loquitur, aliquam iniustitiæ, vel nullitatis speciem præleferrent. At cùm Vicarius Christi sub excommunicationis pœna populis iubet, vt Regi hæretico, vel alias iustè excommunicato, atque deposito, non obediant: quæ suspicio iniustitiæ suboriri potest? non enim vt tu falsò affirmas, Pontifex anathematis mucrone te ferit, quia non vis mandatum Dei, ipso iubente prætergredi, & malum facere: sed contra potius, quia mandatum Dei, Pontifice prohibente, vis transgredi, & malum inobedientiæ facere. Nusquam enim mandauit Deus, vt Regi hæretico, & excommunicato, ac deposito, populus obsequium præstet: sed mādauit, vt hæreticos vitet, & ne *Aue* quidem illis dicat, vt Pastori suo obediat,& vocem eius audiat.

Atque hæc sunt, quæ Barclaio in persona populi dicere placuit; ad quæ non sine stomacho respondi, cùm valdè me pigeat eadem toties replicando tempus,& operam perdere: & tamen hac puerili apostrophe tandem finita, iactat Barclaius firmissimis demōstrationibus, & ineluctabilibus argumentis rem totam esse conclusam.

CAPVT XXXII.

Refutantur falsa quædam pronunciata Barclaij, quæ digrediendo effutijt.

IN capite trigesimosecundo Barclaius multa repetit, quæ supra dixerat de maioribus nostris, qui Principes infideles, cùm facilè possent eos opprimere, patienter tolerarunt: item de turbis excitatis in Ecclesia occasione Gregorij septimi,& Bonifacij octaui, qui Principes Christianos, vel re ipsa deposuerunt, vel deponere tentarunt. Addit verò reprehensionem Clementis Septimi,& Pauli Tertij in hæc verba.

§. De postremis duobus Pontificibus ausim affirmare (est enim orbi notissimum) in causa eos fuisse perdendæ Religionis in Anglia, quòd istam tam inuidiosam, & latè patentem potestatem in Regni illius Principem,& populum sibi assumere,& exercere conati sint.

Hæc verò falsitas & calumnia tam est manifesta,& notoria, vt mirum sit ab homine, qui se in historijs versatum profitetur, proficisci potuisse. sed odium in Pontifices, & maledicendi libido, non solùm mentem excæcat, sed etiam memoriam perdit. Quis enim ignorat Clementem Septimum optasse modis omnibus Henrico octauo, Angliæ Regi sibi amicissimo gratificari, modo iustitia, & Religio id paterentur? *At Henricum anathemate ferijt, & extat sententia Clementis in Henricum apud Nicolaum Sanderum lib.1. de Schismate Anglicano.* Verum est, sed coactus fuit, & causa anathematis adeò iusta fuit, vt ne Barclaius quidem eam reprehendere possit, quamuis maximè vellet: nimirum Henricus contra omnia iura, cum maximo totius orbis terræ scandalo, lite pendente ad tribunal Summi Pontificis, & ipso Summo Pontifice palam prohibente,& censuras Ecclesiæ comminante, Catharinam legitimam coniugem à se abdicauit, & Annam Bolenam sibi multis modis affinem matrimonio iunxit; ita separauit quod Deus coniūxit,& coniunxit, quæ Deus separari mandauit. Quæro igitur à Barclaio an potuerit Clemens Pontifex, salua pietate, aliud agere quam quod egit? certè peccare non licet vllius boni acquirendi gratia: quomodo autem Pontifex non peccasset, si matrimonium Regis cum Catharina iure contractum diremisset: & matrimoniū eiusdē Regis cum Anna, quę ipsius Regis soror & filia ex affinitate erat, approbasset? id enim ita se habere, ex confessione ipsius Regis, Nicolaus Sanderus demonstrat. libr.1. de schismate Anglicano. Ergo causa perditionis Angliæ, non Pontificis iustitia, sed Regis impotens libido fuit. Paulus verò tertius seueriorem quidem sententiam in Henricum protulit, sed quando iam Rex à Catholica Fide defecerat, seq; per nouam & inauditam hæresim caput Ecclesiæ constituerat, & Regnum suum à communione corporis Christi mystici separauerat. Quare non potuit esse causa Paulus

Pōtifex perditionis Angliæ, quæ iam perierat: neque aliud propositum fuit Pontifici, nisi vt gregem,& Regem perditum,si quo modo posset,inueniret,atque ad viam veritatis errantem reduceret, & mortuum in peccatis ad vitam gratiæ reuocaret; vt de eo dicere posset, *Filius meus mortuus erat,& reuixit,perierat,& inuentus est*. Vide apud Sanderum loco citato, defectionem Regis,& Regni anno 1534. & sententiam Pontificis Pauli III.anno 1535.quam etiam sententiam idem Pontifex ob spem aliquam conuersionis Regis ostensam,vt in eodem loco Sāderus notat,executioni mandari noluit.

Subiungit postea falsitatem aliam,non in historia,sed quod grauius est in Fide, & Religione Catholica;§. *Reges*,inquit, ***non in eadem causa sunt, sed supra omnes leges humanas, omneq; ius positiuum, soli Deo administrationem reddituri, & quantò tardius, tantò seuerius puniendi. Aduersus priuatos executio parata est, quam nequeunt nisi ex indulgentia Principis euitare. Aduersus Principes quæ potest fieri exequutio, cùm nullis humanarum legum sanctionibus teneantur, nulliq; ad pœnam vocentur legibus, tuti imperij potestate? Nam quod in iure expressum est, Principem legibus esse solutum, cùm de omnibus legibus, tum maximè de pœnarijs intelligunt,vt ijs Princeps,etiam si delinquat, non coerceatur.***]

Hæc verò Barclaij sententia primùm secum ipsa pugnat: nam si legibus omnibus humanis Reges soluti sunt, certè non delinquunt, cùm secundùm eas non operantur. *Vbi* enim ***non est lex, nec præuaricatio,*** inquit Apost. ad Rom.4. quomodo ergò Barclaius in vltimis verbis dixit,Principes non puniri, etiam si delinquant? admittit.n.eos delinquere,cùm leges humanas nō seruant, & tamen affirmat eos legibus non teneri:qui autem legibus non tenentur,vtique non delinquunt, si eas non seruent. Respondebit fortasse,Principes nō teneri legibus,quātum ad coactionem;teneri autem quantum ad directionem. Quamuis autem videantur verba eius Principes ab omni legum humanarum obligatione liberare: tamen admissa responsione paulò antè allata: iterum quæro, velitne Barclaius Principes solutos vi coactiua legum humanarum omnium tum ciuilium, tum Ecclesiasticarum,an ciuilium tantùm:nam si dixerit, eos solutos esse vi legum ciuilium tantùm;certè aliter sentit, aliter loquitur. disertis enim verbis dicit, Principes esse super omnes leges humanas,omneque ius positiuum,& nullis humanarum legum sanctionibus teneri: leges autem Ecclesiasticas,quæ à Summis Pontificibus, Concilijsve Episcoporum conduntur, humanas esse,& ad ius positiuum pertinere, dubitari non potest. Sin autem,vt verba sonant, solutos vult esse Barclaius Principes legibus Ecclesiasticis Pontificum,& Conciliorum,errat in doctrina fidei manifestè, & repugnat ijs, quæ supra non semel repetiuit,Principes Christianos omnes subiectos esse spirituali potestati Summi Pontificis, vt oues baculo pastoris, & posse censuris Ecclesiasticis,& ipsa etiam excommunicatione coërceri,& cap.32. addit, Posse Principes per Summum Pontificem priuari omnibus commodis regenerationis in Christo, item tradi Satanæ vsque ad legitimam errati, & cō-

A tumaciæ satisfactionem. Et quoniam priuari tot commodis,& Satanæ tradi, grauissima pœna est omnium consensu,fateri debet, paratam esse aduersus Principes executionē, & eos quoque ad pœnam legibus vocari: quæ sunt omninò contraria ijs, quæ hoc loco scripsit. sed veniamus ad ea, quæ ad institutum nostrum propriè pertinent.

CAPVT XXXIII.

Defenditur pars secunda rationis quintæ principalis pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

IN capite tricesimotertio Barclaius ex longa digressione domum rediens, proponit,ac discutit, & refellere nititur secundam partem rationis meæ principalis, quæ hac ratiocinatione continebatur,***Potest Pastor arietes furiosos destruentes ouile separare,& recludere: Princeps autem est aries furiosus destruens ouile, quando est Catholicus fide, sed adeò malus, vt multum obsit Religioni,& Ecclesiæ, vt si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, &c. Ergò poterit Pastor Ecclesiæ eum recludere,vel redigere in ordinem ouium.*** (B)

Hanc ratiocinationem Barclaius impugnaturus incipit à censura vocabulorum, ac dicit, *excludere* dicendum erat,non *recludere*: recludere enim aperire est.At ego per recludere,nō excludere,sed includere significare volui: solent enim Pastores Arietes furiosos includere in aliquem locum, vt non possint cornibus ouiculas petere,vel pedibus conculcare. ***Sed recludere***,inquit ille,***aperire est,non claudere.*** Verū est id quidem, cùm dicimus, recludere fores, aut domum,aut carcerem;sed cùm dicimus,recludere aliquid intra fores, aut hominem in domo, vel carcere recludere; tum recludere, (C) accipitur pro eo quod est claudere, vel includere:& hoc posteriori modo significare volui, Arietem à Pastore recludi in loco aliquo angusto & munito, vnde non facilè possit egredi. Ac ne putet Barclaius, me sine auctore esse loquutum, legat Hincmarum in vita S.Remigij, Iuonem in Epist.49. Aimoinum, in lib.4.historiæ c.57. & inueniet passim *recludere* ab Auctoribus non malis vsurpari pro *includere*,quo modo religare,non est soluere, sed iterum,vel arctius ligare. Ac vt os Barclaij penitus obstruamus,audiat sanctum Hieronymum, auctorem primæ classis, in libro aduersus Vigilantium, sic loquentem: ***Ais vel in Sinu Abrahæ,vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei animas Apostolorum, & Martyrum cōsedisse,nec posse suis tumulis, & vbi*** (D) ***voluerint adesse præsentes: Senatoria videlicet dignitatis sunt, & non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera,honestaq; custodia,in Fortunatorum Insulis, & in campis Elysijs recluduntur:*** hæc sanctus Hieronymus,cui non audebit,opinor, Barclaius dicere,recludere aperire est,proinde includuntur dicendum erat,non recluduntur. Ac vt ex eodem sancto Hieronymo referamus Barclaio gratiam fraternæ correptionis: meminerit se capite tricesimo iurasse per Herculem, cùm ait, *Ego me Hercle*,&c. & audiat sanctum Hieronymum in Epistola ad Damasum, de filio prodigo dicentem, ***Absit vt de ore Christiano sonet, me Hercule, & me Castor, & cætera magis portenta,quàm numina.*** Sed his omissis,veniamus ad seria.

Admitti

Admittit Barclaius ratiocinationem meam totam,& omnia,quæ inde per bonam consecutionem deducuntur. Sed negat inde aliud effici posse, nisi vt Pastor, id est, Papa, Arietem furiosum, id est, Regem deterrimum posit per excõmunicationem ab ouili excludere, & priuare spiritualibus beneficijs Sacramentorum, & suffragiorum: sed non vltra procedere ad vllam pœnam temporalem, qualis in primis est priuatio temporalis iurisdictionis, aut dominij.

Sed Barclaius non percepit vim argumenti ex proposita similitudine, quam admisit, vt aptam atque idoneam ad hanc rem explicandam,& probandam. Neque enim Pastor arietem furiosum solùm excludit à grege; sed alligat,& recludit, siue includit in aliquo angulo, vt non posit amplius Dux esse gregis. Et ad huius pastoris similitudinem successor sancti Petri, & Vicarius Christi Principem Christianum destruentem Ecclesiam, alligat vinculis excommunicationis, & quodam modo includit in angulum, dum non sinit, vt regat amplius populos Christianos.

Quod autem Barclaius dicit, posse Principẽ excommunicari, sed non posse priuari nisi spiritualibus bonis, ac per hoc non posse priuari auctoritate, vel iurisdictione, vel dominio tẽporali,neque posse subditos eius absolui à fidelitate,& obedientia,quam illi debebant: mirũ est,cum sacri Canones, quorum scientiam ipse profitetur, inter excommunicationis effectus ponant, non solùm priuationem Sacramentorum,& suffragiorum; sed etiam commercij ciuilis,ac præcipuè forensis, vt non posit excõmunicatus pro tribunali sedere, & iudicare, neque subditi comparere in iudicio coram excommunicato, vt est communis sententia, ex cap. *Ad probandum*, de sen. & re iudic. & ex cap. *Decernimus*, de sent.excommunic. in 6. Item priuationem vel suspensionem iurisdictionis, & absolutionem subditorum à fidelitate: de qua re apud Gratianum 15.q.6.Can. penultimo sic legimus, *Nos sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicationis fidelitate, aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* & Can. vlt. *Iuratos milites Hugoni Comiti, ne ipsi quamdiu excommunicatus est, seruiant, prohibeto, qui si sacramenta prætenderint, moneantur, oportere Deo magis seruire quàm hominibus.* Denique in casu hæresis priuari etiã dominio docet S. Thomas in 2.2.q.12.art.2.his verbis, *Quam citò aliquis per sententiam denuntiatur excommunicatus propter apostasiam à fide, ipso facto subditi absoluti sunt à dominio eius, & à fidelitatis iuramento, quo ei tenebantur.* Et quamuis extra casum hæresis ex vi sententiæ excommunicationis non sequatur priuatio dominij temporalis, siue rerum particularium,siue Regnorum, & Principatuum; tamen posse per Summum Pontificem priuari Reges, aliosque Principes iustis de causis Regno, vel Principatu, probatum est supra testimonijs,& rationibus multis, neque ea potuit Barclaius cauillationibus suis vllo modo conuellere.

A *At, inquit, bona temporalia, quæ ciuili, & humana potestate possidentur, de manu Principis politici accipiuntur: ergo non possunt auferri per excommunicationem, quæ est sententia Iudicis spiritualis, quemadmodum spiritualia, non possunt tolli per sententiam Iudicis temporalis.*

Respondeo. Bona temporalia, quamuis humana, & ciuili potestate possideantur, tamen bonis spiritualibus subordinantur, & potestas ipsa temporalis potestati spirituali subijcitur. Ideò verum quidem est, non posse spiritualia tolli per sententiam Iudicis temporalis, quoniã spiritualia non subordinantur temporalibus, neque potestas spiritualis temporali subijcitur: sed non est verum, non posse temporalia aliqua tolli per excõmunicationem, quę est sententia Iudicis spiritualis. Neque hoc in dubium
B reuocari potest, cùm satis constet commercium ciuile,& actiones forenses, bona esse temporalia,& ciuilia: & tamen istis bonis temporalibus priuari excommunicatos, præsertim post publicam denuntiationem, vel declarationem.

CAPVT XXXIV.

Refutatur error Barclaij de exemptione Clericorũ.

TRansit deinde Barclaius ad exemptionẽ Clericorũ, sumpta occasione ex eo quod dixerat, bona temporalia non posse dari, nec auferri, nisi à Principe temporali, & neminem posse iudicium Principis in temporalibus declinare. Et quia poterat aliquis obijcere, Clericos exemptos esse à potestate Principum, ac per hoc etiam in temporalibus posse eorum iudicium declinare: respondet, Clericos pri-
C uilegio Principum exemptos esse, cùm alioqui iure communi subditi essent, sicut cæteri. Digreditur igitur in hoc cap.& sequenti ad exemptionem Clericorum, & multa dicit, quæ non solùm à veritate, sed etiam à communi scriptorum sententia abhorrent.

Primùm dicit, antequam Clerici beneficio Principum eximerentur, iure communi subiectos fuisse iudicio Magistratuũ temporalium. Id probat duplici ratione: primum ex eo, quod Clerici, non solùm Clerici sunt, sed etiam ciues Reipublicæ politicæ; & citat librum meum de Clericis cap. 28. Deinde ex eo quod olim sub optimis, & pijssimis Principibus causæ Clericorum tam ciuiles, quam criminales, exceptis causis Ecclesiasticis, apud politicos, & temporales Iudices agitabantur, & citat caput quin-
D tumdecimum huius libri, vbi hoc demonstrasse se putat.

Ad hoc respondeo, Clericos non solò priuilegio Principum, sed etiam decretis Summorum Pontificum,&, quod maius est, diuino iure exemptos fuisse, ac per hoc exemptos fuisse, antequam Principum priuilegio eximerentur. Quod autem Clerici sint ciues,& pars quædam Reip. politicæ, probat, eos teneri ad obseruandas leges ciuiles vi rationis, non vi legis. atque ad hoc probandum ego rationem illam adduxi, qua nunc abutitur Barclaius ad probandum iure communi subiectos fuisse Clericos ciuili magistratui: quod tamen inde non rectè probatur. Quod verò sub pijs Principibus ante Iustiniani tempora causæ ciuiles, & criminales Clericorum apud Magistratus politicos ali-

quando agitarentur: dico, inueniri quidem leges Principum in Codice, tit. *de Episcopis, & Clericis*, quæ disponunt de causis Clericorum apud seculares Iudices terminandis: sed inueniri etiam Canones Conciliorum eiusdem ætatis, vt Carthaginensis tertij can. 9. Mileuitani can. 19. Calcedonensis can. 9. & aliorum, quibus prohibetur Clericis accessus ad iudicia secularia. Itaque pijs Principibus nondum satis nota, & explicata erat exemptio, quam iure diuino Clerici habebant: & Sancti Patres paulatim eam explicare, atque introducere nitebantur.

Secundò, Berclaius dicit, mirari se Bellarminum asserere, Papam potuisse eximere simpliciter Clericos, propria auctoritate per legem canonicam, à subiectione temporalium Principum. 6. *Id enim*, inquit, *pace tanti viri dicam, est falsò falsius: quia lex Christi neminem priuat iure, dominioq; suo: priuaret autem, si per eam ius & dominium temporale, quod Principes antequam fierent Christiani in Clericis habebant, ipsis inuitis auferret.* Hæc ille.

Sed vt magis Barclaius miretur, non solus Bellarminus, neque soli illi, qui inter Theologos, & Iureconsultos maximè fauere videntur exemptioni Clericorum; sed illi etiam, qui parum fauere existimati sunt, idem prorsus dicunt. hæc enim sunt verba Dominici à Soto, in 4. sent. dist. 25. q. 2. art. 2. concl. 6. *Papa potuit etiam inconsultis Principibus, & debuit Clericos ab eorum exactionibus, & foro excipere: cui quidem exemptioni Principes contrauenire nequeunt.* Atque hoc idem docet Didacus Couarruuias Iureconsultus nobilis Sotum sequutus in practicis quæst. q. 31. concl. 3. his verbis, *Potuit Summus Pontifex Clericos, & eorum res à iurisdictione seculari eximere: idq; conueniens fuit, & est Christianæ Reip. non tantum in spiritualibus, quod iure diuino iam erat institutum, sed etiam in temporalibus.* & concl. 4. *Quamuis exemptio Clericorum à iurisdictione secularium iure tantum humano sit introducta, Princeps tamen secularis, vtcunq; summus sit, non poterit huic immunitati, aut exemptioni proprijs legibus, propriave auctoritate derogare.* Desinat ergo iam Barclaius mirari, si Bellar. dicit, quod ferè omnes dicunt, & nolit ipse, quasi solus sapiat, id negare, quod ferè nullus negat.

At, inquit, *lex Christi neminem priuat iure, dominioq; suo.* Verum est per se, ac propriè; quasi hoc ipsum intendat, nisi aliquis culpa sua priuari mereatur. Sed tamen dum euehit laicos ad ordinem altiorem, id est, Clericorum, non est mirum, si consequenter priuet Principes iure, quod in eos habebant, dum essent in gradu inferiore: neque desunt exempla in alijs rebus, tam prophanis, quam sacris. Euehit Rex priuatum hominem, qui subiectus erat Comiti, ad Principatum; consequenter priuat Comitem iure quod in illo habebat, & fortasse Comitem eundem subijcit illi Principi iam effecto, cui idem Comes antea iam præerat. Euehit Papa simplicem Presbyterum, subiectum alias Episcopo in Metropolitanum, ac per hoc sine vllius iniuria facit, vt qui antea subiectus erat Episcopo, incipiat tanquam Metropolitanus Episcopo præesse, cui paulò ante subiectus erat. Ius habebat Maritus infidelis in coniugem infidelem; conuertitur mulier ad fidem, & consequenter liberatur à subiectione viri infidelis, & sine iniuria vlla lex Christi priuat virum infidelem iure, quod in vxorem suam habebat. pari ratione per matrimonium, per verba de præsenti contractũ, acquirit vir Christianus ius in vxorem Christianam, & tamen si intra tempus à iure præscriptum, velit illa ad professionem vitæ altioris ascendere, & sanctimonialis fieri, lex Christi priuat virum iure, quod acqui fierat, non per se, sed consequenter: non enim intendit lex Christi virum illum iure suo priuare, sed feminam ad altiorem gradum euectam honorare. Denique euehitur filiusfamilias in Episcopum, priuatur Pater ipsius potestate patria, non vt ipse afficiatur iniuria, sed quia non decet patrem spiritualem subijci potestati parentis carnalis.

At rursus obijcit Barclaius dicens: §. *Deinde cùm ipsemet Papa exemptionem suam, non alio iure, quã Principum largitate, & beneficio nactus sit. (nam vt aduersarij fatentur subiectus erat de iure, & de facto Ethnicis Principibus, sicut alij Ciues) absurdum est dicere, eum potuisse liberare alios ab illa subiectione: alioqui id in eum conueniret, alios saluos fecit: seipsum non potuit saluum facere.*

Respondeo. Argumentum Barclaij duplici vitio laborat: nã & antecedens habet falsum, & consecutionem vitiosam. Falsum in primis est, Pontificem non alio iure, quam Principum largitate, & beneficio, exemptionem suam nactũ esse: qui enim Vicarium suum in terris eum instituit, is hoc ipso exemit eum ab omni potestate Principum terræ: sed etiam si subiectus iure fuisset Regibus, vel Imperatoribus Ethnicis: non tamen sequeretur, eum subiectum quoque esse debere Regibus, vel Imperatoribus Christianis, nisi ipsorum largitate & beneficio eximeretur. Nam cùm sit ipse super omnem familiam constitutus, & Reges, atque Imperatores ab eo in eandem familiam coaptentur, vt ab ipso regantur, & dirigantur, certè nulla ratio patitur, vt ipse illis sub jciatur, quibus iure diuino præsidet. Sed benè habet, quod Barclaius ita irridendum putauit Vicarium Christi, quo modo perfidi Iudæi Christum irridebant: qui tamen vel inuiti confitebantur, multos à Christo ab ipsa morte saluos factos fuisse, & sacrilegè mentiebantur, eũ non potuisse seipsum ab interitu saluũ facere.

Tertiò Barclaius dicit, non esse verum quod multi dicunt, à veteribus Concilijs fuisse Clericos à potestate, & iurisdictione Magistratuũ ciuilium exemptos; qui etiam addit, Patres, qui in Concilijs interfuerunt, vetuisse quidem, ne Clerici adirent tribunalia Iudicum secularium: sed non vetuisse, ne vocati responderent: neque vllo modo prohibuisse temporalibus Iudicibus, ne causas Clericorum audirent: sed nec prohibere vlla ratione potuisse. Ac primùm id ostendere conatur ex Concilio iij. Carthaginensi, Can. 9. vbi sic legitur: *Item placuit, vt quisquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, siue Clericorum, cùm in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali*

iudicio: in ciuili verò perdat, quod euicit, si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos Iudices vndique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio iudicat, qui de vniuersa Ecclesia malè sentiendo, de iudicio seculari poscit auxilium: cùm priuatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat. Hactenus verba Concilij, in quibus nihil videre potuit Barclaius, pro Clericorum exemptione: sed tantùm id ait egisse Patres, vt eorum Clericorum leuitatem, & procacitatem coercerent, qui post causam in Ecclesia tractari cœptam, spretis, & relictis Iudicibus Ecclesiasticis, laico se arbitrio, iudicioque committunt.

At nos multa videmus in huius Concilij verbis pro exemptione Clericorum. Primùm enim apertè damnant Patres recursum ad iudicia secularium Magistratuum: quod certè non facerent, si seculares Magistratus omni ex parte legitimi Iudices Ecclesiasticorum fuissent. quæ enim culpa erat appellare à iudicio Episcopi ad iudicium Præsidis prouinciæ, vel ipsius Principis, si Præses vel Princeps legitimus iudex erat, non solum Clerici, sed etiam Episcopi? Deinde Concilium rescindit sententiam Iudicis secularis contra Clericum latam, dum iudicat, vt in criminali iudicio Clericus à seculari iudice absolutus amittat locum suũ; & in iudicio ciuili, perdat quod euicit, id est, neutri prosit sententia in fauorem eius à Iudice seculari pronunciata: quamuis autem hæc loco pœnæ decernantur; tamen iniusta fuisset pœna, si crimen non fuisset Clerico seculare iudicium agnoscere. Denique quia Barclaius dicit, Concilium reprehendere solùm eos Clericos, qui post inchoatam causam in iudicio Ecclesiastico, eam transferunt ad iudicium secularium potestatum, quod iniuriosum videri potest Ecclesiasticis Iudicibus: audiat Mileuitanum Concilium eiusdem ætatis, & in eadem Africa celebratum: sic enim loquitur, Can. 19. *Placuit, vt quicunque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur; si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.* Vbi videmus non agi de iudicio inchoato, sed absoluto, & sub pœna grauissima prohiberi Clericis ne confugiant ad Imperatorem pro seculari iudicio obtinendo: concedi autem vt Episcopale iudicium ab Imperatore petatur, ad euitandum videlicet seculare iudicium.

Transit deinde Barclaius ad Conciliũ Chalcedonense, in quo sic statuitur, Can. 9. *Si quis Clericus aduersus Clericum habeat negotium, non derelinquat proprium Episcopum, & ad secularia percurrat iudicia: sed prius actio ventiletur apud proprium Episcopum, vel certè consilio eiusdem Episcopi apud quos vtraque partes voluerint, iudicium obtinebunt; si quis præter hæc fecerit, Canonicis correptionibus subiacebit.*] Ex hoc Canone dicit Barclaius nihil colligi, nisi vt in prima instantia apud Episcopum causa ventiletur: deinde, si opus fuerit, ad secularis iudicis examen deferatur. Sed ista glossa destruit textum: nusquam enim in toto Canone, vel apertè, vel obscurè mentio fit iudicij secularis; & expressè in hoc canone dicitur, vt Cle-

A rici ad secularia iudicia non recurrant. Præterea in eodem loco Concilium addit, *Quod si Clericus causam habeat aduersus Episcopum proprium, vel aduersus alterum, apud Synodum prouinciæ iudicetur. Quod si aduersus eiusdem prouinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem diœceseos, aut Sedem Vrbis Regiæ Constantinopolitanæ, & apud ipsam iudicetur*]

Vbi cùm optima esset occasio nominandi Præsidem prouinciæ, aut ipsum Imperatorem: nulla tamen eorum mentio facta est. *Quid igitur* (quærit Barclaius) *sibi vult illud, sed prius actio ventiletur apud Episcopum? prius enim refertur ad posterius: & cùm non sit in Concilio explicatum, quid posterius faciendum sit, ratio postulat, vt intelligamus, posterius recurrendum esse ad*
B *iudicium seculare, vt constituit postea Iustinianus Nouella constitutione, 83.*

Respondeo. Prius causa Clerici ventilanda est apud Episcopum proprium: quod si ibi terminata non fuerit, recurrendum est ad superiores mediatos, Metropolitanum videlicet, Patriarcham, & Papam: sed id non expressit Concilium; quia notum erat, tum ex vsu aliorum tribunalium, vbi semper à minore Iudice appellatur ad maiorem: tum ex Concilio Sardicensi generali Ca. 4. & 7. vbi vltima prouocatio Ecclesiasticorum, declaratur esse ad Episcopum Romanum, ad quos canones respiciens Gelasius Papa primus in Epistola ad Faustum scribit, *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen volue-*
C *re deferri: ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.* & in Epist. ad Episcopos Dardaniæ, *Ad illam,* inquit, *de qualibet Mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo est appellare permissus.* Neque oportuit canones Ecclesiæ per Nouellas Iustiniani exponere, cum possimus per alios canones, aut per vsum Ecclesiæ illos explicare.

Adducit postea contra se Barclaius Concilium Agathense, vbi Can. 3. statuitur, ne clericus quemquam præsumat apud secularem Iudicem, Episcopo non permittente pulsare: & queritur corruptum esse hunc canonem à Gratiano, qui in sua collectione, 11. q. 1. Can. *Clericum*, ita posuit: *Clericum nullus præsumat apud secularem Iudicem Episcopo non permittente pulsare:* miratur etiam cur Bellarminus malue-
D rit in huius canonis citatione sequi potius Gratiani corruptiõnem, quam Concilij veritatem.

Respondeo. Non est vllo modo credibile, Gratianum, virum probum, & Christianæ perfectionis studiosum, voluisse textum Concilij deprauare: sed potius credendum est, habuisse Gratianum aliam lectionem illius canonis, quàm nos habeamus. Sed vt vt res se habeat, vtraque lectio exemptionem clericorum satis apertè demonstrat. Nam in ipso Concilio etiamsi verba illa prima, *clericus nec quemquam præsumat apud secularem Iudicem pulsare*, non multum pro exemptione facere videatur: tamen sequentia verba, *Sed si pulsatus fuerit, nõ respondeat:* multum omninò faciunt pro exemptione. mandatur enim clerico, vt in iudicium coram seculari Iudice vocatus, nõ compareat.

quo nihil apertius dici potuit: & in eundem sensum recidit quod est apud Gratianum, *Clericum nullus præsumat apud secularem Iudicem pulsare.* Nam si non licet clerico respondere in iudicio seculari: neque licebit clerico, vel laico clericum ad iudicium seculare vocare.

Quod autem notat Barclaius in secunda parte canonis, puniri laicum grauissima pœna, qui per calumniam clericum, vel Ecclesiam fatigare tentauerit: non significat licitum fuisse laicis trahere clericum, vel causam Ecclesiæ ad forum seculare, modo id sine calumnia fieret: sed significat crimen longè grauius esse, & pœna grauissima puniendum, si addatur calumnia, quam si absque calumnia id fiat. Sed neque certum est, Concilium loqui de foro seculari: potest enim fieri, vt laicus clericum accuset quidem ad suum forum, id est, Ecclesiasticum, & tamen eum per calumniam iniustè fatiget.

Addit deinde Barclaius Canonem octauum Concilij primi Matisconensis, vbi sic legitur, *Vt nullus clericus ad iudicem secularem quemcunque alium fratrem de clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere quocunque loco præsumat: sed omne negocium clericorum, aut in Episcopi sui, aut Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia finiatur:*

Addit denique canonem tertiumdecimum Concilij tertij Toletani, in hęc verba, *Diuturna indisciplinatio, & licentia inolita præsumptio vsq; adeò illicitis ausibus aditum patefecit, vt clerici conclericos suos, relicto Pontifice suo, ad iudicia publica pertrahant: proinde statuimus hoc de cætero non præsumi: si quis hoc præsumpserit facere, & causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.*

His testimonijs Conciliorum allatis, subiungit Barclaius. *§. Hæc illa sunt solemnia, & ferè sola sacrorum canonum decreta, in quibus errorem suum fundant, qui falsò putant, Concilia potuisse eximere, & de facto exemisse clericos de potestate laicorum, quos tamen ipsimet canones adeò perspicuè redarguunt, vt nihil necesse sit alia ad eam opinionem conuellendam aliundè accersere.*]

Respondeo. Primùm non sunt hæc sola Cõcilia, quæ exemptionem clericorum declarãt, sed multa alia, ex quibus hæc breuiter commemoranda censui. In Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 43. sic legitur, *Nimis de iure diuino quidam laici vsurpare conantur, cùm viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstanda sibi fidelitatis iuramenta compellunt.* In Concilio Constantiensi, Sess. 31. habentur hæc verba: *Laici nullam in clericos iurisdictionem, aut potestatem habent.*

In concilio Lateranensi sub Leone X. Sess. 9. *Cùm à iure tam diuino, quàm humano laicis potestas nulla, in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes, & singulas constitutiones,* &c. In concilio Tridentino Sess. 25. cap. 20. de reformatione: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitas, Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus instituta est.*

Ad hæc, & similia, quæ nimis apertè loquũtur nihil Barclaius respondit, sed ea, quasi nunquam legisset, omisit.

Deindè nos non dicimus à concilijs propriè

A clericos fuisse exemptos, sed eorum exemptionem declaratam, & pœnis additis confirmatam.

Denique mirum est, cur Barclaius dicere audeat, ex canonibus allegatis redargui, & conuelli opinionem exemptionis, cùm ea multis modis confirmetur, & roboretur. Nam si laici Magistratus legitimi Iudices clericorum essent; quo iure Matisconense concilium supra citatum, omnia negocia clericorum in Episcopi, aut Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia finienda esse decerneret? Et cur cõcilium Toletanum etiam citatum, tanta verborum asperitate vocaret præsumptionem, & illicitos ausus, recursum ad seculare Iudicium? Et quomodo denique idem concilium auderet sententiam Iudicis secularis irritare, & recurrentem clericum ad forum secularis Iudicis excommunicare? id enim significant illa verba,

B *Causam perdat, & à communione efficiatur extraneus.*

CAPVT XXXV.

Refutatur Grande verbum Barclaij, quo exemptio Clericorum funditus tollitur.

IN capite tricesimotertio Barclaius omni timore, vel pudore deposito, ita pronunciat. *§. Amplius dicam, & veritatem dicam, licet odium fortassis mihi pariturum ab ijs, quibus omnia sunt inuidiosa, quæ suo studio, & desiderio vel minimum aduersantur. Dicam ergo, & grande verbum proloquar, cuius fortè, aut nondum meminit quisquam, aut si meminit, saltem eos quorum interC erat id scire, non vt debuit commonefecit, Clericos scilicet per totum orbem, quocunque ordine, vel gradu sint, non esse adhuc vllo modo exemptos, & liberatos à potestate temporali Principum secularium, in quorum Regnis, & regionibus vitam degunt: sed perindè, ac cæteri ciues, ijs subiectos esse in omnibus; quæ ad politicam, & temporalem administrationem, & iurisdictionem pertinent, inq; eos ius vitæ, ac necis, sicut in cæteros subditos ad eiusmodi Principes pertinere.*]

Hoc grande verbum Barclaij, nihil est aliud, nisi grandis temeritas, & intolerabilis error hominis vnius, qui vt Regibus aduletur, non veretur opponere se veritati, & scriptoribus omnibus Theologis, & Canonistis, quorum duos paulò ante citauimus, Sotum videD licet, & Couarruuiam; quibus addere potuissemus scriptores alios innumerabiles, & quod maius est, concilia quatuor generalia paulò ante citata, Lateranensia videlicet duo, Constantiense, & Tridentinum, in quibus generatim affirmatur, non habere laicos vllam in clericos potestatem, neque excipiuntur Imperatores vel Reges. Neque est quod laboremus in demonstranda huius doctrinæ nouitate. nam ipse fatetur, se verbum grande prolocuturum cuius fortè nondum meminit quisquam.

Sed videamus, quibus argumentis, tam grãde, & adhuc inauditum verbum Barclaius persuadere orbi terrarum nitatur. contraham autem in breue compendium totam eius ratiocinationem, vt quam vim habeat, facilius percipiatur. sic igitur ille: *Christiani tùm clerici, tũ laici subiecti erant Principibus infidelibus, atq; ab*

eis

eis iudicari poterant: ergo subiecti sunt etiam Principibus fidelibus, & ab eis iudicari possunt: quia Christi lex neminem priuat iure dominioque suo. Rursus, Principes fideles exemerunt quidem priuilegijs suis clericos à potestate Magistratuum inferiorum; sed non exemerunt à potestate sua: nusquam enim memoria proditum est ab vllo scriptore, Principes, qui istis clericos priuilegijs donarunt, ita eos à se liberos dimisisse, vt sibi amplius non subessent. Imò nec potuerunt Principes, nec adhuc possunt clericos in suis Regnis constitutos ea libertate donare, ne ipsis potestate temporali subsint; neve delinquentes ab ijs iudicari, & puniri possint, nisi eadem opera sese Principatu abdicent. Nam proprium est Principis posse animaduertere in ciues, & membra suæ Reipublicæ; sunt autem clerici quod ad temporalia attinet ciues, & membra Reipublicæ politicæ, cuius caput, & Rector est Princeps. Quare Carolus V. Imperator Hermannum Archiepiscopum Coloniensem in ius ad se vocari iussit, vt de criminibus à Clero, & vniuersitate ei obiectis se purgaret, teste Surio in Comment. anni 1545. *Et multi Principes sibi quædam clericorum delicta specialiter vindicanda reseruarunt, eaque suis Magistratibus iudicanda committunt: vt sunt illa crimina, quæ in Gallia priuilegiata vocantur, veluti Maiestatis, gestationis armorum, adulterinæ monetæ, & similia:*] hæc ille, Ex quibus omnibus sequitur, clericos non esse exemptos à potestate, & iurisdictione Principum temporalium.

Respondebo nunc ordine ad singulas propositiones, Ad primam illam de subiectione clericorum Principibus infidelibus duæ sententiæ sunt, vt supra diximus: & neutra fauet Barclaio. Vera sententia est, clericos *iure* fuisse exemptos etiam à potestate Principum infidelium, quamuis *de facto* subiecti essent: exemit autem eos, tamquam proprios suos Ministros ille, qui Apoc. 1. Verè dicitur *Princeps Regum terræ.* Itaque iuxta hanc sententiam neganda est propositio prima Barclaij, quam neque ille vsquam probauit, neq; hoc loco probat, sed assumit, vt concessam; quam tamen grauiores scriptores non concedunt, videlicet omnes illi, qui exemptionem istam de iure diuino esse docent. Sed etiamsi concederetur, nihil inde Barclaius colligeret, quoniam negaretur illa consecutio, *Ergo subiecti sunt clerici iudicio, & potestati Principum fidelium:* hanc enim propositionem, quæ est secunda apud Barclaium, negant omnes Catholici scriptores, tàm Theologi, quàm Canonistæ: negatur autem illa consecutio, quoniam summus Pontifex clericos absolutè exemit à potestate Principum fidelium, qui eius potestatem agnoscunt: à potestate autem Principum infidelium, qui eius potestatem non agnoscunt, non ita absolutè exemit; cùm eos censuris Ecclesiasticis coercere non possit: ipsi etiam Christiani Principes Clericos exemerunt, intelligentes, quanta sit dignitas clericorum, quod Principes infideles non fecerunt, cùm eis spiritualis illa dignitas nota non esset. Ad illam tertiam propositionem, *lex Christi neminem priuat iure, dominioque suo*: iam supra respondi capite superiore, vbi ostendi, per exemptionem Clericorum non priuari Prin-

A cipes iure, quod habeant in eosdem, antequam Clerici essent, per se, & propriè; sed consequenter, & quasi per accidens: quemadmodum cum filiusfamilias euehitur ad Episcopale fastigium, eximitur à patria potestate; nec tamen fit iniuria patri, quoniam non priuatur pater iure suo per se, sed consequenter: non enim intendit Ecclesia priuare patrem iure patriæ potestatis, sed euchere personam illam ad gradum, quo dignus est, quamuis inde sequatur illa priuatio patriæ potestatis. Vide multa alia exempla capite superiore.

Ad quartam propositionem, quę erat, *à nullo scriptore memoria proditum esse, quod Principes exemerint Clericos à potestate sua; sed solùm quod exemerint à potestate Magistratuum inferiorum.*

B Respondeo. Videtur qui hoc dicit, aut nihil legisse, aut lectores fallere voluisse. Scribit enim Ruffinus lib. 10. hist. cap. 2. Constantinum Imperatorem disertis verbis pronunciasse, sibi non esse licitum iudicare Sacerdotes, sed ab illis potius se esse iudicandum. Vbi satis apertè declarauit, Sacerdotes exemptos esse non solùm à potestate iudicum inferiorum, sed etiam ab ipsius supremi Principis imperio. Cui declarationi consentanea est lex eiusdem Constantini septima in Codice Theodosiano, de Episc. & Clericis. *Lectores*, inquit, *diuinorum apicum, & hypodiaconi, & cæteri Clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad curiam deuocati sunt, absoluantur; & de cætero ad similitudinem Orientis minimè ad curias deuocentur, sed immunitate plenissima potiantur.* hæc ille, C qui cùm absolutè prohibeat Clericos ad curias deuocari, & velit plenissima immunitate potiri, & nihil omninò excipiat, manifestum est, eum velle, vt neque ad ipsius Principis curiam deuocentur: non enim esset plenissima immunitas, si principali potestati essent obnoxij. Similis est lex Theodosij, & Valentiniani Cod. Theod. lect. vlt. de Episc. & Clericis, vbi sic legimus, *Clericos, quos indiscretim ad seculares Iudices debere deduci infaustus præsumptor dixerat, Episcopali audientiæ reseruamus Fas enim non est, vt diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* In qua lege dum nihil excipitur, omnia comprehendi videntur, nisi fortè Principis potestas, temporalis dici non debeat. Ipse quoque D Iustinianus Nouella octogesimatertia, quæ sæpè ab Aduersarijs citatur, quasi in ea Clerici in criminalibus exempti non videantur à foro seculari: habet hæc verba, *Prius hunc spoliari à Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu.*

Vbi videmus, Clericos, dum Clerici permanent, non esse sub potestate legum, sed solùm postea quam Clericali honore per Episcopos priuati sunt: ac per hoc non solum exemptos esse, dum Clerici sunt, à potestate Iudicũ inferiorũ, sed ab ipsis Principum legibus, quòd ad coactionem attinet: atq; hoc est quod Conciliũ Constantiense sess. 31. dixit, Laicos nullam in Clericos iurisdictionem, vel potestatẽ habere. Et certè nomine *Laicorũ* Principes etiam supremos comprehendit, cùm & ipsi Laici sint. Deniq;, vt alia multa præteream, Imperator

Fride-

Fridericus Secundus in prima sua Constitutione generaliter loquitur, dum ait, *Item statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat, contra Constitutiones Imperiales, & Canonicas sanctiones.* hæc ibi. Per seculare autem iudicium non intelligũtur iudicia solùm Iudicum inferiorum, sed etiam supremorum, cùm omnia sint æquè secularia. Atque re ipsa sic obseruari videmus, vbi sacrorum Canonum reuerentia viget.

Ad quintam propositionem, quæ erat, *non potuisse Principes supremos eximere Clericos à sua Regia potestate*; respondemus, id manifestè falsum esse. Nam etiam si non possit summus Princeps, omnes qui in Regno suo degunt ab omni potestate sua eximere, nisi principatu se abdicet, tamen potest aliquam partem populi sui ab aliqua parte potestatis suæ, vel etiam à tota eximere, & simul verè Princeps dici, & esse. Proprium enim summi Principis est, tributum à populo sibi subiecto exigere, vt Apostolus docet ad Rom. 13. *Ideò enim*, inquit, *& tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsi seruientes:* & potest tamen Rex, quos vult in suo Regno immunes à tributis facere. Dicitur enim lib. 1. Reg. cap. 17. *Qui percusserit Philistæum, ditabit eum Rex diuitijs magnis, & domum patris eius faciet absq; tributo in Israel.* Sic etiam si magnus aliquis Rex in medio Regno suo ciuitatem vnam, vel liberam faciat, vel alicui absolutè donet, non ideò Rex dici non poterit totius Regni sui, præsertim si ciuitatem illam protegat, & defendat; & ciues illi leges Regni sponte seruent: sic igitur potuerũt Reges, Clericos in suo Regno degentes eximere à potestate sua regia, & Reges tamen dici, & esse non solùm laicorum, sed etiam Clericorum, qui leges eius politicas liberè seruant; & causas quas cum laicis habent, cùm auctores sunt, ad tribunal ipsius deferunt? & iudicio, ac sententiæ eius in eiusmodi causis acquiescunt. Et quoniam Rex pro defensione non solùm laicorum, sed etiam Clericorum laborat, & vigilat, ideò non solùm laici, sed etiam Clerici honorem ei deferunt, qui Regibus debetur, iuxta præceptum Apostoli Petri, *Deum timete, Regem honorificate.* 1. Petr. 2. Denique pro Rege Deum orant, vt Apostolus monet 1. Timoth. 2. dicens, *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt:* nec solùm pro Regibus generatim preces ad Deum fundunt, sed in specie dicunt, *pro Rege nostro N.* vel *pro Imperatore nostro N.*

§. *At*, inquit Barclaius, *omnia membra debent subesse capiti, & omnes ciues Rectori ciuitatis, ita vt caput, & rector in omnia mẽbra, & ciues animaduertere possit: sunt autem Clerici membra corporis politici, & ciues terrenæ ciuitatis, quoad temporalia.*

Respondeo. In corpore naturali necesse est; vt omnia membra capiti subsint; quoniam in eiusmodi corpore locum nõ habet exemptio. Sed in corpore politico, in quo locum habet exemptio, non est necesse, vt omnia membra, id est, omnes ciues propriè subsint potestati capitis, id est, Rectoris; ac per hoc non est necesse, vt Principes in omnes ciues animaduertere possint, sicut non est necesse, vt omnes ciues soluant tributa, neque vt omnes armis Rempublicam defendant; sed satis est, si consilio, vel adhortatione, aut precibus apud Deũ Rempublicam temporalem iuuent. *At perturbabitur Respublica, si Clerici leges Principum impunè transgrediantur.* Respondeo. Non impunè transgredientur, quoniam ab Episcopo suo, vel Pontifice Summo coercebuntur. *At Carolus V. vocauit ad tribunal suum Hermannum Archiepiscopum Coloniensem.* Verum est, sed vocauit vt Principem Imperij. Eundem enim ad suum tribunal vocauit Paulus III. Pontifex, vt Archiepiscopum, eodem teste Surio, in eodem loco. qui Surius postea scribit, anno 1547. iussu Summi Pontificis, & Imperatoris Hermannum loco motum fuisse. Sententia verò depositionis à Pontifice lata est. quàm autem fuerit Carolus V. diligens obseruator Ecclesiasticæ immunitatis, ex eò potest intelligi, quod anno salutis 1520. detecta atroci conspiratione aduersus eundem Carolum, in qua Ecclesiastici nonnulli intermisti erant: Carolus in laicos animaduertit, Ecclesiasticos superioribus Ecclesiasticis puniendos remisit. testis Molin. lib. 4. c. 21. de Hisp. primog.

Addebat Barclaius, esse quędam delicta grauia, quæ priuilegiata dicũtur in Gallia, summis Principibus reseruata. Sed hoc argumentum in ipsum auctorem retorqueri potest: illa enim non dicuntur priuilegiata, quia Princeps ipse sibi reseruauerit, quando priu legium exemptionis Clericis concessit, vt Barclaius existimat: sed dicuntur priuilegiata, quia priuilegio Sedis Apostolicæ indultum est Regibus Francorum, vt ea delicta cognoscere possint: id quod explicat Clarus q. 36. §. fin. versic. *vlterius quæro.* & Aufrerius in Clementina, *Vt Clericorum*, de offic. Iudic. ordin. limit. 13.

Ad vltimam propositionem, quam colligit Barclaius ex supradictis, quod videlicet, Exemptio Clericorum à potestate Principum nulla sit.

Respondeo. Eam propositionem ex dictis perperam colligi; tum quia demonstratum est, summos Principes potuisse, & voluisse, Clericos à sua potestate eximere: tum quia licet ipsi non voluissent, aut non potuissent, potuit, & voluit Summus Pontifex illos eximere, aut iure diuino exemptos declarare: neque possunt Principes etiam supremi hanc exemptionem impedire. Atque hæc est communis Doctorum, Theologorum, & Canonistarum sententia, cui hactenus nonnisi hæretici restiterũt. Et quidẽ quod hoc sentiant illi, qui exẽptionem volunt esse de iure diuino, ne Barclaius quidem dubitat. & expressè docet Nauarrus in cap. *Nouit*, de Iudicijs, notab. 6. nu. 30. Quod autem idem etiã fateantur, & doceant illi, qui exemptionẽ arbitrantur non esse de iure diuino, perspicuum est ex Francisco Victoria, Relect. de potestate Eccles. q. 6. propos. 5. ex Dominico à Soto, in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. ex Mart. Ledesmio in 4, parte 2. q. 20. art. 4. ex Dominico Bannes in 22. q. 67. art. 1. & ex Didaco Couarruuia prac. q. c. 31. concl. 3. & 4. cuius verba, vt etiã

Soti,

…i, capite superiore adduximus. Hinc soluitur quæstio, quam Barclaius in extremo capite insolutam reliquit, *liceatne Principi priuilegium exemptionis Clericorum reuocare.* Respondent enim Doctores allegati, nullo modo licere.

CAPVT XXXVI.

Defenditur secunda, & tertia pars rationis quintæ principalis pro potestate Pontificis Maximi in temporalibus.

IN capite tricesimoquarto Barclaius post longam digresionem de exemptione Clericorum, redit ad oppugnandam secundam partem rationis meæ principalis, quam proposuerat initio capitis tricesimisecundi. Argumentum meum hoc erat, *Pastoris munus est Arietes furiosos, atque ouile destruentes separare, & recludere: Princeps autem est Aries furiosus, atque ouile destruens, quando est Catholicus fide, sed adeò malus, vt multum obsit Ecclesiæ, & Religioni, vt si Episcopatus vendat, Ecclesias diripiat, &c. Ergo poterit Pastor Ecclesiæ eum recludere, & in ordinem redigere.*

Ad hoc argumentum respondit in illo capite tricesimosecundo Barclaius, totum argumentum posse concedi, quoniam ex eo nihil aliud efficitur, nisi posse Principem malum, & Ecclesiæ noxium separari à gregis consortio per sententiam excommunicationis. Nos verò eam responsionem in capite xxxiij. refutauimus, ad quam Lectorem remittimus. Nunc igitur in capite tricesimoquarto Barclaius hæc addit.

§. *Ad argumentum*, inquit, *nunc reuertor, quod capitis tricesimisecundi initio propositum est, & respondeo, nihil illud ad bonorum quorumlibet temporalium, nedum ad Regni ademptionem pertinere. Certum enim est, & certo certius, excommunicationem, qua sola separantur, & excluduntur peruersi Christiani à consortio fidelium, & communione Ecclesiæ nemini patrimonium, & bona temporalia auferre*] hæc ille, qui post multa verba in hac re explicanda consumpta concludit, si nõ possit Papa per excommunicationem adimere patrimonia priuatis hominibus, multò minus posse per eandem censuram priuare Reges, ac Principes Imperijs, atque Regnis.

§. *Nunquid*, inquit, *plus ei potestatis in Principes, quam in priuatos, Dei lege tributum esse constat? aut nunquid Principibus, quam priuatis duriore, & deteriore conditione est viuendum, vt quod Ecclesia in priuatum nequeat, id in Principem possit exercere?*]

Respondeo. Cùm dixi, Arietem furiosum posse per Pastorem separari, & recludi, non intellexi per separationem, & reclusionem solam excommunicationem, sed excommunicationem, & depositionem: quemadmodum enim Pastor non solùm separat Arietem à grege, sed etiam recludit quasi in carcere, vt non amplius gregem ducat: sic Pontifex summus Regem destruentem Ecclesiam, non solùm separat per excommunicationem à cõmunione fidelium, sed etiam deponit, & in ordinem redigit, vt nõ amplius populos regat. Itaq; tota illa longissima disputatio, qua Barclaius probat, per excõmunicationem non priuari homines proprio

A patrimonio, superuacanea est; neque vim argumenti nostri Barclaius assecutus est: quemadmodum etiam vocem, *recludere*, exposuit per vocem, *excludere*, cùm exponenda esset per vocem, *includere*, vt cap. 33. docuimus.

Addo præterea magnum esse discrimen inter priuatas opes, & publicam iurisdictionem; vt etiam inter substantiam, siue diuitias, & potestatem, siue auctoritatem: potest enim homo aliquis pauperrimus esse priuatus opibus, & iurisdictionem publicam atque amplissimã habere: & potest contra ditissimus esse auro, atq; argento, agris, & vineis, & armentis: & nullam habere in alios homines politicam potestatem. Ex quo discrimine fit, vt quamuis excommunicatio non priuet patrimonio proprio, & opibus, & diuitijs; priuet tamen iure, & potesta-

B te commercij humani, electionum, & contractuum, & similium; & simul impediat publicam forensem iurisdictionem: neque enim licet excommunicatis forensia iudicia exercere, audire causas, sententiam ferre, in sontes animaduertere, vt supra probauimus, ex ca. *Ad probandum*, de sen. & re iud.

Quamuis autem ex vi solius excommunicationis, nisi in casu hæresis, & apostasiæ, nõ sequatur amisio Regni, vel Imperij: tamẽ summus Pontifex, qui potest excommunicando suspendere iurisdictionem, vt diximus, potest etiam deponendo priuare omni iurisdictione, & potestate Regia: quæ vt in prolegomenis ostendimus, communis est Doctorum, & Ecclesiæ ipsius sententia. Nec tamen hinc sequitur,

C plus habere potestatis Pontificem in Principes, quàm in priuatos: nam priuati non possunt deponi à Regno, quia Regnum non habent, non quia minus obnoxij sint potestati summi Pastoris: & tamen possunt etiam ipsi priuari rebus, quas habent; quod fit cùm pæna pecuniaria, aut exilij, aut carceris, aut alia corporali pœna mulctantur: falsum enim est, quod Barclaius nimium sæpè repetit, corporalem pœnam in solius politici magistratus potestate positam esse: cuius contrarium praxis ostendit, præsertim in tribunali sancti officij.

Addit postea Barclaius aliam rationem, quam in forma syllogisticæ ratiocinationis hoc modo disponit.

Summus Pontifex non habet nunc maius imperium in Principes temporales, quam habuit antequam ipse esset Princeps temporalis:

D *Atqui antequam esset Princeps temporalis, nullum in eos temporale imperium vllo modo habuit:*

Ergo nullum nunc quoq; in eos vllo modo habet.

Et quoniam propositio manifesta videtur, probat assumptionem hoc modo.

Nemo inferior, & subiectus habet imperium in suũ superiorem, & dominum, vt posit eum iudicare in eo ipso, in quo est ei subiectus:

Papa autem, antequam fieret Princeps temporalis, erat Regibus, & Imperatoribus, quantum ad temporalia inferior, & subiectus:

Ergo non habet in eos temporale imperium, vt posit eos in temporalibus iudicare.

Respondeo. Assumptio prioris syllogismi falsa est, proindè etiam falsa conclusio est: Siquidem summus Pontifex ius quod habet in temporalib. supra Reges, & Principes Christia-

nos,

nos, non acquisiuit ex Principatu temporali, quem nunc possidet, sed habuit à Christo, quãdo ab eo accepit potestatem Apostolicam, & supremam supra omnem Ecclesiam, vt esset ipsius Vicarius generalis, Caput, & Rector, & Pastor, & Princeps omnium fidelium: quamuis enim, vt sæpè dictum est, ea potestas in se spiritualis sit, tamen extenditur ad temporalia eo modo, quo spiritus humanus, quamuis verè, & propriè spiritus sit, non corpus, vel corporalis; tamen regit membra corporis, qui præsidet, & ea castigat, & punit, prout ad salutem expedire cognoscit. Quare probatio assumptionis in posteriore syllogismo, nullas vires habet; nam assumptio quoque syllogismi posterioris est falsa, ac per hoc est etiam totius syllogismi falsa conclusio: si quidem falsum est, summum Pontificem fuisse vnquam Regibus, & Imperatoribus iure subiectum: neque id probauit Barclaius, quod vt probatum assumit.

B

At, inquit, *aduersarij dicunt, exemptionem personarum Ecclesiasticarum iure humano introductam esse.*

Respondeo. Bellarminus, qui citatur in margine, non dicit iure humano solùm, sed iure humano, & diuino. Deindè illi ipsi, qui exemptionem Clericorum dicunt esse de iure humano, addũt eam, quoad personas, esse valdè conformem iuri naturali, & diuino, vt perspicuum est ex Dominico de Soto in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 2. conclus. 5. Præterea ijdem auctores, qui negant exemptionem Clericorum esse de iure diuino disertè affirmant, summum Pontificem potuisse, & debuisse eximere Clericos, etiam Principibus temporalibus inconsultis: neque posse temporales Principes contrarium suis legibus constituere, vt supra notauimus, ex Victoria, Soto, Ledesmio, Bannesio, & Couarruuia: falsum est igitur quod tot verbis inanibus hoc loco Barclaius repetit de exemptione solo Principum priuilegio, & munere Clericis concessa.

C

Transit postea Barclaius ad tertiam partem rationis quintæ principalis pro potestate summi Pontificis in temporalibus, omitto enim quæ ipse repetit ex cap. xv. quæ ibidem refutata sunt. sic autem loquitur. *Superest supremum Bellarmini argumentum, in quo refutando nõ multa opera opus est. Tertium*, inquit, *argumentum est: Potest Pastor, ac debet omnes oues ita pascere, vt eis conuenit: ergo potest Pontifex Christianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum secundùm statum suum tenetur; id est, singulos cogere, vt eo modo Deo seruiant, quo secundum statũ suum debent: debent autem Reges Deo seruire defendendo Ecclesiam, puniendoq; hæreticos, & schismaticos: ergo potest, ac debet Regibus iubere vt hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliasque commodas rationes.*

D

Ad hoc argumentum Barclaius respondet, si agatur de pastu, & pœnis spiritualibus, totum argumentum concedi posse: tenetur enim Summus Pontifex pascere omnes Christianos pastu spirituali: nam ad pascendum pastu corporali, facultates eius quantumuis amplæ sint, nullo modo sufficerent: sic etiam tenetur cogere omnes ad officium suum pœnis spiritualibus, quarum grauissima excommunicatio est; sed vlterius progredi non potest: & allegat ad hoc probandum Ioannem Driedonem in lib. 2. de libertate Christiana cap. 4.

A

Sed hæc Barclaij responsio supra refutata est multis in locis. & nunc ex ipso Driedone, quem ipse citat, refutari potest: scribit enim Barclaius à Driedone nullam aliam iudicij, & correctionis Papalis in Imperatores delinquẽtes pœnam, nisi solam excommunicationem poni. At Ioan. Driedo repugnat Barclaio, eumque his verbis confutat, li. 2. de libertate Christiana, cap. 14. *Verùm hoc non est silentio prætereundum, quod Papa ex plenitudine potestatis super vniuersos Principes Christianos, potest Reges, ac Principes propter hæresis crimen priuare suis Regnis, atq; Imperijs, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia, & subiectione eorum.* hæc Driedo, quem in Patronum sententiæ suæ allegauit Barclaius; qui certè insignis Doctor Ioannes Driedo non poterat clarius mendacium, & imposturam Barclaij redarguere. Quod ergò nos diximus, & docent omnes Catholici, posse Pastorem summum Christianorum cogere omnes ad officium suum præstandum in obsequium Dei; non intelligitur de sola coactione per excommunicationem, sed etiam per priuationem Regnorum, & Principatuum, si ad salutem gregis idem Pastor expedire iudicauerit.

CAPVT XXXVII.

Defenditur Primum exemplum allatum pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

IN capite tricesimoquinto, & tricesimosexto refert, & refellit Barclaius argumenta quædam Nicolai Sanderi. quam totam disputationem omittendam hoc loco esse censui, quoniam non suscepi onus probandi omnia argumenta, quæ à Catholicis scriptoribus proponuntur, esse insolubiles demonstrationes. Scio multa interdum probabilia admisceri argumentis solidioribus, quæ quamuis per se, ac sola, vim persuadendi non habeant, tamen addita firmioribus argumentis, non parum iuuant ad rem, de qua agitur, confirmandam. Itaque conclusionem Sanderi, quæ communis est inter omnes Catholicos scriptores aduersus Barclaium, cuius manus sunt contra omnes vt scriptura de Ismaele loquitur, defendendam mihi desumpsi, & simul ad ea, quæ propriè aduersus mea scripta Barclaius obiecit, respondendum mihi esse iudicaui. Igitur in capite tricesimoseptimo refert argumentum meum primum ab exemplo, & figura veteris testamenti ductum. hæc autem est argumenti summa.

Ozias Rex in lib. 2. Paralip. cap. 26. cùm Sacerdotum officium vsurparet, & à Sacerdotibus repulsus non acquiesceret, continuò lepra diuinitùs percussus fuit, atque iudicio Sacerdotum separatus à cœtu populi, seorsim in domo solitaria habitauit vsque ad obitum: ex quo factum est, vt Regni administratione priuatus fuerit, & filius ipsius in ciuitate populum iudicauerit. Hinc argumentum eiusmodi conficitur, Si ob lepram corporalem

poterat Sacerdos olim Regem iudicare, & Regno priuare; quare id non poterit nunc propter lepram spiritualem, id est, propter hæresim, quæ per lepram figurabatur, vt S. Augustinus docet lib. 2. quæst. Euang. q. 40. præsertim cùm 1. Cor. 10. Paulus dicat contigisse Iudæis omnia in figuram?

Ad hoc argumentum respondet Barclaius, iudicio Sacerdotum fuisse Regem Oziam propter lepram separatum à reliquo populo; & eodem modo posse, nũc Regem iudicio Summi Pontificis propter hæresim separari per excommunicationem à cætu fidelium: negat autem fuisse Regem Oziam Regno priuatum, & propterea etiã negat, posse Regem à Pontifice propter hæresim Regno priuari. Quod autem non fuerit Ozias Regno priuatus, probat ex eo quod scriptura testatur anno ætatis 16. regnare cœpisse, & quinquaginta duobus annis regnasse. 4. Reg. 15. & 2. Paralip. 26. proinde regnasse ab anno sextodecimo vsq; ad mortem. Idem etiam probat ex eo quod eadem scriptura dicit, *Ioatham filius Regis gubernabat palatium, & rexit domum Regis, & iudicabat populũ terræ:* hinc enim colligitur, filium Regis non auctoritate propria, sed nomine Patris sui ægrotantis Regnum administrasse: hæc Barclaius.

Respondeo. Ozias lepra percussus retinuit quidem nomen Regium, sed inane: filius verò eius sine Regio nomine Regnum cum plena potestate administrauit. id verbis disertis testatur Ioseph. lib. 9. Antiquitatum, cap. 11. vbi dicit, Oziam priuatum vixisse in domo solitaria, & filiũ eius Rempubl. administrasse. quod idem satis apertè indicat scriptura, cùm ait, *Filius Regis iudicabit populum terræ:* neq; addit, id eum fecisse iussu Patris, aut Patris nomine; neque toto eo tempore, quo Rex percussus lepra mansit in domo solitaria, vllam partem regiminis ad eum vllo modo pertinuisse. Atq; hoc intellexi, cùm in argumento dixi, coactũ fuisse Oziam filio Regnum renũciare: per Regnum enim non vocabulum Regis, sed auctoritatem significaui: quam auctoritatem Pater non retinuit, sed priuatus vixit, vt Iosephus loquitur. In hoc igitur vis argumenti ab exemplo ducti posita est, quod quemadmodum Rex Ozias lepra percussus iudicio Sacerdotũ coactus est habitare in domo solitaria, & Regni administratione dimissa priuatus viuere; sic etiã Rex hæreticus, iudicio summi Sacerdotis per excõmunicationem separari posit à cœtu piorum, non solùm quoad Sacramentorum, & precum communicationem, vt Barclaius admittit, sed etiam quoad forense iudicium, & Regni administrationem, quod Barclaius negat. *At Oziæ relictum est nomen Regium.* Verum id quidem, sed non ideò nomen Regium relinqui debet homini propter hæresim excommunicato, atque deposito: nam lepra spiritualis deterior est lepra corporali: & Sacerdos Christianus præstantior est Sacerdote Leuitico, & res figurata perfectior est, quã sit ipsa figura. sic enim Agnus Paschalis par non erat Christo crucifixo, & manna inferius est Eucharistia, & Circumcisio baptismum non æquat.

Quod autem Barclaius disputat de differentia auctoritatis regnandi, & administrationis Regni, non facit ad rem, tum quia Ozias non sola administratione, sed etiam auctoritate priuatus fuisse dicendus est, cùm Iosephus dicat, eum priuatum in magno mœrore vixisse post acceptam plagam lepræ: tum etiam quia Barclaius nõ concedit, Regem hæreticũ posse priuari administratione Regni. sic enim ipse loquitur pag. 312. §. *Quod autem dixi, Papam posse separare Regem hæreticum à communione fidelium per excommunicationem, de separatione spirituali animorum, non corporum intelligendum est, subditi enim Regi excommunicato obsequium denegare non debent.*] hæc ille, qui sine dubio, vt etiã supra docuit, non permittit posse per Pontificem interdici Regi hæretico administrationem Regni, & curatorem illi dari, vt ipse fatetur: datum esse Regi Oziæ filium Curatorem. Quare falsò postea dicit, figuram Oziæ lepræ, separationis, bellissimè conuenire cum Rege, hæresi, & excommunicatione: & ex hac figura temporalem Pontificis potestatem omninò fictitiam, vsurpatam, atq; à iure diuino alienam ostendi. Quomodo enim figura cum re figurata concordat, si in figura ponitur Rex coactus habitare: in domo solitaria, & negotia Regni nulla tractare: in re figurata ponitur Rex liberè in Vrbe Regia residere, & ius dicere, vt antea faciebat? Et si veritas figuræ requirit, vt nihil minus, sed potius aliquid amplius in re figurata reperiatur, quàm in ipsa figura. & ideò necesse est, vt Rex hæreticus per sententiam Pontificis administratione Regni, & ipsa quoque auctoritate priuetur, quo modo ex hac figura tẽporalis potestas Papæ fictitia, & vsurpata, & à iure diuino aliena monstratur? Maneat ergo argumentum nostrum ab exemplo appositè ductum esse: neque à Barclaio potuisse conuelli.

CAPVT XXXVIII.

Defenditur secundum exemplum pro potestate Pontificis in temporalibus.

PRoponit deinde Barclaius in capite 38. secundum exemplum à nobis adductum ex lib. 2. Paralip. cap. 23. Vbi narratur, Athaliam Reginam fauentem superstitioni, & idololatriæ Baal à Pontifice Ioiada Regno, & vita fuisse priuatam, & Ioas Regem in eius locum institutum.

Ad hoc exemplum refutandum sternit sibi Barclaius viam digressiuncula quadam, ex cõfictis rumoribus, & solita maledicẽtia in Pontifices. Scribit enim hoc exemplum à me allatum, ne indiligentiæ, aut præuaricationis apud Sixtum V. Pontificẽ accusarer, si illud ab alijs antea notatum omisissem. At ego multò antea quàm Sixtus V. Pontifex crearetur, hæc scripseram, & in scholis dictaueram: deinde, si tam multa alia exempla prætermisi, quæ in Sandero legeram, vt Barclaius ipse testatur, cur timere debui offensionẽ Pontificis, si istud vnũ prætermitterem? Quod verò addit Barclaius, Sixtum V. in animo habuisse ordinem Iesuitarum ad arctiorem formam viuendi, atq; ad certum vestimenti genus cogere; fabulæ sunt hominum ociosorum: & mirum est Barclaium in his etiam nugis referendis voluisse tempus consumere. Quod verò adiungit, Bullam eius-

dem Sixti V. qua Pontimussanæ Academiæ perpetuus Rectoratus Iesuitis addicitur, supposititiam, vel obreptitiam videri, & quamuis verè sit à Sixto concessa, valere tamen non debere, quia statim ab eius creatione fuerit impetrata: non iam ad fabulas, vel nugas, sed ad calumnias, & maledicentiam pertinet: quasi non potuerit idē Pontifex toto illo quinquennio, quo Pontificatum gessit, eam Bullam reuocare, si suppositítiam, aut obreptitiam, aut fraude extortam didicisset.

Sed his omissis, ad exemplum Ioiadæ Pontificis Athaliam Reginam exauctorantis, respondet Barclaius, exemplū illud ad rem non facere; quod Athalia nullo iure regnaret, sed immani tyrannide per vim, & scelus Regnum occupasset.

At verum quidem est, initium Regni Athaliæ tyrannicum, & violentum fuisse: sed cum annis sex quietè regnauerit, credibile est, populum consensu suo Regnum eius approbasse, præsertim cū ignoraretur superesse adhuc vnū ex filijs Regis defuncti, & fama esset, omnes omninò interijsse. Neque nouum, aut insolitum est, vt initia Regnorum sint violenta, & tyrannica, & tamen paulò pòst consentiente populo Reges legitimi habeantur. Ipse certè Augustus, qui Imperator optimus habitus est, Rempublicam iniustè initio oppressit, & Principatum sibi armis violenter vsurpauit. Otho Galbam occidit: Vitellius Othonem eiecit: Vespasianus Vitellium; & omnes tamen Imperatores à Senatu, populoque Romano salutati sunt. Quid atrocius, quam quod Philippus gessit, cùm Gordianum Imperatorem legitimum sustulit, & Imperium eius inuasit? & tamen ipse quoque legitimus Imperator habitus est. Mitto Odoacrem Herulum, Gothos, & Longobardos inuasores Italiæ; & alios propè innumerabiles, qui per vim Regna occuparunt, & postea tamen accedente consensu populorum Reges legitimi habiti sunt.

At, inquit Barclaius, *Sacerdos Ioiada, non auctoritate propria Athaliam deposuit, sed hortatus est Centuriones, & milites, & cum illis in Athaliam conspirauit: Sic enim Scriptura loquitur, Misit Ioiada Pontifex, & assumens Centuriones, & milites introduxit in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus.*

Et hoc verum est, sed non impedit quo minus Ioiadæ auctoritate Regina deposita fuerit. Sacerdos enim nō poterat solus implere quod proposuerat; ideò Centurionibus, & militibus ad se accersitis, exposuit illis propositū suum deturbandæ Reginæ de solio, tum ob alia crimina, tum quod falsam religionem Baal foueret: neque simplici promissione militum contentus esse voluit, sed fœdus cum eis inijt, & adiurauit eos, vt fortiter proposito suo cooperarentur. Denique ipse armauit milites tradens eis hastas, & reliqua arma Regis Dauid, quæ erant in domo Domini; ipse iussit interfici Reginam; ipse nouum Regem coronauit; ipso auctore totus populus templum Baal euertit, & aras Idolorum destruxit, & Sacerdotem Baal aram ante ipsam occidit.

A

CAPVT XXXIX.

Defenditur tertium exemplum allatum, pro potestate Summi Pontificis in temporalibus.

TErtium exemplum attuleram ex S. Ambrosio, qui Theodosium Imperatorem excommunicauit propter cædem, quam Thessalonicæ nimis crudeliter fecerat: deinde coëgit eum, vt legem ferret, ne sententiæ latæ de cæde, aut publicatione bonorū ratæ essent, nisi post 30. dies à pronunciatione sententiæ, nimirum vt si quid per iracundiam præcipitanter dictasset, intra spatium illud sedato pectore reuocaret. Ex quo exemplo collegeram ab Episcopo Mediolanense potuisse iudicari Imperatorem, qui apud Mediolanum sedem habebat. Ex quo rursus deduxeram, si hoc potuit Episcopus, quantò magis Princeps Episcoporum Papa?

B

Ad hoc exemplum ita respondet Barclaius, vt primùm admittat, Episcopum posse cognoscere de crimine Principis in foro externo Ecclesiastico, & illud punire pœna Ecclesiastica, qualis in primis excommunicatio est: & hoc modo cognouisse Ambrosium causam Theodosij de cæde, vt peccatū erat, & eundē Theodosium reum factum excommunicasse: deinde concedit, ab Episcopo Ambrosio imperatum fuisse, vt Theodosius legem illā ferret in pœnitentiam peccati commissi, sine quo pęnitentiæ fructu vel signo, eum ab anathematis vinculo non soluisset. Ex his verò colligit, S. Ambrosium habuisse in Theodosium spiritualem iurisdictionem, non autem temporalem, aut politicam.

C

At ego exemplum illud, quod attinet ad excommunicationem, non attuli aduersus Barclaium, qui nondum orbi terrarum innotuerat: sed aduersus alios, præsertim Anglos Caluinistas, qui negant Principem supremum excommunicari posse à Summo Pontifice, vel Summum Pontificem vllam habere in supremos Principes iurisdictionem vel potestatem. Quod verò attinet ad legem politicam, quam Theodosius ex Ambrosij præcepto tulit; non vtique negamus, eam ad fructum pœnitentiæ pertinere, & à spirituali potestate Episcopi fuisse imperatam: sed ostendere voluimus, posse Principes Ecclesiasticos, non solùm in foro interno conscientię, sed etiam in foro externo Ecclesiastico disponere de tēporalibus, vt ad spiritualia ordinem habent. Certè enim

D

qua potestate S. Ambrosius potuit Theodosium cogere, si à vinculo anathematis solui vellet, ad legem illam politicam ferendam: eadem potuit eundem cogere ad aliam legem politicam saluti animarum necessariam ferendam, nisi vellet anathematis vinculo alligari. Ex quo manifestè colligitur, multò maiore ratione potuisse Pontificem Maximum, Ecclesię vniuersæ præsidem, imperare Principibus temporalibus sub anathematis pœna, vel leges politicas spirituali bono necessarias ferant, & contra, vt eas abrogent, quæ spirituale bonum impediunt: atque hoc modo spirituali potestati, temporalem potestatem esse subiectam.

(.·.)

CAPVT

Defenditur exemplum quartum.

CAPVT XL.

QVartum exemplum desumptum fuit ex priuilegio S. Gregorij monasterio sancti Medardi concesso, quod habetur lib. 12. Epistolarum extremo, in quo leguntur hæc verba, *Si quis Regum, Antistitum, Iudicum, vel quarumcunque secularium personarum huius Apostolicæ, & nostræ præceptionis decreta violauerit, cuiuscunque dignitatis, vel sublimitatis sit, honore suo priuetur, &c.* Et similia habentur in alio priuilegio eiusdem S. Gregorij lib. 11. epist. 10. ad Senatorem Abbatem.

De hoc exemplo sic loquitur Barclaius. §. *Si viueret hodie B. Gregorius, & superiora verba eo sensu accipi intelligeret, quasi ipse potestatem habuisset priuandi Reges suo honore, & dignitate: exclamaret profectò calumniosam esse interpretationem, & se nunquam tale quid, vel per somnium cogitasse: ea verò quæ alibi scripta ab eo sunt, fidem abrogant huic expositioni. sunt igitur ista, non imperantis, sed imprecantis verba, quibus admonet, & adiurat omne genus hominum, ne priuilegium à se datum violent: quod si violauerint, Deum vindicem fore, qui eos suo honore priuet. quod genus admonitionis & imprecationis nunc semper addi solet extremis Bullarum, & constitutionum Pontificiarũ, hoc modo, Nulli ergò hominum liceat hanc paginam, &c. si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius incurrat, siue, quod idem est, se nouerit incursurum.*

Respondeo. Interpretatio verborum sancti Gregorij, non mea est, sed alterius S. Gregorij dignitate paris, & sanctitate non multum inferioris. Sanctus, inquam, Gregorius VII. Papa in Epistola ad Episcopum Metensem, quæ est vicesima prima libri octaui, hunc locum sancti Gregorij adducit ad probandũ, iure à se fuisse depositum Henricum Imperatorem: *B. Gregorius*, inquit, *Papa Reges à sua dignitate cadere statuit, qui Apostolicæ Sedis decreta violare præsumpserint, scribens ad quendam Senatorem Abbatem his verbis. Si quis verò Regum, &c. Quod si B. Gregorius, Doctor vtique mitissimus, Reges, qui statuta violarent, non modò deponi, sed etiam excommunicari, atque in æterno examine damnari decreuit: quis nos Henricum non solum Apostolicorum iudiciorum contemptorem, verùm etiam ipsius Matris Ecclesiæ, quantum in ipso est, conculcatorem, totiusque Regni, & Ecclesiarum improbissimum prædonem, & atrocissimum destructorem deposuisse, & excommunicasse reprehendat, nisi fortè similis eius?* hæc ille, cui Barclaius, si cedere noluerit in interpretatione verborum S. Gregorij, nimis temerarius erit: si autem cesserit, fateri debebit, S. Gregorium primum non ignorasse, potestatem sibi diuinitus datam extendi vsque ad Regum, & Principum depositionem. Sed addamus & alium interpretem verborum S. Gregorij, vt in ore duorum testium stet omne verbum. Thomas Valdensis, vir doctissimus in lib. 2. doctrinalis fidei antiquæ art. 3. c. 75. *Profectò*, inquit, *nec Beatus Gregorius eminentia sui status super statum Imperialem præiudicauit in aliquo, cùm Regem sibi verbo tenus præposuit, negocio, quod tunc tractabatur* A *attento. quod tunc aptè videbimus, si posteriora eius facta, & scripta quæramus. Vide an se Magistrum & Imperatorum & Regum non arbitrabatur, cùm post priuilegia quædam Senatori Presbytero, & Abbati Xenodochij Francorum directa sub interminatione dignitatis, & honoris omni eius violatori conclusit, Si quis Regum, & cæt.* En quam benè Doctor iste Barclaium nondum natum confutauit. Barclaius dicit ex alijs scriptis sancti Gregorij colligi, S. Gregorium non existimasse habere se potestatem super Reges seculi, quamuis eius verba id significare videantur: Thomas Valdensis contradicit, ex alijs S. Gregorij scriptis colligi. Sanctum Gregorium verbo tenus se Imperatori subiecisse, re autem vera non ignorasse eminentiam sui status super statum Imperialem. Barclaius dicit, B Verba sancti Gregorij sonare imprecationem, quam etiam quilibet priuatus adiungere potest literis suis: Thomas Valdensis contra dicit, Verba sancti Gregorij sonare interminationem honoris, & dignitatis, quam literis suis adiungere non potest, nisi Princeps supremus. Vtrum autem maior fides habenda sit vni Barclaio, quam duobus viris tantæ eminentiæ, atque doctrinæ, stultum est quærere. Sed etiam si id quæratur ex verbis ipsius sancti Gregorij, tota quæstio nullo negocio dissoluetur. Siquidem sanctus Gregorius tria simul coniungit, videlicet, *honore suo priuetur, à communione fidelium segregetur, in diuino examine ad pœnas æternas damnetur.* At duo posteriora non continent imprecationem, sed decretum, siue declarationem: non enim Præ- C latus, qui dicit, *qui hoc fecerit, excommunicetur*, imprecatur excommunicationem, sed iubet excommunicari: qui dicit, *qui hoc fecerit, in diuino iudicio ad pœnas æternas damnetur*, non imprecatur damnationem ęternam (quis enim tam crudelis inuenitur, qui hoc imprecetur?) sed declarat, qui hoc fecerit, cum grauissimè peccaturum, & pœnas æternas diuino examine promeriturum. Igitur eodem modo illud, *Honore suo priuetur*, non est imprecatio, sed decretum, vt ab honore suo decidat, & declaratio, vt liceat populo non obedire eiusmodi Regi, tanquam honore suo ac dignitate priuato. Quemadmodum etiam verba extrema Constitutionum Apostolicarum non significant imprecationem, vt perperam Barclaius exponit. (neque enim Summus Pastor D & Vicarius boni illius Pastoris, qui animam suam pro ouibus suis posuit, imprecaretur ouibus suis indignationẽ omnipotentis Dei) sed declarationem, & denunciationem continent grauissimæ pœnæ, quæ contemptores Apostolicorum præceptorum sine dubio consequentur. Hoc enim manifestè significant illa verba, *Indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli se nouerit incursurum.* Quare si sanctus Gregorius nunc in terris viueret, haud dubio exclamaret, calumniosam esse interpretationem Barclaij, & se nihil tale vnquam vel per somnium cogitasse.

(∴)

CAPVT XLI.

Defenditur exemplum quintum.

QVintum exemplum est Gregorij II. qui Leoni Imperatori à se excommunicato prohibuit vectigalia solui ab Italis, ac proinde eum Imperij parte mulctauit.

Ad huius,& sequentium exemplorum refutationem, præmittit Barclaius satis prolixam admonitionem aduersus argumenta, quæ petuntur ab exemplis,immemor argumẽtorum, quæ ipse duxit ab exemplis veterum Pontificum, & Imperatorum, ex quibus plenißimè constare duxit, nullam esse in Pontifice potestatem disponendi de tẽporalibus. Sed quoniã isti sunt loci cõmunes, qui ad omnem disputationem accommodari possunt; ijs omissis ad rem propositam accedã. Igitur Barclaius præcisè negat, verum esse quod historici tradunt, à Gregorio II. Pontifice prohibitos fuisse Italos Imperatori hæretico, & excõmunicato vectigalia pendere tota verò eius ratio est, quia Platina in vita Gregorij II. scribit,volentibus populis deficere ab Imperatore hæretico, restitisse Gregorium, & auctoritate sua, eos in fide, & obedientia Imperatoris tenuisse. Cur autem vni Platinæ maior fides habenda sit, quã cæteris historicis antiquioribus, & pluribus; eam causam reddit, tum quia Platina scripsit historias Pontificum iussu Sixti IV. & habuit Romæ multa vetera monimenta: tum etiam quia Gregorius Pontifex optimus & iustißimus cum esset, nunquam iussisset contra Euangelium negari censum Cæsari, qui vsque ad obitum Cæsar, & Imperator Augustus permansit.

At hæc Barclaij disputatio, tam est infirma, ac debilis, vt mirum nõn sit, quod paulò antè tam longa præfatione exemplorũ auctoritatẽ extenuare conatus sit. Videbat enim nihil firmum adferre se posse ad exemplum tam vetustum,& tam euidẽs refutandum. Primum igitur aio Platinam non esse contrarium historicis cæteris, si tempora distinguantur. Verum est enim per multos annos Gregorium restitisse populis Italicis cupientibus ab Imperatore deficere. Sperabat enim aßiduis cohortationibus suis aliquandò cessurũ Imperatorem, & ad meliorem mentem, ac saniora consilia rediturum: atq; hoc est quod Platina verè narrat. Sed vbi vidit Pontifex,se operam perdere, & Imperatorem quotidie deteriorem fieri: securim ad radicem misit,& Imperatorem cętu piorum eiecit, ac iußit,vt ei tanquã impio Italici populi non parerent, neq; vectigalia deinceps penderent. Id verò Platina non negat, & historici plurimi Græci, & Latini affirmant, quos in libro meo citaui. Vide de hac tota causa Cardinalem Baron. Tom.9. Annalium, ad annum salutis 726.& 730.

Aio secundò, si Platina contrarium dicat, magis credendum esse historicis cæteris,quam ipsi: nam & multi sunt, & antiquiores, & diligentiores,& historias temporum scribunt,non vitam vnius Pontificis, vt Platina facit : quàm aũt Platina parum diligens fuerit in perscrutandis monimentis Romanorum Archiuiorũ, vel ex eo potest intelligi,quod Onuphrius Panuinius in additionibus ad Platinam multa eiusdẽ Platinę vel omissa,vel errata demonstrat: & in additione præmissa vitæ Gregorij II. admonet, Leoni tertio Imperatori hæretico iure ereptum fuisse Imperium,quod in Italia habebat, à Gregorio secundo Romano Pontifice.

Aio tertiò, Gregorium virum sanctißimum non peccasse in Euangeliũ, quãdo populos Italiæ prohibuit vectigalia pendere Imperatori hæretico. Quod enim Dominus ait, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* intelligitur de Cæsare legitimè imperante.

Leo verò ille qui ob crimen hæreseos à Summo Pontifice publicè excommunicatus fuerat, & ab Imperio depositus, non erat verè,& iure Cæsar, sed Tyrannus, & persecutor sub titulo Cæsaris.

At,inquit Barclaius, *vsque ad mortem Leo permansit in Imperio.*

Respondeo. Apud Græcos, præsertim hæreticos, Imperator *de facto,* non *de iure* permansit: apud Latinos, ac præsertim Italos, neque de iure,neque de facto.

CAPVT XLII.

Defenditur exemplum sextum.

SExtum exemplum est Zachariæ Pontificis,qui Childericum Regem Francorum deposuit,& Pipinum substituit.

Ad hoc exemplum Barclaius opponit multa,quæ per partes singulatim refellenda sunt.

Primùm contendit,Childericum fuisse solo nomine Regem, qualis est, vt ipse loquitur, Rex Schaccorum.

Respondeo. Negari non potest,quin Childericus nihil omninò in Regno per se gereret, sed Regnum, & Regni negocia per Principes, ac potißimum per Præfectum Palatij administraret, vt Aimoinus tradit lib.4. cap.61. cæterùm verum non est, eum solo nomine Regem fuisse, fuit enim Rex iure succeßionis,& tanquam verus, ac legitimus Rex inunctus,& coronatus erat, & à populis iuramentum fidelitatis acceperat. Neque hoc negare Barclaius potest,nisi ipse sibi repugnare velit : nam paulò pòst scribit, grauißimam iniuriam Childerico factam esse à Zacharia Pontifice, & à Pipino Principe,cùm Regno deiectus est. At quæ iniuria fieri poterat ei, si absque vllo iure falsum Regis nomen gerebat? & cur Pipinus in spem Regni exarserat, & Regium nomen non dissimulanter affectabat (vt paulò infra Barclaius loquitur) si Childericus nihil præter inane nomen habebat?

Secundò Barclaius dicit, Childericum iniustè depositum fuisse; in qua re socium habet Ioannem Caluinum,lib.4.Instit.cap.7.& Illyricum in historia Magdeburgensi Centuria 8. cap. 10.

Sed nos iustè fuisse depositum probamus, primo ex testimonijs omniũ scriptorum : omnes enim cum laude hãc historiã narrant. Vide Cedrenum in vita Leonis Isaurici, Paulum Diaconum lib.6.c.5. de gestis Longobardorũ, Eginarthum in vita Caroli Magni, Rheginonem lib.2.Chronic. Marianum Scotum lib.3. Chron. Othonem Frisingens. lib.5.histor.c.55.

Adonem Viennensem, in Chron. Aimoinum lib. 4. c. 61. Abbatem Vrsperg. & Sigebertum in Chron. Blondum lib. 10. Decadis primæ, Paulum AEmilium lib. 1. & 2. de gestis Francorum, Robertum Gaguinum, Papirium Massonium, & alios omnes, hæreticis exceptis.

Secundò ex causa: nam non solùm Childericus, & aliquot eius prædecessores nulla Regni negocia curabãt, sed etiam ob eorũ socordiam Christiana Religio in eo Regno maximè laborabat, vt scribit S. Bonifacius Episc. Moguntinus in Epistola ad Zachariam Pontificem.

Tertiò ex virtute auctoris, & executoris: nam Zacharias, cuius auctoritate hæc res gesta est, omnium consensu vir sanctissimus & sapientissimus fuit. Sanctus verò Bonifacius, qui iussu Pontificis Pipinum vnxit, & coronauit, non solùm Doctor eximius, sed etiam Martyr gloriosissimus fuit. Denique ab euentu, nam translatio ista Regni Francorum à Childerico ad Pipinum Deo benedicente faustissima, & Regno, atque Ecclesiæ vtilissima fuit.

At, inquit Barclaius, ***nullo casu licet malum facere, vt bonum inde quantumuis magnũ consequatur: deponi autem Regem legitimum à proprijs subditis, aut deponentibus consentire, cùm ille solùm Deum supra se habeat, cui soli gestorum suorum rationem reddere tenetur, per se & similiter malum esse, iam supra ostendimus.***

Respondeo. Childericum non subditi eius, sed Pontifex, qui superior erat, iure deposuit: non enim Zacharias solùm assensum præbuit in depositione Childerici, sed ex auctoritate eum deposuit: vt mox ostendemus. Neq; vllo solido argumento suprà Barclaius probauit, Reges non habere supra se nisi Deum, cui soli gestorum suorũ rationem reddere teneantur. Videat lector, quæ supra dicta sunt, & iudicet.

Tertiò Barclaius ridet argumentum illud, quod ab euentu felici duxi, vt probarem, iustè Childericum fuisse depositum: ac dicit, plebeium, & puerile argumentum esse, & allegat Poetam dicentem:

Careat successibus opto,
Quisquis ab euentu facta notanda putet.

Addit etiam, eundem felicem euentum habuisse trãslationem Regni Francorum à Carolouingis ad Capeuingos; & tamen constat Hugonem Capetum per summum scelus exuisse Carolouingos Regno, & illud ad Capeuingos suos transtulisse.

Respondeo. Argumentum à solo euentu fortuito sine dubio parum valet, vt si quis damnaret prudentiam, vel peritiam Imperatoris ex eo solùm, quòd victor in prælio non fuisset: sæpè enim aliundè accidit amissio victoriæ, quàm ex imprudentia, vel imperitia Imperatoris: argumentum tamen à felici euentu ex prouidentia Dei, non parum valet, præsertim cùm adiungitur alijs argumentis. solet enim Deus iustitiæ fauere, nisi ob aliquam causam sapientiæ ipsius videatur aliter esse faciendum.

Quod autem Barclaius reprehendit Hugonem Capetum summi sceleris, & Regni vsurpati; & Gaguinum auctorem adducit: nos ei Card. Baronium opponimus, qui tomo Annalium decimo, ad annum Dom. 987. multis argumentis probat, Hugonem fuisse legitimum Regem, & in eo non defecisse, sed propagatam esse Caroli Magni stirpem. Nec desunt alij, qui Hugonem istũ defendunt, vt Papirius Massonius, & alij: & Gaguinus non dicit *per summum scelus* id ab Hugone factum fuisse. Et certè magnum argumentum huius rei esse potest, quòd Robertus Pius, qui vnà cum Patre Hugone, & post eum regnauit, vir pijssimus, & sanctissimus fuerit: neque enim tanta pietas cum iniusta vsurpatione alieni Regni cohærere potuisset.

Quartò dicit Barclaius, S. Bonifacium non peccasse exequendo mandatum Zachariæ Pontificis, quamuis Zacharias mandando peccauerit: reddit aũt rationem, ***quia tenebatur***, inquit, ***Papæ sententiam exequi, licet sciuisset illam esse iniustam, & ideò licet fecisset Zachariam reum iniquitatis imperandi, innocentem esse ostendisset Bonifacium, ordo seruiendi, & necessitas parendi.*** & allegat. ca. *Pastoralis. §. qui verò*, de off. Iud. de leg. & Can. *quid culpatur.* 12. q. 1. & Can. *miles.* 23. q. 5.

Respondeo. Hoc dictum non plebeium, aut puerile, sed planè hæreticum est; pugnat enim cum expresso verbo Dei, Oportet obedire magis Deo, quam hominibus, Act. 5. quod ipsum declarauit S. Augustinus, & alij Patres, qui citantur. 11. q. 3. Can. *Iulianus*, & alijs multis Canonibus eiusdem quæstionis. In illo verò cap. *Pastoralis. §. quia verò*, vbi dicitur, sententiã iniustam ab inferiore exequutioni mandandam esse; glossa rectè docet, quæ ibi dicitur sententia iniusta, absolutè iustam esse, quia iustè à lege inductum est, vt is qui in tempore præscripto non appellauit, aduersus eum sententia proferatur, etiamsi alioqui iustam causam habuisset, & ibidem rectissimè eadem glossa declarat, non esse obediendum mandato superioris euidenter iniusto. Et Can. *Quid culpatur.* 23. q. 1. S. Augustinus contra Barclaium loquitur, cùm dicit, esse obediendum superiori, quando vel certum est iustum esse, vel non est certum esse iniustum, quod iubetur. ex quo sequitur, vt quando certum est esse iniustum, non sit vllo modo parendum. denique in Can. *Miles.* 28. q. 1. non agitur de iustitia, vel iniustitia mandati, atq; id solùm definitur, priuata auctoritate hominem interficere peccatum esse, secus autem si publica auctoritate id fiat. Quare Barclaius sententiæ suæ amore cæcatus, vel noluit iura intelligere, vel non potuit.

Quintò dicit Zachariã Pontificem cõsensisse Francis volentib' Childericũ deponere, & Pipinum Regẽ creare; non aũt potestate, vel auctoritate sua, vel Childericum à Regno deposuisse, vel in Pipinũ Regnum trãstulisse: & propterea nihil ex hoc exẽplo trahi posse ad ostẽdendam Romani Pontificis auctoritatem in Regibus vel deponendis, vel creandis.

Sed hæc nimia temeritas est, cùm testimonijs historicorum omnium contrarium manifestè probetur.

1. Annales Francorum vetustissimi sic habent. ***Data auctoritate sua*** (Zacharias) ***iussit Pipinum Regem constitui.***

2. Eginarthus in vita Caroli Magni: ***Pipinus***, inquit, ***per auctoritatem Rom. Pontificis, ex Præfecto Palatij Rex constitutus est.***

3. Aimoinus lib. 4. cap. 61. de gestis Francorum: *Pontifex*, inquit, *data auctoritate sua, iussit Pipinum Regem institui.*

4. Rhegino lib. 2. Chronici: *Zacharias*, inquit, *per auctoritatem Apostolicam iussit Pipinum Regem creari, & sanctæ vnctionis oleo inungi.*

5. Lambertus Schaphnaburgensis, in hist. *Pipinus*, inquit, *decreto Zachariæ Papæ per vnctionem S. Bonifacij Rex appellatus est.*

6. Sigebertus in Chronico, *Anno*, inquit, 750. *Pipinus Princeps auctoritate Apostolica, & Francorum electione à S. Bonifacio in Regem consecratur. & anno 752. iterum inungitur in Regem à Stephano Papa.*

7. Hermannus Contractus, in Chronico, *Anno*, inquit, 752. *Pipinus auctoritate Stephani Papæ detonso, ac deposito Rege Childerico, Rex Francorum factus est.*

8. Marianus Scotus lib. 3. Chronici, *Zacharias*, inquit, *Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum, vt Pipinus, qui potestate Regia vtebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Childericus Rex qui vltimus Merouingorum Francis imperabat, depositus, & in monasterium missus est.*

9. Abbas Vrspergensis in Chronico, *Anno*, inquit, 750. *Pipinus per auctoritatem Zachariæ Papæ more Francorum electus ad Regnum per manus sancti Bonifacij eleuatus est in Regni solium.* & infrà, *Stephanus Papa Pipinum sacra vnctione in Regiæ dignitatis honore confirmauit.*

10. Otho Frisingensis lib. 5. hist. cap. 22. *Auctoritate*, inquit, *Zachariæ Papæ Pipinus ad Regnum eligitur.*

11. Albertus Krantzius in lib. 1. Metropolis cap. 14. *Merito*, inquit, *Summus Pontifex, & Gallorum Rex mutuis se attollunt fauoribus: quãdo ab initio hæc Sedes domui Caroli hoc præstitit, vt Regiam haberet dignitatem.*

12. Paulus AEmilius in Childerico, *Zacharias*, inquit, *Francos sacramenti Regi Childerico dicto soluit: hiq; conuentu habito Regem Pipinum salutauerunt.*

Habemus duodecim testes, quorum aliqui auctoritate Pontificis, alij auctoritate Apostolica, alij auctoritate S. Petri, alij decreto Papæ Childericum depositum, & Pipinum exalta-

A tum testantur. postremus scribit, non ausos Francos Pipinum Regem salutare, nisi prius sacramento per Pontificem soluerentur, quo Regi Childerico tenebantur: & tamen Barclaius solita temeritate negat, *auctoritate*, vel *decreto* Pontificis id esse factum. Hoc solùm supererat, vt cum Matthia Illyrico, nostri temporis hæretico notissimo, & historico mendacissimo diceret, mendacium, ac figmentũ esse, quod nostri affirmant, à Zacharia Pontifice Regnum Francorum à Childerico in Pipinum esse translatum. Vide Illyricum initio libri, de translatione Imperij.

B

EPILOGVS.

CVM exempla sex Barclaius frustra refutare tentasset; reliqua sex, quæ supererant, aut volens prætermisit, quòd ea clariora esse intelligeret, quam vt cauillationum suarum tenebris obscurari possent: aut morte præuentus inchoatum opus dimittere coactus est inuitus. Vtcumque sit, defunctus opere, & vita apud eum Iudicem constitutus est, quem nemo potest fallere, & apud quem Principum gratia neminem iuuat. Ego verò,
C qui ad tribunal eiusdem supremi Iudicis breui sistendus sum, hoc bona conscientia testari me posse confido, nihil à me scriptum in gratiam, nihil in odium. Scripsi quod verum existimaui, quod ab Ecclesia didici, quod ante me plurimi non solum docti, sed etiam Sancti scripserunt. Neq; vltrò in hanc arenam descendi, sed lacessitus ab homine mihi ignoto, coactus sum defendere senex, quod scripsi iuuenis. Quod si Pontificiam potestatem, & scripta mea ita defendi, vt oportebat, quod efficere vehementer
D optaui; Deo, in cuius manu sumus nos, & sermones nostri, gratias humillimas ago: sin contra accidit, & in aliquo, aut in multis, pro humana imbecillitate defeci, ab illo veniam peto, qui suauis, & mitis est, & multus in misericordia omnibus inuocantibus eum. Ecclesiæ quoque, & ipsius Summi Pontificis, Christi Vicarij censuræ non solùm præsens opusculum, sed omnia scripta mea libens, & volens submitto.

FINIS.

R. P. AN-



R. P.

ANDREAE EVDAEMONIOANNIS CYDONII E SOCIETATE IESV

EPISTOLA MONITORIA,

AD IOANNEM BARCLAIVM GVILLELMI filium, de libro ab eo pro Patre suo contra Illustrissimum Dominum D. ROBERTVM BELLARMINVM S. R. E. Cardinalem scripto.

LECTORI.



OANNES BARCLAIVS Guillelmi filius, Lector, aduersus illustrissimum Bellarminum pro patre suo benè magnum volumen edidit. Quod, quia opera pretium non erat, confutare, aut de controuersia ipsa quicquam in præsenti a scribere consilij nequaquam fuit. Sed quia integra sex Ecclesiæ sæcula erroris arguit: Concilia, Pôtifices, Episcopos, Canones nullo modò loco habet: Pontificij iuris interpretes contemptui ducit: scriptores reliquos aut sine verecundia reijcit, aut perperam interpretando in alienam planè sententiam detorquet. amicè monere hominem volui, ne si, quam sumpsit, Catholici hominis personam tueri vult; retinendum sibi Lutetiæ inter Catholicos spiritum eum existimet, quem è Britanni Regis aula extulit. Vale.

ANDREAS EVDAEMON-IOANNES IOANNI BARCLAIO

Guillelmi Filio veram à Christo pietatem precatur.



1. VAE tibi mens, quis animus fuerit, Ioannes Barclai, cum sumpta Catholici hominis persona, contra illustrißimum Bellarminum, patris tui patrocinium susciperes: anceps admodum coniectura est. Suspicatus est non nemo palam à te in virum præstantißimum tela conijci: clam à Britanni Regis consiliarijs subministrari. Qui quod inuidiosius id in Romanum Pontificem esse credant, submittunt homines metu, aut cupiditate corruptos: qui cùm se Catholicos esse dictitent, in hac de iureiurando in Anglia pro-

A positio controuersia, quo Catholicis domi pernicies, foris odium quæritur, Regi causam adiudicent. Id in pseudo-Vuiddringtoni libro factum non ita multò ante comperimus; neque leuis est de tuo suspicio. Nam te quidem aliquot annis in aula eius Regis ita versatum ferunt, vt hæreticus aut planè esses, aut haberere quidem certè. Cui nonnullam etiam latinè reddenda, deferendaque ad Principes præfatione eius monitoria operam abs te nauatam memorant. Neque verò, nisi eius nutu

B patris tui librum à Britannici Euangelij ministris ad libidinem deformatum, Londini typis excusum. In quo tu neque loci, neque tuum qui emittebas, nomen extare volueris, ne eo præiudicio ab eius lectione studia Catholicorum auerteres. Ac nunc quoque non dissimili consilio te Lutetiam è Britannia demigrasse: vt cùm & coram apud viros Principes, & scriptis apud cæteros, Ecclesiæ causam calumnijs tuis

C traduceres: tamen quanto maiore locorum interuallo ab Rege disiungereris; hoc longius abesses à suspicione fraudis.

Alij vel ineundæ ab Rege gratiæ cupiditati vel præpostero cuidam, minimeque consulto gloriæ studio tuum hoc consilium tribuunt. 2.
qui, quod honorificum tibi duceres cum viro nostræ memoriæ maximo congredi: decertare cum eo volueris contentione scribendi. Negant enim consiliarios, prudentes in primis atque solertes viros, nullius nominis homini, ac penè adolescenti vix leuiter sacris imbuto li-

D bris, neque profanis admodum erudito, in quo præter loquentiam, nec inelegantes versiculos, nihil magnopere laudari posit, maximo causæ suæ periculo, rem tantam commissuros fuisse.

Ego cùm hæc non improbabiliter disputari fatear, tamen de te, tibi tanti voluminis scriptori, quantum inserto integrò Bellarmini libro crebris admodum inscriptionibus, ac maioribus etiam typis confici potuit, ipsa libri epigraphe pietatem in patrem, atque existimationis eius vindicandæ studium præferenti, fidem habere malo. Delectauit me ista, 3.

quæ vel in malefactis nonnunquam cernitur, indoles animi ad virtutem, si excolatur, facti: uberemque macte virtute esse, qui memor non tam quid præstare posses; quàm quid charitati, ac nomini patrio debeas, rem tanto viribus tuis superiorem ausus sis: nisi maioris impietatis esset arma contra Ecclesiam sumere, quàm pietatis pro patre pugnare.

4. Sed Bellarminus ijs occupationibus existimatione, ætate, dignitate vir, te honore isto non dignatur, vt:

Aeneæ magni dextra cadas.

Ergo cùm nonnullam habeas excusationem vel necessitatis, si iussus es: vel ætatis, si quid inde laudis, aut compendij sperauisti: vel pietatis, si patris existimatione commotus es: moderabor disputationi meæ: agamque tecum, non vt seuerus ac tristis patruus: sed vt lenis, atque indulgens pater. Dabis enim hanc mihi veniam, vt quando è disciplina Societatis isthuc quicquid est, literularum hausisse diceris, quo nunc abuteris in Ecclesiæ perniciem, paternum in te ius mihi vindicem. Proximi sunt vt beneficio, ita etiam charitate, ac veneratione parentibus magistri, quorum consilijs, monitisq; inconsultam ætatem regi par est.

5. Vide autem quàm sim in te, non modò indulgens, verum etiam remissus, ac propè dissolutus, non modò te grauius non increpabo; sed iocis etiam, quod in hoc scribendi genere vix fieri potest, abstinebo. ac ne expendam quidem, more meo, ad amussim dialecticam rationes tuas, non exigam ad exquisitã Theologorum normam, quæ vel respondes ipse, vel obijcis Bellarmino: nullam deniq; earum rerum ad viuum resecabo, quæ absolutionem disciplinarum cognitionem, & scholasticorum acumen requirunt, scio in homine aulico ista ætate, ac literis, hæc neq; inueniri facilè posse, neq; postulari: In prolegomenis modò morabor, in quibus quia lectione tantùm ac diligentia opus erat, & nonnihil intelligere potuisti; & dixisse aliquid visus es. In quæ etiam ipsa non anxiè admodum inquiram. Monendum enim te potius, vt in posterum cautius ageres, quàm castigandum esse duxi. Neq; verò tam de re ipsa in hac epistola, quàm de libro tuo disputo.

6. Cùm in communi Catholicorum omnium causa indictum sibi vni nominatim à Patre tuo bellum vidisset Bellarminus: hominis id vel pudori, vel prudentiæ tribuit, qui veritus incredibilis arrogantiæ, ac temeritatis notam, si omnium se sententiæ vnus opponeret, dissimulata aduersariorum multitudine, in suis vnius scriptis communem cæterorum causam susceperit oppugnandam. Ac modestè professus, non tanti esse se, vt secum vel stare vel cadere Ecclesiæ vniuersæ causa debeat: fecit id quod in Iulianum scribens, olim fecerat Beatus August. vt cum in Sanctorum Patrum induceret *pacificum, venerandumq; consessum*: vt videret quos homines, & quales viros in se, ac secum impietatis argueret. Ergo è præstantissimis omnium gentiũ scriptoribus tum Theologis, tum vtriusque iuris interpretibus aduocato senatu: *Mirum esset*, inquit, *si Barclaius nũc viueret, & in theatrum tot virorum doctissimorum*

A *Italorum, Gallorum, Hispanorum, Germanorum, atque Anglorum introductus, tot aduersa lumina intueri, vel os aperire, aut omnino mutire auderet.* Adiecit his etiam *plurium Conciliorum Patres in vnum, quasi maximum Concilium coactos; vbi aliquot summi Pontifices, non pauci Patriarchæ, plurimi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, aliiq; viri docti, qui varijs locis*, inquit, *& temporibus olim congregati sederunt: nunc iterum simul omnes cõueniant: vt vnum Barclaium in medium vocatum sententijs suis obruant.* Hæc sunt Bellarmini, quę appellas prolegomena, ab illo vno comprehensa capite, quæ tu benè longa disputatione ita examinas: vt partim contemnendo, partim tergiuersando, partim inficiando videri velis diluisse.

En, inquis pag. 5. *vt Concilia, Pontifices, Episcopos magna nomina truci maiestate cogit, vt ad* 7.

B *hunc tantum, & tam iratum scilicet cœtum horrescat Barclaius, meræ nugæ, eloquentia eneruis.* Bona verba, mi homo, Concilia, Pontifices, Episcopi magnane tantùm nomina? meræ nugæ? eneruis eloquentia? quis hoc Lutherus, aut Caluinus dicere vnquam ausus est? Caluinus certè ita noluit discederdi à Conciliorum auctoritate potestatem sibi fieri, vt ijs tamẽ multum tribuendum fateretur. Et Catholicum te tamen haberi vis, qui in Concilijs, Pontificibus, Episcopis nihil agnoscas præter inanem magni nominis strepitum, quo pueri scilicet terreantur? Sunt illa quidem magna, sed maximarum rerum nomina, quibus nõ errore vulgi temerè conciliata; sed diuinitus insita maiestas, atq; auctoritas est.

C Sistis deinde te pagin. 6. pro Barclaio Patre 8.
tuo, quem Bellarminus citarat, tot scriptorum senatui, nam Concilijs, Pontificibus, Episcopis, quod eos nihil facis, ac meras esse nugas existimas, te sistere noluisti, sed excipis tamen *Auctorum plurimos, quos hic* Bellarminus *profert ex Canonistarum populo esse, quos vltrò fatemur*, inquis, *iniquissimos Regibus; imò, in quos ex professo pugnandum est. homines exortos circiter mille & trecentos annos à Christo, Pontificios Palpones, & plerunq; ex Romana curia ignaros historiæ, ignaros literarum, nisi quod rescripta Pontificum immani, & sæpè inepto studio coluerunt. Hinc tot in ijs ridicula, tot vicina blasphemiæ, quæ tamen vtcunq;, aut studiorum, aut temporum error excusat.* Spiritus quidem iste, Barclai, Lutherum olet: cui implacabile in Ecclesiam odium præclara

D illa extorsit Canonici iuris, & Canonistarum encomia, quæ habes apud Gretserum *in Luthero Academico, cap.* 10. ex quibus tua ista deriuata possunt videri: sed caue, ne si Lutherano spiritu agi fas sit, aut similia, aut etiam deteriora de Iurisconsultis audias. Eius quidem certè illa sunt in eos elogia apud Gretserum capit. 11. ex colloquijs latinis, Titul. de Iuristis. *Omnis Iurista aut est nequista, aut ignorista.* Ac ne fortè dubites, quid Iuristæ nomine intelligat: audi, quid ex eius Tomo 5. sermone de liberis ad scholas mittendis ille ipse Gretserus ex Germanico proferat. *Quando loquor de Iuristis, non tantùm intelligo Doctores: sed totum opificium, vt Cancellarios, Scribas, Iudices, Aduocatos, Notarios, & quicquid ad rectam Reipublicæ gubernationem spectat; etiam Summates illos, qui consilia-*

rij aulici audiunt, nam & ipsi artem iuris factitant. Quæ ideò adscribenda duxi, vt te monerem id, quod Atratinum olim monitum voluit Marcus Tullius, *Vt ea in alterum ne dicas, quæ cùm tibi falsò responsa sint, erubescas.* Quid est enim eorum, quæ in Canonistas per calumniam iactas, quod non idem obijci Iurisconsultis possit? quæ tu quidem, nisi impius in Patrem tuum esse velis, inuitus audies. Illi Pontificum, hi Principum curias implent. Illi in Pontificum, hi in Principum responsis immane quantum insudent. excidit nonnihil aliquando Canonistarum alicui minus solidum, quid in Iureconsultorum libris? nihilne est; quod risum lectoribus moueat? Acursius ipse Iuris prudentissimus, quàm multa habet in suis glossematis inepta, insulsa, ridicula? quàm omnium disciplinarum, si Iuris cognitionem excipias, expers est? neque tamen eam ob rem totam Iurisconsultorum nationem sapiens quisquam exagitauerit: vt aut palpones eos Principes aulicos, rerum ignaros appellet: aut cùm de rebus ad ciuilem prudentiam spectantibus agitur, eos repudiet. Sunt in vtroque hominum genere permulti homines graues, & eruditi; sunt alij magni quidem illi viri; sed non satis eruditi; in quibus cùm cæterarum rerum cognitionem desideres, exquisitam, vel Pontificij, vel Ciuilis Iuris scientiam nõ possis non admirari.

9. Reiectis Canonistis, quod è responsis Pontificum sapiant, ad ipsa Pontificum responsa digrederis: quæ tu tanti videlicet facis; quanti fieri par est ab eo, qui in Pontificibus atq; Concilijs ipsis, nihil præter magna nomina, atque inanem, nescio quam maiestatem agnoscat. Ea igitur omnia, quę ex sacris Canonibus afferuntur, pro potestate Pontificis, pag. 7. respondes: *esse responsa Pontificum in sua causa, & pro se de re temporali iudicantium,* quæ negas *apud Catholicos idonei ponderis esse debere.* Apud Pharisæos, quidem, eorumque sectatores multum habet ponderis ista ratio; qui Ioann. 8. 13. Christi de se testimonium eo nomine reiecerunt, *quod ipse testimonium perhiberet de se;* Catholicorum verò, qui Christum in suo Vicario loquentem, docentemque audire, ac venerari soliti sunt, longè alia ratio, ac diuersum planè iudicium est. Nam *etsi testimonium perhibet de se ipso* Pontifex: non dubitant, quin *verum sit testimonium eius, cùm sciant, vnde venerit, aut quò vadat.* Sciunt irritas pro fide Petri Christi preces esse non posse. Sciunt nunquam fore, vt inferi portæ aduersus Ecclesiam super Apostolum Petrum fundatam præualeant. Sciunt pascendarum ouium, & confirmandorum in fide fratrum prouinciam illi à Christo Domino demandatam. Quocirca *oues eius vocem eius audiunt*, neque verentur, ne, cui mentem atque animum Christus inspirat è cathedra Petri, falsi quicquam pronunciet. Quid enim est causæ, cur de Apostolatu suo, deque Euangelij *non ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi accepto* testimonium perhibenti Paulo Apostolo fidẽ habeas: nisi quia *loquebatur in eo Christus.* Ioanni Apostolo de singulari Christi in se amore, deq; Euangelij sui veritate testimonium perhibenti, in sua causa, ideò credimus, quia non ipse loquutus est, *sed spiritus Patris qui in eo loquebatur.*

A Deniq; cur de spirituali sua potestate loquenti Pontifici, in causa, ni fallor, sua, fidem habes Barclai? nisi quia cùm Pontifex sit, atq; in Petri cathedra sedeat diuino spiritu afflatus docet Ecclesiam.

Nam quod excipis de re temporali ea Pontificum responsa esse, ob eamq; rem *idonei apud Catholicos ponderis esse* non debere: pace tua dixerim, rem non percipis. Nam etsi temporalis fortasse potestas est, tamen traditane, an non tradita sit à Deo Pontifici; spiritualis, non temporalis controuersia est. Ita cælum, terra, elementa, reliqua vniuersitas, deniq; tota rerum aspectabilium temporale quiddam & corporatum est, de cuius tamen conditione, atq; administratione quæstiones ad fidem pertinent. 10.

B Quid deniq; magis temporale, quã iura Principum? at parendumne sit legitimo Principi iusta imperanti, ita spiritualis est quæstio, vt qui neget, hæreticus sine controuersia sit. Non pronunciat igitur Pontifex de re temporali, cùm de potestate sibi à Deo tradita pronunciat. Et verò quam demum potestatem contulerit in Ecclesiam suam Deus: nisi vel à Deo ipso, vel ab Ecclesia diuini iuris interprete, scire non possumus. At Deus hominibus nisi per Ecclesiam suam non loquitur: cui *manifestauit incerta, & occulta sapientiæ suæ,* quaq; internuncia diuinas ab eo literas, genuinum earum sensum, Euangelium, fidem, quicquid demum est Catholicæ veritatis, accepimus. Reliquũ igitur est: vt aut lis hęc de Ecclesię potestate

C dijudicari nulla ratione possit: aut Ecclesiæ super ea re, etiã in sua causa, iudiciũ accipiatur.

Sed tu pag. 5. magna ipsa illa nomina Conciliorum, Pontificum, Episcoporum, quæ contemnis: *multò robustius* in Bellarminum *torquere te gloriaris; cùm totam Ecclesiæ faciem ostentes, eadem dignitatum nomina, & quidem sæcula decem prima pro vobis, nullo dissensu, stantia. cæteras autem ætates, vt per seditionum mala discerptas: non tamen vt existimat* Bellarminus. *tam antiquæ veritatis oblitas.* Hui quàm multa, quàm pauca? decem prima Ecclesiæ sæcula nullo dissensu pro vobis stantia? At quod Conciliũ ante Gregorium II. egit vnquam ea de re? qui Patres controuersiam hanc, non dicam tractarunt ex professo, sed omninò attigerunt? quod extat super ea re Pontificis cuiusquam responsum? 11.

D sed tu eadem modò dignitatum nomina obijcis: de re ipsa non laboras. Nam quod afferri à nonnullis animaduerto, ad Greg. vsq; VII. nullam eius rei mentionem neq; in Concilijs, neq; in rescriptis Pontificũ, neq; apud Patres inueniri, Primùm falsum est, cũ 300. circiter annis, antequã Greg. VII. Pontificatũ iniret, ius id, & quidẽ Synodico decreto vsurpatũ fuerit à duobus Greg. II. ac III. à Leone III. à Zacharia, ac multò etiã ante, hoc est 6. Ecclesię sęculo à Magno Greg. Video etiã B. Petrum Damiani excellẽti sanctitate ac doctrina virum lib. 1. ep. 17 ad Alexandrum II. qui proximè ante Gregor. VII. Ecclesiæ præfuit, hæc scribere. *Quilibet Imperator ad Papæ vestigia corruit, tanquam Rex Regum, & Princeps Imperatorum cunctos in carne viuentes honore, ac dignitate præcellit.* Deinde fac ita esse, vt dicis; quicquid Concilia, Patres, Põtifices non docuerunt, id ne continuò negasse

putandi

putandi sunt? Ridiculè. qua enim ratione efficies, à te potius quàm à Bellarmino eos stare? qui vt neutram sententiam affirmarunt: ita ne negarunt quidem. Quò accedit, quod cùm posteriores hæreses in prioribus Concilijs damnatæ non sint; probatæ ab ijs, hac quidem ratione, censebuntur. Nihil disertè in Macedonium statuit Nicæna Synodus; nihil Constantinopolitana in Nestorium: Nihil in Dioscorum, atque Eutychen Ephesina, nihil in Monothelitas Chalcedonensis: nihil quinta ac sexta in Iconomachos; glorientur igitur hi omnes hæretici, blasphemias suas prioribus Concilijs sæculisque probatas esse.

12. Quod verò scribis ne posterioribus quidem sæculis idem omnes Catholicos sensisse; neque deesse, qui omnibus sæculis patris tui sententiam defenderint: tum credet Bellarminus, cũ eos protuleris. Video Almainum à te citari, de quo quia numero 28. acturum te recipis, rem totam in eum locum reijcio. interim illud te moneo, eum à te hoc loco parum bona fide citari.

13. *Doctissimus etiam*, inquis, *Vuiddringtonus eximio in te* (Bellarminum) *libro, cui nomen Apologia Cardinalis Bellarmini pro iure Principum, quã plurimos religionis Catholicæ, eruditionis multa auctores pro nostra numerat sententia, cui alios in hoc opere passim addemus.* Tuos istos, quos addis, cũ protuleris, perpendemus. Quos Vuiddringtonus pro sententia sua numerat, percurrerem singulos, ostenderemque, quàm tota ea pompa nominum sine re, futilis, atque inanis sit: si id & modus epistolæ pateretur; neque adornari in Germania plenam eius confutationem accepissem. Sed ne locum hunc intactum planè prætercam; pauca subijciam. Quos pro se citat Vuiddringtonus, si recentes, nescio quos Ecclesiæ hostes excipias; ij partim schismatici sunt, quos in Catholicis, qui numerat, Catholicus ipse non est: partim improbatæ iam ante doctrinæ, atque eam ob causam eorum nomina in indicem relata librorum prohibitorum, quorum tantùm apud Catholicos esse debet pondus auctoritatis, quã probata doctrina est. Permultos sibi falsò arrogat, cùm Bellarmini sententiã apertissimè doceant. Alios cùm ea de re ne disputent quidem, inuitos, reluctantesq; detortis consequutionibus in suam sententiã trahere nititur. Nam Guillelmi Okami dialogi, Dantis Monarchia, Antonius de Rosellis, Sigebertus, iam dudum Ecclesiæ censura notati, ac relati sunt in Indicem, atque ex ijs etiam Sigebertus, & Okam sine controuersia schismatici fuerunt. Quamquam Okamus vel tua confessione, nu. 28. à Bellarmino stat. Sigebertus ita per calumniam rem inuertit, vt Vincentio Bellouacensi, viro minimè malo ac suspicioso imposuerit. Qui hæc eius verba è chronico anni 1088. in speculi sui historialis lib. 25. cap. 84. bona fide transtulit. *Hac sola nouitas, ne dicam Hæresis, necdum è mundo emerserat: vt Sacerdotes eius, qui dicit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam, propter peccata populi, doceãt, quod malis Regibus nullam debeant subiectionem, & licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint; nullã tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur; qui contra Regem senserint. Imò qui Regi paruerit,*

A *pro excommunicato habeatur, qui contra Regem fecerit, à noxa iniustitiæ, & periurij absoluatur.* Quæ sine controuersia non Bellarmini modo, sed Pauli etiam summi Pontificis, & Catholicorum omnium iudicio, hæresis est. Homini enim etiam malo ac perdito dum magistratu fungitur, subiectio naturali ac diuino iure debetur, vbi eo munere defunctus fuerit: vt nihil habet in subiectos iuris; ita re subditi quidem, si detrectarint imperium, quicquam admittunt in magistratum.

Patres, quos multos enumerat, non modò nihil disertè pro Vuiddringtono docent: sed 14. ne ita quidem loquuntur, vt nisi coactis, nihilque concludentibus argumentationibus in eius sententiam trahi possint. Itaque omnis illa B magnorum nominum pompa inanis est.

15. Almainus, Ioannes Maioris, Ioannes Parisiensis Bellarminiani in hac quidem re sunt, vt in Paralello cap. 6. demonstrauimus. Michaelis Vulcurni, de regimine mundi p. 2. q. 2. principali men. 82. hæc verba sunt. *Propterea euenit, quod si Imperator, aut alius Rex fuerit rebellis Põtifici Maximo, in necessitate posito, & petenti tanquam membra capiti in necessitate posito, auxilium non præstarent: idem Papa potest talem Principem, tanquam membrum inutile ab Ecclesia expellere, & per hoc dicetur expulsus etiam à Regno cùm ille, qui præest multitudini Christicolarum, debeat esse Catholicus.* Et nu. 83. *Tam ratione fidei, quam etiam ratione peccati grauis, & manifesti, si incorrigibilis fuerit Imperator, aut alius Rex, posset Papa talem deponere.* Habes iam, quod gratulere Vuiddringtono C tuo *viro doctissimo*, qui tales habet patronos opinionis suæ.

16. Petrus Gregor. Tholosanus lib. 26. de Rep. c. 5. n. 14. *Neq; Hildericus*, inquit, *hæreticus erat, nec aliud crimen Ecclesiasticum commiserat; quod Iurisdictioni sedis spiritualis pro depositione illum subijceret.* Satisne tibi videtur apertè docere peccatis, vt ille vocat, Ecclesiasticis, Reges etiam *sedi spirituali pro depositione subijci*? & hunc tamen ille citat auctorem suæ sententiæ.

17. Albericus in dictionario, Verbo *electio* ita suæ sententiæ non fidit ipse; vt hæc ei subiecerit, *& si erroneum foret, reuoco.* Nimirum *doctissimus tuus Vuiddringtonus* magna testium inopia laborabat, cùm *eximium* illum, quem memoras, *librum* in Bellarminum videret. atq; illud D modò studebat: vt longum nominum catalogum texeret.

18. ApudBellarminum quidem in tanto scriptorum, quos citat, numero, cùm plurimum sudaueris, nihil huius simile inuenire potuisti. Quę te res impulit, vt digredereris ad examinandas rationes, quibus ij sententiam suam probant. cùm id res, locusq; minimè postularent. Queritur eo loco, quæ sit Catholicorum scriptorũ de Pontificis potestate sententia: tabellis, vt aiunt, obsignatis agitur: scriptorum nomina, libri, capita, numeri, verba etiam plerumque adnotantur: vt lector non intelligat modò quid scriptores ij doceant: sed consulere etiam possit eorum libros. Satisne firmis rationibus sententiam suam probent, alia controuersia est: de qua tum demum disputabitur: cùm constiterit totum Catholicorum senatum à Bellarmino stare: Patri tuo pręter schismaticos, aut im-

probatæ

probatæ doctrinæ, eosq; paucos scriptores, neminem suffragari. Habeant deinde illi fidem lectores Catholici, si voluerint, credantq; pondus ac momenta rationum, quæ alios fugerint ex omni Catholicorum scriptorũ numero, in vni Guilielmi Barclaij capite librari potuisse.

19. *Hoc*, inquis, pag.10. *omnes gentes, hoc Christianorum exaudiat cœtus quod de rebus inter homines summis, de discrimine potestatum, & omnino totius Imperio orbis, vt apud Christianos esse debeat: nemo post Christum per mille, & septuaginta annos, sincerè aliquid posteritati commendarit. Quod ille denique qui fatetur hæreses omnes ex doctrina, quæ prima quatuor sæcula illustrauit, posse damnari: de tãta re disceptans profiteatur Gregor. VII. primum ex Italica natione esse, qui in hanc rem idonea inuenerit verba.*

Qui hac de re pro vobis disertè pronunciet ne Vuiddringtonus quidem, qui exijt in vicos, & plateas, vt quotquot inuenisset bonos, etiam ac malos in sententiam suam compelleret; non dicam Greg. VII. sed Sigeberto vetustiorem quenquam inuenire potuit: A Sigeberto ne igitur vos vestræ sententiæ originem repetetis? An contendetis potius iam inde ab Apostolicis temporib. viguisse eam in Ecclesiæ disciplina: quamuis, quod in controuersiam vocata non esset, de ea nihil à Scriptoribus traditum sit? Ea responsione si vti tibi tuisq; licet aduersus Ecclesiam: cur pro Ecclesia Bellarmino vti non liceat. Præsertim cùm iam inde à quinto Christi sæculo, hoc est, sexcentis ferè ante Gregorium VII. annis exempla summorum Pontificum repetat, qui ea potestate vsi sunt. Et Gregor. ipse VII. in can. *Nos Sanctorum* prædecessorum suorum exemplo iure hoc vti se memoret. Quis ante exortam Arij blasphemiam, de filij consubstantialitate differit? quis de diuinæ gratiæ vi, ac necessitate, deq; prædestinationis arcano disputauit prius, quàm Pelagius cõtra Dei gratiam insaniret. quis ignorat nouitatis accusatam à Massiliensibus Augustini disciplinam, quod quæ diceret, non ex præcedentibus Catholicis tractatoribus promeret? quibus ille lib. de prædestin. 5. & capit. 14. *Quid opus est*, inquit, *vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquã ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione versari? Quod procul dubio facerent: si respondere talibus cogerẽtur: Vnde factum est, vt de gratia Dei quid sentirẽt breuiter, quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent, immorarentur verò in eis, quæ aduersus alios inimicos Ecclesia disputabant.*

20. Nam quod obijcis Bellarmino auctore, è primis quatuor Ecclesiæ sæculis omnes hæreses posse damnari: qui tamen nunc profiteatur, vndecimo tandem Christi sæculo extitisse, qui ad hanc rem idonea verba inuenerit: mihi crede Barclai, nihil efficis. Maiores enim nostri ea iecerunt fidei fundamenta, quibus omnes, quas in finem vsque sæculi comminisci potest Satanas, hæreses confutentur. Omnes aut ipsi confutare, quæ nondum extiterant: aut excogitare, neq; vellent si possent, neq; possent si vellent. cùm addi semper aliquid possit ad ea, quę cogitata atque inuenta iam ante sunt; neque quicquam certi aut constituti sit in errore.

21. Pag.18. cùm verba quædam protulisset Bel-

A larminus August. de Ancona è q.22. art.3. *Hæc verba*, inquis, *in Augustino de Ancona non reperi, sed tamen sententiam: vt existimem, vel te ista non habuisse ab Ancona, sed ab alio qui Anconæ mentem, non orationem retulerit: vel exscripsisse ab alio, quàm quem notas, loco.*

Ita est volebat ex q.22. art.3. ad tertiam hæc proferre Augustini verba. *Principibus sæculi obedientia non est subtrahenda, nisi seipsos reddant indignos, & nisi principatum iniustè administrent: quia tunc non solùm subditorum subiectione, verũ etiam principandi iurisdictione per Papam priuari possunt.* sed errore factum est; vt hæc, quæ legis eius verba ex alio eius loco exscriberet, sed cũ fatearis tu ipse sententiam eo, quem is citat, loco reperiri, neque ab eo vis vlla fiat in verbis, nihil attinet in re tam futili immorari.

B Sed tu futilius etiam agis p.21. atq; ad flagra vocas *Matthæum Tortum, aut quisquis ille est, cuius opera has auctorum sententias* Bellarminus collegit. *Nam ipsum*, inquis, *tam supinè lapsum haud credam* Malignè calumniaris. Bellarminus neminem non modò ad quærenda scriptorum testimonia; sed ne anagnostem quidem, aut amanuensem, vel in hac ætate, atq; occupationibus adhibet. si quis est ea in re error, ipsius est. excusationem ille istam tibi tam beneuolam remittit. Sed quænam ista est, Barclai, tam fœda, tamq; viro docto indigna prolapsio? vt in aliũ transferenda sit, quo tanti viri existimationi consulatur. *Primum*, inquis, *errasti designando titulo, c.*8. Citauerat ille Antoninum 3. p.summ.tit.22.c.3.§.7. & c.5.§.7. neque sententiam, neq; verba negas apud Antoninum reperiri. C Sed immane nõ Torti, vt tu dicis, sed Bellarmini flagitium illud est, quod *hæc verba*, inquis, *Talis est Imperatorum, Regum, &c. Sint in Tit.23.c.4.§.8. Illa autem: Potest ipsos Reges, &c. in c.6.§.17.* At nimis tu quidem inuerecundè agis cum Matthæo Torto, Sacerdote pio, ac graui, ne dicam procaciter, ac petulanter; qui vapulare eum hac de causa iubeas. fecisset enim, si ea in re peccasset, idem quod tu hoc ipso loco, & quidem tantò turpius facis, quod ille per imprudentiam errasset: tu *eadem facis*, quæ in alijs per calumniam *iudicas*. Priora illa verba eo ipso, quem Bellarminus adnotauit Tit. & ca §.5. leguntur. *Ita in titulo & capite, Bellarminus solo §. designando errauit.* Posteriora verò verba eodẽ tit. ca.5.§.17. impressionis Venetæ anni 1582. *apud Iuntas* inuenies. Ita tu & titulo, & capite D designando bis errasti, semel etiam §. neque te tamen quisquam ad flagra deposcit. in Bellarmini libro bis erratum esse designando §. scelus est. Perge verò Barclai, felicior fortasse, in reliqua eius loci censura futurus.

Hæc leuia sunt, inquis, *multò insignius peccauisti; cùm nobis Augustini Anconæ verba sub Antonini Florentini nomine ausus dare. Hæc, inquam, omnia, Talis est potestas Imperatorum, Regum, & Principum, quæ per Papam habet institui, regulari, & cõfirmari, si bona est: & per ipsum habet iudicari, & condemnari, si bona non est: sunt verba Augustini de Ancona in sua Sum. qu. prima de Papæ potestate, cuius sententiam ex professo, & ad verbum retulit eo §. Antoninus Florentinus.* 23.

Verè tu quidem narras; sed ineptè paratragædias. Familiare est hoc Antonino: vt quorũ 24.

scripto-

scriptorum sententias probat, eorum verba adhibeat. certè toto eo, quo agere instituit *de potestate iurisdictionis temporali, & spirituali Papæ*, nullam aliam inuenies Antonini, vel responsionem, vel sententiam; quàm quæ Augustini de Ancona verbis affertur. Quod te ipsum §. eius initium, quod tute adnotasti monere debuit. *De potestate*, inquit, *iurisdictionis temporali, & spirituali, quæ est in Ecclesia; sciendum est secundum Augustinum de Ancona*, &c. vbi vides probari ab eo, quæ ex Augustino afferre vult. Sed carpendum aliquid fuit in Bellarmino, ne semper nihil dicere viderere.

25. Pagin. 23. Negas te verba, quæ Bellarminus citat apud Alexandrum de S. Elpidio, neq; eo quem is designat, neque alio loco reperisse; quamuis cap. illo 9. lib. *de Auctoritate Pontificis, & Iurisdictione Imperij*, multa habeat de potestate Pontificis. *Non hic igitur pugnaturum te in hostem, quem nunquam inuenias*. Magnopere vereor, vt cum vspiam quæsieris. Nam apud Alexandrum quidem capite illo 9. verba illa sunt, quæ Bellarminus protulit.

26. Pag. 34. in Baldo te, velut in paterno regno iactas. Citauerat ex eo Bellarminus, in proœmio ff. vet. hæc verba: *Solus Papa priuat Imperatorem.* Hic tu: *aut fallor*, inquis, *aut hæc ibi in Baldo verba non sunt*. Quid si ibi non sunt; sed alio loco sunt? Ideòne quicquam aliud efficies, nisi, vt præterquam in designando scriptoris loco, peccauerit Bellarminus? lege Baldum l. Rescripta, C. de precibus Imper. offer. inuenies apud eum, num. 8. & 9. longam de potestate Papæ digressionem. Præfatus enim de potestate Principis nonnull. num. 8. *De Papa*, inquit, *aliquid dicam, qui est maior Imperatore*; ac post multa in eam sententiam allata, num. 9. *Vltimo*, inquit, *solus Papa deponit Imperatorem, de re iudica. cap. ad Apostolicæ. Et sententiam eius declarat nullam in cap. Pastoralis.* satisne tibi videtur Baldus non modò rem, sed verba ipsa, quæ apud Bellarminum legeras expresisse? ac plus etiam addidisse, quàm ibi legeras? leg. etiam Barbarius, C. de officio Præt. num. 44. negat Imperatorem iam confirmatum, & coronatum posse renuntiare Imperium in manibus electorum, quia electores non sunt ei superiores, & num. 45. *Imperator*, inquit, *habet superiorem, scilicet Papam, & ideò seipsum non potest deponere, nec dare licentiam Electoribus, vt eligant alium, nisi de licentia Papæ.*

27. Neque verò in proœmio ff. vet. à se ipso Baldus discrepat: sed quia nonnihil calumniæ pati eius ea verba possunt; tu inficiando, detorquendoque in aliam sententiam, rem alioqui certam; in dubium reuocare voluisti. *Hæc est*, inquit, *maxima apud legistas, quod Imperator Romanorum in temporalibus superiorem non habet.* Vides id eo loco quæri, *Habeatne Cæsar in temporalibus superiorem*? Pergit Baldus: *Sed Canonistæ ponunt Papam supra eius verticem:* profectò in temporalibus, nisi insaniat Baldus: qui eas veluti contrarias sententias numeret. Pergit, *quia habet potestatem confirmandi, & infirmandi electionem Imperatoris, & priuandi eum ex notoria & iusta causa: vt in capit. Ad Apostolicæ de re iudicata. superior enim esse dignoscitur, qui instituendi, & destituendi ius habet. Auth. de defens.*

A *ciu. §. Interim.* Habes hic vtrorũq; sententiam, habes etiam rationem, qua Canonistæ Papam in temporalibus Imperatori præficiant. Restat, vt si dijudicare hanc litem velit Baldus, respõdeat, sitne maior Imperatore Pontifex in temporalibus. Audi verò, quid ille respondeat, *Et non est negandum, quod Papa, qui habet claues Cœli, & Mundi traditas sibi ad iustitiã; est maior Imperatore & nomine, & re secundum quid, & non simpliciter*. Quid est autem Papam esse maiorẽ Imperatore in temporalibus secundùm quid, & non simpliciter, nisi quod alij dicunt, *casualiter, per accidens, indirectè*. Nam glossema illud tuum *secundùm quid, nempè, spiritualiter Pontifex maior est Rege*, pace tua dixerim, ridiculum est. Primùm, quia proposita quæstio non est absolutè, vter vtri sit præferendus, sed vter vtri sit præferendus in temporalibus. quo fit, vt
B si non delirat; sed ad propositam quæstionem respondet Baldus: docere necessariò dicatur: *Papam secundùm quid in temporalibus Imperatore superiorem esse*. Deinde quia si absolutè quæras: Vter vtro maior sit: cùm absolutè anima plus sit, quàm corpus, & spiritualia temporalibus præstent: dicendum ei fuisset, Papã esse simpliciter maiorem Imperatore; inferiorem secundùm quid. Sed tu dum à te ne dissentire credatur, non laboras Christianusne, an Epicureus sit Baldus, qui corpus animæ, spiritualibus temporalia præferat. Denique quæ sit ea de re Baldi sententia, quidve eò loco sibi velit: satis ex ijs quæ ex l. rescripta, & l. Barbarius protulimus, euinci potest. Conciliat enim
C in proœmio ff. Legistas cum Canonistis, cùm doceat simpliciter nullum esse in temporalib. Imperatore maiorem, quod apud Legistas pro axiomate est: & tamen Papam secundùm quid esse maiorem Imperatore, quia in casu, hoc est, si adsit iusta, & notoria causa deponendi eius ius habet.

Citat Eruæum Bellarminus egregiũ Theologum, atque acutum in paucis, tract. de potestate Papæ, §. ad euidentiam secundi, qui *Ad Papam pertinet*, inquit, *corrigere omnem abusum tam potestatis Ecclesiasticæ, quã terrenæ, in quocunque de populo Christiano.* Vbi tu pag. 40. *Non hæc magis Eruæus dixerit: quàm Barclaius. Potest Papa omnes Christianos corrigere, sed inquirendum superest, qua correctione possit. Non enim sequitur,* 29.
D *potest Dominus seruum corrigere, Magister discipulum: ergo Dominus potest seruum truncare auribus: Magister discipulum lictoris publici virgis permittere. Ita nec sequitur. Potest Papa corrigere Principes Christianos: ergo, & eos à suo principatu deponere. Certi omnibus corrigendi, & correctionis modi. Nec negamus posse Papam temporales abusus castigare: sed spiritualibus pœnis.* Sunt ista vera Barclai. præscribit enim boni, quod quæritur, magnitudo ac necessitas supplicij vnicuique potestati, ac pœnæ modum. Quæ cùm ideò comparata sit, vt infligendo minore malo, maius auertat: eiusmodi debet esse, vt magnitudine malum, cui recidendo adhibetur, non modò non superet; sed ne exæquet quidẽ. Cæterùm si minus mali in supplicio, quàm in flagitio ipso sit; quisquis imperandi ius habet, ius etiam habet eas omnes pœnas vsurpandi, quæ ad frangendam subditorum contumaciam, in-

ducentosq; ad parẽdum eorum animos necessariæ sunt. Potestas enim coactiua, quam vocant, directiuæ comes & administra est, ac tanta esse in vnoquoq; debet, quantam ad exequendum munus suum directiua eam exigit, Cum finis, vt optimè Philosophi disputant, mediorum mensura sit. Alioqui inanis planeque ridicula ea potestas imperandi esset; quæ neq; suis ipsa, neq; alterius potestatis opibus ad imperata faciẽda compellere posset contumaces. Hæc quæ apud viros doctos extra controuersiam esse debent, quia Eruæus tantus Theologus ignorare nõ potuit, cui potestatem corrigendi abusus concessit, ei etiam ius concessit, vtendi ijs pœnis, sine quibus in officio contumaces contineri, aut vix, aut ne vix quidẽ possunt. Barclaius, si cùm alterum concedat alterũ negat, aut rem ipsam non satis percipit, aut minus doctis, dissimulatione veritatis imponit.

30. Proximè sequitur Iacobus Almaynus. In quo laudando consultius fecisses: si fidem ac modestiam tuam laudari voluisses. Cùm enim pro sua sententia Almaynum citasset Bellarminus, *in tractatu de suprema potestate Ecclesiastica, & temporali q. 2. principali ca. 5. ad 3. allegationem. Cùm quanta fraude,* inquis, *quàm versutè Occami sententiam apponis Almayno? Is Occami opinionem refert, à qua se dissentire liquidò probat: tu tamen hanc obtrudis, & vocas Almayni sententiam, quid iniquius Bellarmine? quid te indignius?* Hęc tu quidem modestè parum, & imperitè, Almaynus, si nescis Barclai, cùm in cæteris scriptis; tum verò maximè in eo de potestate tractatu Okamũ ducem sequitur. cuius sententiam, nisi cùm disertè improbat, semper probat: ijs autem locis quæ Bellarminus laudat, ac tota ea quæstione principali, in hac quidẽ re, nunquam ab Okamo dissentit. Sed quando locum aliquem requiris, vbi non de Okami, sed de sua sententia pronunciet Almaynus; audi quid q. eius c. 5. ad 3. rationem scripserit, *Dictum est,* inquit, *quod Papa non potest deponere Regem nisi in duobus casibus, scilicet pro crimine Ecclesiastico, id est, Hæresis, quia Papa habet plenam potestatem in illis criminibus. Secundus quando non sunt alij, ad quos spectat ordinariè, & iuridicè depositio.* Hic quidem certè Okami nulla fit mentio. Ita verò nihil, hac ex parte, demit Almainus summo Pontifici; vt etiam disertè concedat probabilem opinionẽ esse, si Princeps negligat exercere munus suum; hoc ipso summo Pontifici ius esse exercendę in eius ditione Iurisdictionis temporalis; ita q. 3. principali c. 5. *Item,* inquit, *vterq; duorum secundorum modorum est probabilis, quod Papa in rebus merè ciuilibus nullam Iurisdictionem, nec regulariter habet, nec casualiter de iure diuino, & ex institutione diuina; vel quod habeat nõ regulariter, sed casualiter puta in duobus casibus tantùm supra numeratis, scilicet si nullus sit iudex temporalis: & si non potest exercere vel negligat; probabile est: quod casualiter in illis duobus casibus habeat Iurisdictionem temporalem administrandi in temporalibus.*

31. *At enim,* inquis, *non ambiguè nobiscum sensit Almaynus lib. eod. q. 1. c. 9. refert Okami sententiam, quod si contingeret Principem sæcularem abuti re sua in perniciem Christianitatis vel fidei, &c. in tali casu Papa possit eum deponere; tum subiungit: etsi alij Doctores hoc negent, se autem esse vnum ex alijs Doctoribus liquidissima ratione ostendit, cũ dicat, eorum patere sententiam, & pro ijs argumentum proferat contra hanc temporalem Pontificis potestatem non instar obiectionis, nam alioqui illud ipsum diluisset, sed vt à se laudatam sententiam. ita igitur vt probet Pontificem nullo casu posse Reges deponere: Patet,* inquit. *quia esset occasio, quod ratione talis potestatis Papa efferretur in maximam superbiam, & illa plenitudo potestatis esset multum damnosa subiectis, ideò illa etiam esset nociua Papæ, & subiectis. & sic non est verisimile, quod Christus ei talem contulerit potestatem.* Hic ego fidem tuam desidero Barclai, qui inutilem protuleris Almayni locum; vt aliquid dicere viderere: Disputat is eo loco: habeatne summus Pontifex plenitudinem potestatis in temporalibus. *Doctor,* inquit, *in 2. c. sua prima q. adducit rationes aliquorum, quibus nituntur probare, Papam habere potestatem plenariam tam in spiritualibus, quã in temporalibus; ad quas respondet in hoc 7. c. eiusdem q.* an perpendens ea Domini verba: *quodcunq; ligaueris,* &c. *Non dedit,* inquit, *potestatem laicos suis proprietatibus, & dominijs priuandi, nisi in casu, si contingeret Principem sæcularem abuti re sua in perniciem Christianitatis, vel fidei, nõ negat, quin in tali casu Papa possit eum deponere. Etsi alij Doctores hoc negant, quamuis habent potestatem declarandi ipsum esse deponendum.* Quod dixit propter Ioannem Parisiensem, *qui vt ipsemet tradit, q. 2. principali ca. 5. docebat: quod propter nullum crimen, siue spirituale, siue ciuile spectat ad Papam Imperatorem deponere, nisi de per accidẽs,* quod paulò post explicat: *Quia potest excommunicare ipsum pro crimine, & singulos cum eo participantes: & sic inhibere subditis, ne participent cũ illo, & per illam excommunicationem illos cogere ad depositionem Imperatoris; ideò non spectat ad Papam dicit, sententialiter deponere ipsum, licet spectet sententialiter excommunicare, & finaliter per censuram excommunicationis eos, qui habent auctoritatem deponendi, cogere vt illum deponant; & sic de per accidens deponit solùm; & non directè.* Huc igitur spectauit Almaynus, cùm dixit alios Doctores negare summo Pontifici potestatem deponendi Principes, *quamuis habeat potestatem declarandi ipsos esse deponendos.* Sed tu ijs tantùm verbis contentus, *quamuis alij Doctores hoc negent:* reliqua omisisti, quæ causam tuam iugulabãt. Nam etiamsi cum Parisiẽsi sentiret Almaynus: concederet tamen potestatem summo Pontifici pronunciandi Principem esse deponendum, cogendiq; censuris populos, ne Principi parerent, eumq; solio deturbarent. Ratio autem quam subijcit, non est ad conuellendam vel Okami, vel Parisiensis sententiam, sed contra eorum opinionem, qui *plenitudinem potestatis in temporalibus* summo Pontifici concedebant. *Patet,* inquit. *quia esset occasio, quod ratione talis potestatis Papa efferretur in maximam superbiam, & illa plenitudo potestatis esset multum damnosa subiectis:* Quid autem intelligat per plenitudinem potestatis, explicat ipse q. 2. principali c. 4. vbi ita loquitur. *Prima sententia est, quod Papa habet plenitudinem potestatis, & omnimodam in rebus temporalib. ita, quod potest absq; peccato vnumquemq; dominum temporalem remouere: sed hoc fuit impugnatum.* Vides quid vel nomine plenariæ potestatis intelli-

gat: vel quid oppugnauerit Almaynus?

32. Alterum deinde locum profers his verbis. *Et ead.q.c.14.dicit,quod Papa habet potestatem solùm illam, quæ explicatur in suo Vicariatu. Nam Christus dedit ei potestatē remittendi peccata,prædicandi, instituendi ministros Ecclesiæ, excommunicandi, dandi indulgentias, &c. sed nullibi reperitur,quod dederit ei potestatem instituendi,& destituendi Reges temporales: ideò ex collatione sibi facta à Deo non habet potestatem supremam Iurisdictionis in temporalibus.* Hic ego te nō ideò deposcam ad flagra,quod quæ c.eius q.15. legeras ad c.14. retuleris,neq; aut inductum te in fraudem ab alio, aut iniuriosum criminabor. Scio viris etiam accuratis,& doctis,quique ipsi scriptores legerint, id genus erratorum excidere, expertus etiam sum vel librariorum,vel typographorum vitio multa sæpè corrumpi. Illud excusare nec possum,nec debeo; quod vel non animaduerteris,si legisti,vel finxeris nō animaduertisse te,de qua potestate loquatur eo loco Almaynus ca.15. Ad 5.allegationem,quæ ex eo ducebatur ꝙ Papa sit Christi Vicarius, quo fieri videtur, vt supremā potestatē in temporalibus habere debeat,cùm eam Christus habuerit. Negat parem in omnibus esse Vicarij,& Christi ipsius potestatem, quod Vicarius non ampliorē habeat potestatem,quam quæ exprimitur in eius Vicariatu. *Sed nullibi reperitur,* inquit, *quod dederit ei potestatem instituendi,& destituendi Reges temporales. Ideò ex collatione sibi facta à Christo non habet potestatem supremam Iurisdictionis in temporalibus.* Nomine autem *supremæ potestatis in temporalibus,* idem intelligit, quod nomine *plenitudinis potestatis.* Vt sine vlla causa,cū libuerit,possit priuare dominos rebus suis,easque alijs largiri, ꝙ ex verbis proximè sequentibus apertissimū est. Cùm enim negasset summo Pontifici supremam potestatem in temporalibus. *An Christus,*inquit, *illam habuerit à Deo? Credo quod sic, Data est enim, inquit, mihi summa potestas in cælo, & in terra, Et aliquando illam exercuit: videlicet, quando misit Dæmones in porcos, aliàs intulisset damnum proximo.* Vbi vides potestatem, quā Christo concedit,& Papæ denegat Almaynus,eam esse,qua sine vlla causa,aut delicto re sua Dominum spoliare,quis potest, ꝙ Christus immissis in porcos dæmonibus fecit.

33. Neq; satis facere tibi visus es, si Almaynum à doctore suo faceres dissentientē: nisi,& Okamum, & Almaynum secum ipsos pugnātes faceres. *Sed de Occamo pronunciat,* inquis, *Almaynus q.2. c. 5. Opinio doctoris simpliciter probabilior est,quod nec per excommunicationem,nec alio modo potest Papa Principem deponere à sua dignitate Imperiali & Regali.* Quo loco de te requiro,cōstarene sibi Almaynum putes; cum de Okami sententia pronunciat? Nam auctore te,q.1. c.9. refert Okami sententiam: *quod si contingeret principem sæcularē abuti re sua in perniciem Christianitatis vel fidei, in tali casu Papa possit eum deponere,* & questus tu ipse es de Bellarmino, quod Okami sententiam imposuerit Almayno,cùm protulit eius verba, ex q.2. principali c.5.ad 3. Allegationem,quod *Papa possit Imperatorem deponere in duobus casibus.* Et ad 4. Allegationem. *Quod si gens Imperij efficeretur hæretica; vel transferret se ad aliam sectam,dimittendo sectam Christianam posset propter hoc Papa priuare illam gentem dignitate Imperiali.* Qui igitur fieri potest, vt opinio Okami, quam probabiliorem censeat Almaynus, sit, *quod nec per excommunicationem, nec alio modo* vllo planè casu (de hoc enim controuersia nostra est) *possit Papa Principem deponere à sua dignitate*? Anne putas viros ingeniosos & doctos insanire; vt quæ affirmarunt, eadem, ijsdem planè verbis,in eadem quæst. deinde negent? Perpendisses rem de qua agitur, & quorsum spectet tota loci illius disputatio: nunquam, mihi crede, tibi istud excidisset. sed dum anxiè quæris, quod obijcias Bellarmino; verbis contentus de sententia non laboras.

Quærit Almaynus q.2.ca.5. sitne Imperium immediatè à Papa? ac solutis alijs aduersariorum rationibus §. *Ad septimam rationem* id eorum argumentum perpendit, quod ordinariū Pontifex potestatem habeat deponendi Principes. quod inde probant,quia excommunicationi depositio adnexa sit: ordinariam autem, & regularem Pontifex habeat excommunicādorum Principum potestatem. Ac respondet, primum existimare nonnullos, non tolli excommunicatione potestatem Principis;sed suspendi. Tum subijcit Okami sent. neq; excommunicatione,neq; alio modo posse à Pontifice deponi Principes,ordinariè nimirum, *& regulariter.* Nam & hoc erat in quæst.& §. eius initio apertè professus erat Okami senten. posse à sum. Pontifice deponi propter crimen Ecclesiast. aut si ij, ad quos spectat Principem indignum Imperio amouere,munere suo non funguntur, sed quod aduersarij vellent, non ijs tantùm de causis, sed semper & ordinariè ius illud penes Pontificem esse: disertè dicit, de hoc eo loco quærendum esse. *Visum est,*inquit, *de quibusdam rationibus,quibus nitebantur aduersæ opiniones probare Imperium esse immediatè à Papa, & allegatum est c. Alius 15. qu. 6. sed difficultas est ex capitulis sequentibus, quia dictum est, quod Papa non potest deponere Regem, nisi in duobus casibus, scilicet pro crimine Ecclesiast. scilicet hæresis, quia Papa habet plenam potestatem in illis criminibus. Secundus quando non sunt alij, ad quos spectat ordinariè & iuridicè depositio,quia sicut tenet Doctor, & habetur de foro competenti, quod vacante sede Imperiali, quia non est tunc iudex ordinarius, ius cognoscendi de causis Imperialibus deuoluitur ad Papam: sunt apparentia pro opposito.* In eo igitur constituit statum quæst.eius Almaynus: sitne præter duos illos casus, potestas deponendi Principes penes Pontificem, ipse cum Okamo negat; affirmant qui contra disputant, quorū eo loco proponit rationes diluendas.

Reprehendis etiam Bellarminum pag. 86. 34.
quod cùm Michaelis de Aninion testimonium protulit, caput non adscripserit,factum malè nimirum legendo,quærendoq; fatigatus es mi Ioannes; dum in caput demum 23. incideres. Vicem tuam doleo,scio genus hoc laboris iam dudum tibi desuetum: sed quis laudaret pietatem tuam: nisi tanto tibi labore staret ista defensio. Illa iam tragœdiæ proxima: *Quis ferat dare sub Aninionis nomine relatam ab Aninione Panormitani sententiam? relata quoq; verba, ita me fides amet,imperitè aut peruicaci fraude: vt sub di-*

uersis

uersis nominibus vestrorum testium index crescat. Et ferat, & laudet, quisquis intelliget probari ab Aninione ea Panormitani verba, atque sententiam. Iure enim crescit testium numerus, cũ alter alterius testificationem probat. Ita verò te Deus conuertat: *vt imperitè, aut pertinaci fraude* hæc de Bellarmino conquereris. An tibi ille non videtur disertè probare Panormitani sententiam? cùm ita scribit: *Papa immediatè potestatem dicitur habere à Deo. Imperator verò & Reges à Papa. Cap. Nouit. de iudicijs, vbi Panormitanus latè in glos. 2. n. 12. vbi dicitur, quòd penes Papã est vtraq; suprema potestas.* An tu es ita hebes? vt non intelligas, afferri ab Aninione Panormitani verba ad confirmandum id quod affirmarat: *Principes à Papa immediatè potestatem suam habere.*

35. Miraris etiam pag. 96. *Cui rei auctoritas Conradi Bruni, cùm nusquam negauerit Barclaius Iurisdictionem, quæ pœnas, & censuras Ecclesiasticas complectatur multis casibus in laicas personas, & pro rebus temporalibus dari.* Quæ tu scilicet sola perpendis in Conradi verbis, at ille. *Hæc,* inquit, *Iurisdictio Ecclesiastica iudicia ciuilia & criminalia, denunciationes, & accusationes, pœnas item & censuras Ecclesiasticas complectitur in personas, & res Ecclesiasticas multis etiam casibus in Laicas personas, & pro rebus temporalibus datur.* Quis autẽ nescit, cùm iudicia criminalia in clericos exercentur, adhiberi etiam ab Episcopis quæstiones ad extorquendam veritatem; eosq; exilijs, vinculis, operibus publicis, triremibus, bonorum proscriptionibus sæpè mulctari: quæ pœnæ sine dubio temporales, non Ecclesiasticæ sunt, At hoc cognitionis genus quod semper in clericos concedit Eccles. certis casibus, & concedit etiam in laicos. Atque *in his omnibus,* inquit, *plenissimam habet Iurisdictionem sum. Pontifex.*

36. Alexandrum Alensem propter eius eas sent. quas Bellarminus profert, fateris p. 97. à Canonistis in suis numerari: quamuis eũ sibi Theologi vendicent. Ita igitur scripsit; vt à viris doctis creditus sit directam sum. Pontifici Iurisdictionem, ac totius mundi dominium adiudicasse. Hæc est enim Canonistarum sent. Quẽ autem relinquit dubitandi locum, vllamne is sum. Pontificis in temporalibus Iurisdictionẽ agnoscat: qui aut Canonistas sequitur, aut ita loquutus est; vt propendere in eam sent. creditus sit? At tu, quia tibi videris aliter interpretari eius verba posse à neutris stare eum contẽdis. *Vult,* inquis, *Papam habere potestatem super omnes: sed spiritualem: & esse immediatè sub Deo: non quatenus ciuis, qui alijs subdi potest: sed quatenus Papa, & Præfectus Ecclesiæ.* At vide, quàm aberres à scopo: Docet ille pag. 4. q. 79. m. 5. & 6. *Voluisse Deum quosdam in alios plures habere potestatem, & deinde, in illos alios pauciores, & sic semper, donec deueniretur ad vnum; scilicet Papã, qui sub Deo immediatè est.* Tu ita interpretaris: *Papam esse immediatè sub Deo: non quatenus ciuis, qui alijs subdi potest: sed quatenus Papa, & Præfectus Ecclesiæ.* Hic ego de te requiro, sintne supremi Principes; Alexandri sententiã immediatè sub Deo, quatenus ciues? Nam si sunt, falsum erit, quod docet, solùm Papam esse immediatè sub Deo: falsum item deueniri tandẽ ad vnum. quot enim sunt supremi Principes; tot erunt immediatè sub Deo. quocirca non constabit ordo ille ac series potestatum, sensim decrescente numero, dum veniatur ad vnum, qui solus immediatè sub Deo sit. Neq; verò etiamsi Imperator totius humani generis principatum obtineret; duobus pauciores esse possint, qui sub Deo immediatè essent: si & Imperator Papæ Dominus sit in temporalibus, & Papa Imperatori præsit in spiritualibus; cum ista quidem ratione, vtraq; potestas immediatè à Deo descendat, neq; altera alteri subijciatur. Et legeras hæc tu quidem apud Bellarminum: sed breuius scripta, quam vt facilè percipi à tirone possent. *Quo loco,* inquit Bellarminus, *docet Alexander, Papam ita præesse omnibus potestatibus: vt ipse solus immediatè sub Deo sit.* Cæterũ, vt intelligas nõ sine causa tributam illi esse Canonistarum sententiam, lege Alm. q. 3. princ. c. 2. §. *His opinionibus,* videbis ratione hac ab vnitate Principis ducta, conatos probare nonnullos, *quod nullus Princeps temporalis potest iustè actum Iurisdictionis exercere, nisi ex commissione Papa, & Ro Eccl.* in eaq; ratione soluenda totum eum locum ab Okamo & Almayno poni.

Iam quod Alensis sententia, Papam in temporalibus subijci cuiquam posse existimas, ac cæcos etiam vocas, si qui id non vident, caue, ne quod festiuè nescio quis apud comicum queritur, *Cæcus praire cùm videntes par fiet: Cæcus praire tu videntibus velis.* lege enim eum virum 4. p. q. 40. m. p. §. *Ad obiecta verò alterius partis?* inuenies hæc eo loco, *Quantum ad statum legis: etsi Regalis vnctio Sacerdotibus & Prophetis præerat in causis sæculi: tamen suberat eis in causis Dei.* His verò ea subijce quæ quæst. eius membro 5. docet his verbis: *Ad illud, quod dicit Gratianus, quod Sacerdotalis potestas in aliquo erat temporali inferior: Dicendum, quod hoc verum est secundum statum vet. Testamenti, sed non secundum statum noui:* efficies profectò Sacerdotes in temporalibus principi non esse subiectos: si enim Sacerdotes erant olim subiecti regibus in temporalibus, non in spiritualibus; Nunc autem ne in eo quidem subiecti sunt, Alensis sententia, in quo illi subiecti erant: necesse est nunc ne in temporalibus quidem esse subiectos. Satisne vel ex hoc iam vides Barclai, *lumen, quod in te est, tenebras esse,* qui hæc de Alensi disputes. 37.

Sed tu cùm videre te vnum plus omnibus, & Canonistis, & Theologis credas: *Hunc,* inquis (quem attulisti) *illius sensum esse ex eiusdem scriptis vident, nisi forsitan cæci.* Profer sodes tua ista tam præclara Alexandri testimonia Barclai, vt sedẽtibus in regione vmbrę mortis lux tandem exoriatur. *Ait enim,* inquis, 3. *p. qu.* 40. *Reges à Deo solo materiali pœna puniendos esse subdit. Atq; ita* 1. *Pet.* 2. *Rex dicitur præcellere in suo ordine secundum potestatem ad vindictam non spiritualem; sed corporalem, quã vindictã si deliquerit, non habet, qui eum puniat, nisi Deum Et quod in glossa ad hæc Psalmista verba: Tibi soli peccaui scilicet, Rex omnibus est superior; ideò à Deo, qui maior est eo, puniendus est; ita explicat. Expone igitur: à Deo tantùm est Rex puniendus, supple materiali pœna. & iterum non habet hominem qui eius facta dijudicet; supple ad corporalẽ pœnam inferendam.* 38.

Vellem non tantùm quæstionem, sed etiam quæstionis eius adnotasses membrum: ne non

modò in eam reprehensionem incideres, qua in Bellarminum vsus es, cum imprudens omisso capite numerum adscripsit: sed etiam de industria fecisse viderere, quo locus, qui tibi ita non fauet, vt etiam aduersetur; consuli ne possit. Ista quæ profers, leguntur apud Alensem q. 40. membro 5. vbi inter alia illud etiã postremo loco quærit: *vtrum potestas temporalis subdita debeat esse spirituali*, in quo membro habet ille quidem ita, quæ laudas: sed habet etiam quæ non laudas, quia causam tuam iugulant.

39. Primùm quæsito ita respondet. *Dicendum, secundum quod dicit Hugo de S. Victore spiritualis potestas temporalem potestatem instituere habet, vt sit, & iudicare, si bona non fuerit. sicut scriptum est, 1. ad Cor. 2. spiritualis omnia dijudicat, & ipse à nemine iudicatur.* En totam eius viri responsionẽ ipsis contentam Hugonis verbis: Si autem ad spiritualem potestatem spectat temporalẽ instituere vt sit: à spirituali profectò potestate accipit, non tantùm vt benè, sed vt simpliciter sit. Quis autem non videt, si spiritualis potestas temporalem instituit: eam de temporalibus etiam iure suo constituere.

40. Sed te verba illa perturbant, quid negat Alensis, *Reges ab Ecclesia iudicari secundum potestatem ad vindictam non spiritualem, sed corporalem, atq; à solo Deo puniendos esse confirmat pœna materiali.* In quibus si animaduertisses non idẽ significari corporalis siue materialis, ac temporalis pœnæ nomine: plus, sine dubio, vidisses in eius scriptis, quàm videris. Primùm enim temporale tum bonum, tum malum multo latius patet: quàm materiale, vel corporale. Honor, dedecus, ignominia, gloria, fama, infamia, ius, potestas, dignitas, atq; id genus eius alia humana bona, temporalia sunt: corporalia, aut materialia non sunt, quo fit, vt ea vel præmia, vel supplicia, quibus ea bona malave tribuuntur, aut auferuntur: temporalia dici fortassè possint; materialia, vel corporalia non possint. Negat igitur vir ille doctus Reges materialib9, & corporalibus pœnis affici, nisi à solo Deo posse; non negat temporalibus. Nam etsi materialis etiam gladius Ecclesiæ datus à Deo est: *non tamen Pontificis, sed militis manu ad nutum Sacerdotis, atq; ad vocem Imperatoris euaginãdus.* Habet etiam Ecclesia potestatem ac vindictam etiam corporalem, sed exercendam per sæculi potestates, cùm spiritualem vindictam per se ipsa exerceat. Quod eo ipso membro apud eum legere potuisti: vbi cum ea Augustini verba. *Rex non habet hominem qui eius facta dijudicet:* ita interpretatus esset: *humana auctoritate, & secundum legem humanam* subijcit: *& secundum potestatem ad vindictam spiritualem, non pœnam corporalem: secundum quod dicitur 2. qu. 7. quod Regum est exercere pœnam temporalem, Sacerdotum spiritualem inferre vindictam.* Vbi vides vsum materialis & corporalis vindictæ ab Alensi Sacerdotibus adimi, Regibus tribui. Quocirca etiam de Rege Paulo post loquens. *Non habet hominem*, inquit, *qui eius facta dijudicet, supple ad corporalem pœnam inferendam.* Et infra: *Ad illud quod obijcitur de Canonica Petri: Rex præcellit, verum est in suo ordine, scilicet ad corporalẽ vindictã exercendam: qua vindicta si delinquat, non habet qui eum puniat, nisi Deum:* Nimirum cùm Ecclesia materialem gladium, nisi per potestates sæculi, non distringat: potest illa quidem per reges, regibus subditos materiali pœna punire: sed regem ipsum, per quem puniat, non habet. sicut enim anima intelligendi volendiq; functiones exercet ipsa per se: motum, ingressum, sensum exercet per membra, quibus facultates eas tribuit primùm; deinde etiam ijs vtitur, cũ opus est. Ita Alensis sententia, spiritualis potestas vsque adeò vim omnem terrenæ potestati impertit: vt eam instituat, vt sit: deinde etiam vtatur, cùm opus est ad exequenda ea, quæ per seipsam exercere non debet. Quo spectat id, quod is eod. membro scriptũ reliquit. *Spiritualis potestas si iudicet terrenam ratione delicti cum scilicet abutitur potestate: non praiudicium facit. imò sicut spiritus constitutus est ad dirigendũ corpus: ita spiritualis potestas constituta est ad dirigendũ terrenã* Et m. 2. *Collatione facta potestatis spiritualis ad sacularem, potestas spiritualis est super sacularẽ, sicut spiritus est supra corpus, vnde & Hieremiæ primo dicitur: constitui te super gentes.*

Deniq; etiam hoc inter cæteros homines ac Principes interest, quod illi vel semel admisso scelere, etiamsi spes sit fore, ne inposterum delinquant; tamen puniũtur. Neq; n. id modò quæritur, ne obsint ipsi, sed ne peccandi impunitas peccandi libidinẽ in alijs acuat. Reges non modò communiũ delictorum, & eorum, quæ vel Ecclesiam vel Remp. non pessundant, nullas dant temporales pœnas: sed ne eorũ quidẽ, quę perniciosa Ecclesiæ, ac Regno sunt; nisi cùm iam constiterit, spem amplius nullam esse melioris frugis. Non n. tam ad exemplum, quàm ne amplius noceãt, in eos animaduertitur. Quo etiam fit, vt nihilo grauius puniantur: quàm quantum satis est, vt Respub. vel Ecclesia præsenti malo liberetur. Quocirca est ea potius Reip. medicina, quàm supplicium Principis. 41.

Quæ cùm ita sint, quemadmodum regulariter, atque ordinariè eiusmodi Principes non sunt: vt vix vlla reliqua sit spes, meliores futuros: ita regulariter, & ordinariè non habẽt eorum delicta, à quo pœnis temporalibus puniãtur, nisi Deum. Et quemadmodum Aethiopẽ, quamuis dentib9, aut capillo etiam albicet; absolutè nigrũ dicimus, quia *dominatio fit à maiore parte:* ita quod ordinariè & regulariter fit, absolutè ac sine addito fieri dicitur, quamuis nonnunquam casu aliter eueniat. Vt mirandũ non sit, si absolutè quis enunciet Reges nõ habere, à quo pœnis temporalibus puniãtur. Huc porrò spectasse etiam Alensem argumento etiam esse potest id, quod scripsit quæstionis eius membro 2. §. *Ad obiecta verò alterius partis,* vbi cùm docuisset. *Regum esse corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum spiritualem inferre vindictam. Nathan ergo*, inquit Propheta, *cùm Regem arguit, suum exequutus est officium: in quo erat Rege superior. Monuit enim quod per pœnitentiam peccatum expiaret: non tulit in eum sententiam, qua tanquam adulter, & homicida secundum legem interiret.* Vbi vides primum quid corporalis pœnæ nomine Alensis intelligat. Deinde cùm negat Reges habere, à quo delicta sua pœna corporali puniantur, loqui de delictis vniuersè, quæq; vt plurimum admitti à Principib. consueuerunt. cùm homicidium & adulterium 42.

delicta

delicta sint Principis, quà ciuis, non quà Princeps est.

43. Vt igitur rem in pauca conferam. Primum verè dicere potuit Alensis, *Reges non habere à quo materiali, & corporali pœna puniantur*, etiamsi crederet posse à Rep. vel à Pontifice deponi; quia depositio non est corporalis, ac materialis pœna. Deinde etiamsi, alios homines per Principes Eccles. puniat pœnis etiam materialibus: Principes tamen non habent, à quo ita puniri possint? Quia non potest Ecclesia eos cogere, vt sibi mortem inferant, aut membrũ præcidant: ipsa verò per se ac sua manu gladiũ materialem nunquam distringit. Ergo etsi in omnes Christianos æquam potestatem habeat Ecclesia: per accidens tamen in supremos Principes materialem gladium non potest exercere, sicut in cæteros. Deniq; etiam verè potuisset Alensis dicere, non *habere supremos Principes, à quo puniantur materiali pœna*, etiamsi Ecclesia vel per se, vel per alios punire eos materiali gladio casu aliquo consueuisset, quia de ijs absolutè enunciari verè potest, quę vt plurimũ contingunt: non de ijs, quæ rarò admodum & casu tantum eueniunt. Quòd si illud te fortè commouet; quod ita pœnas in materialem seu corporalem ac spiritualem diuidit: vt pœnas omnes amplecti, atq; alteram alteri ex aduerso opponere velle videatur. cui consequens illud sit; vt Regum abdicationem, quando spiritualis pœnæ nomine censeri non potest, ad materialem reuocasse credendus sit. Præsertim, quod spiritualem pœnam excommunicationẽ interpretatur ipse, ad quam temporalis Regũ depositio non reuocatur.

44. Hoc igitur si te fortè commouet; illud tecũ ipse reputa Barclai, quod Alensis ipse scriptum reliquit 4.p.q.21.m.p.ar.2. *Quod communio triplex est, quædam spiritualis omninò: & hæc est quãtum ad dilectionem interiorem: quædam corporalis; & hæc est quantum ad exteriorem conuersationem: quædam medio modo, & hæc est quantum ad Sacramentorum susceptionem; præcipuè quantum ad Sacramentum altaris. Dico ergo, quod à primo nullus potest, aut debet excludi, quàm diu est viator: nec excommunicatio dicit priuationem illius communionis, quantum ad Sacramentalem, excluditur quilibet, qui dicitur excommunicatus, siue maiori, siue minori. Quantum ad conuersationem exteriorem, attenditur excommunicatio maior; in qua negatur communicatio, quantum ad actus legitimos, qui attenduntur in osculo, in salutatione, in conuiuio, in orat rio.* Et art.6.§.1. *Excommunicatio minor separat à Sacramentis tantùm: alia autem est maior; & non tantùm separat à Sacramentis, sed etiam ab actibus legitimis cum alijs personis. Vnde excommunicatio minor est morbus respiciens personam absolutè: Excommunicatio verò maior est morbus, respiciens personãm, vt est pars communitatis, & separat à communitate. Hæc autem separatio, cùm sit relatio æquiparantiæ, locũ non haberent, nisi alij separarentur ab eo. Ergo ad hoc, quod ista excõmunicatio sit efficax; statuit ius, vt alij eum vitent.*

45. Quod si excommunicationis ea vis est; vt nõ ad spiritualia tantum, sed etiam ad ciuilia, & humana bona pertineat: neq; orationum, meritorum, Sacramentorum modò communicatione priuet: sed conuictu etiam, salutatione, colloquio, hoc est bonis purè politicis, ac proprijs humanæ societatis, atq; vt ait Alensis, *à communitate separet*. Non est necesse spiritualis vindictæ, atque excommunicationis nomine eam duntaxat intelligi, quæ nonnisi Ecclesiasticis, ac spiritualibus bonis priuet; sed quicquid illi velut appendix coniungitur, quo fiat, vt à communitate ciuili ratione aliqua excommunicatus separetur; id totum nomine isto censebitur, Alensi etiam auctore. Eam autem vim depositionis esse constat, vt à communitatis corpore separet, cùm is, qui capitis in cõmunitate locum obtinebat, depositus caput esse iam desinat. Potuit igitur commodè, ac debuit etiam spiritualis vindictæ vocabulo ea omnia complecti vir doctissimus; quæ quamuis ad conuictum humanum, vitamque ciuilem spectent: excommunicationi tamen vi clauiũ adnectuntur: quia & à spirituali potestate descendunt, & ad spirituale bonum referuntur: Ioannes quidem Apostolus, cùm ne *Aue* quidẽ hæreticis *dici* voluit, spiritualem vindictam adhibuit. Neq; nisi potestate clauium vsus est Paulus, cùm *aut fornicarios, non huius sæculi, sed qui dicuntur fratres mensa*, & conuiuio fidelium arcuit; aut Corinthium illum *Satanæ tradidit in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret*. Quantò igitur ego iustius Barclai, tuam illam clausulam vsurpabo? *Noli repugnanti Alensi nouam mentem imponere*: qui cùm non fatetur Barclaius Pontificem, ita spiritualibus præesse; *vt terrenam potestatem instituere habeat, vt sit; & iudicare, si bona non fuerit, vt quamuis eam non puniat corporalibus ac materialibus pœnis: possit tamen à communitate separare*, à qua qui præcisi fuerint, ij dignitatem, potestatem, regnum, ius, retinere nullum possunt, cùm eius ne membra quidem sint.

46. Ita ex omni duorum & septuaginta scriptorum numero, vix duos inuenire potuisti, quibus etiam repugnantibus, sententiam tuam adscriberes. Nam vt ipsis eorum verbis probatum est, Alensis, & Almaynus, quos ad tuas partes trahere voluisti; à Bellarmino stant. Trium, aut quatuor aliorum verba ita detorquere conatus es, ne aduersari viderentur opinioni tuæ. at quàm infelici exitu, res ipsa docuit. Baldo quam alienam à sua mentem affinxeris; satis eius ea verba docuerunt, quæ ex C. atque ex alio ff. loco protulimus Alexandro de S. Elpidio, quid responderes, nil habuisti; nisi, quod verba illa nusquam inuenire potueris. quia videlicet ne librum quidem inspexeris, in quo ea, sine controuersia leguntur. Brunum & Eruæum, nisi disertè repugnantes haberes, satis habere tibi visus es. De quorum sententia nemo dubitat, qui in his rebus, vel mediocriter versatus sit. In Aninione Tragœdias excitasti, non aliàm ob causam, nisi quod is sententiam suam adhibitis Panormitani verbis, quod ab eo non dissentiret, explicare voluisset. Pro quibus si eos vel probabiliter reiecisses, supponere tibi nullo negotio vir doctissimus potuisset Iuonem Carnotensem, ac Petrum Tolosanũ Gallos, Vulcurunum & Azorium Hispanos: Alanum Cardinalem in lib. de Iustitia Britannica, cã. 5. & Andream Philopatrum Anglos: atq; alios ex alijs gentibus. Cæteros

teros omnes, quàm multos, & quàm graues viros, ne tergiuersando quidem dissimulare potuisti, apertissimè pro Bellarmino facere. Sed negas id ab ijs satis firmis rationibus probatū, quasi nō de scriptorum consensu, sed de rationibus controuersia & loco esset. Ita te non procuratorē sistis, qui pro Patre tuo Reo, consilio satisfacias; sed cōsilij ipsi⁹ iudicē ipse cōstituis.

47. Ad Concilia tandem ventum est, *magna* illa, atq; vt tibi quidem videtur, inania nomina. de quibus etsi non laboras; tamen ne vlla re inferior videare, sin minus rebus, verbis saltem satisfacere niteris, pag. 107. quæ Zonaras scribit 3. tom. Annalium, Gregorium II. *qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat, illos* (Iconomachos) *vnà cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxisse; & vectigalia, quæ ad id vsque tempus Imperio pendebantur inhibuisse, inito cum Francis fœdere*, negas coniunctim intelligi oportere, quasi ea omnia Synodico decreto à Gregorio acta sint. Neq; enim Pontificem in eadem Synodo, abstulisse Leoni tributa Italiæ. Qui autem id probas? quia nullibi *extat Gregorij, siue II. siue III. vlla Synodalis sententia, qua exuatur Imperator tributis Italiæ.* Primùm si ita argumétari liceat, eadem ratione probabitur, ne exutum quidem planè à Gregorio, siue II. siue III. ijs vectigalibus Imperatorem: neq; enim vllū extat eorum super ea re decretum. Deinde ne extat quidem sententia, qua excommunicetur Imperator: ergo ne excommunicatus quidem.

48. Nam quod subijcis, *extare memoriam decreti Synodalis* (in libro Pontificali, *& referri in Cōciliorum codicibus. Vbi de Gregorio III.*) *quo Gregorius III. omnes Iconomachos, in quorum præcipuis Imperator iubet esse extorres à sanguine & corpore Domini nostri Iesu Christi*, Næ tu Barclai nimia pietate deciperis. Primum enim ea, quam citas, historia est, quæ latæ in Synodo excommunicationis mentionem facit. Historia etiam Zonaræ; qui præter excommunicationem sublata etiam Italiæ vectigalia commemorat. Si igitur historiam exigis: habes vtriusque rei memoriam. Si sententiam ipsam, neutram inuenis. Aut igitur si historiæ credis, vtramque suscipe: aut si, nisi sententia ipsa prolata, historiam reijcis: vtrique fidem abroga. Huc accedit, tum quòd ea de Gregorio III. scripta sunt in Pontificali, & Conciliorum codicibus. Zonaras de Gregorio II. sua illa commemorat; tum quod non magis dici possit ea sententia, ita in vniuersum lata, Gregorius Imperatorem excommunicasse, quàm Iacobum dominum tuum, Clemens VIII. aut Paulus V. excommunicatis in bulla cœnæ hæreticis omnibus.

49. Neq; enim quisquam ab aliquo excommunicatus dicitur, nisi is in quem nominatim sententia lata sit. Deniq; etiam ea, quam ex Pontificali memoras, Gregor. III. sententia in eos lata non est, qui ad eam vsque diem Iconomachi fuissent: vt Imperator simul cum cæteris verbis illis generalibus excommunicatus censeri posset: sed *Decreuit*, inquit, *Pontificale, vt si quis deinceps antiqua consuetudinis, & Apostolica Ecclesiæ fidelem vsum contemnens aduersus eandem venerationem sacrarum imaginum*, &c. *depositor atque destructor, & prophanator, vel blasphemus extiterit, sit extorris à corpore, & sanguine Domi-*

A *ni nostri Iesu Christi: vel extorris à totius Ecclesiæ vnitate, & compage.* Quæ sententia, si is resipuisset post eam diem, Imperatorem sine dubio non tenuisset. Quocirca non magis excommunicatus in eo Concilio dici potest, quàm in Tridentina Synodo excommunicatus fuerit Iacobus M. Britanniæ Rex. Eam etiam ob rem, *Post peractum* (vt habes in Pontificali) *hoc memoratum superius Synodale constitutum: iterum misit* (*Gregorius*) *alia similiter scripta comminatoria pro erigendis imaginibus per Constantinum defensorem.* Comminationes autem, nisi quid aliter in Britannia consuestis excommunicationem præcurrunt, non subsequuntur.

Nam quod addis, *de sententia à Gregor. III. lata Zonaram aperte loqui; tum quòd re vera sub illo Italia ab Imperatore recesserit: vt in Chronico* B *adnotat Onuphrius. tum quod idem Pontifex I. fœdus cum Francis inierit, vt Platina ex vetustioribus ritè collegit:* id quidem nescio quid causæ tuæ commodet. Cùm enim iam ostenderimus eam, de qua loquitur Zonaras, sententiam diuersam planè esse ab ea, cuius in Pontificali fit mentio: siue II. siue III. Gregorium eius auctorem facias, perinde est. Neque verò satis probas Zonaram, qui ea Gregorio II. tribuit, errore lapsum. Cùm exploratum apud omnes sit, non multò antequam è vita decederet, latam à Gregorio II. sententiam in Imperatorē, si qua lata est. Potuit autem fieri, vt eo non ita multò post è viuis sublato, exequutionem sententiæ successor eius suspenderet; vt mitigatū C Imperatorem facilius sanare posset. Sed cùm animaduertisset tandem operam se in eo reuocando ludere. Confirmatam Gregorij II. sententiam exequutus, & Italiam ab Imperatoris obsequio auocarit, & fœdus cū Gallis inierit.

Lateranense Concilium Innocentio III. 51. sum. Pontifice habitū tantum, ac tam frequens c. 3. constituit, vti, *si Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc sum. Pontifici, vt ex tunc ipse Vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos; & terram exponat Catholicis occupandā, qui eam exterminatis hæreticis, sine vlla contradictione possideant.* Hunc maximi celeberrimique D Concilij Canonem aduersus Patrem tuum protulit Bellarminus. Tu verò pagin. 114. *Haud arduum*, inquis, *opinor ostendere hos Canones nunquam à Concilio Lateranensi promulgatos, & solemni more editos.* Male, mihi crede, opinaris Barclai; nihilo id facilius probaueris, quàm solem meridie non lucere. Edidit eos Canones Lateranense Concilium, neq; inanis est, vt tu reris, verborum Bellarmini pompa, cùm de Patre tuo quærit: si ius hoc Pontificis non planè certum atq; exploratum erat apud omnes. *Cur in editione huius Canonis ne vnus quidem reclamarit, cur ne vnus quidem ex tot Imperatorum, & Regum oratoribus mutire ausus sit.* Probaui hoc in paralello c. 4. apertissimè aduersus Tortoris Eliēsis peruicaciam contra contendentis. Cuius eam rationem, quæ ambiguitate vocis me tunc temporis fefellit, ago gratias, quod repetieris, vt deprehensa tandem

fallacia

fallacia veram solutionem afferre possem. Nam me quidem nemo libentius refellerit errores meos. Eleuare nitebatur Tortor eius Concilij auctoritatē, quod multi in eo legantur Canones, in quibus Lateranensis Concilij constitutionum mentio fit: cùm tamen probabile non videatur Concilium Lateranense ipsum à se ipso citari. Ita c. 11. *In Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum, cap. 33. euectionum & personarum mediocritatem obseruent in Lateranensi Concilio definitam, cap. 61. In Lateranensi Cōcilio noscitur fuisse prohibitum.* Ego cùm neque dum comperissem integram eam Synodum in Vaticana Bibliotheca seruari; nec animaduerterem ante Innocentium III. Lateranēses alias Synodos habitas esse, ita eum nodum aptè dissoluere me existimaui; si responderem, eos nō Lateranensis Concilij, sed Pontificios Canones esse, quibus ad Lateranenses aliquid adderetur. insertos autem à collectoribus Concilij, quod capita ipsa, quorū in Canonibus ijs fit mentio, periissent: vt eius Cōcilij cōstitutiones, quādo in se ipsis nō poterant, in alijs saltem Canonibus legerentur. Eam responsionem meam meritò tu quidem, sed ita futiliter exagitas: vt nihil afferas, quod si tueri eam libeat, mihi negotium magnoperè facessat. Sed ego non abutar aliena inscitia ad tuendum errorem meum. Nam quod primo Eth. scripsit Aristot. *par est pro veritatis salute sua quoque à Philosophis,* ac multo magis à Christianis ac religiosis *confutari.* Quamquā enim verissimè dixi extensiones, innouationes, aggrauationes, eas esse Lateranēsium Canonum: falsò tamē eas Pontificibus tribui. Cùm enim duæ sint in Conciliorum Codicibus, sibi proximæ Synodi, altera Alexandro III. ann. 1180. altera Innocentio III. Sum. Pontif. ann. 1215. apud Lateranum habita, non animaduerteram in posteriore hac, prioris eius mentionem fieri, è qua sumptos eos Canones posterior, aut confirmasset, aut auxisset. Exemplis id eorum ipsorum Canonum comprobabo, quos tu protulisti Barclai: cæteros si volueris, ad marginem Concilij Lateranensis editionis Romanæ inuenies, cap. 2. *Quia nonnullis propter inopiam, & legendi studium, & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum, &c.* Canonem hunc inuenies in Concilio sub Alexand. III. ca. 18. ca. 29. non vt tu citas, cap. 39. De multa fuit *prouidentia in Lateranensi Concilio prohibitum.* hic sumptus est ex Concil. Alex. cap. 13. Cap. 61. *in Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum.* Hic etiam Canon legitur in Concilio Alexādrino, cap. 4. Item cap. 33. *euectionum, & personarum mediocritatem seruent in Lateranensi Concilio definitam.* Hunc etiam Canonem inuenies cap. Concilij eius 4. Sed fefellit Tortor æquiuocatione Lateranensis Concilij, cui hæc meo nomine renunciabis.

52. Nunc ad te ac responsiones tuas redeo. Negas pag. 117. *Mirum esse, si Concilia ijs sæpè conflata, quia omnia volunt Pontifici, ius illi assignarint Politicum, cùm pars Antistitum in Pontificis terris degat; vbi pœnè tot Episcopi, quot oppida, pars illius fauorem spe tumida ambiat, &c. Minus etiam mirum, si id actum in Lateranensi Concilio: quod & Roma celebratum, & in illius Pontificis sinu, qui paulò antè Ottoni abrogarat Imperium. Vt adhuc calerent studia, & frequens Ecclesiasticorum opinio de temporali potestate Pontificis.* Audio, paucis negas vllam aut eius, aut vllius generalis Concilij rationem habere Patrem tuū in ea cōtrouersia debuisse; quod Ecclesiastici, de quorum regno agitur, eius rei iudices esse non possint. At primùm cū adessent tam multi Legati Principum; calerentque, vt tu ais, studia partium, Ottone non ita multò antè deiecto de solio: cumq; eo decreto simul omnibus iugum imponi cernerent, si res dubia & cōtrouersia tunc tēporis apud Christianos habebatur, cur non reclamarunt? Cur nō egerunt cum sancta Synodo, vt rem tantam aut seriò disceptaret, aut in præsentia ne attingeret? Cur testati non sunt velle se super ea re alias audiri? An putas tam amentes futuros fuisse tanti Concilij Patres; vt omnes simul Principes eo decreto irritare in se, in Ecclesiam, in Pontificem vellent?

Deinde si Pontificem, Episcopos, Concilia reiicis: cuius tandē iudicio diiudicari hanc litem placet? Politicine Magistratus? at quo tandem iure de diuino iure pronunciabit? qui docebit Ecclesiam? cuius discipulus esse debet, si Christianus est. Qui pascet pastores suos? Denique nonne ipse quoq; in causa sua iudicabit? cùm iudicabit, an subiici potestas laica Pontifici debeat? Eodem igitur iure arcebitur sæcularis magistratus ab ea causa disceptādā, quo Pontifex, quo Concilium, quo Ecclesia, cuius, *quia spiritum veritatis* accepit, & *columna veritatis est,* fallax iudicium esse non potest. Deuoluiturque tota ea causa ad Barclaium aliquē Seguleium, qui ius, quod Ecclesiæ, quodque Principibus denegat, sibi ipse sumat, vt de re tanta pronunciet. 53.

Sed tu, vt omnes intelligant, te nihil Conciliorum auctoritatem morari: Tridentinum etiam Lateranensi coniungis. *Huic Lateranensi decreto,* inquis, *geminum prorsus, quod Concilium Trident. Sess. 25. cap. 19. Regi, ac Principi vult auferri dominium vrbis aut loci, in quo duello certari permiserit: quo decreto recitato in conuentu Gallicorum ordinum,* reclamatum ab ordinibus ais: quod contra auctoritatem Regis esset. ac *Dic porrò,* inquis, *num maiorum virium Lateranensis, quam Tridētina Synodus? num vna minus apertè, quàm alia ius Ecclesia in Regum temporalia destituauit? Num denique haeretici? num cum Publicanis ablegandi? tot Antistites, tot in illis ordinibus Proceres.* Respondebit tibi tam importunè interroganti, nullo negotio Bellarminus: locum Tridentini Concilij depravatum à te citari. Nam excommunicationis sententiam in omnes omninò Principes fert Concilium, qui duello certari permiserint: dominium ijs tantum aufert, qui terras ab Ecclesia obtinent, etsi loca feudalia sint: iubet statim directis dominis acquiri. *Iurisdictione,* inquit, *& dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent priuati intelligantur. Et si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur.* Quæ cùm ita sint, labat historiæ totius fides, quæ eo veluti fundamento nititur. Neq; ita insaniebat amplissimus ille cōfessus ordinum: vt iniuriam Regi fieri 54.

eiusque maiestatem imminui clamaret eo decreto, quo Ecclesiæ beneficiarij bonis spoliari à Concilio iubebantur, ni paruissent. Quare neque maiorum virium Lateranensem, quam Tridentinam Synodum, neque aut hæreticos, aut cum publicanis ablegandos Antistites illos, proceresque: sed falsarium, atq; impostorem Bellarminus eum esse contendet, qui primus eam fabulam concinnauit.

54. Agmen hoc claudit Lugdunense Concilium, in quo anno 1245. Innocentius IV. Fridericum Imperatorem deposuit, de quo ita scribis. *Quid tu pro Concilio supponis Pontificem? Pollicitus ostendere quid egissent Concilia: das sententiam Papæ. At hanc in Concilio, quid tum? num sequitur, id ex decreto Concilij? lata est illa sententia statim penè post coactum Concilium, nempè Sessione tertia; & nisi interuenissent Franciæ, & Angliæ Reges, res secunda Sessione agebatur. Paruum tempus ad deliberationem diligentem cum sancto habendam Concilio.*

55. Næ tu parum es in re Synodica versatus, qui nescias, si Pontifex adsit, sententiam ab eo pronunciari consueuisse. lege Florentinam Synodum: duas inuenies Eugenij Papæ Bullas, quibus eius Synodi decreta continentur. Lege Lateranense Iulio II. & Leone X. Pontificibus habitum: quod in eo decretum non eorum nomine promulgatum? lege, vt antiquiores etiam Synodos afferam, Synodum Romanam Gregorio Magno Pontifice habitam, ibi quoque decreta omnia Gregorij sunt; lege Lateranense sub Innocentio III. cap. 2. in definitione fidei cótra Ioachimum pro Petro Lombardo, & cap. 5. Innocentium semper loquentem inuenies. Nec dissentiunt Canones Lateranensium Conciliorum, quæ Alexandro III. & Callisto II. Pontificibus celebrata sunt. Imò, quod mirere magis, in Chalcedonensi Synodo Act. 3. Legati Summi Pontificis Concilij totius nomine sententiam in Dioscorum pronunciant in hæc verba. *Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus, magnæ, & senioris Romæ Leo per nos, & per præsentem sanctam Synodum, vnà cum ter Beatissimo, & omni laude digno B. Petro Apostolo, qui est Petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudauit eum* (Dioscorum) *tam Episcopatus dignitate, quàm etiam ab omni Sacerdotali alienauit ministerio.* Non est igitur quærendum, quis sententiam in Concilio tulerit, sed tuleritne eam de consilio sacri consessus is, qui cõsessui præsidet.

56. Id porrò ita actum esse constat, primùm ex ipsis sententiæ verbis, quam refert Matthæus Paris. anno 1245. & VVest-monasteriensis eodem anno, & habetur de sententia & re iudic. c. ad Apostolicæ in 6 *Nos itaque super præmissis, & quamplurimis alijs eius* (Friderici) *nefandis excessibus cum fratrib. nostris, & sancto Concilio deliberatione præhabita diligenti; cum Iesu Christi vices, licet immeriti, teneamus in terris, & cæt.* Qui autem hæc pronunciare ausus esset in Concilio Innocent. audientibus etiam Friderici procuratoribus, ni ita fuissent? tam multos habiturus mendacij sui testes, quàm multi aderant in Concilio. Huc accedit, quod Matthæus Paris. post adscriptã Innocentij, sententiam subijcit. *Dominus Papa, & Prælati assidentes*

A *Concilio candelis accensis in dictũ Imperatorẽ Fridericum, qui iam iam Imperator non est nominandus, terribiliter (recedentibus, & confusis eius Legatis) fulgurarunt.* Consenserunt igitur Prælati, qui aderant, qui in Fridericum, vt in solemni excommunicatione, accensis etiã cereis *terribiliter fulgurarũt.* Huc accedũt scriptores alij, qui disertè scribunt Concilij cõsensu eam sententiam latam ab Innocentio. Paulus AEmil. in D. Ludouico testis est Innocentium, *audito Vinea* (Cæsaris procuratore) *causaq́, cognita, de sententia sacri consessus ius Imperij nomenq́, Friderico abrogasse, iure noui pijq́, Cæsaris designandi Electoribus restituto.* Ciauonus in Innocẽtio IV. *omnium Patrum & Principum consensu Fridericũ anathemate notatũ, Imperio, & omnibus rebus priuatum memorat.* Vbertus Folietta, lib. 4. historiæ Genuensis an. 1245. *De sacri consessus sententia,* inquit, *piorum cætu* (Innocentius Fridericũ) *exterminat.* Farrellus in histor. Sicula Decad. 2.
B lib. 8. c. 2. *Cùm ad diem non adesset* (Fridericus) *in eo conuentu Patrum omnium consensu diris deuotus, Imperio, & regnis omnib. annos quinque, antequam moreretur, salutis verò 1245. abrogatus est, vt sacrilegus.* Philippus Bergomas in supplemẽto Chronicorum anno 1244. *Lugdunum petijt,* (Innocentius) *ibiq́, Concilium celebrauit, in quo omnium consensu Fridericum Imperio, & Regio titulo priuauit.* Sabellicus, Ennead. 9. lib. 6 *Omnium consensu* (Fridericus) *Regno & Imperio priuatur.* Monachus Paduanus scriptor eius temporis anno 1245. cui⁹ Commentarius extat tomo 2. historiarum Germaniæ. *Propter cõtumaciam eius, & innumerabilia mala, quæ fecerat contra Ecclesiam, Innocentius Papa de assensu, & con-*
C *silio Prælatorum, & totius Concilij protulit contra Fridericum sententiam iustè pariter, & constanter.* Platina in Innocentio IV. *Omnium* (in Concilio) *consensu Imperio, & Regnis priuatur* (Fridericus) Ioannettus in Innocent. IV. *longam nimis Friderici moram & fallendi propositum Pontifex reliquique Patres grauiter ferentes, sententiã excommunicationis depositionisq́, in eum tulerunt.* Imò Okam apud Almaynum qu. 2. principali de potestate, cap. 5. ad tertiam allegationẽ rem ita interpretatur: vt velit ab Innocentio non sua, sed Concilij auctoritate depositũ esse Fridericum. *Dicit doctor,* inquit, *quod Innocentius deposuit* (Fridericum) *in Concilio, nõ quod habuerit auctoritatem deponendi: sed Concilium deposuit, & Innocent. tulit sententiam, vel loco Conci-*
D *lij, à quo accepit auctoritatem deponendi.* Accedit Genebrardus in Chronol. anni 1345. *Friderico II.* inquit, *excommunicato, & decreto Concilij exspoliato Imperio, vacauit Imperium, &c.* Satisne tibi videris more patrio duodecimuirali iudicio condemnatus Barclai? His etiam tertiũdecimum adijce B. Antoninum 3. p. hist. tit. 19. cap. 5. qui cùm dixisset policitum per Legatos Fridericum se satisfacturum Ecclesiæ, *Papa,* inquit, *cum Concilio, attento, quod pluries Ecclesiam deceperat suis promissis, &c. non credidit eis: etsi mandatam ostenderent cum Bulla aurea ad prædicta ipsum obligandi, Vnde in ipso Concilio solemniter protulit sententiam contra eum condemnationis, & priuationis Imperij, & Regnorum:* Archiepiscopo Abbas addatur Bonifacius Simonetta lib. 6. de persequutionibus Ecclesiæ, & Ponti-

ficum, cap. 1. cuius ea sunt verba. *Lugduni Concilio coacto literis, nuncijs, pracone ad se Fridericum citat* (Innocent.) *Iurisconsulto misso moram sui aduentus, vt aliqua calliditate illuderet, exposcit. Sed fraudibus compertis, Imperio, & Regnis communi consensu priuatur.*

57. Nam quod sententia illa, vt tu criminaris, est præproperè lata, *Statim penè post inchoatum Concilium, hoc est Sessione tertia, ac nisi interuenissent Francia, & Anglia Reges, futurum fuerit: vt res secunda actione peragerctur.* Quid tandem probat? Ita egit prima Sess. Friderici causam Thadæus accuratè, ita obiecta Domino suo crimina diluit: vt multis in Concilio probaretur eius oratio. Quod & apud Matthæum Paris. inuenies, & in breui illa *nota rerum in eo Concilio gestarũ*, quæ in nupera Romana Conciliorũ editione huic Concilio præfixa est, sed cùm responsionẽ eius cõfutasset Innocent. dimissus est cõuentus, quoq; maturius deliberarent de re tanta Patres, altera Sessio nonnisi 8. post diebus habita. In qua, repetita accusatione, tot tantorumq; scelerum conuictus est Fridericus; vt cum, teste Matthæo Paris. à quatuor mundi partibus accusaretur, neq; ijs, vel in speciem diluendis, satis esset Thadæus, ab omnib⁹ desertus sit Fridericus; atque vt ait Vvest-monasteriensis, oẽs in eum frenderent. *Tum verò surrexit* (vt in ea quam modò citaui nota inuenies, *Archiepiscopus de Hispania, qua multum Dominum Papam animauit ad procedendum contra Imperatorem referẽdo plurima, qua contra Ecclesiã fecerat, & quomodo tota fuit intentio: vt deprimeret Ecclesiã iuxta posse. promittens, quod ipse, & alij Prælati de Hispania, qui multum magnificè & generaliter plusquam alia natio ad Concilium venerant, Domino Papa assisterent in personis, & in rebus iuxta sua volũtatis beneplacitum. Hac eadem promiserunt plures alij in Synodo Prælatorũ.* Quid igitur mirum fuisset, si in reum auditum, conuictumq; petentibus Patribus, vt iure in eum ageretur: secunda ipsa Sessione sententia lata esset. Sed cùm & Thadæus, & Angli Gallique Regis Legati spatium peterent, quo Fridericus præsens se Concilio sistere, & causam pro se dicere posset. *Quia dictus Papa hac quam plurimũ affectabat, vt posset inter eos pacis fœdera reformare, vsque ad diem luna post octauam Sessionis secunda, qua fuerat in die Mercurij, contra multorũ Prælatorum voluntatem, prorogauit tertiam Sessionem; quod non fuit sine tadio multorum Prælatorum.* Hæc in ea nota totidem verbis inuenies. Serius ergo lata sententia est à Pontifice, quum Concilium voluisset; expectatumq; duodecim ipsos dies post alteram Sessionem; vt, si qua ratione fieri posset, res cum Cæsare cõponerentur. Sed cùm iam cõstitisset verbis illudi Concilio, neque quicquam expectando aliud proficì, nisi, vt turbandarum rerum illi opportunitas præberetur, pronunciata est à Pontifice sententia iam ante Patrum votis expetita. Cæterùm si Pontificis illud non Concilij decretũ fuit; cur ad aliud Concilium, siue generalius, vt refert Matthæus Paris. siue futurum, vt ea nota memorat, Thadæus procurator Cęsaris prouocauit? cum multò ęquius, multoque facilius præsens iam, ac Domino suo fauens Concilium posset appellare.

A Noli igitur, Barclai, ista tam ridicula tuendi Patris tui causa sustinere. officis mihi crede, vel tibi, vel parenti tuo plurimum tergiuersationibus istis. Quæro de te, maiorisne auctoritatis Lugdunẽse, quàm vel Tridentinum, vel Lateranense maximum facias? Cur igitur qui liberè tandem professus sis, nihili te, in hac quidem causa, duo illa Concilia eorumque decreta facere; in hac Lugdunensis Concilij sententia, cùm vti eadem responsione posses rei clarissimæ tenebras offũdere niteris? An quod ei Concilio aut nullus, aut pauci admodũ Itali Episcopi, obsessis à Friderico itineribus, interesse potuerunt? ideò minus obnoxium calumnijs esse putas? Quid tum? iam antè professus es, à te Pontifices omnes atq; Concilia in partibus, nõ in iudicibus numerari. Neq; ita mul- 58.
B tò post *leuem admodum eum fucum*, à Bellarmino *exornari* dicis *metuenda verborum maiestate; vt terrorem eliciat, vel assensum à piè timidu, aut à credulitate simplicium*. Agnoscis opinor tua verba, quibus satis indicas, quanti apud te sint omnes Theologi, omnes Episcopi, omnes Põtifices, omnia Concilia. *Cœpisti* nimirum Lutheri *Euangelium: quia neq; Papa, neq; Concilijs, neque vlli hominum commissum est: vt constituat, & concludat, quid sit fides. Ideò debes dicere: Papa tu conclusisisti cum Concilijs: nunc habeo ego iudicium an acceptare queam, necne.*

Neque verò Concilijs credendum esse, *quod falsam doctrinam nemo iudicare possit, nisi spiritualis homo: sapè* autem *nullus vir sit ibi, qui diuinum spiritum vel modicum olfecerit.*

Quamquam tu quidem de diuino spiritu 59.
C non laboras, sed ad multitudinis sensum, atque ad Senatusconsulta, hoc est, ad spiritum huius mundi, totam hanc causam expendis. Certè gloriaris pag. 132. Parentis tui librum *à maximis Theologis laudatum, per Christianum orbem vbique coli, vbique præter vnam Romam, venalem esse. Eum, quem in Barclaium conscripsit Bellarminus, publico augustissima curia decreto exulare iussum; in Hispanijs latere, & in pulcherrima Italia parte grauissimis pœnis, & omninò memorabili mulcta legi prohibitum, aut seruari.*

Non dubitat Bellarminus, quin Anglicanis Pseudoepiscopis, ministrisque, qui tibi, fortè, aut vni ex omnib⁹ aut maximi Theologi sunt, liber ille probatus sit, quem dignum etiam duxerint, qui in ea vrbe typis excuderetur, in qua Catholici scriptoris liber nullus excu-
D ditur. Neque verò liberè, aut venit, aut legitur: nisi quibus in locis, quia libera est hæreseos etiã professio, Lutherus, Caluinus, Zuinglius impunè venales sunt. In quibus tamẽ ipsis, qui sacrosanctam Rom. Pontificis potestatem religiosè colunt, quique censuras Ecclesię formidant: apud eos Barclaij liber à sacris librorum censoribus, ac sede Apostolica improbatus, abominatus est. neque eum vænum expositum, aut in Italia, aut in Hispania vspiam inuenies. Bellarmini liber, vbicunque Libri alij de nostri temporis controuersijs liberè omnibus permittuntur, palàm legitur, iisque ita in Germania probatus est: vt vernaculo etiam gentis eius idiomatè editus sit. Nam quod *in pulcherrima Italia parte grauissimis pœnis, & multa omnino memorabili legi prohibitum,*

aut

aut seruari memoras; memorabile, non tuum quidem, qui hoc fando acceperis; sed eius, qui has tibi fabulas narrauit, mendacium est. Nusquam enim tota Italia edicto notatus is liber est. E Gallia ita exulare iussus, vt amplissimi Consilij decreto ante penè reuocaretur, quàm quicquam in eum curia constituisset. Cæterùm Sacerdotes censores ac magistros fidei in Ecclesia Deus esse voluit; à quorum iudicio cùm ad politicos Magistratus prouocas, vel tuo ipse calculo condemnas parentem tuum, qui Ecclesiastici iudicij lucem ferre non possit; neque nisi præturæ viribus tutus sit, quas non ignoras, quàm sæpè in Ecclesiam olim mundi huius Principes exeruerint, atq; in vestra Britannia nunc etiam exerant: vt satis firmum ex ea re argumentum duci non possit.

60. Hæc te, Ioannes Barclai, amicè, ac sine conuicio monitum volui, ne incauta, nescio qua, A in parentem tuum pietate duci te sinas: neve, si quid in aula, atque in colloquiis placet, id continuò doctorum hominum luce dignum existimes: Multa fallendi temporis gratia non in gratijs audiuntur: quæ non probantur, tamen multa probantur ab incuriosis, quæ vbi ad amussim veritatis accuratius expenderis, falsa comperias. multa denique arrident minus eruditis, quæ viri docti ne admittant quidem ad aures. In colloquio liberum tibi est idoneum auditorem seligere, cui non improbabilis videatur oratio tua lectorem plerumque doctum (nam huic hominum generi libri cordi sunt) eum certè, quem fors obtulerit, habiturus es. Qui si futilibus nugis bonas horas malè sibi ereptas dolere cœperit, vel tribus chartis sempiternis te ignominiæ notis possit inurere. Deus tibi meliorem animum, ac mentem det.

ROBERTI

BELLARMINI

POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S. R. E. CARDINALIS

RESPONSIO AD DVOS LIBELLOS,

Quorum alter inscribitur:

RESPONSIO DOCTORIS THEOLOGI AD EPISTOLAM A REVERENDO AMICO SCRIPTAM DE LITERIS APOSTOLICIS CENSURARUM, QUAS PAULI QUINTI SANCTITAS ADUERSUS VENETOS PROMULGAUIT.

Alter verò,

TRACTATVS ET RESOLVTIO SVPER VALIDITATE Excommunicationum Io. Gersonis Theologi, & Cancellarij Parisiensis in duo opuscula distributus, atque ex Latina lingua in Italicam summa fide conuersus.

RESPONSIO CARDINALIS BELLARMINI *ad Anonymi epistolam, vbi de litteris Censurarum agitur, quas Pauli Quinti Sanctitas aduersus Venetos promulgauit.*



ERLATVS ad me est libellus cuiusdam, qui se Theologiæ inscribit Doctorem, respondetque Sacerdoti amico, aut certè respondere se fingit, petenti, num censuræ, quas Paulus Quintus Pontifex Maximus nuper aduersus Venetos promulgauit, ratæ sint iureque editæ, & simul vtrum rem sibi diuinam in sua Ecclesia facere liceat, sacramétaq; administrare, vti prius licuerat antequam ferrentur. Respondet autem ille censuras huiusmodi irritas esse, nulliusq; ponderis, posseq; B Sacerdotes, tum Venetijs, tum in reliqua Venetorum ditione, absq; vllo Religionis metu sacrum facere, diuina officia recitare, ac Sacramentorum administrationi, vti prius consueuerant, operam dare. Atque vt Theologicè (ita enim loquitur) agat, rem totam octo propositionibus complectitur. Nos summa fide propositiones exponemus, adijciemusq; singulis responsionem; prudentium autem virorum erit videre vtrum Theologus iste Doctoris, an seductoris nomine sit appellandus. Ac ne conqueratur nos dolo malo aliquid suis verbis detraxisse, ipsamet verba, quibus vtitur, subijciemus.

ANONYMI PRIMA PROPOSITIO.

IVs, quo seculares vtuntur Principes, immò, quo vtitur ipse Summus Pontifex, quà secularis

Regio-

Regionum & Prouinciarum, quas possidet est princeps, immediatè illis à Deo, nullaque exceptione concessum est. Vt hæc Propositio clarius intelligatur, animaduertendum est, ius dominandi, ac seruitutem iure gentium primo extitisse: ius quidem dominandi penes Principes, parendi officium penes subditum, quatuor nominibus, electione, hæreditate, donatione, iure belli: ita vt omnes Principes, qui ex his quatuor nominibus aliquo, cæteris imperant, veri illorum, ac legitimi sint Domini. hos aio à Deo habere, vt imperare possint, leges condere, tributum exigere, iudicia exercere, ac subditos sine vlla exceptione punire.

RESPONSIO.

PRima hæc propositio duos apertissimos errores inuoluit; Primus quidem eo verbo (*immediatè*) alter illo, ***nulla exceptione***, continetur.. Atque vt prius de postremo dicam, qui clarior est, si verbum illud (*sine exceptione*) accipiatur, vt significet sine vlla subditorum exceptione, erroneum est. In clericos enim nullum ius habent Seculares Principes; cùm illi iure saltem humano excipiantur, vt omnes Catholici Doctores fatentur. quamquam vt inferius docebimus, iure etiam ipso diuino excipiuntur; Si verò ita accipiatur, vt significet, sine vlla exceptione potestatis, planè hæreticum. nulla enim Christiani alicuius Principis reperitur potestas, quæ aliqua ratione Christi Vicarij potestati non subiiciatur. nam ille vniuersalis est Pastor, Caputque Christianorum omnium, seu Principis, seu priuati hominis personam gerant. Si demum intelligatur, vt nolit vllum rerum, aut negotiorum genus excipi, hæreticum itidem est. Spiritualia enim negotia, vt è sacris Scripturis, Concilijsque habemus, in laicorum potestatem non cadunt, sed penes Ecclesiasticos tantum sunt, atque in hoc Theologi omnes, & Canonistæ consentiunt. Sed ad verbum (*immediatè*) accedamus. Hoc quidem duo significat. Primum apud Principes quà Superiores sunt, immediatè à Deo, subditis imperandi ius esse, hoc est obtemperandi præceptum immediatè à Deo proficisci. atque hoc quidem ita verum est, vt nemo audeat inficiari. neque enim Dominus esset, nisi præcipere posset, neque subditus, nisi parendi illi officium incumberet. Atque ita, & Deus in Sacris litteris præcepit, & natura docet, vt subditi omnes suis Superioribus morem gerant. Deinde intelligi posset Principibus Secularibus immediatè à Deo hos, vel illos Populos regendos traditos esse: exempli causa, Christianissimo Regi Gallos, Hispanos Catholico, Venetorum Reipublicæ Venetos. Atqui hoc apertè falsum est, idque vel ipse libelli huius auctor ex suismet verbis cogitur fateri. Siquidem dum suam explicat propositionem ait, ***quatuor nominibus dominandi ius acquiri, electione, hæreditate, donatione, & iure belli.*** Hæc nomina diuina non sunt, sed humana: sique illorum beneficio potestatem quis in hos, vel illos populos imperandi adipiscitur, hanc profectò immediatè à Deo non accipit, sed ex electione, vt Imperator, & Poloniæ Rex, vel ex hæreditate, vt Hispanorum, atque Gallorum Reges, aut ex donatione, vt feudatarij Principes, aut iure belli, vt olim Gottifredus, alijque Palæstinam sibi pepererunt. Quare si quis de Christianissimo Rege quæreret, quo nomine Galliam obtineat, ius diuinum vtique non responderet, sed hæreditariam successionem, & si quis Venetorum Ducem interrogaret, quo nomine illi Reipublicæ præsit, nullum diuinum nomen afferret, sed humanam Senatus electionem. atque hoc est discrimen inter Pontificis Romani Ecclesiasticum Imperium, & Secularium, Politicorumque dominatum, quod Pontifex non solum Christianis omnibus præest ea de causa, quia Superiorum præcipere, subditorum obtemperare est, sed quia à Deo immediatè Christianos omnes subditos accepit. Et quamuis à Cardinalibus creetur Pontifex, ab ijs tamen potestatem non habet, sed à Deo, qui Petro, & cæteris Successoribus dixit: ***Pasce oues meas.*** Atque id sanè apertissima argumentatione conficitur. Nam Pontifex nullam ab Apostolico suo primatu eximere potest Prouinciam, aut Ciuitatem, aut hominem vllum: neque verus erit Pontifex, quin idem omnibus præsit Christianis, idque ea de causa, quod diuino nomine suam obtinet potestatem. Reges verò, & Seculares Principes, & Subditos amittere, & Ciuitatis alicuius, aut Prouinciarum dominationem exuere, illasque alteri subiicere possunt, atque ita in eam Ciuitatem, aut Prouinciam iure carere, quod eius potestatis nomen humanum est non diuinum. Pari ratione nemo quidquam de Summi Pontificis potestate detrahere potest, non Cardinalium Collegium, non Generale Concilium, neque adeo ipse Summus Pontifex. Cùm enim Pontificia potestas immediatè à Deo proficiscatur, hominum voluntati non subiacet. Multò secus in Secularibus dominationibus contingit, quorum sæpenumerò imperandi potestas, aut à Populis, aut à Superioribus Principibus imminuitur: nec rarò Monarchia in Aristocratiam, aut Democratiam transit: & contra, quæ plurium administratione regebantur Respublicæ, in vnius veniunt potestatem, idque ex eo solum fit, quod illorum dominandi auctoritas immediatè ab hominibus, non à Deo manat. Quod si Seculares Principes immediatè à Deo in laicos ius non habent, multò minus profectò habent in Clericos, qui, vt infrà ostendemus, iure ipso humano, atque diuino ab huiusmodi potestate exempti sunt. Vera igitur Propositio hæc est: Seculares Principes nullum in subditos sibi laicos immediatè à Deo ius habent, sed humano aliquo nomine, quod iustum sit, in Clericos verò, qui in ipsorum Regionibus degunt, nullum neque diuinum, neque humanum.

ANONYMVS.

ID non ego commentus sum, sed ex sancto Paulo accepi in Epistola ad Romanos capite 13. immò ex ipso sancto Spiritu, qui ipsius & ore loquutus est, & calamo scripsit, verba hæc sunt. Omnis anima potestatib⁹ sublimiorib⁹ subdita sit. non est enim potestas, nisi à Deo. *Hunc locum*

exponens

exponens Sanctus Ioannes Chrysostomus: Fecit hoc, inquit, Apostolus, vt ostendat, Christum leges suas non ad hoc induxisse, vt politicas euertat, sed vt ad melius constituat, ostendens quod istæ omnibus imperentur, & Monachis, & Sacerdotibus, non solum secularibus, id quod statim initio declarat. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, etiamsi Euangelista, etiamsi Propheta, siue tandem quisquis fueris; neque tamen pietatem subuertit ista subiectio.

RESPONSIO.

Sancti Pauli testimonium capite decimotertio Epistolæ ad Romanos, ad Potestatem in vniuersum refertur, docetque diuinum esse præceptum, vt Subditus Superiori obtemperet, non verò docet Seculari Principi hos, vel illos diuino iure immediatè subiici. Verissimum quidem est omnem potestatem esse à Deo: sed quædam ab illo immediatè emanat, vt olim Moysis, & Aaronis, post etiam Romani Pontificis, quædam non à Deo immediatè, sed vel successionis, vel electionis, vel alterius cuiuspiam humani nominis beneficio; Sancti verò Chrysostomi auctoritati respondeo, ex ipsius verbis non elici Sacerdotes, ac Monachos, Sancto Paulo docente Secularibus Principibus obstrictos esse, sed suis Prælatis quicunque illi demum sint. Idem enim est, *Omnis anima sublimiori subdita sit,* ac omnis homo superiori suo obediat. Ex quo loco rectè sanctus Bernardus colligit in Epistola 183. ad Conradum Imperatorem, debere Conradum Innocentio Papæ obedire, quia Christianus Imperator Summo Pontifici, vt inferior sublimiori subiicitur. Quamquam illud negandum non est, clericos etiam ijs ciuilibus legibus obnoxios esse, quæ Ecclesiasticis decretis nō repugnant, & conuictus commercijque gratia omnibus communes esse debent. Nam (vt Nicolaus Pontifex Imperatori scribit) in rebus temporalibus Ecclesia vtitur Imperatorum legibus, tamen huiusmodi leges seruare Ecclesiastici debent, quo ad directionem, non quo ad coactionem, id est, vi rationis, non vi legis. exempli causa si secularis Princeps frumento certum pretium constituat, eodem illo pretio frumentum & vendere, & emere debent Ecclesiastici, non sanè quod ea obstringantur lege, sed quod iustum emptionis, ac venditionis pretium sequi debeant, quod quidem illud esse suadet ratio, quod à Principe est constitutum. Quod si accidat istiusmodi decretum violari ab Ecclesiastico, non idcirco tamen in laici Principis iudicium raptari, nec vlla ratione mulctari ab eo potest, à cuius dominatione omninò liber est: ab Ecclesiastico Superiore, vbi res ita postulet, sanè potest.

ANONYMVS.

Quamobrem in veteri lege, quamquam Leuitæ Aaroni Summo Sacerdoti suberant, in rebus tamen temporalibus, in causis, iudicijsq́, Moysi temporali Principi paruerunt, vt optimè ostendit Couarruuias.

A

RESPONSIO.

Moyses vna cum Aarone Summus erat Sacerdos, atque extraordinaria Dei constitutione, ipsomet fratre Pontifice maior. Si Couarruuias hoc neget, nos sacris Litteris, sanctisque Patribus multo maiorem fidem habemus. Psalmo quidem nonagesimo octauo hæc habentur: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius.* & Exod. cap. 40. Moyses Deo thus offert, quod præcipuum Summi Pontificis munus erat. Et Leuitici cap. 8. Moyses, vt Summus Sacerdos, Aaronem fratrem consecrauit, filiosque ipsius Sacerdotes constituit, atque in ea solemnitate sacrificium Deo fecit. Quare Philo Hebræus vir doctissimus libro, qui de vita Moysis est tertius, extremo, ait, Moysen Pontificem, Regem, ac Prophetam

B

fuisse. Et sanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione, quam coram Gregorio Nysseno habuit, affirmat Moysen Sacerdotum Sacerdotem, Principumque Principem à Deo electum. Et sanctus Augustinus quæstione vigesimatertia in Leuiticum, vtrumque Moysen videlicet, atque Aaronem summos Sacerdotes fuisse testatur; Idemque repetit tractatu in Psalmum 98. Hoc ipsum sanctus Hieronymus habet libro 1. contra Iouinianum: Et ante hos omnes sanctus Dionysius Areopagita capite Ecclesiasticæ Hierarchiæ quinto. Quæ cum ita sint, mirum non est, si Leuitæ, qui illius tempestatis Ecclesiastici censebantur, Moysi, vt suo Iudici, Præsulique subiicerentur.

ANONYMVS.

C

In primitiua Ecclesia nulla fuit fori distinctio. Itaque Iustinianus Imperator primus fuit, qui Episcopi Constātinopolitani rogatu Ecclesiasticis cōcessit, vt ciuiles eorum causæ à Superioribus Ecclesiasticis dyudicarentur, ipso tamen non impedito; quo casu, & in criminalibus delictis Ecclesiasticos à secularis Principis Ministrorumq́ potestate non eximit, vt apertè legitur in nouella 85. constitutione Iustiniani Imperatoris.

RESPONSIO.

Opposita omninò ijs, quæ dicta sunt, in sacris Litteris, sacrisque Concilijs reperio. Nam quo tempore primitiua vigebat Ecclesia, ostendit S. Paulus, Episcopum, & ius dixisse, & Ecclesiasticos subditos, vt oportebat, iudicasse. ita enim ex illis verbis capitis quinti primæ Epistolæ ad Timotheum

D

Ephesiorum Episcopum patet. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, vel tribus testibus.* & in generali Concilio Chalcedonensi, quod priusquam Iustinianus nasceretur coactum est, sic legitur Canone nono. *Si Clericus aduersus Clericū habet negotiū, non relinquat Episcopum suū, & ad Secularia iudicia non recurrat.* Qui igitur affirmare audeat nouus iste Theologus in primitiua Ecclesia nullam fori distinctionem fuisse, primumque Iustinianum, quasi ingenti aliquo beneficio ius in Ecclesiasticos Ecclesiasticis Prælatis permisisse? Neque verò Chalcedonense tantum Concilium, sed & Agathense Canone 32. ait: *Clericus, nec quemquam præsumat apud Secularem Iudicem Episcopo non permittente*

pulsare:

A *pulsare: & si pulsatus fuerit, non respondeat, nec proponat nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere*; Et Concilium Carthaginiense tertium prioribus vetustius, quippe quod centum circiter & triginta ante Iustinianum annis celebratum est, Canone nono. *Item* (inquit) *placuit quisquis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, seu Clericorum, si derelicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudicijs purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali actione, in ciuili verò perdat, quod euicit.* Et Concilium Mileuitanum, itidem antiquissimum, vt Carthaginiense Canone decimonono. *Placuit* (inquit) *vt quicumque ab Imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur.* Hinc habemus quale

B sit mendacium, fori distinctionem ante Iustiniani tempora, negare. Sed quoniam Iustinianus nimium sibi in cognoscendis Ecclesiasticorum causis arrogauit, idcirco Menna Constantinopolitanus Patriarcha ab eo petijt, vt Episcopis ciuilium saltem cognitionem causarum permitteret; quod & ipse permisit. Porrò auctoritatem istiusmodi contra ius fasque à Iustiniano vsurpatam apertè ex eo constat, quod non solum de rebus Clericorum temporalibus leges tulit, sed etiam de Spiritualibus, vt titulos de sanctissimis Episcopis, deque sacrosanctis Ecclesijs, multoque clarius Photij Nomocanonem legenti exploratum esse potest. Et tamen Theologi omnes, & Canonistæ, atque adeo ipse Couarruuias docent rerum Spiritualium iudicium ad Epi-

C scopos solum, atque ad Summum Pontificem, vt supremum Iudicem iure diuino pertinere. Quare non ante Iustinianum tantum, sed post illum etiam vetant Concilia, ne Ecclesiastici Secularibus se iudicijs vlla ratione subijciant, vt patet ex Concilio Toletano tertio, Canone 13. alijsque non paucis. Verum vt omnes intelligant, quàm infirmum sit illud fundamentum, quod ex nouella octogesimatertia Iustiniani Constitutione (non enim, vt male numerauit Anonymus est octogesima quinta) iactum est, perpendatur obsecro, quod idem Imperator in eadem Constitutione ait: nullam nimirum esse potestatem in Seculari Iudice ad Ecclesiasticos puniẽdos: nisi prius Clericali dignitate ab Episcopo exuantur. Atque illis verbis vtitur: *Prius hunc*

D *spoliari à Deo amabili Episcopo Sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu.* Quod si Ecclesiasticus *sub legum manu non est*, hoc est, Secularibus legibus non subijcitur, nisi prius Clericali dignitate ab Episcopo exuatur; quomodo Secularis Iudicis sententiæ suberit, dum adhuc Clerici retinet dignitatem? Et eadem Constitutione Imperator ait, leges Imperatorum non dedignari sacros Canones sequi. Cum igitur sacri ijdem Canones decreuerint, vt Ecclesiastici ab Ecclesiasticis Superioribus diiudicentur; qua ratione seruabitur ea Constitutio, quæ cum aliter statuat, sibi ipsi repugnet necesse est? Accedit postremò, quod huiusmodi lex plerisque adeo iniqua visa est; vt Federicus Secundus Imperator illam vnà cum alijs omnibus, quæ Ecclesiasticam libertatem oppugnant, antiquauerit: Ita enim in prima eius Constitutione legimus. *Sanè infidelium quorundam, & iniustorum adeo iniquitas abundauit, vt non dubitent contra Apostolicam disciplinam, & sacros Canones statuta sua confingere contra Ecclesiasticas personas, & Ecclesiasticam libertatem.* Et inferius. *Item statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium Seculare præsumat contra Constitutiones Imperiales, & Canonicas sanctiones. Quod si fecerit, Actor à iure suo cadat, & iudicatum non teneat, & Iudex sit tunc iudicandi potestate priuatus.* Et multo ante Federicum Basilius Imperator. Nicephori Imperatoris legem aduersus Ecclesiasticam libertatem rescidit; cùm diceret inde innumerabiles in Rempublicam calamitates profectas. Legite si placet Balsamonem in Nomocanonem Photij, vbi primum Canonem Concilij Constantinopolitani tum primi, tum secundi fusius exponit. Atque hæc ad Iustiniani auctoritatem satis.

ANONYMVS.

Neque vero quod Magnus Constantinus Imperator cùm libelli aduersus Ecclesiasticas personas conscripti afferrentur ea verba dixerit; Vos à nemine iudicari potestis, quia ad Dei iudicium reseruamini, *vt scribit Gratianus capite Futuram 12. quæstione prima; inde propterea eruitur Seculari Principi Ecclesiasticos non subesse. Tunc enim Imperator, vt erga Ecclesiam pietatem, benignitatemque præseferret, modum, ac limites excessit, non autem ita animo sentiebat. Nam si illius verba vera essent, neque Ecclesiastici suorum Prælatorum iudicio subijcerentur. At enim* ad Dei iudicium reseruamini, *quod qui diceret grauissimè laberetur.*

RESPONSIO.

Magnam profectò Constantino laudem tribuit noster hic. Vt enim ipsum benignum, piumque inducat, mendacem facit, cùm ait illum non idem sentire, & loqui. Sed vt apertum sit, quàm digna fuerit pio Imperatore eius vox, ipsa verba ex Ruffini libro decimo Ecclesiasticæ historiæ capite secundo, subijciam: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur; Vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcumque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit, & cetera.* Vbi animaduertendum, sicut Seculares Principes, si populos respiciant, Dij nominantur, vt inferius videbimus, ita Sacerdotes, si cum Laicis etiam Principibus conferantur, Deos esse, vt hic affirmat Constantinus. Ex quo veluti totius huius controuersiæ fundamẽto optime colligit Magnus Imperator, Imperatores à Sacerdotibus iudicari posse, Sacerdotes ab Imperatoribus non item. Si ergo totius terrarum orbis Imperator, Sacerdotes veluti quosdam Deos & fatetur, & agnoscit, nul-

lamque sibi in eos potestatem, sed eorum in se magnam affirmat; quanto æquius id & re, & verbis fateri debeat in præsentia Venetorum Reipublicæ Dux? Neque hinc fit, vt Sacerdotes à suis Prælatis iudicari non possint. Sed contrarium sequitur. Superior enim Dei semper nomine iudicat, à quo potestatem accepit, immo per ipsum Deus. Atque ita cùm Episcopus in inferioris ordinis Ecclesiasticum fert sententiam, aut in Episcopum Pontifex; Deus est, qui illius ministerio fert sententiam. ita igitur ait Constantinus, Episcopos, qui Dii sunt, si cum Laicis conferantur, iudicari à Laicis non oportere, qui Sacerdotibus collati homines nō Dii existimari debēt: sed penes Deum tantum Episcoporum iudicium esse, quod per ipsius Vicarium Romanum Pontificem administrari intelligitur. Pari ratione Seculares Principes, qui in priuatos homines Dij habentur, à priuatis hominibus damnari non possunt, sed à Deo, Vicarij sui hoc est Sacerdotis opera, qui hac potissimum de causa, si Principem Secularem respiciat, Deus appellatur. Atque ita Deus ipse Moysi: *Feci te* (inquit) *Deum Pharaonis*, vt nimirum in eum iudicium feras, eumque punias. Quod vero sibi Constantinus persuaserit Romani Pontificis esse, vt Episcoporū causas diiudicet, vel ex eo patet, quod in Cæcilianum Carthaginiensem Episcopum, qui à Donatistis accusabatur, numquam ferre sententiam ausus est: Sed illum Romam ad Melchiadem Summum Pontificem transmisit. Et quamquam postremo idem Constantinus in eadem causa iudicium tulerit, ideo fecit, vt Donatistas redargueret, eorumque ora penitus obstrueret, atque eo animo, vt veniam deinde ab Episcopis peteret, quod necessitate coactus, nullius sui iuris causam attigisset. Testātur hoc Optatus Mileuitanus libro primo aduersus Parmenianum; S. Augustinus Epistola 48. & 162. alijsque permultis.

Anonymus.

Subsunt igitur Ecclesiastici homines, ac seculares Seculari Principi iure diuino. Omnis anima sublimiorib. potestatibus subdita sit. *Atque huius ratio est, quod sicut nemo à necessitate obtemperandi Deo solutus esse potest, ita neque à necessitate Principi obtemperandi solutus est. Vt enim subdit Apostolus,* Omnis potestas à Deo est. *Quocirca à Dauid Propheta, Reges, ac Principes Seculares Dij nuncupantur.* Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos iudicat. *vt enim Iosaphat Rex Paralipomenon libro 2. cap. 19. exponit, Seculares iudices, non hominum, sed Dei iudicia exercent. Hac eadem verba de Secularibus Principibus loquens affert Christus apud Ioannem cap. 10. Confirmatque illis Deorum nomen congruere,* Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, *vt doctè animaduertit Cardinalis Bellarminus cap. 3. eius libri, quem de Laicis inscripsit.*

Responsio.

SI contrarium omnino concluderetur, hoc est, Non igitur Ecclesiastici, neque seculares iure diuino seculari Principi subiacent, sed seculares iure humano, Ecclesiastici nullo iure; conclusio optimè ex ijs quæ disputata sunt deduceretur. ostendimus enim Principes in suos populos humano, non diuino nomine imperium obtinuisse. Quod si hoc non ita se habet; afferat quæso in medium Aduersarius locum aliquem sacræ Scripturæ, ex quo doceat Venetos, Pataiuij, Veronæ, aliarumque huiusmodi Ciuitatū Dominos esse. Quod si in controuersiam vocaretur, quale in Cypri Regnum ius habeant, nullum credo Scripturæ locum producerent, quo tamquam obsignatis tabulis agendum sibi putarent, sed donationis, veteris possessionis, aliaque huiuscemodi humana nomina. Si autem nullum diuinum ius afferre possunt in Patauinos, aut Cyprios Laicos, qui ostendere poterunt in Clericos? Sed vlterius progredior, atque aio iure diuino Laicos omnes etiam Principes Sacerdotibus subesse, eodemque iure Sacerdotes ab illorum dominatione eximi, vt modo fatentem audiuimus Constantinum Imperatorem. nam ex sacris Scripturis, quæ ius diuinum positiuū complectuntur, Sacerdotes Pastores sunt, Laici quamuis Principes, oues, Sacerdotes patres, Laici filij, ac iuxta naturæ inductionem (quæ ius diuinum naturale est) ouis pastori, non illi pastor parere debet; filius itidem patri, non pater filio. Atque hac in re egregia est, ac pulcherrima similitudo illa, qua vtitur Gregorius Nazianzenus in oratione ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem, quam ferè omnes Theologi amplexi sunt, hoc est, sicuti in homine & ratio est & corpus, quæ duo coniuncta hominem efficiunt; ita in Ecclesia potestatem esse Ecclesiasticam siue spirituale̅, & secularem siue politicam: ex quibus duab. partibus mysticum Ecclesiæ corpus conflatur. Atque vt in homine ratio dominatur in corpus, non item corpus in rationem, nisi cùm rebellat; ita spiritualem potestatem seculari præesse, ac proinde hanc ab illa regi, subijci, & puniri si quando opus sit: Contra verò potestatem secularem spirituali nulla ratione præferri, quam neque dirigere, neque punire possit, neq; illi vel minimum imperare, nisi rebellionem tyrannidemq; instituat, sicut nonnunquā & Gentiles, & Hæretici Principes ausi sunt. S. Pauli verbis iam supra respondimus, verum quidem esse omnem potestatem à Deo proficisci, sed aliam immediatè, aliam mediatè; atq; vt nemo à Dei obedientia excipitur, ita neq; excipi ab eorum Principum obedientia, qui in ipsum ius habent, & ijs in rebus, quæ in ipsius potestatem cadunt. verum etiam est Principem quà Princeps habetur, vicariam DEO in suo munere operam præstare, atq; idcirco parendum illi esse in rebus quæ ad ipsius potestatem pertinent, quemadmodum & Deo, vt ait S. Paulus epist. ad Ephes. cap. vlt. *Serui obedite Dominis carnalibus sicut Christo:* & Cardinalis Bellarminus cùm scripsit Principes seculares Deos in sacra Scriptura nominari, ideo fecit vt Hæreticos Anabaptistas conuinceret, qui docent in Ecclesia nullos esse seculares Principes, nulla tribunalia, nulla iudicia, nullam reipublicæ administrationem. imo idem Cardinalis, qui seculares Principes secularibus hominibus collatos deos dixit, sacerdotes collatos cum Prin-

cipibus Deos non semel appellauit. Patet hoc ex septimo cap. libri primi de Summo Pontifice, alijsque huiusmodi. Itaque si Anonymus Cardinalem Bellarminũ imitari velit, iam videt, vt arbitror, quid sibi sit agendum. oppugnanda est Hæreticorum impietas, non libertas Ecclesiastica labefactanda: eruendus è scripturis optimus doctrinæ succus apum more, non venenum, & noxiæ aduersus pietatem ac religionem propositiones.

A N O N Y M V S.

P*Ergit Apostolus, ait.* Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *en potestas quæ apud Principes seculares est leges cõdendi, quæ & res omnes, & cuiusq; generis homines complectantur iuxta ea quæ habentur in Prouerbijs Salomonis, vbi ita Deus loquitur.* Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. *Hinc profectum est, vt Christianissimi Imperatores Iustinianus, & Theodosius multas in Codice leges tulerint, quæ tum ad personas Ecclesiasticas, tum ad illarum bona, vitaq; disciplinam pertinerent, sub titulis de Episcopis & Clericis, De sacrosanctis Ecclesijs, &c. His legibus obtemperandum præcipit Apostolus, nullaq; ratione resistendum. qui enim ita contra huiusmodi leges obnituntur, ipsi sibi damnationem acquirunt, hoc est mortaliter peccant, quo in vitæ statu si diem obirent, æternis Inferorum pœnis mactarentur.*

R E S P O N S I O.

O Admirabilem hominis ratiocinationẽ, quæ ijs ex locis conclusiones eruit, in quibus nemo vnquam inesse somniauit: Vbinam, oro, scripsit Apostolus penes Principes seculares leges ita condendi facultatem esse; vt & res omnes, omnisque generis homines complectantur? Poterunt igitur ijsdem seculares Principes legem proponere de sacri faciendi, deque diuini officij recitandi ratione: cogent Laicos ad missæ sacrificium celebrandum, ad nuncupandum castimoniæ votum: contra compellent Sacerdotes ad nuptias, proque Canonicarum horarum libro gladium illis tradent, omnesq; necessario obtemperabũt: cùm huiusmodi leges condendi, quæ tum res omnes, tum personas complectantur, potestatẽ à Deo acceperint. Cùm Ethnici Principes leges promulgabãt, vt Christiani Catholicam fidem desererent, Dijsq; sacrificia offerrent; non poterant videlicet Christiani iure illud detrectare imperium: quando S. Pauli præceptum ad Ethnicos potissimum Principes, cuiusmodi illius tẽpestatis erant omnes, pertinebat, & iuxta noui huius Interpretis expositionem, ex S. Pauli præcepto conficitur, auctoritatem habere huiusmodi Principes leges condendi de omnib. rebus, quæque omnes, nemine excepto, cogant sub Imperium. Nonne demum sentis, quot absurda ex paucis admodum tuis verbis consequantur? & tamen non vereris addere congruum id esse Salomonis prouerbijs? Neque intelligis ipsis te Salomonis verbis iugulari? Cùm enim ait diuina sapientia. *Per me Reges regnant, & legum Conditores iusta decernũt.* apertè demonstrat iustas tantum leges à diuina sapientia ortum habere, cæteras quas nonnunquam de alienis rebus, vel de alienis personis ferunt Principes aliaq; ratione iniquas, ex se ipsos ferre, neque vnquam easdem à Deo probari. Quod autẽ adijcis Iustinianum, & Theodosium leges de personis Ecclesiasticis, de earum bonis, atque Ecclesiastica disciplina conscripsisse; iam responsum est hac in re, Secularis hoc est, suæ potestatis limites egressos; iam verò dicis præcipere Apostolum, vt illis legibus pareamus, peregregiè mentiris. nam Apostolus generatim loquitur, Superioribus à subditis obtemperandum. Cumque mox secularium Principum exemplum adducit, illos intelligit Principes, qui tùm Ethnici erant; atq; ideo verba Apostoli nulla ratione ita accipi possunt, vt velit Christianos ijs legibus obtemperare, quæ aut diuinum cultum, aut Ecclesiasticam disciplinam attingerent, sed ciuilibus tantummodo, quibus morem gerere necesse erat, vt cæteros non offenderent, vtque pacem charitatemque custodirent: denique ne Ethnicis daretur occasio Christianæ fidei obtrectandi, si illa ciuili administrationi aliqua ex parte repugnare visa esset.

A N O N Y M V S.

P*Raeterea iubet Apostolus Principi ab omnibus tributum exolui, qui enim illud exoluit Principi; exoluit Deo,* Cui vectigal vectigal, Cui tributum tributum, sunt enim ministri Dei ad tributa, *quæ verba explicans Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas omnium Theologorum magister, vnicũ Catholicæ scholæ sol, ait quòd Clerici à tributo exsoluendo liberi sint, non sicut aliqui arbitrantur, à iure diuino, sed à secularium Principum priuilegio acceptum. Hoc demum authoritate S. Pauli de Principum potestate claudo.* Nõ enim, ait, sine causa gladium portat, Dei minister est ad vindictam. *en Principis secularis potestas puniendi noxios pœna sanguinis, quam cùm Ecclesiastici Præsules à Deo non habeant, si forte Clerici deliquerint, eos Ecclesiastica dignitate exuunt, ineptosque ad eandem sustinendam pronunciant, neque vlterius progrediuntur: si verò morte multandi sunt, tradunt eos brachio seculari. & ne quis existimet verba illa Apostoli consilij potius esse quam præcepti, vt rem omnem confirmet, ait,* Deo necessitate subditi estote non solum propter irã, sed etiam propter conscientiam. *Ex quo habemus cogi nos omnino, seculari Principi obedire ijs omnibus in rebus, quas ab Apostolo edocti supra memorauimus.*

R E S P O N S I O.

HIsce in rebus illud primo loco animaduertendum est, confingi scripturę testimonia à nostro hoc, aut ad libitum deprauari, nusquam enim apud Sanctũ Paulum illa reperiri verba, *Sunt enim ministri Dei ad tributa.* neque illa. *Dei enim minister est ad vindictam.* & quamquam posterioris sententiam deprehendo, tamen nunquam putaui licere in scripturæ testimonijs, quæ ipsis Dei verbis tradita sunt, vel minimum quidem inuertere aut immutare; tunc præsertim, quando aliam omnino sententiam efficiunt, vt illa sunt, *Sunt enim ministri Dei ad tributa*; nam Sanctus Paulus non ait, Principes DEI esse ministros ad

exigendum tributum, sed ad publicam quietem tuendam; vt exponunt Sanctus Chrysostomus, alijque Patres ea verba: *Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes*; neque S. Thomas, cuius tu auctoritate videris niti, nobis aduersatur; tributum enim Principibus veluti stipendium pro susceptis in administratione laboribus deberi contendit. & tamen certum est, stipendium Deo nullum exolui: ac proinde non sunt Principes Dei ministri ad tributa accipienda, sed ad populos regendos. Cùm igitur S. Thomas ait: *Hoc ipsum*, id est pro ipso non significat pro Deo, sed pro recipiendo tributo seruientes, vbi noster hallucinatus est: quod vero S. Thomam affert, vt ostendat Ecclesiasticos à persoluendis tributis, Principum beneficio liberatos; hoc quidem confirmat S. Thomas, historijsque congruit, vt inferius dicemus; non tamen ait ille, id quod ei falsò videtur auctor tribuere, hoc illis iure etiam diuino non deberi; imo contrarium plane habet, dum tradit Principum beneficio à persoluendis tributis Ecclesiasticos liberatos esse, eo quod ita naturalis æquitas postulet. Qua in re nihil aliud voluit, nisi Principes naturale ius, quod etiam diuinum est, esse amplexos. Quod verò ad postremum attinet, vbi pernegat Anonymus vllam esse in Ecclesia potestatem, morte quenquam mulctandi, nō video à quibus id acceperit, nisi forte à Vualdensibus hæreticis mutuatus est, ab Hussitis, & à Marsilio Patauino alijsque huiusmodi, qui Ecclesiæ vtriusque gladij negabant potestatem. Non inficior sane Ecclesiam huiuscemodi capitalibus pœnis non vti, non ea quidem de causa, quod ipsius potestatem excedant, sed vt Ecclesiasticam potius mansuetudinem custodiat, quæ ab huiusmodi abhorret supplicijs. Audi, si placet, quod ait S. Bernardus lib. 4. de consideratione ad Eugenium Pontificem: *Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exerendus est: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris*: Quod Sancti Bernardi testimonium confirmauit deinde Bonifacius Pontifex in extrauag. vnam sanctam, de maiorit. & obedient. Concludit auctor: aitque Sanctum Paulum cùm obtemperandum scribit Principibus, non consilium dare illis verbis, sed imperare. quod quidem verum est: sed vt supra exposuimus, intelligendum: eos nimirum qui iusto aliquo nomine Principi subditi sunt, ijsque in rebus, quæ in illius cadunt potestatem, obtemperare debere. Ex quo etiam fit seculari Principi Ecclesiasticos, quod excepti sint, subiectos non esse; sed laicos tantummodo, eosque in ciuilibus negotijs, quæque Dei præceptis non aduersantur. Vnde & illud intelligi potest, quanto scelere hodie se Venetorum Respublica obstringat, quæ non solum Ecclesiasticos habet in vinculis, sed per vim tum illos, tum etiam laicos ad violādum Summi Pontificis interdictum compellit, cùm negotium illud planè sit spirituale, atq; Ecclesiasticum.

(?)

A

SECVNDA ANONYMI PROpositio.

CHristus seruator noster etsi, quatenus Dei filius Patri æqualis, Rex est regum, & dominus dominantium, tamen mortali corpore indutus, tum ante obitum, tum post sanctissimam Resurrectionem, temporalis Principis potestatem nunquam exercuit, Regnum temporale non habuit, vt à Pilato interrogatus, Rex es tu? Tu dicis, respondit. *Sed tamen, te (inquit) monitum volo; quamuis Rex sim,* regnum meum non esse de hoc mundo, *hoc est temporale: Quapropter cùm populi, qui ab illo diuinitus quinque panibus ac duobus piscibus saturati sunt, Regem illum creare tentarunt*, aufugit, ne raperent, &
B facerent ipsum Regem, *neminem iudicare voluit: illisque, qui postulabant, vt de ipsorum controuersia sententiam ferret, respondit*, Quis me constituit iudicem super vos? *imo Pilatum Cæsaris ministrum iudicem suum agnouit*, Non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper: *vt animaduertit S. Thomas in epist. ad Romanos.*

RESPONSIO.

SEcūda hæc propositio nihil ad nostrā controuersiam: quæ non de Regnis temporalibus, sed de Ecclesiasticis est rebus. Illud tantum facit, quod auctoris deprauatum animum lapsusq; patefacit. Aio igitur Christum, quatenus homo erat, nullam in hac vita secularis Principis potestatem exercuisse. ad patiendum enim & seruiendum venerat, vt ipse-
C met dixit, vtque homines diuitiarum, & honorum contemptum doceret, atque humilitatis & obedientiæ exemplo superbis ac contumacibus beatæ vitæ iter commonstraret. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Matth. 20. *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Luc. 9. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, qui propter nos egenus factus est, cùm esset diues.* 2. Corint. 10. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* ad Philipp. 2. Sed illud author omittere non debuit, Christum, modo libuisset, etiam vt homo erat, rerum omnium temporalium dominationem accipere potuisse, seque Regem aut Imperatorem pro arbitratu creare. ait enim S.
D Ioann. cap. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.* & S. Paul. c. 1. epist. ad Hebr. *Quem constituit hæredem vniuersorum.* Malè etiam dixit, Christum, post resurrectionem, temporalis Principis potestatē non vsum: siquidem (vt addere oportebat) ille post Resurrectionem vniuersum terrarum orbem, etiam vt homo est, regit, non quidem temporalis Princeps, sed æternus, temporalib. omnibus superior, vt initio Apocal. testatur S. Ioā. *Qui est primo genitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* & ipse. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Matth. 28. quæ potestas proprie temporalis non est, quia æterna, rebus tamen omnibus temporalibus præest atque æternis. Pilatum vero à Christo Iudicem suum agnitum fuisse, sine magno profecto er-

roris

roris lapsu duci non potest. nam Christus, etiam vt homo, summus erat Pontifex cum potestate excellentiæ; imo caput erat hominum, & Angelorum, quare neminem se in terris superiorem habebat, neque ab vllo vocari in iudicium poterat iure, licet de facto vocatus fuerit, vbi ipse permisit. Atque hoc significauit Apostolus cùm dixit. *Humiliauit semetipsum.* Philipp. 2. Porro illis verbis, *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* quibus videtur Christus Pilatum Iudicem à Deo in sua causa constitutum agnoscere, respondetur, ibi per potestatem, permissionem intelligi, & sensum esse, futurum fuisse, vt Pilatus nihil contra Christum aggredi posset, nisi permisisset Deus; quæ etiam illorum verborum sententia est, *Hac est hora vestra & potestas tenebrarum.* Luc. 22. Hanc responsionem afferunt S. Chrysostom. & S. Cyrill. in cap. 19. S. Ioann. Sed quoniam S. Thomas in cap. 13. epist. ad Rom. allata S. Ioann. verba de potestate intelligit, quam seculares Principes à Deo acceperunt; confirmamus potestatem, qua Pilatus, vt Cæsaris minister, præditus erat, à Deo manasse: à quo omnis vera potestas proficiscitur. Quòd vero etiam Christi causam attingeret, id ex Pilati inscitia oriebatur, qui Christi dignitatem ignorabat, eumque vt priuatum eius regionis, cui ipse præerat, hominem iudicauit: quo modo, si nunc ad secularem Iudicem sacerdos, laici nomine, ac vestitu, postularetur, posset quidem, quod ad se pertinet, in illum eadem authoritate, qua in cæteros laicos ferre sententiam; non tamen hinc sequitur Clericos laicorum iudicio subijci, aut Christum olim Pilato fuisse subiectum.

A N O N Y M V S.

T*Andem præcepit, vt tributum seculari Principi hoc est, Cæsari penderetur.* Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. *Nonnulli hanc propositionem oppugnant, dicuntque etiam si Christus Cæsari tributum tum suum, tum Petri persoluerit, dixisse tamen se nulla tributorum lege teneri.*

Nunquid filij debent soluere tributum? *quibus verbis temporalis Principis authoritatem ostendit, qui ab exoluendi tributi necessitate liber est. His tamen ita respondetur eius regionis homines (vt Doctores quidam affirmant) filios appellatos, nullis tributis obstrictos fuisse, ac proinde Christum ac Petrum non legis necessitate; sed sua sponte soluisse didrachma; aut vt melius dicam, se Deum significauit, intellexitque à Dei filio nullum tributi genus exigendum. Sed quoniam nimis abditum hoc erat sacramentum, quodque Publicani illi qui tributum curabant, minime intellexissent, subdit.*

Sed ne scandalizentur. *Ex quo colligitur, quanti fecerit seruator noster eorum, qui secularium Principum administri sunt, offensionem, siquidem veram, cur tributi lege non teneretur, rationem, ipsis obscuram attulit.*

R E S P O N S I O.

IMperasse Christum vt Cæsari tributum penderetur, verum est; sed minime ad rem; nemo enim adhuc negauit tributum Principibus persoluendum esse ab ijs, qui ea lege obstringuntur, vt ait Sanctus Paulus. *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum; cui vectigal vectigal.* ad Romanos 13. sed quod ad Christi tributum attinet, videtur, tibi Marsilij Patauini hæresis vehementer placuisse, qui dixit Christum, *Non condescensione sed necessitate coactum*, tributum exoluisse quæ hæresis à Ioann. Pontif. 22. damnata est Extrauagan. licet. vt refert Cardinal. Turrecrem. in summa de Ecclesiast. libro quarto. parte secunda. capito trigesimoseptimo, non enim aliud adducis nomen, vt ostendas Christum tributi lege solutum, nisi quod eius erat Regionis, cuius homines filiorum nomine vocarentur, & quod Deus esset Deique filius. Ac prima quidem ratio futilis plane ac inanis est; tantum enim abest, vt illius regionis homines à tributo persoluendo liberarentur, vt solos ipsos ea lex complecteretur, vt patet ex cap. 30. Exodi, quo loco omnibus filijs Israel imperatum est, vt singuli dimidium siclum, id est, drachmas duas tributi nomine penderent: quod deinde tributum vsurparunt Romani, vt scribit Ioseph. lib. 7. de bello Iud. cap. 26.

Secunda vero Christum tantum excipit, vt Deus est, non vt homo, ac proinde vt homo, tuo quidem iudicio tributo obnoxius erat. At hoc ipsum est quod in Marsilio damnatum Catholici omnes explodunt. Idem ex tua argumentatione colligitur. dum enim ostendere vis Christum Principem temporalem non fuisse; illud vltimo loco adducis tanquam robur causæ, quod ipsemet vt Principibus secularibus soluerentur tributa, præcepit. Quæ ratio nullam habet vim, nisi addas tributum à Christo persolutum. Et quoniam hic potissimum tui argumenti vis sita est; propterea obijcis tibi, aisque quosdam aliter sentire, cùm dicant Christum tributi necessitate non fuisse obstrictum; sed illud libere persoluisse, ne in Cæsaris ministrorum offensionem incurreret.

Iam ex te quæro, Christusne, vt homo erat, hac tributi lege tenebatur? si ais, iam Marsilium hæreticum Ducem sequeris; si negas, nihil valere tuum argumentum fateris, neque ad rem loqueris. Sed his omisis, Christus vt homo erat, atque Apostoli ab eo tributo liberi erant. Christus enim vt homo persona non erat humana, sed diuina, neque adoptiuus, sed naturalis filius Dei, qui Rex est super omnes Reges: atque ea de causa tributum nulli Regi pendere cogebatur. Et quoniam si Princeps à tributo liber est, familiares etiam liberi esse debent; propterea Apostoli, qui familiam Christi conficiebant, ab huiuscemodi onere soluti fuerunt. Hinc colligunt S. Hieronym. in cap. 17. Matth. & S. Augustin. lib. 1. quæstionum Euangel. quæstio 23. Clericos Principum secularium, quibus tributa imperantur, legibus non adstringi, eo quod Chri-

sti familia, in qua ipsi censentur, Domini ratio ne, ab ea necessitate excipitur. Reliqua, quæ in hac propositione adiicis, libens omitto: nihil enim faciunt contra nos, atque ita sunt leuia, vt responsionem perdere nolim.

TERTIA ANONYMI PROpositio.

CVm Christus Dominus noster tēporalis Principis auctoritate vsus non sit, dicendum minime est illam ab eo, sancto Petro, eiusque successoribus suis Vicarijs relictam. Vicarius enim Principe suo maior non est. quare optime Sotus in quartum Sent. & Cardinalis Bellarmin. de auctoritate Papæ, de hac eadem re agentes, mirantur Canonistas, quod nulla vel ratione, vel noui testamenti auctoritate adducti affirmare ausi sint Pontificem Dominum esse totius orbis terrarum directe in temporalibus; quod non minus est inane quam pessimi exempli. Sat scio proferri præter Canones (qui, cùm leges sint humanæ vbi diuinis aduersantur, nullam habere possunt auctoritatem) proferri, inquam, sanctum Thomam Aquinatem de regimine Principum, qui cap. 10. & 19 ait Summum Pontificem dominum esse totius orbis terrarum in temporalibus & spiritualibus: verum ille liber sancti Thomæ non est, vt optime demonstrat Cardinalis Bellarminus in lib. de potestate Papæ.

RESPONSIO.

TErtia hæc propositio secundæ persimilis est. nam neque id efficit, quod auctor sibi proponit, & animi prauitatem corruptamque in scriptorum afferendis testimonijs fidem declarat. Non cōficit quidem, quod ipse vellet: quoniam demonstrandum sibi proposuit excommunicationis sententiam atque interdictum à D. N. Paulo Papa V. aduersus Venetos latum irritum esse; ad quod probandum idem valet dicere, Pontifex totius orbis terrarum Rex temporalis non est, ac si dixisset; Rex Gallorum neminem ad triremes damnare potest, quod Episcopus non sit. Nam ad ferendam excommunicationis, aut interdicti sententiam nulla requiritur auctoritas Regia & temporalis, sed Pontificia & spiritualis; sicut contra vt quis alium ad triremes damnet, non est necesse vt spirituali potestate sit præditus, cum sola temporalis abunde sit satis. Laborat præterea vehementer eius fides in afferendis scriptoribus, vt ex locis patet, quæ tum à Soto, tum à Bellarmino mutuatus est. neuter enim tam intemperanter loquitur, vt dicat se mirari quod Canonistæ nulla ratione, nulla sacrarum Scripturarum auctoritate compulsi affirmare ausi sint, Papam totius terrarum orbis Dominum directe in temporalibus esse, neque vspiam hanc doctrinam inanem seu mali exempli appellarunt. Legantur illorum scripta: nunquam tamen istiusmodi, quam hic sibi fingit, admonitio reperietur: imò nunquam eam opinionem Canonistis absolute adscripsimus. non enim ignoramus etiam ipsos inter se dissidere. Sotus quidem Ioannem Andream ad suam tuendam sententiam affert, & Bellarminus Turrecrematam, ac Nauarrum: afferre etiam poterat Innocentium Quartum in cap. nouit, de iudic. & Glos. ibidem vbi hac distinctione vtitur *directè, & indirectè:* Dissensio vero, quæ inter hos est auctores, non contendit vt Pontifici summa in temporalibus rebus potestas vel adimatur, vel tribuatur. eam enim omnes illi, vnis exceptis hæreticis, à DEO demandatam fatentur, sed in modo potius sita est. nam aliqui crediderunt eam potestatem ita esse apud Pontificem, sicuti apud Principes est seculares. Alij vero existimarunt Pontificis potestatem proprie ac per se esse in res spirituales, & ratione illarum ad res etiam temporales summa auctoritate pertinere: vt egregie inter cæteros ostendit auctor opusculi de regimine Principum libro tertio, cap. 11. & 13. siue ille sit sanctus Thomas, siue alius quispiam. nam Bellarminus non negat omnino illud opus à sancto Thoma conscriptum, sed aliorum refert ea de re non incongruam dubitationem. nam ibidem narratur quiddam, quod post sancti Thomæ obitum accidit. & idem Bellarminus ait optime stare posse, vt quod narratur ab alio, postquàm Diuus Thomas excessit vita, in eo libro insertum sit. atque idcirco huiusmodi responsione omissa aliam longe firmiorem affert, cùm eius libri locum alijs, eiusdem multis explicat locis. sed nulla est Anonymo danda venia, quod adeo temere in sacros Canones obloquutus sit. ait enim: *Sat scio proferri præter Canones (qui cùm leges sint humanæ, vbi diuinis aduersantur, nullam habere possunt auctoritatem) proferri, inquam, sanctum Thomam, &c.* quæ verba maximum profecto sacrorum Canonum contemptum habent, & qualem nunquam Catholicus vir vel imprudenter effutire ausus sit. hic enim, vt patet, nihil laborat, vtrum id, quod docet, sacris Canonibus consentiat, necne. imo (quod peius est) responsionem ad illos superbissime omittit, ac si nullius essent ponderis; præterea cùm eos leges humanas appellat, perinde quasi Spiritu sancto assistente non essent conscripti, valde diuersa ratione loquitur atque sancti loquuntur Patres, qui eos semper & sacros, & sanctos, & à DEO traditos nominarunt.

Audi sanctum Leonem Anatholio scribentem: *Nimis hæc improba, nimis sunt praua, quæ sacratissimis Canonibus inueniuntur esse contraria.* Addit demum noster Canones cum diuinis legibus collatos æquam non habere auctoritatem, vbi Canones hac in re diuinis legibus oppositos ostendit; ac proinde nihili faciendos. Quid hoc aliud est quam non solum sacrorum Canonum auctores impietatis atque impudentiæ insimulare, quasi leges diuinis præceptis aduersas tulerint, sed etiam vniuersam Ecclesiam exagitare, quæ eosdem Canones vt suamet instituta per summos Pontifices perque sacra Concilia à Spiritu sancto tradita colit atque obseruat?

(?)

ANONYMVS.

VT vim huius propositionis infringant nonnulli, aiunt ab Alexandro VI. Pont. diuisum Hispaniæ, & Lusitaniæ Regibus India Regnum: Cuius ille vt Christi Vicarius, naturalis Princeps esset, temporalis. Præterea à Leone Tertio Occidentis Imperium eadē de causa Carolo Magno concessum. Sed planissime decipiuntur: nam Alexander non vt Dominus, sed vt Iudex compromissarius à Regibus ipsis ad sedandam discordiæ flammam electus, lata inter eos sententia decreuit, vt maria vtrinq; velut apposito termino secarentur: æquè vt alterius classis in mari altero, in altero alterius nauigaret, & quodcunq; intra eos terminos iure belli sibi peperisset, iure ad eos deuolutum iuxta regnorum diuisionē videri, vt tradunt historici. Leo III. cùm sua Sede à Populo Romano depulsus esset, paulò post à Carolo Magno restitutus, vere quidem dedit operam vt Populus ipsi Carolo tanquam Imperatori acclamaret, vt testatur Platina: atq; eam Caroli electionem modo Historici Populo Romano tribuunt; qui cum Imperium perperam à Græcis administrari animaduerteret, antiquo suo iure alium Imperatorem elegerit: ijdem modo affirmans Carolum iam per se regionum Dominum Imperatoris sibi nomen ab Irene, & Nicephoro coēmisse, modo Irenem ac Nicephorum illi electioni consensisse. demum quomodocunque se res habeat, certum est Pontificem qui è sua sede depulsus erat, neq; vllam obtinebat regionem Occidentis Imperium Carolo minime permisisse, qui eo pridem iure belli potiebatur.

RESPONSIO.

SIcut propositio non facit ad rem, ita neq; rationes quæ vtrinque afferuntur: idcirco in eo tantumodo morabor, vt noui huius Theologi errata aperiam. Ait igitur ab Alexandro VI. constitutum in Indico mari inter Hispaniæ, ac Lusitaniæ Reges terminū, decretūq; ab eo, vt quodcunq; in suā potestatē redigissēt, illo iure belli potirentur. Si eo verbo, *iure belli* iustum intelligit bellum, quod illatam prius ab ijs iniuriam postulat, quibus bellum infertur, vt explicat S. Augustinus in lib. quæstionum super Iosue quæstio. 10. non fallitur. Sed si putat Ethnicis Indiæ populis bellum iure inferri, cùm nullæ præcesserint iniuriæ, ea solum de causa & regiones suo Imperio quis adijciat; vehementer errat, & contra omnes ferè optimos Theologos sentit. vt contra Cardinalem Caietanum in Commentario secundę secundæ quęstion. 66. articul. 8. & Sotum quinto de iustitia & iure quæst. 3. artic. 5. & in quarto sententiarum distinct. 5. quæst. 1. articul. 10. & Victoriam relectione secunda de iure belli, qui aiunt Ethnicos Indos veros esse ac proprios suarum regionum Dominos. nam vt docet sanctus Thomas 2.2. quæst. 10. artic. 10. fides, & gratia naturam nō tollit, ac proinde neq; iustum dominatum, quo quis antequam fidei Christianæ nomen daret potiebatur: quam etiam ob causam dicit Sotus ab Alexādro VI. eo nomine traditam fuisse Indiæ possessionem Castellæ, & Lusitaniæ Regibus, vt cùm Concionatores in eas regiones mitterentur, armatos ipsi adijcerent milites tum ad eorum, tum ad nouorum

A Christianorum defensionem. Addi etiam potest, Alexandrum Christianæ Reipublicæ caput, cùm imminens inter Christianos Principes belli ob Indorum Commercium periculū animaduerteret, statuisse vt Castellæ Rex ad Indias tantum Occidentales, Lusitaniæ ad Orientales nauigaret. Attingit præterea Anonym⁹ trāslatū à Leone III. Imperium, & cùm non ignoret controuersiam, quæ hac de re magna est inter Matthiam Illyricum Lutheranum hæreticum, & Bellarminum visum est illi: (vt peiorē semper sequitur partem) hæretici erroribus insistere: atq; ita testatur à populo Romano Carolum Magnum Imperium accepisse, seu Imperatoris nomen ab Irene & Nicephoro pecunia emptum, seu demum Irenem & Nicephorum eidem diuisioni assensos. Postremò certū

B esse ait Occidentis Imperium Carolo Magno à Pontifice non demandatum. Et tamen Bellarminus triginta tribus allatis historicis, decem Imperatorum, omnium Imperij electorum, septem Summorum Pontificum testimonio, clarissimisq; argumentis, consideratis diligenter singulis iusti Imperij nominibus, docet in Carolum Magnum translatum à Leone III. Pont. Max. Imperium. Ex quo habemus tum Illyrici tum noui huius Theologi sententiam inter historicos hæresim, inter Theologos temeritatem appellari posse; nam & omnibus Historicis repugnat, & sacris Canonibus. Innocentius III. vt reliquos omittam in capite Venerabilem, de electio. ita loquitur; ***Romanum Imperium in personam magnifici Caroli Sedes Apostolica à Græcis transtulit ad Germanos.*** & Clemēs

C V. vna cum Concilio generali Viennensi in Clementina, quæ incipit *Romani Pontifices*, idē habet. Quomodo igitur temeritatis crimen nō subeat, qui duorum Summorum Pontificum, atque vnius generalis Concilij auctoritatem nihili æstimandam putet? Neq; verum est Platinam cum aduersario consentire. solum enim refert à Pontifice, Populi Romani tum decreto, tum rogatu, Carolum Imperatorem creatum, hoc est, Populum Romanum decreuisse vti rogaretur Pontifex, quo Carolum Imperatorem crearet. Neque itidem verum est à Carolo Romanum Imperium partum esse iure belli: (nullum enim ipse bellum gessit aduersus Romanos) neque illud: coēmisse nimirum ab Irene, & Nicephoro Imperatoris nomen. sunt enim ista Matthiæ Illyrici vanissima figmenta.

D neque verò Imperium à Populo Romano Carolus accipere potuit. nam nec Populus, nec Senatus creandi vnquam Imperatoris ius habuit: omnesque ab exercitu, aut ab alijs Imperatoribus electi sunt. Propterea Maximus, & Balbinus, qui à Senatu electi fuerant, mox à militibus qui imponi sibi à Senatu Imperatores ægrè ferebant, sunt interfecti, vt testatur Herodianus, lib. 8. histor. idcirco ait sanctus Hieronymus epist. 85. ad Euagrium, Imperatores ab exercitu creari consueuisse. Demum non impendit, quominus Imperium Leo transferret in Carolum, quòd eodem ipse Leo non potiretur, non enim possessionem illi tribuit, sed nomen ac ius, ob quæ legitimus earum Regionum Princeps esset in posterum, quæ ab Occidentalibus Imperatoribus

regebantur, dignitatem præterea, & prærogatiuam impertitus est, quibus fuerunt reliqui illi Imperatores ornati. neque ad hoc faciendum necesse fuit, vt Pontifex Imperium obtineret; sed satis erat, si Pontifex esset, hoc est, si Apostolica auctoritate præditus; quæ quidem auctoritas dum ita Christianæ Reipublicæ necessitas, aut vtilitas postulet, & Reges Imperio exuere, & dominationes transferre potest, sicut non raro à Romanis Pontificibus factum esse non ignoramus.

QVARTA ANONYMI PROpositio.

AVctoritas quam Petro se daturum Christus Seruator noster sub clauium similitudine pollicetur, mere spiritualis est. Tibi dabo claues Regni cœlorum; *non ait Regni terrarum, & ratio id docet, quod in Ecclesia hymno legitur,* Non eripit mortalia, qui Regna dat cœlestia, *nam temporale Regnum, & Monarchia, qua ratione esset administranda, iam ab ipsis mundi primordijs maximi Principis Dei auctoritate firmatum erat. itaque Christus Seruator noster temporalem Monarchiam non instituit. Relinquitur igitur instituisse spiritualem, quod apertum est ex Ioann. cap. 20. vbi postquam dixisset,* Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. *tamen limitatam eam. S. Petro caterisq; Apostolis impertitur:* Insufflauit, & dixit, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. *Quo loco, tum ex eo quod Christus fecit, tum ex verbis, quæ protulit elicitur Summi Pontificis auctoritatem spiritualem esse; & super peccato atq; in animas tantummodo iuxta illius orationis verba, qua vtitur Ecclesia in festo S. Petri.* Qui B. Petro potestatem animas ligandi atque soluendi tradidisti; *quæ potestas, vt dixi, limitata est. imo excommunicandi auctoritas eidem S. Petro concessa, est conditionalis. Matth.* 18. Si peccauerit in te frater tuus, & Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, *quo loco Christus auctoritatem quidem tribuit excommunicandi, sed peccatum prius requirit, & pertinaciam, siue obstinationem.*

RESPONSIO.

HIc bonus vir adeò Summi Pontificis auctoritatem imminuit, vt lectores in eam suspicionem adducat, vt velit Pontificem nihilo plus valere, quàm vnum ex reliquis Sacerdotibus, aut Parochis, nullam apud ipsum esse iurisdictionem, nihil posse aliud, nisi, vt hortetur ad diuinæ legis obseruantiam, Christi fideles Baptismo abluat, confessiones audiat sicut Parochi faciunt. Atque ita videtur VValdensium, VVicleffi; Patauini Marsilij, Ioannisque Hus hæresim velle restituere, quam hodie recentiores omnes hæretici amplectuntur: sed ad ipsius verba accedamus. Ait primum Pontificis Romani auctoritatem mere esse spiritualem, quid sibi vult illud, mere? nonne satis erat dixisse spiritualem: nonne melius appellasses præcipue spiritualem? Nauarrus, quem tu tantopere extollis, quemque omnes hortaris, vt legant, capit. nouit. de iudic. optimisque nixum fundamentis dicis, fatetur quidem Pontificis potestatem mere temporalem non esse, nō tamen ait mere spiritualem, ac si nulla ratione temporales res administrare posit: imò subdit

A potestatem esse longe excellentissimam, quæ cùm per se spiritualis sit, atque idcirco temporali superior, potest ac debet temporalem dirigere, sicubi de recta deflectat via, vt supra dictum est. Neque officit quod Christus dixerit, *Tibi dabo claues regni cœlorum.* non autem dixerit, *Tibi dabo claues regni terrarum*; neque verò illud Ecclesiæ, *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia*; hæc enim nihil aliud significant, nisi Christi regnum, cuius Sancto Petro administratio demandata est, eiusmodi dominatum non esse, vt comparari non posit, quin alius eodem spolietur, sed Regnum esse, quod alia omnia Regna gubernat, neque tamen his dominatum adimat, qui eo iuste potiūtur. Quod si hæc non ita se habent? ne Deus quidem in res temporales per te potestatem habebit. non enim

B Deus eripit mortalia, qui regna dat cœlestia. Deinde ais à Christo Apostolis sanctoque Petro limitatam potestatem, hoc est, in peccatum tantum concessam. nam apud S. Ioannem cap. 20. *Insufflauit, & dixit, Accipite Spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata, remittuntur eis.* At hoc quid est aliud nisi eorum hæresi subscribere, qui omnem Pontifici Ecclesiæque iurisdictionem eripiunt? atque illa non alijs quam Christi ipsius verbis, quę allatam modo sententiam eodem ipso capite præcedunt, apertissimi erroris conuincitur. Nā antequam diceret: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* dixit, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; quibus verbis absolutam, atque illimitatam administrandæ suo nomine Ecclesiæ potestatem cōcessit. Itaq; Theologi consentiunt his verbis: *Sicut misit me Pater

C & ego mitto vos*; potestatem iurisdictionis. illis autem: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*; potestatem ordinis significari. At cum infra S. Petro Christus dixit: *Pasce oues meas*, auctoritatem non coërcuit, ita vt absolutionē tantùm peccatorum complecteretur; sed amplissimam tribuit totius regendę Ecclesię. illud enim verbum, *Pasce*, idē est apud Græcos, atq; illud quo vtitur S. Ioannes c. 19. Apocal. *Et ipse reget eos in virga ferrea*; & quo Micheas ca. 2. iuxta Septuaginta Interpretum conuersionem: *Ex te mihi exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Itaque si sacræ Scripturæ loquēdi formam spectemus, idem fuit Petrum Pastorem fecisse, ac rectorē, gubernatorem, & Principem totius Ecclesiæ constituisse. Et cùm illi dixit apud S. Matth. ca.

D 16. *Quodcunq; solueris, quodcunq; ligaueris*; non ad peccata tantum potestatem arctauit, neque itidem ad personas: non enim dixit: *Quemcunque solueris, vel ligaueris*; sed *Quodcunque*, vt vniuersalem ligandi, atque soluendi, hoc est, præcipiendi, condendi leges, dispensandi, laxandi, prout res ferret, potestatē exprimeret: qua potestate in perducendis fidelibus ad beatitudinem sempiternam, tum ipse beatus Petrus, tum eius successores ius haberent præscribendi omnibus quid credendum, quidve agendum sit, singulaque impedimenta submouendi, quæ rectum salutis iter intercludere possent, vt fusius demonstrauimus libro primo de Pontifice. Tertio ait Pontificis potestatem ad animas tantum pertinere, atque id ex ea elicit precatione: *Deus qui beato Petro animas ligandi atque soluendi Pontificium tradidisti.* quæ ratio si

quicquam

quicquam valet, concludit etiam secularium Principum potestatem nonnisi ad animas pertinere. nam S. Paulus ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* quare hic auctor, aut nimis est simplex, qui non videat in sacris Scripturis *animam* pro ipso accipi homine, aut certe simplices homines, Ecclesiæ verbis, ad prauam sententiam detortis, in fraudem inducere contendit. Hinc fortasse non sine maxima Dei prouidentia factum est, vt ad huiusmodi deceptiones tollendas sacri Breuiarij reformatores ab ea precatione illud verbum, *animas*, sustulerint, idque iure optimo. nam & clam irrepserat, & perperam retinebatur: precatio enim ex illis conflata est, *Quodcunque ligaueris, & quodcunque solueris*, vbi nullum tale verbum reperimus. Postremo dicit excommunicandi potestatem conditionatam esse, & quæ peccatum ac pertinaciam, siue obstinationem necessario sequatur. quod nouitium inuentum plane falsum est. Cedo mihi aliquem Catholicum scriptoré, qui id monstrũ opinionis sit amplexus: Audeo dicere, Neminẽ vnquã dabis. Sequitur quidẽ (fateor) delictũ: nam cùm excommunicatio & pœna & grauissima sit pęna; sine culpa, atq; sine grauissima culpa quæ mortalis nõ sit, infligi minimè potest. Fateor etiã necessario antecedere contumaciam, neque vt quis excommunicetur, quodcunque sufficere peccatum; nisi etiam accedat contumacia. Dixit enim Christus: Si Ecclesiam non audierit. Quare non eam tantum ob causam excommunicari quis potest quod fur, aut adulter sit, nisi prius admonitus parere recusauerit. Sed valdè differunt inter se obstinatio atque inobedientia, seu pertinacia & contumacia. nam fieri potest, vt obstinato quis animo persistat in peccato, cuius nunquam ab Ecclesia sit monitus. atque hic quantumuis licet obstinatus, excommunicari non potest: contra vero alius contumax iure excommunicatus erit, etiamsi obstinato postea animo in ea non versetur cõtumacia. & Christi verba: Si Ecclesiam non audierit, proprie inobedientiam non obstinationem; contumaciam, non pertinaciã significant. Neque est quod in hac re corroboranda laborem. nam nihil æquè apud auctores obuium est legenti: aduersarius autem nihil ad suam probandam sententiam adduxit, præter vnius testimonij deprauatam, & perperàm intellectam sententiam.

QVINTA ANONYMI propositio.

Excipi tum personas tum Ecclesiasticorum bona à Principis secularis potestate, quamuis nonnulli nescio quo argumento permoti iure diuino existiment: aduersa tamen sententia, iure nimirum humano tantum excipi, melior est magisq; sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum dictis, historijsque consentiens.

Responsio.

SI vllo hic auctor obseruantiæ genere sanctam Ecclesiam coleret; nunquam adeò intemperanter, absoluteque diceret bona Ecclesiastica, ac personas ipsas à Principum secularium auctoritate, iure eximi tantummodo humano. nam Tridentinum Concilium sess. vlt. cap. 20. apertissime docet Ecclesiæ ipsius, atque Ecclesiasticorum immunitatem diuina ordinatione, Ecclesiasticisque legibus institutam. Et quis tandem erit, modo Christianum dici se velit, qui huiusmodi obsistere auctoritati non pertimescat? neque illam solam habemus; nam ante Tridentinum, Coloniense parte 9. cap. 20. idem edixit his verbis: *Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, iure pariter diuino, ac humano introducta, quæ in duobus potissimum sita est. primum vt Clerici, illorumq; possessiones & bona à vectigalibus, &c.* Et in Concilio Lateranensi sub Leone Decimo sess. 9. ita habetur: *Cùm à iure tam diuino, quàm humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes & singulas constitutiones, &c.* quæ verba è regione huius nostri auctoris temeritati opponuntur, qui ait Principes laicos, iure diuino, in Ecclesiasticas personas potestatem habere. Ex quo patet, quanta sit huius hominis impudentia, qui adeò perfricta fronte, ac si Philisthæi illius Goliath viribus præditus esset, cum Dei legionibus, hoc est, cum vniuersali Concilio in aciem prodire non veretur. & ante ea Concilia scripsit Bonifacius Pontifex in cap. Quanquam, de censibus, vt rem notissimam omniumque approbatione receptam, Ecclesiasticas personas, atque Ecclesiastica bona à seculari potestate, iure diuino soluta esse. & multo ante Ioãnes VIII. vt refert Gratianus distinct. 96. Can. *Si Imperator.* scripsit ab omnipotenti Deo constitutũ, vt Sacerdotes reliquique Clerici à solis Pontificibus non à seculari Principe ordinarentur, aut iudicarentur. Quodque hic de personis; prius de bonis Ecclesiasticis vna cùm vniuerso Concilio tertio, quod coram eo coactum fuerat, Symmachus Pontifex dixerat. in quo etiam Concilio legem de bonis Ecclesiasticis, Ecclesiæ vtilissimam, eo solum nomine, quod à laico homine lata esset, Patres Concilij reiecerunt. & quod caput est sacris Scripturis mirificè congruit. nam vt habemus in lib. Genes. cap. 43. Ioseph Patriarcha cùm Pharaonis nomine vniuersam AEgyptum regeret, Sacerdotes ijs oneribus liberauit, quæ reliquus ferebat Populus. & lib. 1. Esdræ cap. 7. Artaxerxes Persarum Rex Hebræorum sacerdotes exoluit. etenim naturalis ratio, quæ à Deo immediate pendet, id æquitati consentaneum, imò & planè debitum esse demonstrat. Itaque Alexandri III. Pontificis in Concilio Lateranensi egregium illud dictum habemus cap. Non minus. de immunitate Eccles. *AEquum non est Dei Ecclesiam, sub Christianis Principibus, minus quàm sub Pharaone liberã esse.* Sed quæso videamus, quomodo id quod proposuit, cõfirmet Anonymus, qui adeò confidenter ait eorum opinionem, qui putant excipi Ecclesiasticos eorumque bona iure tantùm humano à Principis Secularis potestate, magis cum sacris Scripturis, Sanctis Doctoribus, historijsque conuenire.

Anonymvs.

NAM præter ea, quæ prima propositione diximus, Sacerdotes nimirum veteris legis Principi seculari subditos fuisse: præterquam

quòd etiam Salomon Abiathar summo Hebraeorum sacerdotio exuit, vt lib. 3. Reg. c. 2. narratur: toto primitiua Ecclesia tempore vsq, ad Iustinianum Imperatorem, nullum in iure legitur priuilegium, quo Ecclesiastici secularium potestate liberentur.

RESPONSIO.

NOn est, quod ea, quæ prima propositione cõfutauimus, hic denuò inculcemus. ostendimus .n. in veteri lege Sacerdotes ac Leuitas Ecclesiastico, non Seculari Principi paruisse. Et quoniam Anonymus Moysen Politicum Principẽ appellauerat, tum scripturarũ testimonijs, tum Sanctorũ Patrũ auctoritate eũ summũ Sacerdotẽ fuisse docuimus; ad id quod de Salomone obijcit, respõderi potest, Salomonẽ, vt Dei voluntatis ministrum, qui iam ante prædixerat se Heli posteritati finẽ impositurũ, id patrasse. atq; ea de causa subdit Scriptura, *vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* Prꝫterea quis vnquã Principis vnius facto vim inesse legis cõtendit? Quod verò ait ante Iustiniani tempora nullum in Ecclesia extitisse priuilegium, quo Clerici à Laicis liberarentur, magis est falsum, quã vt confutationẽ postulet. nam Cõstantinus, qui ducentis atq; amplius annis ante Iustinianum vixit, primusq; ex Imperatoribus fuit, qui palã se Christianum profiteretur, cõtinuò Ecclesiasticos à cõmunibus Reipublicæ oneribus solutos pronunciauit: vt habemus in eiusdem Constantini epist. ad Auilinũ, quã refert Eusebius li. 10. Ecclesiasticæ histo. c. 7. & præter hoc Constantini priuilegium multa extant in Cod. Theodosiano eorũ Imperatorũ, qui Iustinianum præcesserint, vt tuus refert Couarruuias c. 31. practicarum quæst. quas pro tua sententia protulisti.

ANONYMVS.

SAnctus Paulus ait: At tribunal Cæsaris sto, Cæsarem appello; *atque vt innumerabila exempla, omittam in vita Othonis primi Christianissimi Imperatoris habemus depositum ab eo auctoritate propria Ioannem XII. Pontificem, quod vir esset nefarius.*

RESPONSIO.

HVic argumento, quod olim à quibusdã hæreticis obiectum est, optimè respondit Card. Turrecremata lib. 2. summæ c. 96. S. Paulum ad Cęsarem prouocare coactum, eumq; Iudicem agnoscere de facto, non de iure: ea enim tempestate neque satis nota, neque credita S. Petri potestas erat, atque ita si Paulus dixisset nullum se Iudicẽ agnoscere, nisi Christi Vicarium; & Iudæorum risum prouocasset à quibus accusabatur, & Ethnicorum à quibus iudicabatur. quam ob causam ipsemet ait: *Coactus sum appellare Cæsarem.* Paucis autem ijs verbis, quibus Othonis Imperatoris, & Ioannis Papæ historiam complectitur, duo mendacia duosque errores interserit. Nam primum quidem illa duo, *auctoritate propria*, falsissima sunt, & de facto, & de Iure: De facto quidem, nam cùm Otho non ignoraret se Laicum Ecclesiastici hominis iudicium exercere non posse; à Concilio, quod Romæ coactum erat, petijt, vt quid esset agendum statueret: *Sancta Synodus quid decernat, edicat:* ita enim ipse locutus est: nõ igitur Otho Summum Pont. deposuit *auctoritate propria,*

A *propria*, sed auctoritate Cõcilij. De iure verò, quia apud nullum Catholicum Scriptorem reperire licet Pontificem ab Imperatore posse deponi. Imperator quidem à Pontifice potest, vt ab Innocentio III. Otho IV. ab Innocentio IV. Fredericus II. & multò ante à Gregorio VII. Henricus IV. depositi fuére. Itaque auctor hac in re consentientem habet neminem, nisi veteres recentioresque hæreticos, præsertim verò Marsilium Patauinum, vt testatur Cardin. Turrecremata lib. 4. Summæ parte 2. cap. 37. Sed ne à Concilio quidem iudicari potest Pontifex, nisi de hæresi postuletur: vt omnes Catholici auctores affirmant. Atque hic secundus est error Anonymi. nõ enim Ioannes XII. hæreticæ prauitatis, sed nequitiæ insimulatus est: ac proinde illud subire iudicium non poterat, & Conciliũ

B à quo ipse est depositus, ratum Concilium nequaquam fuit: sed schismaticum Conciliabulum atque acephalum, eaque de causa paulò post abrogatum atque abolitum. Legat qui id scire diligenter velit decimum tomum Cardinalis Baronij, seu si breuius cupit, additionem Onuphrij ad Platinam.

ANONYMVS.

QVod si exceptio est de iure diuino; cur Hadrianus I. Pontifex vult penes Carolum Magnũ auctoritatẽ esse Romani eligẽdi Pontificis, vt habetur ca. Hadrianus. *quod etiã fecit Leo VIII. vt Othoni I. gratificaretur, vt legitur eadem dist. quæ est 63. Canone In Synodo.*

RESPONSIO.

NOn possum non mirari vehementer huius argumenti subtilitatem. quid ad Ec-

C clesiasticorum exceptionem personæ ad Pontificatum nominatio? Hodie igitur Hispani Ecclesiastici nõ excipiuntur, quòd Rex vacuarũ Ecclesiarũ Episcopos nominet? vbicumque igitur est Ius patronatus, quia Patroni qui fere sunt Laici ius habent nominandi, ideone amissa est planè exceptio? Accepit ex Pontificis priuilegio Carolus Imperator, & aliquandiu retinuit, vt vacante Sede, aliquẽ ad Pontificatũ nominare posset; non tamen ideò Pontifici Imperator aliquid tribuebat auctoritatis, nec illã eidem vel eripere vel imminuere poterat; cùm vt supradictum est, personæ quam quis iure proposuit, aut alia ratione Canonicè elegit, ipsemet Deus Pontificalẽ potestatem impertiat; cuius ratione, iure diuino, superior, caput, Pastorque omnium Christianorum, seu priuato-

D rum, seu Principum efficitur. Idem dici posset de priuilegio, quod Leo Pontifex Othoni Imperatori concessit; nisi illud vanum, atque irritum fuisset. Idque respondemus, etiam si concedamus verum esse, quod scribit Gratianus in allatis Canonibus *Hadrianus*, & *in Synodo*. Sed illustrissimus noster idemq; doctissimus Cardinalis Baronius Annalium tomo 9. pag. 323. Gratiani lapsum apertissimè ostendit, neq; vnquam Imperatori Summi eligendi Pontificis priuilegium fuisse concessum. atque ita ruit Aduersarij argumentum, quod & male concludat, & falso nitatur antecedenti.

ANONYMVS.

DOctrina hæc non solum est Diui Pauli, vt prima propositione ostendi, sed etiam sancti Ioannis Chrysostomi, S. Thomæ Aquinatis, Soti

praestan-

præstantissimi Theologi dist.25.4.sententiarum.Couarruuias cap. 31. practicarum quæst. Qui pro sua sententia affert Innocentiũ III. Pontificem, Alciatum,Ferrariensem,Medinam,& alios.Porro duo hi Doctores, id est, Sotus & Couarruuias magni hac in re sunt faciendi: cùm vterq; post Tridentinum Concilium scripserit.

RESPONSIO.

SAnctus Paulus & S.Ioannes Chrysostomus non loquuntur de exceptione Ecclesiasticorum, sed tantum docent parendum esse ab omnibus suo superiori, vt iam à nobis ostẽsum est.S.Thomas non negat exceptionem esse de iure diuino; sed affirmat esse de iure humano.fieri enim potest vt sit, immo & est, pariter de humano atq; diuino, vt sacri dicunt Canones. Sotus quanquam negat exceptionem proprie de iure esse diuino, dicit tamen rationi naturali valdè consentaneam, negatq; Principem vllum aut etiam omnes,si vna coëant,illi quicquam detrahere posse. Quare aperte id quod docet Sotus, Venetorum facta reprehendit, qui tot modis Ecclesiasticorum immunitatem violare non dubitant: perindequasi in eorum esse potestate eam ad libitum & abolere & restituere.Nec verum est post Tridentinum Cõcilium Sotum scripsisse. nam quãquam primis sessionibus interfuit, quæ sub Paulo III. celebratæ sunt, obijt tamen prius quã absolueretur Cõcilium: atq; ita vltimum illud decretũ quo immunitatem Ecclesiasticam atq; Ecclesiasticarum personarũ diuina ordinatione inductã fuisse declaratur, non vidit;si.n.vidisset,nulla profectò ratione cõtra opinari ausus esset Couarruuias nimis semper Regiæ potestati fauere visus est,sed tamẽ,ipse quoq;docet potuisse iure Ecclesiasticos à Summo Pontifice excipi, ne seculari potestati subijcerentur, nullumque quamuis summum Principem istiusmodi immunitatem abrogare posse.Ex quo etiam patet ab ipsomet Couarruuia Venetorum facta damnari.Quare auctor non satis intelligit,quid sibi velit,cùm ait duos hosce scriptores maximi faciendos. Postremo tacendum non est, id quod ait Anonymus à Couarruuia pro ea sententia proferri Innocentij III. testimonium:nam hoc loco duo notanda sunt errata,auctoris alterum, alterum Couarruuiæ. Errat auctor: quia Couarruuias nunquam ad se tuendum Innocentium III.attulit, quem sibi aduersari intelligebat.Errat Couarruuias;quia Innocentium IV. in suam sententiam citat Commentario in caput secundum de maiorit.& obed. Nam Innocentius IV. ibidẽ ait Exceptionem quæ à Summo Pontifice,consentiente Imperatore,profecta est,minime plenam esse; ac proinde fatendum à Deo ipso Ecclesiasticos Principum sæcularium potestati subtrahi.Qui poterat Innocentius IV. clarius dicere exceptionem de Iure esse diuino? & tamen Couarruuias dicere audet negari ab Innocentio IV. esse de iure diuino. Quare Panormitanus in c.Nimis de Iureiurando refert Innocentiũ IV.existimare exceptionẽ Ecclesiasticorũ esse de iure diuino.En quot mendacijs, quotque erratis pauca Anonymi verba sunt referta,qui Sotum & Couarruuiam citasse non contentus,illorum etiam argumenta subdit his verbis

ANONYMVS.

ATq; efficacissime id ab ijs probatur, nam præter affirmatiuam S.Pauli,S.Ioannis Chrysostomi,& S Thomæ auctoritatem, præter primitiua Ecclesiæ consuetudinem, duo afferunt negatiua argumenta validissima,hoc est,si Clerici, & bona Ecclesiastica iure diuino excipiuntur, vbinam habetur istud ius? quo in Euangelio? qua in Apostolica Epistola? quo in libro noui, seu veteris testamenti?Alterum est,neminem secularem Principem Christianum, qui publicam quietem, optimamq; Reipublicæ administrationem spectet, hac re moueri, quominus ijs exceptionibus frui sinat Ecclesiasticos, quibus ipse velit,ijsq; quibus nolit, exuat.& quanquam nonnulli Canonem vt legem humanam accipiunt, tamen vt ex ijs,quæ prima propositione docuimus,elicitur,intelligi debet Principis priuilegium, & consuetudo,quam Princeps dissimulauerit,aut receptus Canon, qui supra ius diuinum non est. Cùm ergo secularis Princeps potestatẽ habeat in oẽs sibi subditos iure diuino, non video quomodo illi hæc potestas vel minui,vel eripi à Canone possit,qui ius est humanum cõmuni iurisperitorũ axiomate: quotiescunq; cõcurrunt duo iura,minus debet credere maiori.

RESPONSIO.

AFfirmatiuis rationibus iam supra responsum est:neq; erat quòd ad volumen augendũ id toties inculcaret Auctor sine causa.Primæ rationi negatiuæ respondetur, hanc rem à plurimis Catholicis auctoribus tum Theologis, tum Canonistis fuse ac diligenter pertractatam; in quorum libris sententiæ ipsorum fundamenta quærenda sunt, & nos breuiter supra quædam noui ac veteris testamenti loca significauimus, vt Genes. cap. 47.libri primi Esdræ cap.7. & Matth. 17. *Ergo liberi sunt filij*, vbi filiorũ nomine intelliguntur Ecclesiastici iuxta ea, quæ sanctus Hieronymus,& sanctus Augustinus docent: neq; solum ius diuinum est illud,quod sacris literis continetur, sed naturale etiam lumen seu ratio & naturæ lex. atque ita Ioannes Driedo lib. 1. de libertate Christiana cap. 9. ait exceptionem Ecclesiasticorum esse de iure diuino: cùm eam & ratio & naturale lumen doceat: siquidem quisque per se naturaliter intelligit homines ac bona Deo dicata in illius esse potestate; nec æquum videri, vt Principes seculares vllum in ea ius obtineant. Quòd verò hæc sit naturæ inductio;aperte ex eo patet quod in omnibus sectis tum veris tum falsis huius exceptionis lex sancta semper,sanctèque custodita est. Ita legimus in libro Exodi cap.30.& Numer. cap.1. ad Heb. leuitas à tributis exemptos, in lib.Gen.c. 47. AEgyptiorum Sacerdotes, & apud Arist. libr. 2. Oeconomicæ Græcorum Sacerdotes. Idem de alijs Ethnicis habetur apud Cæsarem lib.6.de bello Gallico,apud Plutarchum in vita Camilli, & apud alios complures,qui breuitatis gratia omittuntur. Secundo itidem argumento negatiuo respondemus neque apud Sotum,neq; apud Couarruuiam haberi: sed illud ex suo extudit ingenio Anonymus. neque argumentum est, sed criminatio, sed calumnia aduersus omnes Principes,quos impij Machiauelli Sectatores facit, qui vtilitate tantum proposita, modo exceptionem Clericis tribuant modo adimant, suo arbitratu. Nos verò non

ignora-

ignoramus in Dei Ecclesia plurimos viuere Principes Religiosos ac pios, quique Deum vt par est, vereantur. Sed esto, nõ permittãt (quod falsum est) multi Principes in suis Religionibus exceptionem Clericorum, nisi quantum vtilitatis ratiõ postulat, quod tamen argumenti genus hoc esset? Multi Principes exceptionem nõ permittunt, nõ est igitur de iure diuino? Quod idem valet, ac si quis diceret: plurimi ex Christianis furantur, adulteri sunt, falsa testantur, non igitur erunt de iure diuino praecepta. *Non furaberis, non moechaberis, non falsum testimonium dices.* Ostendendũ prius erat nõ eos Principes, qui non nisi ad arbitrium suum exceptionem permittunt, nihil delinquere, aut iure agere: ac tum concludi poterat eam de iure diuino non esse: sed ex simplici facto, seu (vt melius loquar) ex simplici legis alicuius violatione colligi nequaquam potest eam legem de iure diuino nõ esse. Quae autem de iure humano disputat, num ius sit Canonicum seu Principum priuilegium, aut consuetudo, vanissima sunt. nam Ecclesiasticorum exceptio non solũ de iure est diuino, sed etiam humano omnibus quidem modis: nam & eam multi constituunt Canones, multae ciuiles leges, atque antiquissima consuetudo: neque hoc nisi qui nihil planè legerit, quisquã (vt arbitror) negauerit. Quod vltimo loco cõcludit saeculari Principi neque eripi neque minui potestatem in Ecclesiasticos quocunque Canone posse, cùm Canon ius sit humanum, potestas in Principe de iure diuino: falsum omninò est, atque ex falso principio ortum habet, omnibusq; Catholicis Doctoribus tum Theologis tum Canonistis repugnans. falsum quidem esse, planum est; nam plurimis Conciliorum ac Summorum Pontificum decretis legibus ipsis Imperialibus, naturali lumine, vt supra monstrauimus, aduersatur: ex falso etiam principio ortum habere in primae propositionis responsione ostendimus; vbi declaratum est Principum potestatem in Laicos non esse de iure diuino, ac proinde multo minus in Clericos. Aduersari demum omnibus Catholicis Doctoribus tum Theologis tum Canonistis patet: nam Sotus, & Couarruuias qui Principes sunt inter eos, qui Ecclesiasticorum exceptionem de iure diuino esse negant, scribunt à Summo Pontifice excipi potuisse Ecclesiasticos, omnesque Principes non posse hanc exceptionẽ non accipere, eorumque neminem, neque adeò omnes simul eam vel abolere posse, vel imminuere. idque illis ipsis locis aiũt, quae attulit Anonymus. Ex quo fit vt Veneti ab eo nouam doctrinam, erroneam, pessimi exempli, schismaticam, & seditiosam hauserint; quod si nouam esse perneget, nullos habebit socios nisi Haereticos, & schismaticos, praesertim verò fratrem Petrum Marrtyrem Lutheranum, qui in Epist. ad Roman. cap. 13. eadem plane affert, quae hoc loco Anonymus noster inseruit.

SEXTA ANONYMI PROpositio.

DVM Venetorum Princeps legitimus & naturalis sui Dominij Dominus, qui neminem in temporalibus praeter Deum superiorem vnquam agnouit, leges de Ecclesiasticis bonis fert, quae suo subiacent dominio, atque Ecclesiasticas personas in grauibus atque atrocibus casibus punit, & de bonis quae nondum in Ecclesiasticorum potestatem venerunt, disponit ea auctoritate, quam à Deo immediate habet, quaque nunquam se exuit, aut ob concessum priuilegium, aut ob receptum Canonem, imò cuius possessionẽ ab immemorabili multorum saeculorum non modo annorum consuetudine tuetur, non peccat. & ratio huius rei est, quòd qui non facit contra legem aliquam, non peccat; multo minus dicendum eum peccare qui legem obseruat.

RESPONSIO.

TAndem aliquando post multas ambages huc peruenit Anonymus, vbi ipsum iam diu opperior; quidque demum tanta verborum circuitione sibi vellet, aperuit. Sed quoniam loqui non didicit sine cuiusque generis erroribus; ita Venetorum Principem describit, dum eum naturalem sui dominij Principem appellat; ac si absolutus alicuius Regni Monarcha esset. Nam si Remp. ipsam Venetorum Anonymus diceret ea potestate gaudere, qua potiuntur Principes absoluti, & qui superiorem in temporalibus non agnoscunt; vere & proprie loqueretur: sed quod Principem Venetorum, quo nomine Ducem, qui Reipub. praeest, tum scriptores, tum populi ipsi Venetis subiecti passim vocant, naturalem Dominum appellet, plane intolerabile est. Nam si ita se res habet; actum est de Venetorum libertate, neque iure quis, nisi solo nomine, Rempublicam dixerit eam, quae & Dominum, & naturalem Dominum habet. Dominus est, si nescis, qui res suas suo arbitratu administrare potest, easque si velit, donare alteri, vendere, oppignerari, commutare cum alijs. ille praeterea naturalis est Dominus, qui haereditate, successione, natalibus, non electione aut donatione dominatum nanciscitur. Vtrum in Venetorum Ducem id cadat, vt naturalis sit Venetorum Imperij Dominus; eorum iudicio libenter permitto, qui illius Reipublicae instituta nouerunt. Addit praeterea Anonymus neminem à Venetorum Principe superiorem in temporalibus agnosci, praeter Deũ; quod quid est aliud nisi eum absolutum constituere Principem, nihilo secius quàm Regem, cui Respublica omnem suam potestatem demandarit. Sed si re, nõ solo nomine Respublica est, & libertatem, vt putat, integram tuetur; profecto vniuersam suam potestatem in Principe non collocauit, sed id tantum cum illo communicatum voluit, quod è re visum est: potestque eius auctoritatem, tum augere tum minuere, abrogare etiam, eundemque capite mulctare, vbi dominationem occupare velit, vt olim de Marino Falerio factum accepimus. atque ex eo fit, vt Dux nõ Deum tantum in temporalibus agnoscere debeat superiorem, sed suam etiam Rempublicam, seu magnum, (vt ipsi appellant) Cõsilium. Sed haec mendacia omittamus, quae si Venetis ipsis cordi nõ sunt, multo minus alienis esse debent. Ad nodum ipsum controuersię accedamus. Negat Anonymus Venetorum Ducem peccasse cùm leges aduersus Ecclesiam tulit, cumque Ecclesiasticos in carcerem coniecit. Quas ob res & à Summo Pontifice est reprehensus, & vbi obtemperare noluit, excommunicatus. Quod quidem non peccauerit, tri-

bus

bus rationibus probat. Prima est quod à Deo immediate in Ecclesiasticos eorumque bona potestatem accepit. Secunda, quia hac potestate se nunquam exuit, vel ob concessa priuilegia, vel ob receptos Canones. Tertia quia hoc ius posśidet à tempore immemorabili. Perpendamus quæso huiuscemodi rationes. Prima falsa est, non ob ea tantum, quæ in primæ propositionis confutatione allata sunt, propter ea quæ ipse auctor hoc loco subijcit, & propter planissimum experimentum: nam hoc loco ait potestatem esse penes Ducem Ecclesiasticos in casibus grauibus & atrocibus puniendi: quod signum est potestatem hanc immediate nō esse à Deo, sed ab aliquo qui eam illi limitatam concesserit: nam si iure diuino immediate Dux potestatē obtineret in Ecclesiasticos; in omnibus vtiq; casibus obtineret, non minus in grauibus quam in leuibus. similiter ait Ducem de bonis quæ nondum in Ecclesiasticorum potestatem venerint, disponere posse; Quid (oro) sibi vult hæc limitatio, nisi eum absoluta in bona Ecclesiastica potestate carere, atque ita illam immediate à Deo non acceptam? Nam si res secus se haberet, nemo illam arctare potuisset, sicut neque potest Pontificis, in quem à Deo immediate deriuata est. Ad hæc quæro, vtrum Respublica Ducis auctoritatem augere, vel minuere posśit; vtrum eum, vbi leges violauerit, magistratu priuare. potest sanè. neque enim aliter libera esset. Dux igitur à Deo immediate potestatem non habet, sed à Republica: atq; ita Ducis potestas humana est & limitata, quæ maiori potestati humanæ itidem subiacet. Secunda ratio etiam falsa est: nam si Dux aut Princeps sua se potestate, quòd Ecclesiasticis personis priuilegia concesserit, non exuit; ideo verum est, quod nemo exuere se potest quin indutus sit. At Venetorum Princeps nunquam hac potestate, vt ita loquar, fuit indutus, cùm Veneta Respublica tunc orta sit, quando Ecclesiastici à potestate laica iam excipiebantur. quāquam, & illud dici potest, cùm Laicus in Ecclesiasticum ordinem transit, tum Principē ea potestate spoliari, qua in illum præditus erat, ex diuino prilegio, quod Ecclesiasticis concessum est, multisq; Canonibus ea ratione toto Christiano orbe receptis; vt neq; vllus Princeps seorsim, neque omnes simul eos abrogare queant, vt paulò ante ex Soto, & Couarruuia, quos in suam sententiā attulerat Aduersarius, apertè demonstrauimus. Et quamuis alium Canonē nullum proferre possemus, instar omniū ille esse posset notissimus, *Si quis suadente*. 13. q. 4. quo ij excōmunicantur omnes qui vel in Clericos, vel in Monachos violentas manus iniecerint; eiusque excommunicationis absolutio Apostolicę Sedi, sine vlla Principum Secularium exceptione reseruatur. Atque hic quidem canon non modo nunquam est antiquatus, sed cùm Martinus V. in Constantiensi Concilio excommunicationum acerbitatē temperare vellet, cumque decreuisset licere cum excōmunicatis consuetudinem habere, eos tamen excepit, qui & nominatim excommunicati declarantur, & qui violentas in Ecclesiasticos manus inferūt: hos enim sine vlla declaratione vitandos ita voluit, vt concesso alijs excommunicatis benefi-

A cio frui minime possent. Tertia ratio, quæ à possessione ducitur temporis immemorabilis, ipsismet Venetorum verbis redarguitur. non enim alia de causa anno 1605. legem seu (vt ipsi loquuntur) partem, ne quis stabilia bona Ecclesijs donare posset, iampridem anno 1536. latam renouarunt, nisi quòd adhoc vsque tempus seruata nunquam est, vt ipsi fatentur. Præterea aduersus veritatem, aduersus caritatem, aduersus iustitiam, quænam possessio, vel consuetudo valere tantùm potest, vt per se ipsa nō corruat? Igitur absurdum nimis atque impudens illius est mendacium, qui neget in his cōdendis legibus, conijciendisque in carcerem Ecclesiasticis, nihil Venetorum Ducem deliquisse, sed qui hodie videat siue grauissima audiat facinora, quæ ab eo Duce perpetrantur, B dum Sacerdotibus, ac Religiosis vincula inijcit, dum Ecclesiasticos Apostolicum violare interdictum compellit, dum monasteria militibus complet, dum denique Ecclesias, Religionesque, vt olim itidem Valens Imperator Arianus, post etiā Hunericus Vandalorum Rex Arianus, hostili animo persequitur, quomodo, nisi cupiditate excæcatus plane sit, atque (vt ait Apostolus) *in reprobum datus sensum* ab immanissimo illum scelere vindicare audeat? Præterea quæ sequuntur Anonymi verba, hoc est, *non peccare, qui contra legem non facit neque eum qui legem obseruat, ac Sancti Pauli doctrinam sequitur*; notiora enim sunt quàm vt à me explicari debeant, & inter puerilia potius, quàm inter theologica numerantur! Verum quòd postremo censoria seueritate in eos animaduertit, C qui Ecclesiasticorum exceptionem de iure esse diuino contendunt, dum eos modo inanes, modò impudētes, modo audaces, modo assentatores appellat, non in homines cōuicia iactat, sed blasphemiam in Spiritum S. Cùm enim disertissima ea sit generalium Conciliorum Lateranensis & Tridentini sententia, cumque verè sacra dicant Concilia præsertim generalia se in Spiritu sancto congregata, posśintque iure illud vnà cùm primo Hierosolymitano vsurpare, *visum est Spiritui sancto & nobis*, relinquitur Spiritum sanctum, nisi aduersarius in tam improba animaduersione mētiatur, modo inanem esse, modo impudentem, modo audacem, modo assentatorem.

SEPTIMA ANONYMI propositio.

D *DVM Serenissimus Princeps, cum Senatu nulla obstringitur culpa, nec peccato in his faciendis quæ præcedenti propositione dicta sunt, si à Summo Pontifice Paulo V. in literis Apostolicis censurarum ab eo promulgatis excommunicatur, si sacra loca interdicto subijciuntur, quod nulla est eius sententia non solum de iure positiuo, cum præscripta à Canonibus de sententia excommunicationis in sexto seruata non fuerint, vt ex edicto quod palam hac de re prodijt; apertum est; sed etiam de iure diuino: nam excommunicandi auctoritas condicionata est,* si peccauerit in te frater tuus. *Itaq; vbi peccatum non est, excommunicatio locum non habet, & sententia contra eum lata, qui non peccauerit, irrita est ex defectu materiæ. Neque vllus sit adeò hebes, qui putet serenissimū Principē cum Senatu, etiam si, vt ostensum est, nō peccauerit, nec pec-*

cet dum retinet quod suum est, peccare tamen dum Pontifici obtemperare non vult, dumq; in sua opinione persistit. Nam constantia in bona opinione, animi obstinatio non est, quiq; minime peccauit, nec inobediens, nec obstinatus dici debet. qui enim legem seruat: sanctissime operatur, & meritorie: & qui in his non obtemperat rebus, quas quis imperare non potest, nulla ratione delinquit.

RESPONSIO.

DVo affirmat Aduersarius hac propositione. Primum quidem excommunicationis, atq; interdicti sententiam à Domino Nostro Paulo V. Papa latam, nullā esse de iure positiuo. deinde nullam esse de iure diuino. In vtroque apertissime errat.

Ait enim primum sententiam illam nullam esse de iure positiuo, eo quod quæ à Canone de sententia excommunicationis in 6. præcipiuntur, seruata non sint: quod aperte falsum est. Nā in titulo de sententia excommunicationis in 6. tres tantum habentur canones, qui iudiciarium ordinem statuunt, cap. *quidem*. 1. decernitur, vt sententia scripto mandetur. cap. *solet*, constituitur, vt nemo postquam ad superiorem prouocauerit, excommunicetur. cap. *statuimus*, præscribitur, vt nemo, nisi prius ter canonice admonitus, excommunicetur. Et quamuis non quodcunq; ex his fuerit omissum, irritam efficere possit sententiam; hac tamen excusatione non indigemus: nam & Sanctissimus D.N. Paulus sententiam scriptis mandauit: & ter canonice monuit, octo dierum spatio inter singulas admonitiones interposito: nec quisquā alium appellauit, aut appellare potuit, cùm Pontifex Summus sit Iudex. Omnia igitur diligentissime, quæ sacri præscribunt canones, in ordine iudiciario de sententia excommunicationis in 6. obseruata sunt. Aduersarij erat canonē proferre, illudque ostendere, quod minus esset seruatum. Sed quia neque id poterat, & rudes, atq; inscios decipere satis illi erat, rem vniuersalibus verbis transegit. Subdit mox sententiam Domini Nostri nullam esse de iure diuino ex defectu materiæ, & cùm excommunicatio pœna sit, quæ sine culpa infligi non potest, nequaquam excommunicari potuisse Venetorū Magistratus, qui non peccassent. Huic obiectio iam responsum est, ostensumque Magistratum grauissimo sceleri obnoxiū fuisse, tum quod iniquas leges contra Ecclesiam tulerit, & in custodiam Ecclesiasticos coniecerit, tum etiam quod Summo Pontifici non paruerit, & quod res perperam constitutas corrigere detrectauerit. Si verò vocetur in cōtrouersiam, num Magistratus peccauerit; Magistratus profectò ipsius hoc iudicium non est, sed Pontificis, qui Christi loco summi Iudicis personam sustinet. Neque hoc ab aduersario negari potest, qui propositione quarta asseruit potestatem Pontificis esse *super peccato*. Si igitur Pontifex iudex est *super peccato*; illius etiam est iudicare, num aliquid sit peccatū necne: vt mystice ad ipsum significandum in veteri testamento sacerdotis erat discernere inter leprā & leprā. Cùm igitur Summus Sacerdos iudicium tulerit Venetorū Senatum & ipsum Ducem grauiter peccasse, spiritualique lepra pestifera, contagiosaque coopertum, cumque eum hac de causa, excom-

A municationis sentētia, ab aliorum fideliū consuetudine, & conuictu segregauerit, qui eius factum, vel defendi, vel excusari potest? Cùm autem ait constantiam in optima opinione obfirmati animi vitium non esse; verum quidem censeri potest, dum adhuc res est in controuersia; sed illa iam ab eo dijudicata, cui omnes fidem habere necessario debent; si quis contrariam partem tueatur, non iam opinatur, sed errat, & constantia in obfirmati animi vitium degenerat.

OCTAVA ANONYMI PROpositio.

VErum quidem est, quod ait S. Gregorius Papa. Pastoris sententia, iusta, siue iniusta timenda est, *sed nihil ad rem nostram. Mul-*
B *tum enim interest, inter iudicia Ecclesiastici sententiam iniustam, & nullam, vt doctissime testantur Nauarrus de censuris Ecclesiæ cap. 27. & Sotus 4. sententiarum distinctione 21. quibus locis aiunt iniustam timendam, & ei, quæ sit nulla, minime parendum. Itaque cùm censura à Summo Pontifice Paulo V. promulgatæ nullæ sint, vt ostensum est; sunt enim tanquam aliquid in aqua, aut aere inscriptum, hoc est sine vlla materia & substrato; in ea sum sententia, vt putem à te non esse obseruandas, nihilq; ea de causa in tua Ecclesia innouandum.*

RESPONSIO.

VT aduersarius falsis iactis fundamentis concludit Summi Pontificis sententiam quòd irrita, ac nulla sit, minime pertimescendā, eaq; de causa debere Sacerdotes tùm Venetijs, tum in reliquo Venetorum Imperio diuina celebrare officia, ac si nullum extaret in-
C terdictum; ita cùm ego adhuc falsa eius principia, vanaq; fundamenta subruerim, atque ostēderim sentētiam Domini nostri Papæ Pauli V. validam, & iustam, adeoque firmam, ac si ære, vel marmore incisa esset; illud tuto concludere possumus, & pertimescendam, & obseruandam, sacerdotibusque tum Venetijs, tum in reliquo Venetorum Dominio interdictum summa diligentia custodiendum, nisi & diuinam Maiestatem offendere, & animas tum suas, tum populorum perdere velint. Atque hæc, octo propositionibus responsa sint. Sed quoniam aduersarius in fine disputationis inter multa, quæ ad rem non faciunt, multa permiscet errata; breuissimè illa singillatim detegere hic nostrum erit.

Ait igitur primum. *Iuxta ea, quæ docet Na-*
D *uarrus, excommunicationis sententiam, cùm irrita est, timendam. atque eò vsque illi obtemperandum, dum populus vanitatis illius nullitatis edoceatur, idque ad vitandum scandalum: adijcit Veneto populo optimè persuasisse Ducis edictum Pontificis excommunicationem nullam esse.* Hoc quid aliud est, quam dicere, si iudex suam sententiam iustam esse affirmet, & validam reus contra neget; reo tunc, non Iudici credendum: Dictum profectò tanto Theologo dignissimum. Nam quæ vnquam erit iusta sententia, & valida, si reo habenda sit fides?

At secundo, *excusare se non posse quosdam Religiosos viros, qui Venetijs excedere maluerunt, quam diuina officia celebrare, eaq; in re multis scandalo fuisse.* Non indigent hi Religiosi viri excusatione. quòd si nonnullis, ipsorum erga

Summum Pontificē obedientia scandalo fuit; illud est respōdendum, quod Christus de Pharisæis dixit, *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Matth.15.

Tertio ait, *quod quis libertatem naturalis sui Principis tueatur, esse de iure diuino, Ecclesiasticas verò sententias de iure humano, quod diuino profecto cedere debet.* Versatissimus, ni fallor noster hic doctor est in iure Diuino, qui illud tertio quoque verbo vsurpet. hinc tantum præ se fert diuinitatis hoc eius argumentum. libertatem Principijs tueri de iure est Diuino: sententiæ Ecclesiasticæ de iure sunt humano: humanum ius cedit Diuino: Debent igitur Sacerdotes Pontificis excommunicationes, atque interdictum contemnere, vt Veneti Ducis libertatem defendant. Nos vero ita respondemus. Si de iure est diuino terreni Principis libertatē tueri, multò magis de iure Diuino erit libertatē Ecclesiæ, quæ cœlestis Principis sponsa est, inuiolatam seruare. Illud adijcimus libertatē, quam hoc tempore sibi Venetorum Dux vsurpat, nihil aliud esse, quā potestatem eos in vincula conijciendi, quos sibi subditos non habet, legesque contra Iustitiam, atque pietatem cōdendi, ac proinde de iure diuino esse huiusmodi præposteram libertatem oppugnare, non defendere. Postremò etiam dicimus sententias Ecclesiasticas, quod ad potestatem spectat, esse de iure diuino, quæque Christi Euangelio nitantur. Matth.18.

Quarto dicit, *falli nonnullos, qui putant hanc controuersiam esse de fide, cùm solum sit de moribus. quòd si aliquid in Sacris literis reperiatur, quod rem hanc de fide constituat, opinionem esse serenissimæ Reipublicæ, quam disertis verbis docet S. Paulus.* Respondeo præcipuam controuersiam non esse de fide, eos tamen, qui Venetæ Reipublicæ defensionem susceperūt multos in suis scriptis errores inseruisse, qui ad fidem pertinent. Et aduersarius, qui adeò prudenter suo more ait Reipublicæ opinionem expresse à S. Paulo doceri, non animaduertit ea, quæ à S. Paulo traduntur expresse, opiniones nō esse appellandas inde enim fieret, vt quis iure de sancti Pauli doctrina dubitare posset: cùm opinio incerta sit, ac dubia: falsum igitur est Reipublicæ opinionem apud sanctum Paulum vlla ratione reperiri: reperiuntur quidem illa in epist. ad Hebræos cap.13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, tanquam rationem pro animabus vestris reddituri;* Et cōtra hanc doctrinam, quæ non opinio, sed certissima est Catholica fides, hodie peruerse agunt Veneti à vobis non doctoribus, sed seductoribus in fraudem illecti.

Ait quinto, *non debere Sacerdotes à suo capite, qui Princeps est, seiungi.* Quid aliud hæreticus ex protestantibus in Anglia effutire auderet? quis vnquam audiuit secularem Principem caput esse sacerdotum, & consequenter caput Ecclesiæ, nisi postquā Henricus octauus Angliæ Rex à Pontifice discessit, seque Anglicanæ Ecclesiæ caput appellari præcepit? & tamen ait aduersarius, hic de moribus, non de fide esse controuersiam.

Sexto, *Ecclesiastica laudat, qui Venetijs degunt, quod ad vitam pro Principe effundendam paratissi-*

A *misint.* Nouum istud est Sanctorum genus, qui pro Principe sanguinem effundere velint, à quo sacrilegia committere Christique Vicario non obtemperare coguntur. Adhuc in diuino officio, in Sanctorū laudibus diximus. *Isti sunt triumphatores, qui contemnentes iussa Principum &c. meruerunt præmia æterna,* si vlla nouis hisce doctoribus habenda est fides; mutanda erunt in posterum ita verba: *isti sunt triumphatores, qui contempserunt Deum, vt seruarent iussa Principum.*

Septimo ait, *Venetos capitis pœnam Religiosis proposuisse, qui clausas Ecclesias haberent, quique diuina officia non celebrarent, ne ob manem metum in ciuitate, quæ semper Catholica fuit, talemq; se, si vnquam antea, in præsentia profitetur, Diuinus cultus refrigesceret.* His non ego respondebo, sed Spiritus sanctus per Samuelem primo Regum

B ca.15. *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum hariolandi est repugnare, & quasi scelus Idololatriæ nolle acquiescere.* Et ne putes hic Sermonem esse obedientiæ, quæ Deo præstanda est, audi quid Dominus dicat apud Sanctum Lucam cap.10. *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Quare pro certo habeat Venetorum Respublica ea diuina officia, ac sacrificia Christo minime placere, quæ cōtra Christi Vicarij præceptum offeruntur, neque placare Dei iram, sed vehementer inflammare, tum aduersus eos, qui illa offerunt, tum etiam aduersus eos, qui offerre compellunt.

C Octauo *reducit in memoriam, vt legat quilibet, quæ docet Nauarrus auctor grauissimus in cap. Nocuit, de iudicijs, notabili. 3. & in Manuali cap. 27. de censuris, affirmatq; eum, in omnibus quæ hactenus dicta sunt, pro sua esse sententia. Postremò hortatur, vt ad subterfugiendū periculū in tutissimum se portum quisque recipiat notabilis illius doctrinæ, Ecclesiasticos nimirum si aliqua exceptione fruuntur, eā non de iure diuino, sed ex Principum frui priuilegio, qui vt ipsis videatur priuilegium imminuere, amplificare, & antiquare possunt.*

Respondeo, Nauarro per summam iniuriā imponi, quod tot, tantisque erroribus faueat, quod quantosque adhuc in aduersarij propositionibus deteximus. Et quoniam Nauarri libri typis mandati sunt omniumque manibus teruntur, lectoribus huius rei iudicium libenter

D permitto. A Principibus verò sæcularibus priuilegia, aut imminui, aut aboleri posse, quibus Ecclesiastici excipiuntur, adeò falsum est, ac nouum, vt quemadmodum supra docuimus, ab ipsomet Couarruuia, qui vnus ex ijs est auctoribus, quos minus Ecclesiasticorum exceptioni fauere demonstrauimus sigillatim confutetur.

Iam cum omnibus, vt arbitror, quæ ab Anonymo obiecta sunt abunde satisfecerim; illud reliquum est, vt moneam, horterque, vtque summo studio obsecrem nobilissimam eam Rempublicam, eiusque Serenissimum Principem, vt videat etiam atque etiam quibus doctoribus salutem suam committat. & ne longius abeam, Doctor hic, cui respondendum suscepi, ait Nauarrum sibi mirifice fauere. Accipio: legatur ille in summa cap. 25. numero 16.

'bi peccatum esse ait Ecclesiasticos compellere ad interdictum non seruandum, vel illis præcipere ne seruent, & in cap. nouit. de iudicijs, notabili. 6. num. 30. ait Clericos & Monachos à potestate Secularium Principum excipi iure Diuino in causis criminalibus, ac spiritualibus, alijsque ad Clericatum adnexis. tum subdit, communem hanc esse Theologorum, & Canonistarum sententiam. Peccat igitur contra ius Diuinum iuxta ea, quæ docet Nauarrus, is Princeps, qui clericos aut monachos in carcerem conijcit, quique in causis Criminalibus eos iudicare audet: Peccat itidem contra ius Diuinum, qui clericis, aut monachis præcipit, vt missas, diuinaque officia celebrent. Hæc enim negotia sunt spiritualia. Peccat tandem contra ius Diuinum, si quam Clerici, & Monachi exceptionem à Deo acceperunt, vel imminuere vel tollere contendat. Habetis igitur quam multa vos falsa docuerit hic Doctor, quamque callide vos, allata Nauarri auctoritate, deceperit. Idem reliqui faciunt Doctores, quorum adhuc libelli his de rebus prodierũt; qui nouis opinionibus mẽdacijsq; referti sunt Hortor prætera, obtestorque; vt illud quisq; inducat in animum, filios à nemine amari ardentius, quam à parentibus. quæ fuit causa cur S. Paulus diceret, *Si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.* Mater vestra est Sancta Romana Ecclesia, pater Summus Pontifex, qui eius loco vos nutrit atque educat, dum ad perfectam ætatem perueniatis, cœlique hæreditatem capessere possitis. Idcirco existimare debetis huic matri Patrique multo magis vtilitatem vestram cordi esse, quam huiusmodi pædagogis, qui vos adhuc perperam docuerunt. Postremo hortor quæsoque, vt Dei iudicia, quæ sæpe in hac etiam vita mortales premunt, paullo attentius perpendatis. In vita Sancti Stanislai Episcopi & Martyris habetur ob Boleslai Regis crimina à Gregorio VII. vniuersam Poloniam Ecclesiastico interdicto subiectam, excommunicatum Regem, Regiumq; illi nomẽ ademptum. Et quia idem Rex nulla scelerum pœnitentia adductus, obfirmato perstitit animo in sententia, punitus à Deo est: qui effecit, vt & sui eum contemnerent, & peregrini refugerent. Cùm verò hac calamitate perculsus ad sanitatem non rediret: cõtinuò illi alterum pœnæ genus inflixit Deus. Nam bona Regni pars ab eo desciuit, & inter populos, qui in Regis fide permanserant, seditiones, discordiæque grauissimæ sunt exortæ. Neque id satis fuit, vt meliora consilia amplecteretur. Quocirca vltimum Deus supplicium addidit: idque tale fuit, vt de mentis sede emotus per syluas fugitiuus suis insequentibus canibus erraret, vtque tandem repentè mortuus ab illis ipsis deuoraretur. En qui finis illum excepit, qui excommunicationem, Christique Vicarij interdictum contemnebat. & tamen is nunquam præcipere est ausus, vt interdictum violaretur. Eadem ferme ratione vitam clausit Ludouicus Bauarus Imperator, qui cum Ioannis XXII. Pontificis, & postea Benedicti XII. censuras contemneret, quo vehebatur equo in eum delapso oppressus extemplo animam exhalauit, nulla à peccatis censurisque absolutio-

A ne recepta, vt scribit Ioannes Villanus lib. 12. cap. 105. Idem est Deus hoc tempore, qui tunc erat, eadem, qua tunc, præditus omnipotentia.

Quare si illos tam grauiter corripuit, qui Ecclesiasticas censuras cùm spernerent, ad earum tamen contemptum populum non adigebant; neque insolitum esset, neque inauditum, si hac etiam tempestate aliqua illos pœna afficeret, qui non ipsi solum censuras nihil faciũt, sed etiam mortis intentato periculo reliquos ad idem patrandum compellunt. Obtemperemus igitur Spiritui sancto, qui ita nos apud Psalmistam hortatur. *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra:* & *nolite tangere Christos meos:* &: *& nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terrã. apprehendite disciplinam; ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via*

B *iusta.*

RESPONSIO CARD. BELLARMINI *ad libellum, qui inscribitur Io. Gersonis Tractatus, & Resolutio super validitate excommunicationum, ab eodem interprete latinitate donata.*

QVam vere Christus dixerit Ioannis 3. qui male agit odit lucem; apertè ille demonstrat, qui cõuersa à se in Italicum sermonem duo Ioannis Gersonis opuscula edidit. Nã cùm intelligeret, quam multa falsa in breuissima præfatione, quam illis affixit, effudisset, quamque non exigua in exiguis libellis, quorum ipse interpres fuit, laterent errata, quam demum ab eo, quod propositum est, quæcumque inibi traduntur aberrarent, pudori sibi duxit, tum suum, tum etiam impressoris nomen

C euulgare. Immo quo obscurior esset, Parisijs scribere se simulauit, cùm luce clarius sit eum Venetijs & scripsisse, & quod scripsit, mandasse typis. Ne igitur tam callida simulatione simplices lectorum animos irretire possit; ipsa præfationis verba ponderabimus, cum Ioannis Gersonis, qui ille non ea qua profitetur fide, conuertit. Ac prima quidem præfationis hæc sunt.

1. *Cùm hac in Ciuitate percrebuerit die Christi Domini nostri natiuitati sacro latas fuisse aduersus serenißimã, Religiosißimãq; Venetorum Rempublicam excommunicationes, ac censuras, quod alterius arbitrio acceptam à Deo libertatem, nolit subijcere.*) Si omnia scrutemur libertatis genera, quibus vel priuatus quis, vel Respublica frui potest, sex omnino reperiemus: libertatẽ arbitrij, quæ necessitati naturali opposita est: libertatẽ

D Christianam, quæ seruituti peccati aduersatur: libertatem ciuilem, quæ ciuilem seruitutem excludit: libertatem Reipublicæ, quæ Monarchiam perimit: absoluti Principis libertatem, quæ in temporalibus rebus superiorem non agnoscit, maiorisque Principis dominatum non patitur; libertatem denique peccandi, quæ cum iustitiæ seruitute stare non potest, quamque eandem esse ait S. Paulus, atque seruitutem peccati. *Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ,* ad Rom. 6. Non loquitur, vt arbitror huius auctor præfationis de libertate arbitrij, quæ naturalis est, neque vlla amitti ratione potest, nisi iuxta Lutheranorum, aliorumque eiusdem farinæ hæreticorum dogmata. Neque de Christiana libertate sermo est, quæ peccati seruitutem excludit; hæc enim ex eo non abijcitur,

quod

quod quis Christi Vicario obediat, sed potius quod illius detrectet imperium. libertas etiam ciuilis, qua serui carent, atque illa, quam Aristocraticæ, ac Democraticæ tuentur Respublicæ, quamque ij non habent populi, qui sub Regia potestate, ac Monarchia viuunt, ad rem minime facit. Nam nec Summus hic Pontifex, nec ex prædecessoribus eius aliquis Venetorum Reipublicæ formam immutare tentauit, cùm nouerit Christianæ Religioni, cuius ipse præcipuã curã gerit, nullam siue Regiam, siue Optimatum, siue Popularem legitimæ administrationis formam repugnare, sed huiusmodi varietatem maximum etiam ornamentum Dei Ciuitati, hoc est, vniuersali Ecclesiæ afferre. Restat absoluti Principis libertas, quæ in rebus temporalibus superiorem non agnoscit, ac de ea probabile est præfationis auctorem loquutum: Sed procul dubio mirifice decipitur, cùm ait à D.N. aduersus Venet. Remp. latas propterea excommunicationes, quod concessam sibi à Deo libertatem alterius voluntati subijcere nolit. At si obijciat, cùm leges condere, noxiosque punire absoluti Principis proprium sit, iniustè à D. N. Paulo V. excommunicari Venetæ Reip. præsides, quod de temporalibus rebus latas leges antiquare, quodq; noxios coniectos in carcerẽ liberare recusat. Respondetur, à Sum. Pontif. Paulo V. excommunicari Reip. Venetæ præsides non ea tantum de causa, quod qualcunque de temporalibus rebus leges, sed quod iniquas, atque impias, nec sine maximo Ecclesiæ præiudicio, Deique ac proximi offensione latas abrogare nolint. Nam quis, modo sit Catholicus, negare audeat ad Pontif. vniuersalem pastorem pertinere, vt quemcunque Principem, vel quamcunq; Rempub. vbi ita res tulerit, reprehendat, si quæ morem non gerat, Ecclesiasticis censuris obtemperare cogat? sita à S. Gregor. Papa obiurgatum Mauritum Imperatorem accepimus, quod legẽ diuino cultui aduersam edidisset. Et Innocentius III. vt habemus in c. nouit. de iudicijs Summi Pontificis esse declarat in peccata cuiusuis totius terrarum orbis Principis censuram ferre. *Non intendimus (inquit) iudicare de feudo cuius ad ipsum Regem videlicet spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus.* Et inferius. *Cùm non humanæ cõstitutioni, sed diuinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo; nullus, qui sit sanæ mentis ignorat; quin ad officium nostrum spectet de quocunq; peccato mortali corripere quẽlibet Christianum: Et si correptionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere. Sed forsitan dicetur, quod aliter cum Regibus, & aliter cum alijs est agendum. Cæterum scriptum legimus in lege diuina: ita magnum iudicabis, vt paruum, nec erit apud te acceptio personarum.* Hactenus sunt verba Innocentij. & Bonifacius Papa in extrauag. *Vnam Sanctam*, de maioritate, & obedientia optime ait temporalem potestatem, sicubi erret, à Spirituali dirigendam esse, nam quamuis Princeps temporalis absolutus neminẽ temporalẽ Principem superiorem agnoscat; tamẽ si Christianus est, Summũ Pontif. Christi Vicarium, Reiq; publicæ Christianæ caput agnoscat, necesse est: qui Pontifex, quia spirituale animarũ bonum propositum habet, temporali Principum administrationi minime ingerit sese, nisi sua illi potestate in suarum animarum detrimentum, & populorum, atque Ecclesiæ præiudicium vtantur. Si verò secus faciant, potest, ac debet suam ibi auctoritatem interponere, Principesque dirigere vbi opus sit. Qui verò id pro certo non habeat, Catholicæ est veritatis desertor. At si diceret his legibus nullũ Ecclesiæ præiudicium, nullumque peccatum contineri; responderem, iudicium vtrum lex peccatum vel Ecclesiæ præiudicium complectatur, penes Summum Pontificem supremum iudicem esse: sicut vtrum ciuilis contractus vsuræ crimẽ habeat, Ecclesiastici iudicis videre est, ad quem peccatorum cognitio spectat. Pari ratione Sanctissimus Dominus noster Paulus V. Venetam Rempublicam non eo nomine reprehendit, quod noxios sibi subditos puniat, sed quod in Ecclesiasticas personas, quæ non nisi spirituali superiori subijciuntur, manus inijcere non reformidet; & contra, quod Sacros canones, grauissimasque censuras, quæ illis continentur, aduersus eos, qui personis Deo dicatis manus inferunt, parui faciant. Qui igitur remota cupiditate rem totam introspicere voluerit, apertè deprehendet Pontifici id tantum cordi esse, vt Venetam Rempublicam ea solum libertate exuat, quæ peccatum fouet, quæque non à Deo, sed à Diabolo, hominumq; nequitia ortum habet, eademque est, (vt diximus) atque peccati seruitus veræ Christianæ libertati contraria. Et vt temporales Principes furandi, interficiendi, aliorumque huiusmodi scelerum libertatem in subditis nõ patiuntur, quod publicæ quieti, optimæque Reipubl. administrationi detrimento sit; ita Summus Pontifex, qui Christianorum est caput pati non debet, vt Christianis Principibus perniciosas Ecclesiæ, animarumque saluti leges condere liberum sit; atque vt sinere non debet Pastor, vt oues quocunque casus tulerit, palantes ferantur, noxiasque depascantur herbas, & infectas aquas bibant, neque gubernator nauem ventis committit, vt in Scopulos, & Syrtes abripiatur; ita Summus Pontifex Christi ouium Pastor & Princeps, Sancti Petri naiculæ gubernator eam Christianis libertatem concedere non debet, qua tum sibi, tum alijs æternæ saluti aditũ intercludant. Denique iure optimo Veneta Respublica conscientiæ libertatem non probat, quam hodie hæretici omnes amplectuntur, quod satis intelligat huiusmodi libertatem in plurimos, grauissimosque errores deferri; atque idcirco Sanctæ Inquisitionis tribunal tuetur ac iuuat: ita libertatem leges condendi probare nõ debet, quæ Dei honori, quæque Ecclesiæ matris suæ spirituali bono repugnent: tum debet æqui bonique consulere, vbi à Patre suo spirituali, qui Dei in terris est Vicarius, moneri emendarique contingat.

2. Progreditur Auctor ad aliud falsum cùm ait; *Quæsiui diligẽter in approbatis scriptoribus, quænam esset earum vis, cùm iniuste adeò feruntur.* Alterum, hoc est, deliramentum vna cum incredibili superbia, ac temeritate cõiunctum. Nam auctor præfationis tantum audet, vt statuat ex-

communicationis à Summo Pontifice in Venetam Rempublicam latæ causas iniustas esse. & tamen si quis hunc hominem alloqueretur, huius rei planè ignarum ac rudem fortasse deprehenderet: cùm ipse præsertim fateatur, se rumore tantum adductum hæc scripsisse, qui Parisijs inoleuerat; quare ex ijs est, de quibus Apostolus. *Non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. 1. ad Timot. 1. Itane vero? vt tantæ sis temeritatis, qui antequam rem perspexeris, antequã diuturno studio omnes difficultates dissolueris, antequam doctos homines consulueris, in Dei Vicariũ adeò absolutè sententiam ferre ausus sis? & verò si plurimũ operæ, ac laboris in huius cognitionem causæ contulisses, aliorumque audisses sententias, omniaque perspecta habuisses; tantumne propterea tibi sumere debebas, vt totius terrarum orbis supremum Iudicem iniustitiæ tam impudenter damnares, vtq; tuam hanc sententiam impietatis plenissimam omnibus typorum testificatione patefaceres? Sed quoniam tota ratio, ob quã iniustas excommunicationis causas esse putas, in rumore tantum nititur, Republicã nimirum ideò excõmunicatam, quod alterius voluntati libertatem sibi à Deo concessam subdere abnuat, nosq; iam demonstrauimus id falsum esse: & quoniam latæ excommunicationis iustitia omnibus cognita, & ab ijs probata est, qui nulla cupiditate adducti rei æquitatem ad veritatis exigunt normam; pluribus hoc erratum verbis non confutabimus.

3. Pergit ad tertium. *Cùm in Sacro Tridentino Concilio ea verba legissem, quæ aureis literis describi deberent. Quamuis excommunicationis gladius &c. optassem, & quemadmodum sanctissimi illi Patres Prælatis regulam præscripserunt, qua vtantur in hac adhibenda medicina ad salutem, ita pias, ac Religiosas conscientias docuissent, quæ earum essent partes, si Prælatus contra præscriptam à Christo D. N. ac S. Paulo, Sacrisq; Canonibus formam censuras ferret.* Minime contentus auctor aduersus Summum Pontificẽ tam impudenter falsum pronuntiasse, pronuntiat etiam aduersus generale Concilium; vt ea ratione & capiti & præcipuis Sanctæ Ecclesię membris iniuriam inferat. Reprehendit igitur vir egregius Sacrũ Tridentinum Concilium, quod mancum sit. non enim cùm Prælatis præscripserit, ne excommunicatione leuibus de causis vtantur, laicos (vt ait) docuit, qua se ratione gerere debeant, vbi Prælati ea nõ seruent, quæ à Christo, à S. Paulo, veteribusque Canonibus præcipiuntur. Sed si totum Sacri Cõc. decretũ, nõ prima tantũ verba legere voluisset; reperisset vtiq;, quod se desiderare fingit; simulq; intellexisset quã falsò mancum in ea re Concilium appellet. Decretum, quod ipse affert 3. est session. vltima de reformatione. atq; vt initio eiusdem decreti monentur prælati, ne excommunicationis armis temere, & leuibus de causis vtantur, ita postremo loco monentur laici etiam politicum magistratum gerentes, suum non esse, iudicium ferre, vtrum Prælatus præscriptum in excommunicatione ordinem seruet: ac propterea magistratibus secularibus præcipit, ne impedimento esse audeant, quominus Prçlatus excommunicationem ferat, neque vlla ratione imperet, vt excommunicatio aboleatur sub prætextu, quod debita seruata non sint. *Nefas autem sit seculari cuilibet magistratui prohibere Ecclesiastico Iudici, ne quem excõmunicet, aut mandare vt latam excommunicationẽ reuocet, sub prætextu, quod contenta in præsenti decreto obseruata non sint; cùm non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Hæc sunt Sacri Concilij verba, quod omnibus summa prudentia prospexit, docuitque magistratuum secularium non esse, excommunicationũ promulgationi obsistere, quemadmodũ hoc tempore Venetæ Reipubl. magistratus faciunt ab ijs decepti, qui adulationis magis quam veritatis studio tenentur: ex quibus vnus hic est, cui in præsentia respondemus.

Quarto. vlterius progressus auctor addit. (*& dum multos auctores euoluo, cùm ibi, quod optabã, non inuenirem, habui etiam præ manibus Ioan. Gers. auctorem Christianissimum æterna memoria dignũ*) Negari sanè non potest Ioan. Gers. magnæ doctorem scientiæ, magnæque pietatis fuisse, sed temporum illorum infelicitas, ob schismatis in Romana Ecclesia diuturnitatem, vt alios plures, ita hunc etiam doctorem adduxit, vt minus recte de Sedis Apost. auctoritate opinaretur. ij enim cùm vellent Generali Concilio schisma perniciosissimum tollere, pluribusq; atque inter se dissidẽtibus Pontificibus suadere, vt Cõcilij sententiæ controuersiam omnem dijudicandam permitterent, Conciliorum auctoritatem immodice extulerunt, cõtra verò Summi Pontif. potestatem immodice imminuere non dubitarunt. Hinc factum est, vt in apertos errores prolaberentur aduersus sacras Scripturas, cõmunemq; Theologorum sententiam, qui & ante & post illa tempora prodierunt. Quare Gersonis in his rebus auctoritas, quæ ad Pontificis potestatem pertinent, nullius est momenti: neque deerant alij complures tutiores scriptores, qui afferrentur, vt intelligeretur, quatenus excõmunicationis vis progrediatur, vt S. Thomas, S. Bonauentura, S. Antoninus alijque innumerabiles, Gersone post habito, qui hac in re non modo in erroris suspicionem vocari, sed erroneus planè dici potest.

Quinto. Sed præter cætera reprehensione dignum est id, quod præfationis auctorem adduxit, vt Gers. opuscula in Italicum sermonem transferret, ederetq; in lucẽ, *vt (inquit) pia quælibet, ac Religiosa conscientia, quæ eadem legerit, gaudere possit, quod se illam vitasse calamitatẽ intelligat, qua Deus reprobos punire solet, vt id nimirum timeant, quod minime timẽdum est: trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* En quo demum progreditur hominum cæcitas, vt Dei vtatur verbis ad tollendum de medio Dei timorẽ. In Psal. 13. & 52. ita S. Propheta de impijs loquitur, *Non est timor Dei ante oculos eorũ.* Et tamen cùm verum Deum non metuant, qui solus est metuendus, Deos metuũt falsos, qui nihil possunt, *illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Nũc verò nouus hic doctor in oppositam omninò sententiam Psalmi verba detorquet, cùm hic Dei Vicarij à populi animis, ac proinde Dei ipsius timorẽ abigere conetur; Nam ipse suis Vicarijs ita loquitur. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Lu. 10. Valdè profectò discrepãt à noui huius Theol. verbis, verba S. Greg.

Papæ. Ille enim hom. 26. cùm de excommunicatione loqueretur, dixit. *Sẽtentiā pastoris iustam, aut iniustam metuendam*, hic verò ait eum, qui sententiam pastoris metuit, quam iniustam esse arbitratur, in reproborum calamitatem incidere; vt metuat, quæ nulla ratione metuẽda sunt. neque hic malum sistit, quod ex huiusmodi doctrina ortum habet, sed ad extremam vsque excrescit animarum perniciem. Qui enim Summi Pontif. censuras non reformidat, multo minus censuras reformidabit Episcoporum; quique Ecclesiæ capitis præcepta contemnere incipit, quæcumque alia proculcare non verebitur. His artibus Martinus Luth. persuasit quam plurimis Christianam libertatem in eo esse positam, vt quis nullius criminis religione ducatur, vtque Ecclesiæ præcepta nihili faciat. Hinc tot religiosos, totque moniales desertis sine vllo metu monasterijs Sacrum religionis habitum abiecisse incestaq; matrimonia petijsse vidimus, Sacras præterea imagines à tot populis conculcatas, vigilias ac festos dies memoria excidisse, quadragesimam, confessiones, vesperas, Missam penitus ignorari videmus, deniq; ex Pontificiæ auctoritatis contemptu quasdam Prouincias eo redactas, vt nullum amplius in ijs extet Christianæ religionis vestigium.

Sexto. Ad extremum præfationis auctor veteris scripturæ testimonio abusum se esse nõ contentus, abutitur etiam auctoritate nouæ cum ait. *Sed iuxta Apostolum confortati in Domino, & in potentia virtutis eius sument scutum fidei vt illud inconsultis fulminibus obyciant, & arma spiritus quæ sunt verbum Dei.* Non poterat clarius Lutherus, aut Caluin. Dei verba ad Deum oppugnandum vsurpare. Scribit Apostolus in Epist. ad Ephes. cap. vlt. Christi fidelium esse præcipue, vt Diabolo obsistant. *Vt possitis stare contra insidias Diaboli.* Et paullo post. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*, vt etiam ait S. Petrus *cui resistite fortes in fide.* Et S. Iacobus, *resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Nouus autem hic Theologus resistentiam aptat censuris Summi Pontif. ac si Apostolus non fide, ac Dei verbo (dixisset) communite vos, vt Dæmoni obsistatis, sed fide, ac Dei verbo, vt Deo in ipsius Vicario resistatis, armamini. quæ tandem obsecro illa est fides, quod Dei verbum, quo aduersus Dei Vicarium resistere doceamur? immo quæ illa est fides, quod Dei verbum, quo non Prælatis Ecclesiæ subditi atque obtemperantes esse discamus? Nonne ait S. Paulus in ep. ad Heb. c. 13. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis?* Nonne ipsemet Christus Matth. 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, sed iam tempus est, vt Gersonis considerationes perpendamus, aperteque demonstremus eas aut ad rem non facere, aut errores esse.

Prima Consideratio *est excommunicationem, atque irregularitatem in clauium Ecclesiæ, hoc est Ecclesiasticæ potestatis contemptu præcipuè niti.* Consideratio hæc vera est, si contemptus pro inobedientia, vel contumacia intelligatur, Neque est Summi Pontificis facto contraria.

Secunda Consideratio *contemptum clauium*

A *tribus modis posse contingere directè, indirectè, apparenter.* ita loquitur parum fidus interpres. Nã Gerson tertium illum modũ non verbo *apparenter*, sed verbo *interpretatiuè* explicat, quæ duo contraria fermè sunt. Nam apparens illud est, quod cùm tale videatur, tale non est: interpretatiuum, quod cùm tale non videatur, tamẽ est. sed hic lapsus nihil ad rem de qua agitur.

Tertia Consideratio est, *contemptum clauium primo, & secundo modo acceptum mereri sententiam excommunicationis, & consequenter irregularitatis, tertio vero non semper mereri excommunicationem ab Ecclesia, sed à Deo, à quo quicunque mortaliter peccat, excommunicatur.* In hac consideratione nihil est reprehendendum præter vltima verba; Nam si propriè de excom-
B municatione loquamur, falsum est, quemcunque à Deo excommunicari, qui peccat mortaliter. Nam si verũ esset, sine nouo peccato non possent peccatores Missæ diuinisque officijs interesse: quod tamen est absurdum, vt omnes norunt.

Quarta Consideratio est, *minimè dicendum ab aliquo claues vllo ex tribus modis contemni, cùm Prælatus apertè ac notoriè clauium potestate abutitur.* Hæc consideratio vera est, si loquamur de clauium abusione in rebus essentialibus, vt si Prælatus suæ potestatis limites egrederetur, vel nulla adhibita admonitione excommunicationem ferret, vel excommunicationis pœna proposita res diuinis præceptis aduersas imperaret. Tunc enim cum S. Petro dicendum esset *obediendum est magis Deo, quam hominibus.*
C Act. 5. Sed quanquam vera est Gersonis doctrina, fieri tamen potest, vt virulento admodum interpres sit animo. Illud enim fortasse populis persuadere vult, vt existiment excommunicationem à Domino Nostro Paulo V. latam, notoriam clauium abusionem esse: cùm contra legitimus sit vsus, atq; sanctissimus, sicut apertè demonstrari posset, vbi de hoc ageretur.

Quinta Consideratio est, *à Prælato magis claues contemni, cùm earum potestate abutitur, grauiusque delinqui quàm à subdito, cùm Prælato non obtemperat, atque hinc intelligitur opus esse meritorium, si quis tunc resistat in faciem Prælato, vt Sancto Petro restitit Sanctus Paulus.* In hac consideratione multa essent dicenda. sed quoniam à re nostra est aliena, duo tantum subij-
D ciemus. Primum quidem Gersonis doctrinam parum tutam, minusque solidam videri. Nam vt collationes omittamus, quæ iuxta circumstantiarum varietatem, variari possunt; ex quibus fit vt nonnunquam Prælatus grauius peccet, qui potestate abutitur, nonnunquam subditus, qui non obtemperat; si potestatis tantummodo abusionem, & inobedientiam consideremus, grauius peccat, qui obedire non vult, quam qui potestate abutitur. Qui enim abutitur potestate, peccatum committit iniustitiæ hominemque offendit sibi subditum; Sed qui Prælato, qui iusta imperet, obtemperare non vult, excommunicationemque contemnit, rebellionis peccatum committit, Diuinamque Maiestatem in suo Vicario contemnit. Ita enim Christus, *qui vos spernit, me spernit*, Luc. decimo & , Apostolus prima

Epist. ad Thessalonicenses capite 4. *qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum.* Hic vero Dei contemptus in Dei Vicario, à Samuele 1. Regum cap. 15. Idololatriæ genus appellatur. Alterum est, quamquam aliquando meritorium esse potest Prælato in faciem resistere; plerumque tamen pessimi exempli grauissimæq; audaciæ rem esse. Quod vero huiusmodi animaduersio in hac causa ad concitandos populos afferatur, vt Christi Vicarij præcepta contemnant; res est plane intolerabilis. Nam & S. Paulus Petro non restitit vbi obtemperandum esset, sed cùm de obseruantia quadam legali ageretur: & Deo visum est, quo omnibus Sancti Petri humilitatem patefaceret permittere, vt in cuiusdam legalis obseruantiæ articulo S. Paulus mente magis illustraretur; atque ita S. Petrus libenti animo fraternam ab eo correctionem accepit, cùm præsertim idem Sanctus Paulus, & Apostolus esset, & Spiritu sancto non minus quam Sanctus Petrus abundans. verum vbi de obedientia, atque obseruantia agitur, optime nouimus subditos semper à Sancto Paulo excitari ad obtemperandum Prælatis. Nouimus etiam ipsummet Hierusalem venisse, vt Petrum conueniret, Euangeliumque cum illo communicaret, quod prædicabat; etiamsi illud diuinitus acceperat, vt testatur in Epist. ad Galatas cap. 1. Quæ cum ita sint, quã belle concluderet quis, si diceret. Sanctus Paulus Apostolus vas electionis Petrũ admonuit; Opus igitur meritorium admittent populi, si Pontifici Maximo in faciem resistant, vbi excommunicationis pœna proposita aliquid præcipit? Hæc enim non probabilis logici, sed peruersi schismatici argumentatio esset.

Sexta Consideratio. *Est contingere posse aliquando, vt quis contemptor sit clauium, si Prælato non obtemperet, & alius similiter contemptor non sit, si non obtemperet. Ille enim Prælati sententiam iustam esse, aut alia de causa obediendum sibi existimabit, hic vero certum putabit, aut sufficientem probabilitatem habebit, Prælatum clauium potestate abuti.* In hac consideratione nihil se offert dicendum, nisi illud, non quamcumque probabilitatem, nec cuiuscumque abusionis clauium probabilitatem satis esse, vt quis Prælati mandata exequi non debeat. Immò iuxta communem doctrinam, vt quis ab obtemperando liber sit, necesse est, vt exploratum habeat ac notum Prælatum in re essentiali sua potestate abuti. Nam à S. Augustino traditum est lib. 22. contra Faustum cap. 75. ab alijsque receptum, subdito non modo obtemperandum cum certo scit Superiorem nihil contra Deum præcipere, sed etiam quando certo non scit. in re enim dubia superioris potius iudiciũ sequi debet, quam suum. Tunc vero solum parendum non est, cùm constat eum contra diuinam legem aliquid imperare, vt enim supra diximus: *obediendum est Deo magis, quam hominibus.*

Septima consideratio *ad dignoscendum clauium contemptum, ad legitimam potestatem, legitimumque illius vsum respiciendum esse. Idcirco explicatione eget commune illud dictum. Sententia Pastoris Iudicis etiam iniusta timenda.* Optima est hæc consideratio, communisque eius

A dicti expositio habetur in Sacris Canonibus, in quibus idem ipsum est dictum, hoc est in decreto Gratiani XI. quæst. 3. multis capitibus, Summa est, Pastoris sententiam timendam, vbi est iniusta, sed valida, vt cùm illi nihil essentiale, sed aliquid tantum accidentale deest. Exempli gratia legitimus Prælatus subditum iusta de causa prius monitum excommunicat, non tamen excommunicat puro Iustitiæ zelo, sed priuato odio permotus, aut non ter illum monet, aut sententiam scripto non mandat, Istiusmodi excommunicatio iniusta est, sed valida; propterea timenda. Quod si etiam vere inualida sit, non tamen de inualiditate constet, timenda pariter est, saltem propter scandalum. Vberius hæc confirmanda non sunt, quod neq; à Gersone ipso negarentur, & satis perspicua sint. atque ex hac quidem consideratione colliget quisque sententiam à S. D.N. Paulo V. in Reip. Venetæ Præsides latam omnia habere, tum essentialia, tum accidentalia, metuendamque, nõ solum quod valida, sed quod iustissima. nam si legitimam potestatem quæras, supremam inuenies à Deo in omnes vniuersaliter cõcessam, qui ex Christi ouibus, quique corporis mystici Ecclesiæ membra ac Dei Ciuitatis ciues, ipsiusque Dei domestici esse volunt. Vniuersalem [illegible] esse ex ijs verbis patet. *Quodcunque ligaueris & quodcunque solueris* Matth. 16. in omnes co[illegible]am ex ijs *pasce oues meas.* Ioann. 21. vbi non ha[illegible]el illas oues, sed eas omnes complectitur, quæ suæ sunt: quique hoc minus credit, Catholicus non est. Si legitimum vsum requiras, nec multas admonitiones, nec quicquam eorum, quæ iudiciarius ordo postulat, defuisse reperies. Si postremo causam quæris, Ecclesiasticæ est immunitatis defensio, quam Sacrum Cõc. Trid. sess. 25. cap. 20. diuina docet ordinatione, Sacrorumque Canonum constitutionibus niti, pro qua Sanctissimos Præsules complures vsque ad mortem pugnasse compertum habemus; cuius etiam causa S. Thom. Cantuariensem innumerabilibus Deus miraculis illustrauit, verumque Martyrem esse ostendit, vt [illegible] postea talem esse pronunciauit Ecclesia, quod pro eiusdem libertate sanguinem eff[illegible].

Octaua consideratio *est maioris esse periculi Clauium abusionem in Summo Pontif. quam in inferioribus. Nam ab inferiorum abusionibus ad Papam prouocare quis potest, à Papa abusionibus non nisi ad Concilium generale, quod difficile cogitur. Et quanquam ante Concil. Constantiense opinabantur multi non licere à Papa appellari ad Concilium: tamen idem Concilium expresse declarauit hæresim esse, si quis Concilij in Pontificem superioritatem neget.* Hæc consideratio errorem habet grauissimum, atque apertissimum, quem si quis hoc tempore proferre velit in nostra causa, parum se recte de Catholica fide sentire significet. Atque vt à Constantiensi Concilio ordiamur tria dico. Primum à Concilio nunquam declaratum hæresim esse, si quis in Papam Concilij superioritatem neget. euoluatur diligenter iterum, atque iterum totum Concilium, nunquam tamen tale aliquid reperietur. Alterum est ab eodem Conc. sess. 4. decretũ condi, quo declaratur ipsum idem Concil.

Constantiense vniuersam Ecclesiam repræsentare, atque adeo à Christo immediate potestatem habere, cui obtemperare omnes debeant, Summo etiam Pontifice non excepto. Hoc decretum à doctissimis hominibus ita explicatur vt non quemcunque Pontificem comprehendat, sed dubium Pontificem tantum, quemadmodum ea tempestate contigit, cùm tres, veros se Pontifices existimabant, suosque habebat quisque sectatores. Verissimum quidem est penes Ecclesiam esse potestatem declarandi, quisnā verus sit Pontifex, eosque, qui Schismatis tempore de pontificatu contendant, Ecclesiæ, generalisque Concilij sententiæ subesse. At verò Pontificem canonice electum, & sine vlla dubitatione Papam ab omnib. habitū, Ecclesiæ aut Concilio subijci ex eodem decreto minime colligitur. Tertium est in eo decreto nullam inesse aliam vim, nisi vt Schismati remedium afferat. nam cùm in Concilio tunc nullus esset Pontifex; corpus id erat sine capite: neque res ad fidem pertinentes, neque aliud quicquam maiores momenti decernere poterat. Et quamquam postea Martinus V. Concilium Constant. approbauit, illa tamen solum in ijs approbauit quæ conciliariter, (vt loquūtur) decreta sunt, cuiusmodi ea fuerunt quæ aduersus Ioannis Vuiclef, & Ioannis Hus hæreses fuerant constituta. Decretum verò superioritatis Concilij in Pontificem conciliariter factum non est, idest post examina, disputationesque, Patrum suffragijs quæsitis, sed sine his simpliciter latum, vt Schismati solum medicinam facere posset. Quare postea Pius 2. in Cōcilio Mantuano à Papa ad Concilium prouocā-tes excommunicauit: eandemq; excommunicationem renouauit Iulius II. vt testatur Syluester verbo **Excommunicatio** 7. num. 93. & deinceps omnes summi Pontifices repetunt quot annis in bulla cænæ D. Postremo Martinus V. eiusdem Constantiensis Concilij suffragijs statuit, vt qui in hæresis suspicionem vocarentur, de multis interrogentur articulis, ac præsertim de eo num credant penes summum Pontificem supremam esse Ecclesiæ potestatem. Quod si suprema potestas est penes Pontificem; Concilium illo superius non est: aloqui suprema potestas penes Concilium, non penes Papam esset. Hinc patet Constantiense Concilium in eo decreto, quod ex 4. sess. attulimus, ita esse intelligendum, vt explicatum est. Nam alioquin, sibi non constaret. Si vero hanc eius inconstantiam admittamus, maior posteriori decreto habenda est fides, quod à Pontifice vna cum Cōcilio conditum est; quam priori, quod solum Concilium sine Pontifice, hoc est corpus sine capite constituit. Sed, vt Constantiense Concilium omittamus, Gersonis opinionem erroneam plane esse, tum scripturarum & Conciliorum auctoritate, tum euidenti ratione confici breuissime potest. Scriptura quidem nusquam Ecclesiæ, aut Cōcilio in suos Pastores auctoritatem tribuit, multo minus in summū Pastorem. Sed contra S. Paulus in actis Apostolorum cap. 20. ait à Deo Episcopos ad regendam Ecclesiam constitutos. Christus vero suo Vicario Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, vbi cùm S. Petrum Ecclesiæ fundamentum statuit, mystici eiusdem Ecclesiæ corporis caput esse voluit: quod enim est fundamētum in ædificio, id est caput in corpore: capitis autem in reliqua membra, non membrorum in caput potestatem experimur; ita apud S. Ioannem cap. 21. Cùm S. Petro dixit Christus, *pasce oues meas*, vniuersi sui ouilis pastorem creauit. Atqui dubium non est, quin Pastor in ouile potestatem habeat, cùm illam in Pastorem ouile non habeat. Deniq; cùm dixit Christus Luc. 12 *Quis est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* ostendit proculdubio Episcopum in particulari Ecclesia, Papam in vniuersali, velut in Dei familia Oeconomum, & dispensatorem esse. Et sicut œconomus in familiam potestatē habet, non in œconomum familia: ita Episcopus in suam Diœcesim, Pontifex in omnem Ecclesiam; non Diœcesis in Episcopum, neq; Ecclesia licet Concilio coacta in Pontificem habet. Quocirca ibidem subdit Dominus. *Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, edere, & bibere, & inebriari; veniet Dominus serui illius, in die, qua non sperat, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Quibus ex verbis intelligitur, cùm in Dei familia œconomus perperam rem administrat, nequaquam ipsi Deo placere, vt à familia multetur, sed penes se tantum ipsius tum iudicandi, tum puniendi auctoritatem esse vellet. Cùm igitur iuxta scripturas nulla in Ecclesia, & consequēter nullam Concilium, quod Ecclesiam repræsentat, potestatem habeat in summum Pontificem; optime concluditur à Pontifice ad Cōcilium prouocari non posse, à Concilio ad Pōtificem posse. Hoc idem quod ex scripturis ostendimus, sacra Concilia testantur. Cum S. Marcellinus Papa in id lapsus est crimen, vt mortis metu Idolis sacrificium offerret, coactū est magnum Sinuessæ, vt ea de re ageretur, Cōcilium, sed confestim vniuersi Patres fassi sunt apud se Pontificis iudicandi potestatem non esse. *Prima sedes à nemine iudicabitur.* Huius Concilij meminit Nicolaus I. in epistola ad Imperatorem Michaelem. Concilium etiam Romanum à S. Syluestro Pontifice congregatum canone vltimo statuit. *Primam sedem*, hoc est Romanum Pontificem: *iudicari à nemine posse.* Concilium Chalcedonense, quod inter prima quatuor generalia Concilia numeratur, actione tertia, Dioscorū Alexandr. Patriarchā, vniuersumq; Concilium Ephesinum secundū damnat, quod Romanum Pontificem iudicare ausi sint. Si igitur à Romano Patriarcha proximus vna cum generali Cōcilio potestatē non habet iudicandi Pontificis; aperte deducitur Concilium supra Pontificem non esse: alioquin in illum ferre sententiam posset. Accedit Concilium Romanum 5. quod Symmacho Pontifice veluti proprium decretum, Ennodij illud dictū approbauit: *Aliorū hominū causas Deus voluit per homines terminari; Sedis istius Præsulem suo (sine quæstione) reseruauit arbitrio. Voluit Petri Apostoli successores cælo tantū debere innocētiā.* In Concilio general. 8. act. 7. hæc habemus. *Romanū Pontificē de omnium Ecclesiarum præsulibus iudicasse, de eo vero neminem iudicasse legimus.*

Nar-

A Narrat Paulus Aemylius l. b. 3. hist. Cùm magnum Episcoporum Concilium coram magno Carolo ob quædam quæ Leoni 3. Papæ obijciebantur coactum esset, vna omnes Patres exclamasse nemini licere de summo Pontifice ferre sententiam. Concilium generale Lateranense sub Alexand. 3. cùm de ratione creandi Pontificis decretum conditurum esset, ait in illud negotium peculiari diligentia incumbendum: Nam si quis in eo committatur error, ad superiorem confugere nemo amplius potest, cùm in terris Pontifice superior reperiatur nemo. legatur cap. licet de electione. Postremo Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 11. expresse decernit Pontificem quouis Concilio superiorem, ac proinde illius solum esse Concilia aduocare, transferre, dimittere.

B Si igitur ipsa Concilia fatentur Pontifici se esse subiecta, quis iure affirmare audebit Concilium Papa superius, aut à Papa ad Concilium iure prouocari? Sed videamus num ratio, quæ verbo Dei nititur, hoc ipsum confirmet. Sancta Ecclesia similis non est Venetorum aut Genuensium, aut cuiuspiam alterius Ciuitatis Reipublicæ, quæ Principi potestatem suo arbitratu tribuit adimitque qua de causa Rempublicam Principe superiorem iure quis dixerit: neq; itidem temporali regno conferri potest, vbi Populi in Monarcham suam transferunt potestatem; & aliquando, si res tulerit, regio se dominatu liberare inferioresq; magistratus constituere possunt, vt olim à Romanis factum accepimus, cum à Regum dominatione ad consulare Imperium transierunt. Christi

C enim Ecclesia Regnum est absolutissimum, & Monarchiæ genus, quod à Populis minime pēdet, nec ab illis ortum habuit, sed à diuina tantum volūtate. *Ego autem* (ait Christus Psal. 20.) *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctū eius.* & Angelus Virgini Luc. 1. *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Sexcentis alijs scripturæ locis idem habemus. Quòd vero id regnum ab hominib. non pendeat, ostendit Christus, cū ait. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,* Ioan. 15. & nos idem fatebimur cum dicemus: *Fecisti nos Deo nostro regnum:* Apoc. 5. quæ etiam causa fuit, cur huiuscemodi regnum in sacris litteris cùm familia conferretur; *quis est seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Matt. 24. Nam Paterfamilias à

D familia non pendet, neque à familia auctoritatem accipit. Cùm ergo hoc verissimum sit, necessario sequitur Generalem Christi Vicariū ab Ecclesia non pendere, sed à Christo solum, à quo omnem auctoritatem accepit; vt videre etiam licet in Regnis temporalibus, vbi Prorex non à Regno sed à Rege auctoritatem habet, ab eoq; solum iudicari ac puniri, non à Populis potest. En igitur quam turpiter Gerson hallucinatus sit, quanq; turpiter hallucinentur ij, qui eum sequuntur cùm sacris Scripturis, sacris Concilijs apertissimæq; rationi aduersetur; si verò id quod ipse Gerson dicere solitus erat, huic afferret eius interpres, verba nimirū, quæ legimus Mat. c. 18. *dic Ecclesiæ & si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus;* respōderem eo loco pro Ecclesia Prælatū intelligi, qui Ecclesiæ Caput est. Ita exponit. S. Io. Chrysost. hō. 61. in Mat. & Innoc. III. in C. Nouit. de Iudic. ita ostendit praxis Ecclesiæ vniuersalis, toto terrarum orbe, omnibusq; sæculis vsu recepta, vt qui peccatorem Ecclesiæ denunciare huiusmodiq; præceptum seruare velit non Cōcilium cogat, sed ad Episcopum aut ad eius Vicarium confugiat.

Nona consideratio *est in contemptum Clauiū nō incurri si Pontifex, enormissimo & maximo scādalo sua potestate abutatur.* Hæc cōsideratio vera quidē est, sed ingentē in Summi Pontif. Sanctamq; Apostolicā Sedem iniuriam infert, cum perinde loquitur quasi Regni Cœlorū clauib. tam iniuste abuti solita sit. Non absimiles recentiorum sunt Hæreticorum artes, qui vt apud omnes Pōtificiam potestatem in inuidiam vocent, infames calumnias, quas Sathanas ipsorum Caput comminiscitur, huc illucque disseminant. Venetorum esset ab hisce defensorib. non solum abhorrere, sed etiam eorum impudentiam seuerissimis supplicijs coercere.

Decima consideratio, *est eos in contemptum Clauium non incidere, qui cōtra illas sententias, de quib. diximus, se potestate seculari tuentur, docet. n. natura lex, vim vi repellere.* Hæc verò perniciosa est doctrina, ex qua innumerabilia facile oriātur scādala. nā tametsi dictū illud *Vim vi repellere licet,* verū est; multa tamē habet, quib. est veluti limitib. coercēdum. nā & vis iniusta esse, & omni alio præter vim carere remedio, & resistētia incōtinens esse debet, aliaq; id generis vt exponit Syluester, verbo *bellū* 2. alijq; Doctores qui eā rē tractāt. Propterea hoc dictū, si eo summa prudentia in ijs quæ accidunt, non vtamur, maxima plerūq; incōmoda pariat necesse est. cùm apparitores aliquē comprehendunt, manusq; vinciunt, vim profecto illi afferunt; tamen apparitorib. vim afferre nō licet ea specie, quod *vis vi repelli possit;* pari ratione cū damnati ad triremes trāstris alligantur, inflictisq; verberib. remos agere cogūtur; quis dubitet, quin magna illis inferatur vis? tamen nemo sanæ mētis affirmabit eos inijcere iure posse manus in eum à quo verberantur: ita cū ab Ecclesiastico aut seculari Superiore cogitur quis res ablatas, famamq; reddere, fidē promissaq; seruare, profecto eū, qui in hunc modū cogitur, resistere, aut repugnare superiori suo posse quis affirmauerit? Atq; vt innumerabilia exēpla omittam, cùm interdū Magistratus aut Princeps tributis, alijsq; onerib. Populos premit, atq; ad ea persoluenda cōpellit, minimè gratum illis esset (vt arbitror) si quis eosdē Populos ad defectionem sollicitaret, hoc dicto *Vim vi repellere licet.* Quæ demum esset in domibus, in Ciuitatibus, in Regnis perturbatio, si aduersus quācunq; vim vim quisq; suam opponere posset, seq; illo axiomate tueretur naturali iure licere *Vim vi repellere.* Sed si de vi loquamur, qua vtuntur Prælati, vbi censuris subditos ad aliquid obseruādum adigunt; perspicuum sanè est huic vi minimè obsistendum. nā si is qui Ecclesiā nō audit nobis iuxta Christi præceptū, sicut Ethn. esse debet & Publicanus: is profecto qui per vim Ecclesiæ resistit, Ethnico & Publicano nobis deterior esse debet. Quod verò pertinet ad seculariū Princ. auxiliū aduersus excōmunicatio

nes

nes postulandam, iam pridem Sacrum Tridentinum Concilium huic malo consuluit, cùm edixit expressè sess. 25. cap. 3. *ne seculares Magistratus Ecclesiastico Iudici prohibeant, ne quem excommunicet, aut mandent vt latam reuocet excommunicationem, cùm non ad seculares, sed ad Ecclesiasticos hac cognitio pertineat.* Postremò si rem de qua agitur perpendamus; alienissimum est illud dictum afferre. *Vim ui repellere licet.* Vis enim quam Summus Pontifex Reipublicæ Venetæ infert, paterna est ac iusta, & scripturis Sacrisq; Canonibus congruit, omnibusque sæculis à S. Ecclesiæ Prælatis vsurpata est; quin etiam remedium habet in promptu, absq; eo quod quis ad vim vel ad alterius Principis auxilium confugiat: obedientiam nimirum, atq; humilitatē, sine qua alia omnia vanissima sunt.

Vndecima consideratio est, *incidere neminem in contemptum clauium, cùm Iurisperitus aliquis aut Theologus in conscientiam suam recipit aliquas huiusmodi sententias timendas non esse, si præsertim probe doceantur infirmi, caueaturque ne in ijs sequatur scandalum, qui Pontificem velut Deum existimant maxima tum in Cœlo tum in terra potestate præditū.* Hæc consideratio, vt modestè loquar, parum considerationis habet. Dixisset saltem Gerson rudem atque ignarum in rebus dubijs Theologo, aut Iurisconsulto, cuius magna doctrinę & probitatis fama sit, se posse permittere; At verò eius, qui se cuicunq; Theologo, ac Iurisperito permittere posse dicat, in rebus præsertim, quæ ad Summi Pontificis obedientiam pertinent, insignis est temeritas. Nam dubium non est sed certissimum in rebus dubijs superiori obtemperandum, ac tum solum detrectandum imperium, vbi planum sit Dei præceptis contraria mandari. Præterea quot Theologi, quotq; Iurisperiti reperiuntur, qui vel per inscitiam, vel per animi prauitatem decipiantur? & si alius te in hunc modum doceat, alius contra sentiat, quem demum de tua causa rogabis? certe quidem seculares Principes nulla ratione finerent, vt vbi, sententiam tulerint, ipsorum imperio subtrahere se posset reus eo quod Iurisperitus aut Theologus in conscientiam suam receperit eam sententiam nihili faciendam. Quanto igitur intolerabilius hoc est in Christi Vicarij obedientia, cui Christiani omnes diuino iure subditi esse debent? si verò infirmi Papam vt Deum venerantur, putántque penes illum tum cœli, tum terræ potestatem esse; magis omnipotenti Deo grata est horum infirmitas, quam illorum fortitudo, qui cùm sibi optimè sapere præ cæteris videantur Christi Vicarij auctoritatem deprimunt: quemadmodum hac tempestate omnes hæretici facere non verentur. Neque verò magnum, aut incredibile videri cuiquam debet, si Pontifex velut Deus in terris habeatur. de omnibus enim Principibus ait Psalmista *Ego dixi Dij estis:* neque absurdum est tribui omnem potestatem Pontifici in cœlo & in terra, cùm Christus dixerit. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis*, quod tamen sano modo à veris doctisque Catholicis intelligitur, & exponitur. Vt igitur rem paucis complectar, verè illud me affirmare puto tantam esse Pontificis potestatem, vt pauci sint qui eam animo com-

A prehēdant; siquidem is omnia efficere potest, quæ necessaria sint vt ad cœli beatitudinem animas deducat, omniaq; impedimēta remouere, quæ Mundus ac Diabolus quibuscunq; viribus ac fraudib. queant interponere. Quare S. Cyrillus, quem citat S. Thomas in opusculo de primatu Petri ait, Sicut Christus plenissimam à Patre potestatem accepit in vniuersam Ecclesiam, ita S. Petro eiusq; successorib. plenissimam à Christo in vniuersam Ecclesiam traditam potestatem.

Duodecima consideratio est, *ab ijs contemptum clauium foueri, qui cùm clauium abusioni resistere debeant, dissident inter se, mutuoq; sibi sunt impedimento, negandum sane non est tentanda esse omnia, magna animi demissione, apud Summū Pontificem sicubi non benè edoctus iniustas sententias* B *pronunciet; sed si humilis diligentia nihil proficit, magno animo ac virili libertate obsistendum.* Hæc consideratio Gersonis temporib. mirificè congruebat, cùm. n. tunc trium Pontificum Schisma vigeret: vnusquisq; eorum contra illos, qui reliquos sequebantur, excōmunicationes ferebat. quare optimum factu erat, quò Christiani ad Schisma de medio tollendum consentirent, vt parui eiusmodi excommunicationes penderent, ac dissipatæ & conuulsæ Ecclesiæ coniunctioni studerent. non enim exploratum adhuc erat quisnam ex illis Christi esset Vicarius: nūc verò quoniam Dei beneficio vnum habemus Pontificem eumq; certissimum, Gersonis consideratio non facit ad hanc controuersiam: neque aliud quicquam efficit, nisi vt membrorum aduersus Caput nouum Schisma inducat.

C

RESPONSIO AD ALTERVM GERSONIS *opusculum, quod inscribitur, Examen illius assertionis, Sententia Pastoris etiam iniusta, est timenda.*

IN Secundo opusculo idem Ioannes Gerson refert. *Apostolicum quendam Commissarium in publico processu huiusmodi assertionem posuisse: Nostræ sententiæ licet iniustæ, & obseruandæ & timendæ sunt.* In quæ verba seuerè admodum animaduertit pluribus propositionibus, quæ hic subijciuntur.

Primum assertio hæc falsa est. Secundo Assertio hæc est impossibilis. Tertio Assertio hæc est erronea quod ad mores spectat. Quarto Assertio hæc suspicionem habet hæresis. Quinto Assertio hæc auctorē adducit D *in suspicionem fidei, ac propterea in iudicium est vocandus, vt explicet, vel retractet sententiā: si verò pertinax fuerit, sæculari potestati tradendus est.*

Hæc breuiter est Gersonis Censura, quæ quam iusto sit seuerior, ex his, quæ mox disputabimus, patebit. Commissarius ille siue verus siue fictus tandem sit, illud dixisse non contentus suas sententias etiam iniustas timendas, iuxta ea, quæ docuit Sanctus Gregorius, addidit etiam obseruandas. & quanquam id omittere poterat, non adeo tamen prauum est, vt tàm rigidè (sicut arbitratur Gerson) plecti debeat, qui perperam illud est interpretatus, quod in bonum sensum trahi poterat. Duo ille reprehendit, nos itidem duo breuiter exponemus. Ac primum quidem reprehendit, quòd sine vllo discrimine, &

sine

sine vlla diuisione dixerit suas sententias etiam iniustas timēdas esse. videtur.n. voluisse omnes sententias iniustas metuendas. Non ignoramus tamen, non omnes iniustas sententias metuendas, sed eas tantum, quæ cùm iniustæ sint, sunt etiam validæ, vt colligitur ex Gratiano 11. q. 3. per totum. Respondemus Commissarium eo loquutum sensu, quo S. Gregor. Sacriq; Canones loquuntur. Et sicut quòd S. Greg. sine vllo discrimine, aut distinctione dicat sentētiam pastoris siue iustam, siue iniustam timendā esse, non colligimus quamcumq; Pastoris sententiā timendam esse, sed illam solum quæ irrita non est, licet iniusta; ita neq; ex Commissarij verbis colligendum est omnes sententias metuendas, sed illas tantùm quæ apertè inualidæ non sunt, quamuis iniustè sint latæ. Quare quod Cōmissarij verbis imponitur, etiā S. Gregorij verbis imponi posset. Secundò reprehendit Gerson Commissarium, quòd dixerat suas sentētias licet iniustas, & timendas, & obseruandas esse: aliud enim est obseruare aliquid, aliud timere. Tyrāni nequitia metui quidem potest, obseruari non item. Si quis verò iniquitatem obseruandam dixerit, vehementer errat. Respondetur, Commissarium vt credibile est, non de iniquæ rei pręcepto loquutum, sed de sententia excommunicationis quatenus pœna est, quæ hominem sacramentorū participatione, ac fidelium cōsuetudine priuat; quo sensu optimè dicitur excōmunicationis sententiā iniustam timendam esse, & obseruandam. non. n. duo sunt excommunicationem timere, & excommunicationē obseruare. qui enim illam timet, Sacramentorum participatione abstinet fideliumq; consuetudine, atq; ita eandem obseruat. & contra qui eam nō obseruat, sed cū fidelib. consuetudinē habet, Sacramentorumq; fit particeps, eandem minimè timet. Itaq; Gerson inter sententiam, quæ aliquid præscribit, & sententiam quæ aliquo priuat, æquiuocatione deceptus, cū in disputatione sua vano hoc fundamēto innitatur, mirum non est si tanquā ex inani semente inanes etiam fruges colligat. Sed demus Cōmissarium de sententia loquutum quæ aliquid proposita excommunicatione præcipit. ne ita quidem malè loquutus est; nam ea sentētia aut aliquid aperte bonum præcipit, vt aliena restituere, aut aliquid aperte malum, vt furari, blasphemare, aut dubium quid, de quo vtrū malum sit necne, cōtrouersum est, vt ad bellū ire, de cuius æquitate dubitatur. Si quid pręcipit aperte bonū; obseruanda est & timenda, hoc est illud faciendū, quod pręscribit, ob excōmunicationis propositæ metum, & fieri potest, vt huiusmodi sententia iniusta sit, quòd non tres præcesserint admonitiones, & tamen valida, quia bonū aliquod præcipit, atq; ab eo fertur, qui eius ferendæ potestatē habet, quiq; semel saltem peccantē admonuit. si dubium est, vtrū bonum aut malum præcipiat, est etiā obseruāda ac timenda. vbi.n. dubitatur, superioris iudicio parere debet subditus: vt ex S. Patribus perspicuū est, & nos supra docuimus. Si sententia rem pręcipit, quæ aperte peccatū habet; tūc neq; obseruanda neq; timenda est. si quis autē obseruandā diceret, grauiter erraret, ac seuerissimam Censuram, quam quinq; propositionib. complexus est Gerson iure subiret. Nam procul dubio falsum est, sententiā, quæ aliquem ad peccandū compellit, obseruandam esse: neque verò fieri potest, vt sententia peccatum præcipiat, & ad sui obseruantiā aliquē cogat. præterea erroneū id esset asserere quod spectat ad mores, nam iniq; agere docet, nec minus quod ad fidem pertinet. nam qui dicat licere male agere, hæreticus est, quod si eū non pœniteat, seculari potestati est tradendus, vt iusto afficiatur supplicio; atq; huiusmodi sententia non solum non est obseruanda, sed ne timenda quidē. nam Saluator ait. *Nolite timere eos qui occidūt corpus*, & satius est mortē oppetere, quā huiusmodi iniquæ legi obtēperare. Quare quartum mēbrum illud, quod Gers. attulit, nimirum aliquā sententiam timeri, non autē obseruari posse, si de timore loquamur qui ad obseruationē inducit, nusquā reperitur, quamquam naturali timore formidari Tyrannus potest, qui iniqua præcipiat, sed ne in hoc quidē peccauit Cōmissarius, nam semper de iniusta sententia quæ valida sit sermonē habuit, cuiusmodi ea nō est quæ peccatum præcipit, quam nullā perspicue esse cōpertum est. Habemus igitur quā vana sit Gersonis disputatio, cum nulla firma renitatur. Habemus pręterea Interpretem qui hæc opuscula edidit, vt Venetos doceret Summi Pontif. sententiam & iustam, & validam contēni posse, plus aliquanto præ se tulisse malitiæ quā ingenij, aut iudicij. Adijcit ad hanc disputationē Gerson aliquot propositiones, vt ostēdat quid Christianiss. Gallor. Rex pro libertatis Ecclesiæ Gallicanæ defensione facere & posit & debeat. De quibus agere non est huius loci, primū quidem, quia omnes eo nituntur fundamento, potestatem Concilij Papę potestati pręstare. neq; enim aliam ob causam contendit Gerson veteres à Pontifice Canones, in quib. tum Gallicanæ Ecclesiæ suam constituebant libertatem, mutari non posse, nisi quia existimat eos Canones, qui Conciliorum decreta sint, Pontif. potestati nequaquam esse subiectos. At euersum est huiusmodi fundamentum, neque vlla putamus ratione Venetis probari posse. Deinde quia post Gers. tempora in Lateranensi Conc. sub Leone X. pragmaticæ derogatum est, qua se Gallicanæ Ecclesiæ tuebantur, conuenitque inter Leonem Summum Pontif. & Christianiss. & Regem. Atque ita hoc tempore nulla amplius Gallicanæ libertatis est mentio aduersus Summum Pontif. imo Christianiss. Rex vniuersiq; Gallor. Episcopi pacem & cōsensionē cum Romana Ecclesia, quæ ipsorum est mater, cumque Patre qui Pontifex est Christi Vicarius, & S. Petri successor, mirifice custodiunt. Tertio quia Gallicana libertas, de qua scribit Gerson omnino ei libertati dissimilis est, quā hac tempestate vsurpat Venetor. Resp. illa enim veteribus nitebatur Canonibus, hæc Canonibus tum veteribus tum recentibus aduersatur.

(?)

ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S.R.E. CARDINALIS,

RESPONSIO AD TRACTATVM *septem Theologorum Venetorum*,

SVPER INTERDICTO SANCTISSIMI D. N. PAPAE PAVLI V.

NECNON ALIAE DVAE EIVSDEM CARDINALIS RESPONsiones: Quarum priori F. PAVLI *Ordinis Seruitarum: Posteriori* IOANNIS MARSILII *oppositionibus respondet.*

PROPOSITIO PRIMA, SEPTEM DOCTORVM VENETORVM.



RAECEPTVM *superioris (etiamsi fuerit Summi Pontificis) neminem obligat ad executionem & obedientiam nisi fuerit solenniter publicatum, & denuntiatum.*

RESPONSIO.

VErisimum est præcepto superioris, sicut etiam lege, neminem teneri nisi publicè denunciatum & promulgatum fuerit. Quod non modò Sanctus Thomas *in 1. 2. quæst.* 90. docet: sed etiam manifestè colligitur è sacris Canonibus: *dist.* 4. *can. in istis.* Et cap. *Cognoscentes de constitutionibus.* Et ex Iure Ciuili: *l. leges, Cod. de legibus, & Auth. vt factæ nouæ constitutiones.* Et ex ratione naturali: Quia lex est sicut regula secundum quam actiones humanæ dirigendæ sunt: fieri autem non potest vt regula officium suum faciat, nisi per publicam notitiam mentibus illorum, qui secundùm hanc regulam operari debent, applicetur. Quod verò aduersarij adiungunt, & dicunt multas leges & præcepta Summorũ Pontificum non obseruari, nec vim habere in aliquibus regnis, eò quòd publicata nõ sint, quale est decretum Concilij Tridentini de clandestino Matrimonio, quod non seruatur ijs in locis, vbi publicè denunciatum non est: in hoc errant manifestè; quia necessarium non est legem (præsertim Pontificiam) in omnibus Prouincijs & Regnis publicari: sed satis est eam promulgari vno aliquo in loco, ex quo deinceps ad aliorum notitiam emanare posit; de

A quo habemus textum, qui loquitur expressè & in ipsa materia interdicti, quale est præceptum Sanctiss. Domini Nostri Pauli V. de quo modò controuersia est. Textus est Innocentij Papæ eius nominis III. *in titulo, de Postulat. Prælatorum, cap. primo,* quod incipit, *Adhac.* Quidam Episcopus Franciæ ab interdicti obseruatione sese excusabat, eo quod sibi non fuerat denunciatum. Cui respondet Innocentius his verbis. *Quod nec sufficit, imò nec proficit ad excusationem prædicti Episcopi, cum Cardinalis idem sententiam interdicti præsentibus multis solenniter ac publicè promulgauit: & eadem interdicti sententia in Regno Francorum iam à mul-*

B *tis publicè cæperit obseruari: nec sit necessarium, cum constitutio solenniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel literas inculcare: sed id solum sufficit, vt ad eius obseruantiam teneatur, qui nouerit eam solenniter editam aut publicè promulgatam.*

Conformis huic textui sententia est celebriorum aliquot Doctorum, vt Ioannis Andreæ, vbi declarat postrema illa verba Sexti *Data Romæ,* & Panormitan. in cap. *Nouerit, de sentent. excom.* Syluestr. *verbo lex, numer.* 6.

C Soti *lib.* 1. *de iust. & iure, quæst.* 1. *artic.* 4. *conclus.* 2. Causa igitur cur aliquæ leges siue præcepta Pontificia in quibusdam Prouincijs non obseruentur, non est hæc quod vel publicata, vel recepta in eis non fuerint: nam quando Summus Pontifex constitutionem aliquã, aut præceptum sancit vniuersale, non est in arbitrio populorum illam recipere, aut refutare, sed tenentur omnes illam recipere, cum Summus Pontifex sit legitimus superior omnium Christianorum, & potestatem suam non à populis, sed à Deo habeat: & idcirco peccant qui nolunt recipere Summi Pontificis constitu-

tiones: nec potest induci contraria consuetudo, nisi prius Pontifex ei consenserit. Hæc est communis doctrina D. Thomæ, 1. 2. *q.97. art.3.* Soti *lib.1.de iustit.& iure.quæst.7.art.2.*& aliorum. Causa verò, cur non seruentur, hæc est, quod vna eademq; lex sæpè non congruat omnibus locis, ac propterea: Principes aut populi talium locorum Pontificem supplices adeunt, eique obstantes difficultates quo minus illam obseruare posint exponunt: quibus cognitis, Summus Pontifex permittit, vt in illo speciali loco ad illius legis obseruationem non teneantur: quemadmodum etiam non raro Summus Pontifex aliquid constituendo præcipit vni tantum Prouinciæ, non autem alteri, prout iudicauerit expedire.

Quod autem attinet ad speciale illud decretum Concilij Tridentini, de reformatione Matrimonij mirum non est, decreto hoc, eos minimè teneri, quibus non est publicatum: cùm idem Concilium statuerit, decretum ipsum in omnibus parochiis publicè promulgari, nec prius quenquam illo obligari, nisi post elapsos triginta dies à publicatione facta in ea ipsa Parochia. Legatur primum Cap. *de reformatione Matrimonij, Sess.* 24. Alia verò eiusdem Concilij decreta, quæ non habent præceptum annexum, vt publicari debeant per omnes Parochias, obligant vniuersum populum Christianum sola publicatione Romæ à Summo Pontifice PIO Quarto facta. Quæ si quibusdam in locis non obseruantur, causa non est quod publicè in eis promulgata non fuerint, cum in alijs locis in quibus etiam non sunt publicata, tamen obseruentur: sed ob alias quæ ab eis afferuntur causæ, de quibus modò tractare superuacaneum foret. Interim verò hoc certum sit, illos non excusare sese quòd ibidem promulgata non fuerint: quemadmodum nec vnquam ab eis postulatum fuit, vt publicationem permitterent, sed vt obseruantiam inducerent.

PROPOSITIO SECVNDA.

NON fuit publicatum interdictum in Ciuitate & Dominio Veneto: Quod constat ipso facto, non enim fuit in Ecclesiis, aut alijs locis publicis ex Prælatorum & Superiorum Ordinariorum præcepto lectum: nec ita affixum, vt posset conspici à populo, aut ab ijs ad quos pertinet illud obseruare.

RESPONSIO.

Iam demonstratum est non esse necessarium, in omni loco interdictum publicari: sed sufficere vt in eo loco solenniter ac publicè promulgetur, è quo ad omnium notitiam posit dimanare. Nemo autem inficias ibit, esse solenniter publicatum in vrbe Roma, ad quam omnium ferè nationum ex varijs orbis terræ partibus concursus est; vbi omnium Principum legati resident.

Nec similiter negari potest, peruenisse illud ad notitiam Dominorum Venetorum, ac

A populorum illis subiectorum, cum affixa fuerint multa monitoria Apostolica in vrbibus Dominio Veneto vicinis, & quædam etiam in diuersis locis eiusdem Dominij Veneti: Et quando Romæ promulgata est interdicti sententia, præsentes ibi fuere tum Legati Reipublicæ Venetæ, quorum vnus ordinarius, alter extraordinarius erat: tum etiam plurimi ex Prælatis Venetis: Religiosi verò omnes, qui Venetiis, ac tota ditione Veneta excesserunt, ne vi ad interdictum violandum adigerentur, quid & aliud declarant, quàm in illis locis iam tum cognitam fuisse interdicti sententiam? Ipsi denique qui vetuerunt ne Apostolica monitoria reciperentur; quique modò totis viribus adnituntur, ne interdictum seruetur, ac tot libris conscriptis & editis, probare conantur illud seruari non

B debere, qua tandem ratione prætendere possunt, se sufficientem interdicti notitiam non habere?

Obiiciunt hic aduersarij sibimetipsis: aliquem posse contra opponere, causam cur Venetijs interdictum minimè cognitum sit, huic rei adscribendam esse, quod Domini vrbis Venetæ impediunt, quo minus publicè ac solenniter promulgetur, adeoq; ignorantiam illorum affectatá esse, quæ nihil ipsos excuset. Quæ obiectio non erat necessaria, quandoquidem non asserimus Venetijs hanc affectatam ignorantiam, sed potius affirmamus nullam prorsus ibi esse Interdicti ignorantiam, cum illud notissimum sit non modò Venetis, sed & vniuersæ Italiæ, Franciæ, Hispaniæ, Germaniæ ac toti propemodum terrarum orbi.

C Sed in præsenti demus huiusmodi ignorantiam affectatam, quæ certè secundum Doctorum omnium sententiam non excusat, nec imminuit, immò aggrauat peccatum: videamus ergo quid septem Doctores huic obiectioni respondeant.

Aiunt siquidem multa præcepta Apostolica, atque etiam ipsum Concilium Tridentinum non esse publicatum in quibusdam regionibus, eò quod gubernatores illarum impediant ne publicè promulgentur: Et in Regno Neapolitano nullum omninò præceptum Apostolicum publicari, nisi accedat, vt vocant, Regium exequatur. Et quamuis Summus Pontifex in suis constitutionibus adijciat sufficere solam illarum in vrbe Roma publicationem, eas tamen nihilominus non obseruari. His autem respondere possemus trita

D illa & communi sententia. Adferre inconueniens non est soluere argumentum. Sed non egemus hoc perfugio cum responsio in promptu sit. Non agi scilicet modo de quibuscunque constitutionibus aut præceptis, sed de sententijs tantum excommunicationis & interdicti: Quæ sententiæ vim suam habent in Regno Franciæ, & Neapolitano, etiamsi Romæ tantum publicatæ fuerint. Omitto nunc breuitatis causa tum plurima, quæ hac in re adduci posint, exempla Regum & Principum; tum etiam innumeros casus hominum priuatorum, partim Francorum, partim Neapolitanorum, qui per sententiam Romæ tantummodò publicatam excommunicati, vt in

eius

cius notitiam deueniunt, quamprimum se absolui & liberari curant.

Adferunt aduersarij aliam insuper obiectionem contra seipsos, illamque dissoluere conantur. Obiectio talis est. Multi Religiosi timoratæ conscientiæ, sibi inquiunt curæ non esse, iuridicè scire, num Ciuitas & Ditio Veneta subsit Interdicto, sed tantum sibi sufficere notitiam interdicti, ex literis superiorum suorum accepisse: ac proinde se non posse tuta conscientia illud non obseruare. Respondent huic obiectioni ex doctrina Nauar. *cap.* 16. *Enchirid. numer.* 40. Et *capit.* 27. *numer.* 288. quæ innititur sacris Canonibus. *cap. Inquisit. de sentent. excommun.* Et *cap. Dominus, de secundis nuptijs:* quod nimirum aliqua notitia sufficiat interdum pro vno effectu, non autem pro alio: vt exempli gratia: Si quis dubitans, mortua sit, nec ne prima sua vxor, alteram ducat, illa notitia dubia sufficit ad non petendum debitum coniugale à secunda vxore: quia in hoc nulli præiudicatur: at minimè sufficit ad non reddendum eidem vxori debitum si petatur, quia faceret illi iniuriam: Et hæc est resolutio Canonum citatorum: Ita dicunt, priuatam notitiam quam Religiosi illi de interdicto habent, sufficere quidem eis posse ad interdicti obseruationem, nisi populi præiudicium inde sequeretur: at quoniam interdictum hoc non leuia damna populo adfert, vti declarat Soto 4. *distinct.* 22 *p.*3. *art.*1. idcirco dicunt prædictos Religiosos contentos esse non debere illa probabilitate quam per literas Superiorum suorum acceperunt, nec per eam ad interdictum seruandum induci, nisi prius à proprio Cathedralis Ecclesiæ Prælato illud eis denunciatum fuerit. *Arg. in Clement. Ex frequentibus de sentent. excomm.* Solutio hæc non est eiusmodi, vt satisfaciat pijs & timoratis bonorum Religiosorum conscientijs: quia Nauarrus loquitur de notitia ita dubia, vt quis possit tranquilla conscientia credere contrarium, quapropter eodē in loco Nauarrus dicit. Eum qui dubitat, num coniunx eius defuncta sit necne, non posse reddere debitum coniugale alteri coniugi, antequam illam dubietatem deponat. Redditque rationem. Quod scilicet licitum non sit aliquid facere, de quo quis dubitat an sit mortale. At Religiosi qui Venetijs excesserunt, non habebant dubiam sed certissimam & clarissimam interdicti notitiam, nec aliqua ratione hanc dubietatem deponere poterant: eo quod ij qui per literas de interdicto illos certiores reddiderant, non ex locis longè à Romana vrbe dissitis, nec de re quam auditu tantum accepissent scripserant, sed ex ipsa vrbe Roma, in qua solenniter promulgata fuerat Apostolica sententia, ac ijdem ipsi non modò viderant Monitoria publicè affixa, sed etiam illa typis impressa, & authenticata in manibus habuerant. Adhæc quis ambigere poterat de interdicti sententia, cùm cerneret ipsummet Principem Venetum eam publicare, dum publico edicto, ne interdictum seruaretur, vetaret? Quod si aduersarij innitantur verbis Clement. *Ex frequentibus de sentent. excomm.* qua Religiosis sub pœna

A excommunicationis præcipitur, vt interdictum seruent, cùm illud ab Ecclesia Cathedrali seruari conspexerint: non longè tamen ibimus vt responsum afferamus, nam glossa eiusdem Clementina, super verbo *obseruare*, ibidem admonet, non esse hinc petendam consequentiam à contrario sensu; videlicet Religiosos idcircò non teneri ad interdicti obseruantiam, si Cathedralem Ecclesiam illud non seruare viderint: Cuius eadem glossa multas easque efficacissimas adducit rationes, quarum hæc vna est: Credendum non esse illam Clementinam cum ad interdicti strictiorem obseruantiam lata sit, portam patefacere voluisse præuaricationi: & sicuti bonum est Ecclesiam Cathedralem imitari, si Ecclesiæ Principali, & supremæ quæ est Romana Sancti Petri, pareat: ita certum esse malè

B agere illos qui eam sequerentur, si contra faceret. Et videtur mihi glossam hanc quodammodo ventura prædixisse, cùm his verbis concludit. *Excessus ergo Clericorum matricis Ecclesiæ non dabit Religiosis materiam delinquendi.* Loquitur autem ibi de obseruantia interdicti.

PROPOSITIO TERTIA.

Præcepto Summi Pontificis, à quo probabiliter timetur oriturum scandalum, & perturbationem in statu Ecclesiæ, non est ab Ecclesiasticis parendum, quamuis illud sanciat sub pœna excommunicationis lata sententiæ.

C

Responsio.

Haec propositio eget glossa: quapropter necessario sciendum est, duplex esse scandalum, alterum actiuum siue datum: alterum passiuum siue acceptum. Scandalum actiuum (secundùm Sanctum Hieronymum in Commentario super cap. decimumquintum Matthæi) consistit in dicto factove minus probo, hoc est malo, aut mali speciem habente, per quod alijs occasio peccandi præbeatur. Scandalum passiuum in eo consistit, cùm quis ex aliorum verbis vel actionibus occasionē peccandi arripit. Itaque scandalum actiuum peccatum est in eo *qui dat:* scandalum verò passiuum peccatum est in eo *qui accipit.* Potest

D autem accidere vt aliquando vtrunque scandalum, actiuum & passiuum, coniunctum sit: aliquando vt actiuum sit sine passiuo: aliquando vt passiuum sit sine actiuo. Quando quis carmina lasciua concinit, qui verò ea audit, ad impudicum amorem accenditur, vterque peccati reus est, alter ex scandalo dato, alter ex accepto. De hoc scandalo Dominus apud Matthæum cap. decimo octauo, ait. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, &c.* Quando quis quæcunque potest molitur, vt proximum ad peccati alicuius perpetrationem inducat, is verò in Christianis virtutibus probè fundatus & radicatus, nihil mouetur: id scandalum actiuum est sine passiuo: de quo dicit Psalm. centesimo decimo octauo, *Pax multa diligentibus legem tuam,*

& non eſt illis ſcandalum. Et S.Ioannes in epiſt. prima cap.2. *Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt.* Quando quis rectè, & rectà cũ intentione agit & loquitur, & nihilo ſecius alter ex propria malitia aut imperfectione, occaſionem inde malè agendi accipit, tum ſcandalum paſsiuum eſt ſine actiuo, de quo Chriſtus ad Petrum, cùm intellexiſſet Phariſæos ex verbis ſuis ſcandalizari, ait, *Sinite illos, cæci ſunt & duces cæcorum.* His adiunge: boni viri officium eſſe, vt non modo caueat ne cuiquam verbis, aut actionibus minùs bonis ſcandalo ſit; ſed etiam vt ipſa dicta & facta bona, modo neceſſaria non ſint, vel omittat, vel in aliud tempus differat, ſi proximũ inde propter incapacitatem ſuam ſcandalum ſumpturum eſſe prævideat. Quemadmodum Sanctus Paulus 1.Corinth.cap.8. inquit: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum;* Si autem doctrina vel opus neceſſariũ ſit, omitti non debet, propter quodcunque ſcandalum, quod ex eo ſequi poſsit. Id docet Sanctus Gregorius hom.7.in Ezechiel. *In quantum,* inquit, *ſine peccato poſſum vitare proximorum ſcandalum, debemus: ſi autem de veritate ſcandalum ſumitur, vtilius permittitur naſci ſcandalum, quam veritas relinquatur.* Itaque ſecundum hanc doctrinam, ſi præceptum ſuperioris in ſe ſcandaloſum ſit, obſeruari non debet, quamuis ſub excommunicationis pœna præcipiatur: ſimiliter ſi opus in ſe quidem bonum ſit, ſed ex illo ſcandali occaſionem debiles, & infirmi accipiant, & tunc temporis nõ ſit adeò neceſſarium, vel omitti, vel in aliud tempus differri debet. At ſi opus, & bonum, & neceſſarium ſit, adimplendum eſt, nihil obſtante quouis ſcandalo ac perturbatione: hoc pacto intelligendæ ſunt authoritates adductæ: Syluestri Abbatis Cordubenſis, & Canon. Papæ Alexandri III. cùm ſua gloſſa, ac denique rationes adiectæ. In quo nullam exiſtimo, vel dubietatem, vel difficultatem obiici poſſe: Cùm hæc ſit ſententia Diui Thomæ *in* 2. 2. *quæſt.* 23. quam ſequitur Syluester, Nauarrus, aliique Doctores tum Theologi, tum Canoniſtæ. Iudicare autem num ex præcepto Summi Pontificis oriturum ſit ſcandalum, ad inferiores non pertinet, vti paulò infrà demonſtrabimus.

PROPOSITIO QVARTA.

SI Summo Pontifici obtemperaretur, quoad obſeruationem interdicti, in Ciuitate ac dominio Veneto, ſcandala, pericula, & mala innumerabilia inde orirentur.

RESPONSIO.

DVBIVM non eſt: Interdictum eſſe valde terribile flagellum, ac multa ſecum mala adducere: vti Papa Bonifacius in cap. *Alma mater, de ſentent. excomm in 6.* oſtendit; Sed viſum eſt Spiritui ſancto qui Eccleſiam gubernat & moderatur, huiuſmodi flagello in rebelles animaduertere, vt alijs multò grauioribus malis occurratur. Sic Principes ſæculares hor-

A ribiles aliquando Iuſtitias exercent, è quibus familiarum ruinæ, aliaque ingentia mala conſequuntur: ſed eadem quietis & tranquillitatis publicæ aſſecutione compenſant; Sic medici nonnunquam in ægros (vt amariſsimas potiones rigidaſque ciborum abſtinentias, taceam) igne ac ferro ſæuire videntur; Cùm tamen nemo ſit quin fateatur, hanc non eſſe ſæuitiam ſed pietatem, cum ſcopus eorum ſit infirmi ſalus. Verùm enimuerò, quemadmodum culpa malorum ac ſuppliciorum quæ iuſtitiam comitantur, dum in reos exercetur, penes iudicem aliquando reſidet, qui non potuit aut noluit, veritatem diligentius inquirere: Vt plurimum verò penes ipſos malefactores, tota eſt, qui ſuis ſceleribus Iudicem, vt adeò ſeueram ferret ſententiam, adegerunt: culpa B etiam moleſtiarum, quas infirmi patiuntur, aliquando medici eſt, qui cùm indoctus aut non ſatis expertus ſit, remedia adhibet minus neceſſaria: Communiter verò ipſius ægroti eſt, qui ſua inordinata viuendi ratione, medicum ad aſperioris medicinæ impulit vſum. Ita malorum quæ interdictum comitantur, aliquando culpa poteſt eſſe parum prudentis Prælati: ſed vt plurimum illorum eſt, qui ſua inobedientia, & peruicaci obſtinatione, Prælatum ad tam ſeuerè animaduerſionis genus vſurpandum impulerunt. Quocirca ſeptem Doctores fruſtra laborant, ad huius propoſitionis quartæ probationem, ſcandala, pericula & perturbationes, quæ Venetijs ex occaſione huius interdicti euenire poſſunt, enumerantes. Cùm potiùs docere ac planum facere debuerint, C hæc ſcandala eſſe actiua & data, non paſſiua & accepta: Atque inſuper horum periculorum & perturbationum, culpam penes Summum Pontificem eſſe, & non potiùs penes illos, qui ſua inobedientia, & diuturna obſtinatione manſuetudinem Apoſtolicam, hoc flagellum in manus ſumere coegerunt: Exemplo Chriſti, cum in illos qui templum Dei prophanabant, & domum orationis in ſpeluncam latronum conuertebant, animaduertit. Et quoniam ſeptem Doctores hoc, in quo tota ferè controuerſia verſatur, omnino ſilentio videntur inuoluere, nos etiam de eo nil aliud dicemus: cùm præſumptio ſit pro Iudice, quãdo contrarium non probatur. Vnum duntaxat adiungam: Doctores hos conſiderare debere; quod ſi tum illi, tum alij Veneti ex D hoc interdicto ſcandalum ſumunt, è contrariò Chriſtiani reliqui omnes graue ſcandalum ab eis patiuntur, quod interdictum non ſeruent, immò tam impudenti audacia Summo Chriſti Vicario ſeſe opponant, & in contemptum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, alijs ſuadeant eius præcepta violare, libroſque in ſuæ inobedientiæ defenſionem ſcribant & euulgent.

PROPO-

PROPOSITIO QVINTA.

Timor iustus excusat ab obseruatione, atque obedientia cuiuscunq; humanæ legis ac præcepti, quamuis alioqui legitima iusta foret, & obligandi vim haberet.

RESPONSIO.

Quamuis hac de re variæ sint Doctorum sententiæ, nihilominùs in vno omnes cõsentiunt: videlicet, timorem nõ excusare à præcepti humani obseruantia, quando ex violatione præcepti humani sequitur transgreßio præcepti diuini naturalis, vt, exempli causa, Carniũ abstinentia in sexta feria, est præceptum humanum: Et tamen si quis ab hæreticis cogeretur, vt feria sexta carnes comederet, in contemptũ nostræ sanctæ Fidei, aut in signum, & protestationem, sectam Lutheranam amplectendi, non posset illas manducare, quamuis ei mors præsens immineret: Nec timor hic iustus esset, aut illum aliquo modo excusaret, quia fidei contemptus & hæresis profeßio, sunt contra præceptum diuinũ naturale. Hinc est, quod S. Ecclesia in numerũ gloriosorum Martyrum recipiat septem filios Machabæorum, cùm eorum Matre ac Venerando illo sene Eleazaro: qui potius acerbißimis cruciatibus & supplicijs vitam amittere, quam carnem in lege veteri prohibitam gustare maluerunt, quãuis lex illa positiua esset nõ naturalis: similiter præceptum quod vetat Matrimonium, in gradibus remotis consanguinitatis & affinitatis, maximè in tertio & quarto gradu contrahi, est præscriptio humana: Et tamen nemo debet ac potest, quocunq; timore proposito, induci ad ineundum, & multò minùs ad cõsummandum Matrimonium cum persona in tertio aut quarto gradu coniuncta, sine præuia dispensatione: Quamuis enim hoc impedimentum humana lege fuerit inductum, reddit nihilominus hominem ad Matrimonium inhabilem; coniungi verò cum persona propter affinitatem inhabili, non est Matrimonium, sed incestus, qui lege diuina naturali vetitus est. Eodem modo interdictum est quidem censura humani præcepti, quæ tamen non debet qualicunq; etiam timore proposito violari, quãdo is qui ad violationem compellit, id facit ex potestatis Ecclesiasticæ contemptu, quia vt potestas Ecclesiastica non contemnatur, est præceptum diuinum naturale. deniq; ne plura exẽpla huc congeramus, non est licitum quemcunq; etiam ob timorem humano præcepto non obedire, si ex illa inobedientia oriturum esset scãdalum, quia scandalum lege diuina naturali prohibetur. Atque in hac propositione ita exposita, à septem Doctoribus non dissentimus, vti euidenter patet ex illorum declaratione, potißimum in fine, vbi citant Sotum *lib. 1. de Iustit. & Iure, quæst. 6. art. 4.* Et Syluest. *verbo, Excommunicatio. 5. num. 14.* qui docent timorem non esse iustum, nec quenquam excusare, cum præcepti humani violatio, vel inobedientia, coniuncta est cum scandalo, aut cedit in præiudicium fidei.

PROPOSITIO SEXTA.

Timor iustus est, timor mortis: suppliciorum: iacturæ totius, aut maioris partis substantiæ: carceris, &c. neque hoc tantum in ijs quæ ad personam propriam, sed etiam quæ ad personas coniunctorum pertinent.

RESPONSIO.

In hac propositione cum septem Doctoribus, non minùs quam in quinta cõsentimus, quocirca tempus frustra non teremus circa eam; nam difficultas non in his versatur, sed in eo, vt probent huiusmodi timore proposito, non obseruandum esse interdictum, quod tamen septem Doctores nunquam rectè probabunt, nos verò clarè contrarium docebimus in responsione ad sequentem propositionem.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Ecclesiastici ditionis Venetæ iustè metuere possunt & debent, iacturam vitæ & bonorum suorum, necnon grauiora mala, tum priuata tum publica suorum Affinium, si seruauerint interdictum. Et paulò inferius: Cùm igitur iustum timorem habeant, concludimus eos ad præceptum humanum huiusmodi interdicti, etiamsi iustum esset seruandum, neutiquam obligari.

RESPONSIO.

Ex hac propositione cum duabus præcedentibus coniuncta, septem Doctores inferũt, Ecclesiasticos Venetos non debere Apostolicum interdictum obseruare: Quam nos Conclusionẽ falsam & periculosam esse putamus, atque idcircò duplici ratione illam refellemus. Primò, demonstrando Ecclesiasticos Venetos non habere ingentem illum timorem, quem hi Doctores fingunt. Secundò, illos etiamsi adhuc maiora eis pericula, quàm ea quæ prætenduntur, proposita forent, tuta tamen conscientia, interdictum violare non posse.

Primum igitur declaraturi, examinemus rationes, quibus hunc timorem confirmant. Prima est: Populum Venetum, cum sit pius, & ad opera pia, & Christiana propensus, maximè ad Missas audiendas, nunquam permissurum esse, vt hæc eis auferantur: atque adeò hunc eorum zelum erga res diuinas, si ordinaria via finem suum non assequatur, facilè in zelum indiscretum conuersum iri, ita vt etiam vim Sacerdotibus allaturi sint, ne Sanctæ religionis exercitio careant, quod sibi debitum esse, & Summum Pontificem, illud eis interdicendi, nullam caussam legitimam habuisse putant.

Hæc prima timoris ratio vana admodum & futilis est: nam in tot, quæ diuersis tum temporibus, tum regionibus interdicta lata fuerunt, nunquam auditum est populum vi Sacerdotes, vt rem diuinam facerent, impulisse. In regno Poloniæ tempore Papæ Gregorij VII. interdictum tribus integris annis durauit, & patientißimè semper obserua-

tum fuit, & quamuis ibi populus esset pietati plurimum addictus, nunquam tamen vim aliquam, nisi precibus & suspirijs adhibuerunt. Vrbini diuturnius adhuc fuit, quemadmodũ ijdem Doctores in quinta propositione attestantur: & nihilo seciùs adeo sine vlla suspicione popularis violentiæ seruatum ibi fuit, vt etiam postea non nisi magna diligentia, crebrisque adhortationibus, populus ad pristinam Missarum frequentationem adduci potuerit. Quod igitur nec vllo vnquam tempore factum est, nec signum aliquod extat, quo id factum iri suspicemur, non debet timorem inijcere Sacerdotibus Venetis, nisi formidolosiores cæterarum Nationum Sacerdotibus haberi velint. At cur non saltem interdictum seruare cœperunt, in illiusq; obseruantia perseuerarunt, quousque aliqua se suspicio popularis tumultus, siue seditionis ostenderet? quo modo fuerunt tam imbelles & ignaui, vt fugam circumspexerint, antequam quisquam eos persequeretur?

Secunda ratio est, Periculum esse, ne Dux existimans iustis se rationibus in hac controuersia niti: contra Ecclesiasticos commoueatur magno & graui cum periculo vitæ illorũ, & aliqua etiam cum asperiori circumstantia, vti accidere solet in similibus casibus: Et quãuis mors illorum non succederet, alias tamen violentas manuum iniectiones, grauesque offensiones interuenire posse.

Ad hanc rationem respondemus: Terribiles quidem comminationes in Ecclesiasticos auditas esse, at quemadmodum Author octo propositionum in fine operis sui declarauit, id factum dumtaxat est, vt conscientiæ securiores redderentur: hoc est, vt Sacerdotum inobedientia timoris pallio tegeretur. Nam satis constabat Presbyteros & Religiosos nõ eguisse vi ad violandum interdictum, cum suaptè sponte satis ad hoc prompti essent. Quod confirmatur ipso rei successu: nam videmus Religiosis, qui decreuerant obtemperare Summo Pontifici, atque interdictum seruare, quamuis graues illis minæ, mortis etiam propositæ fuissent, relictam nihilominùs fuisse potestatem abscedendi sine vlla offensione. Ex quo conijcitur, si vniuersus clerus, aut saltem omnes Episcopi, cum maxima parte Cleri, tum sæcularis, tum Regularis intrepido animo se Summo Pontifici superiori suo obtemperare, atque interdictum seruare velle respondissent, dubium non est, quin Dux Venetus eorum tum multitudinem, tum dignitatem, & nobilitatem omninò reueritus fuisset: Qui si humaniter egit erga pauperes religiosos, quomodo putandum est, illum eandem humanitatem tam multis eximiæ dignitatis Prælatis, & Clarissimorum eiusdem Reipublicæ Senatorum Consanguineis denegaturum fuisse?

Tertia ratio, quæ ab ipsis firmissima, à nobis cæteris infirmior censetur: in malorum spiritualium periculis innititur. Inquiunt enim per diuturnitatem interdicti, deuotionem extingui, & paulatim viam sterni ad peruersas opiniones, atque animos parum in pietate constantes sensim disponi ad suscipiendas

A falsas Religiones, atque hac ex causa, interdictum, aiunt, antiquis temporibus vltra triduum nunquam durasse.

Huic rationi respondemus: Si interdictum viam aperit indeuotioni, peruersis opinionibus, ac falsæ Religioni: Eadem mala multo faciliùs & efficacius parit inobedientia erga Summum Pontificem. Qua enim deuotione præditi esse possunt, qui Missas & officia diuina celebrant, Ecclesiasticis censuris, excommunicatione, suspensione, atque irregularitate constricti? Quot verò peruersas opiniones pariat inobedientia, quotidie cernimus. Quocirca non modò Sanctæ Inquisitionis officium, quod Romæ est, damnauit scripta omnia, quę Venetijs hac de causa transmittebãtur, eò quod secundum plurimorũ Theo-

B logorum, quorum alij sunt Cardinales, alij Archiepiscopi, alij Episcopi, alij Religiosi præcipuarum Religionum, sententiam plenè inuentæ fuerint erroribus contra fidem: sed etiam in Hispania iidem Sanctæ Inquisitionis officium motu proprio, nec vllo Romanę Inquisitionis præcepto, idem iudicauit ac prohibuit, quod etiam multi ex Episcopis Italiæ proprio zelo adducti fecerunt.

Quod autem hæreses propriè originem ducant ex inobedientia erga Summum Pontificem, Sanctus Cyprianus in epistola ad Cornelium Papam ante mille & trecentos annos his verbis lib.1.Epist.3. testatus est. ***Neque enim aliundè hæreses ortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tem-***

C ***pus iudex vice Christi cogitatur.***

Sed silentio prætereundum non est, quod septem Doctores dicunt, antiquitus interdictum amplius tribus diebus non durasse. Scio equidem illos, nec in vllis historijs, nec in aliqua Ecclesiastica lege id scriptum reperisse. Cùm nos contra demonstrare valeamus interdicta nonnunquam tribus & amplius annis permansisse, vti paulò antè diximus de interdicto Polonico, ab Gregorio VII. lato: imò Gregorius XI. testificatur in Sicilia interdictum quoddam annis sexaginta perdurasse. Sotus verò, quem illi testem citant, *in 4. distinct.22. quæst.3. artic.1.* non dicit absolutè interdictum vltra tres dies antiquitus non durasse: sed in Hispania priscis temporibus sanctum quendam morem inoleuisse, vt cum locus aliquis sub interdicto posi-

D tus esset, populus illius loci per triduum exspectaret; hoc autem elapso, excommunicatos, propter quos interdictum in eos latum fuerat, expelleret, atque ita iustè ab interdicto se vindicabant; ita quod terminus ille trium dierum non à Prælato statuebatur, sed ex populi deuotione atq; obedientia oriebatur: qui non compellebat Sacerdotes, vt Missas stante interdicto celebrarent, sed excommunicatos cogebat, vt vel Prelatis suis obedirent, aut è finibus eorum excederent. Verùm quid hoc Exemplum Venetis prodest, qui nec vno quidem die interdictum seruarunt.

Venio nunc ad alteram partem huius Argumẽtationis, & probo Ecclesiasticos ditionis Venetæ obligatos esse ad obseruantiam inter-

dicti:

dicti: etiamsi verum esset, imminere illis certum periculum amittendi facultates, subeundi supplicia ac priuationis vitæ. Iam antea in hoc conuenimus; interdictum quamuis sit præceptum positiuum & humanum, nihilominus ab illius obseruantia nullum prorsus timorem excusare, quando ex illa non obseruatione sequeretur scandalum vel contemptus potestatis, vel præiudicium fidei, quia præcepta diuina naturalia sunt; non scandalizare proximum, non aspernari potestatem, non præiudicare fidei, aut alteri bono communi, veluti supra dictum est, tum ab aduersarijs, tum à nobis. Quod autem ab inobedientia Venetorum totus ferè Christianus populus graue scandalum patiatur, manifestum est. Quia communis Doctorum sententia est, quod cùm aliquis excommunicatur, etiam si excommunicatio forsitan nulla sit, ille nihilominus pro excommunicato habendus est, nec cum alijs Fidelibus conuersari debet, quousque nullitas declarata sit, alioqui scandalo esset illis, qui excommunicationem scientes, nullitatem ignorant. Legatur Syluester *in verb. Excommunic. secund. numero primo & secundo*. Quod autem de Excommunicatione dicitur, idem de interdicto intelligendum est. Et quod de vno homine respectu vnius populi vel dominij dicitur, idem pari ratione sentiendum est de vno populo aut dominio respectu aliorum populorum vel dominiorum. Iam verò Senatum Venetum excommunicatum esse, & totam Ditionem Venetam interdicto subesse, notum est omnibus per Monitorium Apostolicum solenniter publicatum: quod autem excommunicatio hæc, aut interdictum nullum sit, à nomine legitimo Iudice declaratum est, & communiter ab ijs, ad quos causa hæc nihil pertinet, iustum esse censetur. Itaque maxima orbis Christiani pars existimat Venetos excommunicatos, & sub Interdicto esse, cumque videat ab eis Censuras floccipendi, non possunt non grauissimum inde scandalum pati, considerantes ab eis supremam Ecclesiasticam potestatem contemni. Quare obligati sunt Ecclesiastici Veneti ad obseruantiam interdicti, quoniam, *Væ illi per quem scandalum venit.* Matthæi decimooctauo. Deinde quod Ecclesiastica potestas per hanc interdicti violationem contemptui habeatur, docetur ex Diuo Thoma, qui *secunda secundæ quæstione centesima octogesima sexta, articulo nono ad tertium*, dicit, tum posse intelligi aliquem contemnere potestatem, quando non vult se præcepto subijcere, & ideo quod præceptum est, non exequitur, quia obedire non vult. Indicium verò talis inobedientiæ est, quando quis propterea, contra id, quod imperatum est, agit, quia imperatum est, & si imperatum non fuisset, contrarium non ageret. Iam verò quis nescit Venetijs plurimos, qui antea minus sæpè sacrificio Missæ intererant, nunc quotidie Missas audire? Multos verò, qui ante rarius communicabant, nunc frequentius communicare? cur autem hæc faciunt, nisi vt se nolle parere demonstrent? Et hoc autem, quid aliud est, quam præcepti contemptus? idem dici potest de Sacerdotum violenta ad Missarum celebrationem coactione: nam antea illis curæ non erat, celebrarentne Missas Sacerdotes, an non, nunc autem id curant, ac vi compellunt eos ad Missas dicendas, quia scilicet nulla id antea vetaret prohibitio, nunc verò Summi Pontificis iussio vetet: Volunt igitur Missas celebrari, quia illas celebrari vetitum est. Et hoc verè contemptus dicitur, & est peccatum, quod nullius timoris prætextu excusari potest.

Neque solùm scandalo sunt omnibus Ecclesiastici interdictum non seruantes, & Ecclesiasticæ potestatis contemptores habentur, sed etiam non paruo sunt præiudicio Catholicæ Religioni: Nam dum Summus Pontifex præcipit Sacerdotibus Venetis, ne diuina officia celebrent, Princeps verò sæcularis imperat, vt ea celebrent, illique potius temporali Principi, quàm spirituali in re merè spirituali parent; ostendunt se credere Principem sæcularem esse supremum caput Ecclesiæ; quæ est Hæresis Henrici VIII. Regis Angliæ.

Et quamuis facilè mihi persuadeam non esse hanc mentem, nec Senatorum ac Gubernatorum Reipublicæ Venetæ, neque Sacerdotum, attamen negari non potest hunc insignem censurarum Summi Pontificis contemptum, magnam lætitiam afferre, atque animos addere hostibus fidei: iamque audiuimus, qui applausus & exultatio inde secuta sit in Anglia, & alijs hæreticorum prouincijs, quod solùm sufficere deberet ad permouendos Venetorum animos, quibus hic inimicorũ Christi iubilus placere non potest, vt id hac in re agerent, quod exspectari debet ab ijs, qui profitentur, se & esse, & velle semper esse Catholicos.

Postremò adiungo: quod cùm præsens interdictum latum sit ad defensionem Ecclesiasticæ libertatis, & iustam Ecclesiasticorum à foro temporali exemptionem, quam omnes Doctores Catholici, tum Theologi, tùm Canonistæ fatentur, & docent à nullo Principe, quantumuis summo, nec ab omnibus simul iunctis posse tolli: qui hodie conspicit Sacerdotes propter interdicti obseruationem ad carceres rapi, & veluti reos à sæculari Principe, quasi non sint exempti, puniri; non potest inficiari, Ecclesiasticos illos graue peccatum admittere, qui propter temporalium pœnarum metum adeò notabili damno vniuersalis Ecclesiæ consentiunt. Et vt intelligatur, quam diuersa Maiorum nostrorum sententia fuerit ab ea, in qua nunc sunt Prælati Veneti. Concludam disputationem hanc exemplo Sancti Antonini Archiepiscopi Florentini, cuius vitam fideliter conscripsit Surius. Erat gloriosus hic Confessor liberæ Ciuitatis Archiepiscopus, qualis modò est Ciuitas Veneta. Accidit aliquando, vt satellites sæcularis curiæ, duos Sacerdotes, quos nocturno tempore in quodam maleficio deprehenderant, comprehensos, summo mane Magistratus iussu Ecclesiasticæ potestati cum tubarum

A sonitu, sisterent. Beatus Archiepiscopus ob illam tantummodo causam, quod eos cum ignominia & contemptu sibi reddidissent confestim Magistratum excommunicatum declarauit, nec vllis comminationibus adduci potuit vt eos absolueret, nisi postquam cum funibus circa collum appensis, in signum Pœnitentiæ, publicè in die festo ad gradus Maioris Ecclesiæ pro absolutione cum solitis ritibus accipienda accessèrunt. Alio tempore cùm à Papa Eugenio Quarto Commissarius quidam Apostolicus Florentiam missus esset, Præfecti vrbis illum, propter Florentinos quosdam, qui Romæ in carceribus erant, obsidis loco retinuerunt: quod aliquod Iustitiæ specimen habere videbatur. Archiepiscopus tamen illos excommunicatos declarauit; cùm autem, nihili pensa excommunicatione, in Ecclesiam ad Diuina officia nihilominus pergerent, ecce Sanctus Archiepiscopus ad Ecclesiam festinans mox adfuit, & Sacerdoti, vt ab altari discederet, atque vniuerso Clero, vt è choro egrederetur imperauit, cui confestim fuit obtemperatum. Neque contentus, quod Gubernatores vrbis Sacerdotes ad sacrificandum non cogerent, sed hanc ignominiam patienter tolerarent: intrepidè ad palatium perrexit, & cùm simul congregatos inuenisset vrbis gubernatores, aspera oratione in illos inuectus est, quod iam secundò Ecclesiasticam libertatem violare ausi essent. Fuit Sancto viro tum ab alijs minatum, effecturos se, vt ab illa dignitate deponeretur, ab alijs verò ni quiesceret, quod eum è palatij fenestris præcipitaturi essent. At ille qui non erat mercenarius, sed pastor, promptè respondit, se quidem quoad dignitatem inuitum, & reluctantem, illam suscepisse, & libenter eam dimissurum: quoad verò necem, se nihil omninò illam formidare, quod se tantæ sanctitatis esse non existimaret, vt dignus haberetur corona martyrij. Sic igitur & constantia Prælati Ecclesiastici, & pietas Dominorum temporalium facilè turbas omnes compescuerunt. O nos felices, si tales nobis obtigissent Prælati, qui partim doctrina, partim exemplo Laicos, & Ecclesiasticos de eorum officio edocerent.

PROPOSITIO OCTAVA.

POTESTAS Summi Pontificis quoad praecipiendum Christianis non est illimitata, nec ad omnes se materias & modos extendit, sed est restricta ad finem publicæ vtilitatis Ecclesiæ, & pro regula habet leges diuinas.

RESPONSIO.

In hac propositione facile consentiemus: quamuis enim potestas Summi Pontificis, si consideretur respectu potestatis particularium Episcoporum, atque etiam Principum temporalium, dici verè potest, quod sit illimitata, cùm Episcopi potestatem suam ad vnicam tantummodo Diœcesim restrictam habeant, & Principis potestas vnico tantùm particulari imperio definita sit: Summi autem Pontificis potestas per vniuersum se mundum extendat: si tamē hanc consideremus respectu diuinæ potestatis, potest dici esse limitata: quia Summus Pontifex non habet potestatem, nisi super homines, qui tunc temporis ipso Pontifice viuunt, nec potest noua Sacramenta: nec nouam sacram Scripturam instituere. Cùm è diuerso Deus potestatem habeat in omnes homines qui sunt, fuerunt, & erunt, & in omnes Angelos, atque in omnes omninò Creaturas: possit etiam noua Sacramenta, & nouas Scripturas prioribus adiungere: nec est Sacramentis & Scripturis alligatus, cùm sine Sacramentis possit peccata dimittere, gratiam conferre, & nouos etiam fidei articulos reuelare. Sed hęc

B nihil attinent ad præsentem controuersiam, ac proinde in his sine necessitate diutius immorandum non est.

PROPOSITIO NONA.

NVM Summi Pontificis potestas Sacris Canonibus ac Conciliorum generalium decretis subiecta sit, an verò libera & absoluta, illisque superior nondum est determinatum, sed in Ecclesia DEI adhuc controuersia est.

RESPONSIO.

C Hæc propositio ianuam patefacit renouandis veteribus controuersijs, quæ schismatis tantum tempore motæ fuerunt, atque idcircò ipsi etiam schismati ostium aperit. Quod ab illis expendendum foret, ad quos id spectat, nec tantam licentiam permittere Doctoribus, si modò pax & tranquillitas Ecclesiæ eis cordi est. Minimè autem verum est, dubium esse in Ecclesia DEI, num Summus Pontifex sit supra Concilia, an verò Concilia sint supra Summum Pontificem immò certum ac manifestum est, Summum Pontificem superiorem esse Concilijs, vt summatim à nobis demonstratum est in responsione ad libellum Ioannis Gersonis, partim sacrarum literarum, partim

D Conciliorum testimonijs, partim etiam firmissimis rationibus. Quibus nunc addo hanc veritatem publicè doceri, ac defendi hodie in omnibus Catholicis vniuersitatibus Theologicis, Italiæ, Hispaniæ, Flandriæ, Germaniæ, Poloniæ, Austriæ, atque ipsius Franciæ. Ita vt si fortè septem Doctores contrariæ opinioni se velint adiungere, nullas pro se scholas inuenturi sint, præterquam Arianorum in Hungaria: Hussitarum in Bohemia: Lutheranorum in Germania, & Caluinistarum in Anglia. Ad id verò, quod ipsi objiciunt Concilia, in hac materia, inter se contraria esse, cùm Concilia Constantiense, & Basileense statuerint, Concilium autoritate maius esse Summo Pontifice; Concilium verò Lateranense sub Leone Decimo decreuerit, Papam authoritate superiorem esse Concilio:

Respondeo, hoc esse argumentum hæreticorum, qui, vt Conciliorum authoritatem labefactent, & Catholicæ Religionis fundamenta euertant, probare nituntur Concilia inter se contraria esse. Quæro igitur ab his Doctoribus, credantne Concilia legitima inter se pugnantia esse: si dicant se ita credere, iam declarant se alienos esse ab Ecclesia Catholica; si verò negent, rursum quæro, quam ergo ob causam hanc allegent contrarietatem? quid facere, quid persuadere populo intendant? At si verè sunt Doctores Catholici, non possunt non confiteri, illa solùm Concilia esse legitima, quæ confirmata sunt ab illo, cui Christus dixit: *Confirma fratres tuos.* Hoc est à Sancto Petro, & ab eo qui locum illius obtinet. Iam verò dubium non est, Concilium Constantiense non fuisse approbatum, nisi quoad extinctionem schismatis, & condemnationem VVicleffi, Ioannis Hus, & Hieronymi Pragensis. Concilium etiam Basileense, manifestè reiectum & reprobatum fuisse à Leone Decimo in Concilio Lateranensi. Ex quo sequitur solùm Lateranense Concilium inter tria illa, quæ aduersarij nominatim expresserunt, pro legitimo habendum esse. Atque ita legitima Concilia nequaquam inter se dissentiunt, & illud tantummodo legitimum est, quod Summum Pontificem Concilijs omnibus superiorem esse affirmat. In quo etiam non discrepat Concilium Constantiense, si rectè intelligatur, quia quando dicit, quod vnusquisque parere debeat Concilio Generali, etiamsi fuerit Papa: id intelligendum est de Summis Pontificibus, qui tum dignitatem illam sibi vendicabant, qui cùm tres essent, notum non erat, quis eorum verus esset Papa. Nam quemadmodum Generale Concilium declarare potest tempore schismatis, quis verus ac legitimus Pontifex sit, sic omnes qui non sunt certi, ac indubitati Pontifices, ipsi Concilio obtemperare tenentur, sed quando Pontifex certus atq; indubitatus est, tum Concilium Summo Pontifici, vt Capiti suo, non Pontifex Concilio parere debet. Adiungunt septem Doctores Cardinalem Bellarminum libro secundo de authoritat. Concilij capite decimitertio, quę faciant ad Confirmationem opinionis illorum, quod videlicet indecisa, & controuersa sit adhuc Summi Pontificis supra Concilium potestas: hæc verba ponere: *Et quamuis postea in Concilio Florentino & Lateranensi vltimo, videatur quæstio definita; tamen quia Concilium Florentinum non ita expressè, hoc definiuit, & de Concilio Lateranensi, quod expressimè hoc definiuit, nōnulli dubitant, an fuerit verè Generale, ideò vsq; ad hunc diem quæstio superest inter Catholicos.* Ad id respondet idem Cardinalis, se nunquam dixisse, sententiam illam de potestate Summi Pontificis supra Concilia dubiam, aut indecisam esse in Ecclesia Dei, imò affirmasse, vti ex verbis citatis intelligi potest, Concilium Lateranense id expressimè definiuisse: sed hoc tantùm dixit aliquid adhuc quæstionis superesse inter Catholicos, eò quod aliqui non fateantur illud Concilium verè fuisse Concilium Generale: atque hoc idcirco dixit, quia cupiebat conclusionem hanc perfectè stabilire: soluendo, & confutando argumenta omnia non modò hæreticorum, sed etiam paucorum Catholicorum, qui contra senserunt: inter quos fuerunt Ioannes Gerson, Iacobus Almaynus, Ioannes Mador, & Abbas Panormitanus. Atque vt hoc euidentius fiat, legatur *cap. 17. eiusdem libr. 2. de authorit. Conciliorum*, vbi idem Cardinalis probat Conciliū Lateranense vltimum, esse verè generale ac legitimum.

Non contenti verò septem Doctores authoritate Cardinalis Bellarmini, eò quod viderent sibi parum in ea firmamenti ac roboris esse, adducunt alia duo testimonia. Vnum Nauarri *in Comment. supra cap. Nouit. notabil. 3. numer. 84.* Alterum Ioannis Mariani Iesuitæ *in primo libro de Rege, capite octauo.* Sed vterque nihil aliud dicit, quam esse nonnullos scriptores Catholicos, qui sentiunt Concilium esse supra Summum Pontificem, quod verum est, sed inde non sequitur Ecclesiam in hoc articulo dubiam esse, tum quia maior illorum pars ante Concilium Lateranense, in quo id declaratum fuit, è vita excessit: tum quia pauci non debent reddere controuersam ac dubiam illam sententiam, quam cæteri omnes Catholicæ Ecclesiæ Doctores, ac Scriptores vnanimiter approbant, ac recipiunt.

PROPOSITIO Decima.

OBEDIENTIA, quam quilibet Christianus debet Summo Pontifici, non est absoluta, nec ad omnia se extendit, sed illa excipit, quæ legibus diuinis contraria sunt, in quibus obtemperare peccatum est.

PROPOSITIO Vndecima.

OBEDIENTIA Summo Pontifici debita, non extendit se ad omnia quæ legibus diuinis conformia sunt, sed in multis homo ita liber est, vt in illis obedire teneatur.

Responsio.

In decima Propositione, quandoquidē expressè in sacris literis continetur, nihil occurrit annotandum.

Vndecima Propositio quanquam in se vera sit, attamē cùm septem Doctores in eo discursu quem ad probationem atque confirmationem illius subijciunt, quædam afferant, quæ Doctorum virorum aures offendere, ac simplicium animis nocere possint, ea tantùm breuiter annotabo. [Aiunt itaq;: In Deuter. c. 17. Obedientiam Summo Sacerdoti debitam, ad ea quę lege diuina continentur restringi: *Facies quæcunq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legē eius.*] Eodem ferè argumento nostri tēporis hæretici vtūtur, quo Apostolicas & Ecclesiast. traditiones infirment atq; labefactent. Falsum autem est, atq;

à vero horum verborum sensu intellectu alienissimum quod assumunt: non enim illa sacræ Scripturæ verba volunt in his tantùm quæ lege diuina continentur, parendum esse, sed in omnibus quæ sint secundum legem, nec legibus diuinis aliquo modo contraria sint: Quia dicit: *Iuxta legem eius*; Non autem: Iuxta id quod continetur in lege eius. Hinc est, quod cùm Lutherani obijciunt Quadragesimale ieiunium non esse obseruandum, cùm nulla vnquam lege diuina id sancitum sit. Catholici respondent: Id quidem nulla diuina lege præscribi, esse tamen *iuxta legem* DEI, hoc est legibus diuinis conforme esse: Lex namque diuina ieiunium præcipit; Moyses, Helias, & CHRISTVS Dominus noster quadraginta dierum ieiunio se macerarunt. Sanctus Paulus autem monet, vt simus imitatores CHRISTI: quem cùm imitari nequiremus per omnimodam quadraginta dierum à cibis abstinentiam, Apostoli sanxerunt, vt eum, vt minimum quantum possemus, imitaremur, quadraginta diebus ieiunando.

[Aiunt deinde: Sanctum Thomam secunda secundæ, quæstione centesima secunda, articulo quinto docere, neminem Christianum obligatum esse alicui humanæ potestati parere, quoad interiores motus animæ: nec quoad ea quæ ad naturam corporis pertinent. *Secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent homo homini obedire non tenetur, sed solùm* DEO, *quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem.*

Hæc quidem Diui Thomæ doctrina, vera, sancta, & ab ipso sufficienter declarata est: sed eam populo in lingua vulgari, ita siccè atque sine explicatione proponere, multorum errorum causa esse potest. Dicet enim quilibet: Si Summus Pontifex in motibus intrinsecis animæ non habet potestatem præcipiendi, cur præcipit, vt diuinum officium cum attentione ac deuotione, qui sunt motus interni, persoluam? Si nihil eorum quæ ad corporis sustentationem spectant, iubere potest: cur iubet vt ieiunio corpus macerem? vt à carnibus abstineam? Si denique imperare nequit, ne quis liberorum generationi det operam: cur presbyteris & Religiosis imperat ne vxores ducant, ac monialibus ne viris nubant? Hæc autem sunt argumenta hæreticorum: & necessarium erat, aut non proponere principium hoc populo, aut illud ita declarare: Summum Pontificem, non posse separatim interiores animi motus in seipsis præcipere: posse autem præcipere illos tamquam modos & circumstantias exteriorum, sine quibus exteriores esse non possunt, quantumuis necessarij sint: nec posse ipsum imperare, ne quis cibum necessarium corpori non subministret: sed imperare posse, ne quis tali tempore, aut tali cibo vescatur, prout ad carnis macerationem iudicauerit expedire: nec posse absolutè iubere, ne quis vir vxorem non ducat: aut ne qua mulier viro nubat: sed iubere posse, vt Presbyteri, Religiosi, Monachi atque moniales in castitate viuant. Denique ex his Sancti Thomæ ac Syluestri verbis septem Doctores conclusionem quamdam eliciunt, quæ nec Diui Thomæ, nec Syluestro vmquam in mentem venit. Inquiunt enim: Summus Pontifex, inquiunt, non habet potestatem in eos, qui nondum ingressi sunt Ecclesiam Dei, vel quia infideles, vel quia necdum baptizati sunt: Sic enim Sanctus Paulus Apostolus ait. *Quid ad me de his qui foris sunt iudicare*. Non aliter itaque subijcitur ei homo nisi per baptismum, nec ad plura obligatus est, quàm ad ea quæ in baptismo promittit.

Certum est in vltimis hisce verbis, quod nimirum Christianus Summo Pontifici parere non teneatur, præterquam in his quæ in baptismo pollicitus est, manifestum contineri errorem. Si enim id veritati consentaneum esset, vtique illi, qui sine vlla promissione baptizantur, quales sunt qui priuatim in domo à nutricibus, aut alijs, sola aquæ infusione, atque verborum Sacramentalium prolatione baptizantur, in nulla omninò re obtemperare tenebuntur. Plura non adijcio, sufficit huius sententiæ inconuenientia demonstrasse: nam dubium non est, id quod Christianum Summo Pontifici subiectum efficit, non esse promissionem in baptismo factam: sed ipsum baptisma, per quod quilibet homo efficitur membrum illius corporis, cuius caput est Summus Pontifex: transit in illam Rempublicam, cuius gubernator est Summus Pontifex: adscribitur illi militiæ, cuius præfectus vniuersalis est Summus Pontifex: constituitur ouis illius gregis, cuius pastor generalis, & primarius est Summus Pontifex. Quare siue is qui baptizatur promissione se obliget, siue non, nihilo seciùs in omnibus rebus, quæ Christianorum propriæ sunt, parere atque obtemperare tenetur.

PROPOSITIO DVODECIMA.

CHRISTIANVS non debet obedire præcepto quocunque sibi imperato (quamuis fuerit Summi Pontificis) nisi prius illud quatenus materia postulat examinauerit, num sit conueniens, legitimum, & obligatorium: qui verò sine præuio præcepti examine, cæca quadam obedientia præcepto morem gereret, peccati reus efficeretur.

RESPONSIO.

Hæc propositio à quibusuis alijs potius, quàm ab hominibus Religiosis expectari potuit. Sed dimittendo vnde venerit, parum enim refert, dico hanc Propositionem directè contrariam esse Sanctis Patribus: nullius boni scriptoris authoritate niti: disciplinam omnis benè constitutæ congregationis siue Spiritualis, siue temporalis euertere, atque Lutheranorum, aliorumque nostri tempo-

ris hære-

ris hæreticorum doctrinæ conformem eſſe. Non affirmo peccatum eſſe aliquando ſuperioris ſui præceptum examinare: ſed aio peccato reum non eſſe, qui præceptum ſui Superioris non examinet. Imò perfectiſsimam & Deo acceptiſsimam eſſe illam obedientiam, quando quis ſine præuio præcepti examine, ſimpliciter obtemperat, nec noſſe cupit, cur hoc ipſi à Superiore imperatum fuerit, ſed hoc ſolo contentus eſt, quod iuſſum ſit. Semper tamen excipiendo præceptum illud quod manifeſtum in ſe contineret peccatum, in quo examinatio ſuperflua eſt, cum Deo magis obediendum ſit quam hominibus. Quod ſi opponas, Quando dubium eſt, num præceptum aliquod in ſe peccatum contineat, tum vtique neceſſariam eſſe hanc examinationem, ne ſe quis exponat periculo peccandi: Reſpondebo cum Sancto Bernardo, ſi peccatum illud non ſit manifeſtum, non eſſe examinandum, nec aliquod tum ſubeſſe peccandi periculum, cùm in dubijs & ambiguis ſubditus totum ſe ſuperioris ſui arbitrio relinquere, & quicquid ipſe iuſſerit bonum & ſanctum exiſtimare debeat. Hæc autem ſunt verba illius in libro de præcepto & diſpenſatione. *Sed homines* (inquit) *facilè falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda: & præcipienda fallere poſſunt: ſed enim quid hoc refert tua, qui conſcius non es?* Et paulò inferius. *Ipſum proinde quem pro Deo debemus, tanquam Deum in his quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus.* Sed veniamus ad Sanctorum Patrum teſtimonia: Sanctus Baſilius in libro conſtitutionum Monaſticarum, capite vigeſimoſecundo ſic ait. *Quemadmodum paſtori ſuæ oues obtemperant, & viam quamcumque ille vult ingrediuntur: ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omninò ipſorum iuſſa curioſius perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato.* Notentur verba, *nihil omninò perſcrutantes.* Nec quicquam obſtat, quod Sanctus Baſilius ibi non loquatur de Summo Pontifice, ſed de Superioribus immediatis, quia Religioſi omnes magis obligati ſunt parere Summo Pontifici, qui principalis ſuperior ipſorum eſt, quàm alijs inferioribus. Idem Sanctus Baſilius in eodem loco, ex illo Euangelij loco Lucæ decimo, *Qui vos audit, me audit*, probat hanc doctrinam de non examinando Superioris præcepto in ſacris literis fundari, vult enim illa verba quæ tum Chriſtus ad diſcipulos dixit omnibus Prælatis, qui poſt illos in Eccleſia futuri erant, dicta eſſe. Sanctus Chryſoſtomus homilia decimaſexta in Geneſin, conſiderat quanta damna mundo attulerit ſerpens ille, qui primus præcepta Superiorum examinare docuit: dicens ad Euam, *Cur præcepit vobis Deus.* Nec refert quod illud præceptum diuinum fuerit, cùm idem ipſe Deus mandauerit, vt miniſtris & vicarijs ſuis non aliter pareatur quàm ſibi, quando ait. *Qui vos audit, me audit*, Lucæ decimo; quemadmodum paullò ante Sanctus Baſilius docuit. Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum ſic inquit: *Præpoſitum timeas vt Dominum, diligas vt parentem, credas ſalutare quic-*

A *quid ille præceperit; nec de Maiorum ſententia iudices, cuius officij eſt obedire & implere quæ iuſſa ſunt.* Sanctus Gregorius Magnus in Commentarijs ſuper librum quintum Regum, ſic ait. *Vera obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit, quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operatur, neſcit enim iudicare quiſquis perfectè didicerit obedire, quia hoc totum bonum putat, ſi præceptis obediat.* De Monachis Ægypti, qui à Sancto Antonio, Sancto Macario, alijſque ſimilibus Sanctis Patribus inſtituti atque informati fuêre, dicit Ioannes Caſsianus libro quarto de inſtitutis renunciantium capite decimo, hunc fuiſſe ipſorum morem, vt *ſic vniuerſa complere, quæcunque fuerint à*
B *Præpoſito ſuo præcepta, tamquam ſi à Deo ſint cælitus edita, ſine vlla diſcuſſione feſtinent.* Et capite quadrageſimoquinto idem author refert verba cuiuſdam Sanctiſsimi Abbatis in hunc modum. *Verum & hoc præ omnibus excole, vt ſtultum te, ſecundum Apoſtoli ſententiam, facias in hoc mundo, vt ſis ſapiens, nihil ſcilicet diſcernens, nihil diiudicans ex his quæ tibi fuerint imperata.* Sanctus Benedictus in Regula ſua, quam Sanctus Gregorius in libro ſecundo Dialogorum capite trigeſimoſexto, diſcretione ac ſapientia plenam eſſe teſtatur, quinto capite, quinam veri obedientes cenſendi ſint deſcribit, ſic dicens: *Mox vt imperatum à maiore fuerit, ac ſi diuinitus impere-*
C *tur, moram pati neſciunt in faciendo:* Vbi nullum pro examinatione mandati tempus relinquit, qui vult vt confeſtim atque ſine dilatione, id quod iuſſum eſt, ac ſi Deus id imperaſſet, perficiatur. Sanctus Ioannes Climachus, qui perfectam obedientiam cœcam appellauit, in libro quem Scalam inſcripſit, gradu quarto ſic ait: *Cùm tibi cogitatio ſuggeſſerit, vt Prælatum aut diiudices, aut damnes, ab ea non ſecus quàm à fornicatione diſcede.* Et poſt pauca. *Loquere ad huiuſmodi ſerpentem, ô ſeductor maligne, non ego ducem meum iudicandum ſuſcepi, ſed ille me; non ego illius, ſed ille mei Dux eſt.* Sanctus Cæſarius Arelatenſis homilia octaua illarum, quas ad Monaſterij Lirinenſis Monachos ſcripſit, ita inquit: *Quicquid à ſenioribus fuerit imperatum,*
D *accipe tamquam de cœlo, ſicut de ore Dei prolatum nihil reprehendas, nihil diſcutias, in nullo penitus murmurare præſumas, totum iuſtum, totum ſanctum, & vtile iudica quicquid à Prælato videris imperari.* Sanctus Bernardus, qui poſt hoſce omnes ſcripſit, in libro de præcepto & diſpenſatione, quem ſeptem Doctores in hac ſua ſcriptione mirificè laudant & ſuſcipiunt, ſic ait. *Imperfecti cordis, & infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt, ſtatuta ſeniorum ſtudioſius diſcutere, hæſitare ad ſingula quæ iniunguntur, exigere de quibuſcumque rationem, & malè ſuſpicari de præcepto.* Et in ſermone ſiue tractatu de vita ſolitaria ad fratres de monte DEI, dicit: *Perfecta obedientia maximè in incipiente eſt indiſcreta, hoc eſt, non diſcernit quid, vel quare præcipiatur.* Hinc certò conſtat obedientiam ſi poſsit vocari indiſcreta, viam poſſe nominari

cœcam

cœcam, quamuis id septem Doctoribus non placeat. Sanctus Thomas Doctor Angelicus, 1. secundæ, quæstione decimatertia, articulo quinto ad tertium, cùm sibimetipsi obiecisset sententiam quandā è Regula S. Benedicti sumptam, qua in rebus etiam imposibilibus obtemperandum esse docetur, respondet: *Ad tertium dicendum, quod hoc ideò dicitur, quia an aliquid sit poßibile subditus non debet suo iudicio desinire, sed in vnoquoq; iudicio superioris stare.*

Quid hic examinandum relinquitur illi, cui ne quidem permittitur, num id quod imperatum fuerat, possibile sit, an impossibile? Sanctus Bonauentura in speculo disciplinæ parte prima, capite quarto, sic scribit. *Illum optimum dixerim obedientiæ gradum, cum eo animo opus iniunctum recipitur, quo & præcipitur: cùm ex iubentis pendet intentio exequentis: nunquam de maiorum sententia iudicent, quorum officij est obedire, & implere quæ iussa sunt.* Idem Sanctus Bonauentura in opusculo octo collationum cap. 3. conditiones perfectæ obedientiæ declarat, quas vt ipse dicit è Sancto Augustino desumpsit: hæc autem sunt verba illius. *Vt obedientia sit acceptabilis Deo, debet esse prompta sine dilatione, deuota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discußione.* Vndecim hi Doctores, quorum modo testimonia retulimus, errarunt, & correctione opus habent, si septem Doctores Veneti verum dicunt. Sed illos non errasse testatum fecit omnipotens Deus, qui stupendis miraculis simplicem & promptam obedientiam, Superioris iussa non examinantem, comprobauit & confirmauit. Scribit Seuerus Sulpitius in primo dialogo de miraculis Eremitarum Orientalium: simplici cuidam Monacho ab Abbate imperatū fuisse, vt aquam à tribus miliaribus comportaret, ad irrigandum baculum aridum, ab ipso in sicco & sterili solo defixum, quoadusque floreret: perfecit ille alacri animo iniunctam sibi obedientiam, ac breui Deo ita obedientiæ virtutem comprobante, factum est vt baculus aridus floreret, atque in arboris altitudinem excresceret, quæ ab ipso rei euentu arbor obedientiæ appellata est. Idem auctor eodem in loco aliud exemplum huic simile narrat. Fuisse videlicet cuidam à superiore mandatum, vt ardentem fornacem ingrederetur, qui præceptum Superioris nihil examinans, quamuis ei potius id imperatum fuisset, vt de illius obedientia experimentum caperetur, quàm vt exequeretur, motus vt piè credendum est speciali diuino instinctu, in fornacem ardentem insiluit, atque ibi quamdiu necessarium fuit permansit, ita verò toto corpore illæsus exiuit, vt ne vestimenta quidem illius adusta essent, cedentibus ignis flammis ardori perfectæ obedientiæ. Quod Sulpitius de igne scribit, idem Sanctus Gregorius de aqua testatur in secundo libro Dialogorum capite 17. vbi dicit Sanctum Maurum obedientiæ virtute super aquas non secus ac super terram ambulasse. Multa alia huiuscemodi miracula referunt, cùm Seuerus Sulpitius in ijsdem Dialogis, tum Cassianus in libris suis quos inscripsit de institutis renunciantium, quæ breuitatis causa omitto.

A

Peto nunc à septem Doctoribus, vt vel vnicum authorem sanctitate clarum, vel saltem Catholicum proferant, qui hanc ipsorum propositionem asserat. Consideraui diligenter singula verba illorum, quæ ad huius duodecimæ propositionis confirmationem insumunt, nec quenquam reperi, quem ad illius probationem adducunt præter Cardinalem Toletū. Sic autem aiunt.

[Hæc propositio est Cardinalis Toleti, qui in libro suo, cui titulus est. Instructio Sacerdotum, libro 5. capite 4. ita dicit, loquens de residentia Episcopali. *Cùm enim Papa imponit aliquod negotium Episcopo, quod requirit ad tempus absentiam, abesse potest: sed attende quod non sufficit obedientia tantum, sed debita; quia cum absq; causa rationabili aliquid præcipitur, non debemus obedire.*]

B

Hi sunt authores, quos pro sententiæ suæ roboratione citant. Quibus nos respondemus. Primò Cardinalem Toletum non agere ibi de obedientia generatim atque vniuersè, nec ponere in terminis hanc propositionem, subditum esse obligatum ad præcepti examinationem, & si non faciat, peccare: cùm nos è contrario multis Sanctorum virorum testimonijs ostenderimus, laudandam esse illorum obedientiam, qui Superiorum præceptis nullo præcedenti examine obtemperant. Secundò respondemus. Cardinalem Toletum ibi loqui de casu quodam, quando duo præcepta quæ videntur contraria esse concurrunt; nam Episcopis imperatur à Sacro Concilio, & ex consequenti à Summo Pontifice, qui Concilium illud approbauit, vt in diœcesi sua resideant; quocirca cum Summus Pontifex Episcopo iubet, vt longius à diœcesi sua discedat, iustè meritoque ambigere potest, cui potissimum præcepto pareat, maximè cum obedientia vel mādatum extra diœcesin abeundi, includat in se dispensationem ad non residendum; dispensationes autem non valent, in foro conscientiæ, nisi causa legitima subfuerit. Ita intelligenda sunt illa verba Toleti, *cùm absque causa rationabili aliquid præcipitur, non debemus obedire*; hoc est, obtemperandum non est in præiudicium alterius præcepti maioris: quia cùm non adest tale præiudicium, simpliciter obediendū est, etiamsi tale præceptum sit sine causa ratiobili, modò nō contineat expressum peccatum. Itaque cùm septem Doctores nullius authoritate nitantur, nos autem contra multorum sanctorum virorum testimonijs, persistemus in opinione nostra, maximè cum, quemadmodum in principio propositum fuit, hoc documentum examinandi præcepta superiorum, nihil aliud sit, quàm constituere subditos superiorum suorum iudices, & ostium rebellioni & contumaciæ patefacere. Certum namq; est, si milites in militia, præfecti sui Generalis mādata examinare deberent, tum præcipuè quādo illis vt vrbem aliquam adoriantur, imperatur, paucissimos victoriam relaturos esse. Atque hanc ob causam veteres Romani, tam rigidi erant simplicis huius obedientiæ à militibus exactores, vt nullam nec excusationem, nec interpretationem admitterent. Quo etiam factum est, vt Torquatus propriū filium capite

C

D

plecti

plecti iusserit, cùm ipsius iniussu prælium iniuisset, licet victoriam consecutus esset. In gubernationibus politicis, si toties, quoties Princeps edictum aliquod sancit, vt hoc vel illud non fiat, subditis licitum foret, aut vt conformius septem Doctoribus loquamur, toties obligati forent sub peccato, non admittere mandata illa, nisi prius ea diligenter examinauerint, nec exequi, si ea nihil ad rem pertinere iudicauerint, vana erit omnis potestas publica, nec vllæ Ciuitates aut Prouinciæ à Principibus regi & administrari poterunt. Eadem ratione si Episcopo populum docente ac præcipiente, vt hæc vel illa credant & faciant, si æternam salutem consequi velint, auditores tenerentur illa Prælati mandata discutere atque examinare, quæ inde confusio & perturbatio in Ecclesia nasceretur? Illa vtique qualem hodie cernimus in congregationibus Lutheranorum, vbi quisque se iudicem constituit iuxta suam conscientiam, decisionum circa fidem & consuetudinum, quibus vtuntur Ministri eorum: nec Superintendentes de hac insolentia iustè conqueri possunt, cùm ipsi eos ita docuerint, atque constituerint illos censores ac iudices superiorum suorum, atque hanc ipsorum inobedientiam, conscientiæ libertatem nominent.

Sed videamus nunc quibus rationibus septem Doctores hanc suam propositionem probent, confirmentque. [Dicunt primò, Non est obtemperandum Summo Pontifici, cùm aliquid iubet quod peccatum sit, necessarium igitur est, vt præceptum ad examen vocetur, num peccatum in se contineat.] Ad illud iam responsum est cum Sancto Bernardo, parendum non esse si peccatum sit manifestum, nec tum examine opus esse, quandoquidem sit de rebus claris ac manifestis: sin verò dubium sit, obediendum, iudiciumque totum superiori permittendum esse: nec hoc faciendo subditus periculo peccandi sese exponit, quia Deus præcepit, vt superioribus vnusquisque obtemperet, nec illorum actiones examinet aut dijudicet; quare si in tali pręcepto peccatum subfuerit, culpa ad superiorem præcipientem, meritum verò ad subditum obediētem pertinebit.

[Dicunt secundò: Posse fieri vt Summi Pontificis præceptum scandalum, aut Reipublicæ perturbationem, aut Ecclesiæ destructionem secum ferat, atque idcircò necessarium est illud examinare.] Respondetur. Si scandalum & alia huiusce modi mala sint clara & manifesta, etiam nullo præuio examine obediendum non est, quia hæc sunt peccata. At si dubia sint, ad Summum Pontificem non ad subditum spectat horum examinatio, cum prudentię virtus superioribus propria & necessaria sit, obedientiæ verò subditis.

[Dicunt tertiò: Alexandrum Papam III. in cap. si quando, de rescript. velle, vt cum aliquid iubet, vel à subditis obtemperetur, vel causa rationabilis reddatur, cur obedire nequeant. Ergò Summus Pontifex vult pręcepta sua examinari.]

Respondeo, Alexandrum Papam ibi de casu quodam particulari loqui, quando nimirū superior ipse ambigit, num id quod imperat benè præcipiat, eo quod forsitan malè fuerit informatus: atq; in hoc casu necessarium est, vt superioris præceptum examinetur, quandoquidem ita Summus Pontifex iubet. Quod ex sequentibus verbis colligitur, vbi Sum. Pontifex rationem suæ permissionis reddit, cùm dicit, se patienter laturum esse, quod sibi nō obtemperetur, modò se falsò informatum fuisse cognouerit.

[Quartò dicunt. In Actis Apostolorum capite decimoseptimo, laudatos fuisse Beroenses, qui verba Sancti Pauli Apostoli cum omni auiditate suscipientes, quotidie scrutabantur Scripturas, si hæc ita se haberent, quomodo S. Paulus prædicabat. Non erit ergo minor laus scrutari Scripturas, & alia Catholicorum scripta, vt inquiratur, num id faciendum sit quod Summus Pontifex præcipit.] Respondeo, hoc argumentum proprium esse Lutheranorum, quemadmodum videri potest in nostro libro tertio, de verbo Dei, capite decimo. Ex quo non modò sequitur dubitari posse de particularibus præceptis Summi Pontificis in materia Censurarum, sed etiam de fidei decisionibus, & doctrina bonorum operum in generali, in quibus licet septem Doctores Summum Pontificem errare non posse affirment, nihilo seciùs talis doctrinæ semina spargunt, quæ fidei fundamenta conuellere ac labefactare possint. Quamobrem toto affectu oro atque obtestor Serenissimam Rempublicam Venetam, vt oculos aperiant, & etiam atque etiam videant, quo illos hi Doctores perducere conentur. Hic autem locus S. Scripturæ nihil pertinet ad controuersiam præsentem, quia Sanctus Paulus nihil præcipiebat Beroensibus, sed Saluatoris aduentum à Prophetis prænunciatum illis annunciabat. In quem igitur effectum citatur ab illis hæc scriptura, per quam Lutherani probare nituntur, non esse credendum Summo Pontifici, nec Concilijs, nisi prius Summi Pontificis, & Sacrorum Conciliorum decreta, iuxta sacram Scripturam expendantur, & examinentur? Nec etiam bona & firma est consequentia, Beroenses laudati sunt, quod Sancti Pauli prędicationem examinarent, num cōformis esset sacris Scripturis, ergo laudandi sunt illi qui Summi Pontificis mandata, iuxta sacrarum literarum, aliarumque Catholicarū Scripturarum doctrinam expendunt, & examinant? Quia Beroenses necdum Christi fidem susceperant, nec etiam certi erant Sanctum Paulum Spiritu sancto regi, & errare non posse, ac proinde rectè faciebant, quod Prophetarum prædictiones, quas Sanctus Paulus citabat, requirerent. Hac enim ratione Deus illos ad fidem præparabat. Sed Christiani, qui fidei lumen acceperunt, & certi sunt Summum Pontificem & legitima Concilia à Spiritu Sancto regi, non modò laude digni non sunt, sed reprehensionem etiam merentur, si de illorum decretis ambigentes, ea iuxta sacram Scripturam velint expendere. Pari ratione ille qui certus est, Summum Pontificem esse verum Christi Vicarium, locum illius in terris obtinere: nullam meretur laudem

si præcepta illius examinet, meretur autem illam, si illis absque tali examine, quando manifestum in illis peccatum non cernitur, obtemperet: cùm hæc sit perfecta obedientia, quemadmodum superius demonstratum est.

[Quintò adferunt illam Sancti Pauli reprehensionem, qua Sanctum Petrum Apostolum redarguit, de qua scribit ad Galatas secundo. Et quod Sanctus Petrus Apostolus rationem reddiderit fidelibus facti sui, cùm arguerent ipsum, quod Cornelio Gentili prædicasset. Actorum vndecimo. Et denique quod idem Sanctus Petrus Apostolus Epistola prima, capite tertio dicat. *Parati reddere rationem vnicuique poscenti, de ea, quæ in nobis est fide.*] Respondeo, loca hæc citata nihil ad rem propositam pertinere, quia Sanctus Paulus Apostolus Sanctum Petrum Apostolum non idcircò arguit, quò malè præcepisset, sed quod conuersationem gentium deuitans, ne Iudæos recenter ad fidem conuersos scandalizaret interim scandalizabat gentiles etiam recenter ad Christum conuersos. Quando verò Sanctus Petrus rationem reddidit fidelibus, cur Cornelio fidem Christi prædicasset, non id fecit ex obligatione, sed ex bonitate ac mansuetudine sua: tum etiam vt fideles partim reuelationis sibi factæ manifestatione, partim alijs miraculis quæ in Cornelij conuersione acciderant, consolaretur. Sanctus Gregorius libro nono, epistola trigesimanona loquens de hoc facto, dicit Sanctum Petrum respondere potuisse, fidelibus non decere vt oues sibi commissę pastorem suum reprehenderent, sed tamen facto suo mansuetudinis exemplum toti mundo prabere maluisse. Illa porrò verba, *Parati semper reddere rationem*, prorsus extra propositum adducta sunt: quia Sanctus Petrus Apostolus non loquebatur ibi de reddenda ratione præceptorum, sed fidei & spei, quam habemus vt Christiani, si benè informati sumus, ad defendendam nostram sanctam Religionem Catholicam, à calumnijs infidelium.

[Sextò inquiunt, Summum Pontificem errare posse in iudicijs particularibus, ac proinde fideles aduertere debere, num in præceptis illius sit aliquis error.] Respondeo, Nos non inficiari, aliquem expendere posse, num in præceptis particularibus erratum sit, vel propter malam informationem, vel propter aliam causam similem, sed dicimus neminem ad id obligatum esse, cùm melius sit obedire simpliciter.

[Septimò dicunt esse generalem Theologorum regulam, eum qui se periculo peccandi exponit peccare, dicente Scriptura: *Qui amat periculum, peribit in illo*, Eccles. tertio. Ergò quilibet obligatus est examinare, num in præcepto superioris peccatum sit, alioqui exponit se periculo peccandi, & consequenter peccat.] Iam responsum est cum Sancto Bernardo, Eum qui superiori simpliciter obtemperat, nullo se peccandi periculo exponere: quia discernere, sitne peccatum, an non, ad superiorem spectat, non ad subditum: atque idcircò illud peccatum ignoranter

A admissum, in illo peccatum non est, sed in superiore. [Quando verò iterum obijciunt, ignorantiam non excusare, nisi fuerit inuincibilis; & inuincibilis dici non potest, quando quis non facit quicquid scit & potest, ad inquirendam veritatem: ac proinde vnumquemque debere examinare præceptum, vt securus esse posit se, quicquid scit & potest egisse, ad pernoscendam veritatem.] Respondeo, subditum non esse obligatum, vt sciat, aut scire laboret, num in præcepto Superioris sit peccatum, vti sæpius iam dictum est, sed credere debere, sicut Sanctorum Patrum supra citatorum testimonia volunt, iustum & bonum esse quicquid Superior imperat; neq; est ibi ignorantia quæ culpam habeat, quando quis nō

B scit, nec vt sciat, enititur, quæ scire non est obligatus.

[Quando rursum opponunt, præsupponendum quidem esse Superiorem semper benè imperare, quoad bonam illam opinionem quæ habeatur de ipso, sed id præsupponendum non esse quoad executionem præcepti.] Respondeo in hac materia non habere locum distinctionem illam, de præsuppositione boni, quoad bonam de aliquo opinionem, non autem quoad illius quod imperauerit, executionem; quia cùm perfectus obediens cum omni synceritate credere debeat præceptum Superioris esse bonum & sanctum, illud debet credere non minus quoad hoc, vt bonam de suo superiore opinionem habeat, quam vt præceptum illius exequatur. Hæc distinctio

C autem locum habet, quando in dubio est, num mihi quis nocere velit, tum enim malè de illo iudicare non debeo, sed nihilominus cauere mihi, quasi certum foret, quod mihi nocere quærat.

[Octauò inquiunt. Summus Pontifex est homo, quamobrem peccare potest & falli, & sæpè successores reuocant mandata prædecessorum suorum. In Decretalibus etiam dicunt se paratos esse sententias suas reuocare, si demonstratum fuerit, iniustas esse. Citant ad huius confirmationem cap. ad Apostolicæ de sentent. & re iudic. in 6.] Respondeo hæc vera esse, nec inde probari, subditum obligatum esse præceptum sui superioris examinare, quæ fuerat propositio quàm probare debuerant.

D [Nonò aiunt: Quamuis sit communis sententia quod in rebus dubijs, subditus se totum superioris iudicio permittere debeat, nihilominus id intelligendum est, quando subditus post diligentem præcepti examinationem, veritatem reperire non potuit, non autem quando præceptum nec secum expendere, nec examinare voluit, sicuti tenebatur.]

Respondeo subditum non esse obligatum ad effingenda sibi dubia, sed posse, vti iam sæpè dictum est, sine vllo examine obedire: sed quando ei dubietas occurrit, quod forsitan in præcepto contineatur peccatum, & putat se de veritate per suam inuestigationem posse certiorem fieri; tali casu credimus etiam nos, ipsum eniti debere, vt id certius cognoscat, at si existimat, se verita-

tem re-

tem reperire non posse, potest & debet deponere illam dubietatem, & superiori suo simpliciter obtemperare. Hæc est communis sententia S. Augustini, S. Thomæ, & Sacrorum Canonum à Syluestro citatorum, verbo *Obedientia, num.* 2.

PROPOSITIO DECIMATERTIA.

NON *saluat Christianum, quod Summus Pontifex asseueranter affirmet præceptum suum esse iustum, sed opus est, vt ipse prius illud expendat, examinet, & quam diximus normam seruet.*

RESPONSIO.

Hæc propositio non eget noua consideratione, quia cùm nos accuratè docuerimus, & planum fecerimus, non esse obligatum Christianum ad Summi Pontificis præceptum examinandum, etiamsi non affirmet illud iustum esse: multò minus tenebitur id facere, quando idem Summus Pontifex adijcit se illud diligenter examinasse, atque illud iustum esse affirmat. Rationes autem quas adferunt aduersarij, quod nimirum Summus Pontifex sicuti errare potest in præcipiendo, ita falli possit in iudicando, non militant contra nos, qui non innitimur huic fundamento, quod Summus Pontifex illud iustum esse asserat, parum enim ad rem pertinet, num illud affirmet, aut non affirmet.

PROPOSITIO DECIMAQVARTA.

ILLE *qui post factam præcepti examinationem, animaduertit per se idoneum non esse ad pernoscendum: an præceptum illud legibus diuinis conforme sit, & num ab executione illius scandalum oriri possit, obligatus est in consilium adhibere homines eruditos, & bonæ conscientiæ, ac reuerentiam debitam ad sanctam sedem Apostolicam zelantes.*

RESPONSIO.

Hæc propositio videtur nobis contraria ijs, quæ paullò ante à septem Doctoribus dicta sunt: Nam si hac propositione determinare volunt, eum qui ambigat, num in præcepto superioris peccatum contineatur, an non, ab alijs consilium exquirere, atque illorum iudicio stare debere, dubium non est, contrariam esse his, quæ paullò ante dicta sunt. Ibi enim dixerunt, se nolle communi opinioni repugnare, quæ vult, vt in rebus dubijs & ambiguis, vnusquisque superioris sui iudicio se committat: quomodo igitur nunc statuunt, vt postposito superiore, consiliariorum iudicio quilibet se subijciat? aut quæ hoc ratio suadet, vt in rebus ambiguis quis obtemperet illi, qui non est illius superior, & non pareat illi, quem Deus illi voluit esse superiorem, & cui seuerè præcipit, vt obediatur?

Rationes autem quas ad probandum adducunt, cur nimirum is qui per semetipsum præcepti æquitatem determinare non potest, aliorum doctiorum iudicio stare debeat, nullius momenti sunt: quia rationes istæ, in illis tantummodo casibus vim habent, qui non dependent ab obedientia, sed à propria voluntate, exempli causa, si decreuerim contractum aliquem inire, ambigam autem an Simoniacus aut vsurarius sit, nec possim id à meipso definire, teneor consilium à doctis & timoratæ conscientiæ viris exquirere, atque illorum iudicio stare. De hoc casu loquuntur Sanctus Gregorius, & Nauarrus, qui citantur ab eis, quemadmodum videri potest, si libri & loca citata consulantur. Sed in his quæ ab obedientia dependent, iustum non est, vt alterius potius iudicio paream, quam superioris mei. Idem respondeo ad authoritatem Gersonis à septem Doctoribus adductum: qui dicit in materia censurarum, eum qui dubitat, num excommunicationem aut irregularitatem incurrerit, posse stare iudicio Theologi alicuius aut Canonistæ. Quia intelligendus est ibi de censura præcisè, non de præcepto, cui forsitan annexa est censura. vt exempli gratia: Senator aliquis Venetus nunquam fortè consensit, aut votum dedit alicui decreto præiudiciali Ecclesiæ, & nihilominus quia vniuersum Senatum in Monitorio Apostolico excommunicatum esse videt, ambigit num excommunicationem incurrerit, aut pro excommunicato haberi debeat, nec ne: in hoc casu, credo ipsum posse iudicio alicuius Theologi, quem verè doctum & pium esse nouerit, stare: sed si quærat, num Summo Pontifici expressè iubenti, vt interdictum seruetur, obedire teneatur, etiamsi dubium sit, num illius præceptum in se peccatum contineat: peruidere non possum, quomodo possit quis bona cum conscientia sententiæ potius alicuius Theologi aut Canonistæ, quàm ipsius Sum. Pontificis iudicio stare, cùm generalis regula sit, ab ipsis etiam septē Doctoribus recepta, in dubijs superioris iudicio standum esse?

Huic propositioni adiungunt Doctores Veneti duas conclusiones, his verbis. [Ex supradictis concluditur, Serenissimum Ducem, & Rempublicam Venetam, omnibus vijs debitis examinasse duo Summi Pontificis præcepta, 10. Decembris eis facta, quorum alterum erat de reuocandis, quæ sancitæ fuerant, legibus: in quibus vetabatur, ne in Dominio Veneto Ecclesiæ construerentur, & ne laicorum bona in Ecclesiasticos, sine licentia alienarentur: Alterum verò, vt traderentur Nuntio Sanctitatis suæ, duo Ecclesiastici propter grauissima scelera in carceres coniecti: & cùm post sufficientem examinationem cognouissent supradicta mandata non modo esse de rebus, ad quas Summi Pontificis potestas & authoritas se non extendat, sed etiam contraria esse diuinis legibus, ritè iudicasse, non esse illis obtemperandum, qua de re Sanctitati suæ responsum dedit, cum maxima qua decebat reuerentia. Ex quo sequitur etiam, Prælatos huius ditionis, si Summus Pontifex illis imperauerit aut imperaturus sit, vt interdictum seruent, ita vt præceptum omninò dissimulare nequeant:

obligatos esse sub pœna peccati examinare. quæcunq; Summus Pontifex ordinat, aut ordinaturus est, vt videant num illa diuinis legibus conformia sint, num paritura sint scandalum, destructionem Ecclesiæ, aut alia huiuscemodi mala, cumque repererint ita se rem habere, reddere illi causas rationabiles, cur ea non exequantur. Et si quis sine præuio tali examine, quod tantò diligentius esse debet, quantò de rebus maioris momenti agitur, illa exequeretur, peccaret. Nec quisquam propter ea quę superius probata sunt dicere debet, se quidem putare rationes Reipublicæ validas esse, sed ad se non pertinere præcepto resistere: quia hoc faciet contra antedictum cap. *Si quando*. Nec etiam se nolle eas examinare, sed præsupponere summum Pontificem iusta ratione ad hoc adductum esse: ne sit de numero illorum, de quibus in Euangelio dicitur. *Cæci sunt, & duces cæcorum.*] Ad has conclusiones respondemus, cùm a Principijs non veris deriuatæ sint, non esse mirum, si ipsæ quoque falsæ esse inueniantur.

Dicimus præterea: Serenissimam Rempublicam Venetam, si præceptum Summi Pontificis examinauit, id fecisse per vos Theologos suos, & iuxta doctrinam huius propositionis decimæquartæ, vobiscum consilium cepisse, ac secundum vestram sententiam statuisse, illa quæ statuit. Quoad verò illud quod dicitur præceptum hoc esse de talibus rebus, ad quas Summi Pontificis potestas se non extendat, cùm sit de rebus temporalibus: Nos credimus Serenissimam Rempublicam Venetam credituram esse potius Innocentio Tertio Papæ doctissimo & prudentissimo, qui capite *Nouit. de iudic.* dicit, Summum Pontificem posse omnes, etiam Reges, de suis peccatis reprehendere. Et Sanctissimus Dominus noster Papa Paulus Quintus præsupposuit, & præsupponit leges illas iniquas, & iniustas esse, atque idcircò arguit illas.

Quoad illud autem quod pręceptum de restituendis incarceratis sit contra leges diuinas: nos respondemus, si Respublica Veneta conspiceret, quod loco septem Theologorum suorum, reperiantur alij septuaginta septem, immò plures quàm septingenti septuaginta septem, qui contrarium asserunt, certè paucis Theologis suis nullam fidem adhiberet. Quis enim dubitet Summum Pontificem breuissimo tempore, ex Vniuersitatibus Italiæ, Hispaniæ, Franciæ & Germaniæ, & ex tot Religiosorum congregationibus, quæ Theologis plenæ sunt, maximum numerum illorum cogere posse, qui eius sententiæ subscriberent, eamque vnanimi consensu comprobarent? Sed contentus sum, vt relinquamus Theologos & Canonistas viuentes, qui forsitan propensione aliqua moueri possint, illos verò tantummodo consulamus, qui sine passione scripserunt, antequam hæc controuersia nasceretur. Certissimum est omnes Theologos & Canonistas scriptum reliquisse, Clericos & Monachos à foro sæculari exemptos esse, atque hanc exemptionem, à nullo sæculari Principe, nec ab omnibus simul tolli posse: quamuis e-

A nim aliqui velint, hoc propriè non esse de iure diuino, in eo tamen omnes consentiunt, esse conforme iuri diuino, ac solùm Summum Pontificem Ecclesiasticos à foro sæculari eximere potuisse. Et ne omnes authores hic singulatim percenseamus. Audite Nauarrum, qui à vobis non immeritò maximi æstimatur: in cap. *Nouit. de Iudic. notat. 6. numer. 29. Ob multas & iustas causas meritò eximi potuerunt Clerici & Monachi, etiam à solo Pontifice Romano, perpendente id conuenire regimini & saluti animarum.* Et numero trigesimo adiungit hanc esse communem omnium opinionem: *Facit denique, quod communis opinio tam sacrarum, quàm Pontificiarum legum peritorum, post glossam singularem, adiuncto textu cap. si Imperator, 96. dist. à qua non videtur recedendum, contrarium tenet.*

B *Quare tertiò respondeo nouissimè, quod ratio quare Character baptismi non eximit à potestate laica iudicis Christiani, Clericatus autem sic, est quod ille non est suapte natura distinctiuus, &c.* Audite Couarruuiam in cap. 31. quæstionum practicarum. *Tertia conclusio. Potuit Summus Pontifex Clericos & eorum res à Iurisdictione sæculari eximere, idque conueniens fuit, & est Christiana Reipublica, non tantum in spiritualibus, sed & in temporalibus. Conclusionis auctor est Innocentius, quem alij communiter sequuntur.* Et paullò inferius. *Quarta conclusio. Quamuis exemptio Clericorum iure tanto humano sit inducta, Princeps tamen singularis, vtcunque summus sit, non poterit huic immunitati, aut exemptioni proprijs legibus, propriave auctoritate derogare.* Quam etiam fusè probat. Audite Sotum, qui vnus est ex illis, qui

C censent exemptionem Ecclesiasticorum non esse propriè de iure diuino, *in 4. dist. 25. qu. 2. art. 2. conclus. 6. Quamuis Clerici neque in suis personis, neque in suis bonis essent iure diuino liberi: nihilominus Papa potuit etiam inconsultis Principibus, & debuit eos ab eorum exactionibus, & foro excipere, cui quidem exemptioni Principes contrauenire nequeunt.* Si hæc ita se habent, quomodo affirmant septem Doctores, Summi Pontificis præceptum esse contra legem Dei? Ergone omnes Theologi & Canonistæ, qui de hac materia scripserunt, ignari fuerunt legum diuinarum? Quæro adhæc quæ sit illa lex diuina, quæ contraria sit præcepto Vicarij Dei, de quo scriptum est, *Legem requirent ab ore eius, quia Angelus Domini exercituum est?* Pręceptum Summi Pontificis est, vt Princeps sæcularis contentus sit se iudicem esse sæcularium: Ecclesiasti-

D cos autem superiori suo Ecclesiastico iudicandos relinquat: quomodo autem vel cogitari potest, aliquam legem Dei huic pręcepto contrariam esse, cùm illud nihil aliud spectet, nisi Dei reuerentiam & obsequium? Si Summus Pontifex tanquam Dei Vicarius, & caput Christianitatis, simul cum sacris Concilijs declarat ius diuinum & sancit, vt Ecclesiastici non iudicentur præterquam ab Ecclesiasticis: & Doctores non modò Theologi, quales sunt Victoria & Soto; sed etiam Canonistæ, vt Nauarrus & Couarruuias & alij multi asserunt: Summum Pontificem iustè meritoque id statuisse, nec posse Principes sæculares contradicere, qua fronte audent septem Doctores Veneti omnibus alijs se opponere, & dicere Sum-

mum Pon-

mum Pontificem iniustum esse, & contra leges diuinas agere, dum iubet Ecclesiasticos incarceratos foro Ecclesiastico restitui? Sed quia septem Doctores noluerunt demonstrare iniustitiam præcepti Apostolici, putantes sibi sufficere asseruisse illud iniustum esse. Ita nos etiam alijs id relinquemus, qui ex proposito merita huius causæ tractabunt & expendent, nobis verò sufficiet aduersariorum assertiones refutasse.

Quoad alteram conclusionem, dicimus videri nobis illam magis cedere ad condemnationem, quàm defensionem Prælatorum Venetorum: Conclusio enim illa obligabat ipsos Prælatos, vt diligentissimum examen circa interdicti obseruationem instituerent, ipsi verò quemadmodum certò scimus, omisso huiusmodi examine, Principis sæcularis mandatum, cum obedientia cæca susceperunt. Et tamen ratio exigebat, vt hanc obedientiam potius exhiberent erga illum, cui in sua consecratione obedientiam & fidelitatem spoponderunt ac iurârunt. Sed de his examinibus sat multa dicta sunt in responsione ad Propositionem duodecimam. Hoc tantum adiungam, auctoritatem illam Euangelicam: *Cæci sunt, & duces cæcorum*, non ad eos pertinere, qui sine examine Vicario Christi obtemperant, sed potius contra eos facere, qui examine vtuntur, vbi necessarium non est: quales erant Pharisæi, qui rationem omnium operum à Christo postulabant, & quæcunque faciebat, aut dicebat, calumniabantur, quare malitia illos excæcabat, sicut scriptum est. *Excæcauit eos malitia eorum. Sapient.* 2. De hac mala cæcitate ait Dominus: Matth. 15. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* De bona verò cæcitate, qua præditi sunt simplices obedientes, & qua carebant Pharisæi, dicit idem Christus ad eosdem Pharisæos, & imitatores eorum. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum ergo vestrum manet.* Ioannis nono.

PROPOSITIO
DECIMAQVINTA.

QVANDO Summus Pontifex, vt alios ad præceptorum suorum iniustorum, & nullorum, quia vel potestatem ei à Christo collatam excedunt, vel diuinis legibus repugnant, obseruantiam inducat, sententiam siue censuras excommunicationis, aut interdicti fulminat; illa continet errorem intolerabilem, & est iniusta, & nulla, nec recipi, nec illi obtemperari, nec vllatenus æstimari debet, salua reuerentia debita sedi Apostolicæ.

RESPONSIO.

Non opus erat, vt septem Doctores tantum laboris impenderent ad propositionis huius probationem adducendo plurima testimonia & glossas, quibus plerasque paginas impleuerunt, cùm nemo sit qui eam neget. Probanda potius eis fuerat argumenti assumptio, non propositio, si materiam nobis præbere voluissent respondendi, & eundem in modum paginas implendi. Non enim negamus, si Summus Pontifex censuras fulminet, vt sibi aliquid manifesti iniquum imperari obtemperetur, censuras hasce iniustas, & nullas esse: sed inficiamur præceptum Summi Pontificis iniquum esse, immò credimus esse iustissimum, atque idcircò persuasum habemus, censuras ab ipso in contumaces latas, iustas, ac validas esse. Quia verò ipsi docere, ac planum facere noluerunt id, quod nos negamus, nos etiam tempus frustra non conteremus in his confirmandis, quæ non negamus.

PROPOSITIO
DECIMASEXTA.

SENTENTIA iniqua, & nulla (etiam summi Pontificis) est quidam abusus potestatis, atque adeo violentia quædam, cui licitum & necessarium est vnicuique, qui non habet Principem superiorem à quo defendatur, totis viribus, quas ei DEVS concesserit, resistere, executores etiam illius multando, salua semper reuerentia erga Sedem Apostolicam.

RESPONSIO.

Falsum est, omnem abusum potestatis esse violentiam, & necessarium esse, vt quis tali abusui pro viribus resistat. Atque vt id clarius elucidetur, & quilibet intelligere possit, quis faciat violentiam, quis non, declarabimus primum, quid sit violentia, deinde demonstrabimus, præceptum siue interdictum, licet iniustum & nullum, non esse propriè violentiam.

Violentia propriè, secũdum Sanctum Thomam 1. 2. *qu.* 6. *artic.* 5. in rebus insensatis opponitur naturæ, in his verò quæ sensu præditæ sunt, in bestijs appetitui, in hominibus voluntati: & vniuersaliter, motus violentus est, quando principiũ eius venit à causa extrinseca; Cui definitioni astipulantur, Philosophia, Theologia, leges Ciuiles & Canonicæ. Philosophia docet motum tunc violentum esse, cùm principium motus ab extrinseco venit, nec res mota quicquam cooperatur. vt exempli causa. Quando globus ferreus aut lapideus ab æneo tormento excussus, in altum fertur, motus iste violentus est, quia non venit ab ipso globo, sed ab impetu ignis, qui eum defert, & est contrarius naturæ, quia ferrum, & lapis, & cetera grauia naturaliter deorsum tendunt. Theologia docet, violentiam omninò excusare à peccato, timorem verò imminuere grauitatem illius, sed non omninò excusare: cuius causa est, quia peccatum necessariò debet esse voluntarium, dicente Sancto Augustino: *Peccatum adeò est voluntarium, vt si non sit voluntarium, non sit peccatum,* lib. de vera relig. ca. 14. Violentia verò excludit prorsus voluntarium, cùm propriè opponatur voluntati: sed timor non excludit voluntarium absolutum,

sed solùm conditionatū, nam qui aliquid facit ex timore, nollet illud facere, si aliqua ratione posset malum effugere, quod illi imminet: sed absolutè vult potius illud facere, quam impendens malum incurrere. Hinc Sanctus Augustinus primo libro de Ciuitate Dei, cap. 18. affirmat Virgines quasdam, quæ à persecutoribus per vim oppressæ fuerunt, non modò non peccasse, sed virginitatis etiam iacturam non fecisse, licet caro vitiata fuerit, quod non diceret de illis, qui propter timorem assentiuntur peccato: quia secundum Sanctum Thomam 1. 2. q. 77. art. 6. timor quidem imminuit, sed omninò excusat à culpa. Lex Ciuilis & Canonica non sumit supplicium de malo, quod perpetratum est per veram violentiam: & distinguit inter vim, & timorem: vt videre licet, *in cap. sacris de his, quæ vi metuve.* vbi Papa Innocentius dicit. Eum qui per meram vim compellitur, vt communicet cum excommunicato, nullam mereri pœnam: sed eum qui propter metum cum eo conuersetur, pœnæ obnoxium fieri. Et *in cap finali eiusdem tituli*, Gregorius Nonus asserit: Ei qui testibus probare posit, per vim rebus suis se spoliatum esse, sufficere, vt cum iuramento probet tales & tales res suas fuisse. Vbi manifestè cernitur violentiam esse aliquid extrinsecum, quod oculatis testibus comprobari possit: Quod dici non potest de præcepto, vel iudicio iniusto. Eum verò qui se facultatibus suis, per iniustam sententiam spoliatum esse queratur, dicere non posse, per vim se illis spoliatum esse, sed per iniustitiam: nec sufficere illi, vt cum iuramento affirmet tales facultates suas esse: sed à sententia appellare, & iudicio, non vi procedere debere ad sua recipienda. Atque hæc dicta sint de violentia, siue vi in proprio significato: quia non ignari sumus nonnunquam dici, vim alicui fieri precibus, vel promisionibus, vel minis, vel censuris; quæ tamen non est illa vis, de qua dictum est, *vim vi repellere licet.* de qua nunc agimus. Itaque præsupposita hac vera doctrina, euidenter cernitur, Si Summus Pontifex aliquid iniustum præciperet, & omnes ad illius precepti obseruantiam censuris vellet obgare, dici non posset, quod violentia vteretur, quamuis iniustè ageret, ac potestate sua abuteretur: quia semper remanent liberi, quibus tale præceptum datur, illud, si velint obseruare, vel non obseruare. Et si obseruent, liberè istud faciunt: & si non obseruent spontanea voluntate illud non obseruant: loquendo de libertate naturali, non de libertate peccati. Sed si Summus Pontifex milites armatos mitteret, ac per vim Sacerdotes rem diuinam in loco interdicto subiacente facere volentes, ab altari rapi iuberet: aut carceres effringi, atque inde Presbyteros, quos sibi restitui iussit, violenter educi, tum affirmari posset ipsum vti violentia: quemadmodum contrariò dici potest illos violenter agere, qui Presbyteros celebrare nolentes carceribus mancipant, qui Ecclesiasticis de facto bona sua auferunt, aut qui per satellites, armatosque impediunt, ne Apostolica monitoria solitis in locis affigantur: Ex iam dictis præterea se-

A quitur, etiamsi Summus Pontifex potestate sua abuteretur, præciperetque res iniustas, aut ferret censuras inualidas (quod certè non conceditur factum esse) non tamen posse illi iustè per vim obsisti: sed sufficeret permittere, vt qui nolit obtemperare non obtemperet, & qui nolit interdictum seruare, non obseruet, cum sententia illa communis, vim vi repellere licet, vim ex vna parte præsupponat, quæ cùm hic nulla sit, multò minus ab altera esse debebit.

Verum enimverò videamus nunc quibus rationibus septem Doctores propositionem suam confirment. [Primò sibimetipsis obijciunt illud Euangelij, vbi Christus videtur prohibere, ne resistamus his, qui vim nobis

B adferunt, cùm dicit Matth. 5. *Ego dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in maxillam dexteram, prabe illi & alteram &c.* & respondet Sanctus Augustinus lib. de mendacio cap. 15. & Enchirid. cap. 78. & libr. 1. de serm. in monte, cùm declararet hunc locum dicere, intelligendum esse in præparatione animi, non autem ita, vt contra vsurpari non posit vllum omninò remedium. Et exemplum adducit S. Pauli, cui cùm ex iussione Summi Pontificis alapa impacta esset, non porrexit alteram maxillam, sed quantum potuit, restitit, dicens. *Percutiet te Deus, paries dealbate.*

Fateor equidem, præceptum Domini intelligendum esse in præparatione animi, vt nimirum homo paratus sit, ei qui vnam sibi ala-

C pam inflixit, etiam ad alteram accipiendam se offerre, quando charitas Dei & proximi sic postulat: Et quod posit resistere illi, qui sibi iniuriam vult facere, modis debitis, quando Dei honor non exigit, vt iniuriam illam patiēter sustineat. Sed nihilominus dico, quod S. Augustinus in locis citatis non instruit nos ad resistendum, nec dicit S. Paulum verba illa protulisse, vt resisteret, quemadmodum nec Christus in Euangelio resistentiam nos docet, non enim necessarium erat eam docere, cùm homines per se satis prompti sint ad resistendum violentię, sed nos tantum admonet de his quæ charitas & mansuetudo Christiana postulant: Imò S. Augustinus dicit S. Paulum verba illa non protulisse cum indignatione, nec vt se vindicaret, sed tantùm, vt proximum cum

D charitate moneret, potiusque verba illa fuisse futura prædicentis, quàm iniuriam facere volentis.

[Secundò probant iniquam sententiam esse violentiam, quia scriptum sit in Ecclesiastico cap. 20. *Qui facit per vim iudicium iniquum:* Et in Esaia cap. 10. *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitias scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causa humilium populi mei.*]

Respondeo hæc sacræ scripturæ loca de illa vi loqui, qua nonnunquam Principes vtuntur in executione legum, siue iudiciorum suorum iniustorum, quemadmodum fecit Achab, aut vt verius dicam, vxor eius Iezabel. Concupierat Achab vineam Nabaoth, quam cum is vendere nollet, Regina fecit illum accusari de blasphemia, testesque submisit, qui falsum contra eum testimonium dicerent,

quapro-

quapropter iudicium sententijs morti adiudicatus est,ac vinea illius confiscata Regi in possessionem cessit.

Hoc est iudicium iniustum per vim facere, hoc est, efficere vt per vim effectum suum habeat. Quod patet ex similitudine quam adducit Ecclesiasticus dicens: *concupiscentia spadonis deuirginabit iuuenculam: sic qui facit per vim iudicium iniquum*. Hoc nimirum indicare volens,quod quemadmodum Eunuchus,qui puellam nobilem in custodiam accepit, grauissimè peccat,si ipse qui honoré puellæ conseruare debuerat,primus illum ei auferat. Ita Principes quos Deus mundo dedit vt custodirent iustitiam, enorme peccatum admittunt,si primi sint qui innocentes sub specie iudicij opprimant. Et clariùs adhuc Esaias loco citato: quia dicit tales Principes condere leges iniquas,vt occasionem habeát exequendi eas in viduas & orphanos patrocinio & ope carentes, sicut quando vectigalia aliasve pensiones imponunt,sub prætextu reficiendorum pontium, murorum,aut aliarũ rerum ad publicum bonum necessarium: ac postea mittunt commissarios, qui pecunias exigant,& pauperum qui soluendo non sunt, mobilia bona pignorum loco violenter auferant.

[Tertiò allegant multos Doctores, qui dicunt per vim vnicuique resisti posse,etiã Summo Pontifici.] Respondeo id à nobis non negari quando adest vera vis, & proceditur sine iudicio, quia Summus Pontifex à nemine iudicari potest,quamuis ei tunc resisti possit. Et vt manifestũ fiat Doctores ab illis citatos nobis non esse contrarios, aut eorum authoritatem non magni æstimandam esse, de singulis speciatim loquemur.

Primus est Baldus, *cap. olim de rescript. numer.* 32. Hic non agit de sententia aut censuris Papalibus, de quibus nos tractamus, sed agit de schismate, atque hac occasione approbat sententiam Doctoris cuiusdam, qui dicit Summum Pontificem remoueri posse propter notorium crimen enorme, & adiungit, posse etiam propterea contra eum arma capi. Quæ sententia manifestè erronea est, contra Can. *Si Papa distinct.* 40. Quare prima hæc authoritas nihil ad rem pertinet, ac falsa est. Secundus est Ioannes Gerson, qui diuersis in locis de resistentia, quæ fieri possit Summo Pontifici, differit. Huius sententiam non magnipendimus, cum in materia de Summi Pontificis auctoritate semper suspectus, & nimis liber fuerit, præterquam quod ipse etiam vt plurimum magis loquitur de violentia factorum, quam sententiarum & iudiciorum. Tertius est Syluester in Summa *verb. Papa, numer.* 4. qui citat etiam Petrum de Palude. Quartus est Cardin. Caietanus in opuscul. *de potestate Papæ & Concilij cap.* 27. Quintus est Dominicus Soto *in 4. distinct. decimaquinta, quæstione secunda, articulo* 2. Sextus est Franciscus Victoria *in repet. de potestate Papæ, propositione vigesimasecunda*. Septimus est Antonius Cordubensis *in Quæstionibus Theologicis libro quarto, quæst.* 10. Octauus est Cardinal. Turrecremata *in 2. lib. summæ de Ecclesia, capit.* 106. Nonus est Card. Bellarminus *libro 2. de*

A *Pontifice capit.* 29. Hi omnes idem docent & agunt de vi siue violentia quadam iniusta, qua Summus Pontifex vellet vti de facto, si esset forsitan malæ vitæ, quales antiquis temporibus nonnulli fuerunt, si veræ sunt illorum historiæ,& inquirunt remedia quibus tum vtendum sit, cum Summus Pontifex nullum habeat Superiorem in terris, nec à quoquam iudicari possit: Remedia verò hæc tradunt: confugere ad Deum orationibus: admonere cum reuerentia ipsum Pontificem: non obtemperare præceptis illius manifestè iniustis, & demum resistere ei, ne malum quod conatur, efficiat. Vt si exempli causa, Ecclesiam Sancti Petri cupiat diruere, quo consanguinibus suis palatium construat: si omnes Episcopos dignitatibus suis spoliare, sicque Ecclesiæ statum perturbare cogitet, aut si bellum

B sine causa moliatur, quo dominia iustis possessoribus ablata suis distribuat: aut alia similia,quæ tamen verisimile non est,aliquando euentura esse. Et ne multis,consulantur loca citata, & manifestè liquebit illa nihil facere ad præsentem controuersiam, cum ibi non loquatur de resistentia contra simplex præceptum aut sententia alicuius censuræ, in qua propriè vis non intercedit. Decimus auctor est Felinus in cap. *Si quando de rescript.* Vndecimus est Decius in eodem cap. *si quando de rescript.* Duodecimus est Socinus Senior, in cap. *nulli, de sententia excommunicationis.* Decimustertius est Curtius Senior. *Consilio* 20. Decimusquartus est Nauarrus in cap. *Cùm contingat. de rescriptis, remedio* 2. Respondeo neminem horum loqui de resistentia, quæ

C Summo Pontifici per vim aut violentiam facienda sit. Sed inquiunt tantummodò non esse obtemperandum præcepto manifestè iniusto. Imò Nauarrus loco citato loquens de censura per quendã subdelegatum non habentem auctoritatem lata, dicit, potuisse chartas affixas auelli & lacerari, sed adiungit, id secretè ac sine violentia fieri debuisse. Vnde conijci potest, quantam reuerentiam Nauarrus haberi velit Summi Pontificis, cùm doceat, ne chartæ cuiusdam subdelegati lacerentur per vim, aut in publico. Sed neque silentio prætereundum est, quod Antonius Cordubensis loco supra citato, in fine sui tractatus adiungit simul cum Victoria, quem ipse citat, duo magni pôderis & momenti monita. Primum est, vt semper procedatur erga Summum Pontificem maxima cum reuerentia, nec denegetur illi o-

D bedientia in alijs rebus, nec authoritas illius tangatur: sed solùm respondeatur tale præceptum illius esse iniustum: quia si semel potestas Summi Pontificis in contemptum venire cæperit, tota Ecclesia schismatibus, & factionibus replebitur. Secundum est, vt semper & super omnia deuitetur scandalum, & ne oriantur in Ecclesia schismata & factiones, quia hoc multò peius futurum esset, quam permittere abusus aliquos Summi Pontificis.

Quare matura consideratione id expendendum venit: ne si semel Principibus sæcularibus Summo Pontifici resistendi, atque vna in re illi non obtemperandi potestas facta fuerit,

periculum fiat, ne illi licentiam sibi vsurpent, in alijs multis rebus, in quibus expediens non fuerit, Summo Pontifici non parendi.

Hæc sunt verba Antonij Cordubensis & Francisci Victoriæ, quos citant septem Doctores: [qui deniq; adiungunt, multos ex auctoribus citatis agere de resistentia, qua Ecclesiastici Summo Pontifici resistere posint: atq; inde argumĕtum sumi posse, quod multò magis Principes, qui minus summo Pontifici subiecti sunt, & ex officio debent esse defensores Ecclesiæ, posint ei repugnare.]

Respondemus totum id verum esse modò seruetur regula illa, vt obsistatur præcepto manifestè iniusto, illi non obediendo, & interdicto manifestè nullo repugnetur illud non obseruando: nec procedatur ad vim, nisi præcesserit ex altera parte manifesta vis, nec simplex præceptum, etiamsi iniustum, aut interdictum, etiamsi nullum, vis appelletur: cùm autem præceptum non est manifestè iniustum, quemadmodum iniustum non est præceptum Sanctissimi Domini Nostri Venetis factum, vt ei obtemperetur: & cum interdictum non est manifestè nullum, quale non est illud quod in Dominio Veneto latum est: vt illud obseruetur.

PROPOSITIO DECIMA-SEPTIMA.

Non solum peccat Iudex, si pronunciet sententiam iniustam & nullam: sed etiã quando manifestè ea talis est, peccat minister, si exequatur illam.

RESPONSIO.

Propositio vera est, sed applicatio falsa, quia septem Doctores in hac propositione, supradicta omnia ei applicant, qui obseruat excommunicationem & interdictum, quasi idem esset exequi sententiam & tolerare illam. Quod si verum esset, infelices illi qui iniustè ad triremes, vel ad flagella, vel ad patibulum condemnantur, non tantum haberent pęnam, sed etiam culpam tanquam Ministri & executores iniustitiæ, quod nemo sanæ mentis affirmabit. Quod autem interdictum quod nullum est obseruare, non sit exequi, sed tolerare, & consequenter nõ sit peccatum, apertè docet Nauarrus in cap. *Cùm contingat, de rescript. remedio* 2. Quem locum quamuis citent septem Doctores, est tamen illis omninò contrarius: quia Nauarrus dicit: quando Cathedralis Ecclesia seruat interdictum, tunc etiam Religiosos omnes vrbis illius ad interdictum seruandum obligari, quamuis manifestè nullum sit: atque illud probat, per Clement. *Ex frequent. de sententia excommun.* Si autem interdictum quod est nullum, seruare, sit illud exequi, & ex consequenti peccatum sit, quomodo Religiosi tenebuntur ad illius obseruationem, cùm nemo ad peccandum obligari posit? Dicit quidem Nauarrus, quando excommunicatio manifestè nulla est, peccare illum; qui fugiat conuersationem cum tali excõmunicato in rebus necessarijs & illi præiudicialibus: Hoc autem non idcircò contingit, quod is qui excommunicationem seruat, sit minister & executor sententiæ, quemadmodum is est qui eam promulgat, & denuntiat, aut quod in se peccatum sit, excommunicationem nullam obseruare: sed quod iniuriã faciat proximo dum fugit illum tanquam excommunicatum, cum nõ sit talis, quando alioqui obligatus est tractare cum illo. Similiter dici potest, de Pastore qui plebi suæ Sacramenta ministrare tenetur: quòd peccaret si hoc facere omitteret, vt interdictum aliquod manifestè nullum obseruaret: verùm non peccaret tanquam executor sententiæ nullæ: sed quod non satisfaceret obligationi suæ quam habet vti Pastor: quia seruare interdictum, non est propriè exequi illud tanquam minister, sed tolerare tanquam subditus.

PROPOSITIO DECIMA-OCTAVA.

Princeps, contra quem, propterea quod Prælati spiritualis præceptum quod nullum sit, non receperit, excommunicationis sententia etiam nulla fertur: & cuius ditio interdicto & nullo subijcitur; potest totis viribus, quas ei Deus concesserit, prohibere obseruationem illarum censurarum, & permanere in possessione exercitij Catholicæ Religionis in qua est: & si probabiliter crederet, cultum diuinum hac ratione imminutum iri, aut oriturum aliquod scandalum peccati, reus efficeretur, si id non faceret.

RESPONSIO.

Hæc propositio à decimasexta dependet, ac proinde sicut ibi demonstrauimus, simplex aliquod præceptum, & simplicem interdicti sententiam, quamuis manifestè iniusta & nulla essent, non posse appellari vim siue violentiam; ita nunc asserimus contra huiusmodi præceptum siue sententiam, non esse vi aut violentia resistendum, quia hoc non esset vim vi repellere, sed vim facere, vbi nulla est vis: cum sufficiat præcepto manifestè iniusto ita resistere, vt ei non obtemperetur, & interdicto manifestè nullo, vt non obseruetur, nec vis afferatur Sacerdotibus, siue Missas & diuina officia peragere velint siue non. Sed omnes hi discursus friuoli sunt, verbaq; otiosa, quousque doceatur & demonstretur Summi Pontificis præceptum esse manifestè iniustum, & interdictum manifestè nullum: quod existimamus probari non posse, neque hactenus per scripta quæ ad manus nostras peruenerunt, probatum fuit, quod huiusmodi iniustitiæ & nullitatis sitnè dubium quidem aliquod probabile vel apparens: maximè quoad id quod concernit exemptionem Ecclesiasticorum à foro sæculari: quia non queunt aduersarij, vel vnum aliquem Theologum aut Canonistam proferre, qui doceat, posse quemcunque Principem Clericis & Monachis priuilegium illud auferre, vt non iudicentur per Laicos: nos autem è contra produximus non modò auctores quamplurimos pro nobis facientes, sed etiã Canones ipsos Summorũ Pontificum, & Conciliorum generalium. Et quia

septem Doctores magni æstimāt Concil. Constantiense, quod pluribus in locis citant, & opponunt Concilio Lateranens. demonstrabo illis, quod in hac etiam materia Concilium Constantiense sententiam contra illos ferat. Inspiciatur Sess. 31. Concilij Constantiens. & inuenientur ibi hæc verba. *Laici in Clericos nullam habent iurisdictionem & potestatem.*

Ecce hæc est sententia Concilij Constantiensis tantoperè laudati à vestro Gersone, quæ conformis est antiquissimis Concilijs, nimirum Concilio Lateranensi sub Alexandro III. celebrati: & recentioribus Concilijs, vt Lateranensi sub Leone X. & Tridentino. Cui ergò fundamento innituntur qui contra sentiunt.

[Dicent fortè se niti S. Scripturæ auctoritate, quæ ad Rom. 13. asserit, *Principem non sine causa gladiū portare, cum Dei minister sit, vindex in iram his qui malè agunt.*] Verùm quidem est Principem punire posse malè agentes, sed subditos suos: probent autem Ecclesiasticos esse subditos illius, & tunc eis assentiemur: sed hoc nunquam docere poterunt, nos autem contrarium demonstrauimus.

[Dicent fortasse se hac ratione niti, quod exemptio hæc facta sit ex priuilegio Principum, ac proinde ab ijsdem tolli posse.] Non negamus Principes priuilegium aliquod contulisse, sed non ipsi soli, sed potissimum ac primum Deus ipse, ac eius deinde Vicarius illud contulerunt: quod nec possunt Principes sæculares tollere, quemadmodum suprà declaratum est, & confirmatum authoritate Doctorum omnium qui de hac materia scripserunt, etiam illorum quos ipsi pro se citauerant.

[At dicent: Se niti consuetudine antiquissima, qua Veneti iudicare ac punire soliti sint Ecclesiasticos.] Omittamus autem, num talis consuetudo apud ipsos sit, necne, certum quidem est, consuetudinem nō sufficere ad abrogationem legis Pontificiæ, nisi Summus Pontifex id consentiat: Summum Pontificem autem non consentire certum habemus, præsertim ex publicatione, quæ quotannis fit Bullæ in Cœna Domini.

[Dicent denique, se niti priuilegijs, à multis Summis Pontificibus Reipublicę Venetę concessis.] Quibus respondemus, eum qui concessit (si tamen id factum est) etiam reuocare posse, ab illis præcipuè qui cum eis malè vtantur, digni sunt vt ea ipsis auferantur. Accedit, quòd, quemadmodum ab illis qui ea inspexerunt, accepi, priuilegia illa limitata & restricta fuerint ad certos casus, certa loca, certas personas, aliasque certas circumstantias, ex quibus colligitur, ea non comprehendere casum præsentem. Et hæc pauca dicta sint vt indicetur, non modo septem Doctores nunquā probasse, præceptum Summi Pontificis iniustum esse: verùm etiam facilè ab ijs qui tractant de meritis causę probari posse id esse iustissimum. Sed respondeamus rationibus quas septem Doctores ad Propositionis huius decimæoctiuæ probationem adducunt.

[Dicunt primò, vnumquemque præcipuè verò personas publicas, obligari ad sui honoris defensionem: cessurum autem ad insigne dedecus Principis Veneti, si præcepto iniusto obtemperaret, & interdicti nullius obseruantiam permitteret: quam etiam rationem confirmant exemplo hominis priuati, cui Doctor Nauarrus, consulit, vt non seruaret quandam excommunicationem nullam, *In cap. cum contingat, de rescriptis remedio secundo, numero 22. & 23.*]

Respondeo, Demonstrent primum septem Doctores, præceptum Summi Pontificis iniustum, & interdictum nullum esse, quemadmodum euidenter & innumeris exceptionibus probat Nauarrus, illam censuram fuisse nullam, & tum consulant etiam ipsi vt non obseruetur. Sed cum illud non faciunt, nouerint ipsis omnium peccatorum, quæ contra diuinam Maiestatem propter illorum consilium admittuntur, culpam ascribendam esse.

Secundò dicunt: Quod Ciuitas, Regnum, siue Populus qui Fidem & Religionem Christianam recipit: simul etiam ius quoddam acquirat, vt cultus diuini exercitium, & Sacramentorum ministerium sit in eo loco, quasi fœdus quoddam ineatur inter Deum & ipsum populum, vt ille sit DEVS populi, & hic sit populus Dei. Id autem quod per hoc tam solenne pactum illis à Deo collatum est, non potest ipsis auferri sine culpa: quòd si de facto ipsis auferatur, possunt se defendere per vim, iuxta lumen naturæ.

Respondeo, Quod illis incumbit, docere ac planum facere Christianæ Religionis exercitium, & Sacramentorum ministerium sine culpa ipsis ablata esse: quod quamdiu nō probant, præsumptio est pro Iudice. Et quemadmodum in veteri testamento quamuis foret fœdus solenne ictum inter Deum & populum, nihilosecius quando Hebræi offendebāt Deum, peccatis præsertim publicis, Deus nolebat amplius & eorum sacrificia, & festiuitates, aliosque ritus & sacras cæremonias, sicuti Isaias 1. cap. & Malachias similiter 1. cap. testantur. & eousq; processit, vt templum illorum destrui & igne absumi permiserit, ne possent amplius sacrificare. Ita etiam quando populus Christianus diuinam Maiestatem offendit, recusans obedientiam præstare Vicario suo, vult Deus, vt interdictum feratur, & nonnunquam vsqueadeò crescit ira Dei, vt permittat regiones illas Turcarum, aut Hæreticorum sub potestatē redigi, qui Ecclesias euertant, & sanctæ religionis exercitium omninò tollant. Vtinam non cerneremus huiusce rei tot exempla, quot hodie videmus.

Tertiò dicunt: In susceptione Religionis aliud quoque fœdus oriri inter Sacerdotes & populum, vt nimis Sacerdotes se obligent ad sacra populo ministranda, populus verò se obliget ad sustentandos Sacerdotes bonis temporalibus. Et quia in Dominio Veneto, populus obligationi suæ satisfecit, sufficientes redditus assignando Sacerdotibus & Religiosis: Idcircò non possunt hi sine iniustitia, officio suo sacris ministrandis deesse. Et quemadmodum Summus Pontifex iustè conqueri posset, si Veneti expellerent

Sacerdotes & Religiosos, aut nõ permitterent ipsos redditibus suis gaudere; ita Veneti tolerare non debent, quod inde abeant, aut officiũ suum in Missis dicendis & diuinis officijs celebrandis, non exequantur.]

Respondeo: Hanc rationem, quemadmodum etiam præcedentes omnes, præsupponere, quod nulla intercesserit culpa, propter quam iustè Dominium Venetum interdicto subiici potuerit: Vbi enim subest culpa, dubitari non potest de iustitia pœnæ. Et quemadmodum sæpenumerò Summus Pontifex, aut etiam Episcopus Sacerdotes coram prouentibus priuat, in toto vel in parte; nec possunt dicere, se illis iniustè priuari, eò quòd propter suos labores ipsis debeantur, nec ipsi vlla in re desint officio & ministerio suo erga populum; quia responderetur eis non ideo quod populo non ministrauerint, sed ob alia ipsorum delicta suis eos prouentibus priuari: Ita quando Summus Pontifex locum aliquem interdicto subiicit, nequeunt populi prætexere id fieri non posse, eo quòd ipsi officio suo in Sacerdotibus alendis nõ desint: quia respondetur, non auferri illis diuinorum officiorum exercitiũ, quòd Sacerdotibus sufficienter non prouiderint, sed vt hac ratione alia ipsorum, aut Principis, cuius gubernationi subsunt, peccata puniantur. Et ne pluribus, quemadmodum in præfatione dictum est, hi septem Doctores defecerũt in eo quod potissimum erat: quam enim asserũt notoriam iniustitiam præcepti, & nullitatem manifestam interdicti, non præsupponere, sed probare ac demonstrare debuerant.

PROPOSITIO DECIMANONA.

INterdictum est noua censura quædam in Ecclesia, & quæ, si quis debita cum discretione ea non vtatur, cedit ad notabilem eiusdem Ecclesiæ destructionem.

RESPONSIO.

DICVNT septem Doctores interdictum esse censuram nouam, & tamen confitentur ipsam in vsu fuisse tempore Alexandri III. an. 1170. ita, vt minimum 430. annos antiquitatis ei assignent: non debet autem appellari nouum quod amplius quadringentis annis durauit: maximè cum dubium non sit, interdictũ multò etiam antiquius fuisse: Nam Alexander loquitur ibi de eo tanquam de re vsitata & iamdudũ inchoata: cap. *Non est vobis de Sponsalib. & Matrimon.* Et notandum est, quod in hoc capitulo Summus Pontifex Alexãder III. in Angliam interdictum tulerit, quod Rex Angliæ propter discordiam, quæ inter ipsum & filios eius suborta fuerat, vxores eorum detineret: vbi si habuisset Rex hos septem Doctores pro consiliarijs, dixisset, ad temporalia id pertinere, nec Summum Pontificem posse propterea interdictum ferre: sed tum maior erat in hominibus simplicitas & perfectior obedientia.

Quid verò dicent septem Doctores, si demonstremus, interdictum centum annis prius in vsu fuisse? Quis enim ignorat Gregorium VII. centum annis ante Alexandrum III. vixisse: & prædictum Gregorium in Poloniam interdictũ tulisse, quod integro triennio perdurauit? nec tamẽ Gregorius VII. primus censuræ huius auctor fuit, quia apparet illum ea vti tanquam re prius vsitata. Gregorius enim Turonen. lib. 8. c. 41. historiæ Francorum, meminit Interdicti, quod positum fuit in Ciuitate Rothomagensi, ob homicidium factum in personam S. Protextati Episcopi, & fluxerunt iam ab illo plus quàm mille anni. Exemplum etiã S. Augustini, qui Comiti Bonifacio vsum Sanctissimæ communionis, & vniuersæ domui eius, ne ad altare oblatio illorum susciperetur, interdixit, quemadmodum legimus Can. *Miror*, 17. q. 4. Et in epist. 185. S. Augustini, quamuis non probet vsum interdicti localis, ostendit nihilominùs vsum interdicti personalis in Ecclesia extitisse ante mille ducentos annos. Et si S. Basilio in primo sermone de Ieiunio: licuit probare ieiunium antiquitate Mundum ipsum adæquare, idcircò quod primum præceptum homini à Deo datum fuerit ieiunium siue abstinentia ab esu arboris scientiæ boni & mali: licitum etiam nobis erit probare interdictum fuisse primam pęnam quam Deus peccato inflixit, quando primis parentibus interdixit ingressum terrestris Paradisi, qui erat figura Ecclesię, & gustum arboris vitæ, quæ Sanctissimum altaris Sacramentum præsignabat, & hæc dicta sint quoad primam huius propositionis partem.

Quoad alteram verò, vt septem Doctores probarent, interdicto cum discretione vtendum esse, ostendunt primo rigorem interdicti temperatum fuisse à Gregorio IX. Innocentio IV. & Bonifacio VIII. Deinde repetunt illud, quod superiùs dixerunt, ex cap. *Alma mater. de sentent. excommun. in 6.* colligi, quod nimirum secum adducat multa inconuenientia. Quæ duo & vera sunt, & satis superque de ijs suprà disseruimus: Postremò adducunt quædam exempla interdictorum, quæ non fuerint obseruata, non permittentibus Principibus vt obseruarentur: Concludunt autem dicendo, quendam Ludouicum Richeomum Societatis IESV Prouincialem, in Apologia quam scripsit ad Regem Franciæ laudare, atq; commendare factum Regis Ludouici XII. & illud omnibus Regibus ad imitandum proponere, atque insuper affirmare Societatis suæ homines imitaturos fore Francos Regis illius subditos, si fortè Summus Pontifex Regnum Franciæ oppugnare moliretur.

Ad quod responderi potest: Etiamsi bis terve interdictum obseruatum non fuerit, sæpè tamen ac sæpiùs obseruatum fuisse. Sanctus Ioannes autem in 3. Epistola vnumquemque fidelem sic adhortatur. *Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est.* In Hispania obseruatum fuisse anno millesimo ducentesimo octuagesimotertio, & millesimo trecentesimo quinquagesimoseptimo, testatur Ioannes Mariana in lib. 14. cap. 7. & lib. 17. cap. 1. historiarum Hispanicarum. Omitto autem repetere exempla superiùs adducta de Regnis Siciliæ & Poloniæ. Quod attinet ad Ludouicũ

Richeo-

Richeomum, moneo primum septem Doctores, vt meminerint diuinum esse præceptum non loqui contra proximum falsum testimonium. Nec possum non fateri, valdè me miratum esse, quod homines Religiosi & Theologi, nulla tacti fuerint religione siue conscientia, in ijs asserendis quæ falsa sunt, idque cum præiudicio famæ alterius Religiosi & Theologi: Vt ergo veritas manifestè perspiciatur: quemadmodum paulò antè septem Doctorum præcisa verba retuli, quoad id quod P. Ludouico Richeomo obiiciunt: ita nunc eiusdem Patris verba ipsa primum lingua Gallica, qua scripsit, referam, ac deinde in Latinam conuertam. Est itaque sciendum hominem quendam contra Patres Societatis libellum edidisse, & inter alia quibus eos apud Regem Christianissimum in inuidiam trahere & exosos reddere conatur, quæsiuisse ab eis quid facerent, si talis aliquis Summus Pontifex insurgeret, quales fuerunt Bonifacius VIII. & Iulius II. ac censuris molestaret Regem Henricum IV. quemadmodum Bonifacius Philippum Pulchrum: & Iulius Ludouicum XII. molestauit. Fuit autem hæc interrogatio similis illi, quā Herodiani Christo Domino nostro fecerunt quærentes. *Licetne censum dari Cæsari an non?* Huic interrogationi P. Richeomus capit. 24. Apologiæ suæ respondet his verbis. ***Nous ferions pour dire cecy en passant, ce que firent alors les bons Ecclesiastiques, & bons Francois auec le Roy Philippes le Bel, & Louys douzieme, qui defendans leurs droicts, ne quitterent iamais le respect du sainct siege.*** Hoc est. ***Nos faceremus, vt illud obiter attingamus, quod tum fecerunt boni Ecclesiastici, & boni Franci vnà cum Rege Philippo Pulchro. & Ludouico XII. qui iura sua defendentes, sanctæ sedis reuerentiam nunquam deposuerunt.*** Quæro nunc vbi est, quod vos dicitis Ludouicum Richeomum laudare & commendare factum Regis Ludouici XII. vbi est laus hæc & commendatio in verbis illius? non est ibi laus vlla, sed vestra fictio. Similiter vbi est illud quod vos asseritis, ipsum omnibus Regibus factum illud ad imitandum proponere? Extatne vel vestigium aliquod huius rei in verbis istius Religiosi? cur ergo ausi estis calumniari proximum sine vlla causa? vbi est etiam illud quod additis, eundem Religiosum dicere, Iesuitas imitaturos esse Francos Regis illius subditos, si Summus Pontifex oppugnare cogitaret Regnum Franciæ? cur autem omittitis verba illa ***boni Ecclesiastici, & boni Franci?*** Sanè videre non possum quomodo Religiosus ille interrogationi tam captiosæ, præsertim cum ipsi Regi scriberet, maiori cum prudentia & circumspectione respondere potuisset. Non enim dixit, quod partes Summi Pontificis secuturi essent, ne Regem offenderet: nec Regis partes secuturos esse affirmauit, ne læderet propriam conscientiam; nec dixit quod facturi essent quod tum fecerunt Ecclesiastici & Franci, sed quod fecerunt boni Ecclesiastici & boni Franci: quia sciebat quod tum etiam multi Ecclesiastici adulabantur Regi, atque illi obtemperabant in ijs in quibus non erat necessariū, sed erāt præterea alij boni, qui

A Regem quidem diligebant, sed non adulabantur ei, nec illum decipiebant; quemadmodum etiam hodie inter Ecclesiasticos obligationis ac professionis suæ parum memores, non desunt boni, quorum vnus fuit optimus ille ac venerabilis senex Cardinalis Veronensis, qui licet tenerè diligeret Rempublicam Venetam, ipsam tamen iniustam causam fouere fatebatur. Dicit igitur P. Richeomus, ipsos facturos esse quod boni tum fecerunt, indicare volens bonos Ecclesiasticos obtemperasse Summo Pontifici, vt erant obligati, alioqui non fuissent boni Ecclesiastici. Qui etiam tanquam boni Franci consilium prudens Regi suo suggesserunt, vt cum Patre suo spirituali in concordiam rediret. Atque hoc pacto iura Regis ita defenderunt, vt tamen reuerentiæ sanctæ Sedis Apostolicæ, nunquam obliuiscerentur. B


Cùm igitur iam responderim septem Doctoribus, reliquum est vt Lectores rogem, eos præsertim qui Serenissimam Rempublicam Venetam moderantur, vt considerantes quanti ponderis & momenti sit præsens controuersia, nō contenti sint suorum tantum Theologorum scripta legere, sed nostras etiam legant responsiones, & depositis tantisper proprijs affectionibus, æquitatis libra sanctæ fidei lumine illustrata, examinent & ponderent rationes vtriusque partis: forsitan benedictus Deus faciet vt cognoscant, quæ modo non cognoscunt: sciant verò Deum Principes illos populosque, qui doctores sibi adulantes, & vt inquit Apostolus, *prurientes auribus* amplectuntur, hac pœna afficere, vt patiatur eos decipi atque illudi cum detrimento ac periculo C totius regni & vitæ. Cuius rei clarissimum in tertio libro Regum cap. vltim. exemplum legimus: vbi narratur Regem Israel noluisse audire Prophetam vera prædicentem, sed illos qui placentia sibi prophetabant, quamobrem Deus ad punitionem illius permisit, vt quadraginta Prophetæ eum deciperent, victoriam ei ex parte Dei prædicentes, quod contra euenit: nam & exercitus eius profligatus, & simul ipse interemptus fuit, sicque regnum simul & vitam amisit. Nolo autem applicare exemplum hoc ad nostra tempora, sed suppliciter atque humillimè precor Patrem misericordiarum, vt pijs oculis præsentes miserias intueatur, nec permittat vt de D malis suorum fidelium hostes fidei, lætentur, & gaudeant. Amen.

(·.·)

RESPON-

RESPONSIO
AD OPPOSITIONES
F. PAVLI SERVITAE,
aduersus scripta

CARDINALIS BELLARMINI.



RATER Paulus Venetus Ordinis Seruorum, cum considerationes quasdam Ioannis Gersonis, & simul præfationem quandam in Summum Pontificem contumeliosam, scandalosam, & hæreticam illius qui easdem considerationes vulgari lingua in lucem emiserat, defendendam suscepisset, pluribus in locis responsiones meas redarguit. Cui sicut operæ pretium non est, eum honorem exhibere, vt singulis eius verbis respondeatur, ita committendum nō est, vt eius saltem calumniæ non detegantur, & palam in orbis totius cōspectum proferantur. Quapropter summa cum breuitate illas tantum perstringere aut potius delibare, quantum ad illas cognoscendas satis fuerit, decreui.

Primum fol. 2. pag. 2. reprehendit, quod dixerim Gersonis Considerationes, aut non pertinere ad rem præsentem, aut errores continere. [Si inquit ille, non pertinent ad rem propositam, cur de ijs ita anxius est? cur illas confutare molitur, semper eius doctrinæ contradicit, nunquam verò demonstrat, illam huc non pertinere?]

Imò vero demonstraui & planum feci, primam, secundam, tertiam, cæterasque considerationes nihil ad rem facere, cum nemo illas neget, ac proinde non has refello, sed eas quæ ad rem propositam spectant, & errores continent; quemadmodum ex responsione mea liquet.

Fol. 2. pag. 2. dicit [oppositiones meas ea supponere, quæ ex contextu appareant falsa, nimirum quod Gerson scripserit eas considerationes tempore schismatis.] Gerson natus est, vt colligitur ex Trithemio de viris illustribus, Anno Domini 1363. Schisma verò initium sumpsit an. Domini 1378. quando Antipapa Clemens VII. creatus fuit contra Papam Vrbanum VI. ex quo colligitur, quādo Schisma cœpit, Gersonem fuisse annorum quindecim, nec eo tempore adhuc scribere potuisse: durauit Schisma plus quinquaginta totos annos sub Antipapa Clemente VII. qui vixit annis 16. & Benedicto XII. qui vixit an. 30. & Clemente VIII. qui vsque ad depositionem suam quinque annos exegit. Finem igitur accepit Schisma anno Domini 1429. quod tempus vitæ Gersonis non excessit, cùm is mortem obierit eodem anno 1429. Itaque Gerson quæcunque scripsit, tempore Schismatis scripsit. Atque idcircò falsum non est, quod dico considerationes illas schismatis tempore conscriptas esse, sed falsum est quod ait F. Paulus, cum nullo fundamento nixus contradicat.

Fol. 3. pag. 2. dicit [se valdè mirari quod inter illas sex species libertatis, libertatem Ec- A clesiasticam non numerauerim.] Ad quod Respondeo me locutum fuisse de illa duntaxat libertate quam prætexere possunt Veneti, atque id est causæ cur dixi, vel priuatus quis, vel Respublica, id est, vel Respublica, vel personę illius particulares: nec dubium est Rempubl. Venetam sibi libertatem Ecclesiasticam non arrogare. Dico deinde, quamuis nominatim non expresserim libertatē Ecclesiasticam, quia opus non erat propter rationem antedictam: illam nihilominus sub vltima specie cōprehendi, videlicet sub libertate Principis absoluti, nullum agnoscentis superiorem: quia libertas Ecclesiastica principaliter residet in Summo Pontifice, atque ab illo in omnes Ecclesiasticos, Clericos puta & Monachos deriuatur. Nec aliud intelligimus per libertatem B Ecclesiasticam præterquam immunitatem & exemptionem, qua exempti sunt à iugo potestatis sæcularis. Et quamuis aliquando Principes sæculares existimauerint penes se potestatem esse iudicandi etiam Ecclesiasticos tanquā suos subditos, saltem quoad temporalia: & nonnulli ex Imperatoribus conati fuerint sibi de facto subijcere Summum etiam Pontificem: nihilominus declarant & fatentur omnes Doctores Catholici, Summum Pontificem esse Principem absolutum, nec agnoscere superiorem in terris, non modò in spiritualibus, verumetiam in temporalibus: & pari ratione cæteros Ecclesiasticos, tanquam membra huius capitis, nullum sæcularem Principem pro legitimo superiori agnoscere.

Fol. 4. dicit [Multos Summos Pontifices C in præceptis suis, & etiam in materia fidei, errauisse, ac proinde condecens non esse, vt ipsis obtemperetur nisi limitatè.] Ex hoc perspici potest reuerentiam F. Pauli, quam defert Summo Ecclesiæ Capiti, quandoquidem non contentus Cardinalem calumniasse, calumniam insuper Summis Pontificibus intentat. Cùm potuerit in libris nostris, quos se vidisse inficias ire nequit, cum illos alijs in locis citet, legere quid huic calumniæ respondendum sit, cum in illis omnes hæ obiectiones simul cum multis aliis Lutheranorum argumentis refellantur & confutentur. Inspiciatur 4. lib. de Pontifice à cap. 8. vsque ad cap. 14. vbi defenduntur omnes hi Pontifices, quos Lutherani primum & nunc F. Paulus arguit. Quod si F. Paulo non placebat illa defensio, debebat D illam oppugnare, confutare, vt se tantò clarius & apertius Summorum Pontificum hostem esse demonstraret.

Fol. 5. pag. 2 dicit [me artificiosè commutasse verba interpretis Gersonis: quia cùm ille dixisset summum Pontificem Venetorū Rempublicam excommunicasse: ego dicam ipsum Reipubl. capita excommunicasse: ex eo autem infert, me hoc artificio cōtegere voluisse errorem quendam à Summo Pontifice (vt ipse ait) commissum, in excommunicanda vniuersitate, cùm iuxta Theologorū & Canonistarum doctrinam excōmunicandæ sint personæ particulares.] Respondeo, mihi ne in mentem quidem venisse huiusmodi artificium, tantum abest vt illo vsus fuerim. Quando responsionem illam scripsi, necdum videram breuia

A Apostolica, quorum vnum præsentatum fuit die Natalis Domini, alterum 25. die Februarij: sed solum Monitorium 17. Aprilis publicè promulgatum: & quia in Monitorio Dux & Senatus, qui Rempublicam gubernant, excómunicantur, idcirco dixi, Reipublicæ capita excommunicata fuisse. Quod autem in Breuibus Dux & Respublica nominentur parum interest, cum ipsemet Summus Pontifex in Monitorio satis declarauerit, se per nomen Reipublicæ intelligere Senatum, in quo latæ sunt leges, quæ huic excommunicationi causam attulerunt. Et quamuis Theologi & Canonistæ asserant collegium vel vniuersitatem excommunicari non debere, cum id vetitum sit cap. Romana. *de sententia excommunicationis in 6.* sed particulares duntaxat personas: Nihilominus summus Pontifex huic legi non subiacet, quemadmodum rectè notat Syluester in verbo, *excommunicatio, primo num.* 10. & præterea tam Syluester quam alij Doctores docent, posse vniuersitatem etiam excommunicari, quando ita limitatur excommunicatio, vt non nisi noxios includat: sic autem fecit Summus Pontifex in Monitorio, cum dicit, se Ducem & Senatum statutarios excommunicare. Vbi per verbum illud *statutarios* declarat ipsum non comprehendere sub illa excommunicatione nisi illos tantummodo senatores, qui sint culpæ obnoxij, qui nimirum ad illarum legum lationem vota dederint, aut alia ratione concurrerint. Itaque Fr. Paulus potuisset abstinere ab hac calumnia.

Fol. 6. pag. 1. culpat Fr. Paulus [quod Venetorũ leges iniquas & impias nominauerim, cum his titulis eas Summus Pontifex in Monitorio suo & breuibus non appellauerit, ad quem, iuxta meam doctrinam, spectabat de legibus Principum iudicium ferre: miratur etiam cur non probem eas tales esse, puta iniquas & impias.]

Respondeo F. Paulum non recordari verborum Monitorij, ac proinde reducam ipsi ea in memoriam. Inter alia dicit Sanctitas sua de legibus illis sequentia. *Cumque præmissa in aliquibus Ecclesiarum iura, etiam ex contractibus initis ipsis Ecclesiis competentia auferant, & præterea in illis & alijs Sedi Apostolicæ, ac nostræ auctoritati, & Ecclesiarum iuribus, & personarum Ecclesiasticarum priuilegijs præiudicium inferant*, hoc est: leges illas aliqua ex parte iura Ecclesiarum, quæ illis ex contractibus initis debeãtur tollere, authoritati Sedis Apostolicæ, iuribus Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum priuilegijs præiudicare. Certum autem est illam legem, quæ iura sua alteri tollit, & alijs præiudicat, mereri nomen iniquæ: illam etiam quæ ius non personæ alicuius profanæ, sed Ecclesiæ, quæ domus DEI est, tollit, & non cuicunque personæ, sed DEI Vicario, iuribus domus DEI, & priuilegijs Ministrorum DEI, quæ omnia in DEVM redundant, præiudicat, non modò iniquam, verum etiam impiam esse. Itaque secundum verba Monitorij legibus illis rectè conuenit hic titulus, vt iniquæ ac impiæ nominentur. Nec solum Summus Pontifex illas iniquas & impias esse declarat, adiungit etiam, pernitiosas & scandalosas esse, cùm ait. *Ac ea omnia in ipsorum Ducis & Senatus animarum pernitiem & scandalum plurimorum tendant.* Itaque immeritò Fr. Paulus accusat me immodestiæ, cum potius meam culpare debuerit nimiam modestiam, quod subticuerim, leges illas esse scandalosas & pernitiosas. Tales autem eas esse, non mearum partium est exactè probare, sed vestrarum est contrarium docere, cum accusatorum munus obeatis. Videor tamen mihi id obiter satis probasse, quando dixi, illas meruisse, vt auctores earum publicè à Summo Iudice, qui locum Dei obtinet in terris, excommunicarentur: & quamuis authoritas hæc perexiguæ sit æstimationis apud Fr. Paulum, suosque collegas, apud bonos tamen Catholicos maximi momenti est.

B Eodem in loco verum non esse contendit illud quod scripsi, legem quandam Mauritij Imperatoris à S. Gregorio asperè reprehensam fuisse: atque vt verum non esse demonstret, multa recitat ex epistol. 61. 2. libr. in qua S. Gregorius se indignum Seruum Imperatoris appellat, & se præcepto illius quoad legis illius publicationem obtemperasse affirmat. Itaque concludit F. Paulus non fuisse illam asperam reprehensionem sed humilem tantum demonstrationem.

Respondeo, Fr. Paulum demonstrare se oblitum esse grammatices, dum nimis immergitur in politica: nam asperum & humile non sunt contraria, si dixissem S. Gregorium superbè atque arroganter Imperatorem reprehendisse, tum meritò diceret responsionem illius non fuisse superbam aut arrogantem, sed

C humilem ac modestam: sed cum dico asperam fuisse, hoc est, grauem, acrem, ingratam, vehementem, non est quod conqueratur, cum fieri posit, vt simul fuerit aspera & humilis, conueniens & vehemens. Sed verba ipsa epistolæ S. Gregorij, declarabunt, fuerit aspera nec ne. Dicit igitur. *Quam constitutionem, ego, fateor, Dominis meis, vehementer expaui, quia per eam calorum via multis clauditur.* Quasi diceret. Maiestas vestra legem quandam tulit, quam sine horrore legere nequiui, cum illa salutis iter multis præcludat. An non est aspera reprehensio Imperatori obijcere legem ipsius multis causam esse sempiternæ perditionis? ac Sũmum Pontificem illam sine horrore legere nequiuisse? Pergit S. Gregorius, & introducit

D Christum Imperatori beneficia in ipsum collata, & ingratitudinem, qua illa remetiatur, exprobrantem. *Respondebit Christus dicens. Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solum hoc, sed etiam Patrem Imperatorum feci, sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis?* An non est aspera reprehensio in memoriam redigere Imperatori, quod ab humillimã cõditione ad Imperium à Deo sublatus fuerit, & ipse in tanti beneficij compensationem publica lege milites suos ab eiusdem Dei seruitio prohibeat? Nec his Sanctus Gregorius contentus est, adiungit enim, & monet Imperatorem, vt inquirat, num aliquis Principum vnquam simile quid molitus fuerit, inferre volens, neminem id fecisse præter vnicum Iulianum Apostatam Christi,

& Christianorum omnium hostem capitalem: quemadmodum idē Sāctus Gregorius clarius & apertius dicit in epistola sexagesimaquarta, quæ sanè grauis punctura est, & aspera reprehensio. Denique diuinum ei ac finale iudicium comminatur, in quo quamuis cætera omnia peccata illi dimissa fuerint, hoc vnum tamen sufficiens esse affirmat ad condemnationem illius. *Cùm tremendus iudex apparebit, si omnia peccata dimiserit, & solum hanc legem contra se dixerit esse prolatam, quæ rogo erit excusatio?* Ex iam dictis euidenter satis patet in epistola S. Gregorij contineri asperam reprehensionem, non simplicem demonstrationem. Ad id autem quod F. Paulus demonstrare nititur, Sanctum Gregorium seruum se nominare Imperatoris, atque illi subiectum fuisse ac obtemperasse: dicimus idem monstrare conatum esse Caluinum hæresiarcham, & ipsa verba eiusdem epistolæ 61. libr. 2. adducere, quemadmodum videri potest in ipsius institutionibus lib. 4. cap. 11. num. 12. Dicimus insuper mirum non esse, Sanctum Gregorium appellare se Imperatoris seruum, cum se nominet etiam seruum seruorum Dei. & Ioannes Diaconus libr. 4. capit. 58. in vita Sancti Gregorij testetur sanctissimum hunc Pontificem solitum fuisse nominare omnes Sacerdotes Fratres, omnes clericos filios, omnes laicos dominos suos, & tamen nunquam concedet Fr. Paulus, S. Gregorium omnibus laicis subditum fuisse; quemadmodum etiam Apostolus se Corinthiorum seruum appellat, 2. Cor. 4. quibus nihilominus comminatur se ad illos cum virga venturum esse tanquam superiorem, 1. Cor. 4. Dicimus præterea Mauritium Imperatorem tyrannicè oppressisse Ecclesiam, quamobrem S. Gregorius cæterique Ecclesiastici plurima tolerare cogebantur, eique obtemperare, ac subiecti esse de facto, quamuis de iure non essent, quod etiam dicit ipse B. Gregorius in expositione Psal. 101. qui est vnus ex septem pœnitentialibus: vbi declarans hunc versum. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, inquit: *Concitauit enim aduersus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi multitudinem, verùm etiam, si fas est dicere, regiam potestatem, nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potius quam regat imperium.* Et paulo pòst. *Contra Catholicam veritatem sua furore tyrannidis efferatur. In tantum autem sua temeritatem extendit vesania, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in Domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet.* Et paulò inferiùs, declarans versum: *Initio tu Domine terram fundasti* Sic ait: *Sunt etiam portæ inferi quædam potestates huius mundi, quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique ille qui hoc tempore Ecclesiam persequitur? nunquid non omnes portæ inferi?* Vnde idem S. Gregorius, quando per diuinum iudicium Mauritius simul cum vxore & omnibus filijs peremptus fuit: ita scribit ad Leontiā noui Imperatoris vxorem. *Quæ lingua loqui, quis animus cogitare sufficiat, quantas de serenitate vestri Imperij omnipotenti Deo gratias debeamus, quod tam dura longi temporis pondera ceruicibus nostris amota sunt?* lib. 11. epist. 44. indict. 6. & in epist. præcedente ad Phocam nouum Imperatorem scripta, sic ait. *Remoto iugo tristitiæ ad libertatis tempora sub Imperiali benignitatis vestra pietate peruenimus.* & in eadem epistola scribit ad Imperatorem, ne mirum ei videretur quod nullum in aula ipsius Apostolicum Nuntium inuenisset, quòd nimirum nemo ausus esset imperante Mauritio illuc se conferre. Ex his & similibus verbis quilibet intelligere potest S. Gregorium, quando dicebat, Deum Sacerdotes suos Mauritio subiecisse, dicere voluisse; quod Deus duntaxat permiserat, vt essent ipsi de facto subiecti, atq; idcircò necessarium illis foret tolerare iugum tyrannicum, quemadmodum antiqui tyrannidem Neronis & Diocletiani sustinuerant: atque ita obedientiam illam quam S. Gregorius Mauritio præstitit non debitam, sed violentam fuisse constat.

Fol. 7. Opponit se F. Paulus Decretali Papæ Innocent. 3. è qua ego citaueram ca. *Nouit. de iudicijs*, vt probarem Summum Pontificem posse omnium Christianorum Principum peccata mortalia corripere, & si hac ratione nō corrigantur, censuris Ecclesiasticis cogere posse ad obtemperandum, ac primum multas historias ac prælia inter Reges Franciæ & Angliæ commissa enumerat, vt suam eruditionem ostentet, ac volumen suum latiùs extendat. Deinde prædictam decretalem carpit, docetq; illam defendi non posse, si intelligatur ita vniuersaliter quemadmodum verba illius sonāt.] ad quæ non respondeo, cum Innocentius III. satis defendatur, ab insigni atq; excellenti suamet authoritate, probitate, ac scientia, maximè cum illa decretalis eius inserta sit corpori Iuris Canonici, quamobrem improbari non potest, nisi ab eo qui se à Sancta Ecclesia alienum esse declaret. Ad me verò spectat respondere ad illa quæ is subdit, cum dicit [me non rectè ex illa decretali Innocentij collegisse Summū Pontificem, omnium totius mundi Principum peccata corripere posse: hoc enim si verum esset, vtique posset Summus Pontifex Regem etiam Turcarum & Persarum arguere atque excommunicare: nō dicit autem Innocentius, *omnes homines*, sed *omnes Christianos*, nec adijcit totius mundi. Quamombrem infert me ampliasse & restrinxisse sensum illius decretalis: restrinxisse, quia excluserim priuatos; ampliasse, quia extenderim eam ad Principes nō Christianos.]

Respondeo me non restrinxisse sensum Decretalis, nec enim priuatos exclusi, sed propositionem particularem ex vniuersali collegisse, quemadmodum si quis asserat omnia animantia sensu prædita esse, rectè hinc colligit & probat omnes homines sensu præditos esse, nec tamen propterea negat cætera animātia sensu carere. Eodem modò probaui Summum Pontificem omnes Principes posse reprehendere, illam ob causam, quod Innocentius affirmet ipsum quemlibet Christianum etiamsi Princeps sit increpare posse, nec ideo negaui ipsum priuatos homines arguendi potestatem non habere.

Nec etiam sensum Decretalis ampliaui, quia quamuis Innocentius vno in loco dicat, *Quemlibet Christianū*, in alio tamē vniuersaliter dicit, *quèlibet*, & adijcit ne Principes quidē ex-

cipi debere: Quando insuper dico Principes totius mundi, ita intelligendum est, de Principibus qui censurarum capaces sunt: Vt autem agnoscat F. Paulus conuenire sibi reprehensionem illam Apostoli, 1. Timoth. 6. cum ait. *Languens circa quæstiones & pugnas verborum*, consideret cauillationes suas etiam Apostolis & ipsi Christo obijci posse. Quãdo Apostolus 2. Cor. 10. inquit. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum*. F. Paulus dicere poterit hoc falsum esse, quandoquidem Angeli quoq; præditi sint intellectu, nec tamen captiuitatis huius capaces sunt. Et quando idem eodem in loco ait: *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam*. F. Paulus hanc eius sententiam irridebit dicetq;, Apostolum non potuisse punire inobedientiam infidelium. Quando insuper ad Rom. 1. dicit: *Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo*. F. Paulus altercabitur cum Apostolo, opponetque, fidem Romanorum nec in dimidia mundi parte tunc temporis cognitam fuisse. Quando denique Christus inquit Marci vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. F. Paulus hanc inferre poterit consequentiam. Ergo Apostoli prædicaturi erant bestijs? arboribus? lapidibus? elementis? Itaque tales eius argutiæ potius sunt inanium sophistarum, quam grauium Theologorum.

Fol. 9. Posteaquam examinasset decretalem Papæ Innocentij III. progreditur ad examinandam, aut vt verius dicam calumniandam decretalem Bonifacij VIII. quæ incipit: *Vnam sanctam de maiorit. & obediẽt.* circa quam lectores remitto ad Canonistarum scripta: sed paulò pòst verba mea calumniatur quando dixi, quamuis Principes absoluti neminem temporalem Principem superiorem agnoscant, oportere tamẽ, vt Sũmum Pontificem totius Christianitatis caput agnoscant: ibique subtiliter distinguit significationes, verbi, *superiorem*, ac deniq; cum Lutheranis concludit: sensum rectum, in quo Principes agnoscere debeant Sũmum Pontificem loco Superioris, hunc esse, quando scilicet Superior, in ea significatione accipitur, vt denotet eum qui legem Dei doceat, Sacramenta ministret, & vniuersaliter ad salutem homines dirigat.] Ad quam illius declarationem respõdeo, in hoc sensu Summum Pontificem non aliter superiorem futurum esse, quam cæteros Pastores simplices, qui aliam potestatem non habent, quã Sacramenta ministrandi & verbum Dei docendi: si hoc vnum excipias, quod Summus Pontifex vniuersalius officium hoc homines ad salutis semitam dirigendi exercere posset. Nisi fortè F. Paulus per illa verba, *vniuersaliter ad salutem homines dirigit*; intelligat potestatem illam coactiuam, quã summus Pontifex habet in omnes Christianos, etiam Principes absolutos quoad spiritualia, necnon etiam quoad temporalia, saltem in ordine ad spiritualia. Nec opus est, vt hoc in loco latiùs excurram, cum de his fusè lateque in controuersijs disseruerim.

Quod verò ad vocabulum *Christianitatis* attinet, affirmat F. Paulus per Christianitatem intelligi posse, non modò Ecclesiam Christianam, sed etiã dominia & Regna Christianorũ, & putat nõ rectè dici, Summũ Pontificem esse caput Dominiorum & Regnorũ totius Christianismi: At si Christiani, quatenus Christiani, mẽbra sunt Christi, sanè propriè atq; vt Theologi aiunt, formaliter Christus est caput Christianitatis, est caput omnium Christianorum, est caput omnium Regnorum & Dominiorum Christianorum. Quia verò Summus Pontifex est caput visibile, loco Christi, eiusdem corporis mystici, necessariò inde sequitur Summum Pontificem esse caput Christianitatis, omnium Christianorum, & omnium Regnorum & Dominiorum Christianorum. Hinc Eusebius in Chronico quod S. Hieronymus in Latinam linguam conuertit, S. Petrum appellat primũ Pontificem Christianorum: non dicit Ecclesiæ, nec Ecclesiæ Romanæ, sed absolutè Christianorum, quod idem est, ac si dixisset Christianitatis.

Fol. 10. Redit. F. Paulus ad verba mea carpendum, vbi dico: Summum Pontificem posse manus inijcere in potestatem Principum sæcularium, atque illos dirigere tanquam bonus Pastor, quando potestate sua in suarum animarum detrimentum, & populorum, aut in Christianitatis præiudicium abutuntur. Et dicit ex hac propositione consequi, neminem amplius Principem futurum prȩter Summum Pontificem, quin hac ratione, nec vllam quidem priuatam gubernationem remansuram. Paradoxum vtiq; dignum tanto Theologo: Nam si hoc ex verbis meis consequitur, idem etiam ex verbis Innocentij cap. *Nouit. de Iudicijs*, cõsequetur, vbi dicit, ad summum Pontificẽ spectare censuram peccatorum, atq; ideo posse ipsum Christianos omnes de peccatis eorũ criminalibus arguere: idem præterea sequeretur ex Christi verbis Matt. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum*, &c. *& si non audierit, dic Ecclesiæ*. vbi nullum nec personarum, nec peccati genus excipitur, sed vniuersaliter Ecclesia, id est Prælatus peccatorum, quæ ad tribunal suum deferuntur, iudex constituitur. Quapropter ne illa inconuenientia, quæ tragicè F. Paulus enumerat, oriantur: opus erit ex Decretalibus capitulum *Nouit*. & ex Euangelio illam Christi sententiam delere ac eradere: imò oportebit Deum orare, ne de peccatis hominũ vllam omninò curam aut cogitationem suscipiat, nec vt illa reprehendat, cognoscere velit, alioqui nullus in mundo princeps, nec vlla priuata gubernatio superesset. Non respondeo particulatim ad singula illius verba, quia nequaquam profiteor me omnes ipsius discursus examinare, & huiusmodi disputationibus omnes ferè libri pleni sunt: atq; insuper experientia luce clariùs demonstrat, per tot decursus annorum, quibus obseruata est hæc Euangelij & capituli *Nouit. de iudicijs*, doctrina, nunquam defuisse Principes nec priuata dominia siue gubernationes, nam maxima pars criminum quȩ sæculares Principes puniunt, adeò clara & manifesta sunt, vt recursu ad iudicium Prælati, quo declaretur, peccata sint nec ne, non egeat, sed sufficit vt crimen tantùm perpetratum esse doceatur, cuiusmodi sunt homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, & similia.

Fol. 12. Dicit F. Paulus, quamuis in lib. *de Clericis*, *cap*. 28. *conclus*. 2. expresè non dicam

A Clericos sæcularib. Principibus subiectos esse, rationem nihilominùs meam probare, illos eis subiectos esse. Valdè equidē miror F. Paulum præcedenti folio scribere, culpæ mihi datum fuisse in Frãcia quod scripserim Ecclesiast. nulli alteri Superiori subiectos esse quàm superiori suo spirituali: nunc verò dicere, rationem meam probare, subditos eos esse Principi sæculari. Gratias ago Deo quod opera mea Venetijs excusa sunt, & tractatus de Ecclesiasticorū exemptione in illa editione plenior & copiosior est, quā in priorib. editionibus. Ibi inspicere vnusquisq; poterit, me vnicuiq; Principi, tēporali videlicet & spirituali, quod cuiq; cōpetit, tribuere. Quia doceo propriū iudicem Ecclesiasticorū esse superiorem spiritualem, & ab illo tantū iudicari posse quãdo criminis rei sunt.
B Nihilominùs fateor ab illis eam Principi temporali deberi reuerentiā, quam præcipit S. Petrus quando dicit, *Regē honorificate*: nec non teneri pro suo Principe illū agnoscere, & in publicis precib. orantes dicere: *Pro Rege nostro*: obtemperare etiā legibus illius temporalib. quãdo Ecclesiasticis non repugnant: ac deniq; iudicio illius stare in ciuilib. controuersijs, quãdo ipsi sunt actores, ac vt tales ad forū sæculare confugiunt. Et hoc ipsum inferre voluit Ludouicus Richeomus, quē F. Paulus citat, in Apologia sua c.35. quãdo respondet obiectioni sibi factæ de meo libro: ac dicit Episcopos, Archiepiscopos & Cardin. Franciæ, fateri sub Regis imperio esse, hoc est, illum tanquā Regem venerari, & Deum pro ipso tanquam pro Rege suo precari: atque illi in his quæ statui illorum
C non repugnant obtemperare: non autem fateri se, ab ipso Rege iudicari posse.

Fol.12. Reprehēdit F. Paulus hęc verba mea: Libertatem perperam agendi non esse à Deo sed à Diabolo, diciťq; hanc esse hæresim, quòd per libertatem intelligatur liberum arbitrium, id autem naturale atq; à Deo esse.]

Hic iterum necessariò compellor dicere F. Paulum non modò Grammatices, vt ante dixi, oblitum esse, dum politicæ anxius incumbit, sed etiam Theologiæ: nam si libertas malè agendi est liberum arbitriū, Deus & Beati non habebunt liberum arbitrium, quandoquidem hac libertate malè agendi carent. Et tamen habent arbitrium, non modo liberum, sed etiam liberrimum, sicut omnes Theologi fatentur. Dicit fortè F. Paulus se loqui tantum de libero
D arbitrio hominis. Sed neq; hoc quidē verū est: nam posse malè agere, est quædā vt ita dicā, infirmitas & imperfectio liberi arbitrij, nec pertinet ad substantiā siue essentiam illius, vt docet D. Thomas. *qu.24. de veritate, art.3.* Vnde S. August. *in lib. de corrept. & gratia, c.11.* dicit. *Prima libertas fuit posse non peccare*: id est, prima illa libertas in qua conditus fuit Adam, ea erat, vt posset non peccare: sed vltima quam consequemur in cælis, erit longè maior, nimirū non posse peccare. Adhuc amplius dico, per libertatem malè agēdi, quā ego eodem in loco à libertate naturali distinxi, dixiq; illam eandem esse cum seruitute peccati, nō potuisse omninò intelligi libertatem arbitrij, nisi quis data opera verba mea peruertere, & in aliū sensum detorquere velit. Itaque libertas malè agendi hoc in loco nihil aliud est quam licentia malè agendi, veluti cum pater nimis indulgens permittit filio, vt Ecclesiā & Scholas deserat, lusorum vero ac meretricū loca frequentet: nec propterea tamen dici potest, illum filio liberū arbitrium præbere: Ac veluti cū Lutherani Principes populis sibi subiectis libere permittunt credendi quæ volunt; Catholici verò Principes talem libertatem subditis suis denegant, dicere non potest F. Paulus, Principes Lutheranos populis suis liberum arbitrium concedere, Catholicos verò denegare.

Hanc verò libertatem malè agendi non esse à Deo, clarum est, nam si Deus concessisset hominib. libertatē malè agendi, non puniret peccatores: Cum tamē dicat D. August. Enchirid. c.25. *Mortis supplicium comminatus fuerat homini si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, vt regeret imperio, terreret exitio.* Et Scriptura sacra Ecclesiastici ca. 15. postquā dixisset hominē creatum fuisse cū libero arbitrio, ne F. Paulus existimaret liberum arbitrium esse licentiam malè agendi, adiungit. *Deus nemini dedit spaciū peccandi.* Vbi Græcus interpres dicit *ἄνεσιν*, hoc est, nemini dedit libertatem siue licentiam peccandi: ac Latinus textus idem significat cum dicit, Deum nemini dedisse spatiū, hoc est, nullū omninò tempus concessisse, in quo liceret malè agere. Deniq; si libertas malè agendi est idem cum seruitute peccati, quemadmodū asserit Apostol. ad Rom. 6. Quis affirmare potest libertatem malè agendi à Deo esse, nisi velit Deum auctorem facere peccati?

Fol.12. pag.2. Dicit F. Paulus doctrinam esse Cardinalis Bellarmini, Ecclesiasticos in causis criminalib. iure humano exemptos esse: additque mox mirabilē consequentiam: nimirum si antequā Ecclesiastici eximerentur, non peccabant Principes cum delinquētes Ecclesiasticos punirent, nunc verò post illam exemptionem factam, id agentes, peccant: ideò, inquit, difficiliorem ad cœlum viam reddiderunt; Ideo erat sine illa exemptione facilior: Ideò non est in ędificationem.

Respondeo verum esse, me asseruisse Ecclesiasticos iure humano exemptos esse, sed adieci etiā, & diuino: ac ita me scripsisse inueniet, qui legere voluerit editionem Venetā Anni 1599. vbi in hoc non modò conformaui me Concilijs, quæ dicūt, *iure diuino & humano*, verùm etiam conatus sum Scriptores illos, qui primo aspectu exemptionem illam de iure diuino esse non videntur admittere, ad meliorem sensum ac intelligentiam interpretari.

Consequentia verò F. Pauli talis est, vt si rectè illata foret, necessariò omnia Ecclesiæ præcepta, imò omnia præcepta diuina positiua tollenda sint: quia dubium non est, antequā illa sancita forent, peccati reū non fuisse qui contra faceret, nūc verò esse; atq; inde secundū F. Pauli logicā sequeretur, illa præcepta viam salutis arctiorem reddidisse, neq; esse in ædificationē. Id vtiq; ipsum prædicant Lutherani, quando inquiunt, non esse præcipiendū Quadragesimale ieiunium, nec abstinētiam à carnib. sextis ferijs, & Sabbatis, nec cōtinentiam ijs qui in sacris constituti sunt, nec clausurā Monialibus, nec quippiā aliud quod obligare possit, ne via salu-

tis

tis angustior reddatur. Sed boni Catholici optimè norunt, huiusmodi præcepta nō esse impedimēta, imò verò scalas quib. in cælum ascēditur. De illis. n. dici potest. *Fœlix necessitas quæ ad meliora cōpellit.* Nam præter meritū obediētiæ, plurimum etiā adiumenti cōferunt ad obseruantiā præceptorum naturalium, quæ sunt immutabilia. Cùm verò quærit F. Paulus [quid prosit hæc exēptio? nō Ecclesiasticis, quos reddit audentiores, non ijs qui ab Ecclesiasticis offenduntur, quia vindictā machinantur: nō deniq; Principi, quia statum illius perturbant.] Respondeo exemptionē huiusmodi cedere in honorem Dei, & reuerentiā, quæ debetur ministris eius. Nec tamen propterea inulti manēt malefici, nec datur occasio peruersis Ecclesiasticis peiora perpetrādi: nec ijs qui offensi sunt vindictam machinandi: nec Principib. vt status eorum perturbetur: quia etiam Superiores Ecclesiastici sciunt & volunt punire malos, nec illis desunt carceres, triremes atq; alia pœnarum genera: & si quando propter eorū scelera mortem promereantur, norunt illos degradare & tradere in manus sæcularis potestatis.

Fol. 14. Cùm ego reprehendissem Gersonis interpretem, quod ausus fuisset definire causas excōmunicationis à Sūmo Pontifice latæ iniustas esse, F. Paulus resumit hoc, & nititur demōstrare Gersonis interpretē id nō definiuisse, sed præsupposuisse propter famā ibi vulgatā: & ad iungit me parenthesin quandam omisisse, quæ interpretem excusare potuerat. Est autem hæc (quod non videtur rationabile, nec credibile.)

Respondeo breuiter, interpretē illum fingere Parisijs rumorē illum sparsum esse, vt occasionem haberet causas excōmunicationis iniustas appellādi: quemadmodum F. Paulus hoc eodem in loco fingit famam Venetijs esse, Demetrium Moschouiæ Ducē idcircò peremptū fuisse, quod ex Iesuitarum suggestione plurima contra illius imperij instituta molitus fuerit: nec ob aliam causam id fingit, nisi vt hac ratione occasionem Iesuitas insectandi & carpendi assequatur; nam alias facilè scire poterat, Demetrium idcircò necatum fuisse (si tamen verum est, quod fuerit occisus) non quod tentauerit aliquid contra instituta illius imperij, sed quia eius aduersarij populo persuaserant, illum nō esse Demetrium magni illius Ducis filium, pro quo hactenus habitus fuerat. Sed hęc maledicta & alia similia facilè illi condono, & Deum precor, vt illa ei cōdonet. Quod verò ad Parēthesim attinet, non potest verè affirmare, me illam ex industria omisisse, cum videre potuerit me non omnia illius verba ponere, sed illa tantùm quæ mihi reprehensione digna videbantur. Et tamen Parenthesis illa nil excusat interpretem, imò culpam illius aggrauat, quia significat factum Summi Pontificis vsqueadeò præter omnem rationem esse, vt vix videatur credibile.

Fol. 155. pag. 2. Vbi Gersonis interpretem arguo, quod dixerit, Concilium quidem Tridētinum prouidisse in materia excōmunicationis, ne Pręlati sine magna circumspectione, aut leuib. in causis ea vtantur: non autem prouidisse, quid faciendum sit Laicis, quando excommunicatio fertur cōtra formam à Christo pręscriptam: F. Paulus dicit, obiectionem ibi meā contra hunc interpretem quoad sufficientiam Cōcilij, similem esse illi, quam moderni hæretici Catholicis obijciunt quoad sufficientiam scripturarum. Verùm quid ipse dicat nō intelligit: nam interpres ille conqueritur Conciliū Prælatos duntaxat instruxisse, non autem Laicos, quamobrem arguit Concilium insufficiētiæ: sed Catholici non conqueruntur in sacra scriptura deesse aliquid, nec accusant illam insufficientiæ. Paulò post docet me Fr. Paul. quomodo sint interpretanda verba Concilij, secūdum sensum grammaticalē, inquit enim, verba illa Concilij: *sæculari cuilibet magistratui*, non conuertenda fuisse, sicut ego conuerteram: *à laicis etiam constitutis in magistratu*: nam vult vt omnino noscamus, ipsum sub illa Apostoli sētentia comprehendi. *languens circa contentiones & pugnas verborum.* Quando autem dicit Concilium de magistratu tantummodo loqui, non de laicis priuatis, & statuere ne Magistratus imperet Pręlato, vt non excōmunicet, aut excommunicationē latam reuocet, non autem, vt illi per vim non resistatur: Respondeo Conciliū rationem suæ ordinationis reddere, cum dicit, *Cùm non ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat*: Ex hac autem ratione manifestè cernitur, intentionem illius fuisse, vt sæculares omnes tam personas publicas quam priuatas officij sui admoneret. Quare si prohibet Magistratibus, ne iudicent num excommunicatio rectè an secus lata sit, multò minus vult, quod id iudicent priuati: & si non vult quod Magistratus imperet Prælato, ne ferat excommunicationem, aut latam reuocet: pari ratione non vult, vt vel Magistratus vel priuati impediant, præsertim vi ne publicetur.

Fol. 17. pag. 2. Cum ego dixerim Gersonem, insignis eruditionis ac pietatis virum fuisse, sed nihilominus cum quibusdam alijs, propter infœlicitatem temporum & desiderium tollēdi schismatis per Concilium: in errores aliquot sacris literis repugnantes quoad Summi Pontificis potestatem lapsum esse: Exclamat Fr. Paulus detrahi hic diuinæ prouidentiæ, quæ permiserit, vt in manifestum errorem & sacris literis contrarium sæculum illud, pio zelo Ecclesiæ ad vnitatem reducendæ permotum laberetur: nō enim pati Deum, vt insignis & pietatis & scientiæ homines in tales incidant errores.] At Respondeo, neminem dicere, Diuinam prouidentiam permisisse vniuersos alicuius sæculi homines in errorem incidere, sed illius sæculi nonnullos: quocirca F. Paulus assumit & imponit mihi falsum: imò eodem sæculo multi alij non minoris eruditionis ac pietatis extabant, qui potestatem & auctoritatem sanctę sedis Apostolicæ, quemadmodum oportebat, cōstanter defendebant. Quod autem nonnunquā docti etiam & pij homines in errorem labantur, testatur lapsu suo Tertullianus, testatur etiam Origenes, quos nemo inficiari potest eximiæ pietatis ac scientiæ viros extitisse, & tamē in plurimos errores lapsos fuisse. Sed hi tandem Hęretici fuerunt, & eo igitur grauior fuit casus & ruina illorū. Sed quid dicemus de S. Cypriano, qui insigni doctrina & vitæ sanctimonia conspicuus extitit, nec vnquam hęreticus fuit,

& nihilominus in grauissimum errorem circa baptismum cadere permissus est? Similia multa exempla afferre possem, nisi tam breuitati studerem, quàm F. Paulus verbositati.

Fol.18. pag.2. dicit. Fr. Paulus perexiguum numerum hominum, qui nec ad millenarium numerum, si quis diligenter inquirat, ascendunt, quam tam partem bonorum Ditionis Venetorum possidere, quæ contineat hominum quater decies centena millia. Hæc ingens ex vna parte exaggeratio, nimia verò ex altera diminutio videtur illis, qui rerum Venetarum nequaquam rudes sunt, fidem excedere: quia verum esse non potest, vt Ecclesiastici, qui ex reditibus Ecclesiæ ibi viuunt, ad millenarium numerum non ascendant: nisi fortè F. Paulus de primarijs Ecclesiasticorum videlicet Episcopis & Abbatibus tantummodò loquatur: sed tum debuerat etiam in sæcularium numero Primates tantum recensere, qui hoc pacto non ad quater decies centena millia excrescent, sed multò minor eorũ numerus inueniretur. Quin etiam animaduertere debuerat F. Paulus, ex bonis Ecclesiæ partem aliquam multis pauperib. sæcularibus, aliam cognatis indigentibus, aliam ipsi Principi, cui frequenter à Summis Pontificib. decimæ cōceduntur, dispensari. Deniq; secum expendere debebat, quod si iam per mille ducentos annos Ecclesiastici vix quartam partem bonorum Reipublicæ acquisiuerunt, alios vtiq; mille ducentos annos necessariò requiri, vt aliam quartam partem adipiscantur: si verò mundus tamdiu duraturus non sit, nũc enim *nouissima hora est*, inanis eorum metus est, qui formidant ne omnibus bonis suis spolientur, nisi Senatus legibus suis prouideat.

Fol.19. F. Paulus longè pluribus verbis conatur demonstrare Gersonis interpretem rectè allegasse contra illos, qui excommunicationes iniustas & nullas metuunt, illum Psalmi versiculum, *Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor:* & ex consequenti me illum immeritò increpasse, quod sacris scripturis abusus fuerit. Sed F. Paulus nō intellexit, aut intelligere noluit vim obiectionis meæ: Non enim in prædictorum verborum explanatione vim argumentationis meæ constitui, cum non ignorarem esse alias præterea expositiones æquè bonas, sed in oppositione verborum horum, ad illa quæ proximè antecedunt in eodem Psalmo: *Non est timor Dei ante oculos eorum*: & dixi, eo in psalmo, illos à spiritu Sancto reprehendi, qui Deum non timent, qui cum sit omnipotens & iustissimus, dignissimus est qui timeatur: cum nihilominus illi contra leuiora quædam & indigna quæ metuātur, potius formident. Iuxta quod Saluator ait. *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & posthac non habent amplius quid faciant: ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit, potestatem habet mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. Luc.12.* Et Apostolus id cōfirmauit dicens. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Heb.10. Hoc supposito quod verisimum est iure optimo authorem illum incognitum reprehendi, quod aliqua auctoritate sacrarũ scripturarũ, quæ Deum timendum esse docet, in cōtrariũ sensum abutatur, vt nimirũ

A doceat excōmunicationes Vicarij Dei, nō esse formidandas, quod aliud nō est, quā Deum nō esse timendũ. Quia quamuis possit non timeri excōmunicatio, quādo manifestè nulla est, hic tamen casus rarus est. Atq; idcircò excōmunicatio vt plurimum metui debet, quia vel iusta, vel iniusta est sed valida: vel nulla est, sed nullitas illius manifesta non est, in omnibus autem casib. his timeri debet. Imò certò mihi persuasum habeo, si quis multorum Venetorum & ipsius etiam. Fr. Pauli corda intueri posset, cerneret vtique securos illos non esse quoad præsentem excommunicationis sententiam, iusta sit an iniusta, valida an inualida: quamuis forinsecus ostendant se illam iniustam & nullā æstimare: Atq; ideo tenentur illam timere, & sic timendo *non trepidarent, vbi non est timor, sed esset*
B *set timor Dei ante oculos eorum.*

Fol.20. Reprehendit Fr. Paulus quod verba illa, *Qui vos audit me audit*. Luc.10. citauerim alienissimo, imò contrario sensu, quia non sit eo in loco sermo de obediētia quæ debetur Christi Vicarijs, quemadmodum ego ea intellexi, sed de ea quæ præstanda sit concionatoribus, quando prædicant verbum Dei. Attamen Fr. Paulus det nobis hic veniam, vt potius quam ipsi, credamus S. Cypriano, S. Basilio, & S. Bernardo, D. Cyprianus in epistol.10. lib.4. inquit, *Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes Præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt. Qui vos audit me audit, &c.* S. Basilius *in constitutionib. Monasticis cap.22.* Et S. Bernardus in lib. *de præcepto & dispensatione*, in hac Christi sententia constituunt perfectionē obedientiæ,
C quæ proprijs Prælatis tanquam Christi ministris exhibenda est. Illud etiam quod Christus statim subijcit: *Qui vos spernit me spernit*, confirmat ipsum hic loqui de obedientia & inobedientia, quia inobedientia propriè consistit in contemptu illorum quæ præcipiũtur, aut illius qui præcipit.

Fol.21. conatur F. Paulus excusare Gersonis interpretē, quod vsus fuerit illis Apostoli verbis, *confortati in Domino & in potentia virtutis eius assumemus scutum fidei, vt illud inconsultis vel indiscretis fulminib. obijciamus &c.* Vbi verba Apostoli cōtra Diabolũ prolata cōtorquet temerarius ille in Dei Vicariũ. Et folio sequēti respōdens huiusmodi meæ interrogationi. *Quæ tandē obsecro est fides illa, qua aduersus Dei Vicariũ*
D *resistere docemur?* inquit *vtiq; fides Domini Cardinalis Bellarmini.* Arguta quidē responsio sed tamē futilis & vana, nā ego interrogaueram de præceptis diuinæ fidei, ipse autem respōdet de humana: & apertè posthæc mentitur, dum locũ quendam adfert, nihil ad rem propositā pertinentē, quemadmodũ à me demonstratũ est in responsione ad septem Doctores Theologos: cum in illo loco non sit sermo de resistētia aduersus sententiam iudiciariam, sed de resistentia contra vim, qua quis de facto vteretur extraiudicialiter. Fol.22. Respondet Fr. Paulus duobus locis, nimirum. *Obedite præpositis vestris.* Hebr. 10. *Et si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Matt.18. quæ à me obiter adducta fuerant, vt ostenderem Summo Pontifici obtemperandum, & eius excommunicationem metuendam esse. Ad primũ respōdet,

illum

illum non loqui specialiter de Summo Pontifice, sed de omnibus generaliter Episcopis & Pastoribus: quasi non sit optima illatio. Apostolus præcipit, vt omnibus præpositis obediatur, ergo iubet, vt Summo Pontifici, qui est Præpositus omnium Præpositorum Ecclesiæ, obtemperetur. Adiungit totum illum locum legi oportere, in eo enim sequitur, *ipsi enim peruigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri.* vel vt Græcus textus habet. *quia vigilant super animabus vestris, tanquam rationem pro illis reddituri.* Vnde concludit Fr. Paulus, quatenus Præpositi vigilāt super animabus, eatenus ipsis obtemperandum esse: quod idem est, ac si diceret, obtemperandum illis esse in rebus spiritualibus duntaxat, quæ ad animarum salutē pertinent. Quo sub prætextu F. Paulus ita Prælatorum obedientiam restringit, vt illā prorsus ad nihilum redigat. Contractus.n. ad corporalia pertinet, ergo non poterit Prælatus præcipere, ne fiat nisi cum talibus cōditionibus, vt non sit vsurarius. Esus carniū, aut piscium res est corporalis, ergo iubere nō poterit, ne ferijs sextis & Sabbathis nō comedantur carnes. Leges ciuiles condere nō est aliquid spirituale: ergo si lex aliqua sit animabus pernitiosa, nō poterit Prælatus præcipere, vt non obseruetur: idem dici poterit de maiori parte diuinorum præceptorum, nam omnia ferè posita sunt in actionibus, quæ non sunt spirituales, sed corporales. Ad alterum verò S. Scripturæ locū respondet F. Paulus, per Ecclesiam non intelligi Summum Pontificē; nam in lectione illa Euāgelij, qua multis annis vsa est Ecclesia in Missa feriæ tertiæ, post tertiam Dominicam Quadragesimæ, hæc verba habebantur. *Respiciens Iesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro: si peccauerit in te, &c.* Quocirca illud, *dic Ecclesiæ*, præceptum fuit Petro, ac proinde id quod sequitur, *Si Ecclesiam non audierit.* Adde quod sensus admodum extortus sit, per nomen Ecclesiæ vnam solam personam intelligere. Et quamuis etiam per nomen Ecclesiæ intelligeretur Prælatus, nullus tamen auctor affirmat intelligendum ibi esse de Summo Pontifice in specie; ac propterea sophisma est ex vocabulo variarum significationum argumentū sumere ad vnicam significationē restrictum. Respondeo, per nomen Ecclesiæ intelligi debere Prælatum Ecclesiæ, quemadmodum docet S. Ioannes Chrysostomus in loci huius expositione. Et Innocentius III. in cap. *Nouit. de Iud.* & idem demonstrat experientia, quia cōmuniter omnes denuntiationes ad Prælatos deferuntur. Et quamuis nomen Ecclesiæ denotaret tam Prælatum, quam congregationē plurium personarum, non esset hic vllum sophisma, sed argumentum ab vniuersali ad particulare: licet enim secundùm literam per nomē Ecclesiæ non intelligatur Summus Pontifex in specie, sufficit quod intelligatur in genere: ac semper verum est eum, qui Summo Pontifici non obtemperat à nobis habendum esse velut Ethnicum & Publicanum. Nec est inconueniens, quod Petrus, aut successor Petri, posteaquā admonuerit proximum inter se & ipsum solū, deinde coram aliquot testibus, demum sibi ipsi tāquam Ecclesiæ capiti delictum illius denuntiet, atq; illud publicè dijudicet ac puniat. Sed de hoc alijsque similibus argumentis, à Ioanne Gersone mutuatis, satis superque scripsimus, lib. 2. de auctoritate Conciliorum.

A

PRIMA CONSIDERATIO.

FOl. 23. p. 2. Cùm admisissem primam, & secundam Gersonis Considerationem tanquam veram, & reprehendissem duntaxat interpretem, quod verbum illud Latinum *interpretatiuè*, in illud Italicum verbum *apparentemente*: hoc est, *apparenter* conuertisset. F. Paulus, qui in minimis etiam se opponere vult, & sui acumen ingenij exercere, inquit, posse verbum illud *interpretatiuè*, aliquando rectè verti, *apparenter*: & exemplum ponit, vt si quis diceret, *non salutare aliquem interpretatiuè contemptus est*: hoc est, videtur contemptus esse. Sed fallitur, quia non salutare in seipso contemptus est, cum inter homines ciuiles & amicos, moris sit se mutuo salutare: sed non est contemptus expressus, cum nullum ibi verbum contumeliosum proferatur, nec actus aliquis inciuilis positiuus exerceatur: atque idcirco dicitur cōtemptus tacitus, vel interpretatiuus: quemadmodum etiam silentium appellatur consensus interpretatiuus, non quod non sit verus, sed quod non sit expressus. Et quia F. Paulus citat formalia verba Gersonis, hæc nimirum: *Et hoc modo reperitur contemptus in omni peccato præsertim mortali, directè vel indirectè, verè vel interpretatiuè:* duos alios errores mihi detexit, vnum ipsius Gersonis, alterū interpretis, quos prius non animaduerteram, quia curiosè non inquirebam, quid reprehenderem, veluti F. Paulus facit. Error Gersonis est, quod interpretatiuū opponat vero: cum vero falsum, fictum, vel apparens opponatur, non autem interpretatiuum; quod semper est verum, si interpretatio vera sit. Error interpretis est, quod dixerit, cōtemptum clauium tribus modis contingere, directè, indirectè, apparenter, cùm tamen Gerson quatuor modos ponat, non tres duntaxat. Ecce quod lucrifecit Theologi huius subtilitas, dum propter vnius erroris excusationem duos alios manifestauit.

B

C

TERTIA CONSIDERATIO.

FOl. 24. nititur Fr. Paulus excusare verba illa Gersonis in tertia Consideratione, *vnumquemque qui mortaliter peccat, à Deo excommunicari:* & probare conatur hoc propriè dictum esse, quia excommunicatio, sit quædā communionis priuatio, quilibet verò peccator priuatus sit cōmunicatione interiori cum Deo: & adducit S. August. ita loquentem: *Adam ab esu ligni vitæ excommunicatus fuit.* Et Gratianum. 11. q. 3. can. ita dicentem. *Nō solum adulter apud Deū iam excommunicatus fuerat:* & Apostolum: *Cupiebam anathema esse pro fratribus meis.* Sed nō aduertit se nihil ad propositū loqui, ego. n. tantū dixerā Gersonē impropriè locutū fuisse, dum agens de censura illa, quę vocatur excommunicatio; dicit; *Peccatorē non semper mereri excōmunicari ab Ecclesia, sed à Deo à quo quicunq; mortaliter peccat, excōmunicatur.* S. verò Augustinus & S. Paulus nō loquūtur ibi de excōmunicatione,

D

quæ est censura Ecclesiastica, sed simpliciter vtuntur hoc verbo, & quod dici potest illos vsurpare in sensu Metaphorico. Imò S. August. lib. 11. de Genesi ad literam cap. 40. non dicit, ***excommunicatus***, sed ***tanquam excommunicatus***: & affert rationem, quia excommunicatio priuat communione Sacramentorum: & Adamus vsu ligni vitæ, quod erat quasi Sacramētum quoddam visibile, inuisibilis sapientiæ priuatus fuit. De Gratiano dicere audeo, ipsum impropriè locutum fuisse, cum ipsa Glossa illum arguat, quod non intellexerit illum can. ***Non solum:*** & alios eodem in loco ab eo citatos. Imò & Gerson si locutus est de excōmunicatione, quæ est censura, non nisi impropriè & cum periculo simplices in errorem inducendi, dicere potuit, ***vnumquemq;, qui mortaliter peccat, à Deo excommunicari.*** Falsum præterea est, quod verbū excommunicatio, sit nomen genericum, & significet omnem priuationem communionis, quia hæc est vox Ecclesiastica, & propriè inuenta & recepta ad significandam speciem quandam censuræ: definiturq; communiter ab omnibus, quod sit censura Ecclesiastica hominem priuās Sacramentis, suffragijs publicis, & conuersatione fidelium. Verum relinquamus hanc verborum concertationem, de qua S. Paulus dicit, quod nihil nisi inuidias, contentiones atque alia mala generet.

QVARTA CONSIDERATIO.

FOl. 25. Circa quartam Considerationem Gersonis, quæ est: Quod dicendum minime sit, ab aliquo claues contemni, cum ei nō obtemperat, qui apertè ac notoriè clauium potestate abutitur: Monueram, veram quidem esse Gersonis doctrinam, sed tamen interpretis virulentam intentionem esse posse. Hic Fr. Paulus tragicè vociferatur, id esse cum vmbris concertare, id esse contra charitatem & contra Apostolum dicentem: ***Charitas non cogitat malum.*** Respondeo, me non dixisse simpliciter interpretis intentionem virulentam esse, sed esse posse, atque idcirco oportere, vt quisque sibi caueat: nec tamen adhuc me pœnitet id dixisse, quia vbi populus incipit cōtemnere sententiam Vicarij Christi, & vbi Theologi populū seducunt dicentes, sententias illius iniustas & nullas esse, valdè suspectus esse debet, qui tali loco, & tempore profert istiusmodi doctrinā, qualis est hæc Gersonis, eamque in linguam vulgarem conuertit: quemadmodum vbi credere incipiunt, licitum esse Presbyteris & Religiosis vxores ducere, & carnes sextis ferijs & Sabbathis manducare, fieri non potest, vt non magnoperè suspectus sit, qui tum populo illa Apostoli verba recitet, vbi reprehendit, ***prohibentes nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit:*** Cùm tamen hæc Apostoli doctrina verissima & sanctissima sit.

QVINTA CONSIDERATIO.

FOl. 25. pag. 2. Fr. Paulus verba mea falsificat, & deinde quod non assero refellit, id autem quod assero, nolens interim approbat. Opponit (sic enim de me loquitur) doctrinam Gersonis parum securam & minus solidam videri, quia iuxta circumstantiarum varietatem fieri possit, vt aliquando grauius peccet Prælatus, qui potestate abutitur, aliquādo verò subditus, qui non obtemperat. Et deinde vt hanc obiectionem refellat, discurrit & probat, quando sit comparatio inter duo peccata, vt vtrum illorum maius sit, dignoscatur, illam fieri debere non ex circumstantijs, sed tantummodò ex genere.] Quid verò aliud ego dixi? non animaduertis me idipsum dixisse? nō aduertis desiderium alios carpendi mentis tuæ oculos excæcare? Non dixi Gersonis doctrinā mihi parum tutam videri, quod iuxta circumstantiarum varietatē, &c. sed, ita dixi: vt collationes siue cōparationes omittamus, quę iuxta circumstantiarum varietatem variari possunt; ex quibus fit, vt nonnunquam Prælatus grauius peccet, &c. Si ergò omitto, & non cōsidero has comparationes ex circumstantijs, & considero tantum cōparationem ex genere suo, cur mihi falsum affingis, & frustraneo te labore fatigas? Dicis me non animaduertisse verba Gersonis, nam alias hanc obiectionem me facturum non fuisse: ego contra dico, te nō intellexisse verba mea, quæ profectò si intellexisses, nunquam reprehendenda sumpsisses.

Fol. 26. cùm dixissem, absolutè grauius peccatum committere subditum, qui Prælato parere non vult, quam Prælatum, qui potestate abutitur. F. Paulus iuxta morem suum se opponit, & rationibus meis respondere conatur: sed ita conatur, vt potius videri possit discipulus esse Lutheri, quam Religiosus ordinis Seruorum. Puto autem fidem mihi aliquam id affirmanti adhiberi posse, cùm maximā ætatis meæ partem in Lutheranorum libris euoluendis & refutandis consumpserim. Adduxeram pro assertionis meæ confirmatione hanc rationem: Quod is qui potestate abutitur, hominē offendat sibi subditū: qui verò Prælato iustè imperanti parere non vult, Diuinam Maiestatem in suo Vicario offendat. Et probauerā hāc secundam partem verbis Christi dicētis: *Qui vos spernit, me spernit*, Luc. 10. & verbis Apostoli, cū ait: *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.* 1. Thess. 4. & verbis Samuelis, cùm inquit: ***Quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere.*** Ad primam auctoritatē respōdet, ***iam dixi superius hoc intelligendū esse de prædicatione verbi Dei.***] Ego verò rursū oppono, me supra demonstrasse auctoritatibus SS. Cypriani, Basilij, & Bernardi, intelligendum esse de obedientia, quæ debetur Prælatis; & proprium esse Lutheranorum ea, quæ dicuntur de auctoritate prælatorum referre ad potestatem prædicandi verbum Dei. Adiungit F. Paulus scriptum esse in Euangelio, ***Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis:*** Quamobrem (inquit) quemadmodum iniuria, quæ Prælato fit à subdito, redundat in Christū, ita quam facit Prælatus subdito, pari ratione redundat in Christum.

Respōdeo id quidem verum esse, sed quemadmodum minor est iniuria, quæ membis fit, quam illa, quæ capiti: ita minor est illa, quàm Prælatus infert subdito; qui est membrum corporis mystici, & in quo tanquam in membro suo Christus iniuriam accipit, quam

illa

illa quam facit subditus Prælato, qui repræsentat Christum veluti caput, & in quo Christus iniuriam non aliter ac sibimetipsi, vt capiti illatam accipit.

Ad secundam auctoritatem, quę est Apostoli, respondet Fr. Paulus, Apostolum ibi non loqui de proprijs suis præceptis, sed de diuinis, de quibus in eadem Epist. Thessalonicenses monuerat: atque idcircò dicere. *Qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum.* Nos autem affirmamus illum ibi non modò loqui de diuinis, sed etiam de præceptis suis, quæ ore proprio illis dederat, cùm degeret inter ipsos. Nam si eis præcepta Dei tantùm dedisset, non erat cur diceret, *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum*, quia illud ex semetipso, non additis hisce verbis satis clarum erat: sicuti quando præco iussu Magistratus edictum pronunciat: non opus est, vt dicat: Qui non obtemperauerit, non mihi, sed Magistratui iniuriam faciet. Idem colligitur ex ratione quam Apostol. adfert, cùm ait: *Qui dedit nobis Spiritum suum sanctum*, hoc est: Quicunque pręcepta mea spernit, non hominem, sed Deum spernit, qui contulit nobis potestatem spiritualem, & cuius ministri sumus: Quod autem per Spiritum sanctum spiritualis potestas intelligi possit, ex illis Domini verbis conijcitur. *Accipite Spiritum sanctū, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Ioann.* 20. Vnde S. Anselmus exponens 4. cap. 1. Epist. S. Pauli ad Thessalonicenses ait: *Erāt inter Thessalonicenses nonnulli in supradictis vitijs manentes, & Apostoli verba spernentes, propter quos ita loquitur, ostendens, quia contemptus Apostolicorum præceptorum in Deum potius refunderetur, quam in Apostolum.* Adiungit F. Paulus, & dicit: Aliquem huius sæculi hominem cum S. Paulo, aut decretum cuiuscunque personæ cum scriptura Canonica æquiparare, nescio quam rationabile pijs conscientijs videri possit.]

Respondeo F. Paulum æquiuocè loqui, dum confundit veritatem sacræ Scripturæ, cum potestate præcipiendi. Non enim æquiparamus Summi Pontificis decreta S. Pauli scriptis, cùm sciamus S. Pauli scripta canonica, & diuina, ac propriè verba Dei esse: sed potestatem præcipiendi, & auctoritatem Prælati Ecclesiastici, atque asserimus, Summum Pontificem non minori pollere auctoritate, ac potestate quam S. Paulum, imò maiori, cum S. Paulus inferior fuerit S. Petro, Summus autem Pontifex tanquam S. Petri successor nullum in terris superiorem habeat: & quemadmodum, qui S. Paulum tanquam Pręlatum spernebat, Deum spernebat, ita qui Summum Pontificem aspernatur, Deum aspernatur.

Ad tertiam authoritatem ex libris Regum desumptam, respondet Fr. Paulus, ibi agi de obedientia, quæ debetur Deo, quia Deus per Prophetam suum Sauli Regi pręceperat. Et hic similiter exclamat F. Paulus, nos audere obedientiam Prælatorum cum diuina æquiparare.

Respondeo, quamuis illo in loco sermo sit de obedientia, quæ præstari debet Deo, nihilominus ex eodem loco SS. Patres collegerunt, excellentiam obedientiæ, quæ Prælatis locum Dei obtinentibus debetur. Vnde sanctus Bernardus in libr. de præscripto & dispensatione sic ait: *Siue Deus, siue homo Vicarius Dei, mandatū quodcunq; tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et idem S. Bernardus non modò in eodem lib. sed etiam ser. 3. *de Resurrect. Domini.* & serm. 33. in Cantica, sæpiùs illa verba Samuelis citat, vt grauitatem peccati illorum, qui Prælatis suis obtemperare recusant, demonstret. Idem facit sanctus Gregorius, cum illa Samuelis verba in lib. 6. commentar. supra lib. primum Regum declarat. & sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 104. & 105. Quare si F. Paulus tolerare non potest, vt dicam contemptum DEI in Vicario suo esse speciem quandam siue peccatum idololatriæ, non conqueratur de me, sed de S. Gregorio, S. Bernardo, & S. Thoma, à quibus illud didici. Quod autem verba illa, *quasi scelus idololatriæ*, non significent, *speciem quandam idololatriæ*, refero me ad Calepinum F. Pauli: non enim volui verba illa interpretari, sed sensum referre: nec puto magnam esse differentiam inter *speciem quandam idololatriæ*, & *quasi scelus idololatriæ*. Demum Fr. Paulus, vt probet maius peccatum esse potestatis abusionem, quam inobedientiam in subdito, hanc rationē subijcit. Peccata eò maiora sunt, quò maius est bonū, quod auferunt, secundùm S. Thomam 2. 2. q. 150. art. 3. & 154. artic. 3. sed inobedientia tollit bonum quoddam particulare, hoc est, virtutem obedientiæ, in eo, qui non obtemperat: abusus verò potestatis tollit bonum aliquod vniuersale, hoc est, bonum regimen Ecclesiæ, quod multò maius est: Adhæc maius scandalum oritur ex vnica potestatis abusione, quam ex centum inobedientijs. Denique superior persona, tanquam eminentior, magis obligata est satisfacere debito suo, quam personæ inferiores.

Respondeo, Fr. Paulum esse parum æquum peccatorum ponderatorem: quia quando loquitur de inobedientia, considerat malum subiecti, non obiecti: quando autem de abusione potestatis loquitur, considerat malum obiecti, non subiecti: At si æqualiter & iustè illa ponderare atque metiri velimus, inueniemus inobedientiam tollere bonum obedientiæ in subdito, & potestatem in superiore, adeoque regimen ipsum impedire: abusum verò potestatis tollere bonum iustitiæ in superiore, & rectum regimē in subdito: sed longè maius malum est, tollere ipsum regimen, quàm bonum regimen, ac proinde multò grauius est peccatum inobedientiæ, quam abusio potestatis. Et quemadmodum maioris scandali res est abusio potestatis vniuersalis, quàm centum inobedientiæ particulares: ita longè grauioris scandali res est inobedientia vniuersalis, qualis est, quando populus aliquis, siue Respublica, Pastori suo obtemperare recusat, quam cētum abusiones potestatis in particulares: licet autem Prælatus magis teneatur debito suo satisfacere, propter dignitatem personæ, adeoque grauius sit peccatū illius ex circumstantia personæ: nihilominùs subditus magis obligatus est, non spernere superiorem, qui Dei vices gerit, cùm Deus ipse 1. Reg. 8. dicat: *non te spreuerunt, sed me.* atq; ideò peccatum subditi absolutè grauius est, quam

Prælati.

Prælati. Quemadmodum Pater maiorem obligationem habet nó peccandi, quam filij, propter maturitatem ætatis, & nihilo secius filij multò magis obligati sunt revereri, & honorare parentem: hæc autem obligatio, priori adeò præponderat, vt si forsitan Pater iniustè filium multis verberibus afficiat, sine comparatione minus peccatum æstimetur, quam si filius, vel vnam alapam Patri impingat.

Fol.28.pag.2. F. Paulus, cùm docere ac planum facere vellet, exemplum S.Pauli, qui S.Petro in faciem restitit, ab interprete Gersonis rectè ad propositum præsentis controuersiæ allatum fuisse: citat Card. Caietanum tract. de potestate Papæ, & Conciliorum, cap.27. quem dicit citari etiam à Cardinale Bellarmino lib.2. de Pontifice, cap.29. Sed neque Caietanum neque Bellarminum benè legit: nam Bellarminus non vtitur exemplo S.Pauli. Caietanus verò S. Pauli exemplum quando Archippum admoneri siue reprehendi voluit, refert, de Petri autem reprehensione ne verbum quidē: Et quia cum illud exemplum à Gersone citatū reprehenderem, dixeram, illam S.Pauli resistentiam non fuisse in materia præcepti, sed cuiusdam obseruantiæ: Fr.Paulus, qui in omnibus exercet spiritum contradictionis, replicat, quamuis non fuerit præceptum expressum, fuisse saltem tacitum omnibus eo in loco præsentibus, cui etiam præcepto plurimi obtemperauerint, vti S. Paulus ait: ***Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas induceretur in illam simulationem.*** Sed S.Paulus restitit illi præcepto. Respondeo exemplum illud S.Petri, non fuisse præceptum, neq; tacitum, neq; expressum, sed tantummodo persuasionem quandam tacitam, quod propriè significant illa verba: ***simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi.*** Quod autē exemplum non sit præceptū ex verbis Domini colligitur Matth.23. vbi dicit. ***Quæ dicunt facite, quæ faciunt nolite facere: dicunt enim & non faciunt.*** Vbi Dominus vult Prælatis etiā malis obtemperari, sed exemplis eorum non insisti. De reprehensione S. Pauli, qua S. Petrum redarguit, plenè disseruimus in fin.lib.2.de Pontifice.

In eodem loco dicit Fr. Paulus, se nescire quamobrem huic reprehensioni adiecta sit à me visitatio S.Pauli, quando Petri videndi causa venit Hierosolymam: atque arguit me, quod duas diuersas S. Pauli Hierosolymam profectiones coniunxerim, quasi vna eademque foret.]

Respondeo, me idcirco visitationem S.Pauli, qua S.Petrum inuisit, adiecisse, vt ostēderem S.Paulum maximi ęstimasse S.Petrum, & illum superioris loco habuisse, vt hinc intelligatur, ipsum non restitisse præcepto illius. Sed fraternè ipsum corripuisse de quodam errore, quem in ipso animaduerterat. Quod autem illa verba: ***Ascendi Hierosolymam videre Petrum,*** indicium sint particularis reuerentiæ, ex eo constat, quod non inquit; ***Ascendi Hierosolymam videre Iacobum, aut Ioannem,*** qui etiam eo tempore Hierosolymis degebant, sed, ***videre Petrum.*** Audi S. Hieronymum in Epist.ad S. Augustinum. ***Tanta Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epistola sua scripserit: post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.*** Audi S.Ioannem Chrysostomum, in hom.87.in Ioannem. ***Petrus Princeps erat Apostolorum, propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit.*** Audi S. Ambrosium siue auctorē, quicunque ille sit, commentarij in Epistolas, qui nomen Ambrosij præfert, ***Dignum fuit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarū.*** Quod verò ad binarum profectionum illarum quasi vna esset coniunctionem attinet, dico me illud eam ob causam fecisse, quod ad idem pertinerent negotium, & describantur vna in fine primi cap. Epistolæ ad Galatas, altera in principio secundi. Et quamuis S.Paulus in secunda profectione sua in Hierusalem Euangelium suum non cum solo Petro contulerit, contulit tamen illud principaliter cum illo: nam alioqui Ecclesia non credidisset illi, si audiuisset illum diuersa ab aliorum Apostolorum maximè S. Petri doctrina prædicare. Audi S.Hieronymū in eadem Epistola ad S.Augustinum, quæ inter Epistolas S. Augustini vndecima est. ***Exposuit eis Euangelium quod prædicabat, ostendens se non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant, fuisset sententia roboratū.*** Audi Theodoretū in Epist. ad S. Leonem Papam. ***Paulus præco veritatis tuba sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso adferret solutionem.*** Ex quibus testimonijs manifestū est, quamuis cum Petro multi alij essent, ad ipsum nihilominus tāquam Ecclesiæ caput recursum cæteros habuisse.

Hic autem silentio præterire non possum, F. Paulum perperam asserere, Caietan. in tractatu de potestate Papæ & Conciliorum ca. 27. vsum fuisse exemplo reprehensionis S. Pauli, qua Petrum redarguit, cùm citat hæc Caietani verba: ***Abusui potestatis, quæ destruit, obuiam eant congruis remedijs, non obediendo in malis, non adulando, nō tacendo, arguendo, aduocando illustres ad increpandum exemplo, &c.*** Hoc autem &c. tegit F.Paulus falsitatem suam: nam cum Caieta. postea se declarat, ac dicit, S.Paulum per homines illustres corripuisse Archippum: illa vltima verba epistolæ ad Coloss. ***Dicite Archippo, vide ministerium quod accepisti, vt illud impleas.*** De Petri autem reprehensione nullam omninò facit mentionem.

SEXTA CONSIDERATIO.

FOl. 30. Circa sextam Considerationem Gersonis F.Paul. miratur, quod Gersonis doctrinam limitē, & nihilominus ab illo non dissentiā. Ad quod respōdeo me Gersonis doctrinam non limitare, sed redarguere, atque ab illa omninò dissentire. Ipse inquit, Subdito, vt non sit obligatus ad obedientiam, satis esse, vt habeat sufficientem probabilitatem, Prælatum abusum fuisse potestate clauium. Ego autē dico non sufficere qualemcunque probabilitatem, hoc est, nullam omninò probabilitatem, sed necessariam esse certitudinem, nec etiam certitudinem illam, quod Prelatus quocunque modo potestate abutatur sufficere, sed opus esse, vt subditus certus sit Prælatū abuti potestate in rebus essentialibus. Et adduxi S. Augustinum lib.22. ***contra Faustum*** cap.75. Refertur autem in Decreto Can. ***Quid culpatur.*** 23.q.1. ***Cùm***

ergo

ergo vir iustus si fortè sub Rege, homine etiam sacrilego militet, rectè possit illo iubente bellare, ciuica pacis ordinem seruans; cui quod iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est. &c. Ad hanc verò auctoritatem cum F. Paulus nihil prorsus respondeat; dico apertũ & clarum satis esse certitudinẽ requiri. Ad cætera quæ F. Paulus dicit, nihil respondeo, cum eadem ante in scriptis septem Theologorum Venetorum, quibus responsum est, repetita fuerint.

SEPTIMA CONSIDERATIO.

FOl. 31. pag. 2. Circa septimam Considerationem cum affirmo sententiam Sanctissimi Domini N. Papæ Pauli V. esse iustam & validam, quia is, qui sententiam tulit, potestatẽ legitimam habuit, terminos ex iure præscriptos seruauit, & propter iustam causam, nimirum propter immunitatis Ecclesiasticæ defensionem illam tulit.

F. Paulus primum diu multumque cauillatur, hinc inde se contorquens, demum verò cùm videret, si legitimam Summi Pontificis potestatem negare assumpsisset, id sibi malè successurum, concludit se etiam concedere potestatem legitimam. Quoad verò terminos iuridicos dicit, hoc probari oportuisse, nec æquum fuisse prohiberi libros, qui Reipublicæ Venetæ rationes defensionesque continerent.

Respondeo teneri ipsos ad probandum, & nihilominus à nobis probatum id fuit multis testimonijs. Deinde si volebat, vt non prohiberentur libri, qui Reipublicæ rationes continebant, debebat inuigilare, ne sententijs scandalosis, schismaticis, erroneis & hæreticis permixti scriberentur. Demùm quia citaueram decretum Concilij Tridentini Sess. 25. cap. 20. vt indicarem fundamẽtum quoddam Ecclesiasticæ immunitatis, cum in illo dicatur, Immunitatẽ Ecclesiæ & Ecclesiasticarũ personarũ ex ordinatione diuina esse. Fr. Paulus adfert, antidoti loco, vt ipse inquit, scripta mea, lib. *de Clericis, cap.* 28. vbi affirmem Clericorum exemptionem in causis Ecclesiasticis esse de iure diuino: at in politicis, tum quoad personas, tum quoad bona, esse de iure humano, non diuino. Respondeo F. Paulum videre potuisse opera mea Venetijs Anno 1599. excusa, in quibus dicitur exemptionem Clericorum quoad personas, etiam in causis politicis, & quoad bona esse de iure diuino & humano, & forsitan voluit diuina prouidentia, vt hæc declaratio Venetijs fieret, quandoquidem Spiritus S. iam tum præuidebat id quod ibidem postea euenturum erat.

Dixi autem declaratio, nõ mutatio, vel correctio, quia in prima impressione, quæ hãc posteriorem multis annis præcessit, quando dixi, Soti sententiam sequens, exemptionem in rebus politicis non esse de iure diuino: significare volui, non inueniri præceptũ aliquod formale & expressum in sacris literis, quod præciperet hanc exemptionem; quamuis viderem illam iuri diuino naturali conformem esse, ac deduci posse ex verbis & exemplis sacræ Scripturæ. Postea verò diligenter considerans sacros Canones & modum illorum loquendi, videns etiam aliquos scriptores verba mea sensu intentioni meæ contrario citare, declarationem illam feci. Quod si nihilominus F. Paulus existimare malit hanc esse correctionem, non declarationem, dicam ei cùm S. Ambrosio: *Qui secutus es errantem, sequere corrigentem,* & loquatur etiam ipse, quemadmodum ego facio, vt loquuntur sacri Canones, non quemadmodum dictat ipsi humana prudentia.

OCTAVA CONSIDERATIO.

FOl. 33. In octaua Consideratione Fr. Paulus me admodum seuerè obiurgat, dicens me vti artificio & subtilitate singulari, in conuertendis Gersonis verbis, vt maiorem habeam materiam contradicendi: quia cùm Gerson dicat contemptum clauium periculosiorem esse erga Summum Pontificem, quam erga inferiores: ego referam verba illius quasi dixisset: abusum potestatis clauium periculosiorẽ esse in Summo Pontifice, quam in inferioribus. Sed fateor inter scribendum cùm nollem referre verba, sed sensum Gersonis, & ad singula verba textus non attenderem, scripsisse me abusum loco cõtemptus, non artificiosè, aut subtiliter, sed per solam inaduertentiam, Deus testis est. Quod autem id non fecerim, vt suppeteret mihi materia contradicendi, inde manifestum sit, quia non contradixi. Nec ista mutatio alicuius momenti est, cum vtraque sententia vera sit, & vna eademque ratione probetur, imò vna inferat aliam. Quod enim cõtemptus clauium periculosior sit erga Summum Pontificem quam erga inferiores, verissimũ est, cum ab inferioribus ad Summum Põtificem recursus pateat, sed à Summo Pontifice ad alios non item. Pari ratione, quod abusus clauium periculosior sit in Summo Pontifice, quam in inferioribus, verissimum est, propter eandem rationem, quandoquidem ab inferiorum abusione, ad alios superiores appellari potest. Et cõmuniter abusus clauium in superiore non reperitur, nisi etiam inde contemptus in inferioribus sequatur: Quare nulla tam grauis causa suberat, cur F. Paulus tanti faceret hanc vocis mutationem, non studio, sed casu factam.

Quo ad illud quod Fr. Paulus dicit mẽ in controuersia de auctoritate Conciliorum dicere, quæstionem esse inter Catholicos de auctoritate Papæ supra Concilium, vel contra: nunc autem declarare me quod illi errent, qui definiunt Concilium esse supra Summum Pontificem ad illa, quæ septem Theologis Venetis, qui eandem contradictionem prætexuerant, respondi; ipsum remitto.

Folio 34. F. Paulus dicit me non debuisse tria folia insumere, vt demonstrarem Summi Pontificis auctoritatem superiorem esse Concilijs, cum hæc disputatio modo non sit necessaria. Respõdeo. Me summa cum breuitate disseruisse de hac materia, vt ostenderem falsum esse, quod Gerson dicit, contrarium definitum esse, vt sit hæresis, sed valdè miror illum qui trium foliorum prolixitatem in re non necessaria coarguit, paulò minus viginti eadẽ in materia cõ-

sumere, non ad inuestigandam veritatẽ, sed ob solam cōtradicendi cupiditatem? Quapropter non expendam in hac cōtrouersia plura verba cum plenissimè tractata sit ab eruditissimis viris, tum Theologis, tum Canonistis, ad quos lectorẽ remitto: Et specialiter legi potest S. Antoninus: Ioan. de Turrecremata: Aluarus Pelagius: Albertus Pighius: Augustinus de Ancona: Franciscus Turrianus: Petrus de Monte, & alij multi. Præcæteris verò quæstionem hanc tam exactè tractat Card. Dominicus Iacobatius Canonista, vt sexaginta tria argumenta contraria dissoluat. Et Card. Thomas Caietanus præcellens Theologus, fundamẽtis adeò firmis & solidis eam munit, in tractatu *de comparatione auctoritatis Papæ & Concilij*, & in Apologia eiusdẽ tractatus, vt nihil omninò amplius desiderari possit ab eo, qui rationes illius possit intellectu comprehendere. Quibus meritò adiungi potest Nicolaus Sanderus Theologus simul & Canonista lib. 7. *de Visibili Monarchia*, pag. 540. vbi agit de Concilio Constantiensi.

Cæterum quamuis hanc quæstionem consultò dimittam, committere tamen non possum, quin duos vel tres notabiles F. Pauli lapsus ostendam, vt ex illis de cæteris coniectura fiat.

Fol. 39. dicit hæc verba. Temporibus incorruptis, cum Episcopi essent Martyres Sancti, Pastor subiectus erat iudicio Ecclesiæ, cuius rei expressum adfert testimonium S. Cyprianus libr. 1. epist. 4. vbi loquens de plebe sic ait. *Quādo ipsa maximè habeat potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, quod & ipsum videmus de diuina authoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente sub omnium oculis eligatur, &c.* Supra modum admiror quod F. Paulus ista S. Cypriani authoritate errorem tam palpabilem & omnibus SS. Patribus contrarium in Ecclesiam introducere velit. S. Cyprianus loquitur ibi de potestate approbandi, vel reprobandi, dum fit electio, quod non est habere potestatem in Pastorem, sed in eum qui eligendus sit Pastor. Quemadmodum olim exercitus approbare, vel reprobare poterat eum, qui pro Imperatore propositus fuerat: sed post Imperatoris creationem amplius eum iudicare non valebat, nec vllam in ipsum potestatem habebat. Quemadmodum etiam ipse Gerson concedit, Cardinales potestatem habere approbandi, vel reprobandi eum, qui in Summum Pontificem eligitur, sed Summo Pontifice designato nullam amplius habere potestatem ipsum iudicandi vel deponendi.

Adiungo, nec Cyprianum quidem velle, vt propriè plebs Pastorem eligat, sed tantummodo vt testimonium de vita ipsius, & consensum & suffragium ferat: atque hoc sensu dicit, plebem habere potestatem eligendi dignos, & indignos recusandi, vti sequẽtia ipsius verba docent. *Quod ipsum videmus de diuina auctoritate descendere, vt Sacerdos plebe præsente sub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Dominus Moysi præcipit, dicens. Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicētur, & sit ordinatio iusta, & legitima; quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata.* Ecce hæc sunt, quæ docet S. Cyprianus, & exemplum adducit Eleazari, qui non à plebe, sed à Moyse Deo sic iubente delectus fuit, & nihilominus Plebs etiam suam partem in ea electione habuit, quia præsens extitit & testimonium ferre potuit de bonitate, ac virtute Eleazari.

In eodem loco F. Paulus alium errorem sacris literis contrarium docet; cùm enim cuperet infirmare testimonium illud S. Scripturæ à me adductum. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? &c.* Vt probarem, Summum Pontificem esse velut generalem, ac primarium Oeconomum in domo Dei, quæ est Ecclesia, ac proinde potestatem habere in totam familiam, familiam verò non habere potestatem in ipsum. Fr. Paulus ita inquit. Si Summus Pontifex aut alius quis dispensator generalis, esset hic fidelis dispensator, cùm illi commendata sit omnium rerum cura, quinam sunt illi, super quos postea, si fideliter & rectè omnia administrauerit, constituendus est? nam *super omnia bona sua constituet eum.* Si respondeatur Paradisum esse; at illic nemo præter Christum & Angelos dispensatoris munus obibit. Sancti Pontifices Regnū cœlorum ingredientes, laborum suorum præmia percipient, nec quicquam aliud faciendum eis incumbet, nec intrabunt illuc cum aliquo regimine.

In his verbis duo sunt errores. Primus, quod illa verba: *Super omnia bona sua constituet eum,* non significent Paradisum, hoc est enim contra omnes expositores, & vt vnum adducam, S. Hilarius in capit. 26. Matthæi dicit. *Super omnia bona constituetur, id est, in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit vltra quod melius sit.* Alter error est. Quod Sancti in cœlis nullum prorsus regimen habituri sint, sed id Christi duntaxat & Angelorum futurum sit. Contrarium enim docet ipse Christus in Apocalypsi cap. 2. *Qui vicerit, dabo ei potestatem super gentes, & reget eos in virga ferrea, &c* Et cap. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Hoc autem est constitui à Domino super omnia bona, sedere nimirum cum illo in throno ipsius, regnare pariter cum illo, & moderari cum illo nō modò Ecclesiam, sed vniuersum mundum. Hinc S. Leo Serm. 2. in anniuersaria suæ ad Pontificatum assumptionis die, dicit S. Petrum Ecclesiæ regimen non reliquisse Ecclesiæ, inquit, *gubernacula non reliquit.* Et S. Basil. in Serm. de 40. Martyribus, & S. Ambros. lib. de Viduis, sanctos appellant humani generis præsides; atque idem docent omnes SS. Patres, qui inuocationem Sanctorum contra Hæreticos propugnant, eò quòd sint veluti mortalium hominum protectores.

Fol. 46. pag. 2. F. Paulus aliud paradoxum ponit: loquens de cap. *licet, de electio.* vbi dicitur: in electione Summi Pontificis magnam diligentiam & circumspectionem adhiberi oportere, quandoquidem si erretur ad alium superiorem

periorem

periorem non posſit recurſus haberi: Ego autem & huius rei cauſam addidi, nempe quod Summus Pontifex non habeat ſuperiorem in terris. F. Paulus reſpondit hanc rationem non eſſe congruentem, quia capitulum illud loquitur de erroribus qui in electione committuntur, talium verò iudex legitimus eſt Conciliū Generale; vult igitur illud capitulum docere nō poſſe recurſum haberi ad Superiorem, quia nullus actu Superior ſit, cùm non ſit congregatum Concilium. Reſpondeo. Si ſic intelligenda ſint verba illa, Papam Alexandrum, qui conſtitutionem illam promulgauit, potuiſſe, ac debuiſſe dicere, non facile, nec ſtatim recurſum haberi poſſe, non autem abſolutè quemadmodum dixit: ſi erretur non poſſe recurſum haberi ad aliquem ſuperiorem: & ideò neceſſe eſt fateri Papam Alexandum in illo capitulo non loqui de errore, qui committi poſsit quoad electionis inualiditatem: ſed qui admitteretur in creando tali Pontifice, qui non ſit præditus illa bonitate, ſcientia, & prudentia, quæ requiritur in ſummo Eccleſiæ capite: quia talis error à nemine corrigi poteſt, cùm Summus Pontifex Canonicè electus, nullum in terris ſuperiorem habeat: quare Gloſſa huius decreti cùm rationem redderet, dicit in inferioribus poſſe haberi recurſum, quoniam electione facta ſuperſit confirmatio, illa verò non conferatur, ſi electi perſona minus digna fuerit: ſed in Sūmo Pontifice poſt electionem nullam aliam requiri confirmationem, quia ſtatim, vt electus eſt, ſuſcipit adminiſtrationem: quemadmodum declarat Papa Nicolaus Can. ***In nomine Domini. diſt.*** 23. Itaque ſi comiſſus fuerit error, quoad electionem perſonæ minus dignæ, aut parum ad regimen idoneæ, nullum vltra ſupereſt remedium.

Folio 47. Fr. Paulus, cùm ego aſſeruiſſem lib. 2. de auctoritate Concil. cap. 13. Concilium Lateranenſe expreſsè definiuiſſe Summum Pontificem ſuperiorem eſſe Concilio, dicit me primam hanc ſententiam poſtea reuocaſſe cap. 17. Atq; aſſeruiſſe in dubio adhuc verſari, num à Concilio definita fuerit auctoritas Summi Pōtificis ſuprà Concilia tanquam decretum Catholicæ fidei.

Reſpondeo, hanc reuocationem, ſiue contradictionem, quo nomine etiam Fr. Paulus ipſam appellat, eſſe in mente ipſius, non autem in ſcriptis meis: quandoquidem primo in loco affirmo Concilium Lateranenſe veritatem illam expreſsiſsimè definiuiſſe, quoniam verbis expreſsis pronunciauit Summum Pontificem ſuper omnia Concilia auctoritatem habere. Secundo autem in loco aſſero certum non eſſe, num Concilium illud definierit id eſſe, de fide Catholica: nam aliud eſt, dicere aliquid verum eſſe, aliud dicere, eſſe verum veritate fidei Catholicæ, ita vt cōtrarium pro hæreſi habendum ſit. Concilium Lateranenſe non tulit ſpeciale decretum de Summi Pontificis ſupra Concilia poteſtate, ſed cum declararet Sūmum Pontificem Concilia poſſe transferre, pro ratione adiungit, quia ſupra Concilia auctoritatem habet: & ideò dicit Cardin. Caietanus, Cōcilium Conſtātienſe Seſſ. 4. definiuiſſe Concilium auctoritatem habere in Summum Pontificem, A ſed non ſanxit ibi decretum fidei, cùm non ageretur, tum de materia fidei, ſicut nec fieri poterat, cùm Concilium illud imperfectum fuerit, & celebratum ſine præſentia Summi Pontificis. Atque idcircò in priori noſtra ſcriptione diximus, Gerſonem in octaua conſideratione falsò aſſirmaſſe, Concilium Conſtantienſe expreſsè declarauiſſe hæreſin eſſe, negare Concilium eſſe ſupra Summum Pontificem.

Fol. 49. cùm videret F. Paulus ſe negare non poſſe, quod Summus Pontifex toti Eccleſiæ præpoſitus ſit, ſi iuſtè poſsit vocari paterfamilias in domo Dei, impudenter negat hunc titulum Summo Pontifici conuenire ſic dicens. In Euangelio nemo inueniet Patremfamilias appellari, præter Deum Patrem, & Chriſtū filium eius naturalem. Miniſter autem ſeruus B eſt: proprietates autem Dei alijs attribuere non decet. Reſpondeo hoc idem eſſe, ac ſi quis neget ſolem ſplendere, aut noctem obſcuram eſſe. Quid enim ſibi vult nomen Papæ quam Pater? Quod nomen frequentius in ore fidelium quando Summum Pontificem alloquuntur, quam, Pater Sancte? Nonne ſanctus Auguſtinus Epiſtola 161. cùm loqueretur de Papa Melchiade ſcripſit: *O filium Chriſtianæ pacis. O Patrem Chriſtianæ plebis?* Sed Fr. Paulus his non eſt contentus, teſtimonia requirit ſacrę Scripturę. Legat igitur Eſaiam, cap. 22. & inueniet ibi verba hæc de Summo Sacerdote dici: ***Erit quaſi Pater habitantibus Hieruſalem.*** Legat Epiſt. 1. S. Pauli ad Corinthios, cap. 4. & inueniet Sanctum Paulum aſſumere ſibi nomen Patris: ***Non,*** inquit, ***vt confundam vos hæc*** C ***ſcribo, ſed vt filios chariſsimos moneo. Nam etſi decem millia pædagogorum habeatis, ſed non multos Patres, nam per Euangelium in Chriſto Ieſu ego vos genui.*** Legat denique Epiſtolas cæteras eiuſdem Apoſtoli, S. Ioannis & reliquorum, & inueniet Apoſtolos appellare ſolitos fideles filios ſuos, & ex conſequenti illorum ſe Patres conſtituere. At in Euangelio nomen hoc nulli tribuitur niſi DEO. Verum eſt, ſed non negatur illis, qui Dei locum obtinent, non etiam conuenire. At Summus Pontifex eſt ſeruus & miniſter huius patrisfamilias. Verum eſt, ipſum reſpectu Dei ſeruum eſſe, & miniſtrum, ſed reſpectu inferiorum Pater eſt, vti diximus, loco Dei & ſimul ſeruus, cum nominetur *Seruus Seruorum Dei*: idque non vt illis obediat, ſed vt illos regat: quemadmodum etiam Principes ſæculares ſerui ſunt po- D pulorum ſibi ſubiectorum, cum illis quoad regimen & gubernationem ſeruiant.

NONA CONSIDERATIO.

FOL. 50. circa nonam Conſiderationem ego dixi verum eſſe, ***contemptum clauium non incurri, ſi Pontifex enormiſsimo & maximo ſcandalo ſua poteſtate abutatur***, quemadmodum ait Gerſon: ſed hanc conſiderationem Sanctiſsimo Domino N. Paulo Quinto iniurioſam eſſe, quandoquidem ita proponitur quaſi ſanctitas ipſius ſolita ſit, eo pacto clauibus regni cœlorum abuti. Et Venetos non ſolùm ab hiſce defenſoribus abhorrere, ſed etiam eorum impudentiam coërcere debere

Hic Fr. Paulus respondet, bonam non esse hanc doctrinam, quæ doceat veritatem horrere, & veritatis defensores puniendos esse. Ego autem respondeo: Me non docere abhorrendum esse à veritate, sed detestandos esse illos, qui Summum Pontificem exosum reddere conantur, præsertim cum nota & explorata sit omnibus integritas vitæ ipsius iam inde à prima adolescentia. Ad quem etenim finem Gerson hoc pacto loquitur, nisi ob eius malè affectam voluntatem, erga sui temporis Pontifices? Nunc autem cur eædem considerationes tanta cum exaggeratione proponuntur, & in vulgarem linguam conuersæ, manibus populi committuntur, nisi vt illis persuadeatur in eodem nos casu, ob quem illæ considerationes scriptæ sunt, versari?

DECIMA CONSIDERATIO.

FOl. 51. agitur de decima Consideratione, vbi F. Paulus plurima repetit, de his quæ scripsit nomine septem Theologorum Venetorum, & specialiter me alibi contrarium docuisse his, quæ nunc scribo: & P. Ludouicum Richeomum Iesuitam laudauisse resistentiam, qua Philippus Pulcher, & Ludouicus duodecimus Summis Pontificibus restiterint, eamque alijs Principibus in exemplum proposuisse: aliaque his similia, quæ apertè, ac manifestè falsa sunt. Ad quæ quoniam respondi in ijs, quæ scripsi contra septem illos Theologos Venetos, quæque huic nostræ breui apologiæ coniuncta sunt, nihil aliud de illis hoc loco dicam.

Fol. 53 pag. 2. Cùm citassem decretum Concilij Tridentini Sess. 25. cap. 3. his verbis: Sacrum Concilium Tridentinum huic malo cōsuluit, cum vetuit expressè ne seculares Magistratus Prælatos impediant, quominus excommunicent, neve mandent, vt latam reuocent excommunicationem. Fr. Paulus secundùm morem suum opponit, & dicit: Concilium hoc pacto allegare, esse tres intelligentias falsas illi attribuere. Primam dicit esse, quod verba illa omiserim sub prætextu, quod contenta in præsenti decreto non sint obseruata: quibus restringitur decretum ad vnam conditionem, nec prohibetur quod ob alias causas resisti posit excommunicationi. Secundam dicit esse, quòd Concilium legem ferat magistratibus sæcularibus, non autem Principibus sæcularibus, quemadmodum ego interpretatus fueram: secundùm verò Iurisconsultos in materia odiosa princeps sub nomine magistratus non comprehenditur. Tertiam dicit esse, quia Concilium loquitur ibi de prohibitione & præcepto iudiciali, me autem citasse hoc decretum in materia violentiæ naturalis. Respondeo ad primam: me non allegasse verba, sed sensum decreti. Et quemadmodum Concilium non permittit, vt laici in iudicio excommunicationis se intromittant, sub prætextu qui rationabilis videri posit, multò minus permittit hoc fieri sub alijs prætextibus minus probabilibus. Addo, quod idem decretum Concilij in principio generaliter præcipiat, vt excommunicatio non nisi magna cum mode-

A ratione & circumspectione feratur: atque ad hoc præceptum referri posit illa pars decreti *sub prætextu, quod contenta in præsenti decreto non sint obseruata*. sic autem excluditur omnis prætextus.

Ad secundum respondeo, hoc in loco sub nomine magistratus comprehendi etiam principem: nam dicit: *Seculari cuilibet Magistratui:* illud enim verbum cuilibet omnes tam superiores quam inferiores complectitur. Et idem Concilium quando Principes vult excipere, solet dicere *inferioribus Magistratibus*: quemadmodum videri potest in eadem Sess. cap. 20. Demum ratio quam Concilium affert, quando ait: *Cùm non ad sæculares hæc cognitio pertineat:* apertè demonstrat hic etiam Principes comprehendi, qui vtique sæculares sunt, vt alij inferiores Magistratus.

B

Ad tertiam respondeo. Concilium non dicere: ne Prælato iudicialiter prohibeatur, vt non excommunicet, sed in genere, vt non prohibeatur. Et certum est, eum quantum in se est, prohibere, qui vetat ne publicetur excommunicatio, siue id iudicialiter faciat, siue aliter.

VNDECIMA CONSIDERATIO.

FOl. 54. Cùm reprehendissem Gersonem, quod in vndecima consideratione dixisset, *neminem in contemptum clauium incidere cum Iurisperitus aliquis aut Theologus in conscientiam suam recipit aliquas huiusmodi sententias timendas non esse*: Sumit sibi F. Paulus ipsius de-

C fensionem, & dum exiguum Gersonis errorē vult excusare, in alios ipse errores admodum perniciosos labitur. Primò dicit, eandem esse sententiam Nauarri in Commentario cap. *Cùm contingat. De rescriptis. Remedio 2. Num.* 30. vbi sic ait: *Nono infertur. Canonicum Ecclesiæ B. securissimè potuisse ac debuisse communicare præfato, l. in diuinis. Ea ratione quod qui vnius Doctoris eruditione, ac animi pietate celebris auctoritate ductus, fecerit, excusatur, etiamsi id non esset iustum, & alij contrarium tenerent.* Et non animaduertit Fr. Paulus Nauarrum loqui ibi de consilio alicuius Doctoris doctrina & pietate conspicui: Gersonem autem loqui simpliciter de quolibet Doctore, atque idcirco monui illum dicere saltem debuisse, eum qui ignoret quid agere debeat: in rebus ambiguis alicuius Theologi

D aut Iurisconsulti, qui doctrina & probitate clarus sit, iudicio stare posse. Sed si Fr. Paulus per aliquem Theologum vult significari excellentem aliquem Theologum & per aliquem Iurisconsultum, celebrem aliquem Iurisconsultum, ad eos, qui huiusmodi callent, me refero; ego certè per aliquem Theologum, vel Iurisconsultum aliud intelligere nequeo, quam quemlibet hominem, qui sit Theologus, vel Iurisconsultus.

Secundo. F. Paulus repetit id quod alibi dixerat, nempè sententiam illam communem, quod in ambiguo iudicio superioris standum sit, intelligendam esse quando quis post factum diligens examen, & cōsilium ab alijs acceptum adhuc dubius est: De hoc autem fusè lateque in responsione ad septē Theologos disseruimus.

Tertiò. Cùm dixissem: Si Principes temporales nequaquam paterentur subditos suos mandata illorum examinare velle, aut sese ab illis excusare, quod Iurisconsultus aliquis, aut Theologus in conscientia sua illis affirmasset, non teneri eos ad obediendum: multò minus hoc ipsum tolerari debere in obedientia, quæ præstanda est Vicario Christi. Fr. Paulus sese opponit & dicit; hoc argumentum non procedere nec à pari, nec à minori: atque hic detegit mysterium illud à Presbytero Marsilio in octo propositionibus suis indicatum, declaratque tres esse differentias inter potestatem Politicam & Ecclesiasticam.

Prima est, quod scriptura diuersimodè loquatur de obedientia, quæ temporali Principi, & quæ Prælato spirituali debetur: atque aliter vtrosque admoneat. Ad Prælatum pertinet illa sententia Hebr. 13. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis, ipsi enim peruigilant pro animabus vestris, tanquam rationem reddituri.* Ad Principem verò solùm spectat illa ad Roman. 13. *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et hinc sequitur quod potestas Prælati non obliget in cõscientia, sed Principis temporalis obliget. Verum quod potestas Ecclesiastica obliget in conscientia, & quod contrarium sit hæresis Valdensis, VVicleffi, Marsilij Patauiensis, Lutheri, Melanchtonis, Caluini, & similium, dèmonstrauimus in nostris controuersijs libr. 4. de Pontifice cap. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & 21. ad quæ loca lectorem remittimus: in hoc autem loco breuiter tantum probabo Apostolum generatim loqui de potestate tam politica, quàm Ecclesiastica. Nam quamuis principaliter loquatur de Principe temporali quando dicit. *Principes non sunt timori boni operis, sed mali: Et non sine causa gladium portant. Et ideò tributa præstatis:* nihilominus semper loquitur cum terminis generalibus, vt omnem potestatis speciem includat, & vt doctrina ipsius sit vniuersalis, quemadmodum liquet ex verbis textus, quia S. Paulus non dicit. *Omnis anima Regi subdita sit,* sed *potestatibus sublimioribus:* hoc est: hominibus, qui potestatem habent super cæteros. Et certum est, etiam Superiores spirituales potestatem habere in alios, dicente Apostolo 2. Cor. 13. *Hæc absens scripsi, vt non præsens durius agam, secundùm potestatem quam dedit mihi Dominus.* Præterea cum idem Apostolus adiungit: *Non est enim potestas nisi à Deo, idem* est, ac si dixisset: omnis potestas à Deo est. Quis ergo ambigere potest potestatẽ Ecclesiasticam non esse à Deo? Itaque de illa etiam loquitur Apostolus. Et cũ subiungit: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* similiter generatim de omni potestate loquitur, & dicit eos in conscientia peccare, & damnationem sibi acquirere, qui per inobedientiam illis resistunt. Demum quando dicit: *necessitate subditi estote, non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* hoc est, necessarium est, vt subditi sitis non tantum propter formidinẽ pœnæ quam potestas comminatur, sed etiam ob timorem culpæ, quæ ream efficit conscientiam: Illud *propter iram* conuenit etiam spirituali potestati, siue velit, siue nolit F. Paulus; nam potestas spiritualis graues pœnas, & dignas, quæ timeantur, comminatur: dicente Apostolo 1. Cor. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Certum autem est excommunicationis pœnam esse grauissimã, & quam pij homines plus quam mortem reformidant. Quapropter conuenit etiam potestati spirituali, quod sequitur: *sed etiam propter conscientiam?* Adiungo etiam expositionem duorũ excellentium Doctorum. S. Chrysostomus in hunc locum apertè dicit, Apostolum in genere de potestate loqui. ***Omnis ergo Princeps à Deo cõstitutus est? istud*** (inquit Paulus) ***non dico, neque enim de quouis Principum mihi sermo est; sed de ipsa re. Quod enim Principatus sunt, quod hi quidem imperant, isti verò subiecti sunt: diuinæ sapientiæ opus esse dico: propterea non dicit, non enim Princeps nisi à Deo, sed de reipsa disserit, dicens, non est potestas nisi à Deo.*** Ecce quid secundùm Sanctum Chrysostomum S. Paulus docet; nimirum diuinam sapientiam ordinasse, vt in mundo sit regimen & ordo, ita vt alij quidem præcipiant, alij verò obtemperent. Et ideò dicit, *Omnis potestas est à Deo,* non autem omnis Princeps est à Deo. Sanctus Bernardus epist. 183. ad Conradum Imperatorem sic scribit. ***Legi, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Quam tamen sententiam cupio vos, & moneo custodire in exhibenda reuerentia summæ, & Apostolicæ Sedi, & B. Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis, ab vniuerso seruari imperio.*** Quibus verbis sanctus Bernardus demonstrat Apostoli doctrinam esse vniuersalem: & quemadmodum Imperator est potestas sublimis respectu subditorum Imperij, ita Summũ Pontificem esse potestatem sublimem respectu Imperatoris.

Secunda differentia quam F. Paulus ponit inter potestatem temporalem & spiritualem, hæc est: Quod temporali obtemperandum sit sine præcepti examinatione: quia cura regiminis temporalis tota sit Principis, nec subditus in ea partem vllam obtineat; sed potestati spirituali obediendum ita sit, vt prius præceptum examinetur, & cum alijs consultetur: quia animæ & salutis cura, non solum spectet ad Prælatum, sed etiam ad subditum, quin magis etiam ad subditum, quam ad Prælatum: & ideò vigilandum Prælato est: sed vigilandum est & mihi. In hac differentia F. Paulus vel ipse manifestè fallitur, aut alios fallere ac circumuenire tentat: nam cùm loquitur de Principe temporali, declarat tantummodò vniuersalem curam quam Princeps habet in subditos: quæ verè ad subditos non spectat: sed omisit dicere Principem etiam vitæ, honoris, & facultatis priuatorum hominum curam gerere: in hac autem cura bonam etiam partem habet subditus, quia ipsi etiam in hoc vigilandum & laborandum est. Cùm verò loquitur de Prælato, illam tantummodo curam exprimit, quam Prælatus gerere tenetur de salute particularium subditorum: & sic rectè dicit, subditum etiam in hac curæ partem habere; sed dicere omittit Prælatum etiam habere vniuersale regimen Ecclesiæ, & in hoc regimine, nullam sibi partem subditum vendicare. Itaque

que Prælatus & Princeps pares sunt, quoad curam & regimen, tam vniuersale, quam particulare: differunt solum in eo, quod cura Prælati circa animam & æternam salutem versetur: Principis verò, circa vitam, quietem, & bona temporalia. Cùm ergò hæc ita sint, necesse est, vt Fr. Paulus fateatur, vel esse obtemperandum simpliciter, & sine vlla præcepti examinatione vtrique Potestati, vel neutri. Nec ratio F. Pauli alicuius efficaciæ est, cùm dicit Prælato aliquid, quod in detrimentum spiritualis boni cedat, præcipienti, non esse obtemperandum. Sed Principi iubenti aliquid quod in detrimentum bonorum temporalium cedat, parendum esse, quandoquidem temporalia Communi bono seruire debeant. Hanc rationem dico inualidam & inefficacem esse. nam fieri potest, vt Princeps iniustè imperet aliquod in bonorum temporalium detrimentum, & tunc si manifesta fuerit iniustitia, obtemperandum non est. Quemadmodum Naboth parere noluit iniusto regis Achab præcepto, cùm iuberet, vt suam ei vineam traderet. Et è contrà quando Prælatus iustè imperat aliquid in detrimentum boni spiritualis, velutí si iustas ob causas iuberet alicui, vt Missarum celebrationem, aut orationis studium aliquandiu intermitteret, obediendum ei est. Quapropter regula generalis est, semper obtemperandum esse superiori, siue Ecclesiastico, siue Politico, quando nihil præcipit quod exequi peccatum sit, quemadmodum ostensum est in refutatione duodecimæ Propositionis septem Theologorum Venetorum.

Tertia differentia à F. Paulo posita inter Potestatem Politicam & Ecclesiasticam hæc est, quod Politica, forum habeat externum, & possit pœnas temporales infligere, cùm habeat curam quietis publicæ, & non sine causa gladium portet: atque idcircò inquit Apostolus necessarium esse, vt illis subditi sint *propter iram*, id est, propter pœnæ formidinem: sed potestas Ecclesiastica non habet iudicium forense, sed tantum intendere debet rebus spiritualibus, in foro DEI: nec quicquam ei commercij est, de directo cum pœnis temporalibus: ac proinde Apostolus non iubet, vt subiecti simus Prælatis, *propter iram*, quia ministerium Ecclesiasticum exercetur per gladium spiritus, quod est Verbum Dei.

In hac differentia Fr. Paulus se manifestè Lutheranum declarat, & docet doctrinam Catholicis hactenus inauditam. Omnia prisca Concilia, quæ imperant Ecclesiasticis, ne patiantur se ad forum sæculare trahi, sed ad Ecclesiasticum confugiant, nonnè ita tribuunt Prælatis Ecclesiæ forum externũ? Quando Apostolus inquit, *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Et quando Prælati sub pœna excommunicationis quid iubent, nonne declarant sibi esse iudicium forense? & nonnè poterit dici de hac pœna, quod necessarium sit subditis subiectos esse Prælato, *propter iram*, hoc est, propter pœnæ formidinem? Quando sacrum Concilium Tridentinum Sessione vigesimaquinta, capite tertio, præcipit Episcopis, vt

A mulctas pecuniarias Laicis imponant, & curent capi pignora, & in quibusdam casibus per districtionem personarum procedant, nonnè ostendit forum Episcopi externum etiam esse, atque ipsum temporales pœnas imponere posse? Quando etiam tribunal Officij sanctæ inquisitionis, quosdam ad carceres, alios ad fustigationem, alios ad triremes, nonnullos in exilium condemnat, nonne imponit de directo pœnas temporales? Itaque opus est, vt Frater Paulus, vel omnia Concilia & vniuersam Ecclesiam erroris arguat, & hæreticum se esse declaret, vel fateatur, Prælatis Ecclesiæ non modò competere forum Dei, sed etiam forum externum.

Omitto hic notare vltima F. Pauli verba in præsenti discursu, vbi dicit, Principes potestatem suam immediatè habere à Deo, quia de
B hac controuersia in responsione ad octo Propositiones egimus: & tam clara hæc res est, vt nisi æquiuocationibus obscuretur, nullo ad eam refutandam egeat labore. Non est dubium instinctum naturalem, quo homines naturaliter aguntur ad eligendum sibi vnum aliquod caput, à quo regantur, immediatè fit à Deo: sed quod populus aliquis eligat sibi Regem aliquem, in eum omnem suam potestatem transferat: alius verò eligat sibi Magistratus, cum limitata potestate: ambigi non potest, id ab hominum voluntate pendere, qui cum natura liberi sint, potestatem habent multis modis speciem regiminis variandi, & ex consequenti, Potestas qua Principes temporales præditi sunt, est à Deo, mediante tamen consensu
C humano. At potestas Summi Pontificis est propriè à Deo, nec dependet ab vllo humano consensu, atque idcircò immediatè à Deo. Hinc autem fit, quod potestas principum ab hominibus, vel minui, vel augeri, dari, vel auferri possit: cum interim Summi Pontificis potestas quoad hoc nihil omninò ad homines pertineat; de quo nulla inter Doctores est controuersia.

Fol. 56. pag. 2. Reprehendit Fr. Paulus, hæc verba mea: *Magis omnipotenti Deo placet illorum infirmitas, qui Papam, vt Deum venerantur: quam illorum fortitudo, qui se præ cæteris sapere existimantes, Christi Vicarij auctoritatem deprimere conantur:* dicit autem ita me dicere oportuisse, minus displicet Deo illorum infirmitas, quam horum fortitudo. Ad quod primum respon-
D deo, infirmitatem, hoc est, simplicitatem idiotarum Catholicorum, non displicere, immò placere Deo; nam satis ipsi norunt, Papam non esse Deum, sed vt Deum venerantur, dum maximã de admirabili potestate illius opinionem habent, nec inquirant, quomodo illa, vel limitari possit, vel minui. Deinde respondeo, S. Augustinum in tractatu super Psalm. 75. Me docuisse hos loquendi modos, quamuis non placeant F. Paulo. *Melior*, inquit, *virgo humilis, quam maritata humilis: Sed melior maritata humilis, quam virgo superba*: Et in tractatu supra Psalm. 109. *Melius est humile coniugium, quam superba virginitas.* Certum autem est, virginem superbam, & superbam virginitatem, non bona: & comparatiuum, melius, propriè dicitur tantum de rebus bonis. Sed sanctus Au-

gusti-

gustinus benè nouerat, hos esse vsitatos loquendi modos,& nimium fastidiosos esse, qui eos carperent. Idem dici potest de illa, quæ sequitur,propositione: Non absurdum est tribui Summo Pontifici omnem potestatem in cœlo & in terra: quum Christus dixerit: *quodcunque ligaueris super terram,erit ligatum & in cœlis.* dummodò ita illa intelligatur, quemadmodum à veris doctisque Catholicis intelligitur & explicatur. Sed Fr. Paulus eam subtiliter in proprio sensu considerans, dicit esse falsissimam: quasi ego illam in proprio sensu protulerim,& non in sensu hyperbolico, quo loquendi modo persæpè vtitur Spiritus S. in diuinis literis: quare secundùm Fr.Paulum omnes illæ propositiones falsissimæ erunt,& ita opus erit spiritum veritatis,mendacij arguere: Idem dico de illis etiam verbis: cùm inquio, Summum Pontificem omnia efficere posse, quæ necessaria sunt,vt ad cœli beatitudinem animas perducat, omniaque impedimenta remouere, quæ mundus ac Diabolus queant interponere. F. Paulus intentus, vt me capiat in sermone,dicit, hoc rerum non esse, cum Summus Pontifex illis, qui in vtero matris moriuntur, opem ferre non possit, nec illos iuuare valeat, qui existentes in statu mortalis peccati, amentes efficiuntur: nec potestatem habeat in motus interiores animæ, qui necessarij sunt ad salutem.Et tamen poterat animaduertere hunc loquendi modum nihil aliud significare,quàm Summum Pontificem non habere potestatem limitatam,perinde,vt alij Prælati, sed absolutam, vt possit declarare, ordinare,& præcipere, quæcunque ad regimen Ecclesiæ necessaria sunt: vt possit etiam prohibere, absoluere, dispensare in omnibus, quæ necessitas animarum requirit: hæc autem omnia intelligenda esse, in materia apta & disposita, sine miraculorum editione: Christum denique Vicario suo plenissimam potestatem communicasse, non absolutè, sed quantum poterat homini mortali communicari. Alioqui,qui omnia calumniari & cauillari velit, posset etiam dicere, verum non esse, quod Deus omnia facere possit:quia efficere nequeat, vt præteritum nõ sit præteritum: & vt homo non sit rationalis: aut bestiæ ratione præditæ sint: & vt bis tria, non sint sex,aut bis tria sint septem. Quòd si F. Paulus responderit, quando asseritur Deum omnia posse, illud intelligi debere de rebus possibilibus, non autem de impossibilibus: quales sunt illæ, quæ continent contradictionem, ego rursum dicam, si cum affirmatur Deum omnia posse, oportet propositionem illam accipere in sensu conuenienti: mirari non debet, cùm loquimur de potestate Vicarij Dei, calumniandum non esse, sed vnumquodque intelligendum potius in sensu conuenienti, quemadmodum graues & recti iudicij homines intelligant.

DVODECIMA CONSIDERATIO.

FOl.58.In vltimæ Considerationis discursu, F. Paulus reprehendit, quod dixerim has considerationes tempore schismatis scriptas fuisse, & probare nititur hoc vero minimè consentaneum esse, quia scriptæ fuerint post Concilium Constantiense, quando præsidebat Ecclesiæ, vnus tantum & indubitatus Pontifex.

Respondeo, à veritate non abhorrere quod scriptæ fuerint post Concilium Constantiense: falsum autem id esse, quod tum Ecclesiæ præfuerit vnus duntaxat & indubitatus Pontifex,& ex consequenti, quod nullum eo tempore schisma fuerit: Quia notum est ex historijs post Concilium, superstitem adhuc fuisse Antipapam Benedictum XIII. qui in Hispanijs pro Summo Pontifice habebatur: post quem etiam schisma perseuerauit in Antipapa Clemente VIII. cuius tempore Gerson è viuis excessit.

Itaque quando Gerson Considerationes illas scripsit, non vnus, sed duo erant Summi Pôtifices.Insuper ab illo tempore,quo decretũ illud, cuius Gerson mentionem facit in Consideratione octaua,sancitum fuit vsque ad creationem Papæ Martini V. intercesserunt saltem anni duo & semis: quia decretum illud statutum fuit, Session. 4. anni 1415. sub finem Martij. Papa Martinus verò creatus fuit Anno 1417. mense Nouemb. durante adhuc Concilio. Vnde fieri potest, imò admodum probabile est, Gersonem scripsisse considerationes suas post illud decretum, & ante creationem Martini, quo tempore tres erant Summi Pontifices: nam propterea Gerson in illa duodecima Consideratione loquitur de concordia ineunda, vt clauium abusioni resisteretur: nec sibi mutuo impedimento essent, quemadmodum multi tum faciebant.

Fol.58. pag.2. Cùm dixissem duodecimam Consideratioẽ, quæ agit de concordia ineunda, vt resisteretur abusioni clauiũ,magnoperè temporibus Gersonis congruisse, quo schisma de medio tolleretur: sed hoc tempore similia proponere potius causam præbere posse nouo schismati. Fr. Paulus respondet, hoc dici non posse, nisi ab eo, qui velit doctrinam sancti Gregorij *Can.Admonendi.2.quæst.7.* schismatis causam esse.Sed profectò fallitur, quia sanctus Gregorius in illo capitulo nihil aliud docet, nisi æquum non esse ita superiori se subijcere, vt ei etiam peccatum manifestè præcipienti, obtemperetur; quæ doctrina vniuersalis est, nec potest non prodesse, sed quo tempore populus aliquis cum totius mundi scandalo Christi Vicario parere recusat, eidem populo lingua etiam vulgari proponere necessarium esse, vt simul omnes conspirent ad resistendum abusioni clauium: & si humilis diligentia nihil proficiat, magno animo, ac virili libertate obsistere oportere: quid aliud est, quam classicum canere ad animos ad schisma accendendos?

SECVNDVM OPVSCVLVM.

FOl.59. transit Fr. Paulus ad defensionem secundi Gersonis opusculi, & paucis verbis multa contra me profert, quibus tamen vnico tantum verbo sufficienter respondetur,nimirum, *Negatur:* Nam omnia falsa sunt,& nullis rationibus innituntur.

Dicit primo: In illo secundo opusculo plurima fuisse, quæ demonstrarent iustitiam causæ Reipublicæ Venetorum, quæque ego dissimulauerim. Respondeo: Me nihil omninò eo in opusculo in fauorem Reipublicæ reperisse, quod si forsitan talia ibi sunt, gratias mihi potiùs agere debuerat Fr. Paulus, quod ea non refutauerim.

Dicit secundo: Me Gersonem reprehendere, quod seueriori quam par erat censura notauerit verba Commissarij Apostolici, cum eadem in bonum sensum accipere potuerit: & quod recordari debueram, me in prima responsione verba Gersonis in peiori sensu semper interpretatum esse. Et vbi Gerson se declarauerat, me, dissimulata declaratione, in sensu malo iam distincto Gersoni me opposuisse. Respondeo: Fratrem Paulum se modò nimis biliosum ostendere, & penè rigidiorem verborum meorum censorem, quàm Gerson fuerit verborum Commissarij: Sed lectores iudicabunt, vter nostrum sinceriorem veritatem adferat, & iam demonstratum est omnia hæc, falsas esse calumnias. Quandoquidem ego tantùm monui Gersonis verba in hoc sensu accepta nocere posse: sed Gerson tam perperam interpretatus est simplicia verba Commissarij, vt tandem etiam dixerit illum in iudicium vocandum, ac ad sanctæ inquisitionis tribunal accersendum, de fide interrogandum, atque cogendum esse, vt declararet, vel retractaret, quod dixerat, si verò pertinax fuisset sæculari potestati, ad mortem tradendum esse. Quis verò vidit vnquam huiuscemodi furorem præsertim contra publicum sanctæ Sedis Apostolicæ ministrum? idque nō aliam ob causam, quam ob dictum aliquantò arrogantius.

Dicit tertio: Me, vbi confiteri cogor doctrinam Gersonis absolutè veram esse, comperisse tamen illam in aliquem iniuriosam esse. Respondeo Fr. Paulum cum similia dicit, nimis se ab amaritudinis felle corripi sinere: nam vbicumque doctrinam Gersonis veram esse animaduerti, non erat, cur cogerer ad id fatendum, sed tamen liberè id statim fassus sum, maximè cum ab initio affirmauerim, Gersonem virum fuisse insignis eruditionis ac pietatis, ac propterea mirari non debebam, si in ipsius doctrina sententias veras reperirem.

Dicit quarto: Me facta quadam temporum transpositione finxisse, credere me Gersonis opusculum ante Concilium Constantiense scriptum fuisse. Respondeo, neutiquam me finxisse, credere opusculum illud ante Concilium Constantiense scriptum fuisse: imò verò credidisse scriptum id esse tempore schismatis, quemadmodum dixi, & euidentibus rationibus confirmaui.

Dicit quinto. Me malè locutum esse, cùm dixi calumniam illam, qua Gerson verba Commissarij Apostolici notauit, accommodari etiam posse verbis S. Gregorij, & monet me potius vti debuisse, interpretationis, quàm calumniæ voce, quæ quidem S. Gregorio non videatur conuenire. Respondeo omninò non conuenire calumniari verba sancti Gregorij, sed æquum esse illos reprehendere, qui alicuius verba calumniantes, occasionem præbent, vt asseratur, verba etiam sancti Gregorij eo pacto calumniari posse, quod certè nullo pacto decet.

Dicit sexto. Sententiam S. Gregorij, cùm dicit sententiam Pastoris etiam iniustam à subdito timeri oportere, non intelligi tantum de sententia iniusta, sed valida, sed vniuersaliter, siue valida, siue inualida sit: quia *timenda*, non significet, *seruanda*, sed *temerè, vel superbè non contemnenda*. Hoc autem idcirco dicit, vt probet sententiam illius Commissarij non esse similem sententiæ S. Gregorij, quia S. Gregorius tantum dicit, *timenda est*, sed Commissarius, *timenda & seruanda est*.

Respondeo. Veram expositionem illius sententiæ sancti Gregorij non esse, vt *timenda*, significet, *non superbè contemnenda*, sed illam, quam nos attulimus in responsione ad septimam considerationem, nimirum S. Gregorium loqui de sententia iniusta, sed valida, quæ *timenda & seruanda est*, quemadmodum inquit Commissarius: & hoc probatur ex Glossa Can. *Sententia Pastoris*. 11. *quæst*. 3. quæ dicit. *Timenda est, nisi in duobus casibus, scilicet cùm sententia est post appellationem lata, & cùm continet errorem intolerabilem.* Si vera esset opinio Fr. Pauli, quod scilicet *timenda*, significet, *non superbè contemnenda*, sequeretur in his duobus casibus, in quibus timenda non est, superbè contemnendam esse, quod nemo concedet, nec ipse quidem F. Paulus. Addo etiam, quod Can. *Cui est illata*. Vbi Gelasius Papa dicit: *Si sententia iniusta est, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum, vt eius Ecclesiam neminem poterit grauare iniqua sententia.* Verba illa, *curare non debet*, tantum significant, quantum *timere non debet*. Et quia hic Canon videtur contrarius verbis S. Gregorij: respondetur communiter S. Gregorium loqui de sententia valida quamuis iniusta. Gelasium verò de sententia iniusta & inualida. Et hinc Syluester verbo, *Excommunicatio*. 2. num. 1. Sanctum Gregorium exponit de sententia valida, vel nulla, quando non est nota illius nullitas, nam quando manifesta est, dicit sententiam, nec seruari nec timeri debere. Et vt cæteros Doctores prætereamus, audiat Doctorem Nauarrum in *Manuali* cap. 27. num. 3. vbi citat Canonem. 1. 11. q. 3. *Sententia Pastoris timenda est etiam iniusta.* & dicit: *Vbi Glossa & vbique Doctores apertè dicunt valere, ac ligare excommunicationem iniustam, & differre ab ea, quæ est nulla. Iniusta verò inualida, seu nulla, nihil aliud operatur in foro interiori, neq; exteriori, quàm quod obliget excōmunicatum ad seruandum eam, quoad populus sibi persuadeat causas nullitatis, ad euitandum scādalum.* Ex his noscat Fr. Paulus secundùm omnes Doctores Sanctum Gregorium loqui tantum de sententia valida, vel inualida, cuius inualiditas nota non est, non autem de omnibus generatim, quemadmodum ipse dicebat. Noscat etiam Nauarrum, vt & supra Syluestrum dicere sententiam validam, vel inualidam, sed non manifestè inualidam seruandam esse, quemadmodum dicebat Commissarius, & non solum timendam, vti aiebat Gerson. Sed

F. Paulus

Fr. Paulus ad defensionem expositionis suæ citat formalia verba S. Gregorij hom. 26. *Is autē, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel iniustè, nec Pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne si iniustè ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa qua non erat fiat.* Ex quibus verbis perspicitur Sanctū Gregorium opponere verbo, *timeat*, verba illa, *temere reprehendat:* & *tumida reprehensionis superbia:* Et sic aliud nihil erit timere excommunicationem quam temerè & superbè illam non reprehendere. Citat prætereà compilator Canonum, qui cap. *Si Episcopus.* 11. q. 3. sic inquit. *Gregorius non dicit sententiam iniustè latam esse seruandam, sed timendam: sicut & Vrbanus. Timenda est ergo, id est, non ex superbia contemnenda.* Respondeo S. Gregoriū non declarare, sed adiungere: cum enim dixisset excommunicatum, sententiam Pastoris etiam iniustam timere debere, adiungit, etiam illi cauendum esse, ne iudicium Pastoris temerariè reprehendat: nam sunt nonnulli qui timent & seruant excommunicationem, sed ita timent, vt interim de superiore murmurent, & iudicium eius superbè reprehendant: ad hos autem dicit, quamuis ante culpabiles non extitissent, propter superbam tamen & temerariam reprehensionem Pastoris culpabiles fieri. Vbi sciendum est fieri posse, aliquem nullius culpæ verè reum esse, & nihilominus sententiam in foro externo timeri & seruari debere, vel quia inualiditas non sit manifesta, vel quia probata fuerit culpa, ipse verò innocentiam suam probare non potuerit, quemadmodum sæpè accidit.

Ad secundam citationem respondeo Glossam Compilatoris contrariam esse textui: cum dicit, *sicut & Vrbanus*, quia Vrbanus Papa in Cap. *Quibus Episcopi.* 11. q. 3. apertè præcipit, vt excōmunicatio etiam iniusta seruetur. *Quibus*, inquit, Vrbanus, *Episcopi non communicant, non communicetis; & quos eiecerint, non recipiatis. Valde enim timenda est sententia Episcopi licet iniustè liget.* Declarat Vrbanus Papa, timendam esse sententiam licet iniustam non communicando cum excommunicatis. Quid autem aliud est non communicare cum excommunicatis, quam excommunicationem seruare? Cōpilatur igitur, qui dicit, *timēda est, non seruanda*, contradicit ac Vrbanus Papa, & ex consequenti errat in intelligentia Canonis S. Gregorij: quia duo hi Canones idem decernunt; & vnus alterum imitatus est.

Fol. 60. agitur de secunda defensione Commissarij Apostolici contra accusationem Gersonis: & quia dixeram illa Commissarij verba. *Nostra sententia licet iniusta, & seruanda & timenda sunt:* credibile esse intelligi debere tantùm de sententijs excommunicationis, non de sententijs, quæ præcipiunt aliquid faciendum; Et si de sententijs excommunicationis intelligantur Commissarium rectè locutū esse. Quia tales sententiæ dum timentur, seruantur, cum vero non seruantur, non timentur.

Reprehendit Fr. Paulus me locutum fuisse conditionaliter, quasi factum fuisset dubium, & affirmat Commissarium intelligi debere de sententijs quæ præcipiunt aliquid faciendum

A sub pœna Excommunicationis. Respondeo quòd quando legere cœpi hanc Fr. Pauli replicationem, opinatus sum eum optimè nosse factum quod ego me nescire fateor, quia Gerson illud non declarat, sed solum adfert illa verba quæ ei digna videbantur censura in aliquo processu Commissarij Apostolici, cùm ne indicet quidem, de qua materia tractaretur in illo processu. Postea vero attentius perpendens singula ipsius Fr. Pauli verba, reperi tantundem illi huiusmodi factum notum esse, quā mihi, qui de eo nihil penitus sciam. Refert quidem circa annum Domini 1399. in Francia decreta quædam emanasse tempore Caroli VI. quibus vetabatur ne admitterentur Bullæ ex Romana Curia venientes, quoad reseruationes & gratias expectatiuas. Deinde ostendit
B opusculum hoc Gersonis compositum fuisse tempore Papæ Martini. V. post annum Domini 1418. atque ex his duobus principijs colligit hunc Commissarium à Summo Pontifice missum fuisse, vt præciperet executionem alicuius expectatiuæ. Sed perspicere non possum quomodo concludat hæc ratio: nisi adiungatur, Sūmum Pontificem in regno tam amplo, cuiusmodi est regnum Franciæ, nullum aliud negotium tractandum habuisse, quàm de expectatiuis beneficiorum: nam si habebat, quēadmodum sine dubio credendum est mille alia negotia habuisse, & solum dicitur profectum esse in Franciam quēdam Commissarium: quis diuinare queat quid facturus fuerit? Prætereo valdè verisimile esse, in verbis Commissarij de sententia Excommunicationis sermonem fieri,
C quādoquidem de illa dici solet quod timeri debeat, quamuis iniusta sit, & non de alijs sententijs. Ex his quæ dicta sunt colligitur etiam certum non esse, imò nec verisimile quidem, quod F. Paulus paulò post affirmat: nimirum sententias Commissarij aliquid manifestè iniustum præcepisse, iuxta Gersonis sententiam: nam cum nesciatur qua de re latæ, nec quales illæ sententiæ fuerint, nil certi de illis affirmare potest.

Omitto nunc id quod sub finem Fr. Paulus adiungit, de libertate Ecclesiæ Gallicanæ, cum mihi propositum non sit, aliquam materiam tractare, sed manifestare tantum falsitates & calumnias Fr. Pauli, quibus contra mea scripta vtitur.

D Reliquum igitur est, vt quemadmodum in alijs responsionibus feci: conuertam me ad Serenissimam Rempublicam Venetam, & illi ea proponam consideranda, quæ præ cæteris ei cordi esse debent: quod facio confidenter, quia cōscientia mea mihi testis est, me semper propensissimum fuisse, ac optasse gloriam, exaltationem, & veram fœlicitatem tam antiquæ & nobilis Reipublicæ. Moneo illam igitur, vt memor religionis ac pietatis maiorum suorū, & propterea illam terra marique Deum prosperauisse, & eius libertatem longiori tempore, quàm vllius vnquam alterius Reipublicæ conseruasse, eandem religionem & pietatem conseruare studeat, nec permittat eam sibi auferri àb ijs, qui nihil aliud quam hoc ipsum se cupere ostendunt. Consideret quinām sint illi, quorum hoc tempore consilijs vtitur, & inueniet

eos non esse cæteris obseruātiores Religiosos, neque cæteris meliores Sacerdotes, neque cæteris celebriores Theologos, qui sint in Ecclesia, vt interim ad magis specialia de ijs mihi atque alijs optimè nota non descendam. Consideret tales fuisse Consiliarios, qui vniuersam Germaniam euerterunt. Consideret signa, quæ intentionem illorum manifestant, & videbit quem ad finem aspirent. In hac sua Apologia Fr. Paulus non semel sed secundò dicit, Mundum à multis iam annis pro reformatione abusum suspirare, sed illuc peruenire non posse. Hęc autem sunt verba illius fol. 13. pag. 2. [Verè summa laude digni sunt Pontifices, qui abusus in rebus Deo prohibitis tollere studebant, quibus permanentibus fieri non potest vt homo salutem consequatur: Et Mundus tot iam annis hanc reformationem expetit, & semper spe sua delusus fuit.] Et fol. 58. pag. 2. Hæc autem duodecima consideratio prodest ad tollendos abusus in Ecclesia Dei, quod tot iam sæculis à fidelibus cupidissimè expetitum fuit. Quid verò hæc significant? Quid prætexit Fr. Paulus his verbis? Scio quidem hæreticos horum temporum nihil aliud frequentius in ore circumferre, quam abusus Ecclesiæ Romanæ, & quod sperauerint à Concilio Tridentino reformationem aliquam, sed decepti & elusi fuerint. At si penitius inquiratur, qui sint hi abusus, inueniemus, illos abusum existimare Sacrificium Missæ, Cælibatum Sacerdotum, Vota monastica, Ieiunium Quadragesimale, Inuocationem Sanctorum, Suffragia pro Defunctis, Venerationem imaginum, atque his similia, quæ illi tanquam abusiones de medio sustulerunt. Nec mihi respondeat Fr. Paulus Theologos Venetos his de rebus non loqui: nam non omnia statim fiunt. Nec etiam in Anglia de his vllus erat in principio sermo. Satis est querimonias illas de abusibus, quibus stantibus homo saluari nequit, easdem esse, quibus semper vsi fuerunt, & nunc vtuntur hæretici. Abusus etenim circa mores quos Catholici notant & reprehendunt, non sunt eiuscemodi, vt salutem impedire queant. Quando autem Fr. Paulus dicit, hominem his abusionibus stantibus non posse saluari: & huiusmodi abusiones multis iam sæculis perdurasse, neç adhuc etiam tolli, quid aliud indicare vult, quam talem esse hoc tempore statum Ecclesiæ, vt nemo salutem consequi valeat? Sed hoc falsum esse inde liquido constat, quod in omnibus sæculis, Ecclesia Romana, non obstantib. abusionibus, Sanctos & miraculis & vitæ integritate gloriosissimos habuerit.

Consideret præterea Serenissima Respublica Fr. Paulum & cæteros Theologos, qui Venetijs scribunt: aliud nihil quærere, quam vt potestatem Ecclesiasticam ad purum & simplex ministerium docendi verbi Dei & administrandi Sacramenta redigant, quemadmodum specialiter Fr. Paulus docet in Apologia sua fol. 56. Quid autem aliud semper expetierunt & expetunt horum temporum hæretici? Quodnam signum hoc est? quis scopus horū Theologorum? Dicit Fr. Paulus fol. 58. pag. 2. Multas Prouincias & regna ab Ecclesia Romana desciuisse, non aliam ob causam, quā quod Romani Pontifices rebus temporalibus se immiscere voluerint. Quid hæc verba significent; & quænam sint hæ res temporales ex illis discere possumus, quæ ab ijs prouincijs & regnis quæ ab Ecclesia Romana discessēre, gesta sunt, nam potestatem omnem Ecclesiasticis de facto abstulerunt: relinquentes ei tantummodo ministerium prædicationis & Sacramentorum: & Principes sæculares se constituerunt Dominos bonorum ac redditiuū Ecclesiæ, & arbitros Religionis, quæ sæculis præteritis omnino inaudita sunt. Ad hunc scilicet statum Fr. Paulus redigere Venetijs vellet Ecclesiasticos: ac forsitan hac de causa in principio sui libri posuit imaginem Christi, digito Regna mundi se nolle ostendentem, & dicentē: ***Regnum meum non est de hoc mundo:*** Quo F. Paulus satis indicat se cū suis esse velle de hoc mūdo: & quia Regnum Christi nō est de hoc mūdo, nihil rei sibi cum illo & cum Vicario illius esse vult: quasi diceret cum Iudæis: *Nolumus hunc regnare super nos*: Luc. 19. Et, *non habemus Regem nisi Cæsarem.* Ioan. 19. Quanto autem rectius ageret, si de illis esset, quibus Christus dicit: *vos de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo.* Ioan. 15. vel saltem Apostolum audiret dicentem: *debueratis de hoc mūdo exisse.* 1. Cor. 5. Nam tunc intelligeret, quamuis regnum Christi non sit de hoc mundo, quia non accepit auctoritatem suam à mundo, nec eum regit iuxta mundi regulas, nihilominùs *data est ei omnis potestas in cælo, & in terra.* Mat. vlt. Et, *Est Princeps Regum terræ.* Apoc. 1. Et, *Rex Regum & Dominus Dominantiū.* Apoc. 19. &: Atq; hoc pacto Christi Vicarius nequaquā se immiscere vult, vt ait F. Paulus, rebus temporalib. laicorum, neque hæc vera est causa, sed falsus prætextus separationis hæreticorum ab Ecclesia Dei; sed vult conseruare potestatem, quam Deus illi cōtulit Ecclesiā gubernādi, & filios suos, in quorum numero sunt omnes Christiani Principes, ad cœlestem patriam dirigēdi, ac proinde quādo illi aberrant à via salutis, potestate sua abutentes, vel illam vsurpantes, quæ ipsis minimè competit, vult in eos vti authoritate Apostolica, admonens illos officij sui, & quando parere nolunt, virgam arripit: quemadmodum inquit Apostolus: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* & alibi. *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Et hæc sunt arma quæ illi Euangelium subministrat: & quibus vsi semper fuēre illius prædecessores.

Consideret deniq; Serenissima Respublica, non sine mysterio septem Theologos Venetos prætermisisse protestationem à Catholicis hactenus, post Lutheranorum hæreses vsurpatam, vt submitterent scripta sua censuræ S. Romanæ Ecclesiæ, vel Summi Pontificis Romani, sed se contulerunt ad potestatem quandam communem cuilibet hæreticæ sectæ, hoc est, submiserunt se iudicio Ecclesiæ. Septem Theologi in fine tractatus sui sic inquiūt. Submittimus doctrinam nostram iudicio Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ errare non potest. Presbyter Ioānes Marsilius primo capitulo defensionis octo Propositionum protestatur se nolle vlli textui scripturarum Canonicarum,

nec

nec alicui definitioni vniuersalis Ecclesiæ contradicere. Et fol. 86. pag. 2. rursum subijcit doctrinam suam iudicio S. Ecclesiæ quæ errare non potest. Idem protestatur F. Paulus in principio Apologiæ suæ pag. 2. dicens: Quam doctrinam semper iudicio S. Matris Ecclesiæ, quæ errare non potest, subijciam. Valdè suspectum vnicuique videri debet altum illud silentium nominis Romani, & tamen à tempore vsque S. Ambrosij idem erat dicere, Romanus quod Catholicus: sic enim loquitur eximius ille Doctor in oratione quam scripsit in funere fratris sui Satiri. *Aduocauit ad se Episcopum necullam verè putauit nisi vera fidei gratiam, percunctatus que ex eo est, vtrumne cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conueniret.* Quid autem indicat hæc concordia Theologorum Venetorum, quod doctrinam suam Ecclesiæ capiti non submittant? Quid sibi vult hæc noua consensio, vt ad iudiciū S. Matris Ecclesiæ quæ errare non potest, se remittant? Quid eis nocebat dicere, quod iudicio S. Matris Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ se subijcerēt? Hæc profectò bona signa non sunt, ac proinde etiam atq; etiam Serenissimam Rempublicam Venetam admonere non omittam, vt diligenter sibi prospiciat, quo illam hi sui Naucleri perducant: nam si forsitan (quod Deus auertat) effecerint vt naufragium, vt Apostolus loquitur, circa fidem faciant, mirum non erit quod etiam status sui, de quo tantoperè solliciti sunt, iacturam facturi sint.

Precor autem toto cordis affectu diuinam bonitatem, per intercessionem Beatissimæ Virginis Mariæ Angelorum Reginæ, & gloriosi Euangelistæ S. Marci, vt non præualeant vires & astutiæ Dæmonis, nec aperiatur ostium per hæresin, ad vltimam tandem ruinam, tam antiquæ & nobilis Reipublicæ.

RESPONSIO EIVSDEM AVCTORIS.

AD DEFENSIONEM OCTO PROPOSITIONVM.

IOANNIS MARSILII NEApolitani.



DVm responsionem ad Oppositiones F. Pauli Seruitæ scriberem, in lucem prodijt defensio Ioannis Marsilij, qua suas octo propositiones tuetur: Et quamuis plurimi hortarentur me, vt nihil omninò replicarem, nihilominus visum mihi est tribus prioribus capitulis respondere, vt hinc quilibet intelligere posit hæc ipsius scripta digna non esse quibus respondeatur. Præsertim si consideretur, illum defendendum suscepisse librum à grauissimo tribunali vniuersalis Inquisitionis prohibitum, tanquam scandalosum, temerarium, erroneum & hæreticum. Nec solum ausus est tantæ se authoritati opponere, sed etiam dicit lapidari se de bono opere, & similem se facit

A Michex Prophetæ, qui à falsis Prophetis oppugnatus fuit. Fingit etiam se alium esse ab authore octo propositionum, volens hac simulatione semetipsum occultare, nec pro eo, qui est, haberi; cum nobis ex testimonijs fide dignissimis certò constet, authorem octo propositionum esse eum ipsum Ioannem Marsilium, qui nunc se alium esse, atque ex charitate defensionem libelli illius suscepisse fingit.

RESPONSIO AD PRIMVM CAPITVLVM.

IN primo Capitulo septē artificia siue stratagemata proponit, quibus me ad circumueniendos lectores vsum esse affirmat.

B Primum artificium esse dicit: Quod curauerim vt tractatus ille octo propositionum prohiberetur. Ad quod respondeo: Me hanc artem mihimetipsi attribuere nō audere, cum sit ars Ecclesiæ Catholicæ propria, quam à spiritu Sancto didicit; quaque omnibus temporibus in prohibendis scriptis pernitiosis vsa est: Neq; verum est me id curasse, cùm liber ille propriè non fuerit scriptus contra me, sed curarunt illi, ad quos id ex officio spectabat: prohibitus autem est matura consideratione, ac præuio diligenti examine, numerosæ congregationis grauissimorum Theologorum. Si autem Ioannes Marsilius esset adeò Catholicus, quemadmodum se esse profitetur, obtemperaret vtique iudicio S. Ecclesiæ, & illius qui vice Christi eam moderatur.

C Secundum artificium dicit esse, quod sensus propositionum distinguam, & in vno eas concedam, in altero verò reijciam. Vellem respondere, si per artem intelligit astutiam, hanc non esse artem sed sinceritatem: si autem intelligit methodum, dico hanc esse artem optimam. Sed quia distinctiones reijcit, absolutè respondeo: hoc suum esse improbandum artificium, dum vult ambiguè loqui, vt sui quidem complices eum intelligant: at ipse se excusare posit, atque ad alium sensum confugere, quando opus fuerit.

Tertium artificium dicit esse, quod materias confundam. Hæc verò ars tam longè abest à me, vt nullam magis ob causam scripta mea commendentur, quam ob perspicuitatem & distinctionem: sed verè ipse Ioannes Marsi-
D lius se confundit, quandoquidem in secundo meo artificio reprehendit distinctionem: & in tertio redarguit confusionem. Nec vllo in loco reperiet me confudisse potestatem Politicam cum spirituali, sed hæc ipse confundit, dum vult Principem sæcularem legem statuere posse in omni materia: quamuis modò de falsitate conuictus, restringat se ad quandam sententiam, quam in mente habebat *iuxta suum finem.*

Quartum dicit in eo consistere: quod affirmem Ioannem Marsilium auctorem octo propositionum non esse bonum Logicum, & primas quinque illius propositiones nihil ad rem propositam facere: & quod Lectores idcircò id moneam, ne illas considerent, & ijs ab-

surdum videatur ex illis quinque tres vltimas inferri.

Respondeo tam verum esse, vt hoc sit artificium quam verum est Ioannem Marsilium bonum esse Logicum. Locus vbi Logicam Ioannis Marsilij admiror, extat in discursu primę propositionis: cum respondeo ad hæc sua verba. [Sequitur Apostolus & dicit. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ecce auctoritas qua Principes pollent decernendi legem in omni materia, & quæ omnes personas obliget.] De his verbis dixi hanc esse Logicam mirabilem, quæ conclusiones inde eruat, vbi nõ sunt. Aristoteles autem sic argumentaretur: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: sed non licet Dei ordinationi resistere, ergo non licet potestati resistere. Sed qui vellet argumentari vt facit Ioannes Marsilius & dicere: Qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit: ergò Princeps sæcularis potest constituere legem in omni materia, quæ omnes etiam personas obliget: ab Aristotele profectò extra scholam foras eijceretur, tanquam inhabilis & minimè idoneus ad perdiscendam Logicam: nam in hoc argumento nullum inuenitur medium ad coniungenda extrema necessarium. Et qui argumentum illius in formam syllogismi redigere velit, non tres tantùm terminos, quot esse debent ad conficiendam argumentationem, sed quatuor inueniret. Quod autem quinque primæ propositiones non sint præmissæ, ex quibus tres vltimæ deduci possint, manifestum est, quamuis enim quinque illæ propositiones concederentur, rectè nihilominus negari posset consequentia, si quis ex illis sextam inferret, cum cæteris duabus. Princeps enim sæcularis non potest punire Ecclesiasticos, cum ita sint exempti, vt nullus Princeps derogare possit huic exemptioni, quemadmodum demonstratum est ex omnium Doctorum consensu. Nec quicquam interest, an Princeps potestatem suam immediatè habeat à Deo, an mediante consensu humano: nec etiam interest, an Christus exercuerit in terris potestatem Regis temporalis, an non: neque an Christus Summo Pontifici Regnum Mundi contulerit an non: nec, an Summi Pontificis potestas sit merè spiritualis, an etiam temporalis: nec an Ecclesiastici exempti sint iure diuino, an iure humano: Et idcirco rectè dixi, priores illas quinque propositiones, omninò extra propositum adductas esse: & Ioannem Marsilium Logicam ignorare, vel vt melius cum Apostolo dicam, nescire quid dicat, quaue de re loquatur.

Quintum artificium dicit esse, quod typographicos quosdam errores notauerim, eosque auctori tribuerim. Vt exempli causa in numero Innocentij, typographus vnicum I. omiserat & impresserat, Innocentius III. pro Innocentius IV. & ad illa verba. *Sunt enim ministri* DEI, typographus adiunxerat, *ad tributa.*

Respondeo hanc artem esse Ioannis Marsilij, ignorantiam scilicet suam in typographos conijcere: cum in textu Ioannis Marsilij non legatur Innocentius III. sed verbis absolutis, Innocentius Tertius: quod fieri non potuit vnius I. adiunctione: & similiter verba illa, *ad tributa*, à typographis adiungi non potuerunt, qui potius aliquid per inaduertentiam omittere quam adiungere solent.

Sextum dicit esse: quod multis vtar suppositionibus, quas non probem, sed tanquam vera, cum tamen vera non sint, supponam. Ad hoc respondeo: verum non esse me quicquam supponere, præter illa in quibus omnes Doctores Catholici consentiunt; aut quæ iam ab Ecclesia determinata sunt. Debebat autem Ioannes Marsilius locum aliquem particularem adducere, vbi quid falsi pro vero supposuissem.

Septimum dicit esse: quod sæpius auctores prohibitos citem, addamque hæc verba: videtur mihi placuisse auctori hæc illorum opinio: Et videtur is mihi renouare opiniones hæreticorum.

Respondeo me magno etiam empturum, vt ea quæ dixi, vera non essent: sed hæc ipsa recentia scripta Ioannis Marsilij, veluti etiam Apologia Fr. Pauli nimis apertè confirmant, renouare ipsos hæreses Marsilij Patauiensis, & Lutheranorum: Quando autem dixi auctori octo propositionum, hoc est, Ioanni Marsilio placuisse errorem Marsilij Patauini, id probaui auctoritate Ioannis Papæ XXII. quam refert Cardinal. Turrecremata. Conqueritur deinde Ioannes Marsilius, me lacerare nomina Principum, quibus ipsi etiam Summi Pontifices magna olim cum reuerentia loquebãtur, quosque honestissimis titulis decorabant. Ad quod respondetur, hoc esse insigne figmentum ac mendacium, quia semper de Principibus admodum reuerenter locutus sum, potissimum verò de Republica Veneta: appellans eam, vt passim videre licet, Serenissimam, Nobilissimam, Prudentissimam, & Antiquissimam. Itaque rectè concludi potest. Septem artificia siue stratagemata, quæ Ioannes Marsilius adfert, nõ esse mea stratagemata, sed figmenta & mendacia Ioannis Marsilij: dico autem mendacia, quia cum optimè nosset Ioannes Marsilius quam prorsus artificia & stratagemata meo ab ingenio sint aliena, contra propriam conscientiam hoc primum capitulum scripsit.

RESPONSIO AD SECVNDVM CAPITVLVM.

IN secundo capitulo respondet Ioãnes Marsilius ad duo quæ in procemio scripti mei obieci. Prima obiectio est: Quod Venetijs libri contra Concilij Tridentini formam, & constitutiones sess. 4. imprimantur. Respondet Ioannes Marsilius, primò me vsum fuisse nimis magna hyperbole, cùm dixerim, quotidiè libellos erroribus refertos in lucem prodire. Secundò dicit, multos etiam pios libros sine nomine legi, imò sacram Congregationem super Indice declarasse, nomen auctoris, humilitatis aut aliam iustam ob causam omitti posse. Ad primam eius responsionem dico, non esse eam adeo magnam hyperbolem, vt ipse vult, si quis perpendat die quodam Romæ comparuisse libellum quendam, qui Gersonis considerationes, atque Epistolam in ipsius libelli initio habebat

ſcandaloſam,non modo ſine impreſſoris, loci, & approbationis mentione,ſed etiam cum figmento,quaſi Pariſijs is conſcriptus eſſet: Die verò ſequenti aut paulò ſerius alter libellus octo Propoſitionũ ſimiliter ſine nomine & approbatione in conſpectum prodij: Quique tales fuerunt, vt ſtatim prohiberi meruerint Romæ, Mediolani atque in alijs Italiæ locis,ac demum etiam in Hiſpania.Quod ſi periculum hoc non indicaſſem,abſque dubio mos hic perſeueraſſet. Ad ſecundam reſpondeo; parum aut nihil excuſari poſſe auctorem octo propoſitionum,quod verba ſacræ congregationis in Indice,titulo de Impreſsione librorum,parag. primo ſint hæc. *Quod ſi iuſtam aliquam ob cauſam, tacito nomine auctoris, Epiſcopo & Inquiſitori liber edi poſſe videatur, nomen illius omnino deſcribatur, qui librum examinauerit, aut approbauerit.* Ecce conditiones,quibus permitti poteſt,vt liber aliquis ſine auctoris nomine excudatur: Oſtendat nunc Ioannes Marſilius ſe nomen ſuum in libello octo Propoſitionum de Epiſcopi & Inquiſitoris licentia celaſſe: monſtret in eo libro nomen illius qui ipſum examinauerit & approbauerit,ac tum denique ſe excuſet.Sed nos certi ſumus nec Epiſcopum nec Inquiſitorem huiuſmodi licẽtiam conceſsiſſe: quod autem is liber nomen approbatoris & examinatoris nullum habeat,cuilibet eum inſpicienti patere poteſt.

Pergit deinde Ioannes Marſilius in eodem capite, exiſtimans nimirum ſe de aduerſario iã victoriam & triumphum retuliſſe, ſuaſq; concinit laudes, dicens. [Eſt quidem clauis hic libellus, ſed non aperit, vt D.Cardinalis ait, imò claudit oſtium hæreſibus, quia videor mihi perſpicere, Fabrum huiuſmodi clauis eam elaboraſſe in camino charitatis ſuæ &c.] Huic commendationi quam auctor ſibimetipſi tribuit, iudicium vniuerſalis Inquiſitionis Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ opponitur, quo libellus iſte tanquam peſtifer prohibitus fuit. Et quia poſt tantæ auctoritatis iudicium auctor errorem ſuum non agnoſcit, quin imò magnificat & laudat: quilibet Catholicus æſtimare poteſt, quanta ſit iſtius arrogantia, qui nobis antea perſuadere volebat, ſe humilitatis cauſa nomen ſuum celaſſe.

Adiũgit deinde de interdicto verè dici poſſe,quòd hæreſibus oſtium patefaciat: ſe verò curaſſe, vt oſtium hoc occluderetur. Ad quod reſpondetur, culpam hanc non eius eſſe qui interdictum fert, ſed illorum qui ſua inobedientia cauſam interdicti ferendi præbet: alioqui omnes illi Summi Pontifices, qui toties interdicta tulerunt reprehendẽdi forent. Modus autem obſtruendi oſtium hæreſibus, quæ ex interdicto prouenire poſſunt, non eſt auctoritatem illius qui interdictum tulit, aſpernari, ſed ſub Vicario Chriſti ſeſe humiliare,& per obedientiam debitam, interdicti cauſam tollere.

Secunda obiectio à Ioanne Marſilio relata eſt: Quòd Venetijs augeſcat inobedientia cum detrimento fidei. Cui reſpondet Ioannes Marſilius, obedientiam quæ ſuperiori debeatur eã eſſe, quæ iuſta præcipiat: hicque longam pertexit diſputationem, dum demonſtrare conatur, Rempublicam non eſſe obligatam parere, in præiudicium ſuæ iuriſdictionis, & cætera.

Reſpondeo, has omnes excuſationes tantum vanas, non ſolidas reſponſiones eſſe: nam ego locutus fui de obedientia, quæ debetur Generali Concilio, quod præcipit, ne libri de rebus ſacris tractantes ſine auctoris nomine, & ſuperioris Eccleſiaſtici approbatione imprimantur. Nec quiſquam dicere poteſt, hoc præceptum non eſſe iuſtum: ideo rectè aſſerui, cum non obtemperetur Venetijs huic præcepto, vtpotè vbi tales libelli imprimi permittuntur, creſcere ibidem inobedientiam.

Ad hoc ſiquidem reſpondere oportuerat Ioannẽ Marſilium,nec ſilentio præterire quod maximi momenti erat, non autem longam digreſsionem, de eo quod nemo quærebat inſtituere. Nec etiam proſunt quicquam ad excuſandam inobedientiam Reipublicæ, quæ D. Cardinal.Baronius in defenſionem S. Ignatij ſcribit: nam Cardinalis non affirmat Sanctum Ignatium non obediuiſſe ſummo Pontifici,ſed tantum dicit nulli ſcriptum reperiri,nec quod obtemperauerit, nec quod non obtemperauerit: vnde credibile eſt etiam quod obtemperauerit.Præterea non excuſat Cardinal. Baronius factum iſtud, ſed potiùs reprehendit, dicens: id ſaltem fuiſſe peccatum veniale, nec eſt auſus dicere mortale propter ſanctitatem perſonæ. Poteſt etiam adiungi, propter hanc fortaſsè cauſam eodem anno Sanctum Ignatium obijſſe, & ſimul cum vita ſedem amiſiſſe, dum vult contra præceptum Apoſtolicum ſuam iuriſdictionem amplificare: Nam Deus ſæpè temporali morte punit peccata venialia ſuorum amicorum; quemadmodum demonſtrat S. Gregor. lib.4.Dialog.cap. 24. Quòd ſi Deus inobedientiam erga Vicarium ſuum,quamuis venialis eſſet, morte puniuit, quo tandem ſupplicio in mortalem inobedientiam animaduertet? Demum videbat Card.Baronius S. Ignatium ſemper vnitum fuiſſe Sedi Apoſtolicæ, nec inueniri ne verbum quidem vllum ab eo ſcriptum in materia non obediendi Summo Pontifici.quin etiam & in vita,& poſt mortem decoratum à Deo multis miraculis, etiam ab Eccleſia vniuerſali pro Sãcto ſemper habitum fuiſſe. Quare neceſſe erat excuſare vt minimùm intentionem tanti Patris. Harum autem rerum nulla inuenitur,quæ materiam præbeat excuſando Ducem & Senatum Venetum. Ad reliqua quod attinet,iam extant libri, qui declarant quam minus æquis de cauſis Sereniſsima Reſpublica præceptis Summi Pontificis non obtemperet: quare in his tempus non teram.

Ad illud verò, quod deinde Marſilius citat ex P. Richeomo Ieſuita, & Cardinal. Turrecremata & Bellarmino iam plenè reſponſum eſt in reſponſione eiuſdem Cardinal. Bellarmini ad ſeptem Theologos Venetos, nec opus erat toties cum tædio Lectorum eaſdem calumnias repetere. Poſtremò cum dicit Ioannes Marſilius reliquam ſe partem proœmij Cardinalis Bellarmini omittere, quia meræ ſint calumniæ & maledicta: lectores ex vtriuſque ſcriptis id facilè iudicare poterunt:

cum

cum nec vllum quidem sit ibi vestigium, vel vmbra calumniæ aut maledicti, nisi forsitan is appellet calumniam vel maledictum, quod respondere quis statuat huiusmodi sibi oblatis libellis, quodque Deum roget, vt eos qui iusto Dei iudicio se iam datos in reprobum sensum ostendere incipiunt, misericordiæ suæ oculis respiciat.

RESPONSIO AD TERTIVM CAPITVLVM.

IN ea, quæ prima est ex octo propositionibus, nimirum Principes sæculares à DEO immediatè suam potestatem habere sine vlla exceptione, duo verba errores manifestos continentia, notaueram: hæc scilicet *sine exceptione*, & *immediatè*. At respondens Ioannes Marsilius probare nititur vtrumque verbum esse verissimum, & vt primum, videlicet *sine exceptione* confirmet, asserit non deesse Doctores Catholicos, qui exemptionem Ecclesiasticorum non esse de iure diuino sentiant: adducitque Medinam, Couarruuiam, & alios.

Sed hæc ipsius ratio nihil omninò probat, quia eo in loco non dixi, nullos esse Doctores qui exemptionem Clericorum non esse de iure Diuino sentiant: sed dixi errorem esse asserere potestatem Principis sæcularis esse sine exceptione. Nam si intelligatur sine exceptione potestatis, hæc opinio hæretica est, quia Princeps Christianus subiectus est Christi Vicario: si autem intelligatur sine exceptione negotiorum & causarum, similiter hæretica est, quia in causis & negotijs merè spiritualibus immiscere nō potest sese Princeps sæcularis: si denique intelligatur sine exceptione subditorum erronea est, quia Ecclesiastici à potestate Principis sæcularis exempti sunt saltem de iure humano: ita etiam quod nullus Princeps illi derogare possit, quemadmodum ijdem authores, quos ipse allegat, fatentur.

Ioannes Marsilius non respondet nisi ad vltimam hanc partem, & quia optimè nouerat se minus etiam sufficienter respondisse, licet aliquot auctores afferat, qui sentiant exemptionem non esse de iure diuino: coarctat suam propositionē, & vult eam ita intelligi: Potestatem scilicet Principum esse à Deo, sine exceptione à Deo, hoc est, Deum neminem excepisse, nec Laicum, nec Ecclesiasticum.

Hæc autem declaratio ex verbis ipsius (vt iacent) in propositione elici non possunt. Et licet demus veram esse hāc declarationem, falsa nihilominus est & erronea propositio, quia contraria est Concilio Lateranensi & Tridentino, & cap. *quamquam de censibus, in 6.* & alijs canonibus, à nobis citatis: quibus magis credendum est, quam paucis auctoribus ab illo adductis.

Deinde probare nititur verbum, *immediatè*, & adducit Nauarrum atque alios auctores, vbi manifestè æquiuocat semper, indicans nescire se quid loquatur. Hoc autem non est mysterium supernaturale, nec res quæ in opinione consistat, sed est omnium Doctorum communis sententia. Et in specie Soti *lib. 4. de iust. & iure, quæst. 4. art. 5.* & Nauar suprà *cap. Nouit. de iudicijs. Notab. 3. num. 41. & 85.* qui auctores maximi æstimantur à Marsilio: potestatem scilicet Politicam immediatè esse à Deo, quoad instinctum naturalem, quem habent homines curandi, vt ab vno aliquo, qui boni communis curam agat, gubernentur: & ex consequenti, semper esse inter homines, & qui imperent, & qui obtemperent.

Hoc asserunt omnes Doctores, quos Ioannes Marsilius citat. At nihilominus verum est, etiam potestatem Politicam principaliter & immediatè sitam esse in multitudine hominū; quemadmodum Nauarrus in loco à Marsilio citato ait: hi autem homines naturaliter liberi sunt, & ex illorum consensu accidit in Magistratibus, vt sint perpetui vel temporanei: absoluti, vel dependentes: & ex hoc ipso etiam fit, Principes potestatem suam habere quidem à Deo, sed mediante consensu populorum, atque idcircò non immediatè à Deo. Quando verò Ioannes Marsilius ita argumentatur: [Omnis potestas à Deo est, ergo potestas Principum immediatè est à Deo.] Respondetur, quēadmodum alibi responsum est, omnem quidem potestatem à Deo esse, sed tamē esse à Deo immediatè, vt Summi Pontificis: aliam verò mediante consensu humano, vt Principum tēporalium, Et cùm replicat Summum Pontificem accipere potestatem suam mediante Cardinalium electione, vt Principes mediante vel electione, vel successione. Respondetur etiam vt alio in loco responsum fuit, Cardinales in eligendo non conferre potestatem, sed personam tantummodò designare, cui Deus potestatem tribuit. At electio aut successio Principum, vel potestatem confert, vel saltem in eos potestatem illam transfundit, quæ ab initio collata est à multitudine hominum, qui cum liberi essent, potestatem suam in vnum aliquē transferre consenserunt: quocirca semper illa potestas à consensu humano dimanat: quod de Summi Pontificis potestate dici non potest.

Quando verò iterum replicat & dicit: Potestatem Principum esse à Deo immediatè, non aliter ac rationalis anima immediatè à Deo in corpus humanum infunditur, licet concurrant etiam dispositiones, quę corpus accommodum reddunt ad illam recipiendam.]

Respondetur: hanc similitudinem applicari posse potestati quam Summus Pontifex à Deo accipit: non autem illi quā accipiunt Principes temporales; quia, vti dictum est, electio Cardinalium personam disponit, vt potestatem à Deo accipiat; non alia ratione (seruata proportione) qua genitores materiam, hoc est, corpus humanum præparant, vt aptum sit, ab anima rationali, quam Deus illi infundit informari: sed electio eorum qui eligunt Principem temporalem, verè potestatem confert, vel certè transfundit in eum potestatem illam, quam populus iam inde ab initio Principi cōtulit: non secus atque agens naturale non modò disponit materiam, sed etiam introducit formam. [Quando autem adiungit, & dicit, me à veritate conuictum fateri, Principum temporalium potestatem esse immediatè à Deo, cum dico, Principes quatenus superiores sunt, potestatem præcipiendi à Deo immediatè habere.]

bere.] Respondeo declarationem illius assertionis statim sequi, nam mox addidi: *hoc est, præceptum obedientiæ immediatè est à Deo:* Itaque dicere Principes, quatenus superiores sunt, potestatem præcipiendi immediatè à Deo habere, nihil aliud significat; quàm Deum statuisse vt superioribus obtemperetur: sed hinc non sequitur: Principem esse Principem immediatè à DEO: aut constitutum esse superiorem illis, vel illis immediatè à Deo. Quòd si Marsilius hæc non intelligit, nihil aliud remedij adferre possum, nisi vt Deum rogem, vt immediatè plus ei luminis largiatur, quàm adhuc est.

A

Post hanc adeo vtilem duorum illorum verborum, quæ erroris arguerat, defensionem, conqueritur, me fabricasse quandam verborum suorum expositionem, ab ipsius intentione alienissimam: & deinde ab eadem, iniuriosa illa epitheta, hæretici, erronei, &c.

B

Respondeo, me non exposuisse ipsius verba, sed in illo sensu quem præ se ferunt, & quem ipse multis verbis declarauit, accepisse. Quare iterum dico, illam propositionem eo in sensu, quo ipse illam declarauit, acceptam esse falsam, erroneam, & aliquatenus hæreticam. Nec dixi ipsum esse hæreticum, sed propositionem esse hæreticam: non enim ignoro, vt aliquis dicatur hæreticus, opus esse vt adsit pertinacia: vt propositio verò sit hæretica satis est, illam esse contra fidem Catholicam. Cùm igitur iniuria personæ propriè fiat, non autem propositioni, sine causa conqueritur, me omnium maximo ipsum conuitio affecisse, nempe quod hæreticus sit. Denique Ioannes Marsilius digito ostendit, vt ipse loquitur, errores quos in scriptis meis se reperisse putat, qui, si rectè numerum eorum supputaui, sunt centum nonaginta. Cæterùm antequam ad illos expendendos accedam volo vt sciant Lectores hunc, qui tot errores in perexiguo meo tractatu se inuenisse iactitat, paulò antè in Epistola quadam Latina, quam Venetijs diuulgauit, sic scribit. *Quis auctor citatur in illo scripto, qui sapiat hæresim? S. Paulus fortasse, vas electionis, Doctor gentium? An sanctus Ecclesiæ Doctor Ioannes Chrysostomus; & Thomas Aquinas?* & post aliquot alios enumeratos: *An illustrissimus Cardinalis Bellarminus malleus hæreticorum? si hos viros Catholicæ Ecclesiæ lumina hæresim sapere dictitatis, scitote malle auctorem octo Propositionum cum ipsis errare, quam vobiscum benè sentire.*

C

D

Omitto nunc quale iudicium de illo ferri possit, qui modo Cardinalem Bellarminum inter Ecclesiæ lumina recenseat, & S. Thomæ, S. Chrysostomo, & S. Paulo annumeret, ac malleum hæreticorum nominet, modò verò mutata sententia asserat illum erroribus adeò refertum, vt in paruo admodum libello centum nonaginta errores insperserit. Hoc tantum illum moneo, cum scilicet protestatus fuerit se malle cum Bellarmino errare, quã cum alijs benè sentire: tenetur aut fateri hos non esse errores, aut ipsos certè sequi.

Fuit non ita pridem in Germania Lutheranus quidam, cui nomen Tilmannus Eshusius: qui librum scripsit de sexcentis erroribus Papistarum, cui ab ipso Bellarmino demonstratum fuit, nõ esse eos sexcentos errores Catholicorũ quos ipse Papistas appellat: sed sexcenta mendacia Eshusij. Eodem pacto qui hæc satis perpendere voluerit, inueniet hos centũ nonaginta errores, quos Ioannes Marsilius notauit, non errores esse, sed centum nonaginta testimonia vanitatis & leuitatis Marsilij. Ita igitur incipit.

[Errat primò, quià cum certissimum sit, duas contradictorias propositiones non posse simul esse veras: ille vtramq; pro veris accipit: nam primò dicit, Principes quatenus superiores sunt, immediatè à Deo habere potestatem subditis præcipiendi. Postea verò tanquam dicti pœniteat, ait: Si Principes sæculares non habent immediatè à Deo potestatem in Laicos, multò minus habent eam in Clericos.]

Respondeo, si Ioannes Marsilius esset egregius is Logicus quantum se facit, sciret vtique eas esse cõtradictorias propositiones, quæ fiũt ex duabus propositionibus, eosdem terminos habentibus, quarum vni addenda est tantum negatio. Quare contradictoriæ non sunt propositiones quas ipse format, cum in vna earũ clara sit limitatio, *quatenus superiores sunt*, in altera verò eadẽ omittatur; & iam superius declaratũ est, sensum prioris hunc esse. Deus scilicet immediatum præceptũ obedietiæ dedisse: & statuisse vt superiores imperent, subditi autem obtemperent. Sensus verò secundæ hic est, Principes & Superiores non habere à Deo immediatè quod sint Principes & Superiores: sed mediante consensu humano: Contradictoriæ autem propositiones secundum veram Logicam essent hæ: Principes quatenus superiores, immediatè habent à Deo potestatem præcipiendi subditis: & Principes quatenus superiores sunt, non habent immediatè à Deo potestatem præcipiendi subditis. Sed hæ, quæ verè contradictoriæ sunt, non reperiuntur in scriptis meis, sed tantum in mente Ioan. Marsilij. Sequitur & dicit.

[Errat secundò: quia confundit duo hæc verba: titulus potestatis, & potestas ipsa: Quæ à se inuicem omninò distincta sunt: nam titulus est conditio sine qua acquiritur potestas: sed potestas, est auctoritas illa, & iurisdictio, quam Deus immediatè Principi, qui titulum illum ab hominibus accipit, confert: quod satis probatum fuit animæ rationalis exemplo; quod idem D. Cardinalis, concedere cogitur, nam pro vero admittit, licet electio Pontificis sit ab hominibus, nihilominus potestatem suam immediate à Deo accipere: ergo à pari, &c.]

Respondeo me nunquam confudisse titulum cum potestate, sed semper distinxisse, nam dixi: Principes potestatem habere titulis humanis, & inde collegi, quod illam habeant mediante consensu humano. Præterea si dicit, me admittere, distinctum esse titulum à potestate, quomodo asserit me duo illa confundere? Verùm ipse certè confundit conditionem sine qua non, cum vera & reali dispositione: atque ostendit se terminos Philosophiæ minimè callere. Dico itaque Summum Pontificem habere potestatem suam ex titulo

diuino, quandoquidem habet illam ex DEI donatione, qui S. Petro, & in illo successoribus illius potestatem contulit gubernandi Ecclesiam.

Principes verò sæculares habent potestatem suam ex titulo humano, quia obtinēt eam ex translatione, qua populi suam potestatem in Principes transtulerunt, quæ in successores per electionem, vel hæreditariam successionem, vel alijs vti supradictum est modis, deriuatur. Pergit Marsilius.

[Errat tertio in eo quod dicit, hæresim esse, affirmare, potestatem temporalem non fuisse à Deo subiectam spirituali: cum nullus extet Sacræ scripturæ locus, nec vlla Ecclesię definitio, quæ doceat Principem vti Principem subiectum esse Summo Pontifici, sed vti Christianum. Quo tempore nullus erat in toto orbe Princeps Christianus, certum est neminem ratione Principatus, Summo Pontifici subiectum fuisse, &c.]

Respondeo: Marsilium sibi fingere verba, quæ in scriptis meis non extant: & deinde sibi etiam fingere interpretationem, qualem nemo alicuius iudicij vnquam somniasset, atque hoc pacto errores fabricare. Nusquam enim dixi Principem quatenus Principem subiectum esse Summo Pontifici. Quod etiam si dixissem, posset nihilominùs illa sententia optimo sensu exponi: nimirum, Principem Christianum subiectum esse summo Pontifici, atque idcirco eius potestatem Summi Pontificis potestati subiectam esse: cum possit & debeat Summus Pontifex Principem dirigere in vsu potestatis suæ. Et in hoc sensu, Princeps Christianus, quatenus Princeps, summo Pontifici subiectus est. Cæterùm quod ratio huiusmodi subiectionis Principum non sit ipse principatus, sed (vt ita loquar) Christianismus, tam clarum est, vt ne infans quidem ea de re ambigere possit: nec ego, nec quiuis alius vnquam dixit rationē subiectionis Principum esse Principatum: sicuti nemo vnquam somniauit, rationem quæ Medicum Christianum Summo Pontifici subijcit, esse artem Medicinæ, & tamen verum est, Summum Pontificem posse, ac debere dirigere Medicū Christianum, vt arte sua ita vtatur, quemadmodum decet Christianum, quod multi ex Summis Pontificibus fecêre, qui medicis sub grauibus pœnis præscripserunt, quomodo erga infirmos se gerere debeant: ca. *infirmitas de pœnit. & remiss.* Idem dici potest de Legum & Theologiæ doctoribus. Quare hic alijque similes, non sunt errores mei, sed vanitates & ineptiæ Ioannis Marsilij. Sequitur.

[Errat quartò: quia cum auctor locutus fuerit tantum de potestate temporali, ille fingit, quasi locutus fuerit de spirituali: dicens, hæresim esse, asserere negotia spiritualia subiecta esse Laicæ potestati: de quo quis dubitat?]

Respondeo, Si Ioannes Marsilius volebat, vt de his meis erroribus ei fides adhiberetur, oportebat vt textum ipsum scriptionis meæ omitteret; vnusquisque enim qui eam legat, imposturas illius facilè animaduertet. In prima propositione sub initium, cum nihil ad-

A huc Ioannes Marsilius de potestate temporali, aut spirituali dixisset: ait, Principem temporalem habere potestatem immediatè à Deo sine vlla exceptione. Ego autem hanc propositionem examinans, distinxi sensus quos habere posset: & dixi, si verba illa *sine exceptione* intelligantur de negotijs, hæreticum esse: cum negotia spiritualia secundum Fidem Christianam ad Laicos non pertineant. Quæ est hic fictio? qua ergo de re conqueritur Marsilius? Sequitur.

[Errat quintò. Quia dicit, si Princeps aliquis interrogetur quo iure regnum possideat: non responsurus est, iure diuino: sed iure hæreditario aut iure belli? Ex quo infert; ergo non habet potestatem immediatè à Deo. Ego verò dico, illum non eo pacto responsurum esse. Sed ei qui ab illo quærat, à quo potestatem & authoritatem subditis suis præcipiendi habeat; respódebit se immediatè à Deo illam habere: Ei verò qui interroget, à quo habeat titulum, siue inuestituram illius potestatis: respondebit, se ab hominibus habere. Non debent confundi duo hæc inter se diuersissima, potestas scilicet & titulus. Auctor enim, vt ex verbis illius patet, non loquitur de titulo, qui est mera quædam conditio: sed de potestate, de auctoritate, de iurisdictione, quæ est à Deo. Et quis ignorat, quod si Rex Franciæ interrogetur (vt exemplo D. Cardinalis insistam) cur reum supplicio afficiat, cur leges ferat quæ in conscientia obligent: responsurus non est, id se ex hæreditate facere: sed dicturus, se auctoritatem illud agendi à Deo immediatè habere; quia hæreditas non confert potestatem, sed tantum conditionem quandam quæ necessario inesse debet homini, vt Deus immediatè illi tribuat auctoritatem.]

Respondeo. Ioannem Marsilium nescisse responsionem meam ad propositam interrogationem refellere ac confutare: quamuis dixerit: & ego etiam dicam non ita Regem respósurum esse: sed mutauit interrogationem, atque hac ratione responsionem diuersam attulit iuxta vsum Logices suæ. Veruntamen errores tantum numerare animus est, quos paucis hisce in verbis, commisit. Errat 1. quia vt confutet responsionem, mutat propositionem. Errat 2. quia dicit Principem immediatè à Deo potestatem suam habere, cum euidentissimum sit, nō modò ex prædictis, sed etiam ex omnibus historijs, Principes potestatem accepisse ex consensu multitudinis, & non raro etiam ex vsurpatione & violentia, quemadmodum Nemroth & alij, quamuis postea per consensum populi, facti fuerint legitimi. Errat 3. cum dicit titulum esse meram conditionem, quod falsum est, imò est vera causa & fundamentum potestatis. Errat 4. nam dicit se permanere velle in exemplo Cardinalis: & tamen adfert exemplum valdè ab illo diuersum: quia Cardinalis attulerat exemplum de possessione Regni, interrogabatque, quo iure talis regnum possideret, & respondet, ipsum dicturum non esse, possidere se illud iure diuino, sed iure successionis, aut iure belli: At Ioannes Marsilius exemplum adducit de vsu potestatis, interrogatque

cur Rex Franciæ reum supplicio afficiat, & idcircò ad hoc responderi non poterat, propter hæreditatem, sed quia habet eam potestatem. Errat 5. quia dicit: hæreditatem non conferre potestatem, sed esse conditionem quæ necessaria est, vt insit homini, vt Deus immediatè illi tribuat potestatem.

Errat, inquam, quia hæreditas non est conditio, sed ipsum Regnum, quod ideo dicitur hæreditarium. Errat præterea, quia qui habet Regni hæreditatem, non opus habet, vt Deus illi conferat potestatem, nam mox vt est hęres Regni, est Rex, & potestatem regiam obtinet. Sed reuertamur ad errores ab illo notatos. Sequitur.

[Errat sextò: quia dicit, Principem non habere sibi subditos omnes qui in ipsius dominio sunt, immediatè à Deo: Sed Summum Pontificem, subditos sibi habere immediatè omnes Christianos. Ego autem credo, auctorem optima logica vsum fuisse, quamuis aliter D. Cardinalis existimet. Puto etiam illum probè sciuisse, correlatiua esse simul natura. Quare si potestas præcipiendi est in Principe Laico immediatè à Deo, obligatio etiam Subditorum vt Principi suo obtemperent, erit immediatè à Deo. Nam quemadmodum nemo fit Princeps nisi per hæreditatem aut electionem; ita nemo fit Pontifex nisi prius à Cardinalibus eligatur: Quemadmodum igitur character baptismalis hominem in spiritualibus Summo Pontifici subiectum efficit, ita nasci, aut scelus aliquod perpetrare in dominio Veneto efficit, vt quis subditus sit Reip. Venetæ.]

Respondeo, Ioannem Marsilium perperam referre verba mea: nunquam enim dixi Principi subditos non esse omnes qui in illius sunt Dominio: sed Principi non esse subditos Ecclesiasticos existẽtes in illius Dominio. Quare frustra principium illud Logices adducit, correlatiua esse simul natura, quia correlatiua nõ sunt, Principes & Ecclesiastici in dominio illius commorantes. Probandum enim fuerat Ecclesiasticum in dominio habitantem, esse subditum Principis eiusdẽ dominij; quo probato rectè inferretur, Principem & Ecclesiasticum ei subditum esse correlatiua. Nec alicuius est momenti ratio illa, nimirũ is qui nascitur in aliquo dominio, aut flagitiũ aliquod in eo cõmittit, subditus est Principi illius dominij: quia hæc ratio in illos tantum concludit, qui non sunt exempti: sed in eis qui exempti sunt, nihil concludit. Atque idcirco Ecclesiastici, quamuis in Dominio Veneto nati sint, aut flagitium aliquod perpetrent, non sunt tamen subiecti Duci, aut alijs Venetorum Magistratibus, quia exempti sunt: exemptio autem vana foret, si propter natiuitatem, aut flagitium perpetratum essent subditi: cùm omnes Ecclesiastici nascantur in dominio alicuius secularis Principis, exceptis illis qui in temporali Ecclesiæ ditione nascuntur: idem etiam dici potest quoad delicta. Quod ad summum Pontificem attinet, sępè iam dictum fuit, electionem Cardinalium non conferre potestatem, sed designare personam. Pergit Ioannes Marsilius.

A [Errat septimò, quia tanquam certum affirmat, id quod inter Catholicos Doctores adhuc in dubio versatur, nimirum, an Summi Pontificis potestas, eo mortuo remaneat penes Ecclesiam, an verò per mortem illius Ecclesia tali potestate priuetur: ita vt illi qui Romanæ sunt opinionis (vt cum Nauarro loquar) dum velint potestatem Episcoporum à Summo Pontifice deriuatam esse, mortuo illo ad hoc argumentum respondere non possint, nimirum, ergo Episcopi omnes sine authoritate tunc erant: sed huc illuc oberrant, existimantes tunc in Ecclesia & non manere & manere potestatem, asserentesque talia quæ nulla ratione intelligi possunt. Quod autem D. Cardinalis pro certo teneat, potestatem non manere, inde manifestum fit, quia dicit, Principe mortuo auctoritatem

B manere penes communitatem saltem in illis qui per electionem fiunt: sed Summo Pontifice moriente, auctoritatem Pontificiam, nec manere penes Cardinales qui eligunt, nec penes Ecclesiam. Hæc opinio, quamuis à Caietano & à Romanis Theologis defendatur, attamen contraria, tum propter rationem paulò antè allatam, tum propter alias multas, defenditur à Parisiensibus, & à celeberrimo Sorbonensi Collegio, speciatim à Ioanne Maiore, Iacobo Almaino, & à Gersone, vti Nauarrus refert, cap. *Nouit. de iudicijs, not.* 3. qui auctores Catholici sunt, quin etiam ipse Nauarrus, dubitare videtur de illa opinione, quam D. Cardinalis hoc in loco vt certam ponit, quamuis alijs in locis de eadem ipse Cardinalis ambigere videatur.]

C Respondeo Ioannem Marsilium, se declarare parum fidelem in verbis meis referendis: quia non modò non dixi quæ ipse refert, sed ne attigi quidem quęstionem illam, num Summo Pontifice moriente potestas penes Ecclesiam maneat, an non. Cur igitur tam apertè falsum refert? Secundò falsissimum est, argumentum quod ipse contra Romanos Theologos opponit esse difficile: & Romanos huc illucque oberrare, ac non intelligibilia dicere: quia illud argumentum nullius momenti est: cum auctores illius opinionis respondeant Summo Pontifice moriente, quamuis non sit in Ecclesia potestas Pontificia manere nihilo seciùs Episcopalem, Archiepiscopalem, & Patriarchalem: Quod est dicere, Moriente Summo Pontifice manere in Eccle-

D sia potestatem Ecclesiasticam, licet non in illa plenitudine, quam habet Summus Pontifex. Et quamuis Episcopi potestatem suam accipiant à Summo Pontifice, inde non sequitur, vt moriente illo, eam amittant, quia non accipiunt illam tanquam Vicarij temporanei, sed tanquam perpetui & veri Pastores, & Prælati Ecclesiarum suarum particularium. Tertiò falsum est, me dixisse potestatem Principum sęcularium in ipsis morientibus manerè penes communitatem, inspiciatur textus, & nihil tale reperietur.

Quartò falsum est, Parisienses, & Collegium Sorbonense absolutè tueri opinionem Romanis contrariam. Nam certò scimus, multos esse inter illos, qui contrarium sentiunt.

Quintò, falsissimum est, quod me illo in loco librorum meorum sub dubio posuisse opinionem quam iste dicit: vti demonstratũ fuit in responsione ad septem Theologos. Pergit Marsilius, & dicit.

[Errat octauò: quia dicit, verba illa; *Pasce oues meas*, Petro dicta esse, & non Ecclesiæ, cum secundum multos Doctores verba illa, *Pasce oues meas*, quemadmodum & illa, *Tibi dabo claues*, Petro quidem dicta fuerint, sed in persona totius Ecclesiæ.]

Respondeo hic etiam Ioannem Marsilium falsum esse: quia dixi equidẽ, Christum Petro, & successoribus eius dixisse. *Pasce oues meas*: sed non affirmaui, vt ipse refert, verba illa dicta non fuisse Ecclesiæ: Quomodo autem verba illa S. Petro propriè dicta fuerint secundùm expositionem omnium ferè Sanctorum Patrum Græcorum & Latinorum, & in quo sensu quidam SS. Patrum asseruerint etiam Ecclesiæ dicta fuisse, fusè lateque demonstraui 1. lib. de Pontifice: ad quem locum Catholicum Lectorem remitto. Sequitur Marsilius.

[Errat nonò, quia dicit Summum Pontificem non posse alienare à sua iurisdictione spirituali vllam Prouinciam, cùm Pontifex non sit Dominus eorum qui in ea Prouincia morantur, quatenus illius Prouinciæ sunt, sed sit Pastor illorum, quia Christiani sunt, &c.]

Respondeo Ioannem Marsilium primò falsificare hic textum, vti suprà fecit, non enim dixi, non posse eum alienare quicquam à sua iurisdictione spirituali: quasi non agnoscerem in Summo Pontifice aliam potestatem quam spiritualem, sed dixi non posse eum alienare à suo Primatu Apostolico vllam Prouinciam, aut Ciuitatem, aut personam. Secundò idem Marsilius dicit me errare, & nihilominus ipse confirmare nititur id quod ego assero, sed ratione valdè friuola: nimirum Summum Pontificem non posse alienare, &c. adeoque in toto illo discursu sibimetipse contradicit. Tertiò ferre non potest Summum Pontificem nominari Dominum nostrum, cum hic titulus Dei proprius sit: vti etiam F. Paulus tolerare non potest ipsum appellari Patrem, eandem ob causam quod titulus Dei sit: atque ita hi duo homines totius Sanctæ Ecclesiæ consuetudini se opponunt, quod sufficiet ad cognoscendum, quales sint. Denique iste Marsilius cum probare deberet me errasse, quando asserui Summum Pontificem non posse vllã Prouinciam à primatu suo alienare, transit ad probandum, quod Summus Pontifex non sit Dominus, & multas nugas responsione indignas immiscet. Sequitur.

[Decimò errat, cùm ait Principem sæcularem suos posse amittere subditos: Pontificem verò non posse. Quod vtinam verum esset. Sed quam innumeri populi ab Rom. Ecclesiæ obedientia differunt? sufficit dicere arborem illam, quæ terram aliquando vniuersam cooperiebat, hodie vix duos aut tres ramos habere.] Respondere, Nos de iure, non de facto loqui; dicimusque nullum Christianum posse à Summo Pontifice ita recedere, vt non de iure illi subditus maneat: Quod nec ipse Ioan. Marsilius negare potest, qui superiùs affirmat baptismalem charactẽre hominem Summo Pontifici subijcere. Quare nisi velit dicere charactẽre amitti posse, nec etiã dicere poterit Sũmum Pontificem posse amittere ius illud, quod in vniuersos obtinet Christianos; etiamsi propter hæresim vel apostasiam ab eius obedientia discedant. Quemadmodum etiam non, propterea quod multi ab obedientia Dei recedunt, affirmare poterit Ioannes Marsilius, Deum nõ habere iurisdictionem in illos. Verùm sæculares Principes, & de facto & de iure suos possunt subditos amittere. Quod si verum non est, quæret à Dominis Venetis, quo titulo illi plurimas teneant ciuitates, quæ antea aliorum fuerunt dominorum, si priores domini eas non potuerunt saltem de iure amittere: quærat rursum quo pacto sese ab Imperatoris, cui prius subiecti erant, potestate exemerint: & ei liquebit si concesserint, Imperatorem habere Iurisdictionẽ in illos, *De iure*, si *De facto* fortè non negauerint.]

Vndecimò errat, cum affirmat Summi Pontificis potestatem nec à Concilio, nec à Cardinalibus posse minui, sæcularis verò Principis, potestatem à subditis minui posse. Dixi aliàs me nolle disputare, vtrum potestas Summi Pontificis illo mortuo maneat penes Ecclesiã; vel an Concilium sit supra Pontificem. Certum quidem est, in causa hæreseos esse supra Papam, & in casu scandalosorum delictorum nunquam defuisse in Ecclesia remedia. Sed veniamus ad rationem: Quinam populus poterit Principis absoluti potestatem minuere? nullus profectò. Qua verò authoritate? Quisnam hoc asserat? Nunquid populus Principem suum deponere, nunquid potestatem illius minuere potest? &c.]

Respondeo Marsilium, postquam semel cœpit falsificare textum nostrum, non posse se amplius abstinere quin idem facere pergat. Non reperiet me alicubi dixisse, populum posse Principem absolutum deponere, aut eius potestatem minuere, legat accuratè verba mea quæ huic suæ defensioni inserat, & nihil præter hæc inueniet: [*Contrarium videmus in principatibus sæcularibus, quorum potestas sæpè aut à populo, aut à superioribus minuitur, & tunc aut Principatus monarchici fiunt Resp. liberæ, aut contra Respub. liberæ Principatus monarchici, quod inde accidit, quia potestas illorum non est immediatè à Deo sed ab hominibus.*] hæc sunt verba mea, quibus non dico populum posse iustè Principem deponere, aut eius potestatem minuere, imò mãgis credo non posse illum tale quid facere, eò quod semel authoritatem suam in Principem transtulerit, quod etiam Dom. Soto. lib. 4. de Iustit. & Iur. quæst. 4. artic. 1. docet: qui hanc adijcit exceptionem; *nisi fuerit Princeps in Tyrannidem corruptus*. Ego autem refero quid plerumque fieri consueuit secundùm historias. Quis etenim neget populum Romanum primitus fuisse gubernatum à Regibus absolutis, & post sublatos Reges transisse ad Rempub. liberam, & rursus post annos multos ad Principes absolutos redijsse? Similiter nõ poterit negare Marsilius Venetos antiquitus Imperatori Romano simul cũ vniuersa Italia, postmodum etiam Græcis subiectos

fuisse: & nihilominus se exemisse constituisseque Rempubl. licet id ausi non fuerint sine auctoritate sedis Apostolicæ efficere :propter hanc enim caussam proprium Legatum misére ad Papam Adeodatum, sicuti scribit illorum historiographus Petrus Iustinianus. Quapropter omnis ille rumor, illo in loco à Ioanne Marsilio excitatus, in Rempub. Venetam redundat: Nam si Imperator habuisset potestatem immediatè à Deo super Venetos, ita vt ei imperium auferri, aut minui non potuisset, nequaquam Veneti sese ab eius subiectione eximere potuissent. Idem dici potest de alijs pluribus tum Græciæ tum Italiæ ciuitatibus, quæ sæpiùs formam regiminis mutauêre. Et licet frequenter mutatio sit violenta & iniusta: quemadmodum cùm Iulius Cæsar se Monarcham Reip. constituit, & Gothi, Franci, VVandali, & Longobardi per vim Hispaniæ, Africæ & Italiæ dominia sibi vsurparunt, auferentes easdem prouincias à Romanis: nihilominus successu temporis & consensu populi, facta sunt hæc legitima regna. Qui verò hæc recéset, narrat mutationes factas in mundo, non autem adhortatur ad seditiones aut rebellionem, quemadmodum impudenter ac temere Ioan. Marsilius audet affirmare. Cæterùm licet non dixerim populum posse potestatem Principis sui tollere; dicit tamen Nauar. ca. *Nouit. de Iudic.* Notab. 3. n. 119. plebem non posse taliter transferre potestatem suam in Principem, quin certis in casibus possit eádem recipere, ac retinere semper habitu, ac radice. Contra hunc Doctorem quem tanti Marsilius æstimat, clamet nunc quantum volet. Sequitur.

[Duodecimò errat, cum dicit in Principatibus laicis, conspici posse mutationes rerum publicarum in principatu monarchicos, quod negat in Ecclesia cerni posse. Et primò si loquamur de supremo Ecclesiæ pastore, qui est Christus Saluator noster, certum est, nunquam auferendam esse ab ipso monarchiam: quia *regni eius non erit finis*: nec hoc euenit propter titulum aut non titulum, quemadmodum Dominus Cardinalis affirmat, sed quia in ipso nullum habet locum violentia: quæ est causa similium mutationum. Verùm si intelligi debeat, de Christi ministris, quis negauerit Sanctam Ecclesiam ad formã Reip. principio gubernatam fuisse? Legatur cap. 15. Actor. Apostol. vbi Petrus narrat: *Sicut narrauit Cephas.* Sanctus Iacobus iudicat; *Ego autem iudico*. Et edictum publicatur nomine omnium: *Apostoli, Seniores, Fratres, fidelibus salutem. Visum est Spiritui sancto & nobis, &c.* Nam an S. Petrus tunc primatum tenuerit, quemadmodum modò Dux Venetorum; qui licet magna sit præditus auctoritate, semper tamen est Reip. subiectus; illis relinquo disputandũ, ad quos pertinet. Id sufficit proposito nostro, edicta in primitiua Ecclesia nomine Reipubl. promulgari solita, hodie nómine vnius promulgari: quod an significet mutationem factam, dicat idem ipse D. Cardinalis, qui hoc negat.]

Respondeo Ioannem Marsilium plurimos errores suos hic manifestare, dum mihi falsò vnicum tentat ascribere. Errat primo, cùm dicit regnum Christi non pati mutationem, & adiungit hoc non euenire propter titulum aut non titulum, sed quia in ipso non habet locum violentia; Errat inquam, quia causa, cur in ipso nulla locum habeat violentia, est titulus diuinus paternæ hæreditatis, qui Psalm. 2. sic ait. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã,* quod Apostolus confirmat, Hebræ. primo, *Quem constituit hæredem vniuersorum*. Errat secundò, quia dicit Ecclesiam ad formam Reipub. primitus gubernatam, & postmodum mutatam fuisse quandoquidem in primitiuã Ecclesia edicta fieri solebant nomine Reip: nunc verò vnius nomine fiant; Hoc autem est apertè negare primatum S. Petri Ecclesiasticamque monarchiam, vt nostrorũ temporum hæretici faciunt. Vnde sequitur, aut Christum aut Ecclesiam errasse; si enim Christus principio Ecclesiam ad formam Reip. instituit, errauit profectò Ecclesia, quod relicta forma à Deo sibi data, in monarchiam transierit: si autem monarchia melior est Rep. & idcircò mutatio facta est, errauit Christus, dum constituit ei formam Reipublicæ: Imò sequitur, nec Christum quidem esse monarcham Ecclesiæ, sed caput Reipub. sicuti est Dux Venetorum, quia nunquam visum est in vno eodemq; populo fuisse & Rempubl. & regnum; aut in regno formam fuisse Reipublicæ. Si Christus est Rex, & Summus Pontifex eius est Vicarius generalis, Ecclesia igitur non ad instar Reipubl. sed ad formam Regni gubernatur: nec Papa est magistratus dependens ab Ecclesia, sed Vicarius dependens à solo Domino suo Christo. Errat tertiò, quia vt probet Ecclesiam iam inde à principio, ad instar Repub. gubernatam fuisse: adducit Concilium Hierosolymitanum Actor. 15. & vt hoc meliùs probet & demonstret, Ecclesiam esse Rempubl. aliquam popularem, vt volunt Lutherani, deprauat textum: nam vbi scriptura dicit *Apostoli & Seniores fratres*, ipse legit Apostoli, Seniores, Fratres: Et vt minuat potestatem Petri, ait de illo dici, narrat, *Simon narrauit*, & de Iacobo, iudicat: *Ego autem iudico*, ac si in hoc Concilio Petrus informationem facto dedisset, Iacobus autem sententiam definitiuam tulisset: & non aduertit Petrum ánte omnes locutum fuisse, & sententiam pronunciasse: Ne Christiani, qui ex gentilitate ad Christi fidem transierant, ad Circumcisionem tenerentur (hoc enim erat dubium propositum in Concilio) Iacobus verò Petri consilium secutus est, sicut S. Hieronymus in Epistol. ad sanctum Augustin. quæ est 11. inter epistolas August. testatur: itaq; illa verba, *ego iudico*, nihil aliud dicunt, quam idẽ iudico, quod iudicauit Petrus. Vnde Theodoretus in epistol. ad S. Leonem apertè dicit, sanctum Paulum Antiochia Hierosolymam venisse, vt huius dubij resolutionem à Petro acciperet. Nec refert, quòd epistola non in nomine Petri, sed Concilij scripta fuerit, quia sic placuit ipsi S. Petro, vt cæteros Apostolos honoraret. Pergit Ioannes Marsilius, & concludit primam partem errorum in nostra responsione contentorum dicens.

[Postremò errat, quia volens adducere rationem

tionem differentiæ vtriusq; potestatis, adducit hanc, nimirum titulum vnius esse immediatè à Deo, alterius verò nō esse immediatè à Deo. Dico errare illum duobus modis, nam si per titulum intelligit potestatem, hoc verum non est, nec enim potestas est titulus, neque titulus potestas: si autem per titulum intelligit modum obtinendi potestatem, perinde humanus est vnus vt alter, de quo non permittent me falsum dicere Conclauistę. Quamuis etiam de potestate Ecclesiastica loquendo, non est illa adeò immediatè à Deo, vt est sæcularis: ea enim est in Christo homine tanquam in capite Ecclesiæ, cui DEVS illam immediatè communicat. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*; qui postea illam communicat Pontifici. Quare cum Pontifex sit, vti ait Apostol. *mediator Dei & hominum*, dicendum est, Deum conferre prælationem Ecclesiasticam Pontifici mediatè, id est per Christum mediatorem, quæ potestas non est Principalis, sed Vicaria, nec indicat dominium, sed potius ministerium & seruitutem. Quocirca nec ipse Summus Pontifex illud parui æstimat, sed altissimis hisce titulis se adornat, vt se nominet seruum seruorum Dei, Pastorem, Episcopum: qui tituli potius ministerium quam dominium, magis humilitatem quam magnificentiam indicant. Quia non in domibus Pontificum, in quantum talibus, sed in domibus Regum ista sunt secundùm sententiam Saluatoris.]

Respondeo. Nolle Ioannem Marsilium recedere à more suo falsè citandi verba mea, vt ea reprehendat. Perlegat benè textum quem libro huic inseruit, nusquam inueniet me dicere titulum alicuius potestatis immediatè esse à Deo; ideoque vana est ipsius distinctio, siue per titulum intelligatur potestas, siue non, quod pro responsione sufficiet. Demonstrabo autem Marsilium non modò falsò de vnico errore me arguere, verumetiam me in his paucis ipsius verbis plurimos errores verè notare posse. Errat itaque primò, quia non intelligit terminos, & quemadmodum superiùs dixerat, titulum esse conditionem sine qua non, ita nunc dicit, titulum esse modum obtinendi potestatem: quod si verum esset, tot forent tituli vnius potestatis, quot sunt modi acquirendi eam: atque ita etiam Broius (vt eum vocant Veneti) titulus erit, cum sit modus assequendi potestatem. Secundò errat dicens titulum Ecclesiasticę potestatis, esse humanum sicuti titulum potestatis laicæ. Quod dico errorem esse, eò quod secundum Euangelium titulus Ecclesiasticæ potestatis sit donatio diuina, sicuti videre est, Mat. 16. *Tibi dabo claues*. & Ioan. 21. *Pasce oues meas*. Errat tertiò, quia dicit potestatem Ecclesiasticam, minus à Deo immediatè esse, quam sit potestas laica. Contra quod non adducam testimonium aliud quam Nauarri, quem Marsilius ipse magni æstimat. Dicit itaque Nauarrus in ca. Nouit. de Iudic. not. 3. nu. 147. hoc modo, *Non videtur verum id quod quidam eruditi nouè dixerunt, scilicet. Non solum communitates, sed etiam Reges capere potestatem suam à Deo immediatè*, quòd fusè lateque probat. Itaque secundùm Nauarrum nullus Regum potestatem immediatè à Deo habet, sed mediantè communitate hominum: & num. 119. 120. 121. probat. Quòd quamuis communitas transferat potestatem suam in Regem, nunquam tamen ita eadem spoliari potest, vt in casu aliquo non eam possit resumere: verùm idem Nauarrus in Ench. cap. 27. nu. 263. de potestate Papæ sic dicit; *Et sicut habet illam immediatè à Deo, ideo nemo alius potest eam illi tollere vel minuere*. Ecce veram differentiam secundùm Nauarrum, inter potestatem Regiam & Pontificiam, quod illa sit nimirum à Deo mediante communitate, hæc autem à Deo immediatè; & ideò illam in aliquo casu ab hominibus posse tolli, hanc autem nec tolli nec minui posse.

Errat quartò, affirmans Ecclesiasticam potestatem in Summo Pontifice non esse immediatè à Deo, eò quod mediante Christo illi à Deo sit tradita. Hoc enim error est, nam Christus est verus Deus, atque idcircò de potestate, quàm Christus immediatè dat Petro, verè dici potest, illam à Deo immediatè sancto Petro traditam esse. Hic autem modus loquēdi Marsilij nouus, & inauditus est in Ecclesia Dei, videlicet potestatem Ecclesiasticam esse à Christo & non à Deo immediatè, ac si Christus non esset Deus, vel potestas Ecclesiastica posset à puro homine conferri, loquendo de potestate vniuersaliter.

Errat quintò, dicens potestatem Papæ non esse Principalem sed Vicariam, non significare dominium, sed ministerium & seruitutem; quo videtur velle inferre potestatem Principum sæcularium esse Principalem & significare dominium, cum in fine dicit, dominium & magnificentiam, nō in domibus Pontificum, sed in domibus Regum esse. Dico inquam errorem esse asserere potestatem Pontificis esse Vicariam, Regiam verò esse Principalem: Pontificis esse simplex ministeriū & seruitutem, Regis dominium & magnificentiam: quia secundùm sacram Scripturam tam Pontificis quàm Regis potestas respectu Dei est Vicaria & non Principalis, & Reges sunt ministri non Domini, non minus quam Pontifices; Pontifices autem occupantur circa ministeriū magis excellens quam ipsi Reges. Sap. 6. *Cùm essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis*, dicit Salomon ad Reges. Et Paulus. *Ministri Dei sunt in hoc ipsum seruientes* ad Rom. 13.

Errat sextò, cùm verba Christi malè applicet, *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regū sunt*: quia non loquitur Dominus hic de dominio & magnificentia, sicut Marsilius vult, sed de mollibus vestimentis, quod ipsa verba apertè indicant. Hic igitur finem faciam, cùm mihi sufficiat vno vel altero exemplo demonstrasse, qui sint errores, quos meis in scriptis notauit Marsilius. Et quoniam vt plurimum verba mea falsò allegauit, sicut communiter in toto libro suo facit, pœna illius secundùm Aristot. hæc erit, vt illi ne vera quidem asserenti credatur. Nec tamen propterea alij deerunt, qui vniuersis vanitatibus illius respondeant. Hoc tantum adiungam, Marsilium scilicet non contentum implesse librum suum falsis commentis, post finem etiam voluisse falsum esse,

cùm

cùm monet Nauarrum cap. Nouit. ita corruptum fuisse, quo potestas Pontificis amplificaretur, vt, cùm in editione Anni 1575. vnum asfereretur in editionibus alijs contrarium nunc dicatur: opinione scilicet Nauarri in Caietani sententiam commutata. Quod quidem totum est merum mendacium, quia idem Nauarrus Anno 1585. librum suum Romæ denuò imprimi curauit, vbi decem ante annis eundem excuderat. sicut autem idem ipse auctor plurima, Anno 1575. addidit ad editionem anni 1548. & non mutauit sententiam: ita postea in editione anni 1585. plurima adiunxit, præsertim in Notab. 3. n. 41. nihil immutata opinione sua, sed illis, quæ prius dixerat clariùs & copiosiùs explicatis. Quemadmodum verò in editione anni 1575. dixerat, Summum Pontificem habere potestatem spiritualem directè & temporalem indirectè, nimirum in ordine, siue relatione ad spiritualia; & reprehenderat Bartolum, quòd affirmasset hanc opinionem esse hæreticam, ita in editione Anni 1585. à qua non differt illa, quæ anno 1590. post mortem illius excusa est, afferit potestatem summi Pótificis esse spiritualem directè, & temporalem indirectè; Arguitque Bartolum eodem, quo superiùs modo: Quare falsissimum est in secunda hac vel tertia impressione, sententiam Nauarri in sententiam Caietani mutatam fuisse. Et quia Marsilius intelligit primam Nauarri opinionem fuisse, Summum Pótificem nullatenus habere potestatem temporalem, neq; directè, neque indirectè, sicuti videre est in ipsis eius verbis hoc ipso in libro pag. 55. vbi declarans opinionem Nauarri dicit:

[Nunquid vnquam loquitur de potestate temporali? Ne hoc quidem somniauit; & quãuis dicat illum vti rebus naturalibus, non tamen, eas vocat aut seculares, aut temporales, aut ciuiles, sed naturales; & eas restringit ad illas, quæ ad solum finem spiritualem institutæ sunt, &c. Et adducens exemplum, dicit Summum Pontificem, secundum sententiam Nauarri, vti indirectè rebus naturalibus: quia vtitur aqua ad baptizandum, & oleo ad extremam vnctionem conferendam: & adiungit non posse eum se ingerere, neque ad Iurisdictionem, neque ad Dominium exercendum.]

Ad confundendam, inquam, ipsius impudentiam, adducam huc nonnullas sententias è Nauarri exemplari, Anno 1575. à Iosepho de Angelis excuso, desumptas, quod vnicum exexemplar ipse Marsilius, pro genuino & incorrupto agnoscit cap. *Nouit. de Iudic.* Notab. 3. nu. 82. pag. 60. vbi declarans potestatem Ecclesiasticam dicit. *Dixi, & quatenus ad illa est opus etiam naturalibus, ad ostendendum quod indirectè, & per quandam accessionem necessariam extenditur etiam ad temporalia.* Hic videre potest Marsilius Nauarrum, per naturalia significare velle temporalia, & paulò inferius num. 96. pag. 68. ait: *Potestatem prædictam Ecclesiasticam principaliter & directè sola supernaturalia & spiritualia respicere; temporalia verò, nisi per consecutionem & accessoriè, & ita toties & tantum hanc potestatem ad temporalia extendere, quoties & quantum Euangelij, & aliorum supernaturalium, & spiritualium conseruandorum, vel consequendorum, aut non impediendorum ratio exigit.* Quid ad hæc dicet Marsilius? sed audiat etiam quod dicit idem Nauarrus nu. 99. pag. 70. *Papa deponere potest Reges negligentes in regendis Regnis suis*, & num. 106. pag. 71. *Potest Papa dare coadiutores Regibus, aut certè consentire, & auctoritatem impertiri Regnis id cupientibus.* Et num. 107. pag. 72. *Ratio noua & vera, quare statutum fuit, vt Imperatore mortuo Imperium regatur à Papa.* Et nu. 108. *Ratio vera, quare Fridericum Imperatorem potuit deponere Innocentius IV. iuxta cap. ad Apostolicæ de re Iudic. lib. 6. Est illa, quod multa crimina spiritualia admisit, periuria videlicet, sacrilegia, &c.*

Ex hisce locis colligere potest Marsilius secundum Nauarrum, Summum Pontificem nó modò vti posse aqua naturali ad baptizandum, sed etiam rebus temporalibus, vt Dominijs Regum, & Imperatorum se ingerere posse. Potest Marsilius agnoscere errorem suum, cùm affirmauit Nauarrum, ne somniasse quidem, summum Pontificem habere potestatem in res temporales & seculares. Potest intelligere opinionem Nauarri nequaquam esse in sententiam Caietani mutatam, cum semper vna eademque fuerit & Caietani, & Nauarri opinio. Potest erubescere, adeò impudenter corruptionem operum Nauarri Romanis imposuisse. Potest etiam recensere, se cum F. Paulo in eorum numero, contra quos Nauarrus in præfatione ad Regem Sebastianum editionis Anni 1575. clamat cùm dicit: *Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ summiq; Iesu Christi Regis Regum, & Domini Dominantium Vicarij potestatem, cælitus ei datam, eo modestius, religiosius, & fortius suspicias, colas, & tuearis, quo nostra calamitosa tempestate superbius quidam, irreligiosius, & audacius contemnere, dehonestare, & conuellere frustra conantur*: quales nunc sunt præcipuè F. Paulus & Marsilius. Potest denique æquo animo ferre, si ei de cætero nullatenus credatur, tot in falsitatibus deprehenso. Atque ideò si quid timoris Dei est ipsi reliquum, errorem errori, temeritatem temeritati addere non deberet, sed potius sua agnoscens delicta, redire ad obedientiam Christi & S. Ecclesiæ, quæ nunquam his, qui cum vera pœnitentia ad ipsam reuertuntur, gremium claudit. Recordetur dicti illius August. epist. 137. *Quod non inuenerit meliores his, qui in monasterijs profecerunt, neque peiores his, qui in monasterijs ceciderunt.* Cumque iam experientia didicerit, quot gradibus à perfectione illa, ad quam à Deo vocatus fuerat, paulatim deciderit; prospiciat, ne ita demum ruat, vt circa fidem naufragetur, cuius iam propemodum non obscura signa dedit.

* * *

FINIS.

ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S.R.E. CARDINALIS,

EXPLICATIO SYMBOLI Apostolici.

PRAEFATIO.

RES est planè necessaria ad salutem æternam consequendam, cognitio veri Dei, & Christi Iesu. Sic enim legimus apud Ioannem: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Deus enim est finis vltimus, & summum bonum generis humani: Christus autem Iesus est verus, & vnicus mediator Dei, & hominum, per quem solùm possunt homines ad ipsum Deum peruenire; dicente ipso: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Perueniunt homines ad Deum, siue ad vnionem cum Deo, per veram charitatem: non potest autem diligi quod non cognoscitur; ideò principium salutis est cognoscere Deum, & Christum, saltem per notitiam fidei. notitia enim clara non est huius vitæ, sed futuræ. Ego igitur toto animo desiderans æternam salutem populorum curæ meæ commissorum, decreui quàm breuissimè, & apertissimè potero, explicare omnia mysteria sanctissimæ nostræ fidei, quæ in Apostolico Symbolo continentur, vt omnes cognoscant, quid credere debeant, & purgati, & illuminati per fidem, per viam mandatorum incedant, quæ est via, quæ ducit ad vitam, dicente Domino: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. hanc autem explicationem breuem, & facilem esse voluimus, vt Parochi, siue Pastores, qui concionari ad populum per se non audent: saltem coram populo inter missarum solemnia, vulgari lingua, hanc explicationem legant, ac præsertim, quãdo festi dies occurrunt, in quibus mysteria symboli recoluntur.

Ioan.17.
1.Tim 2.
Ioan.6.
Math.19.

Antequam autem ad explicationem symboli veniamus, exponendum esse videtur, quid sit symbolum fidei; cur hoc nomine appelletur; & quæ sit eius necessitas, vel vtilitas. quod attinet ad primum; symbolum fidei est summa quædam breuis earum rerum, quas Deus in Scripturis sanctis reuelare dignatus est per Apostolos, & Prophetas. quia enim non poterant omnes per se Scripturas sanctas legere, vel intelligere, Apostoli, Magistri orbis terrarũ à Christo constituti, mysteria illa, quæ ab omnibus necessariò credenda sunt, ex toto corpore Scripturarum, ad duodecim breuissimas sententias redegerunt. hæc autem summa ideò symbolum appellatur, quia signum quoddam est, quo discernuntur veri fideles ab omnibus infidelibus, paganis, Iudæis, hæreticis. isti enim aut partem aliquam tantùm, aut nihil huius doctrinæ recipiunt, aut secundum sonum verborum, non secundum sententiæ veritatem eam totam recipiunt. Soli fideles, qui dicuntur etiam Catholici, totam atq; integram veritatem doctrinæ huius recipiunt, & profitentur. Dicitur autem Apostolorum symbolum, quoniam sancti Apostoli antequam separarentur ab inuicem, vt per totum orbem terrarum Euãgelium prædicarẽt, hanc doctrinæ summam fidelibus tradiderunt. atq; ea causa est, cur symbolum hoc Apostolicum duodecim sententias complectatur, quoniam duodecim fuerunt Apostoli, qui symbolum confecerunt, vt S. Leo Papa tradit epist. 13. ad Imperatricem.

Porrò sententiæ duodecim huius symboli, Articuli dicuntur, quoniam sunt sententiæ breuissimæ. articulus enim membrum exiguum, atq; minutum significat.

Est autem singulis Christianis necessaria cognitio huius symboli: neque satis est, si quis dicat: ego credo id totum, quod Ecclesia Catholica credit. ista enim fides implicita, & generalis locum habet in illis rebus, quæ non tenentur singuli explicitè credere: huius autem symboli partes tenentur omnes, & singuli credere planè explicitè, vt S. Thom. in 2. parte, 2. partis summæ suæ Theologicæ docet. Ex quo fit, vt nemo ad sanctum Baptisma recipiendum admittatur, nisi symbolum hoc fidei recitare possit, si adultus fuerit, aut nisi Patrinus eius loco recitauerit, si fuerit infans. Et quod fit in Baptismo, omninò vtiliter fieret in Sacramentis cæteris, vt videlicet non admitterentur ad Sacramentum confirmationis, vel Eucharistiæ, vel pœnitentiæ, vel ordinis, vel matrimonij, vel extremæ vnctionis, qui symbolum fidei non didicissent. Siquidem Sacramenta omnia ad hoc instituta sunt, vt gratiam Dei conferant, vt instrumenta diuinæ misericordiæ, & passionis Dominicæ. Gratia verò dispositiones suas præcedentes requirit, quæ sunt ex doctrina Concilij generalis, actus fidei, spei, dilectionis. Quomodo autem potest credere, sperare, diligere, qui nescit quid sit credendum, sperandum, diligendum? Atq; hæc est causa, cur multi teneantur dare operam, vt qui baptizantur, rudimenta fidei addiscant, vide-

2.2.q.2.ar.5
Concil.Trid. sess.6.c.7.

licet

licet Episcopi, Parochi, parentes, & susceptores, siue patrini, vt nemo sit, neque puer, neque senex, neque patritius, neque plebeius, neque vir, neque mulier, qui in die iudicij excusare se possit, ac dicere, sibi defuisse, à quo in re tam necessaria ad salutem instrueretur.

Iam verò vtilitas addiscendi symboli maxima est, etiam si id non esset necessarium, vt re vera est. Primùm enim qui tenet memoriâ, & intelligentiâ articulos symboli, plura nouit de rebus altissimis, quàm omnes sapientes pagani, vel Iudæi, etiamsi in volutandis libris philosophorum vel Rabinorum totam ætatem suam consumpserint. Deinde qui symbolum benè tenent, facilè possunt scuto fidei repellere tentationes hæreticorum. quod certè facere non possunt, qui nesciunt, quæ sit fides Ecclesiæ. Præterea symboli cognitio non parum valet ad vitanda peccata. qui enim didicit, Deum esse omnipotentem, & iustum, non audet illum ad iram prouocare. & qui nouit, Christum crucis supplicium subire voluisse, vt nos à morte perpetua liberaret, ne sit ingratus tanto benefactori, studet in omnibus suis operibus ei placere. Et qui credit, omnes homines in die nouissimo resurrecturos, & pios quidem ad vitam perpetuam, & felicissimam, impios ad pœnas, & supplicia sempiterna, facilè contemnit bona præsentia, & non timet mala huius vitæ: proinde ab amore, & timore mundano liberatus, facilè scuto fidei superat omnes tentationes, iuxta illud S. Petri, Aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. *& illud S. Pauli:* In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *& illud S. Ioannis:* Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. *Deniq; vtilissima est cognitio symboli Apostolici, quoniam præbet materiam copiosam contemplandi mysteria omnia sanctissima nostræ fidei, & per contemplationem ascendendi in altum, vbi pax est, & tranquillitas, & cum Apostolo gloriandi, ac dicendi:* Conuersatio nostra in cœlis est. *Sed iam ad explicanda verba symboli veniamus.*

1. Pet 5. Ephes. 6. 1 Ioan. 5. Phil. 3.

ARTICVLVS I.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.

I.

CREDO. Hæc prima vox communis est omnibus articulis, & ad initium singulorum articulorum subintelligi debet. Dicimur autem credere ea, quæ fide tenemus ob auctoritatem dicentis; quemadmodum dicimur videre ea, quæ sensu videndi percipimus, & scire dicimur ea, quæ certa demonstratione complectimur. Itaque si quis à te quærat, an credas solem lucere meridie: respondebis, id te non credere, sed videre. & si rursum quærat, an credas, tria, & tria esse sex: dices, id te non credere, sed scire, quia certa, & euidens ratio docet, numerum ternarium esse dimidium senarij, ac per hoc ex duobus ternarijs resultare senarium. Si denique requirat à te aliquis, an certo credas, solem esse maiorem, quàm sit terra: respondebis, si sapis, id omninò te credere, quamuis enim oculus tuus non ita esse iudicet; neque certam eius rei demonstrationem noueris: tamen tanta Philosophorum, & astrologorum multitudo communi consensu id affirmat, vt ob eorum auctoritatem temerarium censeas, id non credere: sic igitur mysteria fidei Catholicæ non possunt oculis cerni, quia inuisibilia sunt: nec possunt intelligentia comprehendi, quia rationem humanam tua sublimitate longè superant: sed possunt, ac debent certa fide credi, quia Deus ea per Prophetas, & Apostolos reuelauit. Deus autem, qui est prima veritas, neque mentiri, neque falsum aliquid dicere vllo modo potest. Neque solùm mysteria fidei certa fide credenda sunt, sed etiam minus ambigendum est de mysterijs fidei, quàm de ijs rebus ambigamus, quæ vel sensu videndi cernimus, vel certa demonstratione cognoscimus, siquidem sensus videndi falli potest, & ratio humana errare potest, Deum autem falli, vel decipi omninò impossibile est. quoniam si falli, aut errare Deus posset, omninò Deus non esset.

Non rarò accidit, vt homines anteponant alterius hominis auctoritatem, quem sapientissimum esse autumant, proprio sensuum experimento, vel etiam ratiocinationi. & ipse idem homo, qui sensu oculorum iudicat, solem esse minorem terra, rationis iudicio corrigit errorem oculorum, & certò affirmat, terram esse minorem sole. cur igitur non anteponet quilibet homo, quantumuis peritus & doctus, auctoritatem & scientiam Dei, experimento, & ratiocinationi propriæ, cùm dubitare non possit, quin ratio, & scientia Dei planè infinita, multò sit altior ratione, & scientia hominis, quam ipsa ratio, & scientia humana sensum videndi, & experimentum proprium altitudine superat? *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram,* vt dicitur in lib. Iob: &, *Verax est Deus, omnis autem homo mendax,* vt loquitur Apost. Paulus, cui concinit Apostolus Ioann. dicens, *Maior est Deus corde nostro.* Quamuis autem fateri cogantur homines, magis credendum esse verbo Dei, quam intelligentiæ propriæ: tamẽ non adducerentur homines ad ea credenda, quæ longè superant humanam rationem, nisi Deus beneficio gratiæ suæ oculos mentis illuminaret, & inclinaret ad fidem. Id quod significat Dominus in Euangelio, cùm ait, *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* & Apostol. in epist. posteriore ad Corinthios, *Ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* & ad Ephes. *Gratiâ estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est.* Itaque Deo debemus, non solùm quod per Apostolos, & Prophetas manifestare voluerit mysteria diuina, & quod prædicatores eorundem mysteriorum ad nos destinare ipsi placuerit: sed etiam, quod corda nostra illuminare, atq; ad obedientiam fidei suauissimo Spiritus sancti illapsu inclinare decreuerit.

Iob 36. Rom. 3. 1. Ioan. 3. Ioan. 6. 2 Cor. 4. Ephes. 2.

IN DEVM. Hæc secunda vox tria nos docet, quod sit Deus, quod sit vnus, & quod noster sit Deus. Sed antequam ad ista tria explicanda veniamus, necesse erit breuiter demonstrare, quid per hanc vocem, *Deus,* intelligi debeat. Igitur vox, *Deus,* rem quandam significat, qua nulla celsior, nulla melior cogitari potest, vel potius, quæ res omnes creatas infinito in- II.

teruallo

terualle, nobilitate, & bonitate transcendit. Ex quo promptum erit colligere, Deum non esse corpus inanimum, qualia sunt elementa, & ipsi etiam cœli cum syderibus suis. quoniam istis omnibus antecellunt ea, quæ viuunt: & de Deo Scriptura clamat, *In ipso vita erat*, & ipse Deus de se frequenter ait, *Viuo ego.* Et quoniã inter ea, quæ viuunt, meliora sunt spiritualia, & inuisibilia oculis corporum, quàm corporalia, & visibilia; ideò Deum non debemus existimare, esse corpus aliquod viuens, sed spiritum intelligentem, & inuisibilem dicente Domino, *Spiritus est Deus*, & Apostolo, *Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo.* Quia denique spiritus creatus mutabilis est, & finitus, & longè inferior spiritu increato, & immenso: efficitur, vt Deus credendus sit esse spiritus increatus, immutabilis, omnia potens, omnia sciens, omnia replens, omnia regens, nulla re indigens, & quo res omnes indigent. Sic enim Deus ipse de se loquitur, *Ego sum, qui sum. Ego Dominus, & non mutor.* & de eo Propheta dicit, *Tu autem idem ipse es.* &, *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* &, *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* & Apostolus de eodem loquitur dicens, *Qui portat omnia verbo virtutis suæ.* & alibi, *Non est Deus indigens aliquo*, cum ipse det omnibus vitam, inspirationem, & omnia.

Ioan. 1.
Ezech. 18.
Ioan. 4.
1. Tim. 1.
Exod. 3.
Malach. 3.
Psal. 101.
Psal 138.
Psal. 15.
Hebr 1.
Act. 12.

Sequitur nunc, vt breuiter ostendamus tria illa, quę paulò ante promisimus, videlicet Deũ esse, & esse vnum, & esse nostrum. Deum esse, id est, re vera existere mentem quandam infinitæ perfectionis, qua nihil maius, aut melius cogitari possit: testatur inprimis confessio omnium hominum, etiam paganorum, exceptis paucis insipientibus, iuxta illud psalmi, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Sic enim insita est cognitio Dei humanæ menti, vt solùm pauci omninò excæcati à malitia sua, ac per hoc insipientissimi, dicere audeant, *non est Deus.* imò nec lingua exterius sed solùm intus in corde suo dicunt, id est, cogitant, nullum esse Deum, cui curæ sint res humanæ. Deinde moles hæc admirabilis, quæ *mundus* dicitur, satis apertè clamat, esse Deum aliquem, qui mũdum condiderit, & gubernet, quamuis Deum illum non videamus oculis corporalibus, neq; ad eius naturam penitus cognoscendam mentis acie pertingere valeamus. Id quod duplici similitudine illustrare possumus. prior similitudo est palatij in solitudine aliqua fortè reperti. si quis enim in loco deserto casu palatiũ inueniat ex arte fabricatum, habens atrium, cubicula, aulas, fenestras; & alia id genus: etiamsi nullum videat architectum, sed solos mures discurrentes per cubicula, & hirundines nidificantes in trabibus, & passeres super tecta: sine dubitatione vlla, non arbitrabitur, palatiũ illud per se in solitudine exortum; neq; à muribus, vel passeribus, aut hirundinibus fabricatum; sed omninò statuet apud se, ab aliquo sapiente architecto palatium fuisse illic erectum, ac postea ob aliquam incidẽtem calamitatem, extinctis habitatoribus, fuisse desertum. Sic igitur, qui considerat hanc rerum vniuersitatẽ, tam admirabili ratione conditam, cursum solis, & lunæ, temporum vicissitudines, terram

Psal. 13.

A germinantem, aquas defluentes, auras spirantes, animalium, & arborum varietates: nisi planè desipiat, non poterit existimare, nisi mundum ab aliqua mente sapientissima, & infinita potentia prædita, fuisse fabricatum, & conseruari, ac regi.

Altera similitudo peti potest ab ipso homine, qui paruus est mundus. est enim in homine animus, qui spiritus est inuisibilis, intelligentia, & ratione præditus, & quamuis ne ipse quidem homo animum suum videat; tamen dubitare non potest, quin verè adsit, & corpus viuificet, & regat, cùm animaduertat, hominem viuere, moueri, loqui, disputare, consilio, & ratione multa facere, quæ à bestijs fieri nequeũt. sed præter has rationes habemus scripta Prophetarum, & Apostolorum, quæ plena sunt testimonijs de existentia Dei. proinde securi dicimus, *Credo in Deum.* Hunc autem Deum vnũ esse, non plures, in symbolo docemur, cùm legimus, *Credo in Deum*, non *in Deos:* & Scriptura diuina passim hoc ipsum inculcat. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, &, *Vt cognoscant te solum verum Deum.* quod ipsum declarauit Ecclesia in symbolo, quod legitur ad Missam, vbi dicitur, *Credo in vnum Deum.* Estq; hoc dogma rationi valdè consentaneum. nam si plures essent Dij, vel essent æquales, vel inæquales: si æquales, nemo illorũ esset Deus verus, quia vni deesset perfectio alterius, non est autem Deus verus, cui perfectio aliqua deest, si essent inæquales, eorum maximus, solus esset Deus verus, quia fieri non potest, vt Deus verus aliquem habeat se maiorem. Deniq; quod Deus sit noster Deus, docet in symbolo particula, *in*, non enim dicimus, *Credo Deum*, sed *Credo in Deum*, credere enim *in Deum*, non significat solum, credere Deum esse: quomodo dicimus, credere nos, esse in mundo multas ciuitates, & alia, quæ ad nos non pertinent, de quibus non diceremus, *Credo in Vrbem Romam*, aut *in vrbem Venetiarum:* sed significat, credere nos in Deum, qui est primum principium, & vltimus finis noster, in quo super omnia confidimus, & quem rebus omnibus anteponimus.

B

Deuter. 6.
1 Ioan 7.

C

III.

Patrem. Hac voce declarant Apostoli, Deum esse primam originem omnium rerum, idq; duobus modis, per generationem videlicet, & creationem. Per generationem Deus Pater est vnigeniti filij sui, de quo loquemur in articulo secundo. per creationem Pater est omnium rerum, quæ sunt in hac rerum vniuersitate, id est, Angelorum, hominum, cœlorum, stellarum, elementorum, animantium, plantarum, metallorum, lapidum, ac deniq; omnium rerum, quæ sunt, & Deus non sunt. Hæc omnia ex se nihil erant, antequàm à Deo procrearentur; & à Deo, tanquam à fonte acciperent esse, & omnia, quæ habent. sic enim loquitur Sanctus Ioannes, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Et quamuis Deus propriè, & ex substantia sua non genuerit, nisi filium suum vnicum, & proprium; sed ex nihilo res cæteras produxerit: tamẽ voluit etiam Pater dici aliarum rerum, ac præcipuè hominum. sic enim loquitur Moses in Deuteronomio. *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* & Christus in Euangelio,

D

Ioan. 1.
Deuter 32.

Vnus

Matth. 23. *Vnus est Pater vester, qui est in cœlis.* Cur autem Deus, qui est creator, & Dominus noster, dici voluerit etiam *Pater* suarum creaturarum, duplex est ratio, vna communis omnibus creaturis, altera propria earum creaturarum, quę ratione prædita sunt. prior ratio est, quoniam Deus non est similis alijs opificibus, qui opera sua faciunt, ac deserunt, sed similis est Patri, qui filios, quos genuit, alit, sustētat, erudit & conseruat. Opifex, qui domum ædificat, vbi eam ædificauerit, non eam sustentat, neque portat, sed aut vendit, aut Domino proprio tradit, neque de ea sollicitus esse pergit. Deus autem, vt bonus, ac pius Pater, omnium creaturarum suarum curam gerit, easque sustentat, & conseruat, vt Apostolus loquitur,
Act. 17. cùm ait, *In ipso* (Deo) *viuimus, mouemur, & sumus.* & alibi, *Qui portat omnia verbo virtutis*
Hebr. 1. *suæ.* Ratio posterior, & creaturis ratione præditis propria, illa est, quia Deus iustis hominibus hæreditatem promisit, & dabit, si in iustitia perseuerent: nam & Angelis bonis hæreditatem iam dedit, exclusis & exhæredatis Angelis malis, qui superbia sua indignos se hæreditate cœlesti reddiderunt. Ex his intelligere debent homines quantum debeant Deo, & quàm sollicitè, ac piè tanto Patri seruire, atque obedire, & quanta humilitate subijci teneantur. Ille enim nos fecit, cùm essemus omninò nihil: ille conseruat, sine qua conseruatione ad nihilum relaberemur; ille nutrit, pascit, vestit, protegit, gubernat; ille denique vitam æternam, & felicissimam promisit. Si quis casu aliquo cæcus natus, vel factus, medicum inueniret, qui videndi sensum restitueret: certè magnum beneficium ab eo se accepisse fateretur: quantum ergo debemus Deo, qui dedit, & momentis singulis conseruat, non solùm oculos, sed aures, nares, linguam, manus, pedes, omnia membra, omnes facultates, omnes sensus, & ipsam rationem, & vitam animalem, & spiritualem? iustissimè Do-
Luc. 6. minus in Euangelio dicit, Deum benignum esse super ingratos, & malos, verè enim omnes ingratissimi sumus, ac per hoc etiam mali, qui tantum benefactorem non toto corde diligimus, vel redamamus: vt eo adiuuante possemus.

IV. OMNIPOTENTEM. Addiderunt Apostoli hanc vocem, tum vt non videretur alicui mirum, quod Deus dictus esset *Pater* & origo omnium rerum creatarum, & quod eas conseruaret, & regeret; tum etiam quia paulò post idem ipse Pater dicendus est *creator cæli, & terræ*, in qua creatione omnipotentia sine dubitatione requiritur. Sed hoc loco explicandum est, quid per omnipotentiam intelligi debeat, & quis propriè dici possit *omnipotens*. Videtur autem Dauid Propheta hoc ex-
Psal. 134. plicare voluisse, cùm ait de Deo, *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra; in mari, & in omnibus abyssis.* & Angelus Ga-
Luc. 1. briel, *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Itaque omnipotens est Deus, quia potest facere quicquid vult, quamuis nobis impossibile videatur. & cùm dicitur, *non est impossibile apud Deum omne verbum.* vel per *verbum*, intelligitur res, more hebraico, iuxta illud eiusdem Lucæ, *Videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* Luc. 2.
vel intelligitur prædictio, aut promissio, vt sensus sit, nō est impossibile Deo, facere, quod facturum se dixit, aut implere quod promisit. non enim similis est Deus hominibus, qui multa promittunt, quæ postea implere non possunt. Ex hoc autem verbo magnam spem, & lætitiam concipere possunt omnes amici Dei, dum cogitant, se amicum habere omnipotentem, vt cum Apostolo gloriari possint, ac dicere, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* & contra Rom. 8.
in maximo, & continuo timore, & tremore versari deberent omnes impij, scientes inimicum se habere Deum omnipotentem, de quo Heb. 10.
scripsit idem Apostolus, *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Sed fortasse quæret aliquis, cur in symbolo dicatur Deus *omnipotens*, & non dicatur *omniscius*, siue *sapientissimus*? Ratio huius rei est, quia summa potentia necessariò requirit summam sapientiam: non contra. multi enim sunt, qui sciunt, quid fieri debeat, & quomodo debeat fieri: sed vires nō habent ad ea perficienda: nemo autem est, qui re vera possit aliquid facere, præsertim sine aliorum auxilio, vel ministerio, quin etiam sapientia, & scientia, quanta ad illud opus efficiendum necessaria est, præditus sit. Itaq; cùm Deum credimus omnipotentem, simul etiam credimus omnia scientem. Neque aliquis sit qui suspicetur officere omnipotentiæ Dei, quod dicatur non posse mori, non posse peccare, non posse falli. siquidem mori, peccare, & falli, non est efficere, sed deficere. & ideò Deus est omnipotens, quia potest omnia facere, & in nullo deficere. non potest mori, quia vita eius potentior est morte; non potest peccare, quia bonitas eius potentior est omni malitia; non potest falli, quia sapientia eius potentior est omni astutia, & calliditate, siue diabolica, siue humana. denique non potest Deus ab vlla imperfectione superari, quia perfectio eius infinita omnem imperfectionem excludit.

CREATOREM. Hic iam incipiunt Apostoli explicare opera Dei, ac primum opera creationis, deinde opera redemptionis. in quibus operibus manifestè cernitur omnipotentia, infinita sapientia, & summa bonitas Dei. conspicitur etiam, & conuincitur apertissimè, Deum nostrum solum esse verum Deum, iuxta illud, *Omnes Dij gentium Dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* ac si diceret, & hoc intelligi potest, Deos gentilium non esse Deos, sed Dæmonia, id est, spiritus malignos, qui sub nomine Deorum decipiunt miseros mortales: quod Dij gentium non fecerunt, nec facere potuissent, simul etiam omnes congregati, formicam vnam, vel granum vnum arenæ, ex nihilo: Dominus autem noster ex nihilo fecit cælum, & omnia, quæ sub cælo sunt, & fecit non solùm sine præcedente materia, sed etiam sine adiutore, sine instrumentis, sine labore, sine tempore, solo suæ voluntatis imperio. *dixit* enim, *& facta sunt omnia, mandauit, & creata sunt.* V. Psal. 95. Psal. 148.

CAELI, ET TERRAE. His duob. nominibus comprehenduntur omnia opera Dei. cęlū enim complectitur omnia opera incorruptibilia, terra verò omnia corruptibilia: & præterea VI.

cælum

cælum est quasi palatium Angelorum, terra palatium hominum, propter quas nobilissimas creaturas facta sunt omnia reliqua. Et quãuis potuisset Deus eodem die, imo eodem momento creare omnia: maluit tamen distinguere opus suum in sex dies, vt sciremus, quo ordine Deus cuncta creauerit. Igitur primo die, qui à Christianis *dies Dominicus* appellatur, cõdidit Deus materiam, siue substantiam vniuersam, vnde totius mundi partes producendæ erant. & hoc significat illud, *Creauit cælũ & terram, terra autem erat inanis, & vacua*, id est, creauit substantiam cœli & terræ, sed sine distinctione, & ornatu: quo modo Pictor delineat initio figuram sine distinctione membrorum, & sine coloribus: & postea distinguit, & exornat. Atque hoc est primũ opus Dei, quod propriè dicitur fuisse creatum, quia propriè *creari* dicitur, quod fit ex nihilo: & verissimè ex nihilo facta est materia, siue substantia cœli, & terræ, cum qua intelligitur etiam aqua. dicitur enim in eodem loco, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*. Eodem primo die facta est lux, quæ est res pulcherrima, vtilissima & gratissima. neq; disputare volo multa, quę circa lucem illam disputantur in scholis; quia Parochos tantùm in hac explicatione symboli informare proposui. Cum luce corporali creata fuit lux spiritualis, id est, natura angelica, quæ lux intellectualis est. non enim decebat, vt lux corporalis lucem spiritualẽ antecederet. Sunt autem Angeli spiritus nobilissimi, sapiẽtia maxima præditi, & multitudine ferè innumerabiles. Atq; hæc fortasse causa est, cur paulò post, dicatur, *terra erat inanis, & vacua*; & non dicatur, cœlum fuisse inane, & vacuum, quia cælum statim repletum fuit multitudine Angelorum.

Gen. 1.

Gen. 1.

Cap. firmiter de summa Trinit & fide Catholica.

Secunda die Creator operari cæpit circa partem mundi superiorem, & ex illa informi materia cœlesti formauit firmamentum, quod appellauit cælum, & diuisit aquas ab aquis: crassiores aquas infra firmamẽtum constituens, & rariores, ac puriores supra firmamentum collocans: de quibus dicitur in psalmo, *Et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini*. & in hymno trium puerorum, *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino*. quales autem istæ sint aquæ, & quomodo super cælos locum habeant, non est nostrum, qui terram incolimus, iudicare. Id solùm interim ad nos pertinet, cum ingenti admiratione, & stupore laudare omnipotentiam creatoris, qui corpus cæleste tanta amplitudine in momento procreauit, quantam animo nostro capere non possumus. Nam si quælibet stella firmamenti, magnitudine sua orbem terrarum superat, vt certa ratione viri docti affirmant, quanta erit magnitudo cæli, quod stellas innumerabiles continet?

Psal. 148.

Dan. 3.

Tertia die, creator de cœlo ad terram quasi descendens, imperio suo, ac dicto citius aquas, quæ orbem terrarum vndique operiebant, in loca terræ decliuiora conclusit, vt magna ex parte terra remaneret arida: & simul omnipotenti verbo suo terram ab aquis liberam germinare iussit herbam virentem, & omnia ligna pomifera: & mox eadem terra, quæ paulò antea fuerat inanis, & vacua, tota virens, & florida, & diues apparuit. mirabilis prorsus potentia, & sapientia creatoris: nondum semina iacta fuerant, neque sol terram calefecerat, neque agricolæ vlli aderant, qui terram colerent: sed imperium Domini non eguit creaturarum adiutorio, vel ministerio. ex quo intelligimus, quod nunc egeat rerum procreatio, & conseruatio, ministerio humãno; vel cælestium corporum, non arguere impotentiam, sed gratiam conditoris, qui voluit honorare creaturas suas, dum eas ad consortium productionis, & conseruationis assumeret.

Quarta die, rursum creator ad cælum quodammodo rediens, posuit in firmamento cæli solem, & lunam, & exercitum stellarum innumerabilem, qui velocissimè semper discurrerent, & luce sua terram calefacerent, & homines lætificarent, & simul distinguerent dies & noctes, & menses, & annos. & quod prorsus est admirabile, quinque iam annorum millia à creatione luminarium fluxerunt, & ne vnum quidem eorum extinctum est, neque ex tam celeri cursu fatigatum: sed omnia sic rutilant, & creatori suo libenter obediunt, ac si hodie primum condita fuissent. Quinta die, iterum creator quasi descendens ad partem inferiorem operis sui, omnipotenti verbo, atque imperio suo produxit ex aquis pisces, & aues, & iussit, vt crescerent, & multiplicarentur. atq; hoc præceptum sic diligenter vsque ad hanc diem adimplent, & ad finem mundi custodiẽt, vt quamuis ab hominibus pisces & aues, sine numero consumantur, semper tamen multitudo eorum propè infinita supersit.

Sexta die formauit Deus ex ipsa ipsa terra omne genus terrestrium animantium. & quoniã homo quoque terrestre est animal, eodem die illum produxit. & quia idẽ homo partim terrenus, partim cælestis est, & quasi compendiũ mundi totius, & imago Dei viuentis, & Dominus futurus orbis terræ, & omnium quę in terra, & in mari versantur, ideò par fuit, vt palatium eius ædificaretur, & ornaretur, & famuli, ac ministri eius præpararentur, antequam ipse in mundum veniret. fecit igitur Deus hominem ex terra, vt non superbiret, sed dedit illi mentem rationis capacem, & per hoc ad imaginem suam condidit, vt non vilesceret, & animantibus omnibus illum, vt Dominum præfecit, vt non bestias terræ, sed Angelos cæli viuendo imitaretur. atque hoc est, quod Dauid in psalmo canit de hominis excellentia Deo gratias pro omnibus agens, *Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Eadem die, vltimò produxit Deus mulierem. & hoc fuit opus creatoris admirabile: formauit enim mulierem ex vna costa Adami, sine dolore viri, & in momento attribuit illi omnia membra, & inspirauit animam. sic vt statim apparuerit femina iustæ ætatis, & apta ad coniugium. formauit autem Deus feminam ex viro, nõ ex limo terræ, vt intelligerent mulieres, principium sibi esse ex viro, ac per hoc eũ, vt superiorem agnoscerent, neque de primatu

Psal. 8.

contenderent. formauit autem non ex capite, neq; ex pedibus viri, sed ex latere: vt intelligerent viri, vxorem non debere esse, neq; Dominam, neq; ancillam, sed sociam, & collateralem: & subiectam quidem viro, sed subiectione politica, non despotica. Proinde viros non minus peccare, si vxorum imperio se subijciat, quam si eas minis, & verberibus absque magna necessitate cogant ad officium, cùm eas diligere debeant, vt Christus dilexit Ecclesiam. Ephes. 5.

ARTICVLVS II.

Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.

CVM in primo articulo docuerint nos Apostoli, Deú esse, & esse vnum, & ab illo res omnes creatas, vt à principio suo, & quasi fonte essendi pendere: in hoc secundo articulo docent, quis sit mediator inter Deum & homines. ac primum declarant, mediatorem vocari Iesum, id est, saluatoré: deinde cognominari *Christum*, id est, Messiam in lege promissum; tertiò illum eundem esse vnicum filiū Dei, ac per hoc verum Deum de vero Deo natum: postremò, eundem esse Dominum nostrum non solùm titulo creationis, vt est Deus Pater, sed etiam titulo redemptionis. Explicemus nunc verba singula.

I. ET IN IESVM. Hæc prima vox significat, nos credere, non solùm in Deum Patrem, sed etiam in eius filium, qui dicitur *Iesus*. quid autem significet hoc nomen, *Iesus*, declarauit Angelus, cùm dixit ad sanctum Ioseph, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* & in nocte dominicæ natiuitatis Angelus ad pastores ait, *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* quid propriè significat nomen *saluatoris*? significat eum, qui liberat ab imminéti periculo. certè si quis morbo grauissimo laborans, vt morti vicinus haberetur, & arte medici peritissimi curaretur: rectè de medico illo dicere posset, hic me saluauit à morte. In hanc sententiam dixit aliquando S. Petrus, cùm in aquis mergi inciperet, *Domine saluum me fac.* & aliàs Apostoli, cū nauicula eorum penè mergeretur, clamauerūt, ad Dominum, *Salua nos, perimus*. Sic igitur Dominus dictus est *Iesus*, id est, Saluator, quia populum suum saluauit ab imminente mortis æternę periculo, in quod periculum inciderat, ex peccato. nam *stipendium peccati mors*, vt loquitur Apostolus ad Romanos. Porrò noster Iesus, propriè & absolutè dicitur *Iesus*, id est, Saluator, quia solus ipse saluat à morbo grauissimo, quod est peccatum, ac per hoc liberat ab impendente periculo mortis æternæ. cætera enim mala, si comparentur ad peccatum, & gehennam, vix mala nominari possunt. Hinc videlicet Apostolus Petrus dicebat. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* & alio loco testatur, non solùm eos, qui post Christum fuerunt, sed etiam, qui Christi aduentum pręcesserunt, eiusdem Christi gratia fuisse saluatos. *Per gratiam*, inquit, *Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi*: patres videlicet antiqui in veteri testamento. Id quod multò ante confessi sunt Samaritani, qui Christo prædicante audito, dixerunt, *Ipsi audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.* Dicitur autem Christus *Saluator mundi*, non quod mundum vniuersum saluum faciat, sed quia potens est mundum vniuersum saluū facere, & pretium sanguinis eius sufficiens est ad saluandum vniuersum mundum: & solus ipse saluat eos, qui ex toto mundo salui fiunt, re ipsa verò solum populum illum saluat, de quo dicit Apostolus, *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operū.* Quam magnum sit beneficium Dei, saluum fieri à morte sempiterna, facilè potest intelligi ex ijs, quæ faciunt homines, vt salui fiant à morte temporali. quos enim sumptus non libenter faciunt homines, vt mortem corporis, non dicam euadant, sed ad tempus differant? verè enim scriptum est in libro Iob, *Pellem pro pelle dabit homo, & cuncta quæ habet pro anima sua*, id est, pro vita sua. Quod si tanta fiunt pro differenda morte temporali, quid quæso fieret pro euadenda morte sempiterna, si eius magnitudo seriò cogitaretur, & in statera iusta appenderetur? Porrò nos Iesus saluos facit ab impendente nobis morte sempiterna; dum peccata nobis gratis remittit. *stipēdium* enim *peccati mors*, inquit Apostolus Paulus: & Apostolus Ioannes in Apocalypsi ideò vocat peccatum mortem primam, & gehénam, mortem secundam, quia per peccatum damnantur homines ad gehennam, neq; potest vllus gehennam euadere, nisi prius fuerit à peccato liberatus: neq; vllus ad gehennam damnatur, qui peccati expers inueniatur. Neque solùm Iesus saluat nos ab imminente morte secunda, quò ad animam, sed etiam liberabit in die nouissimo quò ad corpus. tunc enim sanctorum corpora gloriosa resurgent, & mors illis vltra non dominabitur.

Ex hoc igitur sanctissimo nomine *Iesu*, intelligimus, quàm multum saluatori, ac Dei filio debeamus, cùm ab illo saluati simus à morte peccati, à morte gehennæ, & à morte naturali, idque præstiterit nobis Dominus non auro vel argento, vel sacrificijs arietum, & vitulorū, sed pretioso sanguine suo. Quæ causa est, cur hoc sanctum nomen præ omnibus nominibus honoremus, & *in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

II. CHRISTVM. Hac secunda voce docēt nos Apostoli, Iesum esse verum illum Messiā, qui promissus fuerat populo Dei per omnes Prophetas. significat autem *Christi* nomē tres eminentissimas dignitates, siue prærogatiuas, videlicet, Pontificis Maximi, Regis potentissimi, & Prophetæ veracissimi. *Christus* enim propriè sonat *vnctum*, & in populo Dei tres illæ personæ inungi solebant, Pontifices, Reges, & Prophetæ. Fuit autem Iesus vnctus non ab hominibus, neq; oleo corporali, sed à Deo Patre, & oleo spirituali. Sic enim loquitur Dauid, *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* & S. Petrus in actis Apostolorum. *Vnxit eum Deus Spiritu Sancto & virtute.* Est igitur Christus summus Sacerdos, summus

Marginalia: Matth. 1. Luc. 2. Matth. 8. Rom. 6. Act. 4. Act. 15. Ioan. 4. Tit. 2. Iob 2. Rom. 6. Apoc. 20. Philip. 2. Psal. 44. Act. 10.

Rex, summus Propheta. Et quod attinet ad sacerdotium, summus ipse sacerdos est, quia omnes alij sacerdotes sunt eius administri, & ipse per eos sacrificia offert, & omnia officia sacerdotalia peragit. *Ipse est*, inquit S. Ioannes Baptista, *qui baptizat in Spiritu Sancto*. Ipse est, qui per Sacerdotes absoluit pœnitentes, ipse, qui per eosdem offert Eucharistiam, & in matrimonium coniungit, & inungit morituros: ipse, qui per Pontifices confirmando baptizatos Spiritum Sanctum eis tradit, & per eosdem sacros ordines per manuum impositionem confert. Denique ideò dicitur, & est *Sacerdos in æternum*, quia cæteri Sacerdotes ad tempus ministrant, hic per omnes Sacerdotes sibi inuicem succedentes, omnia perficit. Atque hinc fit, vt quamuis interdum Sacerdotes improbi sint, tamen sacrificia, quæ illi offerunt, & sacramenta, quæ illi conferunt, bona & salutaria sint: quia principalis Sacerdos, qui est Christus, semper est sanctus, & bonus. Pari ratione Christus est summus Rex Mundi totius. ipse enim est *Princeps Regum terræ*, vt loquitur Sanctus Ioannes in Apocalypsi. qui etiam alio loco dicit, *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet eos, quoniam Dominus Dominorum est. & Rex Regum*. Et ipse de se dicit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Itaque Reges, & Principes terræ, ministri Christi sunt, ab ipso potestatem accipiunt, ab illo leges, & iura, & illi rationem in die Iudicij reddent: Denique ipse idem summus Propheta fuit in lege promissus, dicente Mose, *Prophetam suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*. & de ipso turbæ clamabant. *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum*.

Ioan. 1. — Psal. 109. — Apoc. 1. — Apoc. 17. — Matth. 28. — Deut. 18. — Ioan 6.

III. Filivm Eivs. Tertio loco Apostoli docent nos Mysterium sublimissimum, quod videlicet, Iesus Christus non solum sit homo, Pontifex, Rex, & Propheta: sed etiam sit verus Dei filius, ac per hoc verus etiam Deus. nā filius verus & naturalis, eiusdē naturæ est cum Patre suo: proinde filius Dei verus, Deus etiam est verus. quod sancti Patres in symbolo Niceno, & Constantinopolitano illis verbis expresserunt, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*. Nec tamen sunt duo Dij, Pater, & filius: sed vnus Deus, quoniam Pater Deus generando filium, ipsam suam, & integram naturam diuinam filio per generationem communicauit. & quoniam hoc mysterium exuperat humanam intelligentiam, vt planè ineffabile esse videatur: ideò Isaias de filio Dei loquens ait, *Generationem eius quis enarrabit?* tamen Apostolus Paulus in epistola ad Hebræos, duabus similitudinibus vtcumque nobis explicat, qualis sit generatio filij Dei. *Qui cùm sit*, inquit, *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*. prior similitudo desumitur à luce, quæ splendorem producit. quo modo enim lux splendorem producit in momento sine auxilio coniugis, cum summa puritate, & non est lux prior splendore, nec splendor est luce posterior. Sic omninò Deus Pater, qui est lux inaccessibilis, in qua tenebræ non sunt vllæ, ab ipsa æternitate producit filium, qui est *lumen de lumine*; & producit sine coniugis auxilio, sine calore concupiscentiæ, de quo loquitur in

Isai. 53. — Hebr. 1. — 1. Tim. 6. — 1. Ioan. 1.

A Psalmo per os Dauid, dicens, *In splendoribus sanctorum, ante luciferum genui te*. denique nunquā fuit Pater sine filio, sicut nec lux sine splendore, sed ab æterno Patre, sempiternus prodijt filius. Posterior similitudo sumitur ab imagine, quæ resultat in speculo, cùm quis in speculo se ipsum intuetur. quæ similitudo demonstrat, filium Dei produci per intelligentiam, Deo Patre, se ipsum, quasi speculum sine macula, mentis oculo aspiciente, & Deo filio, quasi imagine perfectissima, & simillima resultante. Sed hæ similitudines vtcumque adumbrant mysterium generationis æternæ filij Dei. perfecta verò intelligentia in præmium fidei alteri seculo reseruatur. Psal. 109.

Vnicvm. Hæc vox additur, vt intelligamus, filium Dei proprium, & naturalem nō posse esse, nisi vnum, cùm filij per adoptionē multi sint, & multò plures filij per creationē. siquidem filij per adoptionem, non generantur à Patre, neque ipsa Dei substantia constāt, sed per gratiam Spiritus Sancti cordibus ipsorum infusam, efficiuntur filij, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi, vt Apostolus loquitur in epist. ad Romanos. Filij verò per creationem, dicuntur homines omnes, qui ad imaginem Dei creantur, iuxta illud Moisis in cantico, *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Christus autem filius est vnigenitus, vt Ioannes Baptista, & Euangelista passim affirmant, quoniam ipsam Dei essentiam, eamque totam per generationem, quæ fit per intelligentiam diuinam, solus accepit. sed hæc altiora sunt, quam vt ad populum pluribus explicari debeant. IV. B Rom. 8. Deut 32. Ioan. 1. Ioan 3 1. Ioan 4.

C Dominvm Nostrvm. Addunt Apostoli, hunc ipsum filium Dei, esse propriè nostrum omnium, verum, & absolutum Dominum. Id quod duplici titulo illi conuenire certissimum est, titulo videlicet creationis, & titulo redemptionis. Ipse enim cum Patre nos creauit, Ioanne attestante, cùm ait, *Omnia per ipsum facta sunt*, & paulò post, *Et mundus per ipsum factus est*. & quoniam filius Dei cum Patre nos condidit ex materia, quam ipse creauerat, sine administris, sine instrumentis, solo voluntatis imperio: sequitur, vt ipse sit verus, ac proprius Dominus omnium rerum. de quo S. Petrus absolutè pronunciat. *Hic est omnium Dominus*. Deinde cùm essemus mancipia facti Diaboli, ipse idem vnigenitus Dei redemit nos, & eruit de potestate tenebrarum, & de ira Dei omnipotentis: *Empti estis pretio magno*, inquit Apostolus Paulus: & Coapostolus eius Petrus addit, *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati, & incontaminati Christi*. Meritò igitur *Dominum* vocamus eum, qui nos redemit: quāuis ipse ex infinita benignitate sua nos amicos, & fratres, & cohæredes esse voluerit. Ioan. 1. D Act. 10. 1. Cor 6. 1. Pet. 1.

Articvlvs III.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

In articulo secundo docuerunt nos Apostoli, Christum esse Deum, & hominem: in hoc articulo tertio declarant, quomodo filius Dei, factus sit filius Virginis Mariæ, ac per hoc

quo

quo modo Deus factus sit homo. Duo sunt igitur nobis breuiter explicanda. primùm, qualis fuerit Christi conceptio, deinde qualis fuerit eiusdem Christi natiuitas.

QVI CONCEPTVS EST. Conceptio Christi humana, similis fuit conceptioni aliorum hominum, vna in re; sed in alijs rebus multis diuersa. Similis fuit conceptioni aliorum, quò ad matrem, quia verè conceptus est in vtero matris: & ex sanguine matris, ac per hoc verus est filius matris suæ Mariæ, & Maria vera est mater Christi. & quia B. Maria ducebat originem à Dauide, ideò B. Paulus dicit, Christum esse *ex semine Dauid*, & in Euangelio dicitur Christus non semel, *filius Dauid*. Dissimilis autem fuit Christi conceptio conceptioni aliorum hominum ex parte causæ efficientis. Siquidem cæteri homines causam habent efficientem immediatam, parentem suum, id est, alium hominem: Christus verò non habet Patrem in terris, sicut nec matrem in cœlis. & hoc significatur, cùm dicitur, *Conceptus de spiritu sancto*. solus enim spiritus Dei, absque adiutorio hominis, virtute sua infinita, formauit ex virgineo sanguine corpus Christi in vtero eiusdem Virginis: & animam eius creauit, & corpori infudit.

Rom. 1. Math. 1. Math. 22. Luc. 1. Luc. 18.

Et quoniam Adam quoque non habuit Patrem in terris, sed à Deo solo formatus fuit, ideò B. Paulus vocat eum primum hominem, à quo cæteri homines per naturalem generationem descendunt: & Christum secundum hominem, à quo per regenerationem ex aqua & Spiritu sancto descendunt omnes adoptiui filij Dei. Neq; difficile est Deo supplere causam efficientem. siquidē in principio solus Deus produxit herbas, & arbores, cùm nondum creatus esset homo, qui seminaret, vel plantaret, neque sol, qui calore suo foueret, neque pluuia, quæ humectaret. Sed verbum illud Domini, *germinet terra herbam virentem*, omnia præstitit, atq; perfecit. Ex hac prima differentia consecutæ sunt aliæ multæ. primùm enim nos omnes nascimur cum originali peccato, quod à primo parēte, per carnalem generationem trahimus: Christus autem sine peccato natus est, cùm Patrem non habuerit in terris, sicut nec matrem in cœlis, vnde est illud Angeli ad Virginē, *Quod nascetur ex te sanctum*. Deinde nos concipimur malè affecti, & aliqui maiorēs, aliqui minores iusto; aliqui cæci, aliqui surdi, aliqui debiles: Christus autem conceptionem perfectissimam consequutus est, quia *Dei perfecta sunt opera*. Itaque neque ægrotauit vnquam, & iustæ staturæ fuit: & planè speciosus præ filijs hominum. quo modo etiam Adam, & Eua, quos Deus solus effecit, præstantissima corpora gerebant: & vinum, quod in nuptijs Christus solo nutu ex aqua fecit, tale fuit, vt diceret Architriclinus, *Seruasti bonum vinum vsq; adhuc*. Tertiò, conceptio nostra eget spatio dierum quadraginta, vt perficiatur, quia natura paulatim progreditur in opere suo: at Christus in momento conceptus, & plenè formatus fuit, quia Deus non eget tempore. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt*. Quartò, corpora nostra per dies quadraginta, carēt anima rationali: & postquam illi infusa fuerit anima rationalis, adhuc

1. Cor. 15. Luc. 1. Deut. 32. Psal. 44. Ioan. 3. Psal. 148.

A longo tempore ipsa anima caret vsu rationis, neq; vllam scientiam, aut artem, aut virtutem infusam recipit. Christus verò in ipsa conceptione animam nobilissimam, omni sapientia, & virtute, & ipsa etiam beatitudine ornatam accepit. Id quod Isaias illis verbis expressit, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. spiritus sapientiæ & intellectus: spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*. Virga de radice Iesse, vt exponit hoc loco S. Hieronymus, est Virgo Maria, quæ descendit ex progenie Dauid, cuius pater fuit Iesse. Flos autē ex virga illa germinans fuit Christus, qui de se dicit in Canticis, *Ego flos campi, & lilium conuallium*. Isai. 11. Cant. 2.

B Christus autem fuit flos in conceptione, & fructus in natiuitate. proinde in ipsa conceptione, & ante natiuitatem, plenus fuit Spiritu Sancto, & omnibus donis eius.

Quintò & postremò, nos, completa conceptione, & corpore animato anima rationali, incipimus esse homines: Christus autem, conceptione completa, incepit esse simul Deus, & homo, siue Deus humanatus. quoniam in eodem instanti, in quo formatum est corpus, & infusa anima, fuit etiam ineffabili modo corpus cum anima vnitum diuinitati in secunda persona sanctissimæ Trinitatis. & tunc, vt testatur S. Ioannes, *Verbum caro factum est*, & qui erat filius Dei, cœpit esse etiam filius Virginis. non enim sunt duo filij, vnus Dei, alter Virginis: sed vnus tantum, qui ab æterno fuit filius vnigenitus Dei Patris, à quo accepit diuinitatem; & qui in tempore factus est filius vnigenitus Virginis Matris, à qua accepit humanitatem. Hoc verò fuit beneficium maximum exhibitum à Deo toti humano generi, pro quo æquū esset, vt omnes, & singuli homines quotidie gratias agerent Deo, qui cùm esset supremus Dominus noster, voluit etiam fieri frater noster. & ad tantam sublimitatem genus nostrum euexit, vt, vnus homo, Christus, sit verè Rex, & Dominus Angelorum, & vna mulier, Virgo Maria, super omnes choros sedeat Angelorum. Sed ad maiorem explicationem huius mysterij tres dubitationes dissoluendæ esse videntur. Prima dubitatio est, cur conceptio Christi tribuatur Spiritui Sancto, cùm omnia opera ad extra sint communia Trinitati diuinarum personarum? Altera dubitatio est; cur dicatur sola persona filij incarnata, cùm tota sanctissima Trinitas incarnationē operata sit? Tertia dubitatio, an Spiritus Sanctus dici possit Christi Pater, cùm Christus de Spiritu Sancto conceptus fuisse dicatur? Ad primam dubitationem facilis est responsio. siquidem opera Dei externa, sunt quidem communia omnibus diuinis personis; tamen ea, quæ pertinent ad potentiam, tribui solent Patri; quæ pertinent ad sapientiam, attribuuntur filio; quæ pertinent ad amorem, attribuuntur Spiritui Sancto. nō quòd sint propria illarum personarum, sed quòd similitudinem quandam habere videantur, cùm earum personarum proprietatibus. Igitur conceptio Christi, Spiritui Sancto tribui solet, quia fuit opus summæ dilectionis Dei erga genus humanum, dicente Domino,

Ioan. 1. C D

Ioan 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ad alteram dubitationem æquè facilis est responsio. dicitur enim sola persona filij incarnata, quamuis tota Trinitas incarnationis opus fecerit; quia sola persona filij suscepit humanitatem, quamuis omnes tres personæ diuinę concurrerint ad humanitatem illam efficiendam, & personæ filij vniendam. Simile est, cùm vnus aliquis vestem nouam induit, quam ipse duobus alijs adiuuantibus fecit, & iisdem adiuuantib. induit. tunc enim tres sunt vestem illam facientes, & iuuantes ad induendam, sed vnus solus indutus. Ad postremam dubitationem respondemus, Spiritum Sanctum non posse dici Patrem Christi, quamuis de ipso conceptus fuisse dicatur. Ille enim est Pater, qui de substantia sua filium generat. qui autem opus aliquod non de substantia sua, sed aliundè producit, non Pater, sed opifex dici debet. Iam igitur Deus Pater est verus, & solus Christi Pater secundum diuinitatem. & Beata Virgo Maria est vera, & sola Christi mater secundum humanitatem: quia Deus Pater de substantia sua Christum genuit, vt Deum, non ex nihilo creauit, neque aliundè formauit: & Beata Virgo Maria Christum genuit vt hominem ex materia sanguinis sui, non aliundè. Spiritus autem sanctus non ex substãtia sua Christum genuit, sed ex sanguine Virginis formauit. proinde non Pater Christi, sed opifex corporis, & animæ Christi dici debet.

Quamuis autem verè dictum sit, à Beata Virgine Christum fuisse genitum, vt hominem, non vt Deum; non tamen inde sequitur, Beatam Virginem nòn esse matrem Dei, aut non esse Dei genitricem. Verissimè enim Virgo Maria Dei genitrix, & Dei mater est. quoniam vna tantum est in Christo persona, eaque diuina, duas habens naturas, diuinam ex Patre, humanam ex matre. proinde vtrumque verum est, & quòd Christus, vt Deus, habet Patrem sine matre, & quod Christus Deus habet Patrem, & matrem: & pariter vtrumque verum est, & quod Christus, vt homo, non habet Patrem, sed solam matrem, & quòd Christus homo habet matrem, & Patrem. Pertinebit igitur ad Parochum accuratè populum docere quantam vim habeat illa reduplicatio, *Deus vt Deus*, vel *homo vt homo*: & quid intersit inter illas voces: *Christus Deus*, & *Christus vt Deus*: & *Christus homo*, & *Christus vt homo*: vt populus non erret in mysterio ad salutem omninò necessario.

II. Natvs Ex Maria Virgine. Hæc est altera pars articuli, in qua declaratur natiuitas Saluatoris, quæ vna in re similis fuit natiuitati cæterorum hominum, & in multis dissimilis, vt paulò ante diximus de conceptione. Primùm igitur similis fuit natiuitas Christi natiuitati hominum cæterorum, quòd sicut cæteri homines post conceptionem, detinentur in vtero matris mensibus nouem, sic etiam Christus mansit in vtero Virginis matris mensibus nouem, videlicet à die vicesimo quinto Martij, vsq; ad diem vicesimum quintum Decembris. Sed in pluribus reb. fuit dissimilis. Nam cæteræ mulieres in parturiendo multum laborant, & dolores grauissimos patiuntur. Virgo autẽ Maria nullos dolores pertulit, neq; eguit obstetrice, aut adiutrice aliqua neq; pro se, neq; pro filio. sed ipsa filiũ sustulit è terra, ipsa pannis inuoluit, ipsa posuit in præsepio. Deinde mulieres cæteræ non sine violenta dilatatione partium illarum, per quas infantulus prodit in lucẽ, parturire possunt, atq; inde existit vehemens ille parturientiũ dolor. Sancta verò Dei genitrix nullã passa est in parturiendo meatuum dilatationem, aut apertionem: sed vt Virgo concepit, sic etiam Virgo peperit: & vt Christ⁹ clauso sepulchro resurrexit, & clausis ianuis ad Apostolos introiuit; sic etiam vtero clauso in lucẽ prodijt. Id quod significatum est ab Ezechiele per portã orientalem semper clausam, per quam Dominus Deus solus intrauit. Ezech. 44. prǽterea nullus hominum eligere potest tempus, & locũ natiuitatis suæ. Christus autem elegit tempus, & locum, & vtrumq; mysterijs plenum. elegit temp⁹ solstitij hiberni, quando sol reuerti incipit ad nos, quia tunc ipse sol iustitiæ, & vera mundi lux ad homines per gratiam reuertebatur, à quib. propter peccata recesserat. elegit locũ abiectũ, & humilẽ, viculũ Bethlehem, & in eo speluncam, vbi nasceretur; & præsepe, vbi poneretur, vt hoc exemplo doceret contemptũ mundi, & pomparum, ac deliciarum eius. Rectissimè S. Leo in ser. 1. de Epiphan. Qui serui, inquit, susceperat formam, Bethlehem prælegit natiuitati, Hierosolymã passioni. voluit enim in obscuro loco nasci, vbi ab Angelis laudaretur, & à Regib. adoraretur: & in loco clarissimo, & frequentissimo mori, vbi à multitudine contemneretur, & à Principibus illuderetur.

Voluerunt aũt Apostoli in hoc symbolo exprimere nomẽ *Mariæ*, ac dicere, *natus ex Maria Virg.* & non solũ, *natus ex Virg.* duplici de causa. primùm ad veritatẽ historiæ confirmandã, deinde ad maiorẽ Ecclesiæ cõsolationẽ, & ipsi⁹ Virg. prǽdicationẽ. Multũ facit ad historię veritatem confirmandam, nomina propria superaddere. hæc enim causa est, cur in hoc ipso symbolo nominetur Pontius Pilatus: & in annunciatione Dominica, nominentur Angelus Gabriel, ciuitas Nazareth, Ioseph, & Maria. & in prædicatione Præcursoris Domini, nominentur Tiberius Imperator, Procurator Pilatus, Herodes Tetrarcha, Sacerdotum Princeps Annas, & Caiphas, & deniq; Zacharias & Ioannes. Sic etiam ad consolationẽ Ecclesiæ, & laudem Virginis non parum conducit, quòd sciamus nomen amabile sanctissimæ Deiparæ, in cuius patrocinio, post Christum Dominum, multùm omnino, iure optimo tota cõfidit Ecclesia. Atque ad ipsius Virginis gloriam maxime pertinet, quod in Apostolico symbolo, quod breuissimũ est, Maria Virgo Deipara, quæ laus præconia omnia superat, apertissimè pdicetur.

Articvlvs IV.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

Post explicatam Christi conceptionem, & natiuitatẽ, Apostoli tradunt nobis eiusdẽ Christi passionẽ, & mortem. omittunt autem res gestas eius, vt conciones, & miracula; quoniam in hoc breui compẽdio ea solùm tradere

voluerunt, quæ habent peculiarem difficultatem. ijs autem qui iam crediderūt Incarnationem Verbi, & non dubitant, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, non eſt difficilè credere, quod fuerit ſapientiſsimus, & optimus, & potentiſsimus in opere, & ſermone. ſed quod Deus homo crucifixus, & mortuus fuerit, id omninò difficulter credi poterat. & vſq; ad hanc diem Mahometani credūt, Chriſtum de Virgine natum eſſe, & non poſſunt adduci, vt credant, eundem ipſum crucifixum, mortuumq; fuiſſe. & ipſe Apoſtolus dicit, prædicare Chriſtū crucifixum, eſſe ſcandalum Iudæis, & ſtultitiam gentilibus. Rectiſsimè igitur Apoſtoli hunc nonum articulum addiderunt, vt fideles inſtruerent, ac docerent, non ſatis eſſe ad ſalutem credere conceptionē, ac natiuitatem Chriſti, niſi etiam paſsionem, & mortē crederent. Explicemus nunc verba ſingula. 1. Cor. 1.

I. Passvs Svb Pontio Pilato. Paſsio Chriſti ſignificat hoc loco id totum, quod paſſus eſt Chriſtus in vltima die vitæ ſuæ temporalis. quæ paſsio facta eſt ſub Pontio Pilato, id eſt, eo tempore, quo Pontius Pilatus pro Tiberio Imperatore Iudæam gubernabat: & non ſolùm facta eſt Pilato Præſide, ſed etiam Pilato Iudice, & ſententiam in Chriſtum ferente. vtrumq; enim ſignificat illud, *ſub Pontio Pilato*. Quamuis enim Pilatus cupiuiſſet Chriſtum abſoluere, vt Euangelia teſtantur, cùm ſciret, iniuſtè fuiſſe accuſatum; tamen non præualuit vi perrumpere iniquitatem, ſed humano timore ſuperatus, iniuſtam ſententiam in Chriſtum tulit, grauiterq; peccauit. Ex quo etiam, diuina vltione vrgēte, tot ſimul calamitatibus breui obrutus fuit, vt ipſe ſibi propria manu mortem attulerit. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Euſ. lib. 2. hiſt. c. 7.

II. Crvcifixvs. Hæc vox ſignificat genus paſsionis Dominicæ, quod fuit acerbiſsimum, & longiſsimum, & infamiſsimum, quòd ſolis, vt plurimum, vilibus perſonis adhibebatur. quod ipſe Dominus elegit, & præſignificauit, per figuram ſerpentis ænei in deſerto, ſuper lignum exaltati, vt ipſe Dominus declarauit apud Ioannem. Atque hoc totum factum eſt, vt pleniſsima eſſet redemptio. quamuis autē multæ fuerint aliæ Chriſti paſsiones, vt illuſio, flagellatio, coronatio ſpinarum, & aliæ: tamen omittuntur gratia breuitatis, & ſolùm potiſsima paſsio nominatur. Ioan. 3.

III. Mortvvs. Non ſolùm pati, ſed & mori voluit. potuiſſet enim, ſi voluiſſet, de cruce deſcendere, vt Iudæi ab eo petebant, cùm inſultantes dicerent, *Si filius Dei es, deſcende de cruce.* &, *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* ſed ille complere voluit opus ſuū, & mortis calicem amariſsimum guſtare, vt mortem noſtram moriendo deſtrueret, & vitam reſurgendo repararet. Matth. 27.

IV. Et Sepvltvs. Sepeliri voluit Dominus, & in ſepulchro trib. dieb. iacere, vt verè mortuus fuiſſe crederetur: & voluit in ſepulchro nouo reponi, & ſepulchrum publico ſigillo communiri, vt vera reſurrectio probaretur. placuit enim diuinæ ſapientiæ, ſic humanam aſtutiam vincere, vt per ea ipſa, reſurrectionē veriſsimam fuiſſe demonſtraret, quæ ad reſurrectionem impediendam impij Iudæi, Diabolo inſtigante, præparauerant. Sed nos his explicatis, breuiter aperiamus, quis fuerit auctor, & quis fuerit finis Chriſti paſsionis, & mortis. hæc enim conſideratio multum prodeſt ad ipſam paſsionem, magno cum fructu meditandam. Multi fuerunt auctores, ſiue cauſæ efficientes Dominicæ paſsionis: & multi pariter fuerunt fines, quorum cauſa paſsio Dominica facta eſt. Auctor primus Dominicæ paſsionis fuit Deus Pater, qui *proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, vt Apoſtolus loquitur. Deinde filius ipſe auctor fuit paſsionis ſuæ, vt ipſe loquitur apud Ioannem, cùm ait, *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo.* & ante eum Iſaias, *Oblatus eſt*, inquit, *quia ipſe voluit.* & poſt eum Apoſtolus, *Chriſtus*, inquit, *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Tertiò cauſa fuit paſsionis Chriſti Iudas, qui eum tradidit: Quartò Iudæi, qui eum tradiderunt Præſidi, & vocibus magnis petierunt, vt eum crucifigeret. Quintò Pilatus, qui ſententiam tulit. Sextò Miniſtri Præſidis, qui ſententiam executioni mandarunt. Iſti autem omnes non ob eundem finem, ſed planè diuerſos, ac varios Chriſti paſsionem operati ſunt, & iuxta eos fines opus bonum, vel malū, & dignum laude, aut vituperatione fecerunt. Ac vt incipiamus ab vltimis, & paulatim ad ſupremam cauſam aſcendamus. Miniſtri Præſidis peccatum grande peccauerunt, quia notoria erat, & apertiſsima innocētia Chriſti, quod ipſe etiam Pilatus non ſemel publicè pronunciauit. & cùm notoria eſt innocentia alicuius, nemo poteſt eum ſine peccato punire. deinde Miniſtri illi non contenti ſupplicio, quod Iudex conſtituerat, ex propria malitia, & crudelitate addiderunt coronam de ſpinis, & illuſiones varias, quæ in Euangelio notiſsimæ ſunt. Itaq; finis miniſtrorum, tum vt placerent Iudæis, tum vt ſæuitiam ſuam explerent. Pilatus Chriſtum damnauit ad mortem, quamuis innocentem eſſe ſciret, ne incideret in iracundiā Cæſaris, quam Iudæi illi comminati fuerant, dicentes, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim, qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Proinde ipſe quoq; peccauit, & pœnas grauiſsimas luit etiam in hac vita, vt ſupra ex hiſtoria Euſebij demonſtrauimus. Ex quo intelligimus nunquam eſſe Deum offendendū propter timorem hominum, quia Deus eſt ſuper omnes homines, & omnia cernit, & nullo negotio poteſt eos, à quibus colitur, liberare. Sic ſanctus Patriarcha Ioſeph, & ſancta mulier Suſanna cum timore humano ad adulterium cōpellerentur, maluerunt ſubire periculum vitæ, quàm peccare in Deum, & vterq; mirabili Dei prouidentia mortem euaſit. Ipſi autem Iudæi Chriſtum interfici procurauerunt partim ex inuidia, quia videbant Chriſtum à populis pluris fieri, quàm ipſorum Scribas, & Phariſæos, partim ex timore mundano, ne Regnum Iudaicum penitus interiret. nam de inuidia teſtatur Euangelium. ſic enim ſcribit S. Matthæus, *Sciebat enim Pilatus quòd per inuidiam tradidiſſent eum.* de timore mundano, ſcribit S. Ioannes, dixiſſe Pontifices & Phariſæos, *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum*

Marginalia (right column): Rom. 8. — Ioan. 10. — Iſai. 53. — Epheſ. 5. — Ioan. 18. — Matth. 27. Marc. 15. Ioan. 19. — Ioan. 19. — Gen. 39. 41. Dan. 13. — Matth. 27. — Ioan. 11.

A sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Proinde ipsi quoq; grauiter peccauerunt, & Regnum temporale, & sempiternum amiserunt. Iudas mercator pessimus, vt eum Ecclesia meritò vocat, ex auaritia Christum vendidit. sed nihil ei profuerũt triginta denarij, quos pro mercede proditionis accepit. nam eos paulò post restituit, & desperans laqueo se suspendit. Omnes auari similes sunt Iudę, nam nec fruuntur bonis, quę auidè colligunt in hac vita, & in futura grauissimè puniuntur. Restant Deus, & Christus, qui causæ fuerunt passionis, sed ob finem longè diuersum, quã Iudas, & Pilatus, vel Iudæi, & ministri tanti facinoris. Deus enim & Christus in passione illa quæsierũt salutem generis humani,
B & gloriam diuinitatis, siquidem primũ Adæ peccatum, quod in omnes homines per generationem transfunditur, abstulit honorem Deo, & salutem homini. quæ duo mala tolli nõ poterant, salua iustitia, nisi satisfactio inueniretur infiniti pretij. Hinc igitur æterna Dei sapientia misericordiam, atq; iustitiam ita coniũxit, vt Deꝰ Pater ex infinita misericordia sua filium suũ dederit, & filius semetipsum obtulerit, pretium scilicet infinitum ad satisfaciendũ diuinæ iustitiæ. *Humiliauit enim semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autẽ crucis.* (Phil. 2.) & gratior multò fuit in oculis iustitiæ diuinæ ista humilis obedientia secundi Adami, quã displicuerit superba inobedientia primi Adami. Itaque Deus Pater in Christi passione non
C peccauit, quamuis eam ab æternitate decreuerit; quia non impulit Iudæos, & Pilatum ad Christum interimendum, sed permisit eos id facere, & eorum mala voluntate benè vsus est, vt ostenderet infinitam charitatem suam, iuxta illud Euangelij, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ daret.* (Ioan. 3.) Et Christus seipsum offerens ad mortem pro redemptione mundi non peccauit, sed pręclarissimum opus fecit obedientiæ erga Patrem, & charitatis erga genus humanum. nemo enim est, qui non possit cum Apostolo dicere, Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. (Gal. 2.)

Ex quibus omnibus illa conclusiõ colligenda est, peccata nostra verè causam fuisse passionis filij Dei. Nisi enim homo peccasset, nunquam Deus permisisset filium suum innocen-
D tissimum lædi, ne dicam occidi: & ipse filius non se morti crudelissimæ sponte obtulisset. neq; aliquid contra filium Dei valuisset astutia Iudæorum, aut auaritia Iudæ, aut potentia Pilati, aut crudelitas ministrorum. & ipsi claui, & spinæ, atq; flagella, vel in satellites vim suam conuertissent, aut certè in puluerem redacta essent, ne carnem innoxiam, & sacrosanctam filij Dei lædere possent. Proinde cùm passionem Christi contemplamur, nostra potissimũ peccata detestari debemus, & Christo compati, atque eidem humillimas gratias agere: ac firmissimo proposito statuere, nos peccata omnia deinceps pro viribus euitaturos: & Christi patientiã, atq; humilitatẽ, nec non obedientiã, & caritatẽ diligentissimè imitaturos; ac deniq; nõ solũ facultates & propinquos, sed etiam vitam ipsam potius contempturos, quàm vt Deum, & Dominum nostrũ dulcissimũ offendamus.

ARTICVLVS V.

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

IN hoc articulo docent nos Apostoli, quid egerit anima Christi post separationẽ suam à corpore: ac in summa duo dicunt, primũ, animam descẽdisse ad inferos, deinde eandem animam ascendisse ab inferis, & corpori suo felicissimè restitutam. Incipiamus à primo. I.

DESCENDIT AD INFEROS. Hęc verba significant, Christum, qui, quantum ad corpus, iacebat in sepulcro, quantũ ad animam descendisse ad inferos, qui erat locus animarum, antequã Christus ascendens in cælum aperiret credentibus regna cœlorum. hinc enim S. Patriarcha Iacob dicebat filijs. *Deducetis canos meos cũ dolore ad inferos,* (Gen. 42.) id est, efficietis, vt anima mea de corpore senili cum dolore exiens trãseat ad inferos, vbi morantur animæ defunctorum. Sunt autem apud inferos, vt Theologi communi consensu docent, quatuor loca, quasi 4. diuersæ regiones. (Vide Doctores super Magistrum in 4. sentent. dist. 45.) Regio profundissima, & obscurissima est infernꝰ inferior, qui locus est reproborũ, atq; ad æterna supplicia damnatorũ. sic. n. decebat, vt quemadmodũ locus beatorũ est suprema cælestis regio, altissima & lucidissima: sic locꝰ damnatorũ, esset abyssus profundissima, & obscurissima. Regio paulò altior, Purgatoriũ appellatur, vbi detinẽtur animæ illæ, quę cũ caritate de hac vita decedũt: sed igne purgatorio expiãdę sunt, antequã ad regnũ cęlorũ peruenire possint, de quib. Apostolus dicit, *Salui erunt, sic tamen, quasi per ignẽ.* (1. Cor 3.) Regio adhuc altior est, in qua detinẽtur animę illorũ infantiũ, qui cum solo originali peccato de corpore excesserunt. Regio altissima, sed tamen subterranea, & ad infernũ pertinens, illa est, ad quam descendebant animæ sanctorum veteris Testamenti, ibiq; manebãt donec Saluator eas inde educeret. ad hunc locum ducta est anima illius mẽdici Lazari, vbi etiam sanctũ Abrahã inuenit, & in eius sinu quiescebat, vt Dominus narrat in Euangelio. (Luc. 16.) Ad hunc igitur locũ Christi anima descẽdit, & sanctas illas animas incredibili consolatione affecit, & visione suæ diuinitatis beatas reddidit, ac per hoc ex inferno paradisum præsentia sua fecit. atq; hoc futurũ Dominus significauit, cùm latroni secũ in cruce pendenti dixit, *Hodie mecum eris in paradiso.* (Luc. 23.) Descẽdit igitur Dominus, quantũ ad animam, ad inferos, sed nõ descendit, vt captiuus, sed vt liber, & Dominus, vt etiam illius partis Mundi possessionẽ caperet; vt dæmones, ac reprobos argueret, & terreret: vt animas purgatorij consolaretur; sed præcipuè, vt Sanctorum animas inde educeret, & secum ad cælum eueheret. hoc significauit Dauid, cùm in Psalmis in persona Christi diceret, *Factus sum inter mortuos liber.* (Psal. 87.) & de liberatione sanctarum animarum, *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem:* (Psal. 67.) vel, vt legit Apostolus, *Christus ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* (Ephes. 4.)

II. TERTIA DIE RESVRREXIT A MORTVIS. Mora Christi apud inferos fuit trium dierũ, sed non completorum. mansit enim die Veneris, siue feria sexta ab hora nona vsque ad duodecimam: & die Sabbati integris

viginti

viginti quatuor horis. & die Dominica ab hora prima noctis vsque ad principium auroræ. placuit enim Domino, vt quemadmodum moratus fuerat in terris ad annos triginta tres; sic etiam moraretur sub terras saltem ad horas triginta tres. Ratio autem huius moræ primaria fuit, vt intelligeremus, eum verè fuisse mortuum. Si enim post vnam, vel alteram horam surrexisset, potuissent homines suspicari, illum non verè mortuum, sed sensus eius sopitos, & vim motricem ad tempus fuisse ligatam. sed vna hic est dubitatio breuiter dissoluenda. Nam ipse Dominus in Euangelio dicit, *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Ad hanc dubitationem respondet S. Augustinus in libris de consensu Euangelistarum, ac dicit, in scripturis sanctis sæpè accipi partem pro toto, & allegat S. Matthæum, qui c. 17. dicit, *& post dies sex:* & S. Lucam, qui cap. 9. loquens de eodem tempore, dicit, *& post dies ferè octo.* quia vnus Euangelista loquitur de diebus integris, alter de inchoatis. Sic igitur docet S. Augustinus, tempus, quo mansit Dominus secundùm animam in limbo, & secundùm corpus in sepulchro, fuisse tres dies, & tres noctes, accipiendo partem pro toto. nam primus dies est dies Veneris, siue Feria sexta, ex quo die mansit Dominus tres horas vltimas in limbo, & in sepulchro. sed per eas tres horas intelliguntur omnes aliæ præcedentes .i. duodecim horæ noctis præcedentis, & nouem horæ ipsius diei Veneris. nam apud Hebræos inchoantur dies naturales à Vespera, & terminantur ad Vesperam, iuxta illud Genesis, *Factum est vespere, & mane dies vnus.* & illud Leuitici, *à vespera vsq; ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Secundus dies est dies Sabbati, qui propriè fuit integer. tertius dies est Dominicus, ex quo die mansit Dominus in limbo, & in sepulchro à principio noctis vsq; ad aurorã. Sed per figuram illã, qua ex parte intelligitur totũ, potest rectè dici dies integer naturalis. Itaq; vtrumq; est verum, & quòd Dominus die tertia resurrexit, vt dicitur Mat. 20. & quòd fuit in sepulchro secundùm corpus, & in inferno secundùm animam tribus diebus & tribus noctibus, vt dicitur Matth. duodecimo, illud propriè, hoc per figuram intellectionis.

Mat. 12.
Lib. 3. c. 24.
Gen. 1.
Leu. 23.

Porrò resurrectio Domini est mysterium grauissimũ, & difficillimũ, & quod semel admissum, & creditũ omnia alia mysteria Christiana facilia & credibilia reddit. cur enim difficilè erit credere, Christum conceptum esse de Spiritu sancto, natum de Virgine, patrasse miracula verè mortuum, & sepultum, si credamus, eum propria virtute ab inferis rediisse, & à morte resurrexisse? nam, quòd homo viuens hominem mortuum diuinitùs adiutus suscitauerit, non erat nouum apud Hebræos: sed quod homo mortuus excitauerit seipsum, inauditum erat ante Christi resurrectionẽ. Ista enim resurrectio planè conuincit, eum qui resurrexit virtute propria, non fuisse purum hominẽ, sed verum Deum, qui infinita sua virtute potuerit animam suã suo corpori restituere; & corpus ipsum ita reformare, vt deinceps ne-

A que mori, neq; pati possit. Atque hæc est ratio, cur Dominus post resurrectionem suam, quadraginta diebus in terris commorari voluerit, vt videlicet apparitionibus varijs, multisq; argumẽtis fidẽ veræ resurrectionis astrueret. Ac primùm fuisse verum corpus, quod resurrexit; non phantasma aliquod, probauit dicens, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.* fuisse idem corpus, quod antea fuerat, probauit ex relictis signis clauorũ, dicens, *Videte manus meas quia ego ipse sum:* & ad Thomam qui dixerat, *Nisi videro in manibus eius fixurã clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meã in latus eius, non credam;* dixit Dominus, *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Fuisse corpus viuum, B probauit ambulando, loquendo, audiendo, manducando. Fuisse corpus eadem anima præditum, vt antea erat, probauit testimonio Angelorum, qui vident non solùm corpus, sed etiam animam, & non semel illum esse testati sunt, qui antea erat. atque apparitiones, & testimonia Angelorum Euangelistæ omnes referunt. Fuisse eundem Christum, id est, Deum, & hominẽ, probauit renouãdo miraculum, quod fecerat, in captura piscium admirabili: de qua vide Lucam cap. 5. & Ioan. cap vigesimo primo. denique fuisse corpus gloriosum, & immortale, probauit exeundo ex monumento clauso; & ingrediendo cænaculum ianuis clausis, & veniendo, ac recedendo, nõ ambulando, sed euanescẽdo, id est, tanta velocitate corpus C suum ab vno loco ad alium transferendo, ac si euanuisset. Atque hæc ipsa necessitas, & difficultas credendæ resurrectionis, causa fuit, cur Apostoli dicerent, se missos fuisse, vt testimonium Resurrectioni præberent. Sic enim loquitur sanctus Petrus, cùm Matthiam in locum Iudæ Apostolum creari voluit, *Oportet vnum ex his testem resurrectionis eius nobiscum fieri.* & in eodem libro sanctus Lucas ait, *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis IESV Christi Domini nostri.* & sanctus Augustinus, Fides, inquit, Christianorum, Resurrectio Christi est. nam Christi mortem etiam gentiles, & Iudæi credunt: sed resurrectionem soli Christiani credunt. Est autem magnum in hoc solemni triduo sacramẽtum, id est, in die passionis, in die sepulturæ, & in D die resurrectionis. vt enim caput nostrum Christus, feria sexta passus est, in Sabbato requieuit, in die Dominico resurgens ad vitam gloriosam, & immortalem transijt; sic omnia membra eius, pati, & tribulari oportet feria sexta, id est, in præsenti sæculo. deinde morte adueniente, dicet spiritus, *vt requiescant à laboribus suis,* in sepulchris videlicet, quod est nostrum sabbatum. postremò in vltimo die inimica destruetur mors, & regnabunt sancti cum Deo, non solum animo, sed etiam corpore in secula seculorum. atque hic erit dies Dominicus, verè *dies, quam fecit Dominus, vt exultemus, & latemur in ea.* Itaque prudentes Christiani, cùm in hac vita patiuntur calamitates varias, non mirantur, neque dolent, quia considerant, nunc earum rerum tempus esse:

Luc. 24.
Luc. 24.
Ioan. 20.
Luc. 24.
Mat. 28.
Marc. 16.
Luc. 24.
Ioan. 20.
Luc. 24.
Ioan. 20.
Act. 1.
Act. 4.
In Psal. 120.
Apoc. 14.
Psal. 117.

quomodo etiam rustici non conqueruntur, si in hyeme vigeant niues, & glacies, quia hæc tempus illud postulat. & quemadmodum ijdē rustici molestè ferunt, si videant hyemes humidas, & calidas, quia sterilitatis hæc signa sūt: sic prudentes & pij Christiani suspectas habēt huius vitę prosperitates, neque in eis lætantur, quia valdè timent, ne in futuro sæculo dicatur
Matt. 6. eis, *Recepisti mercedem tuam*, vel, quod dictum
Luc. 16. est Epuloni, *Recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc verò hic consolatur, tu verò cruciaris.*

ARTICVLVS VI.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

I. ASCENDIT. Hæc prima vox articuli sexti, significat Christū post resurrectionem suam non mansisse in terris, nisi ad modicum tēpus, pro Apostolorum informatione, sed ascendisse in altum. non enim decebat, vt corpus immortale, & gloriosum, ac sole ipso lucidius habitaret in valle lachrymarū, & sub aëre isto caliginoso, vbi omnia fluxa & caduca, & corruptioni obnoxia degunt. Scribit autem
Act. 1. S. Lucas in Actis Apostolorum, Christum per dies quadraginta à resurrectione sua, sæpè sæpiùs discipulis apparuisse, eosque instituisse de Regno Dei, de aduentu Spiritus sancti, de prędicatione Euangelij per omnes terras: & tum
Luc. 24. demum ex monte Oliueti, vbi Apostoli, & discipuli omnes aderant, cœpisse paulatim sursum ascendere, videntibus omnibus illis, &, vt idem Lucas in Euangelio addit, eleuatis manibus eis benedixisse. eam verò benedictionem, signo crucis editam fuisse, atque ex eo tempore signum crucis ad benedictiones in Ecclesia adhiberi cœpisse pia fide credimus. Sed vbi tam altè ascendit Dominus, vt vix discerni oculis posset, tum nubes lucida suscepit eum ab oculis eorum, & ipse Dominus, nō iam paulatim ascendens, sed in virtute sua velocissimè gradiens, vno penè momento ad summum cæli fastigium peruenit. Cuius rei testes habemus Angelos duos, qui candidis vestibus apparētes discipulis dixerunt, *Hic Iesus qui assum-*
Act. 1. *ptus est à vobis in cælum, ita veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Hæc enim verba dicta sunt ab Angelis, cùm adhuc discipuli intuerentur Dominum euntem in cælum, vt in eodem loco scribit sanctus Lucas: proinde cùm inter aërem istum terræ proximum, & summum cælum, sit interuallum propemodum infinitum, omnino necesse est, vt Dominus vno penè momento interuallum illud ascendendo superauerit. Est autem hoc loco dubitatio, cur in symbolo dicatur Dominus ascendisse in cælum, cùm in Euangelio, & in
Marc vlt. Act. 1. Actis Apostolorum dicatur fuisse assumptus? sed sciendum est, non solùm in symbolo, sed etiam in Euangelio, & in Epistolis Apostolorum, & in Psalmis Dauidis, Christo ascensionem tribui. In Euangelio legimus; *Nemo*
Ioan. 3. *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*, & ali-
Ioan. 20. bi, *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.*
Ephes. 4. In Apostolo legimus, *Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cælos*, cui concinit sanctus Petrus dicens, *Profectus in cælum, subiectis* 1. Petr. 3.
sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus. In Psalmis denique legimus, *Ascendit Deus in iubilo, &* Psal. 46.
Dominus in voce tubæ. & rursum: *Ascendisti in* Psal. 67.
altum, cepisti captiuitatem. Neque repugnat ascensio assumptioni in Christo. Siquidem virtus, qua Christus vsque ad summum cælum ascendit, in ipso Christo est, & ideò rectissimè dicitur ascendisse: sed eadem virtus à diuinitate descendit, quæ diuinitas communis est Patri, & Filio, & Spiritui sancto. & ideo rectè etiam dicitur Christus à Patre assumptus, vel exaltatus in cælum: & potest etiā dici à Spiritu S. assumptus, & exaltatus, & potest ipse Filius dici assumpsisse, & exaltasse corpus suum ad cælum. Tale aliquid etiam videmus in Resurrectione. nam Christus resurrexit propria virtute, quia diuinitas eius corpus suum mortuum excitauit, atque ad vitam reuocauit. sed quia diuinitas eadem communis est tribus diuinis personis: dicitur etiam tam Pater, quàm Spiritus sanctus Christum à mortuis excitasse. Sic enim loquitur Apostolus ad Rom. *Quod si* Rom. 8.
spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

Porrò Christus non solùm ascendit, sed comitatus multis legionibus Angelorum: necnō omnibus illis sanctis animis Patriarcharum, & Prophetarum, aliorumque iustorum, qui in sinu Abrahę quiescebant. In cuius mysterij figuram Iacob in Genesi loquitur, & dicit, *In ba-* Gen. 32.
culo meo transiui Iordanem; & ecce nūc cum duabus turmis regredior. Christus enim verè in baculo crucis suæ transiuit Iordanem multimodæ passionis suæ, & cum duabus turmis Angelorum, & animarum sanctarum ex hoc mundo regressus est ad Patrem. Voluit autem Deus ad memoriam huius admirabilis ascensionis extare in loco, vnde Christus ascēdit, duo perpetua argumenta. vnum, vbi pedes posuerat, siquidem is locus non potuit vnquam sterni lapidibus, sed mansit in eo puluis, quem Dominus calcauerat, & vestigia, quæ impresserat. & quamuis à peregrinis puluis ille tollatur, tamen semper vestigia manent, vt testatur Seuerus Sulpitius lib. 2. sacræ historiæ: alterum est, quod cum super eum locum ędificata esset Ecclesia, nunquā potuit cacumen claudi, vt semper pateret locus, vnde Dominus in cælum ascenderat. cuius rei testis est sanctus Hieronymus in libro de locis Hebraicis, in Acta Apostolorum. consulat lector de ijsdem miraculis etiam sanctum Paulinum epist. 11. ad Seuerum, & Bedam de locis sanctis, c. 7.

AD COELOS. Tres sunt cæli secundùm II.
Apostolum, qui scribit in Epistola posteriore ad Corinthios raptum se fuisse vsque ad ter- 2. Cor. 12.
tium cælum, est enim cælum aereum, sydereum, & empyreum, vbi est paradisus, qui est sedes beatorum. Idem enim Apostolus, cùm dixisset, se raptum fuisse ad tertium cælum, addidit, quasi explicando quod dixerat, se raptum fuisse in paradisum. cùm igitur in symbolo dicitur Christus ascendisse *in cælum*, intelligendum est, eum ascendisse ad omnes tres cælos, & in supremo mansisse. Quod explicat

Ephes. 4. idem Apostolus, cùm scribit ad Ephesios, eum ascendisse super omnes cælos. In qua ascensione impletum est id, quod Dominus frequenter affirmare solebat, *Qui se humiliat exaltabitur.* Ipse enim, qui se humiliauit vsq; ad mortem, mortem aũt crucis, & qui descendit vsq; ad inferiores partes terræ, idem ipse exaltatus est super omnes Angelos, & ascendit super omnes cælos. Magna, ac penè incredibilis est hæc ascensio, per quam terra ascẽdit super cælum & corpus humanum ascendit super spiritus angelicos. & hanc gloriam communicauit nobiscum filius Dei. nam & Beata Virgo Maria assumpta est super choros Angelorũ, & nos omnes, si Christi humilitatem imitati fuerimus, exaltabimur super sydera, & choris Angelorum inseremur. Quàm sit autem pretiosa, & amabilis domus illa, vel ciuitas cælestis, ad quam Christus ascendit, facilè cognosci potest ex multitudine, & pulchritudine stellarum, quas ex hoc loco videmus. illę enim sunt quasi pars exterior pauimenti cælestis : & si pars exterior pauimenti tot gemmis pretiosissimis micat, quid erit pars interior domus? quid aulæ? cubicula? atria? tecta? meritò dixit Propheta, *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.*

Philip. 2.

Ephes. 4.

Psal. 83.

III. SEDET. Sessio in cælo non significat sessionem propriè dictam, qualis est apud nos. in terris enim sedemus, vt quiescamus, quemadmodum iacemus vt dormiamus. corpora verò gloriosa non laborabunt, neque dormient, ideo non sedebunt, neq; iacebunt, sed stabunt, qui est naturalis situs corporis humani. dicitur tamen Christus sedere, & sancti omnes dicuntur Christo assidere, duplici de causa; primum quia sessio quietem significat. & in cælo requies æterna erit, iuxta illud Psalmi, *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* & illud Apocalypsis, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. amodò enim iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Quantum sit hoc bonum, facilè intelliget, qui cogitabit, quàm sit amara inquietudo, quam in hac vita patimur ex dolore, ex timore, ex inuidentia, ex odio, ex iracundia, ex varijs suspicionibus, ac super omnia, ex certa expectatione mortis, quæ omnes iucunditates huius vitæ in amaritudinem vertit. Deinde sessio iudiciariam potestatem significat, iuxta illud, *Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Dominus igitur in cœlo sedere dicitur, quia quiescit ab omni labore, & quia constitutus est Iudex viuorum, & mortuorum.

Psal. 94.

Apoc. 14.

Matt. 19.

Act. 10.

IV. AD DEXTERAM PATRIS. Hæc vltima particula significat æqualitatem Filij ad Patrem. Sedet enim Christus in cælo, non supra, neque infrà Patrem, sed ad latus Patris, ac per hoc æqualis Patri. quamuis enim filius Dei secundùm humanitatem sit minor Patre, vt ipse testatus est, cùm dixit, *Pater maior me est* : tamen, secundùm diuinitatem æqualis est Patri, iuxta illud Apostoli, *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Proinde vox illa, *ad dexteram,* non est accipienda de situ corporali, quasi Filius sedeat à dextris, & Pater à sinistris, vel Pater in medio, Filius ad dexteram, & Spiritus sanctus ad sinistram. nam Pater, & Filius, &

Ioan. 14.

Phil. 2.

A Spiritus sanctus vnam habent communem essentiam, quæ immensa & infinita cùm sit, omnia replet, & vbique tota est : neque dexteram habet, neque sinistram. Porrò sedere ad dexteram Patris, propriũ est Christo, quia Deus est, neque conuenit vlli creaturæ, neque humanæ, neque Angelicæ. Ad quem Angelorum dixit aliquando, *Sede à dextris meis?* inquit Apostolus in Epistola ad Hebræos. Hebr. 1.
quòd si quæras, an Christus homo sedeat ad dexteram Patris: respondendum erit, Christum hominem, & Christum Deum, non esse duos Christos, siue duas personas: sed vnum Christum, & vnam personam : & ideò Christum hominem sedere ad dexteram Patris, non ratione humanitatis, sed ratione diuinitatis, quæ coniunctæ sunt in vna persona, & separari non possunt. contrà verò cùm idem
B Christus penderet in cruce, Christus Deus pendebat in cruce, non ratione diuinitatis, sed ratione humanitatis: quia Christus Deus, & Christus homo non sunt duo Christi, vel duæ personæ, sed vnus Christus, & vna persona, duas habens naturas, diuinam & humanam. Hæc subtilia, & sublimia sunt: ideò Pastor magnam diligentiam adhibere debet, vt non erret, & quàm maximè fieri poterit dilucidè populum instruat. Similitudo adferri solet de Rege sedente in throno purpura vestito. quamuis enim vestis illa purpurea, si separetur à persona Regis, non sit digna tam alto loco, neque anteponenda sit personis Principum, qui infra Regem sedent: tamen vt est vnita regio corpori, iure sortitur locum eminentissimum, non ratione sui, sed ratione
C personæ regiæ, cui est adiuncta.

ARTICVLVS VII.

Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

HIc est articulus postremus eorum, qui pertinent ad personã filij Dei, & in summa continet secundum aduẽtum Christi in mundum. primus enim aduentus fuit ad redimendum genus humanum, & fuit opus infinitæ misericordiæ, secundus erit ad iudicandum genus humanum, & erit opus seuerissimæ iustitiæ. Sed antequam verba singula explicemus, vtile erit rationem reddere, cur sit futurum hoc vniuersale iudicium, cùm statim à morte vnusquisque sententiam suam à Christo accipiat, & statim ex vi illius sententiæ, vel in cælum conscendat ad Regnum beatorum,
D vel ad inferos detrudatur sempiterno supplicio afficiẽdus; vel in purgatorijs locis ad tempus expiandus relegetur. Rationes multę sunt, cur præter iudicium particulare singulorum, futurũ sit in consummatione seculi iudiciũ vniuersale. Prima ratio est ex parte Dei. nunc enim nõ desunt, qui videntes iustos multa mala iniustè pati, & iniquos multis affluere tẽporalibus bonis, suspicantur, Deum aut ista non videre, aut non curare; vel, quod grauius est, non rectè mundũ gubernare. Quare, vt totũ genus humanum intelligat, mundũ à Deo sapiẽtissimè administratum fuisse, & omnes homines, vel volentes, vel inuiti clament, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum* : voluit Deus, vt in nouissimo die coram omnibus Angelis,

& hominibus clarissimè pateant omnia bona opera iustorum, & omnia mala opera iniquorum: & vt pro meritis bonis, vel malis publicè præmia vel supplicia decernantur, atque reddantur. Altera causa est ex parte Christi. quoniam enim Christum Dominum ausi sunt impij iudicare, æquum fuit, vt ipse omnes impios publicè iudicaret, iuxta sententiam illam libri Iob, *Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumq; recipies.* Itaque ignominia passionis iniustæ filij Dei, iustè compensabitur per gloriam iudicantis in theatro mundi totius. tunc enim implebitur illud Apostoli, *In nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Christus in gloria est Dei patris.* Tertia ratio est, vt retributio iustorum integra sit. merces enim virtutis honor est, & quia multi iustissimi homines, quasi scelesti & impij publicè interfecti sunt: iustum erat, vt in publico totius mundi concilio iustitia eorum manifestaretur. Quarta est, ad confusionem impiorum. non desunt enim ex impijs, qui cum opinione sanctitatis moriantur, & ideo necesse erit, vt saltem in die nouissimo eorum hypocrisis publicè detegatur. Quinta, vt simul animæ, & corpora iudicentur. siquidem in iudicio particulari solæ animæ iudicantur, & præmia, vel pœnam accipiunt. Sed in iudicio vniuersali integri homines comparebũt, & sicut animæ simul cum suis corporibus benè vel malè segesserunt in vita præsenti, sic in futura animæ cum suis corporibus præmia, vel pœnas accipient. Denique accedit & illa causa, quod merita bona, vel mala nonnullorum hominum non finiantur in morte, sed crescant vsque ad mundi consummationem. Multi sunt homines pij, qui conscriptis libris vtilibus, vel extructis hospitalibus, aut alijs pijs locis, post mortem suam longo tempore proximos adiuuent: nec desunt homines improbi, qui scriptis libris hæreticis, aut lasciuis, aut alia ratione perniciosis: vel extructis theatris ad ludos gladiatorios, vel comœdias obscœnas repræsentandas, vel alio modo proximis noceãt ad longum tẽpus post obitum suũ. Quoniam igitur in fine mundi processus omnes finiẽtur, & merita omnium hominum tam bona, quàm mala finem accipient: æquum erit, vt tunc vltima sententia Iudicis supremi potentissimi atque iustissimi proferatur. His prænotatis, ad explicanda verba singula veniamus.

Iob. 36.

Philip. 2.

I. INDE. Hæc prima vox significat, Christum venturum ad iudicandum, non ex aliquo deserto, aut obscuro loco, sed ex altissimo cælo, cum maximo splẽdore, vt nemo dubitare possit, ipsum esse verum Dei filium, & Dominum vniuersorũ. quomodo cùm sol exoritur post tenebras noctis, nemo est, qui ambigat, an ille sit sol. Atque ex hoc verbo admoneri poterunt omnes homines, vt nullam fidem habeant Antichristo, aut alijs seductoribus, qui se Christos esse dicent. sic enim Dominus ait. *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiã electi. Ecce prædixi vobis, si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est,* Matt. 24.

A *nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere: sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem: sic erit aduentus filij hominis.*

VENTVRVS EST. Hæc secunda vox declarat, Christum venturum esse ad hęc loca inferiora, vnde olim ascendit in cælum: sed venturum in maiestate, & gloria: & non descensurum vsque ad terram, sed vsq; ad aërem terræ vicinum, vnde ab omnibus conspici possit. Sic.n. ipse dixit, *Videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli.* & Apostolus addit, *Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra.* locus autem ad quem Christus proprie descendet, erit supra Hierusalem, & vicinas regiones, vbi est mons Oliueti, & vallis Iosaphat. Nam sic Ioel Propheta prædixit, *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & ibi disceptabo cum eis.* Ibi enim iustitia, & misericordia obuiabunt sibi. nam in eo loco est mons Caluariæ, vbi Christus moriens mundum redemit. & ibi fiet iudicium, vt iusti Iudicis experiantur iustitiam, qui repulerunt misericordiam Redemptoris. Veniet autem Christus in forma humana, quia licèt suprema potestas iudicandi, diuinitati conueniat, tamen exercitiũ iudicij Christo homini tribuetur. sic enim loquuntur Apostoli Petrus, & Paulus. Petrus in Actis Apostolorum, *Ipse est qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum.* & Paulus in eodẽ libro, ait, *Statuit Deus diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidẽ præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Et ipse Dominus de se dicit apud Ioannem, *Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est.* II. Matt. 26. 1. Thess. 4. Ioel. 3. B Act. 10. Act. 17. Ioan. 5.

C IVDICARE. Hæc tertia vox declarat finem, cuius gratia Dominus veniet. Finis enim erit, vt iudicet omnes gentes, & rationem exigat ab omnibus & singulis, de omnibus operibus, verbis, & cogitationibus etiam occultissimis, necnon de omissionibus operum, verborum, & cogitationum, ad quæ secundùm leges diuinas, & humanas tenebantur. Quamuis autem tam multa examinãda sint, tamen examen erit breuissimum, quia Deus ineffabili ratione, & modo manifestabit omnia, vt nullus inficiari aliquid possit. sic enim loquitur Apostolus, *Tunc reuelabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium.* Atque hi sunt libri, de quibus loquitur Daniel cùm ait, *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* & clarius sanctus Ioannes in Apocalypsi, *Et vidi,* inquit, *mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ. & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Dicuntur hoc loco mortui astare ante thronũ, & iudicari, quia non iudicabuntur homines, nisi pro ijs, quæ gesserunt vsque ad mortem: & dicuntur iudicari ex libris, secundùm opera eorum. quia in conscientijs singulorum scripta legentur opera tam bona, quàm mala. neque periculum erit, ne per obliuionem aliquid lateat. Deus enim efficiet, vt omnia reuelentur, & manifestentur. III. 1. Cor. 4. Dan. 7. D Apoc. 20.

Itaque conscientiæ singulorum toti mundo patebunt, & illę solæ plus valebunt ad Reos conuincendos, & damnandos quam mille te-

stes.

stes. post hoc examen sequetur sententia, à qua nulla dabitur appellatio, æternæ beatitudinis pro iustis, & supplicij sempiterni pro iniustis. quæ describitur ab ipso Domino apud Sanctum Matthæum. *Matth. 25.*

IV. VIVOS ET MORTVOS. Hæc est vltima pars articuli, in qua docemur, neminem ab hoc iudicio excipiendum. Dicuntur autem *viui*, & *mortui*, ex sententia S. Ioannis Chrysostomi, *boni*, & *mali*. boni enim verissimè viuunt, quia charitate præditi sunt, quæ est vita animarum. dicit enim sanctus Ioannes, *Scimus, quia transflati sumus de morte ad vitam quia diligimus fratres. & qui non diligit manet in morte.* Nec solùm charitas est vita animarum, sed etiam virtutũ, dicente sancto Iacobo, *Fides sine operibus mortua est.* & Apostolo Paulo, *Fides per charitatem operatur.* Dicuntur etiã viui & mortui, omnes homines, qui in vltima die inuenientur mortui, & qui adhuc erunt in viuis, vt idem Chrysostomus, & alij permulti interpretes docent. quamuis enim omnes homines morituri sint, iuxta illud Apostoli ad Hebræos, *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium:* tamen illi, qui viui inuenientur in die nouissimo, tanta velocitate morientur, & resurgent, vt videri possint non esse mortui. nam nec sepelientur, nec iacebunt inter mortuos, sed in ictu oculi morientur, & ad vitam immortalem resurgent. Vnde & Apostolus dicit, in persona eorum, qui inuenientur viui in nouissimo die, *Nos, qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Itaque, qui tunc erunt viui ex electis, in ipso raptu morientur, & resurgent ad vitam immortalem, & beatissimam. qui autem viui erunt ex reprobis, velocissimè quoq; morientur, & resurgent ad vitam immortalem, sed miserrimam, ideo enim semper viuent, vt semper crucientur, & quærant mortem, & non inueniant.

Homil. 9 in 2. ad Tim. — *1. Ioan. 3.* — *Iacob. 2.* — *Gal. 5.* — *Hebr. 9.* — *1. Thess. 4.*

Hæc dies nouissima dicitur in Scripturis *Dies Domini*, & *Dies magna, & horribilis.* Sic enim clamat Ioel Propheta. *Magnus dies Domini, & terribilis valdè. quis sustinebit eum?* & Sophonias: *Iuxta est dies Domini magnus.* Et Malach. *Ecce ego mittã vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* & côcinunt Apostoli Prophetis, vt res tanta firmissimè, ac sine vlla ambiguitate credatur. sic enim loquitur beatus Paulus, *Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* & ad Thessalonicenses, *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* & Apostolus Petrus, *Adueniet autem dies Domini, vt fur; in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ea sunt opera, exurentur.* Et Apostolus Ioannes, *Ad diem magnum omnipotentis Dei.* Dicitur igitur dies iudicij, *dies Domini*, quia dies cæteri sunt dies nostri, in quibus Deo permittente facimus quod volumus, iuxta illud, *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* benè agimus, si volumus, malè agimus, si volumus, & Deus, quasi non videat, sæpè silet. sed in die nouissima, quæ propriè dies Domini erit, faciet ipse quod volet, & homines, quod nolunt, pati cogentur inuiti. Dicitur verò *dies magna*, quia negotia in ea trãsigentur omnium maxima. & quia in ea inchoabitur dies æterna, & nox æterna, dies æterna pro iustis, nox æterna pro impijs. denique dies illa præ omnibus diebus horribilis illucescet hominibus improbis. Nam si, teste veritate, *arescent homines præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi,* quando incipient apparere signa propinquantis iudicij in sole, & luna, & stellis, quid fiet, cum iudiciũ ipsum fiet? qualis mœror, qualis horror, quales angustiæ pectora reproborũ inuadẽt, quãdo de sepulchris exeuntes videbũt squalidã terrã, & omnis viriditatis expertem, & ipsi etiã nudi, & inermes, atq; omni auxilio destituti videbũt se ante supremum Iudicem, vallatum exercitu innumerabilium Angelorũ, constitutos; & simul audient publicari omnia sua peccata, etiã occultissima. & deniq; sonabit in auribus eorum irretractabilis illa sententia, *Ite maledicti in ignem æternũ qui paratus est Diabolo, & Angelis eius?* Certè qui ista plena fide, & intenta meditatione consideraret, vix fieri posset, quin vitam, & mores suos primo quoque tempore emendaret.

Ioel. 2. — *Sophon. 1.* — *Malach. 4.* — *1. Cor. 3.* — *1. Thess. 5.* — *2. Pet. 3.* — *Apoc. 16.* — *Luc. 19.* — *Luc. 21.* — *Matt. 25.*

ARTICVLVS VIII.

Credo in Spiritum sanctum.

IN articulis superioribus tradiderunt nobis Apostoli doctrinam necessariam de persona Dei Patris, & Filij eius vnigeniti: in hoc articulo tradũt paucissimis verbis doctrinã de tertia persona Sanctissimæ Trinitatis, quæ dicitur Spiritus S. De qua persona quę declarãda sunt, pro instituta breuitate, ad quatuor capita reuocari possũt. Primùm caput erit, quòd Spiritus S. sit persona diuina, à persona Patris, Filijque distincta. Alterum, quòd vnus Deus sit cum Patre, & Filio. Tertium, cur vocetur *Spiritus sanctus*? Quartum, cur apparuerit in forma columbæ, & linguarum ignitarum?

Veniamus ad primum. Spiritus sanctus secundùm Scripturas sanctas non est eadem persona cum Patre, & Filio, quia non est Pater, neque Filius: non genitor, neque genitus; sed à Patre, Filioque procedens. sic enim legimus in Euangelio secundum Matthæum, *Euntes docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* & in Epistola sancti Ioannis, *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Hoc idem satis apertè colligitur ex Euangelio secundùm Ioannem. Nam qui procedit ab alio, non potest esse vna & eadem persona cum illo, à quo procedit; cùm nemo à seipso procedere possit. quòd autem Spiritus sanctus à Deo Patre procedat, testatur ipse Christus, cùm ait, *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* quòd autem non idem cum filio, ex illis verbis eiusdem Christi perspicuum est, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* si alius à Filio paraclitus est Spiritus sanctus, certè non eadem persona sunt, Filius, & Spiritus sanctus. Denique Filius à Patre solo procedit, vt Verbum ex fœcunda mente profluens: Spiritus sanctus à Patre, & Filio, vt amoris vtriusque nexus, atque suaui-

Matt. 28. — *1. Ioan. 5.* — *Ioan. 15.* — *Ioan. 14.*

II. tas. Quod ad secundum attinet, Spiritus sanctus sine vlla dubitatione Deus est, dicente Apostolo Petro ad Ananiam, *Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.* & præterea solus Deus est vbique, & de Spiritu sancto dicitur, *Quò ibo à Spiritu tuo.* & *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* solus Deus omnia nouit, & de Spiritu sancto dicit Apostolus, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Solus Deus habet templum, & de Spiritu sancto scribit idem Apostolus, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* Et si Spiritus sanctus Deus non esset, & idem Deus cum Patre, & filio, nunquam Dominus eum cum Patre, & Filio coniunxisset, dicens, *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* hinc enim intelligimus auctorem gratiæ, & iustificationis esse Spiritum sanctum cum Patre & Filio, qui sunt tres personæ diuinę, & vnus Deus siue tres personæ vnam, & eandem habentes essentiam, & diuinitatem. Denique in hoc symbolo Apostoli, quomodo dixerunt, *Credo in Deum Patrem:* & *Credò in Iesum Christum:* sic etiam dixerunt, *Credo in Spiritum sanctum:* vt trium diuinarum personarum demonstraretur æqualitas. in alijs enim articulis, non dixerunt, credo in Ecclesiam, vel in sanctorũ communionem, vel in remissionem peccatorum, sed absque particula *in*, credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam.

Act. 5.

Psal. 138.

Sapi. 1.

1 Cor. 2.

1 Cor. 6.

Matt. 28.

III. Quod attinet ad tertium, meritò quæritur, cur tertia persona Sanctiss. Trinitatis dicatur *Spiritus S.* videtur enim hoc nomen esse commune non solum Deo Patri, & Deo filio, quorum vterque spiritus est, & sanctus, sed etiam omnibus Angelis, & omnibus animis sanctorũ. omnes enim isti, spiritus sunt, & sancti. sed responderi debet, nomen *Spiritus sancti*, per excellentiam tribui soli Deo, qui est spiritus sublimissimus, & adeo sanctus, vt Ecclesia in hymno Angelico dicat, *Tu solus sanctus:* & apud Isaiam duo Seraphim clament, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Quod autem attinet ad tres personas diuinas nomen *Spiritus S.* tribuitur, vt proprium tertiæ personæ, prima & secunda persona habent alia nomina propria, videlicet nomen *Patris*, & nomen *filij*: tertia persona non habet proprium nomen, & ideo relictum est ei commune. Quòd autem tertia persona nõ habeat proprium nomen, non oritur ex imperfectione ipsius tertiæ personæ: sed ex ignorantia humana. nos enim de rebus diuinis loqui non possumus nisi per nomina nostra, quæ habeant aliquam proportionem, aut similitudinem ad res diuinas. & quia apud nos, qui generat, dicitur *Pater*, & qui generatur dicitur *Filius*, & in Deo est generatio, quamuis non corporalis, sed intellectualis, & purissima, atque eminentissima, ideò prima persona, quæ generat secundam, dicitur *Pater*, & secunda quæ generatur, dicitur *Filius*: tertia verò, quæ procedit à prima, & secunda, non per generationem, sed per aliam productionem nobis incognitam, ideò non habet proprium nomen, sed relinquitur ei nomen commune, *Spiritus sanctus.*

Isaiæ 6.

A

B

C

D

IV. Iam verò Spiritus sanctus in se inuisibilis, duobus modis aliquando se visibilem præbuit, videlicet per speciem columbæ, & per speciem linguarum ignearum. de priore apparitione sic loquitur sanctus Matthæus, *Ecce aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum eius descendentem sicut columbam, & venientem super se.* quod idem testantur omnes alij Euangelistæ. De posteriore scribit sanctus Lucas in Actis Apostolorum, *Et apparuerunt illis*, inquit, *dispartitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu S.* Porrò neque illa columba, neq; istæ linguæ igneæ Spiritus sanctus erant. ista enim corporalia, & visibilia erant, ille autem spiritus inuisibilis est. neque existimandum est, à Spiritu sancto assumptas fuisse ad vnitatem personæ columbam, vel linguas, quomodo assumpta fuit à filio Dei humana natura. Illa opera Angelorum repentè facta, paulò post euanuerunt; Christi verò humanitas vnita verbo manet, æternumque manebit. Quorsum igitur apparuit super Christum baptizatum Spiritus sanctus in columbæ specie? nimirum, vt significaret, Christum esse planè innocentem & purum, & fœcundissimum operum bonorum instar columbæ; & habere pennas, quibus volare possit vsque ad summum cælum: & item significaret, eos, qui per baptismum renascuntur in Christo, acquirere innocentiam, & fœcunditatem, & accipere pennas quasi columbæ, vt ascendere possint, & ipsi ab ima terra vsque ad summum cælum. linguæ autem igneæ significant eloquentiam, sapientiam, & charitatem, quam Deus per illapsum Spiritus sancti Apostolis repentè donauit. siquidem figura linguæ eloquentiam, splendor ignis sapientiam, ardor eiusdem ignis charitatem significat. atque hoc de Spiritu sancto.

Matth 3.

Marc. 1.

Luc. 3.

Ioan. 1.

Act. 2.

Articvlvs IX.

Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

Hvcusque Apostoli docuerunt mysteria omnia quæ ad ipsum Deum pertinent. in reliquis articulis docẽt ea, quæ pertinent ad Ecclesiã, quæ sponsa Dei est. Et quemadmodũ Deus vnus est in essentia, & trinus in personis: sic Ecclesia vna est, sed tres habet quasi dotes, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternã. quarum prima pertinet ad animam, secunda ad corpus, tertia ad animã simul & corpus. quamuis enim resurrectio carnis sit futura communis omnibus hominibus: tamen resurrectio ad verã vitam solis Ecclesiæ filijs cõuenit: cæteris .n. resurrectio erit ad iudiciũ, & mortẽ sempiternã. Itaq; quatuor articuli, qui sequũtur, ad Ecclesiã, & eius dotes pertinent. Explicemus nunc articulũ nonum, qui est de Ecclesia. Hic articulus primò docet fideles, vt credant vnam esse Ecclesiã. non enim dicimus, *Credo sanctas Ecclesias*, sed *sanctam Ecclesiam.* quod explicauit disertis verbis Concil. Constantinopolit. dicens, *& vnam sanctam, &c.* deinde hanc vnã Ecclesiam semper esse sanctã,

Ioan. 5.

& tertiò

& tertiò esse Catholicam, id est, vniuersalem; & quartò esse in ea communionem sanctorum, ac per hoc esse Apostolicam, vt idem Constantinopolitanum Concilium declarauit. sed ante omnia præmittendum est, *Ecclesia* nomine aliquando significari congregationem, siue conuocationem hominum, aliquando locum, vbi fit illa congregatio, siue conuocatio. quando enim dicimus, Ecclesia Romana mater est omnium Ecclesiarum: per Ecclesiam intelligimus congregationem fidelium, qui sunt Romæ; quando verò dicimus, Ecclesia sancti Petri Romæ ædificata, splendore, & pretio superat omnes Ecclesias Vrbis, & Orbis, per Ecclesiam intelligimus templum, siue basilicam sancti Petri, ad quam Romanus populus conuenire solet. Cùm igitur in symbolo dicimus, nos credere sanctam Ecclesiam, sub *Ecclesia* nomine non intelligimus templum, siue basilicam; sed congregationem, siue conuocationem. congregatio vocatur *Ecclesia*, non quòd omnes fideles in locum vnum sint congregati, sed quòd congregati sint sub vno vexillo crucis, & sub vno duce, siue capite, Christo, & eius vniuersali Vicario, Romano Pontifice. dicitur autem eadem Ecclesia, *conuocatio*, quia fideles non nascuntur, sed vocantur à Deo per prædicatores suos. Tria verò necessaria sunt, vt aliquis ad Ecclesiam pertinere dicatur, baptismus, professio fidei, & subiectio ad caput Ecclesiæ. Baptismus est ianua, per quam intratur ad Ecclesiam, & ideo pagani non sunt in Ecclesia, quia non intrauerunt in eam. hæretici nón sunt in Ecclesia, quia ab illa per hæresim exierunt. Schismatici nón sunt in Ecclesia, quia per inobedientiam recesserunt. Excommunicati non sunt de Ecclesia, quia eiecti sunt. sic enim loquitur sanctus Gregorius in primum versiculum Psalmi quinti pœnitentialis, De hoc spiritu non viuit hæreticus, non viuit schismaticus, non viuit excommunicatus. non enim sunt de corpore. & sanctus Hieronymus in caput tertium epistolæ ad Titum dicit, Hæreticos, & Schismaticos per se exire de Ecclesia, & ideò dici proprio iudicio condemnatos, sed alios peccatores per Episcoporum excommunicationem propelli de Ecclesia. Reliqui omnes, qui intrauerunt per baptismum in Ecclesiam, & non exierunt per hæresim, cum qua intelligitur etiam Apostasia à tota fide Christiana, vel per schisma, & non sunt eiecti per excommunicationem: remanent in Ecclesia, quàuis peccatores sint, & manebunt vsq; ad diem Iudicij. tunc enim separabuntur omnes mali ab omnibus bonis, vt parabolæ Euangelicæ demonstrant, de tritico, & paleis in eadem area, (*Matt. 3.*) de bonis, & malis piscibus in eodem reti; & de zizanijs, & tritico in eodem agro. (*Matt. 13.*) Sed fortasse quæret aliquis, cur in symbolo doceamur credere Ecclesiam, cùm congregatio hominum fidelium, quæ est Ecclesia, sit visibilis, & fides non ad visibilia, sed ad inuisibilia pertineat, dicente Paulo, fidem esse *rerum non apparentium.* (*Hebr. 11.*) Responderi potest, Ecclesiam esse visibilem, quod attinet ad personas, quæ sunt de Ecclesia. sed esse inuisibilem, quantum ad id, quod facit eas personas esse Christi Ecclesiam, & hoc est quod credimus illũ talem cœtum, & non aliũ esse veram Ecclesiam Christi. quemadmodum etiam Christus, Ecclesiæ sponsus, quò ad corpus humanum visibilis erat: tamẽ quò ad vnionem humanitatis cum diuinitate in vna persona, inuisibile erat, & ad fidem pertinebat: & sacramenta Ecclesiæ omnia, quò ad corporalem substantiã visibilia sunt: & tamen illas res corporales, vt aquam, panem, vinum, oleum, verba, esse materias sacramentorum, & habere efficaciam prorsus admirabilem, nõ videmus, sed credimus. Deniq; quãuis Ecclesia in se aliquo modo inuisibilis sit: tamẽ in notis & signis suis visibilis est, & tanquã ciuitas supra montẽ posita. Explicemus igitur quatuor illas Ecclesiæ proprietates, siue notas ad Ecclesiam veram facilè dignoscendam, videlicet, quòd sit *vna, sancta, Catholica*, & *Apostolica*; ex qua vltima voce intelligemus, quod in hoc articulo dicitur, *Sanctorum communionem.*

VNA dicitur Ecclesia, quia tametsi dispersa sit in varia loca, & multa hominum genera contineat, tamẽ est vnũ Regnum sub vno Rege Christo: & vnus exercitus sub vno Imperatore; & vnum corpus sub vno capite: & vno spiritu regitur, vnam habet fidem, vnam legem, eadem sacramẽta *Vnus Deus*, inquit Apostolus, *vna fides, vnum baptisma.* (*Ephes. 4.*) Secundò *Sancta* dicitur, & est eadem Ecclesia, quamuis in ea multi sint peccatores, quia caput eius Christus sanctus est. & quemadmodum inter mortales, qui habet pulcherrimam faciem, dicitur pulcher; quamuis in aliquo alio membro eius, fœditas aliqua reperiatur: sic Ecclesiæ corpus dici potest absolutè *sanctum*, quia caput habet sanctissimum, quamuis aliqua membra sanctitate careant. Dicitur etiam Ecclesia *Sancta*, quoniam habet leges iustissimas Sacramenta purissima, consilia optima, omnes veras virtutes amplectitur, nulla vitia, vel peccata probat. Denique semper in ea viri aliqui verè sancti inueniuntur admixti malis. in quo multũ differt à congregationib. omnium paganorum, hęreticorũ, Iudæorum, Schismaticorum, quod in Ecclesia sunt boni, & mali, in alijs cœtibus omnes sunt mali, nulli sunt boni.

Tertiò dicitur Ecclesia *Catholica*, id est, vniuersalis, quia non restringitur ad certa loca, vel tempora: sed vbique, & semper fuit, & est. Et quidem quod attinet ad loca, sunt quidem sectæ erroneæ ferè vbique, sed non eædem, alię enim sunt in oriente, aliæ in occidente, aliæ in meridie, aliæ in Septẽtrione, & in ijsdem prouincijs, sectæ sunt multæ inter se ita dissectæ, vt vna aliam hæreticam vocet: Ecclesia verò Catholica eadem est in prouincijs omnibus, ideò iure Catholica ab ipsis etiam hæreticis nominatur. quod verò attinet ad tempora, nobis in promptu est demonstrare continuationem Ecclesiæ ab Abel vsque ad Christum, & à Christo ad tempora nostra. paganismus certo tempore exortus legitur, & multis in locis extinctus inuenitur. hæreses quoq; permultæ post Christi aduentum certis, & notis temporibus exortæ, vel post non multum tempus euanuerunt, vel non diu postea euanescent. Pulchrè S. August. hæreses comparat torrentib. Non vos, inquit, (*In Psal. 57 ver. 8.*) terreant fratres quidam fluuij, qui dicũtur torrẽtes. decurrit aqua ad tempus, perstrepit, mox

cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses iā emortuæ sunt: cucurrerūt in riuis suis quātū potuerunt: siccati sunt riui. vix eorū memoria reperitur, vel quia fuerint. hæc S. Augustin.

Quartò dicitur *Apostolica*, quæ vox additur in symbolo, quod canitur in Missa, & colligitur ex illis verbis Symboli Apostolici, *Sanctorum communionē*. est enim in Ecclesia Sanctorū cōmunio, quia Ecclesia est quasi corpus quoddā viuum, & ita inter se connexum, vt omnia mēbra pendeant à capite, & participēt omnia bona, quæ ab illo capite influunt ad membra. porrò caput Ecclesię totius Christus est, sed Ecclesiæ visibilis, quæ est in terris, caput est Apostolicus Pontifex, qui locum Christi in ea tenet. Christus enim Apostolos misit ad Ecclesiā ædificandam, & constituendā: & primi eius Episcopi, & Pastores Apostoli fuerunt. Apostolis B autem cæteris non successerunt alij Apostoli, sed simplices Episcopi, soli S. Petro Apostolorū Principi succesit Pontifex Apostolicus, cuius sedes dicitur *Apostolica*, & officium eius *Apostolatus*. proinde illa sola est Ecclesia Apostolica, ac per hoc vera Christi Ecclesia, quæ pro capite agnoscit Romanum Pontificem, S. Petri successorem, cuius solius est sedes Apostolica. sic enim loquitur S. August. in epist. ad Glotiū, & Eleusium, In Ecclesia Romana semper viguit Sedis Apostolicæ principatus. porrò bona cōmunia huius corporis sunt sacramenta, sacrificia, orationes, indulgentiæ, & alia, quæ à capite ad membra descendunt: nec solùm Ecclesia, quæ est in terris, communicat bona sua cum omnib. membris sibi coniunctis, sed etiam cōmunicat suffragia Ecclesiæ, quæ est in purgatorio, & Ecclesia, quæ est in cœlis communicat orationes, & merita sua cum Ecclesia, quæ est in terris. Atq; hinc admonēdi sunt omnes, quā perniciosum sit ab Ecclesia Apostolica separari. cùm ij, qui ab ea disiuncti sunt, siue per hæresim, siue per schisma, siue per excommunicationem, bona illa maxima & saluberrima participare nequeant.

Epist. 161.

ARTICVLVS X.

Remissionem peccatorum.

IN hoc articulo explicatur primum ex trib. magnis bonis, quę sunt in Ecclesia Dei, quorum vnum pertinet ad animam, alterum ad corpus, tertium ad totum hominem. Primum igitur bonum est Remissio peccatorum, ac per hoc iustificatio, per infusionē gratiæ cœlestis, quæ facit hominem filium Dei per adoptionē, & hæredem Dei, cohæredem autem Christi. Hoc magno bono, & super omne bonū, quod in hac vita obtineri possit, desiderabili, carent omnes, qui sunt extra Ecclesiam. Porro peccatorum remissio hoc loco tria simul in se continet. Primum, certa fide credendum esse, peccata nostra, quantumuis magna, & sæpius repetita, remitti posse, & etiam remitti solere à Deo, si media ad hoc instituta sumantur. Qui. n. considerat infinitam Dei maiestatem, quā homo, qui vermiculus terræ est, collatus Deo, grauissimè offendit, desperare posset reconciliationem, nisi fides ex verbo Dei concepta nobis fiduciam remissionis daret. Iubemur igitur credere, esse in Ecclesia remissionem peccatorum.

A quia Propheta clamat, *Apud Deum propitiatio est*, & alius Propheta dicit, *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas*: & Apostoli omnes in Euangelijs, & epistolis suis hoc ipsum docent, & in hoc breui symbolo hanc suauissimam vocem posuerunt, *Remissionem peccatorum*. Psal. 129. Isa. 43.

Hanc remissionem fieri credere debemus per Iesum Christum Dominum nostrum. ipse enim est Agnus *qui tollit peccata mundi*. & de quo Apostolus dicit, *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiā vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius hominis obedientiam iusti constituentur multi*. Neque solùm in testamento nouo iustificatio per Christum obtinetur sed etiam in veteri obtinebatur, dicente Apostolo Petro, *Per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi*, id est, Patres veteris testamenti. cui cōsonat S. Ioannes dicens in Apocalypsi, Agnum Dei occisum fuisse ab origine mundi, quia videlicet Christi Saluatoris mors à Deo præuisa; & à Patribus credita iustificationem eorum operabatur. Instrumenta verò remissionis peccatorum Sacramenta sunt à Christo instituta; sed inprimis Baptismus, & Pœnitentia. nam alia sacramenta ideò solùm dicuntur peccata remittere, quia conferunt gratiam Dei, quæ cum peccato simul manere nō potest. & ideò si peccatum inueniat, illud abstergit. Baptismus autem, & Pœnitentia propriè, & ex institutione sua, peccata remittunt. & quoniam sacramentum ad remittenda peccata maximè necessarium, & commune omnib. non solum adultis, C sed etiam infantibus, baptismus est. ideò Concilium Constantinopolitanum in symbolo suo posuit, *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum*. Vnum autem baptisma dixit Concilium, non quòd nō sint plura baptismata, sed quia semel tantum suscipi potest baptismus aquæ, & neminì liceat iterum baptizari, ac si dixisset. confiteor vnum aquæ baptisma ab vnoquoque suscipiendum. sunt autem præter baptismum aquæ, baptismus flaminis, baptismus sanguinis, & baptismus laboriosus. Baptismus flaminis dicitur, baptismus non re ipsa, sed desiderio ex diuini flaminis inspiratione susceptus. quando. n. adultus aliquis baptizari desiderat, & non inuenit à quo baptizetur, & cum D eo desiderio migrat à vita cū detestatione peccatorum suorum, & vera contritione, & conuersione ad Deū, illi peccata à Domino remittuntur. baptismus sanguinis martyriū est. qui enim reipsa baptizari nō potuit, & baptismum desiderās martyrium pro Christi fide suscipit, is dicitur sanguine proprio baptizatus. deniq; baptismus laboriosus ex S. Gregorio Nazianzeno dicitur Sacramentum pœnitentiæ, qui enim baptismum aquæ suscipiunt, ijs dimittuntur peccata omnia, quò ad reatū culpæ, & pœnæ, neq; requiruntur opera laboriosa ad satisfactionē, qui autem post baptismum in peccata labuntur, ij non admittuntur ad reconciliationem sine satisfactione per opera laboriosa, ieiunia, eleemosynas, orationes, gemitus, & lacrymas, peccatorum grauitati, & multitudini commensurata. Sed de his disputant Theologi,

II. Ioan. 1. Rom. 5. Act. 15. Apoc. 13. III. Orat. in S. Lumina.

neque

neque locum habere possunt in hac breui, ac simplici explicatione symboli.

ARTICVLVS IX.

Carnis resurrectionem.

PErgunt Apostoli in hoc articulo ad explicationem secundi boni, quod expectat Ecclesia, & ad corpus pertinet. Iubent igitur nos credere futuram carnis resurrectionem. & diuino consilio non dixerunt, hominis resurrectionem, vel corporis resurrectionem, sed *carnis* resurrectionem. Nam si dixissent, hominis resurrectionem, potuissent aliqui suspicari, totum hominem mori, quoad animã, & quoad carnem. id enim resurgit, quod mortuum est. cùm tamen pro comperto habeant fideles, animam humanam esse immortalem. itaque ad tollendam illam suspicionem, & asserendam animæ immortalitatem, rectißimè dictum est, Carnis resurrectionem. Rursus si dixissent Apostoli, corporis resurrectionem, potuissent aliqui sibi persuadere, post resurrectionem nos habituros quidem corpora, sed aerea, non carnea. in quo errore fuit olim Eutichius Patriarcha Cõstantinopolitanus, quamuis alioqui vir egregius. sed S. Gregorius tunc Diaconus Cardinalis, & legatus apud Imperatorem, Eutichium manifestè conuicit ex verbis Domini dicentis ad Apostolos, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Igitur prudentißimè SS. Apostoli ad omnem erroris occasionem vitandam in re tanti momenti, disertis verbis dixerunt, *carnis resurrectionem.*

Lib. 14. mor. c. 29. — Luc 24.

Porrò in voce illa, *resurrectionem*, significant Apostoli, carnem in resurrectione non solum futuram esse veram carnem, sed eãdem ipsam, quæ antea erat. alioqui. n. nõ posset dici Resurrectio, sed nouæ rei productio. Ex quo etiam intelligimus, viros resurrecturos in corpore virili, & mulieres in corpore muliebri. quamuis. n. post resurrectionem non sit futurus amplius nuptiarũ vsus, tamẽ conueniens erit, vt in quo corpore sancti pugnauerunt, in eo triumphẽt: & in eo sanctæ Virgines publicè laudentur, in quo castitatis eximiæ laude floruerũt. Deniq; quo modo cognosceretur excellentia matris Dei, si corpus muliebre non gestaret? Erit igitur carnis resurrectio, & carnis eiusdem, & in sexu eodem. Sed occurrit dissoluenda breuiter ingens quædã, & molesta dubitatio. Scimus. n. multos obijsse infantes, multos senes, multos cæcos, multos surdos; multos varijs corporis vitijs dehonestatos. isti verò si cum suis vitijs resurgent, erunt in omnem æternitatem vitiati: si absq; vitijs resurgent, nõ erunt ijdem, qui antea fuerant. deniq; multi nihil omnino nunc habent in terris, cum vel à canibus, vel à piscibus deuorati, in carnes illarũ bestiarum trãsierint: non pauci cõuersi in terrã, in olera, & herbas mutati, aliorum esca facti sint: vt omnino difficilè sit capere, vnde isti resurgere queant, cùm nihil eorum inuenietur in terris. Sed si recolamus primum articulum, in quo firma fide credimus, Deum esse omnipotentem, & ex nihilo fecisse quicquid nunc est in rerum natura, & in momento, sine labore, sine adiutore, sine instrumentis, solo imperio suæ voluntatis omnia fecisse: non laborabimus in credendo posse eumdem Deum, omnes omnino defunctos ad sua propria corpora reuocare. & quamuis nulli tunc futuri sint infantes, nulli senes, nulli cæci, nulli surdi, nulli alio modo vitiati: sed omnes in ætate, in qua Christus resurrexit, vt Apost. nos docet in ep. ad Ephes. tamen omnino erunt ijdem homines, sed quales fuissent, si ad eam ætatẽ peruenissent, vel eam non excessissent. neque vitia corporalia, quæ tunc aberunt, impedient quo minus corpora illa sint eadem, quæ antea fuerant. vitia enim non sunt de substantia corporum, sed accidentia, quæ ex defectu materiæ, vel agentis prouenerant, & in resurrectione, quam solus Deus faciet, cuius perfecta sunt opera, vitia illa locum habere non poterunt.

Ephes. 4.

Quia verò resurrectio mortuorum, præsertim ad vitam incorruptibilem, difficulter admodum creditur à mortalib. & Apostolũ Paulum de resurrectione concionantem viri Athenienses, qui sapientes haberi volebant, cum irrisione exceperunt, ideò diuina prouidẽtia fecit, vt tempore legis naturæ, & legis scriptæ, & legis gratiæ non deessent viri grauißimi, & optimi, qui resurrectionem mortuorum, apertißimè prædicarent. Ex lege naturæ habemus S. Iob, qui sic loquitur. *Scio quòd Redemptor meus viuit: & in nouißimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hac spes mea in sinu meo.* Hæc certè sententia clarißima est, & auctorem habet antiquißimum, & veracißimum, vt nullo modo fideles de eius auctoritate dubitare poßint. Ex tempore legis scriptæ habemus Danielem Prophetam, vnum ex quatuor primarijs, qui in libro suo sic loquitur, *Multi, qui dormiunt in terra puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium vt videant semper.* Quo loco S. Propheta dicit eos, qui dormiunt in terræ puluere *euigilaturos*, quia tam facilè Deo erit efficere vt mortui resurgant: quam facilè nobis est facere, vt dormientes euigilent. cum autem dicit, *multos* euigilaturos, non negat, omnes euigilaturos, sed significat, ingentem fore multitudinem resurgentium, ac si dixisset, omnes euigilabunt, qui non erunt pauci, sed multi valdè. quo modo loquẽdi vtitur etiam Apostolus ad Romanos. primùm enim dicit, *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* & paulò post id ipsum repetens dicit, *per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Vbi quos vocauerat *omnes*, paulò post vocat *multos*, vt intelligamus illos omnes, non fuisse paucos, sed multos. In libris quoque Machabæorum legimus sanctos Martyres Machabæos, & eorum matrem hac potißimum de causa fortiter pertulisse acerbißimam mortem, quia certo sperabant, in die nouißimo ad vitã æternam à Deo se resuscitandos.

Act. 7. — Iob. 19. — Dan. 12. — Rom. 5. — 2. Mach. 7.

In lege gratiæ Christus frequentißimè in Euangelio resurrectionis mortuorum mentionem fecit, adeò vt S. Martha ab ipso edocta, cum audisset, *resurget frater tuus*, responderit, *Scio, quia resurget in resurrectione in nouißimo die.* & Apostolus in epistola priore ad Corinthios,

Ioan. 11. — 1. Cor. 15.

copiosè de resurrectione mortuorum disputat.& in priore ad Thessalonicenses, describit 1.Thes.4. modum,& ordinem resurrectionis. Itaq; sicut resurrectio mortuorũ, res est sublimis, & difficilis valdè:sic etiam Deus voluit, vt per Prophetas & Apostolos apertissimè, & verbis disertissimis prędicaretur.Neque ratio naturalis huic mysterio repugnat;quin potius si quis attentè omnia consideret, inueniet non paucas rationes, quæ fidei Catholicæ mirificè deseruiant.primum.n. si anima rationalis est immortalis,& vera corporis forma, vt meliores philosophi confitentur : certè par erat vt corpus immortale sortiretur.Et verè Deus initio creationis,fecerat hominem *inexterminabilem,* vt Sap. 2. loquitur Sapiens,sed *inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* proinde æquum fuit vt Deus rationem,& modum inueniret,quo corpus mortuum iterum rediret ad vitam, eamq; sine vllo fine duraturam. Deinde quis persuadere sibi posset, Deum iustum Iudicem permissurum fuisse, vt plurimi viri sancti paterẽtur angustias, & persecutiones toto vitæ suæ tempore,& corpora eorum ab improbis cum doloribus multis interficerentur,si non esset alia vita, in qua corpora illa resurgerent, & patientiæ præmia reportarent? Deniq; quis crederet à Deo sapientissimo Mundi huius gubernatore,permitti, vt plurimi homines scelerati toto vitæ tempore abundarent diuitijs, & voluptatibus,si non esset futura resurrectio mortuorum, in qua vt Dominus ipse loquitur, Ioan.5. viri iusti resurgent in resurrectionem vitæ, iniusti verò in resurrectionem iudicij, id est, damnationis ad supplicia sempiterna? Teneāt ergo fideles omnes sine vlla dubitatione futurā carnis resurrectionem, & sic piè ac sanctè vitam instituant, vt desiderare potius possint diem resurrectionis,quàm timere.

ARTICVLVS XII.


Vitam æternam.

IN hoc articulo postremò declarāt Apostoli tertium bonum Ecclesiæ, quod pertinet simul ad animas,& corpora, & est vltimus finis non solùm hominis Christiani, sed etiam hominis absolutè. atque ad hunc finem consequendum pertinent omnia adiumenta diuina, & humana, sacramenta, sacrificia, libri sancti, virtutes omnes, Pastores, & Doctores, quin etiam bona temporalia, leges ciuiles,magistratus,diuitiæ,dignitates,& in summa, res omnes creatæ. Sed nos in hac breui, & simplici explicatione symboli, duo tantum breuiter considerabimus.primùm, cur æterna beatitudo dicatur *vita*, & sempiterna infelicitas dicatur *mors*, cùm tamen omnes omnino homines resurrecturi sint à morte ad vitam.deinde,quàm magnum bonum sit vita æterna,& cōtra,quàm ingens malum mors æterna.

Quod attinet ad primum, illa dicuntur viuere, quæ se ipsa mouent, illa dicuntur esse mortua, quæ se ipsa mouere non possunt. hinc enim & aquæ fluminum dici solent viuæ, & aquæ paludum mortuæ, quia illæ fluunt, istæ immotæ iacent, nisi fortè à ventis moueantur. Sic igitur beati vitam habent, quia non solùm vitam gratiæ possident, sed etiam liberè discurrunt quocunque voluerint, & vident, audiunt,loquuntur, intelligunt, amant, lætantur, atque alia peragunt officia vitæ sine vllo impedimento. Reprobi miserrimi, atque infelicissimi dicuntur mortem habere sempiternam; quia vita gratiæ carent, quæ est vita supernaturalis animæ, neque se ipsi mouere possunt ad officia vitæ illius, cum nec orare, nec Deum laudare, neque in Domino gaudere valeant. Dicuntur etiam mortui, quia ligatis manibus,& pedibus in tenebris iacent,ac in æternum iacebunt, quasi mortui in sepulchris. & si quem motum intelligentiæ, voluntatis,& sensuum habent, eum habent, vt patiantur, non vt agant. Intelligunt enim infelicitatem suam, deplorant calamitatem suam, sentiunt ardorem ignis vrentis, & sulphuris bullientis, & vermis corrodentis.denique sic viuunt, vt mortem semper exoptent.quærent enim mortem, & non inuenient, vt legimus in Apocalypsi. Apoc.9. Quod ad secundùm pertinet, quàm ingens bonum sit vita æterna, intelligi potest per comparationem ad bona temporalia, quæ ab omnibus naturaliter appetuntur.quid enim optant communiter in hac vita mortales? quo ad corpus, bonam valetudinem, pulchritudinem, robur, atque agilitatem amant: quo ad animam, qui rectè sapiunt, optant cognitionem multarum rerum, virtutes animi,& complementum omnium desideriorum.quoad res externas, cupiunt diuitias, honores, potentiam, voluptates, amicos fideles, & denique vt nemo eis vllo modo nocere queat. Hæc omnia, & alia eminentiora,quæ desiderium nostrum superant, habebunt,qui vitam æternam habebunt. pro bona valetudine corporali habebunt immortalitatem.*Seminatur*, inquit Apostolus, *in corruptione, surget in incorruptionẽ.* 1.Cor.15. & sine dubio beati cum immortalitate coniunctam habebunt impassibilitatem. pro pulchritudine habebunt splendorem maximum, dicente Domino, *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Matt.13. & quamuis vt Apostolus docet, non æqualis futura sit in sanctis omnibus 1.Cor.15. gloria pulchritudinis,stella enim differt à stella in claritate, tamen omnes erunt sua sorte contenti, & non inuidebunt, sed congaudebunt maiori gloriæ aliorum. pro agilitate corporis obtinebũt virtutem admirabilem, ac penè incredibilem transferendi corpora sua in ictu oculi quocunq; voluerint.de qua re loquitur Apostolus,cùm ait, *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* 1.Cor.15. dicitur autem *spirituale.* non quòd aereum sit futurum, & non carneum;sed quòd ita subijciendũ sit animæ beatæ, vt ad nutum illi semper obediat.pro robore, habebunt virtutem resistendi sine labore omnib.contrarijs,iuxta illud Apostoli, *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* 1.Cor.15. Itaq; non timebunt beati neq; dæmonum, neque hominum, neque vllius rei creatæ impetum.Quod attinet ad animi bona, erunt omnes Beati pleni altissima sapientia, qua non solùm intelligent naturas & proprietates omnium rerum creatarum, sed videbunt ipsam DEI essentiam, & omnia eius attributa, ex qua visione fient similes Deo, & ideò beati, & vndequaque felicissimi, dicente Sancte Ioanne,

Ioan. 3. *Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. scimus enim quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Habebunt præterea beati omnes plenissimam voluntaté gratia Dei, charitate perfecta, virtutib. omnib. & ita in amicitia Dei confirmati erunt, vt ne minimum quidem peccatum vltra committere possint: deniq; cópleta erũt omnia ipsorum desideria, & ea pace fruentur, quæ superat omnem sensum. Quod ad res externas, diuitiæ illorum erunt, nulla re prorsus indigere. Erit enim Deus omnia in omnib. vt dicit Apostolus. (1. Cor. 15.) atq; hæ solæ sunt veræ diuitiæ. Honor eorum, ac dignitas sublimissima erunt, vocabuntur enim (Rom. 8.) *filij, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi:* & cum ipso regnabunt in secula seculorũ. Voluptas autem, & gaudium tale erit, vt nulla lingua explicari possit. Ideo non dicetur, intret in te gaudium Domini, sed *intra in gaudium Domini tui.* (Matt. 25.) Potentia quoq; eiusmodi erit, vt omnipotentia nominari possit. sic enim cóiunctæ erunt voluntates eorum cum voluntate Dei, vt illa omnia velint, quæ volet Deus, ac per hoc de singulis illorum dici poterit, quod de Deo cantat Psalmista, *Omnia quæcumq; voluit, fecit in cælo, & in terra.* (Psal. 134.) Deniq; coniuncti erunt arctissima, & indissolubili amicitia cum omnib. Angelis, & Sanctis. & omnes eorum persecutores, & hostes, Dæmones, & homines mali damnati erunt ad perpetuos carceres, nó in loco aliquo propinquo, sed in profundissima abysso, atq; in corde terræ, vt nullum ab eis periculum timeri possit. Hæc est igitur summa bonorũ, quæ in duab. illis vocibus cótinetur, *Vitam æternam.*

Porrò mors æterna non solùm est carentia omnium bonorum, quæ modò numerauimus, sed est etiam cumulus malorum omnium, quæ in Scripturis dicũtur *tenebræ exteriores*, vermis (Matth. 8. Marc. 9. Matt. 13. Apoc. 20. & 21.) quinunquam moritur, fletus & stridor dentiũ, deniq; stagnum ignis, & sulphuris, in quo cruciabuntur omnes mali in secula seculorũ. Quæ omnia si diligenter, & frequenter à Pastoribus animarum proponerentur populis, vix fieri posset, quin multi ad cor suum redirent. neque enim alia causa est, cur tã pauci res æternas appetant, vel exhorreant: & cótra multi sectentur incredibili auiditate temporalia bona, & sensuum carnalium oblectamenta; nisi quia sempiterna bona, & sempiterna mala vel nó bene nouerunt, vel seriò nó considerant, cuius rei culpa Pastorum est, si non fungantur munere suo, ad quod vocati sunt, & cuius gratia lac & lanã ab ouibus recipiũt. Christus enim Princeps Pastorum assiduè prædicauit Regnum cœlorum. & Apostoli ab ipso instituti primi pastores dicebant, *Non est bonum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* (Act. 6.) &, *Nos autem orationi, & ministerio Verbi instantes erimus.* & Princeps Apostolorum admonebat alios, dicens, *Pascite, qui in vobis est, gregem Domini.* (1. Pet. 5.) & Coapostolus eius Paulus Timotheo suo scribit, *Prædica verbum, insta opportunè, importunè.* (2. Tim. 4.) & Tito, item discipulo suo, *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* (Tit. 2.)



ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S. R. E. CARDINALIS,

CHRISTIANÆ DOCTRINÆ COpiosa explicatio,

IVSSV S.D.N. CLEMENTIS VIII. PONT. COMPOSITA, Reuisa & approbata à Congregatione Reformationis, vt sublata modorum docendi varietate, vniforme, faciliusque instruendi Idiotas & simplices de rebus fidei exercitium reddatur.

NVNC PRIMVM IN LATINVM TRANSLATA, INTERPRETE IOANNE Friderico Matenesio S. R. E. Protonotario Canonico & Ecclesiaste Agrippinensi.

CAPVT I.

QVID DOCTRINA CHRISTIANA sit, & quæ illius sint partes principales.



DISCIPVLVS. *Cum intelligam cognitionem doctrinæ Christianæ ad salutem necessariam, nunc inprimis mihi declarari desidero, quidnam doctrina Christiana sit?*

MAGISTER. Doctrina Christiana breue quoddam compendium est, siue summarium omnium illorum, quæ Christus Dominus noster, cùm viam nobis salutis móstraret, docuit.

D. *Quænam principales partes & magis necessariæ sunt huius doctrinæ?*

M. Sunt quatuor, scilicet, Symbolum Apostolorum, Oratio Dominica, decem præcepta, & septem Sacramenta.

D. *Quare quatuor partes tantum sunt, & non plures, nec pauciores?*

M. Quia tres etiam principales virtutes sunt, videlicet Fides, Spes, Charitas. Synbolū enim Apostolicum ad fidem ipsam est necessarium, docet namque, quæ credere debeamus. Oratio dominica necessaria est ad ipsam spem; quippe quæ sperāda nobis proponat. Decem præcepta ad charitatem necessaria sunt, cum ea doceant, quæ nobis vt Deo placeamus, facienda sint. Denique septem Sacramenta sunt necessaria, quia sunt instrumenta, quib. recuperamus, & conseruamus virtutem, quam antè diximus esse necessariam ad salutem.

D.. *Da quæso similitudinem, per quam melius necessitatem harum quatuor partium intelligam?*

M. S. August. *serm. 22. de verb. Domini*, desumit similitudinem à domo: quia quemadmodum ad structuram domus necessaria est fundamenti collocatio, deinde murorum inædificatio subsequitur, ac denique tecti impositio, & varia instrumenta: perinde quoque ad structuram salutis in anima nostra faciendam, opus est fundamento fidei muris, spei, ac tecto charitatis: instrumentis denique, quæ ipsa sanctissima Sacramenta sunt.

CAPVT II.

EXPLICATIO SIGNI SANctißimæ crucis.

DISCIPVLVS. *Priusquam primam huius doctrinæ partem inchoemus, optarem vt mihi proponeres, ad quid credendum obligemur: cum rudi succinctaq; mysteriorum, quæ magis necessaria, atque in ipso symbolo continentur, explicatione.*

M. Rectè mones, sic faciam. Itaq; nosse debes, duo esse principalia fidei nostræ mysteria, & in signo illo, quod S. crucis dicitur, contenta. Primū mysteriū, est vnitas ac Trinitas Dei. Altera verò est, Incarnatio ac Passio Saluatoris nostri.

D. *Quid per vnitatem ac Trinitatem Dei significas?*

M. Hæc sunt sublimia negotia, & deinceps in progressu, doctrinæ huius explicāda. Nunc verò satis fuerit, si ipsa nomina comprehendere posis & intelligere. Vnitas Dei tantundem est, ac res aliqua, omnes res creatas longè transcēdens, quæ principium non habeat, sed semper fuerit, & erit semper, omnesque alias à se res creatas conseruet, ac gubernet, & quæ præ omnibus sit altißima, sit pulcherrima, sit nobilißima, potentißimaq; Domina rerum omniū: Et ea Deus vocatur, qui vnus est, siquidem nō nisi vna vera Deitas esse potest, hoc est, vna solaq; natura & essentia, infinitè potens, sapiens, bona, &c. Nihilominus inuenitur hæc Deitas in tribus personis, nempe, Patre, Filio ac Spiritu S. trina quoad personas, quoad naturam verò atq; essentiam, quam eandem sortiuntur, vna. Declarabo rem exēplo: Si tres personæ tantummodo in terris essent, quarum vna Petrus altera Paulus, tertia Ioannes vocarentur, vnam eandemq; animam, vnum idemq; corpus habētes, dicerentur tres personæ, quia vna foret Petri, altera Pauli, tertia Ioannis: nihilominus vnus homo essent, non tres homines, cum neque tres animas, neq, tria corpora haberent, sed vnū corpus & vnā animam. Quod quidē inter ho-

A mines fieri est impoßibile, quia essentia eorū exigua sit ac finita, atq; ideo esse in plurib. personis nequeat. Cæterū Dei essentia, ipsaq; diuinitas cū infinita sit, ideo illa eadē essentia, illaq; diuinitas quæ in patre est, inuenitur etiam in Filio ac Spiritu S. Itaq; tres personæ sunt, nam vna Patris est, altera Filij, tertia Spiritus S. vnus tamen Deus sunt, cum vnam solum deitatem, vnam essentiam, vnam potentiam, sapientiam, bonitatem, & sic de cæteris, habeant.

D. *Age dic mihi, quid est Incarnatio & Passio Christi Saluatoris nostri?*

M. Hic sciendum, secundā in Trinitate personam, quā filium nominamus, ad esse suū diuinū, quod ante creationē mundi, immo ab omni æternitate habuit, humanā carnē, humanamq; animā assumpsisse, id est, totā naturam nostram

B in vtero castißimæ Virgin. sibi vniuisse; & hoc pacto ille, qui prius solum Deus erat, deinceps Deus & homo esse cœpit. Et posteaq; ā triginta trib. annis cū hominib. conuersatus fuisset, viā salutis demonstrando, multaq; miracula patrādo, tandē in crucem se tolli permisit, in qua & exspirauit, vt Patri pro peccatis totius mūdi satisfaceret, qui nihilominus tertio post mortē die ad vitam resurrexit, & quadragesimo post Resurrectionē cælos ascēdit, vti in explicatiōe duodecim articul. postmodū fusius dicetur. Et hæc Incarnatio & Passio Saluatoris nostri sunt.

D. *Quāobrē hæc præcipua fidei nostræ mysteria sunt?*

M. Quia prius, hominis ipsius principiū finēq; vltimū complectitur: posterius verò, quia mediū vnicū & efficacißimum ad cognoscendum

C primū hoc principium, finemq; vltimū consequēdum, præbet. Deinde quia per fidē, confessionemq; duorū horum mysteriorum, à falsis gentilium sectis discernimur, item Turcarum, Iudæorum & Hæreticorum. Denique quia sine fide & confeßione horum duorum mysteriorum, nemo saluari potest.

D. *Quo pacto hæc mysteria in sanctißimo crucis signo comprehenduntur?*

M. Consignando nos sanctißimo crucis signo dicimus, *In nomine Patris, Filij & Spiritus sancti*, signamusq; nos per modum crucis. Dextera.n. frontem contingimus, dicēdo. *In nomine Patris:* dein pectus, dicēdo, *Filij:* tandē attollimus dexterā, & à sinistro humero ad dexterū progredimur, dicendo *& Spiritus sancti.* Verbum, *In nomine*, significat vnitatē Dei; dicimus.n. *In nomi-*

D *ne*, & non in nominibus: itē per illud. *In nomine*, diuina potentia designatur, quæ in trib. personis est sola. Porrò verba, *Patris Filij & Spiritus sancti*, Trinitatem Personarū demonstrant. Verū consignatio illa, quæ per modū crucis fit, nō modo Paßionē, sed consequenter et ā Incarnationem filij Dei repræsentat. Progreßio autem dexteræ à sinistro ad dexterum, nō verò à dextero ad sinistrum, significat nos per Paßionem Domini nostri à transitorijs ad æterna, & à morte ad vitam translatos esse.

D. *Quibus de caußis signum crucis fit?*

M. Primum quidem fit ideo, vt contestemur nos Christianos esse, id est, milites Christi Imperatoris nostri, quod symbolum quoddam & tanquam vexillū sit, quo milites Christi ab inimicis Ecclesiæ distinguātur, quales, Pagani, Iudæi, Turcę & Heretici sūt. Secūdò fit hoc signū

crucis

crucis etiã ideò, vt diuinum auxiliũ in omnib. nostris actionib. inuocemus. Nã hoc signo sanctissima Trinitas inuocatur, per merita Passionis Christi Saluatoris nostri. Et propterea consueuerũt boni Christiani, hoc sibi signũ imprimere, quando aut lecto consurgunt, aut domo exeunt, aut mensæ accubant, aut cubitum concedunt, aut aliquod negotium expediendum suscipiunt. a Denique fit hoc signum ideò, vt aduersus diabolicas tentationes armemur. Diabolus quippe pertimescit signum hoc, & profugit ab eodem, vti malefici supplicij locum videntes. b Liberatur itaque homo per hoc signum crucis sæpissimè à multis, tam spiritualibus, quàm temporalibus periculis, si eius vsum cum fide vera exerceat, fiduciaque diuinæ misericordiæ, meritorumque Domini nostri Iesu Christi instructus sit.

a Tertull. de corona milit. cap. 3.

b Aug. lib. 83. q. 79. Chrysost. hom. 55 in Matt.

CAPVT III.

DECLARATIO SYMBOLI seu XII. Articulorum.

DISCIPVLVS. *Nunc veniamus ad primam doctrinæ Christianæ partem, cupio enim addiscere symbolum Apostolorum?*

M. Symbolum Apostolorum c duodecim partes continet, quas articulos vocamus, suntque duodecim pro numero Apostolorum, qui eos composuerunt, & sunt hi.

c Leo Epist. 17 ad Pulcheriam.

1. Credo in Deũ Patrem Creatorẽ Cœli & terræ.
2. Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum.
3. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.
4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.
5. Descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis.
6. Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.
7. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.
8. Credo in Spiritum sanctum.
9. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.
10. Remissionem peccatorum.
11. Carnis Resurrectionem,
12. Et vitam æternam. Amen.

D. *Explica mihi verbotenus articulum primum: videlicet.* Credo.

M. Tantundem est, ac si diceret: Credo firmiter, & indubitatè omnia illa, quæ his XII. articulis comprehensa sunt, ideò quidem quod ipsemet Deus eos, Apostolos suos docuisset: Apostoli verò Ecclesiam: Ecclesia verò nobis eosdem tradidisset. Et quia impossibile est mentiri Deum, ideo credo multò firmius res illas, quam quas vel oculis videam, vel manibus contrectem.

D. *Quid est,* in Deum.

M. Idem est, ac si diceret: firmiter credendum vnum Deum esse, tametsi illum corporalibus oculis non vsurpemus: Et ille Deus vnus est, quapropter dicit Credo in Deum, & non in Deos? Nec imaginari sibi oportet, Deum alicui rei corporeæ similem fore, quantumuis magna illa ac speciosa sit; sed contra imaginandum, Deum rem spiritualem esse, quæ semper fuerit, ac futura sit; quæ omnia creauerit, item quæ

A omnia impleat, omnia gubernet, sciatque ac videat vniuersa. Denique quicquid vel oculis vsurpes, aut tibi imaginatione repræsentas, de quo dicere cogeris. quod modo mihi repræsentatur Deus non est, quia infinito modo ille est melior.

D. *Quare Deus,* Pater, *vocatur.*

M. Quia reuera Pater est sui vnigeniti Filij, de quo in secundo articulo agendum: deinde quia Pater est omnium bonorum non per naturam, sed per adoptionem: denique quia Pater est omnium creaturarum, non per naturam, nec per adoptionem, sed per creationem, quemadmodum ad secundum articulum dicemus.

D. *Quare dicit,* Omnipotens?

B M. Quia vnum est ex diuinis nominibus Deo proprijs: Et tametsi multa eiusmodi habeat, vti esse æternum, immensum, infinitum & similia, nihilominus hoc loco conuenientissimè Omnipotens vocatur, ne nos difficulter ad id credendum duceremur, quod ipse Cœlos, terramque condidisset ex nihilo, quemadmodum sequentibus verbis aperitur. Quippe illi, qui omnia facit, quæ vult, ideoque Omnipotens est, nihil difficile esse potest. Si verò dixeris Deum mori, aut peccare non posse, & ideò omnia non posse; respondeo, quod posse mori & peccare non potentia, sed impotentia sit, ac si de milite quopiam pugnace diceretur, quod posset omnes vincere, nec vinci quidem ab vno, nihil sane illius fortitudini detrahitur, dicendo, quod vinci non possit: quoniam vinci posse fortitudo non est, sed debilitas.

D. *Quid nomen illud,* Creator, *significat?*

C M. Significat Deum omnia ex nihilo creauisse, & illum solum omnia in nihilum reducere posse. Possunt quidem Angeli & homines facere rem aliquam & destruere, quod etiam possunt dæmones: verum non possunt nisi ex præexistente materia, nec possunt quidquam in nihilum reducere, sed solum rem vnam in alterã commutare, vti Lapicida domum ex nihilo construere non potest, sed ad illam opus habet lapidibus, calce, lignis, illorumque similibus: & vti constructam destruere sic non potest, vt redigatur in nihilum, sed in lapides, puluerem, ligna, similiaq; resoluatur: Sic è contrario Deus Creator ideo solum vocatur, quod solus ille ad rem aliquam creandam condendamque, præexistente materia opus non habeat.

D *D. Quamobrem Creator cœli & terræ dicitur? nunquid Deus etiam aëra, aquam, lapides, animalia, homines, omnesq; alias res creauit?*

M. Nomine cœli & terræ, illa quoque vniuersim accipienda sunt, quæ cęlo terraq; cohibentur. Perinde ac si quis diceret, hominem cõstare anima & corpore, vbi certè omnia illa accipi vult, qui in hominis corpore inueniuntur, videlicet venas, sanguinem, ossa, neruos & similia; item omnia, quæ inueniuntur in anima, videlicet intellectum, voluntatem, memoriam, sensus interiores & exteriores, &c. Sic quoque cœli nomine aërem, volucres cœli, item nubes ac stellas cœlorum complectere, & denique Angelos. Nomine vero terræ omnia comprehende, quæ aëre ambiuntur, vt aquæ maris, & fluminum, quæ sunt in inferioribus terræ partibus constitutæ, insuper omna animalia,

herbæ, lapides, metalla, & vniuersa vel terræ, vel maris gremio comprehensa. Itaque Deus Creator cœli & terræ, quia hæc duo, sunt partes mundi principales. Vna quidem superior quam Angeli inhabitent: altera verò inferior, in qua homines degant: quia & hæ principales Creaturæ sunt, quibus reliquæ omnes inseruiant: quemadmodum ambæ, (eò, quod ex nihilo creatæ sint, & ad tantam dignitatem euectæ) ad seruiendum Deo sunt obligatæ.

EXPLICATIO SECVNDI *articuli.*

D. Explica mihi modò alterum articulum, videlicet, Et in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum.

M. Omnipotens ille Deus, de quo in primo articulo actum est, filium verum habet & naturalem, quem Iesum Christum dicimus; & vt intelligas quomodo Deus hunc Filium generauerit, accipe similitudinem à speculo. Quando quis speculum intuetur, illico producit imaginem, sibi ipsi adeò similem, vt non possit discrimen inueniri, vtpote quæ non solum vultum eius referat, sed etiam motus singulos repræsentet, & vti homo mouetur, sic moueatur etiam imago. Quæ imago adeò similis homini sine vllo labore, sine tempore, sine instrumento, verum derepente, & in ictu oculi momentoque formatur. Eodem pacto considera, cum Deus oculo intellectus speculum Deitatis suæ intueretur, statim imaginem sibimetipsi simillimam formauit: & quia Deus huic imagini totum esse suum, totamque naturam cõtulit (quod nos intuendo facere nequimus) ideo hęc imago verus Dei filius est, tametsi nostræ imagines, quas in speculo cõtuemur, filij nostri non sint. Vnde colligere habes, quomodo Filius Dei De⁹ sit, perindeac Pater Deus est, & idem Deus cum Patre, quia eandem cum Patre substantiam sortitus est. Deinde filium Patre non esse iuniorem, sed semper fuisse, vti Pater semper fuit. Siquidem ex sola Dei visione progressus est, & Deus seipsum semper vidit ac intuitus est. Denique filius Dei non cooperatione fœminæ generatus est in tempore, nec vitiosa libidine, aut alijs imperfectionibus, concomitantibus, sed ex solo Patre, sola vt dictum visione sui ipsius, purissimoque oculo intellectus diuini genitus est.

D. Quare hic Filius Dei, Iesus Christus vocatur?

M. Nomen Iesus Saluatorem significat; Christus vero, quia cognomẽ est, Sacerdotem summum significat, & Regem Regum. Nam vti in explicatione signi crucis attigi, ideo factus est homo Dei filius, vt suo nos sanguine redimeret, & ad æternam salutem reduceret. Atque ideo posteaquam factus homo est, hoc Saluatoris nomen sibi sumpsit, vt ad saluandos homines se venire ostenderet. A Patre quoque honorifico Summi Sacerdotis titulo donatus est, ac supremi Regis, quæ omnia hoc nomen Christus designat: à quo nomine nos Christiani dicimur.

D. Quare vbi nominatur Iesus, aut pileum detrahimus, aut genu flectimus, quod alio Dei nomine audito non facimus?

A M. Ratio est, quia hoc nomen est proprium Filij Dei, cum reliqua omnia sint communia: item per hoc nomen docemur, quomodo Deus sese propter nos, hominem assumendo, humiliauerit. Atque ideò in gratiarum actionem, genua curuamus audito hoc nomine. Quod non modo nos homines facimus, sed etiam Angeli Dei in Cœlo, & dæmones in Inferno genua propter hoc nomen flectunt, illi quidem ex amore spontanei: hi verò ex timore coacti. Voluit namque Deus, vt omnes rationales Creaturæ curuarentur coram filio suo, quandoquidem ipsemet adeò curuasset sese, & vsque ad mortem crucis humiliasset.

D. Quare Iesus Christus, Dominus noster vocatur?

M. Quia vnà cum Patre nos creauit, ideoque noster Patronus est, & Dominus vti Pater: B magis verò, quia per acerbos dolores suos, Passionemque à potestate, & captiuitate Diaboli, vti paulò post dicetur, nos liberauit.

EXPLICATIO TERTII *articuli.*

D. Sequitur tertius articulus explicandus. Quid significat. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

M. Explicatur hoc articulo modus nouus & admirandus Incarnationis filij Dei. Scis omnes homines ex patre ac matre nasci, matremque Virginem non manere, posteaquam concepit & peperit filium: At vero posteaquam Filius Dei incarnatus fuit, noluit Patrem, sed vnicam matrem tantum habere cognomento Mariam, quæ semper Virgo intemerata permansit. Nam C Spiritus sanctus, qui est tertia in Deitate persona, & vnus idemque cum Patre Filioque Deus, pro infinita sua Omnipotentia, ex purissimo sanguine huius virginis, corpus perfectissimi Infantis, eodemque momento nobilissimam animam creauit, & cum corpore Infantis huius vniuit: & hæc omnia Dei Filius in suam personam assumpsit: adeò quidem, vt Iesus Christus, qui antea solùm Deus esset, tandem homo esse cœperit, & quemadmodum qua Deus Patrem habuerit sine Matre, sic qua homo Matrem habuerit sine Patre

D. Libenter exemplo aliquo, aut similitudine intelligerem, quo pacto Virgo concipere potuerit?

M. Arcana Dei mysteria, tametsi non intelligantur, credenda tamen sunt. Plura enim Deus, quam nos ingenio comprehendere possimus, D facere potest: & ideo in initio Symboli dictum est, Deum Omnipotentem esse. Porrò habemus in mundi Creatione huius perpulchrum exemplum. Scis terram ex seipsa ordinariè non producere granum, si prius arata, & consita non sit, & madefacta pluuia, & calefacta sole: nihilominus in principio quando primum granum produxit, terra arata non fuit, nec consita, nec compluta, nec calefacta: & sic (suo modo loquendo) omnino Virgo se habuit, & solum ex mandato Dei omnipotentis per virtutem eiusdem Dei illico triticum frumentumque produxit. Sic quoque & virginalis vterus Mariæ absque vllo humano commercio, ex solo præcepto Dei per operationem Spiritus S. pretiosissimum illud granum, scilicet animatum corpus Filij Dei produxit.

D. Quan-

D. Quandoquidem Iesus Christus à Spiritu S. conceptus est, existimo, non inconuenienter dici posse Spiritum S. quoad Humanitatem eius Patrem esse?

M. Non est ita, Patrem enim esse aliquem rei alicuius, non sufficit facere illã, sed illã ex propria substantia facere, ideoque dicimus Lapicidam non esse Patrem alicuius domus à se factæ, siquidem ex lapidibus illam, non verò ex propria carne construit. Age verò Spiritus sanctus fecit corpus Filij Dei, at fecit de carne Virginis, non verò de sua propria substantia, ideoque Filius Dei non est filius Spiritus sancti, sed est Filius Dei Patris in quantum Deus, quoniam ab illo diuinitatem habet; & est filius Virginis in quantum homo, quia ab illa carnem humanam suscepit.

D. Quare opus Incarnationis Filij Dei adscribitur Spiritui sancto? nunquid etiam Pater ac Filius sunt cooperati?

M. Quod operatur vna persona diuina, id operantur etiam simul reliquæ duæ, quoniam eandem habent potentiam, ac bonitatem: sed nihilominus opera potentiæ attribuuntur Patri, sapientiæ verò Filio, amoris denique Spiritui sancto. Hoc vero opus cum maximè proprium amoris fuerit, quo Deus erga humanum genus exarserat, ideò Deo Spiritui sancto tanquam proprium defertur.

D. Doce exemplo aliquo, quo pacto tres personæ ad Incarnationem concurrerint, & solus filius sit incarnatus.

M. Si vnus homo vestem induat, & duo alij illum in induendo iuuent, tum illorum res in illo opere occupantur, & tamen vnus solùm induitur: Sic in consummatione Incarnationis Filij Dei, tres personæ quidem sibi inuicem præsto fuére, sed solus Dei Filius humanam carnem induit, & homo factus est.

D. Quare adijcitur in articulo hoc: natus ex Maria Virgine.

M. Quia & hic magnum miraculum reconditum latet: siquidem post nouem menses Filius Dei ex vtero Virginis Matris, sine dolore, detrimentoque Virginitatis egressus est, nullum signum natiuitatis suæ relinquendo: vti fecit etiam, cum in Resurrectione sua clauso sepulchro prodijt, & in cænaculum postmodum clausis foribus est ingressus, vbi discipuli eius pariter congregati erant, iterumque disparuit. Et propterea dicitur, quod Mater Domini nostri Iesu Christi ante partum, in partu, & post partum Virgo permanserit.

EXPLICATIO QVARTI *articuli.*

D. Quomodo illa verba, quæ in quarto articulo sequuntur intelligenda sunt, scilicet, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus?

M. Articulus ille mysterium vtilissimum continet Redemptionis, cuius hæc summa est. Posteaquam Christus conuersatus esset in hoc mundo triginta tribus annis, nosque sua vitâ sanctissima, & doctrina, ac miraculis viam salutis docuisset, à Pontio Pilato innocenter flagellatus est, lignoque crucis affixus, in quo & mortuus est, & à quibusdam viris sanctis sepultus.

A *D. Super hoc mysterio aliquot mihi dubia occurrunt, quæ vt mihi explices desidero, quo tanto me gratiorem erga Deum illius beneficij ergo exhibere sciam, quanto melius id intellexero. Quare dic mihi, si Christus est Filius Dei Omnipotentis, cur manibus Pilati à Patre suo ereptus non fuit? quin imo, si Christus est Filius Dei Patris, cur semetipsum non eripuit?*

M. Potuisset Christus mille modis se manibus Pilati subducere, si modo placuisset: immo mundus qua patet, vniuersus, nullo illum malo afficere potuisset, si voluntatis eius fuisset. Quod hinc perspicuè colligi potest. Nam diu ante præsciuit, suisque prædixit discipulis, Iudæos se ad mortem inquisituros esse, irrisuros, flagellaturos & denique occisuros: non tamen sese abscondit ab illis, sed magis obuiam inimicis suis processit, quibus se comprehendere
B machinantibus, non tamen agnoscentibus, dixit, se esse, quem quærerent. Et cum eodem momento illi retrorsum caderent, vt mortui, non retrocesit vt potuit: sed quoad redirent ad se, & consurgerent, expectauit; & tum demum sese vt agnum mansuetissimum abduci, quo illis lubebat, permisit.

D. Qua de caussa Christus cùm adeo esset innocens, iniustè crucifigi, & occidi voluit?

M. Multis quidem de caussis, quarum præcipua est, vt Deo Patri pro peccatis nostris satisfaceret. Tua enim interest scire, offensam ex dignitate offensi ponderandam: contra verò, satisfactionem ex dignitate satisfacientis pensitandam; patet in exemplo. Si seruus principi colaphum infringat, pro excessu vtique gra-
C uissimo propter dignitatem principis, id habetur: at verò si Princeps id seruo faciat, In minimis id certè, propter vilitatem serui, ponitur. Item si seruus ob principem pileum deponat, parui penditur: è contrario autem, si Princeps in gratiam serui eundem detrahat, ex vi supradictæ regulæ, maximi fit. Age verò, posteaquã primus homo, & nos omnes cum illo Deum, qui infinitæ dignitatis est, offenderimus, offensa facta infinitam satisfactionem requisiuit. Ad quam dignitatem cum nec homo, nec Angelus penetrare posset, Filius Dei tandem ipsemet venit, qui vt Deus infinitæ dignitatis erat, & assumptâ carne mortali, in eadem carne se morti crucis ad honorem Dei subiecit, & hoc pacto sua pœnâ pro nostra culpa satisfecit.

D *D. Quæ est altera caussa, quamobrem Christus adeò acerbam mortem exhaurire voluerit?*

M. Vt nimirum suo exemplo virtutem patientiæ, humilitatis, obedientiæ, ac charitatis doceret, quæ quatuor virtutes, quatuor extremitatibus crucis consignantur. Patientia enim maior inueniri nequit, quam mortem adeò ignominiosam innocenter pati: Nec maior humilitas, quam Dominum Dominorum omnium in crucem in medio latronum tolli: Nec maior obedientia, mortem potius malle exsorbere, quam præceptum moriendi Patris non adimplere: Nec denique maior charitas, quam vitam in hostium suorum salutem, expendere. Vbi nota charitatem factis magis, quã verbis: & magis passione ipsâ, quam factis demonstrari. Nam Christus non solũ infinitis penè in nos exhibitis beneficijs, sed etiã passione

ac morte ipsa, quod ardentissimè nos diligeret, ostendit.

D. Cùm Christus Deus & homo sit, vt supra dictum est, & Deus passionis omnis mortisq́; expers sit, quo pacto hic dicimus passum illum, & mortuum esse?

M. Ideò, quia Deus & homo sit, potest simul & pati & non pati; mori & non mori: In quantum porro Deus est, non potest pati nec mori: in quantum autem homo est, pati morique potest. Vnde dixi, quia Deus erat, hominem factum esse, vt pro peccatis nostris satisfaceret, pœna mortis in sanctissima carne sua susceptâ, quam vtique si homo factus non fuisset, sustinere nequiuisset.

D. Si ergo Christus Patri pro peccatis omnium hominum satisfecit, vnde est, tot homines damnari: & quare vt pœnitentiam pro peccatis nostris faciamus opus est?

M. Christus quidem pro peccatis omnium hominum abundè satisfecit, nihilominus necessarium est, illam satisfactionem ab hoc & ab illo applicari sibi in particulari. Quod fit per fidem, per Sacramenta & bona opera, & præsertim per pœnitentiam; atque ideò pœnitentiæ ac bonis operibus insistendum homini est, tametsi Christus pro nobis passus sit, ac satisfecerit. Quapropter & multi damnantur, & inimici Dei manent, aut quia recipere fidem recusarunt, vt Iudæi, Turci, Hæretici: aut adire Sacramenta noluerunt, vt sunt qui baptismum admittere renuunt, immo nec confiteri, nec pro virili diluere peccata pœnitendo contendunt, nec diuinis præceptis congruenter viuere, proponunt.

D. Quod peto mihi exemplo declarari.

M. Cape exemplum hoc. Si quis esset, qui multum laboraret, & labore suo ac molestijs magnam pecuniæ summam lucraretur, quæ ad vniuersa huius vrbis debita deponenda sufficeret, eamque ad mensam daret, cum hac tamen cautela, vt ea nulli, nisi qui aliquod ab eo testimonium adferret, porrigeretur: Is certè, quantum ex parte sua esset, pro omnibus satisfecit, quorum tamen multi obærati manebunt, quia aut superbia, siue desidia, alijsve malis præpediti, vel testimonium nullum petunt, vel certè ad mensam comparere, vt pecuniam accipiant, respuunt.

EXPLICATIO QVINTI articuli.

D. In quinto articulo dicitur: Descendit ad inferos, tertiâ die resurrexit à mortuis: *vbi, quid Infernus significet, scire cupio?*

M. Infernus infimus est, & profundissimus locus totius mundi, id est, centrum, atque ideo in multis locis scriptura opponit Inferno Cœlum, velut locum altissimum loco infimo. Cæterùm in illa abysso terræ, quatuor distinctæ cauernæ sunt, seu magna receptacula. Vnum damnatorum, quod omnium profundissimum est: Sic enim cōuenit, vt superbi Diaboli, & homines eorū sequaces sint in loco profundissimo & maximè à paradiso quàm inueniri potest, remoto. In altero receptaculo, quod paulo altius est, animæ illæ, quæ pœnam purgatorij exsorbent etiam nunc reperiuntur.

A In tertio verò, quod vtroque adhuc altius est, sunt animæ puerorum sine baptismo decedentium, qui ignis pœnâ non torquentur, sed solum pœnam damni, id est, visionis beatificæ priuationem sustinent. In quarto autem quod tribus illis multo superius est, animæ Patriarcharum & Prophetarum, aliorumque Sanctorum ante aduentum Christi mortuorum, degunt. Tametsi enim hæ sanctæ animæ purgationis indigæ non fuerint; non tamen antè gloriam intrare potuerunt, quam morte sua Christus portas æternæ vitæ reserasset. Quare tam diu subsistere in illo loco coactæ sunt, qui limbus Patrum quoque, seu sinus Abrahæ vocatur: in quo tantum abest, vt pœnam sustinuerint, vt etiam iucundâ corporis quiete, magno cum iubilo aduentum Domini ex-

B pectantes, perfruitæ sint. Et sic in Euangelio legimus animam Lazari mendici ad quiescendum, in sinum Abrahæ delatam esse, vbi à diuite Epulone visa fuit, qui cum in Inferni flammis arderet, oculos suos supra se leuauit, & Lazarum in longè altiore loco degere, magno gaudio ac consolatione perfusum, fructumque patientiæ suæ percipientem, conspexit.

D. Ad quem ergo horum quatuor locorum Inferni descendit Christus post mortem suam?

M. Non est dubium, quin descenderit ad lymbum Sanctorum Patrum, eosque derepentè beatos reddiderit, & ad cœlorum regnum secum perduxerit. Item in alijs quoque Inferni locis seipsum spectandum præbuerit, ter-

C ritando Dæmones, vt victoriosus Triumphator: damnatos vt supremus Iudex percellendo: animas vero purgatorij, vt earum Aduocatus & Liberator consolando. Sic enim descendit Christus ad Inferos, quemadmodum subinde Rex carcerem ingreditur, vt miseros inuisat, gratiamque singulis exhibeat.

D. Cùm Christus iam mortuus esset, & corpus eius in sepulchro depositum, non integer Christus descendit ad Inferos, sed solum anima Christi: Quomodo ergo dici potest Christum ad Inferos descendisse?

M. Tam fortis nihilominus mors fuit, vt animam Christi à corpore separauerit, non tamen potuit ab eiusdem Christi, siue corpore, siue anima personam diuinam separare. Hinc credimus, diuinam personam Christi cum corpore

D in sepulchro decubuisse, eandemque cum anima ad inferos descendisse.

D. Quomodo verificari potest, Christum tertia die à mortuis resurrexisse, quandoquidem ad vesperum diei Veneris sepulto iam Christo, vsque ad noctem præcedentem Dominicam diem, quâ resurrexit, non sint duo dies integri?

M. Non dicimus Christum post tres dies, sed tertio die à mortuis excitatum esse, quod est verissimum. Nam in sepulchro die Veneris fuit, qui primus dies fuit non integer: deinde vero die Sabbathi solido, qui alter dies censetur: & denique aliqua diei Dominicæ parte, qui tertius numeratur. Quia dies naturales exordium à vespero præcedente sumunt, quo dies iuxta ac nox se dirimunt.

D. Quamobrem Christus non fuit subitò resuscitatus post mortem, sed triduum exspectare voluit?

M. Quia

M. Quia se reuera mortuum esse ostēdit; ideò quippe tam diu in sepulchro demorari voluit, vt sufficienter huius rei veritatem comprobare posset: Vbi quoque & hoc considerandum est, quod quemadmodum Christus triginta tribus annis, aut quatuor in vita hac, mortalis homo vixit: Sic quoque mortis dominio triginta tribus, aut quatuor horis subesse decreuit. Tot enim horæ numerantur, si vnam horam diei veneris, cuius vigesimâ tertiâ hora sepultus fuit, & viginti quatuor horas diei Sabbathi, & octo, aut nouem horas diei Dominicæ simul componamus, quia resuscitatus Christus est, post mediam noctem illucescente aurorâ.

D. *Quare de Christo dicitur, quod resurrexerit, de alijs verò defunctis vt Lazaro & viduæ filio, quod resuscitati sint?*

B M. Huius ratio est, quod Christus existens filius Dei, seipsum resuscitauerit, id est, virtute diuinitatis suæ, animam nimirum corpori vniendo, & sic de nouo viuere sit exorsus. At verò alij mortui cum ad vitam propriâ virtute redire nequiuerint, ideò dicitur, quod ab alio resuscitati sint; vti in extremo iudicij die omnes nos à Christo resuscitabimur. ad Rom. 6.

D. *Estne aliud insuper discrimen, inter Resurrectionem Christi & aliorum, qui ad vitam redierunt?*

M. Hoc discrimen est, quod alij resuscitati sint mortales, ideoque denuo morituri sint: Christus autē immortalis resurrexerit, nec amplius morti obnoxius esse possit.

DECLARATIO SEXTI articuli.

C D. *Nunc ad Sextum articulum progredimur, qui de Christi Ascensione agit: vbi primum scire desidero, quam diu Christus in terris post Resurrectionem manserit, & qua de caussa?*

M. Quadraginta dies mansit, vti colligere possumus ex diebus, qui à festo Resurrectionis, vsque ad festum Ascensionis decurrunt. Caussa autem propter quam tam diu in terris commoratus fuerit, est, quod multis diuersisq; apparitionibus voluerit infallibilis Resurrectionis suæ mysterium stabilire: quia mysterium illud difficilius reliquis est, quod qui credit, difficultatem nullam in alijs credendis habet. Siquidem qui resurgit, hunc ante mortuum fuisse necesse est; item mortuum iam ante nasci oportuit. Et sic quicunq; Christi Resurrectioni assentitur, haud difficilem se in credenda eius morte ac Natiuitate præbebit. Vnde cum corpori glorioso mansio terrestris non conueniat, sed cœlestis; ideò qui credit resurrectionem Saluatoris, facillimè quoque Ascensionem eius in Cœlos credet.

D D. *Qua de causa tribuitur Christo, quod ascenderit ad cœlos, & de eius sanctissima Matre, quod assumpta sit dicitur, non verò quod ascenderit?*

M. Huius caussam reddere facillimū est; quia Christus, vt Deus & homo virtute propria cœlos penetrauit, vti etiam virtute propria resurrexit. Mater autem quia Creatura erat, omniū tamen dignissima, non virtute propriâ sed Spiritus sancti resuscitata fuit, & ad regnum cœleste assumpta.

D. *Quid significant illa verba,* Sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis?

A M. Caue, imagineris tibi à sinistris Filij considere Patrem: aut Patrem in medio esse, & à dexteris filium, à sinistris verò Spiritum sanctum corporali specie constitutum esse. Quoniam vti Pater, sic & filius per diuinitatem suam, vt & Spiritus sanctus, æquales sunt; nec potest dici, quod vnus à dexteris, aut à sinistris alter propriè loquendo consistat. Sed stare à dexteris in hoc articulo tantundem est, atque in æquali celsitudine, *a* gloria ac maiestate versari, ac proinde qui alteri à latere sedet, non sedet altiore, nec humiliore loco quam ille. Quo verò hic loquendi modus melius intelligatur, ait Scriptura in Psalmo 109. sic incipiente. *Dixit Dominus Domino meo,* nunc filium à dextris Patris sedere, nunc verò Patrem à dextris filij stare, vtiq; significans eos paris eminentiæ esse, vti ante diximus: adeò vt quemadmodum Christus cœlos ascendens, ante omnes choros Angelorum & ordines, sanctarumque animarum cætum quem eo secum traduxit, locum occupauit, thronumque gloriæ Altissimi attigit; sic etiam ibidem subsistit, neque supra Patrem conscendit, nec infra Patrem consedit: sed ad Patris latus, (sic loquendo) sedit, vt qui parem cum eo gloriam ac maiestatem possideat. *a Greg. Nazianz. orat. 38 quæ est de Natiuit. Dom. Ambros. in epist. 8. ad Eccles. Vercell.*

D. *Quandoquidem Christus Deus & homo est, cupio scire num ad dexteram Dei Patris sedeat, in quantum Deus solùm est, an vero etiam in quantum homo?*

M. Christus in quantum Deus, est æqualis suo Patri; & in quantum homo, est minor patre; nihilominus, quia Deus & homo est, non sunt duo Christi, nec duæ personæ, sed tantum vnus Christus, & vna persona; propterea dicitur Christum Deum, & hominem sedere ad dexteram Dei Patris, & sic humanitas Domini nostri, id est, caro eius & anima, sedēt in throno diuino ad dexteram Dei Patris; non ex dignitate propriâ, sed quia cum persona veri & naturalis filij Dei vnita sunt.

D. *Hoc ipsum, quæso in aliqua similitudine, mihi propone.*

M. Hanc dabo eiusmodi. Quando Rex purpurâ amictus in regali solio sedet, & omnes Principes Imperij in humiliori loco quam Rex, consident, purpura Regis excelsiore in loco est certè quam Principes illi, quia in solio regali ipsomet est. Quod ideò fit, non quia purpura æqualis dignitatis cum Rege est, sed quia cum Rege, vt proprius amictus, vnita est: sic quoque sedet corpus & anima Christi super omnes Cherubim & Seraphim in throno Dei ipsomet: non propter dignitatem naturæ, sed propter vnionem cum diuinitate: & non solum, vt purpura cum Rege connexa est, sed multò copulatius & arctius, nimirum per vnionem personalem, vti dictum est.

DECLARATIO ARTICVLI Septimi.

D. Vnde venturus est iudicare viuos & mortuos, *Quando amabo, ille aduentus Domini nostri futurus est?*

M. Erit in fine mundi aduentus ille; quamobrem scire te cupio mundum hunc aliquando

a Matth 24 2 Pet. 3. Marc. 13 finiendum, a & omninò destruendum esse per per ignem, (vti in diluuio factum fuerat) qui omnia quæcunque in terris sunt, consumet. Et non amplius dies neque nox erunt, non matrimonia nec mercaturæ, nec vllæ aliæ res, quas modo videmus. Sic quoque in vltimo die mundi huius (de quo nemo, quam vicinus, aut remotus sit, nouit,) descendet Christus de cœlo, vt generale iudicium instituat. Et verba illa, *vnde venturus est*, erudiunt nos, non credere vel vni, qui se Christum esse iactitat, & nos inescare contendit, vti in fine mundi AntiChristus facturus est. Nam verus Christus, ex deserto non veniet, nec à loco incognito; sed à summo Cœlo descendet cum tanta gloria & Maiestate, vt nemo dubitare possit, num sit, an verò non sit. Quemadmodum in Sole Oriente fit, qui cum tanto lumine prorumpit, vt nemo dubitare queat, num Sol ille sit, an verò non sit.

D. *Quare dicimus, quod* iudicabit viuos & mortuos? *nonne tum homines omnes mortui erunt, & à morte resuscitati?*

M. Per viuos & mortuos accipi possunt primo boni, qui spiritualiter in gratia Dei viuunt; deinde verò mali, qui spiritualiter per peccatum mortui sunt. Cæterum & hoc verum est, descensurum Christum de Cœlo ad iudicandum viuos & mortuos, quoad corpus. Nam in illo die multi erunt mortui, & multi quoque viui inuenientur, qui tametsi viui illo a vltimo die sint, & plerique eorum adolescentuli, & pueri, nihilominus vno instanti morientur omnes, & in momento denuo resurgent, vt debitum naturæ persoluant. August. de Ciu. Dei, lib. 20. cap. 20.

D. *Frequenter audiui, quod is, qui moritur in peccato mortali, subitò ad infernum vadat; qui vero in gratia Dei, is vel ad purgantem ignem, vel ad Paradisum tendat, quomodo ergo iudicari poterunt, si sententia lata est?*

M. In cuiusque hominis morte particulare iudicium super animâ ex corpore tum decedente, instituitur. In extremo vero Iudicij die generale iudicium super toto mundo instituitur. Et id quidem multis de caussis. Primò, propter honorem Dei, quia multi videntes fœlicitatem impiorum, & bonorum tribulationem, Deum non rectè mundum administrare, iudicant. Tum verò clarissimè apparebit, Deum vidisse omnia, & subnotasse, & iusto iudicio impijs temporariam fœlicitatem indulsisse, vt aliqua eorum bona opera breuiusculo tempore remuneraretur, æternam postmodum pœnam illis ob peccata mortalia inflicturus. E contrario verò bonos temporalibus pœnis exercere, tum vt illos propter venialia peccata castiget, tum verò vt patientiæ illis materiam suppeditet, quandoquidem infinito illos gloriæ thesauro propter bona opera sit donaturus. Secundò propter honorem Christi, qui cum iniustè condemnatus esset, nec multi eum cognouissent & honorassent, vt par erat, rationabile inprimis erat, diem vnum constitui, in quo siue coactè, siue spontaneè, totus mundus, eum vt Regem ac Dominum Vniuersorum agnosceret, ac honoraret. Tertiò propter gloriam sanctorum, quo illi, qui à mundo persecutionem tyrannidemque excepissent, ab omnibus & singulis quantopere Deus illos honorasset, viderentur. Quartò ad ignominiam, & consumptionem superborum, hostiumque Dei. Quintò, vt corpus & anima simul sententiam suam, siue gloriæ, siue damnationis acciperent.

A

DECLARATIO ARTICVLI Octaui.

D. *Articulus octauus est eiusmodi:* Credo in Spiritum sanctum. *Quid vero intelligit per Spiritum sanctum?*

M. Tertia persona Sanctissimæ Trinitatis hic demonstratur, vti in primo articulo prima, & in secundo articulo secunda persona est demõstrata: adeò vt Spiritus sanctus nec Pater sit, nec Filius; sed tertia persona, à Patre filioque procedens, verusque Deus, cum Patre & Filio; immo Deus ipsemet, quia nimirum cum Patre, & Filio, paris diuinitatis est.

B

D. *Idipsum aliqua mihi similitudine ostende.*

M. Res diuinæ perfectè ostendi nequeunt, rerum creatarum & præsertim materialium exemplis: nihilominus similitudinẽ maris seu lacus accipe. Nam mare à flumine producitur, vti flumen à fonte prorumpit, quæ pura illa atque eadem aqua est: Sic ergo Pater æternus, vt fons, producit filium vt flumen, & tandem Pater, & Filius, vt fons, ac flumen Spiritum S. producunt, vti mare aliquod: vbi nihilominus Pater, & Filius, & Spiritus S. non sunt tres Dij, sed vnus Deus.

D. *Quare tertia persona in Sanctissima Trinitate Spiritus S. vocatur, nonne etiam omnes Angeli, omnesq; animæ beatæ Spiritus sunt?*

C

M. Per excellentiam vocatur Deus: Spiritus verò sanctus, ideo, quia maximè Sanctus est, omnisque Spiritus creati fabricator, ac sanctitatis. Quemadmodum multi inter homines sunt, qui Patres & sancti vocitentur, aut propter officium, aut vitæ integritatem, vt boni Episcopi, Presbyteri, & Religiosi, nihilominus nemo Pater Sanctus vocatur, nisi Summus Pontifex: quia id ipsum ei per excellentiam conuenit, quandoquidem ille caput omnium est, & sanctitate vitæ, officijque sui dignitate, tanquam Personam Christi repræsentans, omnes alios antecellit.

D. *Quod si nomen Spiritus sancti conuenit Deo per excellentiam, quamobrem tertiæ duntaxat personæ attribuitur? nonne etiam Pater, & Filius Spiritus sunt, & sancti?*

D

M. Ita, omninò sunt; at verò cum prima persona proprium nomen habeat, nempe Patris; & secunda persona, nempe Filij; tertium hoc nomen commmune, tertiæ personæ cessit, quo ab alijs duabus discerneretur. Insuper & hoc sciri debet, si quando tertia persona Spiritus sanctus vocitetur, duas illas voculas vnum nomen efficere, vti vnus homo Ioannes Petrus dicitur; quæ coniunctim vnum quidem nomen designant, tametsi diuisim duo nomina propria existant Ioannes & Petrus.

D. *Quamobrem Spiritus S. in columbæ specie præsertim super Christi eiusq; Matris effigie depingitur?*

M. Nequaquam hic considerandum est, Spiritum sanctum corpus habere, aut oculis corpo-

ralibus

ralibus videri posse;sed ideò sic depingitur, vt illius effectus quos in hominibus operatur, explicentur. Et quia columba simplex est, pura, zelosa & fœcunda, ideò super Christo ac D. Virgine pingitur,vt Christum ac D.Virginem omnibus donis ac gratijs Spiritus S. repletos fuisse intelligamus, & præsertim sancta simplicitate,puritate,animarum zelo, ac spirituali fœcunditate, quibus infinitos filios, nimirum fideles omnes, bonosque Christianos acquisiuerunt.

D. Quare super Apostolis Spiritus S.in specie ignearum linguarum pictus collocatur?

M. Quia nimirum Spiritus S. decimo post Ascensionem Domini die in Apostolos descendit,eosque omni sapientia,amore ac misericordia adimpleuit, eisque qualibet lingua loqui, vt fidem in Vniuerso mundo prædicando disseminarent, elargitus est. Et ideò in signum horum admirandorum effectuum,hæ illis linguæ apparuêre. Nam lumen ignis huius sapientiam significat,vt ardor eiusdem charitatem,& linguæ species eloquentiam designant. Quod quidem cum vnum ex maximis beneficijs sit, quæ Deus Ecclesiæ exhibuit,iccirco ingens festum,quod vel Pentecostes, vel Spiritus S.vocatur,annuè celebrat Ecclesia.

DECLARATIO NONI *articuli.*

D. Quid nono articulo,nimirum, Sanctam Ecclesiam Catholicam,Sanctorum communionem; *designatur.*

M. Incipit hic altera pars Symboli Apostolici. Nam prima pars de Deo agit, altera verò de Ecclesia tanquam sponsa Dei. Vt enim in Deo diuinitatem eius,& tres personas credimus; ita quoque in Ecclesia, Ecclesiam vnam credimus, & quæ tria præcipua bona complectatur: quorum primum ad animam pertinet, quod remissio peccatorum est: alterum verò ad corpus,quod est resurrectio carnis:tertium autem & animam & corpus simul respicit, quod vita æterna est, vt in sequentibus articulis videbitur.

D. Hunc,quæso,articulum de verbo ad verbum mihi explica,& primò quid sit Ecclesia?

M. Ecclesia est quædam conuocatio ac congregatio hominum baptizatorum, qui eandem fidem, & legem Christi sub Romani Pontificis obedientiâ,profitentur. Vocatur autem conuocatio,quia nos,Christiani non nascimur, quemadmodum nascimur vel Itali, vel Franci, aut alterius nationis.Sumus enim à Deo vocati, & in hanc congregationem per baptismum ingressi, qui tanquam ianua Ecclesiæ est. At verò baptismus solus non sufficit, vt simus in Ecclesia, sed opus est credere, & fidem sanctam, Christique legem profiteri, vti illam Pastores, Concionatoresque Ecclesiæ proponunt: nec hoc solum sufficit, sed etiam obedientiæ Romani Pontificis tanquam Christi Vicari subijci oportet,quod est illum velut supremum caput Christi loco ,& recognoscere & habere.

D. Quandoquidem Ecclesia congregatio hominum est,quare ergo fabricæ illæ,in quibus SS. Missæ sacrificium, aliaq; diuina officia peraguntur, appellantur Ecclesiæ?

A M. Quia fideles, qui vera Ecclesia sunt,in illis fabricis congregantur, vt exercitia Christiana ibidem tractent; quapropter etiam Ecclesiæ dicuntur, præsertim, quando diuino cultui consecratæ & dedicatæ sunt. Cæterum nos in isto Symboli articulo, non loquimur de Ecclesijs ex saxis linguisque fabrefactis, sed de viuâ Ecclesia, qualis fideles sunt, baptizati, & ab obedientia Romani Pontificis, vt dictum est,pendentes.

D. Quare Ecclesia dicitur & non Ecclesiæ, cum multæ Ecclesiæ in diuersis mundi partibus reperiantur?

M. Quia non nisi vna Ecclesia est, fideles omnes totius mundi complectens,non solum modo in viuis constitutos, verum etiam eos,qui à mundi principio fuerunt,& vsque ad consum-

B mationem eiusdem futuri sint.Et ideò non solum vna; sed & Catholica vocitatur, quia ad quamlibet regionem, seu plagam tempusque quodlibet sese extendit.

D. Quare vna dicitur Ecclesia, cum tantam hominum multitudinem complectatur?

M. Vna vocatur, quia non nisi vnum caput habet,nimirum Christum, & illius loco hic in terris Romanum Pontificem, & quia spiritu vno, & vna eademque lege vegetatur: quemadmodum regnum dicitur vnum, quod Regem duntaxat vnum, vnamque legem habet; tametsi in illo regno prouinciæ multæ, ciuitates ac pagi inueniantur.

D. Quamobrem hæc Ecclesia sancta vocatur, cùm tamen per plures in ea scelerati existant?

M. Tribus potissimum de caussis Sancta

C vocatur.Prima est,quia caput eius,quod Christus est,est sanctissimum; quemadmodum homo formosa facie formosus dicitur, tametsi distortum digitum,aut maculam siue in pectore,siue in humero habeat. Secunda est,quia fideles omnes sancti sunt per fidem eiusq; professionem: Habent enim fidem vnam eamque verissimam ac diuinam; habent vsum Sacramentorum sanctissimorum eundem, item legem eandem, & quidem iustissimam, vtpote quæ non nisi bona præcipiat, & prohibeat mala. Tertia, quia aliqui reuera in Ecclesia non modo propter fidem ac professionem eandem: sed etiam propter virtutem ac morum integritatem sancti sunt: vti è contrario Iudæi, Turcæ, Hæretici & similes nationes extra Ec-

D clesiam existentes, nullo modo reuera sancti esse possunt.

D. Quid autem significat, Communionem Sanctorum?

M. Nihil aliud est,quam dicere corpus Ecclesiæ eo modo vnitum esse, vt si bene vni membro sit, bene sit & reliquis.a Hinc quantumuis in remotissimis plerique regionibus degant, nec nobis noti sint, nihilominus Missæ sacrificijs,precibus,diuinis officijs, alijsque id genus bonis operibus eorum communicamus & gaudemus.Quæ communio nō modo in terris est, sed etiam eadem Missæ sacrificia, orationes, bonaque opera in purgatorio existentibus in primis prosunt, vti quoque orationes in cœlo degentium, nobis & animabus in purgatorio constitutis,proficuæ sunt.

a Psalm.118. Rom.12.

D. Quod si ita est,superuacaneum erit pro alio particulatim

ticulatim precari, aut pro hac fine illa anima purgatorij Sacrificium Missæ offerre: quandoquidem bona opera omnia communia sint?

M. Non est ita, tametsi enim sacrificia Missæ, orationes, aliaque bona opera, suo modo communia sint: nihilominus illis magis prosunt, pro quibus particulatim offeruntur, & potius his, quam illis applicantur.

D. *Quid de excommunicatis dicemus, an non & illi bonorum operum à fidelibus præstitorum participes redduntur?*

M. Ideò autem excommunicati dicuntur, quia Sanctorum communione destituti sunt, amissique ab arbore præfectis, aut detruncatis à corpore membris, quæ humore, siue per ramos, siue per membra alia vnita se spargente carent, simillimi sunt. Vnde quanti facienda sit excommunicatio, collige: *a* Non enim potest Deum habere Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.

a Cyp. de vnit. Eccles.

D. *Sunt ergo excommunicati extra Ecclesiam, quemadmodum Iudæi aliiq; infideles?*

M. Ita sunt: nihilominus cum hoc discrimine, *b* quod quidem Iudæi & Turcæ sint extra Ecclesiam, eò quòd nunquam eam per baptismum ingressi sint: hæretici verò, qui baptizati sunt, eò quòd fidem perdiderint, extra eam sunt, quia nimirum egressi sunt sponte ab ea, & facti sunt fugitiui. Quamobrem varijs eos pœnis Ecclesia cogit, vt ad veram fidem vnde exciderunt, redeant, vti pastor ouem ab ouili profugam, pedo, vt repetat ouile, compellit. Verum excommunicati, quia baptismum & fidem habent, ideò in eam sunt ingressi, & non ex se, sed per vim ab ea proscribuntur, vti Pastor scabiosam ouem ab ouili arcet, eamque lupis in prædam dimittit. Non tamen Ecclesia Excommunicatos ea mente exigit, vt perpetuò foris maneant, sed vt super inobedientia sua conterantur, eoque modo humiliati ad Ecclesiam petant redire, & de nouo ad sinum Matris suæ, Sanctorumque communionem recipiantur.

b Hier. in c. 3 ad Tit.

DECLARATIO ARTICVLI *decimi.*

D. *Quid porrò est*, Remissionem peccatorum, *qui decimus Symboli articulus numeratur?*

M. Hoc primum illorum trium principalium bonorum est, quæ in Ecclesia inueniuntur. Vnde sciendum est, homines omnes peccatores nasci & Dei inimicos, & semper de malo in peius pedetentim prolabi, quoad vsque per gratiam Dei aboleantur illorum peccata, & in amicos Dei filiosque denuò asciscantur. Nunc autem gratia illa nusquam nisi in Ecclesia reperitur, in qua vera sunt Sacramenta, & præsertim *c* baptismus ac pœnitentia, quæ velut cœlestes medicinæ homines ab omnibus animæ morbis, id est, peccatis eripiunt, liberantque.

c Ephes. 5. Tit. 3.

D. *Perge paulo melius declarare, quantum bonum Remissio peccatorum sit.*

M. Non inuenitur in mundo peccato maius malum; non solum propterea, quod ex ipso vniuersa tum vitæ huius, tum alterius mala nascantur; sed etiam quod peccatum faciat hominem inimicum Dei. Quid verò peius dici potest, quam illius inimicum esse hominem qui quidlibet quod vult facere potest, & cui nemo potest resistere? aut quis illum cui Deus infensus, potest defendere? E contrario autem non potest in hac vita maius bonum existere, quam in gratia Dei esse. Quis enim nocere potest illi, qui à Deo defenditur, quandoquidem omnia in eius manu sunt? In summa nosti, in rebus corporalibus maximè vitam æstimari, quia ipsa fundamentum bonorum aliorum est omnium: & ideò etiam magis mortem timeri, quia vitæ è diametro contraria est. Nunc verò, quia peccatum, mors spiritualis est animæ, remissio autem peccati, spiritualis vita eiusdem animæ, facillimè subducere poteris, quantum in Ecclesia bonum sit, cum in eâ sola Remissio peccati inueniatur.

DECLARATIO VNDECIMI *articuli.*

D. Quid articulo vndecimo, *Carnis resurrectionem*, significatur?

M. Hoc alterum bonum principale, quod in Ecclesia est, significatur, & quod in extremo Iudicij die omnes illi, quibus remissio peccatorum collata fuerit, reuiuiscant.

D. *Annon & alij, qui extra Ecclesiam sunt, aut remissione peccatorum caruerunt, etiam reuiuiscant?*

M. Quantum ad vitam naturalem attinet, certum est ad eam omnes redire, *d* siue boni sint, siue mali: nihilomninus Resurrectio malorum eo fine instituta est, vt pœnis exerceantur æternis, omnique bono careãt; quamobrem hæc illorum vita potius iugis mors, quam vera vita vocatur: quomodo etiam vera Resurrectio ad æternam vitam non est nisi bonorum, qui ex humanis sine peccato discesserunt.

d 1. Cor 15. Ambr. de fide Resur. Iob. 19.

D. *Quæso dic mihi, num eadem illa corpora, quæ nunc habemus, resurgant, an vero alia his similia?*

M. Non est dubium quin eadem illa corpora, quæ nũc habemus, resurgent, alias vera resurrectio non esset, si nõ resurgeret id ipsum, quod cecidit, nec ad vitam rediret idipsum, quod mortuum est. Ad hæc resurrectio corporis ideo fit, vt corpus nostrum, siue præmij, siue pœnæ particeps reddatur, quemadmodum in partem, siue boni operis, siue peccati, venit: Itaque necessarium est, idem corpus esse, quoniam aliud nec pœnam, nec præmium mereretur.

D. *Quomodo possibile est exustum corpus reuiuiscere, & cuius cineres, aut vento abrepti, aut in flumen proiecti sunt?*

M. *e* Propterea in principio Symboli dictum fuit, Deum omnipotentem esse, quia potest facere illud, quod nobis impossibile videtur. At considerato Deum Cœlum terramque ex nihilo condidisse, haud difficulter credes, illum ad priorem statum hoc posse reducere, quod in fauillas redactum est.

e Aug. de ciuit. Dei lib. 22. c. 20.

D. *Quæso dic mihi, num Viri ad esse Viri, & fæmina ad esse fæmina redeant, num verò omnes idem esse, eandemq; formam habituri sint?*

M. *f* Necessarium est credere Viros ad esse Viri, fœminas verò ad esse fæminæ redituros, quia alias non essent eadem corpora, quæ erant prius, vt iam dixi eadem nimirum corpora resurrectura. Et tametsi in altera vitâ, generatio filio-

f Aug. de ciuit Dei, lib. 22. cap. 17.

filiorum desinat, & neque mariti, nec vxores futuri sint; nihilominus distinctio sexuum mulierem inter ac virum erit, vt quilibet præmio virtutum propriarum fruatur, quas in sexu suo exercuit. Et quemadmodum in paradiso elegans spectaculum erit, gloriam Martyrum ac Confessorum intueri; sic quoque non minus erit elegans gloriam Virginum: elegantissimum verò gloriam Sanctissimæ Matris Domini nostri videre.

D. *Perge porrò mihi dicere, in qua ætate & statura resurgamus, cum alij in pueritia, alij in iuventute, alij in senectute decedant?*

a Aug. de ciuit. Dei l. 22. cap. 15.

M. Omnes resurgemus in illa *a* ætate ac statura quam habueramus, aut habituri eramus in trigesimo tertio aut quarto ætatis nostræ anno, in quo Christus Dominus noster resurrexit. Quare pueri in ea surgent magnitudine, quam, si trigesimum tertium ætatis suæ annum pertigissent, habuissent. Et senes in flore ætatis suæ resurgent, quo cum triginta trium annorum essent, fruebantur. Et si quis in vita hac, siue cæcus aut claudus, siue nanus aut alio modo deformis fuerit, sanus, integer, omnique perfectione præditus, resurget; quia *opera Dei perfecta sunt*, (Deuter. 32.) ideoque in Resurrectione, quod opus est illi proprium, vitia omnia ac defectus naturæ emendabit.

DECLARATIO DVODECIMI *articuli.*

D. *Quid vltimus articulus*, & Vitam æternam, *designat?*

M. Hic perfectam completamque animæ & corporis fœlicitatem designat, illamque summum bonum esse, finemque vltimum, quem eò quòd in Ecclesia simus, acquirimus.

D. *Dic mihi in particulari, quænam sint bona in vita æterna?*

M. Mysterium hoc, aliqua similitudine à re mundi huius petita, ostendam tibi. Nosti in hac vita corpus sanum, elegans, agile, ac robustum desiderari; item animam sapientem, docilem, eruditam quoad intellectum: omnique virtute, quoad voluntatem ornatam: insuper & exteriora bona, vt sunt diuitiæ, honores, potentiæ, voluptates, desiderantur. Age verò in vitâ

b 1. Cor. 15.

æternâ corpus hoc quoad sanitatem, habebit *b* immortalitatem & impassibilitatem, id est, nihil quod ei noxium esse possit: quoad pulchritudinem, claritatem, id est, splendorem solis instar: quoad agilitatem, tanta celeritate præditum erit, vt vno momento ab vnâ mundi parte possit se mouere ad alteram, & à terrâ in cælum vsque citra vllam defatigationem: quoad firmitudinem verò tantum robur habebit, vt sine cibo, sine potu, sine somno, sine quiete Spiritui vacare possit in omnibus, quæ ei necessaria erunt, & nihil timere. Quoad animam autem, intellectus plenus erit sapientia: caussam enim rerum omnium, quæ Deus est, videbunt. Voluntas adeo plena erit charitate & bonitate, vt non possit, vel vnum facere peccatum veniale. Diuitiæ beatorum *c* tantæ erunt, vt nullius rei indigeant, quandoquidem in Deo bonum omne posident. Honor eorum erit, quod Dei sint filij Angelis æquales, Reges item ac Sacerdotes spirituales in æternum futuri. *d* Potestas autem

c Luc. 20. Apoc. 5. & 20

d Aug. de ciuit Dei, lib. 22. cap. vlt.

A erit, quod cum Deo vnà præsides totius orbis, ac conrectores futuri sint, & quidquid voluerint facere posint, quandoquidem adeò vniti voluntati diuinæ erunt, vt eis res nulla resistere possit. Denique gaudium eorum ineffabile erit, quia omnes potentiæ tam corporis, quam animæ maximè suis obiectis, conuenienter attemperabuntur, vt inde perfecta delectatio, & pax inenarrabilis, gaudium item perpetuum, ac iubilus enascatur.

D. *Si omnibus hæc communia sint, omnesq; modo eodem delectentur, vtique in paradiso vnus beatior altero non erit?*

M. Immo cuius in vita hac maius meritum fuerit, is maius præmium habebit, eritque beatior: neque tamen inuidia vlla, aut displicentia in eis erit, quia singuli quoad capacitatem

B suam, replebuntur: & quo maiora merita acquisiuerint, *e* hoc maiorem gloriam obtinebunt. Exempli gratia. Si Pater multos filios haberet, quorum vnus maior altero quoad ætatem esset, & vestem vnicuique ex aurea tela contextam staturæ conformem daret, non est dubium, quin maiores maiorem vestem & pretiosiorem habituri essent, & nihilominus omnes contenti erunt, nec minores maiorum vestes sunt petituri, quia ipsis non benè conuenient.

e Aug. vbi supra.

D. *Quamobrem hæc cælestis paradisi gloria vita æterna vocatur: nunquid etiam damnati æternùm viuent in Inferno?*

M. Vita propriè in illis rebus est, quæ à semetipsis mouentur: quo pacto & aquæ salientes

C fontium viuæ vocantur, quia mouentur: vt aquæ paludosæ, mortuæ, quia stagnant. Ita quoque de Beatis in cœlo dicitur, quod vitam æternam habeât, quia omne illud agere possunt, quod volunt, tam interioribus, quàm exterioribus potentijs sine impedimento; & quolibet momento, semper pro suo beneplacito se exercentes, operantur. Cæterum damnati in Inferno tametsi viuant, quia nunquam se consumere desinêt, nihilominus dicuntur mortem perpetuam exsorbere, quia alligati igni, ac tormêtis erunt, & semper id reluctante voluntate passuri, quod nolunt, nec quod volunt, operari poterunt. Beati verò in Cœlo gaudent de omni bono sine vlla mali mixtura; & damnati in Inferno omne malum, quia nequeant implere quod volunt, patiuntur.

D D. *Quid significat vocula*, Amen, *clausula Symboli appensa?*

M. Tantundem est, ac dicere, hæc veritas est, id est, omne id quod dictum est, verum est ac certum.

CAPVT IV.

EXPLICATIO ORATIONIS Dominicæ.

DISCIPVLVS. *Cognito iā satis illo, quid credendum est, desidero scire quid sperandum, petendumq; mihi sit, & quo id medio, obtinendum?*

M. Omne id, quod à me quæris, in Oratione Dominica continetur, quam nos, *Pater noster* vocamus, quia illa demonstrat, quid petere, & à quo petere debeamus, & illammet orationem medium esse, quo petita impetremus.

D. Quænam oratio Dominica est?

M. Est hæc, Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c.

D. Quare Oratio Dominica cæteris omnibus orationibus anteponitur?

M. Primò, quia excellentior reliquis orationibus omnibus est, eò quòd ab ipsomet Christo Domino, qui summa sapientia est, sit composita. Secundò, quia breuissima est ad discendum, memoriaque retinendum facillima, Et quia omnia, quæ à Deo peti possunt, complectatur. Tertiò, *a* quia vtilissima & efficacissima oratio est, eò quòd ab eo facta sit, qui simul & Iudicis & aduocati nostri partes sustineat, ideoq; melius quolibet nouit, quo pacto, si quid impetrare velimus, petēdum sit. Quartò, *b* quia magis necessaria est omnibus, quippe ad quam tenendam memoria, ac recitandam quotidie, Christiani omnes obligentur. Vnde & quotidiana oratio dicitur, quæ diebus singulis recitetur.

a *Aug. Epist. 121 c 12.*

b *Conc. Tolet 4 can 9. Conc Rem. can 2 Cypr ser 6. Aug. Enchi. cap 71.*

D. Ordire ergo aliquando explicare prima verba, nimirum, Pater noster, qui es in cœlis?

M. Hæc verba paucula perbreuis præfationis, & apparatus instar ad orationem ipsam sunt. Vbi enim dicimus Deum Patrem nostrum esse, audaciam quandam, & ad orandum fiduciam capessimus. Item dicendo, *qui es in cœlis,* nos ipsos commonefacimus, quod ipsum adire magna cum reuerentia, & humilitate debeamus, quippe qui non terrenus, sed cœlestis Pater sit. Deinde vocando eum Patrem, speramus fore, vt in omnibus gratificetur nobis, quæ ab illo petituri sumus. Dicendo verò, quod sit in cœlis, vt Dominus mundi ac Patronus, intelligimus eum, quicquid vult, facere posse. Denique dicendo, *Pater,* innuimus nos filios Dei esse & hæredes Paradisi: at eo, *qui es in cœlis,* significamus nos in terris esse, neq; adhuc hæreditatem nostram obtinere, sed vt peregrinos & viatores in hostili terra versari, eiusque auxilio inprimis indigere.

D. Vnumquodque verbum melius mihi explica?

M. Vocula illa Pater, tametsi Deo rite, vt rerum omnium creatori conueniat; nihilominus in hac oratione Deo, vt bonorum Christianorū Pater est per adoptionem, attribuitur. Verum *c* quidem est, & eos, qui conuerti student, & filij Dei fieri desiderant: posse ad Deum dicere, Pater noster: Illi autem in veritate non possint dicere, Pater noster, qui filij Dei non sint, nec esse velint, nec vllam de conuersione spem concipiant.

c *Cyp. ser. 6. Aug. lib 2. ser in monte cap 8. Greg. Nyss orat 2. de orat. Dom. Hier epist. ad Damasum de filio prodigo.*

D. Quare dicitur, Pater noster, *& non Pater meus?*

M. Dicimus Pater noster, vt significemus nos omnes fratres esse, & vt fratres nos inuicem amare debere, & vnum esse, tanquam vnius Patris filios. Dicitur etiam Pater noster, vt ostendatur communem orationem meliorem esse priuatâ, atque ipsimet oranti fructuosiorem. Cùm enim omnes vnanimiter dicant, Pater noster, singuli orant pro omnibus, & pro singulis omnes.

D. Quare dicimus, qui es in cœlis, *nonne Deus in omni loco est?*

M. Dicimus Deum in cœlis degere, non quasi in omni loco non sit, sed quia cœli nobilior pars mundi sunt, in quibus diuina maiestas, po-A tentia, ac sapientia magis resplendeat; denique in quibus se à facie ad faciem ab Angelis beatisque videri permittat. Dici *d* prætereà potest in cęlis Deum esse, quia modo peculiari in Angelis Sanctisque hominibus, qui cœli spirituales sunt, habitat.

d *Aug lib 2. de serm. in monte. Cyrill Catech 5. Myst.g.*

D. Veniamus nunc ad primam petitionem. Quid verbis illis, Sanctificetur nomen tuum, *continetur?*

M. Nomen hoc loco famam notitiamq; significat: vt cùm dicimus hic magnū nomē habet, quia multis notus est; aut certè bonum nomen vel malum habet, quia famæ bonæ, vel malæ est: aut multis notus est, quia vel vt vir bonus laudatur, vel vt malus passim proscinditur. Itaque *e* nomen Dei sanctificare nihil est aliud, quam Dei notitiam agnitionemque per B totum Mundum spargere, eamque in ore ac corde hominum sanctam illibatamque conseruare, vti in seipsa est. Quia verò in mundo Infideles multi Deum non cognoscentes, multique mali Christiani in Deum blasphemi ac maledici inueniuntur, ideò qui filij Dei sunt, zeloque honoris paterni tanguntur, ingenti cum desiderio precantur, vt nomen eis sanctificetur per orbem vniuersum, id est, vt agnoscatur, ab omnibus adoretur, laudetur, vt par est ac benedicatur.

e *Aug lib. 2. de ser Mōte. Cassian. coll. 6 Bern. ser. 6. de Quadrag.*

D. Quare petimus à Deo, vt ille ab hominibus cognoscatur & laudetur, nonne satius foret, hoc ab hominibus potius petere, quam à Deo?

M. Homo ex seipso Deum cognoscere non potest, nec laudare. Iccirco à Deo, vt sua sancta gratia cooperetur nobis, petimus, quo infideles C alijque peccatores conuertantur, & conuersi cognoscere & laudare ipsius Sanctum nomen incipiant.

D. Quare ab ea petitione hanc inchoamus orationem, Sanctificetur nomen tuum?

M. Obligati sumus ad amandum Deum super omnia, & quidem magis nobismetipsis. Quare ardentiore ac frequentiore desiderio, vt gloria Dei propagetur, quęrendum est, qui propterea quoque creati, & ornati ratione simus, vt cognoscamus laudemusque Deum, in quo etiam, vt deinceps dicetur, summum nostrum bonum consistit.

D. Declara mihi nunc alteram petitionem, scilicet, Adueniat regnum tuum.

M. In hac petitione ordinatè propriam salutem petimus, quandoquidem Dei gloriam, ho-D noremque petiuimus in prima.

D. Quid per voculam regni Dei accipiendum est?

M. Trifariam accipi potest regnum Dei; nam regnum naturæ, regnum gratiæ ac regnum denique gloriæ reperitur. Regnum naturæ est illud, per quod Deus Creaturas omnes regit ac gubernat, vt absolutus rerum omnium Dominus. Tametsi enim peruersi ad faciendum malum incumbant, nec legem Dei obseruent, nihilominus imperat illis Deus; & si videtur, conatus eorum impedit; & licet subinde illis, quod volunt, permittat, postmodum tamen seuerè punit, cum nemo sit, qui illius voluntati queat resistere, aut aliter facere, quam ipse, vel ordinet, vel permittat. Regnum gratiæ illud est, quo Deus animas ac corda bonorum Christianorum, moderatur ac regit, gratiam illis

spiri-

spiritumque diuidendo, vt illi promptè inseruiant, illiusque honorem præ omnibus inuestigent. Regnum gloriæ in altera vita erit post extremum iudicij diem, quia tunc Deus super omnes res creatas sine vllâ resistentiâ regnabit; & tum dæmonibus, flagitiosisque hominibus potestas omnis eripietur, & in perpetuos Inferni carceres protrudentur. Tunc quoque mors ipsa omnisque corruptio, cum vniuersis mundi carnisque tentationibus, quibus modo serui Dei impetuntur, exterminabitur; adeò vt regnum hoc quietum pacificumque futurum sit, in secura possessione perfectæ æternæque fœlicitatis consistens.

D. De quo trium horum regnorum agit nostra petitio.

a Cyr Cate. 5. Mystag. Chrys in c.6. Matth.

M. *a* Non loquitur de primo, quia illud venturum non est, sed iam venit: nec loquitur de secundo, quia de illo in petitione primâ actum est, & maiore ex parte iam venit. Loquitur ergo de tertio regno, quod veniet, magnoque cum desiderio ab omnibus illis exspectatur, qui præsentis vitæ miseriam agnoscant. Vnde in præsenti petitione summum nostrum bonum, & gloria, *b* tum corporis, tum animæ perfecta expetitur.

b Aug lib.2. de serm in monte. Hieron in c. 6 Matt Cass. coll. 6.

D. Quandoquidem regnum illud Dei, quod desideramus ac petimus, mox venturum primùm post extremum iudicij diem initium sumat; quare desideramus ac petimus, vt mundus hic cito finiatur, atque illicò extremus Iudicij dies subsequatur?

M. Ita est, tametsi enim amatores mundi huius tristiora noua audire non possint, quam si extremus iudicij dies frequenter eorum aures circumsonet; nihilominus ciues cęli, qui modo in morem peregrinorum & exulum viuunt, quoad in terris fuerint, nihil vehementius desiderant. Vnde quemadmodum S. Augustinus ait: (In Psalm.118. conc.20.) vti prima desideria Sanctorum antiquæ legis in primo Christi terminabantur aduentu: Sic quoque modò desideria Sanctorum nouæ legis in secundo Christi aduentu, qui perfectam nobis beatitudnem conferet, desinent.

D. Transeamus ad petitionem tertiam, quid significant illa verba, fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra?

M. His verbis, gratiam perfectè diuinis mandatis obsequendi petimus. Cùm enim in altera petitione vita beata, qui est finis hominis, petatur, nunc conueniebat, vt principale medium ad obtinendum finem illum peteretur, quod est obseruatio mandatorum Dei, quia sic Saluator noster (Matth.19.) ait: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Nos namque ex nobismetipsis ad omnia mandata obseruanda sufficientes non sumus, vti par est, ideò petimus à Deo, vt illius voluntas à nobis fiat, id est, vt gratiam det illius voluntatem adimplendi, quod obediendo ei in omnibus, sanctisque præceptis eius respondendo, eueniet.

D. Cupio quoque vlterius scire, num quando voluntatem Dei obseruando, præcepta eius adimplemus, obligati etiam simus voluntatem nostram diuinæ volũtati tribulationẽ nobis immittenti, cõformare?

M. Ad minimum obligati sumus nõ murmurare, nec super diuina prouidentia querelas mouere. *c* Quidquid enim nobis, vel præcipit, vel immittit, ad finem bonum dirigitur, id est, vel materiam maioris meriti si boni simus, vel emendationis, si mali.

c Cypr. serm. de mortal.

D. Quare verba illa, sicut in cœlo & in terra, *adiunguntur?*

M. Vt significetur, *d* adeò nos debere ad obediendum Deo paratos esse; & ad obseruanda illius præcepta cum tanta perfectione, promptitudine, & alacritate ferri, cum quantâ in cœlis Angeli ferantur, qui ne minimum quidem defectum in vniuersis Dei præceptis obseruandis admittant. *e* Potest etiam dici peccatores (per terram significatos) obedire Deo, vti quoque sancti (per cœlum accepti) eidem obediunt. Aut denique Ecclesiam totam (per terram intellectam) perfectè obedire Deo, quemadmodum & Christus, (per cœlum significatus) illi obediuit.

d Aug. ser. 109. de tem. Cyrill Catec. 5. Mystag.

e Chrys. in c. 6. Matth. Cypr ser. 6. Aug. lib. 2. de serm in monte c.11.

D. Veniamus nunc ad quartam petitionem: quid significat, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

M. Rationabiliter imprimis panem hunc petimus, quo vita nostra sustentatur: quandoquidem gratiam petiuimus, quæ ipsamet vita est. Homo enim vitam incipiens, desiderium primum habet cibi, quo vitam conseruat. Aduerte autem, quod in hac petitione primariò panis spiritualis petatur, qui cibus animæ est, secundariò verò corporalis, qui cibus est corporis. Per spiritualem cibum, Sanctissimum Sacramentum altaris accipimus, quod cœlestis panis ac diuinus est, mirabiliter vitam animæ enutriens. Similiter & verbum Dei intelligitur, quod per prædicatores propositum, aut lectione librorum spiritualium acceptum, non parum eandem animæ vitam educat. Denique inspirationem Dei, orationem, & quidquid his affine est, accipimus, quod vel ad sustentationem gratiæ, vel certè ad augmẽtum eius, quam vitam animæ esse diximus, conducibile iudicetur. Per panem corporalem intelligimus omne illud, quod necessarium ad sustentationem vitæ corporalis fuerit, qua velut instrumento in bono faciendo anima vtitur.

D. Quare panis hic, panis noster, *vocatur?*

M. Non sine magno mysterio panis ille, noster vocatur. Quoniam si loquamur de Sanctissimo Sacramento, illud certe panis noster est, quando propter Salutem nostram à Spiritu sancto in vtero Beatissimę Virginis Mariæ formatum est, & in fornace sanctissimæ crucis excoctum, & in altari per manus Sacerdotum apparatum. Immo noster, quia panis proprius filiorum est, *f* nec canibus dari, id est, infidelibus, aut mortali peccato obnoxijs, debet. Si loquamur de doctrina, petimus panem nostrum, id est, illum, qui dispensatur inter germanos Ecclesiæ Sanctæ filios à Concionatoribus, & non alienum panem, quem hæretici suis asseclis obtrudunt, qui panis corruptus & infectus est. Si loquamur autem de pane corporali, petimus, vt nostrum largiri dignetur nobis panem, non verò aliorum hominum, id est, vt nobis in iusto ac licito quæstu assistere, item possessionibus nostris ac vineis, omnibusque laboribus nostris benedicere dignetur, quò remotis furto ac fraudibus, vitæ nostræ necessaria prouideamus.

f Cypr. ser. 6

D. *Quare panem quotidianum vocamus?*

M. Vocatur panis quotidianus, id est, panis diebus singulis necessarius, quia *a* neque superfluum quid, nec curiosum petimus; sed quantum ad simplicem victum siue corporis, siue animæ vno die sufficit; maximè cum peregrinos nos & hospites in hac vita esse sciamus.

a Cypr ser. 6. chrys. in c. 6. Matth.

D. *Quare dicit*, da nobis?

M. Tametsi enim nos ad obtinendum vt spiritualem, sic corporalem panem laboraturi simus; nihilominus scimus in nihilum omnem laborem nostrum recidere, nisi Deus auxiliante sua gratia nobiscum concurrat; quemadmodum sæpe videmus, quod, quantumuis homines in conferendis ac demetendis agris laborent, tamen propter mundi peccata caritatem annonæ importari. *b* Petimus insuper, vt Deus panem nostrum nobis det, id est, non solum in eo procurando & acquirẽdo succurrat, sed etiam dum eum percipimus, sanctificet ac benedicat; vt nimirum nobis proficiat, & animæ corporique vtilis sit.

b Aug serm 135.

D. *Quare vocula illa*, hodie, *adiungitur?*

M. Ista vocula, hodie, totum tempus vitæ temporalis significat. *c* Quare petimus à Deo, vt in tota hac peregrinatione nostra nos pane spirituali iuxta ac corporali, quoad cœlestem Patriam tenuerimus, enutriat; vbi non erit amplius opus Sacramentis, nec concionibus, nedum cibo corporali. Potest etiam dici nos à Deo petere, vt etiam hodie, illum panem nobis distribuat, quia nolumus in crastinum esse solliciti, eò quòd nesciamus, num die crastino victuri simus. Ita enim Christus Seruator noster nos docuit, (Matth. 6.) nempe non nisi de præsenti esse sollicitos. Quamobrem panem, qui hodie solum sufficiat, petimus hodie: & panem cras necessarium cras quoque petemus.

c Cyrill. Catech. 5. Myst. Aug in epist. 121. c. 11.

D. *Ex eo, quod hactenus dictum est, dubium mihi subnascitur. Si enim non nisi de præsenti solliciti esse debeamus, vtique malè faciunt illi, qui à frumento, vino, reliquisque necessarijs in totum annum, sibi prospiciunt?*

M. Dominus noster, quando nõ nisi circa præsens sollicitudinem nostram versari voluit, nihil aliud quam à superfluis curis abstinere, nos docuit, quæ vehementer orationem impediunt, aliaque maioris momenti, quæ ad acquisitionem vitæ beatæ inprimis faciant. Et propterea si illa de futuro cura non sit superflua; sed necessaria vt eo modo, quo dictum est prouideas tibi certè circa futurorum sollicitudinem occupari, malum non est. Immo cura hæc de crastino non est, sed de hodie, quia si semper in crastinum expectare vellemus, nunquam tempestiue necessaria nobis vsuuenirent.

D. *Sequitur iam quinta petitio. Quid verò significat?* Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

M. In præeunte petitione omne bonum à Deo, vt æternum sic temporale petiuimus: nũc verò in tribus sequentibus, vt ab omni malo, præterito, præsenti, ac futuro, liberemur, oramus. Quare agnosces hic verum esse illud, quod superius dixi in hac oratione omne, quod peti potest, cõtineri. Petimus. n. in hac petitione, vt Deus nos à malo præterito eripiat, id est, pec-

A catis, quæ commisimus. Sic enim Dominus noster Apostolos instruxit, (Matth. 5.) dum eos hanc orationem docuit, vt nimirum per debita, peccata acciperentur.

D. *Quare peccata, debita vocantur?*

M. Triplici de caussa. *Prima est*, quia quilibet homo peccans offendit Deum, atque ideò debitor illius est, vt ei pro irrogata iniuria satisfaciat. *Secunda*, Quia qui peccat, legem Dei præuaricatur, & cum lex illa præmium sui obseruatoribus promittat, pœnam verò sui præuaricatoribus intẽtet, ideò præuaricator debitor est, vt memoratam pœnam exsoluat. *Tertia* est, quia quilibet ex nobis ad colendam animæ suæ vineam obligatur, & reddendos fructus bonorum operum Deo. Quare bonis operibus non insistens, Dei debitor est, quippe qui patronus verus ac Dominus harum vinearum B omnium existat. Et quia nos omnes sæpe delinquimus, tum faciendo quod non deberemus facere, tum omittendo, quod deberemus facere, ideò æquum est, indies aliquoties magna cum demissione animi Deum, vt dimittat nobis debita nostra, precari.

D. *Quare hæc etiam verba appenduntur*, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?

M. Quia hic per debita offensæ quoque illæ ac iniuriæ à proximis nobis irrogatæ, accipiuntur, dicimusque Deo, vt nobis iniurias in se cõmissas dimittat, vti nos offensas exceptas à Proximo, illi dimittimus. Quemadmodum enim quis offensas à proximo acceptas dimittens, ad recipiendam suæ offensæ in Deum factæ dona-C tionem dispositus magis est: *d* sic quoque è contrario nolens offensam proximo dimittere, indignum se reddit, cui offensam remittat Deus. Denique dicendo nos etiam inimicis nostris iniurias remittere, misericordiam nobis placere ostendimus, & condonationem illam generosi ac nobilis animi argumentum esse, iudicamus. Vt si quando nos à Deo misericordiam petimus, ille non respondeat, quomodo tu misericordiam à me petis, qui misericordiæ hostis es: & quomodo vt ego tibi condonem, petis, qui condonationem illam abiecti animi signum ducis.

d Greg Nyss. in orat 5. de ora Dom.

D. *Declara mihi sextam petitionem*, & ne nos inducas in tentationem?

M. In petitione illâ aduersus futura mala auxilium petitur, videlicet tentationes, *e* per quas D in peccatum incidimus. Vbi aduertendum Deum orãdum esse principaliter, ne vel vinci, aut superari à tentatione nos sinat. Sed tamen quia tentationes sunt periculosæ admodum, & incerta earundem victoria, ideò petitur etiam vt *f* Deus tentari nos non permittat, præsertim quando victoriam non nostram, sed Diaboli fore videt. Vnde pulchrum documentum habes, Diabolum non solum non posse nos vincere; sed ne quidem tentare sine Dei permissu posse.

e Cyrill. Catech. 5. Myst. Ambr lib. 5. de Sacr. c. 4.

f Hilar & Hier in cap 16. Matth. Aug in epist. 121. cap. 11.

D. *Non intelligo bene voculam illam?* Et ne nos inducas in tentationem, *apparet enim à Deo homines in tentationem induci, & solum nos petere, ne id faciat?*

M. Inducere in tentationem, aut tentationem à malo immittere, aut ad *g* peccatum impellere, proprium Dæmonis est, nequaquam verò Dei,

g Greg. Nyss orat. 5. Cyp. serm 6. Chrys in c. 6. Matth.

extremè

extremè peccatum odientis. Nihilominus, si Scripturæ more loqui placet, (vbi subinde Deus nos in tentationem inducere dicitur) nihil aliud erit, quā Deum vel tentationem, vel à tentatione vinci, permittere. Quare sensus petitionis illius hic est, quē diximus, quādoquidē hinc infirmitatem naturæ nostræ cognoscimus & fragilitatē, inde verò fraudulentiā, potestatemq; dæmonis, precamur Deum, vt non modo non permittat, nos à tētatione superari, sed vt neq; tum tentatione pulsemur, quando victoriam non relaturos nos, videt.

D. *Restat vltima petitio,* sed libera nos à malo, *de quo malo in hac petitione loquitur?*

M. Vltima hæc petitio confirmat partim petitionem superiorem, partim verò noui quippiā apponit. *a* Ideoque ait, sed libera nos à malo, id est, non solū petimus, vt peccata prætterita cōdones, & à futuris præserues, sed multò magis vt ab omnib. præsentibus malis nos liberes. Aduerte verò appositè ac sapienter Dominum nostrum docere nos vt liberationem ab omni malo in genere petamus, non verò vt ne particularia hæc mala nos comprehendant, qualia sunt paupertas, ægritudo, persecutio & similia. Quia frequēter putamus rem aliquam bonam nobis fore, quam nobis noxiā esse Deus videt. Quare secundū doctrinā Domini petimus, vt ab omni illo liberet nos, quod noxium iudicat, siue id prosperum sit, siue aduersum.

a Cyp. serm. 6. August. l. 2. de serm. in mōte. Beda & Rupertus in cap. 6. Matt.

D. *Quid est.* Amen?

M. Vocula hæc hebræa est, & vti antè dixi, tātundem est, ac si diceretur: hoc fiat verum, siue hoc verum est. Et quemadmodum in Symbolo Apostolorum tantum est, atqui, hæc sunt ipsa veritas: Sic quoque in fine orationis Dominicæ eā doceamur, verificandas petitiones nostras esse, & sic te vel me precari vt fiat.

CAPVT V.

EXPLICATIO ANGELICAE Salutationis.

DISCIPVLVS. *Quandoquidem orationem dominicam explicasti, peto nunc, vt salutationem Angelicā deinceps mihi explices.*

M. Libentissime id faciam, quia peto vt summus Beatissimæ Mariæ Virginis cultor existas. Salutatio autem in Latina sic sonat. *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, &c.*

D. *Quare post orationem Dominicam, salutatio Angelica dicitur, & non alia aliqua oratio?*

M. Ideo, quia apud Christum potentiorem aduocatum & Mediatorem, sanctissima Matre eius non habemus. Quare oratione ad Christū transmissa, quam ipse nos docuit, ad Matrem illius conuertimur, vt sua nobis intercessione assistat, quo omnia illa, quæ in oratione dominica petiuimus, consequamur: quemadmodū in mundo fit, vbi, posteaquam supplicationem ad Principem scripto destinauimus, principaliori Palatij aulico postmodum totum negotium committimus.

D. *Quis Salutationem Angelicam composuit?*

M. Composuit eam Deus ipse, quam non per os suum, sed per os Gabrielis Archangeli, S. Elisabethæ & S. Matris Ecclesiæ docuit. (Luc. 1.) Nam verba illa, *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* Gabriel Archāgelus elocutus est, sed veluti legatus Dei, illa per legatum suum edicentis. Porrò, *Benedictus fructus ventris tui,* S. Elisabetha adiecit, vti Euāgelista Lucas attestatur. Vnde colligere est, illa Spiritum S. per os Elisabethæ prolocutū esse. Reliqua verò verba omnia, S. Mater Ecclesia appendit, quæ ab eodem Spiritu sancto regitur atq; dirigitur. Quare appositè dici potest, quod post orationem Dominicam, quam ore suo Christus Dominus docuit, nullā prorsus Salutatione Angelica præstantiorem esse, quia ab ipso Deo illam compositam, nobisque per ora seruorum suorum promulgatam esse constat.

D. *Veniamus ergo ad ipsam explicationem, quare dicimus,* Aue Maria?

M. Quia Salutatio est, per quam nos amicos notosque esse monstramus, dum Matrem Dei, auxiliū eius implorantes, adimus. Vtimur verò verbis Angeli, quia scimus maximum illi gaudium adferre, sæpè hanc laudem suam inaudire, quod, vbi ab Angelo verba illa excepit, persensit. Gaudet etiam ideo, quia beneficij diuini nos memores videt, & erga benefactorem gratos.

D. *Quid significat,* gratia plena?

M. Gratia Dei, tres potissimum effectus in anima operatur. Primus est, quod peccata deleat, quæ vti maculæ animam commaculant. Secūdus, quod donis virtutibusq; eandem animā exornat. Tertius, quod robur etiā suppeditet, vt operibus meritorijs insistat, diuinæ maiestati in primis placentibus. *a* Domina nostra, gratia plena est. Nam quantum ad primum effectū attinet, nullius peccati macula nec originalis aut actualis, nec mortalis aut venialis infecta fuit. Quantum verò ad secundum, habuit illa virtutes omnes, donaq; Spiritus S. in altissimo gradu. Quantum deniq; ad tertium, exercuit illa opera adeo Deo grata ac meritoria, vt quo ad animam ac corpus digna fuerit, omnes choros Angelorum transcendere.

a Cant. 4.

D. *Non apparet Dominam nostram maiorem gratiam donaq, reliquis sanctis habuisse, quia sæpissimè audiui dici S. Stephanum, aliosque sanctos plenos, Spiritu sancto fuisse?*

M. Tametsi de alijs sanctis dicatur plenos illos gratia fuisse, nihilominus ampliorē Domina nostra gratiam illis omnib. habuit; quia sic à Deo, vt maioris gratiæ capacior redderetur, quam reliqui Sancti, facta est. Vt v. g. in exemplo patet. Sint multa vasa, vnum altero maius ac capacius, quæ si impleantur balsamo, omnia plena erunt, & nihilominus in vno plus erit, in altero minus balsami. Cuius ratio est, quia Deus homines capaces maioris, minorisq; gratiæ facit, pro qualitate officiorū, quæ in singulos distribuit. Quia verò officium maximum, quod vnquā Creaturæ cuiquam datum est, esse Matrē Dei, ideo Mater Dei capacior facta est, & maiore gratia, quā vlla vnquā Creatura, impleta.

D. *Quid significat,* Dominus tecum?

M. Hæc altera singularis laus est B. Virginis, qua significatur Dominum nostrum ab initio Conceptionis suæ assistendo illi, gubernando illam, instruendo, & defendēdo perpetuò cū ea fuisse. *b* Vnde natū est, quod nunquam peccatum, nec cogitatione, nec verbo, nec opere admiserit. Quare Deus nō solum ornauit Sanctis-

b August. de natura & gratia c. 30.

ſimam Virginem omnibus gratijs; ſed etiam cum eâ, tanquam cuſtos theſauri magni degere voluit.

D. *Quid vult dicere*, benedicta tu in mulierib.

M. Hæc tertia laus eſt, quæ Dei Matri collata fuit; qua oſtenditur nō ſolùm illam fuiſſe plenam gratijs Virgini conuenientibus, ſed illas inſuper habuiſſe, quæ maritatas exornāt, vt abſolutè mulieres omnes ſiue quæ nunc ſint, ſiue quæ futuræ ſint, tranſcendat. Benedictio mulieris maritatæ eſt fœcunditas, quę D. Virgini nō defuit, quia filium peperit centum millibus filiorum precioſiorem. Poteſt etiam dici eā Matrem infinitorum penè filiorum eſſe: quia boni Chriſtiani omnes fratres Chriſti ſunt, & conſequenter huius Matris filij, non quidem per generationem & naturam, quomodo ſolus filius eſt Chriſtus, ſed per amorem maternumque affectum, quem erga omnes induit. Vnde meritiſsimè dicitur in mulieribus omnib. benedicta, quia aliæ aut virginitatis lauream ſine fœcunditate habuêre, aut benedictionem fœcunditatis ſine Virginitate. Hæc ſola ex peculiari priuilegio Dei lauream virginitatis, cum ſumma fœliciſsimaque fœcunditate cōiunxit.

D. *Quid ſignificat*, & benedictus Fructus ventris tui Ieſus Chriſtus?

M. Hæc quarta laus B. Virgini collata, vtpote quę non ſolum ſit ex ſeipſa omni honore digna, ſed etiam propter fructum vteri ſui. Vti enim fructus arborem ipſam commendat, ſic quoq; gloria filij in Matrem redundat. Et vti Dominus Ieſus non ſolum eſt verus homo atq; inter homines benedictus; ſed etiam *Deus benedictus ſuper omnia*. D. Paulo teſte; ita Mater eius non ſolum benedicta eſt inter mulieres; ſed etiam inter omnes, tam cæleſtes, quam terreſtres creaturas.

D. *Declara mihi verba reliqua, pro clauſula Salutationis huius.*

M. In ſequentibus verbis principalem laudem Dominæ noſtræ Eccleſia repetit, quæ eſt, eſſe Matrem Dei, eoq; commonſtrat illam quæcūque vult, ab eodem Deo impetrare poſſe. Precatur etiam vt intercedat pro nobis, quandoquidē nos, vt peccatores eius interceſsione indigemus; item vt continuo nos, quoad vixerimus & præſertim in articulo mortis, quando maiore periculo vrgebimur, adiuuet.

D. *Age verò, quare, ob Aue Maria, ter de die æramenta pulſantur videlicet, mane, meridie & veſperi.*

M. Vt erudiamur, opus nobis inprimis eſſe ad auxilium Dei Sanctorumque ſæpe recurrere, cum in medio inimicorum tam viſibilium, quam inuiſibilium degamus; nec ſatis eſſe ad orationis arma in principio noſtri operis recurrere, ſed etiam in progreſſu operis ac fine id ipſum facere oportere. At vero alia meditatio ad trinam hanc ſalutationis Angelicæ compulſationem, facienda occurrit. Quia vult Eccleſia trium principalium myſteriorum redēptionis noſtræ nos meminiſſe, nimirum Incarnationis, Paſsionis ac mortis, & Reſurrectionis. Quare ſalutari mane iubet Matrem Dei in memoriam Reſurrectionis: meridie, in Paſsionis ac mortis: veſperi ſeu noctu in memoriam Incarnationis. Nam vti non dubitamus Chriſtum circa meridiem cruci affixum, & mane reſurrexiſſe: ſic quoque de nocte eum humanam naturam aſſumpſiſſe, credimus.

CAPVT VI.

EXPLICATIO DECALOGI SEV *decem præceptorum Dei.*

DISCIPVLVS. *Cognitis abundè Symbolo Apoſtolico, Oratione Dominica, & ſalutatione Angelicâ, decem Dei præcepta ſeu decalogum mihi explicari cupio: quia hæc tertia pars principalis, vt in principio dixiſti, doctrina Chriſtianæ eſt?*

M. Rationabiliter imprimis ac prudenter agis, quod decem præcepta diuinæ legis ſcire velis & intelligere: quia fides & ſpes ſine charitate atq; obſeruantia legis diuinæ ad ſalutem non ſufficiunt.

D. *Quid ſibi vult hoc, cum tot leges in mundo & in Eccleſia ſint & tot præcepta: quod lex noſtra decem præcepta complectens, cæteris omnibus legibus anteponatur?*

M. Multę rationes adduci poſſunt ad legis huius excellentiam commonſtrandam. Primò quidem, quia hæc lex à Deo primitus facta eſt, & ab eomet initiò quidem in cordibus hominum deſcripta, deinde verò in duabus marmoreis tabulis inciſa. Secundò, *a* quia antiquiſsima eſt legum omnium, & veluti reliquarum origo ac fons. Tertiò, quia hæc lex eſt generaliſsima legum omnium, quæ inueniri poſſint: quippe quæ non ſolum Chriſtianos obliget, ſed etiam Iudæos ac gentiles, & vt viros, ſic quoque mulieres; vt diuites, ſic pauperes; vt principes, ſic idiotas; vt doctos, ſic ignorantes. Quartò, *b* quia lex hæc immutabilis eſt, nec hominis cuiuſquam diſpenſationem admittēs. Quintò lex hæc ad ſalutem omnibus eſt neceſſaria, vti ſæpius in Euangelio Dominus noſter proteſtatur. *c* Sextò, quia maxima cum ſolemnitate in monte Sinai promulgata fuit, tubis *d* nimirum angelicis perſonantibus, item cum tonitru ac fulgure in populi Dei præſentia.

D. *Porrò antequam ad explicationem præceptorum in particulari veniamus, ſcire cupio ſummam & ordinem præceptorum horum?*

M. Finis præceptorum omnium eſt charitas Dei & proximi, *a* quia omnia nec Deum nec proximum offendendum eſſe docent, quapropter etiam in duas partes ſunt diſtributa, duabuſque tabulis marmoreis, vt ſupra dixi, inſcripta. In priori *b* tabula tria præcepta, obligationem noſtram erga Deum exhibentia, continentur: In poſteriore verò ſeptem præcepta, obligationem erga proximum inculcātia, proponuntur. Quare ſcire debes, tametſi in vna tabula non niſi tria & in altera ſeptem pręcepta contineantur; nihilominus ambæ tabulę æquales & ſcriptura plena per totum fuêre: quia priora illa pluribus verbis, poſteriora vero paucioribus deſcripta ſunt. Atque ita ſeptem illa pręcepta breuia quoad verba, ſunt æqualia pręceptis illis tribus, à verbis magis inſtructis.

D. *Quare præcepta primæ tabulæ tria duntaxat ſunt?*

M. Quia Deum amandum, corde, ore & opere eſſe docent.

a Exod. 31. 34.
b S. Tho. 1. 2. q. 10. art. 8
c Matt. 19.
d Exod. 20.
a 1. Tim. 1. Rom. 13.
b Clem. Alexand. ſtrom. 6. Et Aug. q. 1. in Exod. & Epiſt. 119. c. 11.

D. Quare

D. *Quare septem præcepta secundæ tabulæ sint.*
M. Quia vnum nos docet proximo benefacere, alia verò sex non facere malè eidem, primò quidē personæ, deinde verò honori eius, Tertiò denique fortunis, & hoc nec opere, nec ore, nec corde.
D. *Progrediamur nunc ad præcepta ipsa, & primò quidem doce me verba illa, quibus in tabulis à Deo descripta sunt?*
Exod. 20. M. Verba sunt hæc. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti de domo seruitutis.
1. Non habebis Deos alienos coram me.
2. Non assumes nomen Dei tui in vanum.
3. Memento vt diem Sabbathi sanctifices.
4. Honora Patrem tuum & Matrem tuam.
5. Non occides.
6. Non Mœchaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
9. Non concupisces vxorem proximi tui.
10. Non concupisces bona proximi tui.
D. *Quid significant illa verba, quæ præcedunt decem præcepta?*
M. In verbis illis, quatuor rationes comprehenduntur, quibus Deum nobis legē dare posse monstratur, nosque ad illius obseruationem obligatos esse. Prima ratio in illis verbis, *Ego sum Dominus* consistit. Cum enim Deus principalis ac supremus Dominus noster sit, qui creauit nos ex nihilo, absque dubio potest nobis legem vt suis seruis præscribere. *Altera* in verbo illo *Deus* comprehenditur, quo non solum Deum illum esse ostenditur, sed etiam supremum iudicem ac gubernatorem & talem vtique qui condere legem possit, & præuaricatores punire. Tertia in vocula *tuus*, continetur, nam præterquam quod Deo obligati simus obedire velut serui domino, & velut subditi Iudici, nihilominus, vlteriorem obligationem habemus, ratione pacti, quod nos cum illo, & ille nobiscum in baptismo, iniuimus. Nam in eo Deus nos pro suis adoptiuis filijs assumit, & nos illū in parentem proprium deligimus, vti etiam Deus fideles omnes pro hæreditate ac populo deligit, & fideles Deum pro suo Deo ac domino assumunt. Quarta est, in ijs verbis, *qui eduxi te de terra AEgypti, de domo seruitutis*: quia ad adeo multiplices obligationes, etiam hæc obligatio gratitudinis accedit. Et quia per Deum quoque à seruitute cum peccati, tum diaboli liberati sumus, ideo id in AEgyptia ac Pharaonica seruitute adumbratur, ex qua populum Israeliticum fortiter eduxit Deus.

EXPLICATIO PRIMI Præcepti.

D. *Explica mihi primum præceptum.*
M. Primum præceptum tria cōplectitur. Primum est, quod Deū pro Deo teneamur agnoscere. Secundum, quod nullam aliam rem pro Deo debeamus adorare. Tertium est, quod nō debeamus nobis idola fabricari, id est, statuas aut imagines, vt eas tum pro Dijs habeamus, tum adoremus.
D. *Explica partem primam?*
M. Deus pro eo haberi vult, quod est, nimirū vero Deo; quod tum fit, quando homo in quatuor se virtutibus Maiestatem diuinam contingentib. exercet, id est, in fide, spe, charitate, ac religione. Qui credit in Deum, agnoscit Deum pro Deo, id est, pro summa veritate, in quo hæretici delinquunt, qui in illum non credunt. Qui sperat in Deum, ille Deum pro Deo agnoscit, quē pro fidelissimo, misericordissimo, ac potentissimo habet, & confidit quod in omnibus ei necessitatibus, & velit & possit adiumēto esse. In quo peccant illi, qui desperant de misericordia Dei, aut in hominem magis quam in Deū sperant, aut certe homini perinde, vt Deo confidunt. Qui diligit Deum super omnia, Deū vtiq; pro Deo habet, id est, pro summo bono agnoscit. In quo peccant grauiter, qui quamlibet creaturam, aut præ Deo, aut æqualiter Deo diligunt; grauius verò, qui odio Deum habent. Deniq; qui Deum summâ cum reuerentiâ adorat, (vti nos hoc ipsa religionis virtus edocet,) ille Deum pro Deo habet; quia Deum principium, auctoremque omnium agnoscit. In quo peccāt, aut, qui modicè Deum, & res illi consecratas respiciunt, vt sunt templa, vasa sacra, Sacerdotes, & similia; & omnes illi, qui Deo magis homines, aut illi æqualiter honorant.
D. *Declara mihi alteram illius præcepti partem.*
M. In altera parte Deus vult ac præcipit, ne vllam rem creatam Dei loco habeamus. In quo olim gentiles deliquerunt, qui nō cognoscētes verum Deum, pro vero Deo creaturas varias, vt Solem, Lunam, aliosq; defunctos homines agnouerunt & adorauerunt. In eodē peccant, fascinatores & lamiæ: item magi omnes, diuinatores & Necromantici, qui diabolo infernali eum honorem deferunt, quem Deo deferre debuissent: Immo pleriq; illorum habent & adorant illū pro suo Deo, illiusq; adminiculo de futuris certò diuinare aut absconditos thesauros inuenire, aut inconcessas voluptates perficere se posse sperāt. Quia verò diabolus capitalis hostis est humani generis, ideo hos homines miseros decipit, atq; inani spe lactatos in varia peccata impellit, ac deniq; animam eorum perdit, & etiam non rarò corpus
D. *Declara mihi tertiam partem.*
M. In tertia parte præcipit Deus, vt nō modo non teneamus rem aliquā creatam pro Deo, vti dictū est; sed multo minus ne formemus, sculpamusq; rem aliquam, quā pro Deo habeamus & adoremus: in quo gentiles peccarunt, qui adeo cæci fuerunt, vt fabricarent sibi idola ex auro, argento, ligno, marmore ac lapidib. sibique persuaderent illa Deos suos esse; maximè cū à dæmonib. infernalibus, subinde insidere eiusmodi simulacra cernerent, & loqui ex ijsdem eaq; mouere: quib. insuper sacrificia sua obtulerunt, & seruierunt. Quia verò Sancti Martyres id facere despexerunt, ideo eosdem grauissimis tormentis excarnificatos, morte mulctarunt.
D. *Estne aliud quippiam residuum in hoc præcepto?*
M. Immo est, quia Deus præuaricatori eius grauissimam pœnam intentat, obseruatori vero præmium promittit. Postea quam enim præceptum hoc dedisset; adiungit Deus: *Ego sum Deus fortis zelotes, vindicans peccata Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.*

Hic aduertendum est, Deum se zelosum Deum esse dicere qui seuerissimè puniat, quia zelo honoris sui, iustitiæ & æquitatis ducitur, ac propterea ferre nequeat impietatem & iniustiam. Quod contra illos est, qui adeo peccant continuo, vitamq; in voluptatibus impiè transmittunt, ac si nihil eos curaret Deus. Attamen videbis Deum curare illa, & suo tempore id monstraturum esse.

D. *Quare præuaricatorem Deus in tertiam generationem punire vult, & obseruatorem in mille generationes diligere?*

M. In quartam generationem vsque punit Deus, quia licet homo diu in viuis maneat, non tamen nisi filiorum suorum nepotes, aut nepotum nepotes videbit. & ideo non nisi in eos posteros vult Deus vindictam descendere, quos vitâ suâ peccator potest attingere. E contrario B verò bene operantib. non modò non in tertiã aut quartam generationem bonitatẽ suam exhibet, sed eãdem in millesimam generationem vsq; se extensurum promittit, si tamdiu viuerent. Quia Dominus noster pronior in præmiũ quam in pœnam est, & quia remuneratio ab illius bonitate fluit, ideo in ea complacet sibi: punitio autem quia peccatorum nostrorum merces est, ideo coactè illam facit, nostra nimirum malitia impulsus.

D. *Quare mina illa, ac promissa diuina primo duntaxat præcepto appenduntur?*

M. Quia hòc principale mandatum est, & grauissimum inter omnia, & quod de illo dicitur, id de cæteris omnibus potest intelligi.

D. *Quæro ex vobis, anne contrarium præcepto huic diuino honor ille sit, quẽ sanctis, eorumq; reliquijs ac* C *deniq; imaginibus exhibemus, quia apparet nos, omnia illa adorare, quandoquidem genua coram illis flectimus, orationiq; vti coram Deo, insistimus?*

a 1. Tim. 1. Ephes. 5. M. *a* Sancta Ecclesia sponsa Dei est, illiusque Spiritus S. est Magister. Vnde periculum non est, illam decipi, aut quippiam facere, aut faciẽdum docere, quod Dei præcepto aduersatur. *b* Cæterum in particulari loquendo, honoramus inuocamusq; Sanctos vt amicos Dei, qui suis meritis & orationibus apud Deum nobis adiumento esse possint: non tamen eos pro Dijs habemus, nec adoramus vt Deum. Nec interest multum, nos genua flectere quia cultus ille nõ solius Dei proprius est, sed alijs etiã sublimiorib. creaturis, vt Sum. Põtif. & Regib. defertur, vt & hoc in multis locis vsitatur, vbi religiosi cum genuflexione superiores suos adeunt. Quare mirum non est, si cultũ talem Sanctis in Cælo cum Christo regnantibus exhibeamus, quandoquidem quibusdam etiam hominibus in terra existentibus exhibetur.

b Augu. lib. 20 cont. Faust. c. 21.

D. *Quid vero de Reliquijs Sanctorum dicemus, nihil sentientibus, ad quos nihilominus genua curuamus, precamurque?*

M. Nequaquam preces, ad reliquias, quas scimus sensus expertes esse, fundimus; sed ideo illas honoramus, quia Sanctarum illarum animarum instrumenta fuerunt, quibus illæ præclara virtutum opera meritoria vitæ æternæ ediderũt, & suo tempore viua ac gloriosa corpora existent: nũc verò præciosa pignora sunt amoris, quem erga nos gesserunt, & etiamnum gerũt Sancti. *a* Et ideo etiam nos ante reliquias

a Amb lib de viduis.

A Sanctorum preces fundimus, orantes illos per sanctissima illa pignora, quæ tenemus, vt suo auxilio se nostri memores esse ostendant, vti nos honore impenso illorum memores sumus.

Hier. contra Vigilantiũ.

D. *Annon idem de imaginibus dici poterit?*

M. *a* Sic est: quia imagines Domini nostri, D. Virginis & Sanctorum non sunt eiusmodi, vt à nobis pro dijs habeantur: quamobrem neque idola vocari queunt, vt illæ gentilium: *b* sed solum imagines sunt, quæ memores nos reddant, Domini nostri, D. Virginis ac Sanctorum. *c* Itẽ librorum loco sint illis, qui legere nesciũt, quia ex illis multa mysteria Catholicę fidei condiscunt, vt & vitam ac mortem plurimorum Sanctorum. *d* Et honor sanè, quem illis deferimus, non inde est, quod imagines sint ex charta, ligno, marmore, aliove metallo formatæ, & exornatæ coloribus; sed quia Dominum nostrũ, D. Virginem, aliosque Sanctos repræsentant. Scimus enim imagines & vitæ & sensus expertes esse, eò quod manuario hominum labore sint fabricatæ, cuius etiam intuitu nihil ab eis petimus, sed ideo tantum ante eas oramus, quia Dominum nostrum, D. Virg. aliosque sanctos repræsentant.

a 1. Con Nicæ II.

b Damasc. in orat de imag

c Greg Epist. ad Serenũ.

d Conc. Trid sess. 25.

D. *Si reliquiæ & imagines Sanctorum sensus expertes sunt, quare ergo tot ac tanta miracula in gratiam illorum, qui sese illis commendant, fiunt?*

M. Omnia illa miracula Deus facit, sed sæpe per intercessionem sanctorũ & præsertim sanctissimæ Matris suæ; & sæpe quoq; in gratiam eorum qui ante imagines ac reliquias huiusmodi sanctos inuocant; immo verò sæpe Deus eiusmodi reliquijs atque imaginibus velut tãtorum miraculorum instrumentis vtitur, ostẽditq; placere sibi deuotionem illam fidelium erga sanctos, eorumque reliquias & imagines.

D. *Quando ergo dicitur, quod quis votum aliquod ad illas reliquias aut imaginem talem præstandum fecerit, gratiamque petitam impetrauerit, sic intelligẽdum est, quod hoc ad Sanctum illum, cuius reliquia illa vel imago fuerit, direxerit, item quod Deus per intercessionẽ sancti illius, aut per reliquias siue imaginem eiusdem, gratiam illam contulerit?*

M. Ita est, & gaudeo te adeo bene, quæ à me dicta sunt, intellexisse.

D. *Cuperem inprimis scire pro conclusione, quare* D *Deus Pater in specie senis pingatur, & Spiritus in specie columbæ, Angeli verò in forma iuuenis alati, cum Deus & Angeli spiritus sint, nec figuram corporalem habeant, quã à pictoribus, vti aliorum hominum, depingi queat?*

M. Quando Deus Pater instar senis depingitur, Spiritus sanctus verò instar columbæ, & Angeli instar alati iuuenis, non ideo quod reuera tales sint, pinguntur (dictum enim à nobis est esse spiritus corporis expertes.) sed in illa specie ideo pinguntur, quia in ea sæpius apparuerunt hominibus. Et quidem Deus Pater instar senis, quia in visione talis *a* Danieli proph. apparuit; & Spiritus S. in specie columbæ pingitur, quia in tali forma super *b* Christum baptizatum à S. Ioanne Bapt. requieuisse visus est; *c* Angeli deniq; in forma iuuenis, quia multoties apparuerunt in illâ formâ. Insuper &

a Dan 7. S. Thom. in 4 d 48 q. 1. art. 2.

b Ioan. 1.

c Gen 18 19. & Tob. 5. 12

hoc

hoc aduertendum est, multa alia quidem depingi, non quod in se talia sint, sed quod eiusmodi proprietatem habeant, aut similes speciei suæ effectus operentur. Quemadmodum Fidei virtuti vultus gestamenque fœminæ tribuitur, calicem manu tenentis: item charitati circumcirca filiorum agmen, cum tamen eas, non mulieres sed virtutes esse, notissimum sit. Cui congruenter dici potest, Deum Patrem in forma senis depictum esse, vt doceamur illum antiquissimum esse, id est, æternum, omnibusque rebus creatis priorem: Spiritum autem Sanctum, in columbæ specie, vt dona illa, quæ in nobis Spiritus sanctus operari solet, videlicet, innocentia, puritas ac sanctitas, indicentur. Angeli denique in specie iuuenis pinguntur, quia semper formosi, vegetique sunt; item alati, vt quantocyus sese illo conferant, quo Deus illos destinauerit; vt & in vestimentis albis, stolisque sacris visi sunt, quia puri ac innocentes sunt, diuinæque Maiestatis ministri.

EXPLICATIO SECVNDI Præcepti.

D. *Progrediamur nunc ad alterum præceptum, quid significat?* Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum?

M. In hoc præcepto agitur de honore & inhonoratione, quæ in Deum verbis deferimus; præcipitur namq; honos, & inhonoratio prohibetur. Vnde diuidi in quatuor partes præceptum hoc potest, quia quatuor itidem modis honoratur Deus verbis, & quatuor inhonoratur. *Primò* quidē honoratur verbis Deus, cum ex affectu charitatis nomen eius eloquimur; inhonoratur verò, cum illud ipsum nomen in vanum assumitur. *Secundò* honoratur iuramento, & inhonoratur periurio. *Tertiò* votorum nuncupatione honoratur, & eorundem violatione inhonoratur. *Quartò* deniq; inuocatione ac laude honoratur, & blasphemia ac maledicto inhonoratur.

D. *Explica mihi partem primam.*

M. Nomen Dei, quemadmodum & nomen B. Mariæ Virginis, & Sanctorum simpliciter nominatum, potest & benè & malè vsurpari: quandoquidem illi, qui impensius Deum diligunt, frequentissimè recordantur Dei, & de eo loquuntur, quod ex magna deuotione illos facere & affectu in Epistolis S. Pauli videre est, in quibus identidem videtur ac legitur nomē Domini nostri Iesu Christi; quia eo modo in corde gestauit illud S. Paulus, quo ore ac scriptis idem circumtulit. *a* Sunt tamen & alij, qui ex mala consuetudine, quando vel irati sunt, vel iocantur, Dei nomen aut sancti alicuius temere proijciunt, eò quod aliud nihil eis in mētem veniat. Qui malè faciunt, quia sanctissimū nomen Dei pedibus proculcant. Quod exemplo tametsi dissimili declarari potest, tantundem enim esset, ac si quis pretiosam vestem habens eam vbilibet, ac semper citra vllum respectum per humum traheret.

a Theodo. q. 41. in Exod.

D. *Nunc ad alteram partem de Iuramento agentem gradum fac.*

M. Iuramentum nihil est aliud, quam inuocare Deum in testimoniū veritatis: sed tamen vt bene fiat, tria adiungi necesse est, veritatem scilicet, Iustitiam & iudicium: quemadmodum Deus ipse per os Ieremiæ prophetæ nos docuit. (Ierem. 4.) Et vti iuramento, quod cum debitis circūstantijs præstatur, honoratur Deus, protestando illum videre omnia, summè veracem atque acerrimum veritatis defensorē esse. Sic quoque è contrariò valdè inhonoratur Deus si quis iuramentum, sine veritate, sine iustitia, sine iudicio faciat. Quoniam qui sic iurat, ostendit, vel Deum non esse conscium sui negotij, vel certè mendacij aut iniquitatis patronum esse.

D. *Declara mihi magis in particulari, quid significet cum veritate iurare.*

M. Qui volet iurare cum veritate, opus est, vt nihil aliud iuramento asseueret, quam sciat verum esse; nec quippiam iurando promittat, quod adimplere nolit. Vnde periuri sunt, peccantque grauissimè, qui cum iuramento illud affirmant verum esse, quod sciunt esse falsum, aut certè nesciunt, num verum sit; illique similiter, qui cum iuramento quid promittunt, quod tamen adimplere in animo non habent.

D. *Quid est cum iustitia iurare?*

M. Tantundem est, ac promittere quempiam aliquid cum iuramento se facturum, quod iustum est, ac licitum. Et ideo peccant grauissimè, qui cum iuramento iniurias illatas se vindicaturos promittunt, aut facturos aliquid, quod Deo displiceat; quia tales eiusmodi promissis stare non debent, & ne quidem in minimo hominibus per talia promissa obligati manent. Cuius ratio est, quia ad malum faciendū obligatur nemo; quippe cum leges diuinæ ad id non faciendum nos obligent.

D. *Quid est iurare cum iudicio.*

M. Tantundem est, ac iurare cum prudentia ac maturitate, considerando inconueniens esse in testimonium aduocare Deum ad res non necessarias, nec magni momenti; & id quidem cum timore magno ac reuerentiâ. Vnde hic peccant, qui in qualibet re parua, item inter ioca facetias iuramenta effutiunt. Qui verò ex mala consuetudine iurant frequentius, facili negotio iuramentum falsum incurrunt, quod vnū ex peccatis maximis est, quæ fieri possunt. Vnde quemadmodum Dominus noster in Euangelio, *a* ita quoq; S. Iacobus in sua Epistola prohibent, *b* ne omnino citra necessitatem iuremus. Cuius rationem, *c* Sancti assignant, quia iuramentum ad infirmam hominum fidem adiuuandam inuentum est, & quia vnus homo difficillimè alteri credit. Quare iuramento vt medicina vtendum, quæ non sæpe resumenda est, sed quam fieri potest, rarissimè.

a Matth. 5.

b Iacob. 5.

c Aug. lib. de serm Dom in mōte ca 30 Chrys. hom 36 37. 38 ad pop Antioch

D. *Declara mihi tertiam partem præcepti huius de votis tractantem.*

M. Votum est promissio Deo facta de re bona & diuinæ suæ Maiestati grata. Vbi tria tibi consideranda occurrunt. *a* *Primum* est quod votū sit promissio. Vnde ad edendū votum non sufficit solū propositum, & multo minus desideriū faciēdi aliquid; sed expressa etiā promissio necessaria est, aut ore, aut ad minimū corde facta. *Alterū* est, vt votū hoc Deo nūcupetur, in quē proprijssimè vota tendūt. Quādo ergo dicitur D. Virgini, aut huic siue illi Sācto aliquod votū factū esse, intellige, vota illa principaliter

a D Thom. 2. 2. q 88. artic. 1.

Deo facta esse, ad honorem tamen B. Mariæ Virginis, aut huius aut illius Sancti, in quibus Deus modo peculiari, & longè excellentiori quam in reliquis Creaturis habitat. Quare votum sancto alicui factum, nihil est aliud, quàm promissio Deo facta, ad honorandam memoriam illius Sancti aliqua cum oblatione destinata, quod est ipsum Deum in Sancto suo honorare. *Tertium* est, votum non posse fieri nisi super re aliqua bona, ac grata Deo, vti virginitas est, voluntaria paupertas, & id genus alia. Quare qui votum super peccato admittendo facit, vel super opere aliquo ad cultum Dei non pertinente, vel certè bonum aliquod voueret, quod maiori bono impedimento esset, vtique diuinæ suæ Maiestati gratum non esset: ideoque non honoraretur, sed inhonoraretur Deus, & in secundum præceptum ab homine peccaretur. Vt etiam (*b*) grauiter in hoc præceptum impingit, qui votum faciens, id non adimpleat, quam potest citissimè. Quia præcipit in scriptura Deus, vt voti nuncupator, non modo voluntatem illius adimplendi habeat, sed nec in eo reddendo demoretur.

b *Deut* 23. *Eccles.* 5.

D. *Declara mihi partem vltimam, quæ de laude Dei tractat, & de blasphemia.*

M. Præcipit in hac vltimâ præcepti secundi parte Deus, vt ne blasphemetur ipse, sed magis vt ipsius Sanctum nomen laudetur ac benedicatur. Et primo quidem quantum ad laudem attinet, nulla difficultas est, quandoquidem omne bonum à Deo proficiscitur, omniaque ipsius opera plena sapientia sunt, iustitia ac misericordia, rationabile in primis est, vt in rebus omnibus laudetur ac benedicatur: *a* Quantum vero ad blasphemiam spectat, interest vestra scire Blasphemiam non esse aliud quam iniuriam vel Deo secundum se, vel in sanctis ei irrogatam. Cuius sex diuersa genera inuenire est. *Primum* est, quando id Deo tribuitur, quod illi non conuenit, vt v.g. quod cornua habeat, aut quid simile. *Alterum*, quandò de Deo negatur id, quod illi conuenit, vt sunt, potentia, sapientia, iustitia, aut alia eius attributa: ac si diceret quis, Deum non posse hoc facere vel illud, aut non videre, aut certè iustum non esse. *Tertium*, quando Creaturæ tribuitur id, quod proprium est Dei, vt illi faciunt, qui dicunt, quod dæmon conscius futurorum sit, aut vera miracula edere possit. *Quartum* est, quando quis maledicit Deo, aut Matri eius, aut alijs Sanctis. *Quintum*, quando nominatim aliqua membra Christi, aut Sanctorum assumuntur, perinde ac si illis adeo ignominiosa essent, quémadmodum nobis sunt. *Sextum*, si quæ partes Christi aut Sanctorum ad illudendum ipsis nominentur, vt illi faciunt, qui per barbam Christi, aut D. Petri iurant, aut quid simile, quod malitia dæmonis, & hominum iniquitas adinuenit.

a *S. Tho.* 2. 2. q. 13.

D. *Dic, amabo, mihi quam graue peccatum blasphemia sit?*

M. Tam graue est, vt ferè omnium sit grauissimum, quod ex pœna blasphemis præstituta, colligi potest. In veteri namque Testaméto præcepit Deus, vt blasphemi illicò ab vniuerso populo lapidarentur, *a* vti quoque iura ciuilia blasphemos morte plectunt. *b* Et D. Gregorius lib. 4. dialog. c. 18. scribit de quodam quinquenni puero, qui eô quod blasphemare didicisset, nec ideo à Patre redargutus fuisset, in sinu Patris exalspirauit, cuius anima à dæmonibus visibiliter apparentibus in Infernùm deportata fuit; quod de nullo alio peccato legitur. Quare homini cum omni diligentia attendendum est, ne adeo grauiter diuinam Maiestatem offendat. Et tanto facilius caueri peccatum hoc poterit, quia nulla inde vtilitas, aut delectatio colligitur, qualis ex alijs quibusdam peccatis, sed solum damnum, quod secum ipsummet peccatum comportat. Quãuis homo peccare non debeat, tametsi eo vtilitatem quamlibet, ac voluptatem conquirere posset.

a *Leuit.* 24 b *Inst. Nouel.* 77.

EXPLICATIO TERTII Præcepti.

D. *Priora duo præcepta intellexi, nunc tertium mihi explica.*

M. Tertium præceptum quod est sanctificare Sabbathum, est aliquanto ab alijs præceptis diuersum: Quia cætera omnia præcepta, nimirũ duo præcedentia & septem subsequentia, sunt naturalia omnino, nec tantum Christianos, sed etiam Iudæos iuxta ac Gẽtiles obligant. At verò hoc tertium ex parte naturale est, & omnes obligat; ex parte verò naturale non est, nec omnes obligat. Nam festum diem sanctificare, id est, diem aliquem pro sancto habere, eumque in bonis operibus, & præsertim in diuino cultu transmittere, est naturale præceptum: quia ratio naturalis id dictat, ideoque etiam in partibus omnibus mundi dies aliquis festus obseruatur. Et verò determinatio talis diei, vt hic potius quam alius deligatur, naturale non est. Quare apud Iudæos principale festum erat Sabbathum, vti apud Christianos dies dominicus est.

D. *Qua de caussa præcepit Iudæis obseruationem Sabbathi magis, quam alterius diei?*

M. Duæ sunt caussæ principales. Prima est, quia in Sabbatho totius mundi fabricam compleuit Deus. Et ideo in memoriam tanti beneficij, videlicet Creationis Mundi, diem illum sanctificari voluit. Insuper vt etiam error ille Philosophorum quorundam confutaretur, dicentium mundum ab æterno fuisse. Etenim festum diem Creationis Mundi celebrando, quandoque illum principium habuisse cõfitemur. Altera causa est, quia cum homo per sex hebdomodæ dies, seruos suos & ancillas ac iumẽta ad laborem impulerit ac delassarit, voluit Deus vt septimo die, id est, sabbatho requiescerent à labore serui, ancillæ, boues & asini; dominique erga operarios suos misericordes esse discerẽt, & non crudeles, sed etiam erga ipsamet iumenta commiserationem induerent.

D. *Quare non æquè nos Christiani Sabbathum vt Iudæi colimus, cum adeo rationabiles obseruationis eius caussæ suppetant?*

M. Grauissimis certe de causis Sabbathum in dominicam mutauit Deus, vti & Circumcisionem in baptismum, agnumque Paschalem in sanctissimum Sacramentum, omnesque Testamenti veteris cæremonias bonas, in meliores

a Iustin. Apol. 2. Leo epist. 81. ad Diosc.

noui Testamenti ritus. Vnde si *a* Iudæi Sabbathum festiuè coluerunt, in memoriam creati Mundi, quod eo die Creationi mundi finis impositus fuerit: potiori ergo iure à nobis dominica in memoriam eiusdem Creationis celebratur, quia die dominica Creationem illam Deus exorsus est. Et si Iudæi diem vltimum Septimanæ detulerunt Deo, quanto melius Christiani faciunt deferendo primum? Præterea dico in Dominica trium principalium beneficiorum Redemptionis nostrę memoriam, recoli. Nam in dominica Christus natus est, in dominica resurrexit, & in dominica in Apostolos Spiritum sanctum demisit. Denique Sabbathum quietem illam designat, quam in limbo SS. Patres habuerunt: at verò dominica gloriam illam significat, quam etiamnum beatæ animæ possident, & adhuc eorum corpora possessura in cælo sunt. Et ideo coluerūt Sabbathum Iudæi, quia post mortem in limbum descenderunt, suam ibidē quietem capturi: Christiani verò ideo dominicam suam colunt, quia post mortem ad beatam Paradisi gloriam ascendent. Quod tamen sic intelligendum est, si benè operati fuerint, & legi à Deo nobis datæ conformiter vixerint.

D. *Anne præter dominicam obseruare alia festa necessarium est?*

M. Sunt vtique multa alia obseruanda: non modo Domini nostri IESV Christi, sed etiam Beatæ Mariæ Virginis, aliorumque sanctorum, omnia nimirum illa, quæ ab Ecclesia Sancta ad obseruandum proposita ac præcepta sunt. Sed nos principaliter de dominica egimus, quia festus ille dies antiquissimus est, & præ cæteris sæpissimè celebratur: quemadmodum & apud Iudæos festa multa fuerunt; verum antiquissimū, maximum, & quod præ reliquis frequentius celebratum fuit, erat Sabbathum. Quare etiam in decalogo nō nisi Sabbathi mentio fit expressa, cui vti diximus, dies dominica successit.

D. *Quæ ad obseruationem festi debitam necessaria sunt?*

M. Duo. *Primum* est, vt ab omnibus seruilibus operibus abstineamus, illis videlicet, quæ ab operarijs & artificibus fieri solent, corpore solo se defatigantibus. Nam opera illa, in quibus principaliter laborat intellectus seruilia vocari nequeunt, tametsi ad subsidium intellectus, lingua, manus, aut aliud corporale membrum concurrat. *Alterum* est, nos festis illis præceptis ad Sanctissimum Missæ sacrificium personaliter audiendum obligatos esse. Et licet Ecclesia sancta ad aliud nos non obliget, nihilominùs conuenientius est, vt integer ille dies festus, aut potior illius pars in oratione, lectione spirituali, in obeundis Ecclesijs, audiendis concionibus, similibusq; spiritualibus exercitijs transmittatur, Quia ille est finis propter quem instituta sint festa.

D. *Si opera seruilia in die festo fieri nequeant, vtiq; non licebit æra campana pulsare, nec apparare mensam, nedum cibaria coquere, quia illa opera seruilia sunt?*

M. Præceptum illud de non faciendis seruilibus operibus, sub duplici conditione intelligitur. Prima est, vt eiusmodi opera non fiant, quæ ad sustentandam humanam vitam necessaria non sint. Quare coquere, apparare mensam & similia permittuntur, quæ pridie festi fieri nequeunt. Altera est, vt etiam illa opera intermittantur, quæ cultui diuino non inseruiant. Vnde pulsare campanas, aut alia officia in Ecclesia peragere, quæ alio die fieri non possunt, permittitur. Præterea permittuntur diebus festis opera seruilia, quando ea fieri rationabili de causa, Prælatus indulget.

EXPLICATIO QVARTI *Præcepti.*

D. *Sequitur quartum præceptum, quod de honorandis parentibus est, Patre nimirum ac Matre. Vnde mihi explicari cupio, quamobrem præcepta secundæ tabulæ ab honore Patris ac Matris initium sumant?*

M. Præcepta secundæ tabulæ proximum cōtingunt, & præcepta primę tabulæ ad Deum spectant. Et quia inter proximos nemo coniunctior, nec cui obligati magis simus, Patre ac Matre est, à quibus esse nostrum habemus, item vitam omnium bonorum temporalium fundamentum, ideo iustissima de caussa præcepta secundæ tabulæ ab honore Patris ac Matris initium faciunt.

D. *Quid per honorem Patri ac Matri debitum intelligimus?*

M. Tria accipimus, subsidium, scilicet obedientiam, reuerentiam. Et primò quidem ante omnia obligati sumus Patri ac Matri in necessitate subsidio venire. Et subsidium illud in Sacra scriptura honōr appellatur. *b* Nam valde rationabile est, vt filij, qui vitam à Patre ac Matre susceperunt, eorundem vitam conseruare nitantur. Deindè ad obedientiam Patri ac Matri præstandam obligati sumus, vti Diuus Paulus ait: *c* Filij obedite parentibus vestris per omnia; hoc enim placitum est in domino, id est, in omnibus, quæ ipsius voluntati sunt conformia. Quod si verò Pater aut Mater aliquid præcipiant, quod diuinæ voluntati difforme sit, tunc iuxta præceptum *d* Christi Pater & Mater odiendi sunt, id est, obediendum illis non est, nec auscultandum, perinde ac si inimici nostri essent. Denique ad reuerentiam Patri Matrique præstandam obligati sumus peculiarem illorum respectum habendo, atque actibus exterioribus, vti par est, honorando. Quod tanti fecit DEVS, vt in lege veteri præceperit, morte puniendum illum, qui Patri aut Matri *e* maledixisset.

b Ierem. 15. c Coloss. 3. d Luc 14. e Leuit. 20.

D. *Ignoro autem, quare præceperit Deus in lege veteri filijs, vt Patri ac Matri succurrerēt, non verò Patri ac Matri vt adiuuent succurrantque filijs, præsertim cum minorennes sunt, eorumq; adiutorio indigent?*

M. Obligatio profectò Parentes inter ac Filios reciproca est, & quemadmodum hi obligati sunt subuenire, reuereri & obedire parentibus; sic quoque illi obligati sunt, non solum de victu vestituque prouidere filijs, sed etiam ad omne bonum impellere, & informare. Est tamen amor Parentum in filios adeo

naturalis & ingenitus, vt alia lege scripta opus non sit, quæ eos obligationis in filios suos admoneat. E contrario verò sæpissimè videre est, filios non respondere amore suo amori parentum, ideoque necessarium fuit, legem aliquam ferri, quæ eos obligationis suæ in parentes memores faceret. Neque enim Deo nudum pręceptum satis erat; sed voluit etiã mortales, ad illius obseruantiam tum promissis prouocare, tum minis.

D. *Age verò dic mihi, quænam hæc promissa, quæ minæ fuerunt?*

M. Quarto præcepto appendit Deus verba hæc, vt *sis longæuus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi*, ac si diceret: Qui Patri ac Matri honorem debitum deferunt, pro mercede vitam longam reportabunt. Qui verò id non faciunt, inter alias insuper & hac pœna mulctabuntur, vt vita longiore priuentur. Quæ pœna admodum rationabilis est, quia iniquum esset illum vita longiore frui, qui inhonorat illos à quibus vitam accepit.

D. *Num illud, quod de Patre ac Matre dictum est, etiam de alijs in dignitatibus constitutis, quos parentum loco habemus, accipiendum sit?*

M. Rectissimè id considerasti, nam præceptum hoc ad superiores omnes, tam Ecclesiasticos quam seculares extendi debet.

EXPLICATIO QVINTI Præcepti.

D. *Explica mihi nunc quintum præceptum?*

M. Præceptum illud prohibet primariò homicidium, nimirum occidere homines: quia alia animalia occidere non est præcepto hoc prohibitum. Cuius ratio est, quia in bonum hominis ea creata sunt; & ideo, quando ad vitam hominis sustentandam animal facit, occidi potest; at verò homo propter alium hominem creatus non est, sed propter Deum, ideoque vnus homo vitę alterius hominis non est dominus. Vnde nec licitum est eundem occidere.

D. *Videmus nihilominus à Principibus ac Præsidibus latrones aliosque malefactores occidi: qui reuera homines sunt, in quo, experientia teste, non malè sed benè faciunt.*

M. Principes ac Præsides publica auctoritate præditi malefactores occidunt, non vti Domini vitæ illorum, sed vt ministri Dei, Diuo Paulo testante: *a* Quia Deus vult ac præcipit, vt malefactores puniantur, & si meriti sint etiam occidantur, vt boni viri securè ac pacificè degant. Quapropter Principibus ac Præsidibus dedit Deus gladium in manibus ad exercendam iustitiam, vt bonos defendant, malos verò puniant. Vnde quando iussu publicæ huiusmodi auctoritatis occiditur maleficus, non vocatur illud homicidium, sed actus iustitiæ. Quando ergo præcepto hoc cauetur à Deo vt non occidas, intellige auctoritate propria.

a Rom. 13.

D. *Occurrit mihi hic dubium, num præceptum illud etiam prohibeat seipsum occidere, vti prohibet occidere alterum?*

M. Procul dubio præceptum hoc prohibet etiam occidere seipsum, vti alterum occidere prohibet: *b* quia nemo vitæ suæ Dominus est, nec propter seipsum homo, sed propter Deum creatus est; ideoque nemo propriæ auctoritatis motu sibi ipsi vitam adimere potest. Et licet aliqui Sanctorum aut Sanctarum, ne vel fidei vel pudicitiæ iacturam facerent, sibimetipsis mortem consciuerint, considerandum tamen est, illos peculiari instinctu motos fuisse: cùm alias id sine grauissimo peccato fieri nequeat. Quare qui semetipsum occidit, hominem occidit, & consequenter homicidium facit, quod vtique peccatum est principaliter præcepto hoc prohibitum.

b August. de Ciuit. Dei cap. 17. & seq.

D. *Quare dicitur principaliter?*

M. Quia non modo prohibitum est occidere, sed etiam vulnerare ac percutere alium: item iniuria omnis vitæ, aut personæ proximi irrogari solita, prohibita est: Immò Christus Dominus noster prohibet quoque in Euangelio, *c* dum præceptum hoc explicaret, omnem iram, odium, indignationem, rancorem, affinesque affectus malos, aut verba quæ homicidio viam sternere solent: Et è contrario vult, vt mansueti ac pacifici simus, pacemq; cum omnibus ac concordiam foueamus.

c Matt. 5.

EXPLICATIO SEXTI Præcepti.

D. *Quid præcepto sexto continetur?*

M. Continetur primariò in hoc præcepto prohibitio adulterij, quod peccatum cum alterius coniuge committitur. At verò post vitam hominis, in hoc mundo, cum nihil maioris æstimetur honore, ideò post præceptum de non occidendo, conuenientissimè adulterium prohibetur, quo honor deperditur.

D. *Quare dicit primariò?*

M. Quia decem præcepta leges iustitiæ sunt, ideo primariò peccata illa prohibentur, in quibus primariò iniustitia admittitur, quale *d* peccatum est adulterium. Prohibentur nihilominùs secundariò alia genera peccatorum carnalium, vt sunt sacrilegium, quod cum persona Deo consecrata fit: Incæstus, qui cum consanguineis: stuprum, quod cum virginibus: Fornicatio, quæ cum corruptis, liberis tamen, vti viduis aut meretricibus cõmittuntur: item aliæ abominandorum peccatorum species, quæ inter Christianos nominari nequaquam debent.

d August. q. 71. in Exod. Gen. 38.

D. *Credo quidem vera esse, quæ hactenus à te dicta sunt, nihilominus scire cupio, quo fundamento nitatur fornicationem peccatum esse, quia non apparet cui damnum aut iniuria irrogetur, si modo simplex fornicatio committatur?*

M. Fundamentum huius in omnibus legibus est, videlicet lege naturæ, lege scripta, & lege gratiæ. In lege enim naturæ *e* Patriarcha Iudas occidi voluit mulierem, Thamar vocatam, quæ ipsius nurus erat, eò quod in viduitate sua grauida inuenta esset. Vnde colligere est quod illo tempore, priusquam lex Moysi data fuisset, ex instinctu naturæ collegerint homines, fornicationem peccatum esse. Deinde in lege Mosaica varijs locis prohibetur fornicatio: & in *f* Diui Pauli Epistolis frequentissimè legimus, quod fornicatores

e Gen. 38. Deut. 23.

f 1. Cor. 6.

regnum cæleste ingressuri non sint. Et præterea falsum est ad nullius damnum iniuriamve fornicationem extendi: quia infert damnum mulieri, quæ ideo infamis redditur; item proli, quæ illegitima nascitur: item facit iniuriam Christo, quod cum simus membra illius, fornicando faciamus nos membra meretricis: *a* Facit denique iniuriam Spiritui sancto, quia corpora nostra, templum sunt Spiritus sancti. Quare quisquis corpus suum fornicatione contaminat, ille templum Spiritus sancti prophanat.

a Gal. 5. Ephes. 5. 1. Thess. 4. Heb. 12.

D. *Num præter commemorata præceptum hoc etiam alia peccata prohibeat?*

M. Prohibet etiam hoc præceptum omnia alia inhonesta opera, quæ viam ad adulterium præparant, aut fornicationem, vt sunt lasciui aspectus, libidinosæ exosculationes, & similia. Quæ nos in Euangelio Dominus docuit, dum in declaratione huius sexti præcepti ita ait: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Matt. 5. Quare si quis cordatè peccatum hoc effugere volet, necessarium erit sensus suos, & præsertim oculos accuratissimè custodire, per quas velut fenestras in animam mors ingreditur.

EXPLICATIO PRAECEPTI *septimi.*

D. *Quid præcepto Septimo continetur?*

M. Continet prohibitionem furti, vt videlicet aliena bona inuito Domino non attrahantur. Et conuenienter inprimis prohibitio furti, homicidij, atque adulterij prohibitionē subsequitur, quia inter bona mundi huius, nihil pluris post vitam honore, & post honorem bonis ac fortunis æstimatur.

D. *Quot modis in præceptum hoc septimum peccatur?*

M. Duobus principalioribus modis, sub quibus reliqui omnes comprehenduntur. Prior, principalior modus est, quando alterius bona clam alienantur, qui propriè furtum vocatur. Alter principalior est, quando palàm bona illa rapiuntur, vt Assassini seu latrones faciunt, qui rapina vocatur. Et licet de priore duntaxat modo præceptum hoc loqui videatur, dum ait: *Non furaberis*: nihilominus, de altero quoque modo accipiēdum est. Quisquis enim minus malum prohibet, absque dubio etiam maius prohibebit.

D. *Quænam peccata sunt, quæ ad furtum reducuntur, quæ ad rapinam, & quæ in hoc præcepto inhibeantur?*

M. Sunt hæc: *Primum* fraus & dolus est in emptione ac venditione, similibusque contractibus admissa. *b* Et hæc ad furtum reducuntur, quia qui eiusmodi fraudem facit, clàm aufert plus proximo, quam illi debeatur. *Secundò*. Vsura omnis, quæ pecunia exercetur, cum tali pacto vt amplius quid ipsa summa capitali recipiatur: quæ ad rapinam reducitur. Nam qui fœneratur, is palàm ac manifestè plus exigit, quam exposuerit. *Tertiò* damna omnia, quæ irrogantur proximo, tametsi illator damni nihil inde lucretur: vt si quis alterius domum accendat, quod aliquando ad furtum, aliquando ad rapinam reuocatur, prout vel occultum vel manifestum damnum fuerit. *Quartò*, qui non restituit id, quod debet, etiam in hoc præceptum peccat, & tantundem est, ac si furtum committeret qui rem alienam inuito domino detinet. *Quintò*, peccat in hoc præceptum furtumque committit, qui rem aliquam inuenit, quam perdiderunt alij, sibique eam reseruat; quia peccatum non est inuenire aliquid, quod nemo perdidit, vti gemmæ sunt; quæ aliquando in littore maris reperiuntur. *Sextò*, ad furtum etiam ac rapinam reducitur, si quis quippiam communibus vsibus inseruiens accommodet proprijs, quia talis socios suos illius vsu destituit quod etiam illorum erat.

b Aug. qu. 71. in Exod.

D. *Nunc scire cupio num grande peccatum furtum sit?*

M. Omnia peccata mortalia grandia vocari possunt, quandoquidem priuant vita æterna hominem: at verò furtum habet hoc proprium, quod in maximum malum hominem inducat. Quia Proditor ille Iudas ex consuetudine furandi, ea quæ in communem vsum Christi & Apostolorum collata erant, eò tandem deuenit, vt sanctissimum suum Magistrum traderet. Item videmus indies à latronibus homines mactari; tametsi nunquam eos viderint, nullum in eos odium aut inimicitiam susceperint; solum ex desiderio obtinendi exiguum illud, quod conferunt. Deus autem non permittit, vt ea, quæ alteri ablata sunt, in eorum vsu, diu permaneant, vti in Iuda videre est, qui semetipsum in laqueum induit, & omnibus penè latronibus, qui iustitiæ ac carnificum manibus tandem deduntur.

EXPLICATIO OCTAVI *Præcepti.*

D. *Quid octauo præcepto nobis proponitur?*

M. Quandoquidem de iniurijs, proximo facto ipso illatis tractatum est, sequuntur nunc ea, quæ proximo verbis inferuntur. Ideoque octauum præceptum falsum testimonium prohibet, quæ vna præcipuarum iniuriarum est, quæ proximo verbis irrogari queant.

D. *Dic, amabo, num præcepto huic, si quis falsum absque alterius detrimento loquatur, repugnet?*

M. Tribus modis solet falsum dici. *Primò*, vt damnum proximo inferatur, vt si quis coram Iudice de alio testetur, quod furatus sit, quod occiderit alium; sciens nihilominus falsum esse; quod vtique mendacium damnosum perniciosumque vocatur. *Secundò*, vt si quis in commodum proximi hoc faciat, v. g. ideo mendacium proferat, vt proximum à periculo liberet, quod mendacium officiosum vocari solet. *Tertiò*, vt neque noceat proximo, neque commodet, & hoc mendacium otiosum est. Primus modus propriissimè prohibitus est in hoc præcepto, quia testimonium illud non modo falsum est, sed etiam iniustum, & peccatum grauissimum: reliqui duo modi, licet iniustitiam non contineant, nec adeo grauia peccata sint; sunt nihil-

ominùs reuera peccata, ad minimum venialia: quia mendacium nemo hominum loqui potest, *a* licet rem momenti maximi in hoc mundo contingat.

a August. lib contra Mendaciū.

D. *Anne alterius cuiuspiam præterquam mendacij præceptum hoc, prohibitionem contineat?*

M. Præceptum hoc adhuc tria peccata prohibet, quæ lingua committuntur, & ad falsum testimonium suo modo reduci possunt, vt sunt contumelia, detractio, maledictio.

D. *Quid est contumelia?*

M. Contumelia est iniuriosum verbum, in contemptum proximi prolatum, vt cum quis exprobrat alteri, quod indoctus sit, quod contracti cerebri, quod vilis, infamis, &c. Quod grauissimum peccatum esse, præsertim quando animo iniuriandi alium fit, ostendit Saluator noster in Euangelio, vbi ait: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* (Matth. 5.) Dixi, quando talia verba animo iniuriandi alium proferuntur. Si enim ioci gratia, aut vt admoneatur alius vel corrigatur, fiant, quemadmodum cum filijs Pater, & cum discipulis præceptor agit; non verò vt contemnatur alius aut iniuria notetur, certè non vocabitur contumelia, neque peccatum erit, nisi fortè veniale.

D. *Quid est Detractio?*

M. Detractio est famæ proximi denigratio, loquendo malè de illo: quod fit aut vera dicendo de proximo falso animo; aut mala narrando, quæ vera quidem sint, sed tamen occulta. Sic enim bonæ famæ suæ iacturam facit, quam apud illos habuit, qui peccati eius conscij non fuerunt. Quæ detractio vt malum, est admodum frequens inter homines, ita quoque periculosum ac graue: nam fama maioris ipsis bonis fortunisque æstimatur; immò à plerisque vitæ ipsi anteponitur fama bona. Quare magnum malum est famam deperdere, quippè cùm malis alijs facilè remedium adhiberi possit: at verò fama deperdita, summa cum difficultate recuperari queat. Vnde qui alteri famam abstulit, ad illius restitutionem obligatur. Consilium ergo optimum est, benè de omnibus semper loqui, quando cum veritate id fieri potest; sin secus, silere præstat.

D. *Quid est Maledictio?*

M. Maledictio est, quando quis maledicit proximo suo dicens, esto maledictus: aut diuersis modis maledicendi vtitur, verbi gratia, imprecando, vt hoc aut illud ei malum eueniat: & illa maledictio est peccatum grauissimum, præsertim quando ex odio fit & malo desiderio, aut tali intentione, vt eiusmodi malum proximum comprehendat. At verò si sine odio, & malo eiusmodi desiderio fiat, neque ex mala intentione proficiscatur, sed solum ex ioco, aut leuitate, aut præcipiti ira inconsideratè, non aduertendo quid dicat, graue peccatum non est: nihilominùs semper malum est, quia ex ore Christiani, qui per adoptionem est filius Dei, nihil quam benedictio, verbaque bona ac salutaria debent procedere.

A

EXPLICATIO NONI *Præcepti.*

D. *Quid præcepto nono continetur?*

M. Continet prohibitionem nimirum concupiscentiæ vxoris proximi. Tametsi enim in sexto præcepto adulterium prohibitum sit, voluit nihilominus Deus etiam desiderium, seu concupiscentiā adulterij peculiariter prohibere, vt ostenderet, hæc duo diuersa esse peccata.

D. *Non videtur in hoc præcepto prohibitum esse desiderium adulterij, quod vxor erga alterius maritum habet, sed solum adulterij desiderium viri, quod cum alterius vxore committere parat; quia dicit:* Non concupisces vxorem proximi tui?

B

M. Non est ita; nam perinde ac vxori prohibetur desiderium committendi adulterium cum alterius marito, ita quoque viro cum alterius vxore. Nam licet dicatur, non concupisces vxorem alterius: est tamen illud quod de viro dicitur, etiam de vxore accipiendum: quia sub viro vt nobiliore creatura etiā comprehenditur fœmina. Adhæc nouit quilibet adulterium fœminæ infame magis apud mundum esse, quam viri: vti etiam honestas ac verecundia in fœmina magis quam in viro laudatur: Itaque si prohibitum est viro alterius vxorem concupiscere; haud dubie prohibitum etiam erit fœminæ alterius maritum appetere.

D. *Dictum est superius, quod vbi prohibitum adulterium est, ibidem & alia peccata carnalia prohibita esse; quare nunc scire cupio num idipsum, de desiderio etiam accipiendum sit?*

C

M. Non est dubium, quin vbi prohibitum est desiderium adulterij, intelligatur etiam prohibitum esse desiderium fornicationis affiniumq; libidinum: quia eadem ratio horum omnium peccatorum est.

D. *Dic, amabo mibi, num omnia desideria vxoris alienæ peccata sint, etsi consensus voluntatis non accedat?*

M. *b* D. Gregorius Papa docuit in eiusmodi malo desiderio tres gradus esse. Primus vocatur suggestio; Secundus delectatio; Tertius consensus: Suggestio est, quando Diabolus animo immittit cogitationem turpem, ad quam in principio sese inexpectatum desiderium agglomerat: Cui cogitationi si illicò resistatur, adeò vt delectatio non accedat, non peccat homo, sed meritum apud Deum habet. Si verò ad suggestionem, carnalis delectatio accedat, nec tamen in eam ratio vel voluntas consentiat, non est homo sine peccato veniali. Si denique cum cogitatione ac delectatione consensus rationis ac voluntatis sese coniungat, adeo vt homo aduertat id, quod cogitat ac desideret, & voluntariè eiusmodi desiderio inhæreat, committit peccatum mortale. Et hoc præcipuum est, quod in hoc præcepto prohibetur.

b Gregor. in resp. ad quæst. August. cap. vltim.

D

EXPLICATIO DECIMI *Præcepti.*

D. *Quid continetur decimo præcepto?*

M. Continet prohibitionem concupiscētiæ

bono-

bonorum alterius, videlicet immobilium, vt sunt, domus, agri: vel mobilium, vt sunt pecuniæ, animalia, fructus & similia. Quando enim non infertur proximo iniuria opere, verbo, aut cogitatione & desiderio, tunc perfecta iustitia exercetur.

D. *Miror inprimis, postea quam Deus homicidiū, adulterium, & furtum prohibuerit, non prohibeat quoque desiderium homicidij, vti adulterij ac furti prohibuit?*

M. Ratio est hæc, quia homo principaliter nihil aliud desiderat, quam vnde ad eum commodum aliquod etsi apparens tantum, redundet. Ideo adulterij committendi desiderio ardet, quia delectationem haud modicam adfert: vt & furti, quia id fructuosum est: homicidium verò nulli fructuosum est, ideoque ab homine pro seipso non expetitur, sed solum vt illius interuentu adulterium aliquod, aut furtum, aut aliud affine peccatum committat. Quamobrem tametsi desiderium occidendi peccatum sit grauissimum, non tamen in particulari id Deus prohibuit: quia cum homicidium ex seipso prohibitum sit, satis colligere est, etiam desiderium occidendi prohibitum esse: Et quia inordinata desideria delectationis, similiumque rerum non permittit, vtiq; sequitur illum nec desiderium occidendi permittere, quod non appeteret homo, nisi peculiarem inde ad se vtilitatem, aut delectationem emanare speraret.

D. *Nunc porrò scire expeto, quare non eo modo in humanis legibus atque in diuinis desideria prohibentur?*

M. Ratio manifesta est, quia homines tametsi Pontifices aut Cæsares sint, non tamen corda introspicere possunt, sed solum exteriorem speciem contueri, ideoque cogitationes tales, aut desideria iudicare nequeunt, nedum punire; quare vt prohibeant, æquum non est. At verò DEVS cum omnium hominum corda discernat, poterit vtique malas cogitationes omnes, ac desideria punire; vt eadem etiam in sua sanctâ lege prohibet.

CAPVT VII.

EXPLICATIO PRAECEPTORVM Ecclesiæ.

D. *Anne præter decalogum alia præcepta obseruanda proponuntur?*

M. Immò vero, nimirum Ecclesiæ Sanctæ præcepta, quæ sunt hæc.

1. Sanctissimo Missæ sacrificio diebus festis, qui præcepti sunt, interesse.
2. Ieiunare in quadragesima, quatuor temporibus; item vigilijs præceptis, & diebus Veneris ac Sabbathi ab esu carnium abstinere.
3. Ad minimum semel in anno confiteri.
4. Corpori Dominico ad minimum semel, idque circa Pascha communicare.
5. Dare decimas Ecclesiæ.
6. Non celebrare nuptias temporibus prohibitis, videlicet à prima Dominica Aduentus vsque ad Epiphaniam Domini, & à primo die Quadragesimæ vsque ad octauam Paschatis seu Dominicam in Albis.

Porrò de præceptis illis nihil tractare cogito, tum quia facilia sunt, tum etiam quia de Missa, Confessione, ac Communione vti & de ieiunio in explicatione sanctorum Sacramentorum agemus.

CAPVT VIII.

EXPLICATIO CONSILIORVM Euangelicorum.

D. *Nunc scire vlterius cupio num præter præcepta Domini sint consilia aliqua Euangelica, ab eodem ad perfectius viuendi genus instituendum proposita?*

M. Multa consilia sanctissima, & vtilissima à Deo data sunt, quorum beneficio perfectius præcepta obseruari queant. Sunt autem tria principalia, paupertas voluntaria, castitas & obedientia.

D. *In quo consilium Paupertatis consistit?*

M. In eo, quod quis nullam rem propriam habeat: posteaquam iam ante, aut omnia sua bona in pauperes distribuit, aut certè in commune dispensauit, quod tantundem est, *a* ac pauperibus illa dedisse. Quod consilium non modo verbis Christus docuit, sed etiam exemplo, & post Christum Apostoli imitati, vti etiam *b* primi omnes Christiani Hierosolymis primitiuæ Ecclesiæ tempore habitantes. Denique omnes Religiosi voto se obstringunt, quod sanctum consilium voluntariæ paupertatis obseruare velint.

a Matt. 19.
b Act. 4.

D. *In quo consilium Castitatis situm est?*

M. In eo quod quis perpetuò castus esse velit, non solum ab omni genere peccati carnalis abstinendo, sed etiam à Matrimonio. Quod consilium etiam Dominus noster verbo exemploque docuit, quem D. Virgo, S. Ioannes Baptista, omnesque Apostoli, *c* vbi ad Apostolatum ab illo vocati fuêre, insecuti sunt: vti etiam omnes Religiosi, & sacris ordinibus initiati votum particulare castitatis edunt.

c Matt. 19.

D. *In quo consilium obedientiæ consistit?*

M. In eo, quod quis proprio iudicio renuntiat ac propriæ voluntati, quod in sancto Euangelio seipsum abnegare vocatur, & in omnibus rebus, Deo non contrarijs Superiori subiectum esse. Et hoc consilium Christus mundum docuit non solum verbo, sed etiam *d* exemplo, cum æterno Patri in omnibus obediuit; item Matri suæ, cùm adhuc puer esset, ac Iosepho, *e* qui putatiuus eius Pater erat, eò quod sponsus erat Matris eius (nam in veritate Pater eius non fuit, quippè qui ex Matre semper Virgine natus sit.) Est autem hoc tertium consilium ad quod per totum sese Religiosi omnes obligant.

d Matt 26.
e Luc. 2.

D. *Quare tria duntaxat consilia principalia sunt, & non plura nec pauciora?*

M. Quia consilia hæc principalia ideo seruantur, vt impedimenta perfectionis in charitate sitæ amoueantur; Quorum tria sunt, videlicet amor bonorum, qui per paupertatem tollitur: deinde amor voluptatum carnalium, qui per castitatem tollitur: deniq; amor honoris ac potestatis, qui tollitur per obedientiā. Quare cum homo nō nisi hæc tria bonorū genera habeat, scil. animam, corpus & externa bona, ideo tradit Deo exteriora bona per pau-

 pertatem,

pertatem; corpus per castitatem; & animā per obediētiam, & sacrificij in morem offert Deo omnia sua, & sic ad perfectionem charitatis meliore modo disponitur, quoad in hac vita possibilis fuerit.

Caput IX.

Explicatio Sacramentorum Sanctæ Ecclesiæ.

D. *Cognitis iam satis diuina gratia aspirante, tribus principalioribus doctrinæ Christianæ partibus, restat vt quarta mihi declaretur, in qua, si benè memini, de septem Ecclesiæ Sacramentis tractatur.*

M. Quarta hæc pars doctrinæ Christianæ vtilissima est, ideoque necessarium, vt eandem multa industria condiscas. Itaque scire tua interest, in Ecclesia sancta thesaurum magnum inueniri, *a* qui septem Sacramentorum est, per quæ diuinam gratiam impetramus, conseruamus, adaugemus, &, si nostrâ culpa illam perdiderimus, recuperamus. Quare declarare proposui primo, quid Sacramentum sit, deinde quot eorum sint, à quo sint instituta, & id genus alia. Deniq; quid quodlibet Sacramentum in particulari sit, explicabo.

a Concil. Trident. præfat. sess. 7

D. *Incipe ergo aliquando explicare quid Sacramentum sit, id enim scire vehementer desidero?*

M. Sacramentum est signum sacrum per quod Deus gratiam confert, & simul exterius effectum inuisibilem repræsentat, quam in anima nostra gratia operatur. Si enim incorporei spiritus nos, *b* vt Angeli, essemus, spirituali modo gratiam suam conferret Deus: nunc verò cum ex anima ac corpore compositi simus; ideo naturæ nostræ attemperans se, Deus gratiam per media actionis corporalis nobis confert, quæ certis similitudinibus exterioribus effectum interiorem, gratiæ communicant: vt patet in exemplo de Baptismo, qui vnum ex Sacramentis Ecclesiæ est, in quo corpus aqua abluitur, & simul Sanctissima Trinitas inuocatur, ac per cæremoniam illam ablutionis confert Deus gratiam, & animæ baptizati immittit, significatque vt quemadmodum aqua lauat corpus, sic quoque gratia lauet animam, & ab omni peccato perpurget.

b Chrysost. hom. 83. in Matth.

D. *Si benè intellexi, vt res aliqua Sacramentum sit, triplicem conditionem requiri video.* Prima est, *vt aliqua Cæremonia adsit, siue actio externa.* Secunda, *vt per illam Deus suam gratiam communicet.* Tertia, *vt illa cæremonia seu actio similitudinem cum effectu gratiæ habeat, eumque exterius repræsentet, atque significet.*

M. Optimè intellexisti. Nunc verò vlterius addiscendum est, quod Sacramenta in vniuersum septem sint, hic nominibus notata, nimirum: *c* Baptismus, Confirmatio, aut Chrisma, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo & Matrimonium. Ratio verò quare septem sint, est hæc; Quia Deus eo modo in vita spirituali dando, procedere solet, quo in corporali. Quantum autem ad corporalem vitam spectat, *primò*, necessarium est nasci: *deindè*, crescere: *tertiò*, nutriri: *quartò*, si quo morbo vitietur homo, medicinam accipere: *quintò*, si quando pugnandum est, armari: *sextò*, necessarium est caput aliquod, quod natos & augmentatos homines regat ac gubernet: *septimò*, vt sint, qui ad multiplicationem humani generis incumbant: nisi enim demortuis, alij nati succederent, illicò humanum genus interiret. Sic quoque res cum vita spirituali constituta est. *Primò*, enim necessarium est nasci in nobis gratiam Dei, quod per baptismum fit. *Secundò*, vt illa gratia crescat & roboretur, quod Confirmatio facit. *Tertiò*, vt nutriatur ac sustentetur, quod sanctissima Eucharistia præstat. *Quartò*, vt si quando perdita fuerit recuperetur, quod medicina pœnitentiæ efficit. *Quintò*, vt in articulo mortis se contra inimicum Infernalem obarmet, qui magis nos illo, quam alio tempore infestat, quod in Extrema Vnctione fit. *Sexto*, vt quis sit in Ecclesia, qui nos regat gubernetque in vita illa spirituali, quod Ordinis est. *Septimò*, vt in Ecclesia sit, qui spirituali multiplicationi humani generis attendat, quo sic fidelium numerus multiplicari possit, quod officium Matrimonij Sacramentum exequitur.

c Concil. Trid. sess. 7. can. 2.

D. *Quis adeo miranda adinuenit & instituit.*

M. Sacramenta hæc adeo admiranda non nisi à diuina *d* sapientia adinuenta sunt, & non nisi à Deo, qui solus gratiam dare potest, instituta. Ideo Christus Dominus noster, qui simul Deus & homo est, illa adinuenit & instituit. Præterea sunt Sacramenta hæc, certi veluti carnales; per quos deriuatur in nos virtus Passionis Christi. Vnde certum est, neminem quidem aliter thesaurum Passionis Christi dispensare posse, quam solum eo modo, quo Christus instituit.

d Conc. Trident. sess. 7 can. 1.

D. *Dic quæso mihi, num tempore legis veteris aliqua Sacramenta fuerint, & num adeo præstantia ac nostra?*

M. In veteri Testamento Sacramenta multa fuerunt, sed in quatuor à nostris discrepabant. e *Primò*, superarunt illa numero hæc nostra, ideoque lex vetus difficilior erat lege noua. *Secundò*, erant illa obseruatu difficilia, vt non sunt nostra. *Tertiò*, obscuriora quoque fuerunt, ideoque pauci quid significarent, intellexerunt: contra verò nostra adeo clara sunt, vt quilibet ea capere possit. *Quartò*, illa non conferebant gratiam vti nostra conferunt, sed solum illam præfigurabant & promittebant. Quare Sacramenta nostra multo excellentiora sunt, quia sunt & pauciora, & faciliora, & clariora, & efficaciora Sacramentis veteris legis.

e Conc. Trident. sess. 7. can. 1. August. 118. Epist.

D. *Porrò vlterius aperi, quod inter Sacramenta hæc septem maximum sit & præstantissimum?*

M. Omnia sunt præstantia, & quodlibet illorum excellentiam propriam habet. Maximum porrò omnium est sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, quia illud auctorem gratiæ continet, & omne bonū, quod Christus Dominus noster est. At verò si necessitatem spectes, sunt baptismus & pœnitentia præ omnibus maximè necessaria. Si vlterius dignitatem illorū, qui Sacramenta dispensare possint, consideres, digniora vtique Confirmatio & Ordo sunt, quia non nisi ab Episcopo conferri

possunt.

possunt. Si autem facilitatem spectes, facillimum erit Extrema vnctio, quippè in qua peccata sine defatigatione Pœnitentiæ remittuntur. Denique si significationem vrgeas, maximum est Matrimonium, quia vnionem Christi cum Ecclesia significat.

DE BAPTISMO.

D. *Nunc ergo ad explicationem primi Sacramenti progredere, & primum dic quare illud Baptismus vocetur.*

M. Nomen illud Baptismus græcum est, & tantum valet, ac latinè ablutio. Voluit autem Ecclesia hoc nomen græcum retinere, quia nimis communis est, vocula illa, ablutio, eiusque vsus, etiam in rebus quibuslibet vilissimus. Quare vt Sacramentum hoc proprium suum nomen haberet, & cognosceretur magis, ac honoraretur, vocatum est Baptismus.

D. *Quæ ad Baptismum necessariò requiruntur?*

M. Requiruntur ad minimum tria benè notanda. Quia in certis casibus, vti suis locis dicemus, quilibet baptizare potest, vnde necessarium est, quemlibet scire, quomodo id faciendum sit. *Primò* requiritur aqua vera & naturalis, qua persona baptizanda perfundatur. *Secundò* requiritur, vt illo tempore, quo quis aqua tingitur, illa verba pronuncientur, *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Tertiò,* vt persona baptizans, veram baptizandi intentionem habeat, id est, dandi hoc Sacramentum, vt Christus instituit, & Ecclesia Sancta, quando baptizat, conferre solet. Vnde, si quis intentionem, verbi gratia, iocandi solùm habeat, aut corpus duntaxat abluendi ab immunditie, grauissimum peccatum admitteret, & illa misera persona reuera non baptizaretur.

D. *Quos effectus Baptismus operatur?*

M. Tres effectus. *Primus est,* quod renouet hominem perfectè dando illi Dei gratiam, per quam ex filio Diaboli, in filium Dei, & ex peccatore in iustum transit; nec solùm animam ab omni macula culpæ lauat, sed etiam eandem à pœna Inferni, ignisque purgantis liberat. Si quis enim subitò moriatur post baptismum, illicò cælos penetrat, non secus, ac si nunquam peccato obnoxius fuisset. *Secundus est,* quod in anima certum spirituale signum seu characterem relinquat, qui nunquam ab homine expungi potest, ex quo semper cognoscitur, q baptizatus sit, licet ad Inferni pœnas damnetur, quod de numero ouium Christi fuerit: vti ex stigmate, seu cauterio in hoc mundo homines cognoscuntur, cuiusnam sint mancipia, aut animalia. Quæ etiam causa est, quamobrem baptismus non nisi semel suscipi possit, quia non amplius ex anima impressus ille character seu effectus baptismi deperditur. *Tertius est,* quod per baptismum quis Ecclesiam ingrediatur, eiusdemque bonorum omnium participatione gaudeat, vti germanus Ecclesiæ filius, facitque professionem, quod Christianus esse velit, omnibusque illis obedire, qui Christi loco Ecclesiam gubernant.

D. *Ad quem propriè spectat Baptismum conferre?*

M. Spectat ad Sacerdotem, ex officio proprio, & præsertim illum, cui cura animarum incumbit. At verò, si Sacerdos præsens non sit, ad Diaconum pertinet; & in casu necessitatis, quando subest periculum, creaturam illam sine baptismo hinc decessuram, cuilibet incumbit, vt Sacerdoti, sic Laico: vt viro, sic mulieri: ordo tamen semper hic seruari debet, ne videlicet baptizet mulier, si vir haberi possit; nec laicus, si adsit Ecclesiasticus, & ex Ecclesiasticis ille, qui gradu semper superior est.

D. *Miror autem baptismum infantibus primum natis conferri, vtpotè qui non cognoscant id, quod accipiunt.*

M. Tanta est baptismi necessitas, vt si quis sine accepto baptismo, aut ad minimum eius desiderio, votove moriatur, intrare cælum nequaquam possit. Quia verò Infantes eiusmodi periculo obnoxij sunt, & facillimè mori possint, nec adeò capaces sint, vt baptismum desiderent, ideò quantocius baptizare eos est necessarium. Et quamuis non cognoscunt id, quod suscipiunt, supplet tamen id Ecclesia, quæ mediantibus compatre, ac commatre respondet, spondetque pro illis: quod sufficit. Vti enim per Adamum in peccatum, Deique disgratiam prolapsi sumus, quod tamen nesciuimus: Sic quoque Deo satis est, si per Baptismum, & Ecclesiam à peccato liberemur, & in eius gratiam, tametsi id non aduertamus, recipiamur.

D. *Quid per Compatrem, commatremque accipimus, quorum mentio facta est, & quod illorum officium?*

M. In dispensatione baptismi ex veteri laudataque Ecclesiæ consuetudine semper assistit Vir, qui Compater vocatur, id est, alter Pater, & mulier, quæ vocatur commater, id est, altera Mater: Et illi duo sine alter illorum tenent infantulum baptizandum, respondentque pro illo, dum rogat Sacerdos ex infantulo, num baptizari velit? num credat articulos fidei, & similia? Præterea vbi iam Infans adoleuerit, compater, & commater obligati sunt, vt curam illius habeant, fideique capita principaliora, & bonos mores doceant, si in eo parentes pueri remissiores fuerint. Denique obseruandum etiam est, quod in baptismo Compater ac commater, vti & ille, qui baptizat, cum baptizato, eiusdemque Patre, ac Matre spiritualem cognationem contrahant.

DE CONFIRMATIONE.

D. *Satis iam de Baptismo egimus, ordire ergo iā agere de Confirmatione seu Chrismate, secundo Sacramento?*

M. Secundum Sacramentum Confirmatio vocatur: quia illius effectus est, hominem cōfirmare in fide, vti paulò post dicemus. Vocatur etiam Chrisma, quod græcum nomen est, vnctionemque significat, quia in hoc Sacramento frons recipientis illud inungitur. Nam vti in Baptismo aqua baptizandus abluitur, vt nimirum animam à peccati macula per Dei gratiam perpurgari significetur; sic in Chrismate frons inungitur, vt significetur diuinam gratiam animam quoque inungere, huiusque vnctionis virtute adeò illam confirmare atque erigere, vt bellum in dæmones mouere,

uere, fidemque Christianam audacter citra vllum tormentorum metum, aut mortis profiteri possit.

D. *Quo tempore recipiendum est Sacramentum hoc?*

M. Tum recipiendum est Sacramentũ hoc, quando ad vsum rationis peruenit homo, fidemq; profiteri incipit, & vt confirmetur, stabiliaturq; in gratia, opus habet.

D. *Num alium adhuc effectum in anima præter hanc Confirmationem operetur?*

M. Relinquit etiam fixum, impressumq; in anima signum seu characterẽ, qui eradi nequit, ideoq; non nisi semel recipi Sacramentum hoc potest.

D. *Quid opus est alio signo impresso in anima, anne sufficit character Baptismi?*

M. Non sine causa imprimitur secundũ hoc signum in anima: quia per primum solum cognoscitur, homo Christianus esse, & de Christi familia: at verò per secundum hoc signum, miles Christi esse cognoscitur, ideoque in anima signum Ducis sui, seu Capitanei portat: vti in vestibus suis mundani milites suorum Centurionum gestant insignia. Illi autem qui recepto hoc Sacramento ad inferos descendunt, maximè confundentur, eò quod quilibet visurus sit tales suamet professione, ac Sacramento se milites Christi tulisse, & postmodum adeò fœdè, vt perduelles rebellasse.

DE SANCTISSIMA EVCHAristia.

D. *Explica nunc tertium Sacramentum, & primum dic mihi, quid significet Eucharistia?*

M. Nomen illud purè græcum est, significatque gratam memoriam, aut gratiarum actionem, quia in illo mysterio memoria fit, & gratiarum actio de excellentissimo beneficio Sanctissimæ passionis Saluatoris nostri, & simul verum corpus, & sanguis Domini porrigitur, pro quo Deo gratias agere perpetuò obligamur.

D. *Explices mihi plenius omne id, quod in hoc sanctissimo Sacramento continetur, vt cognita eius excellentia, tantò melius id venerari queam.*

M. Hostia, quæ in altari conspicitur ante consecrationem, nihil est aliud quàm modica panis particula, ex subtili materia in rotunditatem formata: at verò, quamprimum Sacerdos Consecrationis verba protulit, in hostia verum Domini nostri corpus inuenitur. Et quia corpus Dominicum viuum est, & diuinitati in persona filij Dei vnitum, ideò simul in corpore, sanguis & anima, ipsaque diuinitas inuenitur, & sic totus Christus & homo in ea existit. Pari modo in calice ante consecrationem nihil aliud, quam modicum vini est, aqua modica permixtum: at verò facta consecratione, inuenitur in calice verus sanguis Christi: & quia sanguis extra corpus non est; ideò simul in calice cum sanguine corpus, & anima, ipsaque Christi diuinitas est, & sic totus Christus Deus, & homo in ea existit.

D. *Video autem hostiam post Consecrationem,* A *speciem panis vti prius, & quod in calice est, etiam speciem vini vti prius retinere?*

M. Ita est: remanent enim in hostia species, vt & color, & sapor panis, vt ante fuerunt: at verò nequaquam ipsius panis substantia ibidem est, quæ erat prius, ideoque sub specie panis panis non est, sed verum corpus Dominicum. Illustrabo rem similitudine, vt intelligatur. Audiuit haud dubiè Loth vxorem in statuam Salis conuersam esse. Age verò quicunque hanc statuam videbat, ille speciem, figuramque vxoris Loth videbat, quæ tamen vxor Loth amplius non fuit, sed Sal sub specie mulieris delitescens. Quemadmodum ergo in hac conuersione substantia intrinsecus mutata fuit, & species mulieris extrinsecus apparuit: Sic quoque in hoc mysterio accidit. B Mutatur enim interior substantia panis in corpus Dominicum, eademq; exterius panis species, vti ante fuit, permanet. Idem de calice accipiendum est: species enim, sapor, color, odorque vini percipitur, neq; tamen propterea ibidem est vini substantia, sed sub vini specie Domini sanguis.

D. *Res magna est, corpus adeò magnum, vti est, illud Domini nostri corpus, posse sub specie adeò pusilla, qualis hostia consecrata est, consistere?*

M. Res magna profectò est, fateor: cæterum maior est Dei potentia, quæ vtique maius, quid capacitate intellectus nostri facere potest. Sic enim Christus, quando in Euangelio ait (Matth. 19.) facere Deum posse, vt C camelus, quod est maius animal equo, per foramen acus transeat, adiungit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia sunt possibilia.*

D. *Explica precor aliquo exemplo, quo modo possibile sit, Domini nostri corpus in tot hostijs esse posse, quot in adeò diuersis altaribus reperiuntur.*

M. Non est necesse, vt nos intelligamus miracula Dei, sed abunde satis est, si illa credamus; quandoquidem certi sumus, non posse nos Deum decipere: nihilominus exemplum ad tui consolationem producam: Non est dubium, nos, non nisi vnam animam habere, quæ tota est in omnibus membris corporis, tota in capite, tota in pedibus, immò tota etiam in quauis minima parte corporis. Quid ergo mi- D rum est Deum facere posse, vt corpus filij sui in multis hostijs existat? quandoquidem per eandem eius potentiam vna eademque anima, tota & indiuisa in tam diuersis, longeque à se inuicem distantibus, corporis membris esse posit? Legitur in vita Sancti Antonij de Padua, illum, cùm quodam tempore in vna vrbium Italiæ concionaretur, etiam eodem tempore mediante diuina gratia in Portugalia extitisse, & ibidem aliud bonum opus peregisse. Nunc ergo, si Deus potuit efficere, vt Sanctus Antonius simul in duobus distinctis locis adeò disiunctis in propria specie esset, quamobrem eius potentiæ non conueniret facere, vt in multis hostijs, sub earundẽ hostiarum specie esset Christus?

D. *Dic mihi præterea, num Christus descendat de cælo, quando in hostia transsubstantiatur, an verò in Cælo remaneat?*

M. Quan-

M. Quando Dominus noster in sacra hostia transsubstantiatur, non descendit de cælo, sed per diuinam suam potentiam in cælo simul & in hostia manet. Accipe exemplum in anima nostra: infans paucorum dierum, est minimus vti videre est, qui si mensuretur, vix vnius palmi erit: at verò in crescendo maior euadet, quàm ante erat, moxque duos palmos excedet. Nunc quæro ergo, num anima, quæ ante vnius duntaxat palmi erat, priorem palmum, vbi ad secundum gradum fecerit, reliquerit, an non? Certum est autem quod non reliquerit, nec disiuncta sit; quia indiuisibilis est; Itaque retinendo primum palmum, acquisiuit secundum. Sic quoque Dominus noster non relinquit cælum, eò quod in hostia sit, nec ab hostia, eò quod existat in cælo, discedit: sed simul in cælo, & in omnibus illis hostijs inuenitur.

D. *Intellecto satis eo, quod in Sanctissimo Sacramento reperitur, desidero nunc scire quid ad dignā eius sumptionem requiratur?*

M. Requiruntur tria. *Primum est*, vt suscipiens peccata sua confessus sit, & in gratia Dei esse laboret, vbi ad communionem Sacramenti huius ire parat. Quia inter cæteras causas, quare Sacramentum hoc sub specie panis conferatur, est, vt intelligamus illud ad nutrimentum & augmentum diuinæ gratiæ viuis dari non mortuis. *Secundum est*, vt omninò sobrij simus, & videlicet à medio noctis ab omni cibo, potuque etiam aquæ modicæ abstineamus. *Tertium est*, vt intelligamus id, quod facimus, deuotionemque erga tantum Sacramentum habeamus. Propterea enim Sacramentum hoc non datur pueris, nec amentibus, quod vsu rationis destituti sint.

D. *Quam frequenter ad huius Sacramenti perceptionem obligamur?*

M. Ecclesia Catholica ad minimum semel in anno, nos idque circa *a* festum paschatis, ad huius sanctissimi Sacramenti susceptionem obligat: esset nihilominus salutare idipsum, sæpius frequentare ex consilio Confessarij.

a *Cap omnis vtriusque de pænitent. & remiss.*

D. *Explica mihi nunc fructum, qui ex Sacramēto hoc capitur, item finem, propter quem institutum sit?*

M. Propter tres causas instituit Dominus noster Iesus Christus Sacramentum hoc. *Prima est*, vt sit cibus animæ. *Altera*, vt sacrificium nouæ legis. *Tertia*, vt sit perpetuum memoriale Passionis eius, pignusq; amoris sui erga nos charissimum.

D. *Quem effectum operatur in quantum est cibus animæ?*

M. Illum operatur effectū, quē cibus corporalis in corpore: vnde etiā sub specie panis porrigitur. Vti enim panis conseruat calorem naturalem, in quo vita corporis sita est: Sic quoque Sanctissimum hoc Sacramentum, quando dignè recipitur, conseruat, augmentatque charitatem, in qua sanitas & vita animæ consistit.

D. *Quem effectum operatur, in quantum est Sacrificium?*

M. Mundo Deum reconciliat, multaque beneficia non solùm pro viuis, sed etiam pro mortuis in igne purgante degentibus, obtinet. *b* Scire enim vestra interest, quemadmodum in veteri Testamento obtulerunt Deo multa Sacrificia animalium: Sic in nouo eorum loco surrogatum sit Missæ sacrificium, in quo per manus Sacerdotum offertur Deo Sacrificium acceptissimum corporis & sanguinis filij eius, qui omnibus illis veteris legis Sacrificijs præfigurabatur.

b *Chrys. in Psal. 95. Aug lib. contra Aduers Leg. & Proph c. 20.*

D. *Quem effectum, vt memoriale & amoris Domini nostri erga nos pignus est, operatur?*

M. Nimirum, vt memores beneficij tanti simus, nosmetipsos ad redamandum, tantopere ab eodem amati, accendamur. Et ideo quemadmodum in veteri Testamento *c* voluit Deus, vt Hebræi non solùm manducarent manna, quod de cælo eis dederat, sed etiam voluit, vt conseruarent in vase aliquo, ad iugem tantorum beneficiorum memoriam, quæ Deus dum educeret ex Ægypto populum, eis præstitit. Sic quoque Christus voluit, vt Sacramentum hoc sanctissimum non solùm manducaretur à nobis: sed etiam asseruaretur in altari, & interdum in Processionibus circumferretur, vt semper, quotiescunque hoc inspexerimus, infiniti amoris sui erga nos, recordemur. At verò in particulari loquendo sanctissima Missa vniuersale quoddam compendium totius vitæ Domini nostri est, ne videlicet vnquam illa, ex memoria nostra elabatur.

c *Exod. 16.*

D. *Audito hoc, scire aueo, quomodo Missa compendium quoddam totius vitæ Christi sit, quia sic ad deuotionem, attentionemq; magis excitabor, quando me præsentem esse continget?*

M. Dicam breuissimè. *Introitus Missæ*, significat desiderium Sanctorum Patrum, quod de aduentu Christi habuerunt. *Kyrie eleison*, significat vocem istorū Patriarcharum ac Prophetarum, qui à Deo aduentum Messiæ tanto tempore desideratum petiuére. *Gloria in Excelsis*, significat Natalem Domini. *Oratio* verò, seu *collecta* proximè subsequens, significat præsentationem eius, & oblationem in Templo. *Epistola* ad sinistrum cornu altaris dici solita, prædicationem Sancti Ioannis Baptistæ inuitantis homines ad Christum. *Graduale* seu responsio ad Epistolam, conuersionem gentium per prædicationem Diui Ioannis notat. *Euangelium* in dextro cornu Altaris legi solitum, prædicationem Domini nostri significat, qua nos à sinistra parte ad dexteram, id est, à temporalibus ad æterna, & à peccato ad gratiam traduxit: vbi præterea lumen adfertur, & incenduntur thura, vt significetur, Sanctum Euangelium Mūdum illuminasse vniuersum, illumque odore bono diuinæ gloriæ repleuisse. *Credo*, Conuersionem Sanctorum Apostolorum, aliorumque Christi discipulorum significat. *Secreta* illa, quæ immediate, Credo, subsequuntur occulta machinamenta Iudæorum contra Christum significant. *Præfatio* alta voce cantari, & illo, *Osanna in excelsis* finiri solita, significat solemnem ingressum Christi in Ierusalem ipso die Palmarum factum. *Secreta* illa, quæ proximè excipiunt Præfationem, Passionem Domini repræsentant. *Eleuatio hostiæ* docet, quī Christus in crucem sublatus sit.

tus sit. *Pater noster* orationem Christi in cruce pendentis. *Hostiæ fractio* vulnerationem eiusdem per lanceam factam: *Agnus Dei* significat planctum Mariæ in depositione Christi de cruce. *Communio* Sacerdotis Christi sepulturam significat. *Cantus ille* qui communionem magno cum gaudio sequitur, Resurrectionem Domini notat. *Ite Missa est*, significat Ascensionem. *Benedictio* Sacerdotis, aduentum Spiritus Sancti refert. *Euangelium* in fine Missæ lectum, significat prædicationem Sanctorū Apostolorum, quando repleti Spiritu Sancto cœperunt prædicare Euangelium per vniuersum mundum, & sic conuersionem gentium inchoarunt.

DE POENITENTIA.

D. *Sequitur quartum Sacramentum, quod vocatur pœnitentia. Vnde dic mihi, quid Sacramentum hoc sit?*

M. Pœnitentia significat tria. *Primò* significat certam aliquam virtutem, per quam dolet de peccatis suis, & contrarium vitium impœnitentia vocatur, cùm de peccato dolere non vult, sed in eo perseuerare. *Secundò* pœnitentiam vocamus pœnam & afflictionem illam, quam homo, vt Deo pro peccatis admissis satisfaciat, in se suscipit: Et sic dicimus facere aliquem magnam pœnitentiam, si multis se ieiunijs & asperitatibus exerceat. *Tertiò*, Pœnitentia Sacramentum à Christo institutum significat, per quod illorum peccata remittuntur, qui post Baptismum gratiam diuinam perdiderunt, attamen dolent de peccatis suis, & ad gratiam eius redire desiderant.

D. *In quo principaliter Sacramentum hoc consistit?*

M. In duobus, videlicet confessione peccatoris, & absolutione Sacerdotis. a Christus enim super peccata à suscepto Baptismo commissa Iudices constituit Sacerdotes, vultque suo loco auctoritatem remittendi peccata habere, ita tamen, vt ea confiteatur peccator, & vti conuenit, disponatur. In illo ergo Sacramentum hoc consistit, vt quemadmodum exterius peccata Peccator confitetur, & Sacerdos exterius absolutionem pronuntiat: Sic quoq; interius Deus mediantib. illis Sacerdotis verbis, à nodo peccati animam illam soluat, quo alligata erat, eique gratiam suam communicet, & ab obligatione Inferni, in quam præcipitanda erat, liberet.

a Ioan. 20.

D. *Quæ precor, vt debitè Sacramentum hoc recipiatur, necessaria sunt?*

M. Tria necessaria sunt, nimirum Contritio, Confessio, Satisfactio, quæ tria tres quoque pœnitentiæ partes sunt.

D. *Quid ad veram contritionem requiritur?*

M. Vt nimirum cor durū peccatoris emolliatur, & veluti rumpatur præ dolore offensæ in Deum factæ. At verò in particulari, duo ad veram contritionem requiruntur, nec vnum sine altero esse potest. Prius est, vt peccator reuera de peccatis omnibus post baptismum admissis doleat. Et ideò necessarium est, examinare benè, & considerare omnes actiones suas, & dolere illas ad regulam legis diuinæ non esse exactas. Posterius est, vt peccator firmum propositum non peccandi in posterum sæpius faciat.

D. *Quid exigit Confessio?*

M. Vt non modo peccator contritione sua contentus sit; sed etiam se ad Sacerdotis pedes abijciat, vti Magdalena sese ad Christi pedes abiecit, (Luc. 7.) confiteaturque cum veritate peccata sua, nihil adiungendo, nec minuendo, nec mendacium aliquod immiscendo. Deinde cum simplicitate, non excusando se, nec culpam in alium reijciendo, nec superflua verba multiplicando. *Tertiò* cum integritate, omnia dicendo nimirum, nec præ pudore vllum omittendo; item numerum cuiusque, grauesque circumstantias, quantum quidem recordari poterit, attexendo. Denique cum verecundia, ac humilitate confiteatur, non perinde, ac si historiam aliquam narraret, peccata sua narrando, sed ea veluti abominanda quædam, & Christiano indigna facta recensendo, humiliterque indulgentiam eorum obtestando.

D. *Quid ad Satisfactionem necessarium est?*

M. Vt peccator animo faciendo pœnitentiam, voluntarieque acceptandi pœnam illam, quam confessarius imposuerit, & quantocyus adimplendi accedat. Considerans interim Deū maximam illi gratiam præstare, quod æternam Inferni pœnam indulgeat, pœnaque temporali contentus sit, multo vtiq; quam peccata meruerint minore.

D. *Dic mihi, quem fructum Sacramentum hoc afferat?*

M. Quatuor fructus maximos ex hoc Sacramento percipimus. *Primus*, de quo diximus, est, quod Deus peccata commissa post Baptismum remittat, mutetque æternam pœnam Inferni temporali pœna in vita hac, aut in Purgatorio sustinenda. *Alter est*, quod bona opera facta à nobis in Dei gratia constitutis, & per peccatum deperdita, mediante hoc Sacramento redeant. *Tertius*, quod simus soluti ab Excommunicationis vinculo, si fortè eo innexi fuerimus: quoniam, scire tua interest, Excommunicationem pœnam esse grauissimam, vtpote, quæ nos orationibus Ecclesiæ destituat, item Sacramentorum vsu, ac conuersatione fidelium, & denique in loco consecrato sepulturâ. Nunc ergo à pœna adeò terribili per Pœnitentiæ Sacramentum liberamur in vigore auctoritatis eius, quam Confessarij ab Episcopo suo, aut Summo Pontifice accepêre: licet etiam illam absolutionem ab Excommunicatione extra Sacramentum, & quidem à Prælato non Sacerdote habere possimus. *Quartus* & vltimus fructus est, quod capaces per hoc Sacramentum fiamus thesauri indulgentiarum, quem frequenter Pontifices summi dispensant.

D. *Quid est Indulgentia?*

M. Indulgentia est liberalitas quædam, qua Deus mediante Vicario suo erga fideles suos vtitur, dum temporalem illis pœnam indulget, aut totam, aut ex parte, ad quam, siue in hoc mundo, siue in purgatorio exhauriendam, obligati erant.

D. Quid

D. *Quid, vt quis indulgentijs gaudere possit, requiritur?*

M. Vt videlicet homo in gratia Dei sit, confiteaturque, si se peccato nouit obnoxium; item adimpleat omnia, quæ Summus Pontifex in Indulgentiarum promulgatione exigit.

D. *Quoties verò ad Sacramenti Pœnitentiæ receptionem obligamur?*

a Cap. omnis vtriusque de pœn. & remiss.

M. Sancta Mater Ecclesia, cuilibet semel a ad minimum in anno confessionem præcipit. Est nihilominus toties alicui confiteri necessarium, quoties Eucharistiam sumere proponit, & conscientiam peccati mortalis habet. Similiter, quando quis in mortis articulo est: aut facinus aliquod aggreditur, cui periculum mortis subest. Præterea & hoc perpendendum est bonum opus esse frequenter confiteri, & identidem expurgare conscientiam, præsertim, cùm illi, qui rarò confitentur, maxima cum difficultate id benè facere possint.

D. *Adhuc vnum, quod vltimo rogem, superest, quæ nimirum illa bona opera sint, Deoq; grata, quibus satisfaciamus pro peccatis?*

M. Omnia illa ad tria principalia reducuntur, videlicet Orationem, Ieiunium, & Eleemosynam, quæ S. Angelus Raphael Tobiam docuit. (Tob. 1.) Et ratio est, quia cùm homo habeat animam, corpus, bonaque exteriora, oratione offert Deo bona animæ; ieiunio, bona corporis; eleemosyna verò, bona exteriora. Orationis nomine etiam complector illa, vt, verbi gratia, audire Missam, dicere septem Psalmos pœnitentiales, Officium defunctorum, & similia. Per ieiunium accipiuntur etiam omnes aliæ asperitates corporales, seu mortificationes, quæ cilicijs, disciplinis, humicubationibus, peregrinationibus, & similibus infliguntur. Per Eleemosynam denique quodlibet charitatis officium intelligitur, quod quis proximo propter amorem Dei exhibet.

D. *Quid ad ieiunium benè instituendum requiritur?*

M. Tria requiruntur, nimirum semel in die cibum sumere: deinde circa medium diei eundem sumere (& quidem, quo tardius, eo melius.) Tertiò abstinere à carnibus, ouis & lacticinijs.

D. *Estne melius satisfacere Deo pro seipso operibus istis, an verò indulgentiarum se participem reddere?*

M. Melius est, hominem operibus istis pro seipso satisfacere: quia per indulgentiam satisfacit solum ab eo, pro obligatione pœnæ æternæ: at verò istis operibus & Deo satisfacit, & æternam simul vitam meretur. Nihilominus omnium optimum est, vt vtriusque homo diligentem curam habeat, nimirum, vt partim pro semetipso satisfaciat, quoad fieri poterit, partim verò indulgentiarum se participem reddat.

DE EXTREMA VNCTIONE.

D. *Quid est Extrema vnctio?*

M. Extrema vnctio est Sacramentum, quod ad infirmorum vsum Dominus noster instituit. Dicitur verò vnctio, quia in eo, vt oleo sancto vngatur infirmus, consistit, & super eo preces certæ dicantur. Quamobrem verò extrema dicatur, inde est, quod inter omnes vnctiones in Sacramentis adhiberi solitas vltima sit. Nam illarum prima in Baptismo, altera in Confirmatione, tertia in Sacerdotio, vltima denique in Infirmitate confertur. Potest etiam extrema ideò dici, quod in fine vitæ nobis detur.

D. *Qui sunt huius Sacramenti effectus?*

M. Tres sunt, quorum *Primus est* peccata remittere, quæ à susceptione Sacramentorum aliorum adhuc manent, vti sunt illa, quorum memoriam non habuit, aut non cognouit: & licet cognouerit, memorque fuerit, de ijs non doluerit, aut confessus non sit. *Secundus est* recreare infirmum, illoque tempore confortare, quo ab infirmitate opprimitur, & dæmonum tentationibus infestatur. *Tertius est* sanitatem corporis restituere, si ita ad salutem æternam infirmi illius expediat. Et illi tres effectus in oleo denotantur, cuius in hoc Sacramento vsus est, quia oleum confortat, refrigerat, sanat.

D. *Quo tempore Sacramentum hoc excipiendum?*

M. Multi hic grauiter errant, qui non volunt hoc Sacramentum suscipere, nisi vbi cùm morte luctantur. Tum tamen verum tempus suscipiendi est, quando medici iudicant periculosam infirmitatem esse, nec humana remedia ad manum esse, quæ sufficiant. Quare in tali temporis articulo, ad cælestia remedia recurrendum est. Sic enim frequenter accidit, vt olei sancti beneficio consanescat Infirmus. Vnde non debet peti Sacramentum hoc, si mortis periculum non appareat: & multò minus tam diu exspectari debet, quoad omnis meliorationis spes euanescat. Quæ etiam causa est, quamobrem non detur oleum Sanctum ad mortem ex sententia iudicis damnatis, tum quia infirmi non sunt, tum quia nullam longioris vitæ spem habent.

DE SACRAMENTO ORDINIS?

D. *Quid est Sacramentum Ordinis?*

M. Est Sacramentum quo potestas consecrādi Sanctissimam Eucharistiam confertur, & in populum reliqua Sacramenta dispensandi: aut iň officio diuino ijs ministrandi, qui eiusmodi potestatem receperunt. Porrò dicitur Ordo, quia in isto Sacramento sunt multi gradus, & alter alteri subordinatus, vt sunt Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, & alij inferiores tamen. Quod fusiore explicatione opus non habet, quia Sacramentum hoc omnium non est, sed illorum tantum, qui maturæ ætatis sint, tantæque eruditionis, vt in Christiana doctrina vlteriore instructione non indigeant, sed multo magis vt alios instruant.

DE SACRAMENTO MATRIMONIJ.

D. *Quid est Sacramentum Matrimonij?*

M. Sacramentum Matrimonij est coniunctio maris, & fœminæ; coniunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem: Deique cum anima per gratiam, repræsentans ac significans.

D. *Qui sunt effectus huius Sacramenti?*

a Ephes. 5. M. Primo confert gratiam, *a* vt benè sibi vir ac mulier conuiuant, amentq; se inuicem spiritualiter, vti Christus amat Ecclesiam, & Deus

b 1 Cor. 7. animam fidelem ac iustam amplectitur. *b* Secundò confert gratiam, vt instruant, educentque filios in timore Domini. Tertiò, adeò firmum vinculum maritum inter, ac mulierem statuit, vt illud solui vllo modo sit impossibile, vti impossibile est, vinculum Christum inter & Ecclesiam dissolui. Vnde sequitur neminem dispensare posse, vt primam coniugem maritus relinquat, & aliam sibi consociet: similiter, vt mulier primum maritum relinquat, & cum alio sese coniungat.

D. *Quid ad Matrimonium constituendum requiritur?*

M. Tria sunt necessaria. *Primum est*, vt vtraque persona sit habilis ad coniunctionem, eiusque capax, videlicet, vt ætatem legitimam habeant, nec se inuicem ad quartum vsque gradum sanguinis contingant, nec solemne castitatis votum fecerint, & similia. *Secundum est*, vt in contractu Matrimonij testes adhibeant, & nominatim quidem Parochum proprium, seu Pastorem curam animarum gerentem. *Tertium est*, vt consensus vtriusque partis liber sit, nec graui metu coactus, sitque verbis certis, aut simili signo æquiualente expressus. Tenendum est ergo, vt si vnum ex tribus hisce deficiat, nec matrimonium validum esse posse.

D. *Vtrum melius est, vel ad Matrimonium procedere, vel Virginitatem seruare?*

M. Diuus Paulus explicauit hoc dubium sic

c 1 Cor. 7. scribens *c Qui Matrimonio* (inquit) *iungit virginem suam, benè facit, qui non iungit, melius facit*, scilicet Virginitatem conseruando. Et ratio est, quia matrimonium est *d* res humana:

d Amb. li. 1. de Virgin. Virginitas verò Angelica. Matrimonium secundum naturam, & virginitas supra naturam est: nec solùm Virginitas, sed etiam Viduitas matrimonio excellentior est. Vnde Saluator

e Matth. 19 in quadam parabola dixit *e* semen, quod in terram bonam cecidit, attulisse fructum nunc trigesimum, nunc sexagesimum, nunc centesimum: quod *f* SS. Doctores ita explicarunt, fructum trigesimum esse Matrimonij, sexagesimum Viduitatis, Virginitatis denique centesimum.

f Cypr. de habitu Virgin. Hier. li. 1. in Iouin. August. ser. de Virg. c. 24.

CAPVT X.

DE VIRTVTIBVS IN Genere.

D. *Explicatis iam quatuor principalibus doctrinæ Christianæ partibus, nunc scire cupio, num adhuc aliud discendum restet?*

A M. Partes à me hactenus explicatæ, illæ sunt, quas vnumquemque scire oportet. Sunt nihilominus & alia quædam scitu necessaria, quę ad finem nostrum, quem adipisci contendimus, beatitudinem scilicet, maximè conducunt: vt sunt virtutes ac vitia; item bona opera ac peccata. Tametsi enim de his in confuso, dum Symbolum Apostolorum, ac decem pręcepta explicaremus, egerimus: conducibilius tamen iudico de illis distinctè, & in particulari differere.

D. *Dic ergo mihi quid est Virtus?*

M. Virtus est qualitas, quæ in animam recipitur, & habentem bonum facit. Et vti scientia bonum Philosophum efficit, ipsaque ars, vt artificis titulum dignè quis referat: ita quoq;

B virtus facit, vt homo bonus euadat, beneque cum omni facilitate, promptitudine ac perfectione operetur. At verò, qui virtute caret, tametsi interdum bonum operetur, non tamen nisi cum difficultate magna, & imperfectione operabitur. Illustrabo simili, virtus similis est arti, eiusque vsui. Videtur à vobis aliquis artis, ac praxeos pulsandi citharam, aut testudinem peritus, is elegantissimè, magnaque cum facilitate ludet, tametsi chordas non videat; vbi verò aliquis alius artis, vsusque ignarus accesserit, poterit quidem chordas seu fides pulsare, sonumque aliquem excitare, non tamen expeditè, nec benè. Sic quoque, qui habet virtutem, verbi gratia, temperantiam, magna cum facilitate ac gaudio, vbi opus fuerit,

C perfectèque horam conuenientem exspectando, ieiunabit, & non nisi concessis cibis, idque semel duntaxat in die vescetur: sed qui non habet virtutem hanc, aut è contrario gulosus est, illi ieiunium instar mortis acerbum erit; & licet ieiunet, non tamen exspectare poterit prandendi horam. Vesperi autem, cùm tantum semel ei bibendum esset, tantam collationem facere parabit, quæ à cœna parum differat.

D. *Quot sunt Virtutes?*

M. Numerosæ admodũ virtutes sunt, principaliores tamen, & ad quas reliquæ omnes traducuntur, sunt septem; nimirũ tres Theologicæ *g* fides, spes, charitas: & quatuor car- g 1 Cor. 13.

D dinales, *h* Prudentia, iustitia, fortitudo, tem- h Sap. 8.

perantia. Totidem *i* dona sunt Spiritus Sancti, quæ Euangelicæ beatitudines *k* subsequuntur, omnem perfectionem Christianæ vitæ complectentes. Sunt *k* etiam septem opera misericordiæ corporalia, & totidem opera Misericordiæ spiritualia: de quibus succinctam doctrinam tradam.

i Isai. 11. k Matth. 5. Matth. 25.

CAPVT XI.

DE VIRTVTIBVS THEOlogicis.

D. *Quid est Fides?*

M. Fides prima est, virtutum Theologicarum, Deum recipientium. Cuius proprium officium est illuminare intellectum, excitare ad illud omne credendum, quod Deus per Ecclesiam nobis reuelat, tametsi difficilius sit, omnique ratione naturali sublimius.

D. Qua

D. *Quæ causa est, quamobrem res fidei adeò firmiter credere teneamur?*

M. Est hæc: Fides enim infallibili veritati innititur, quoniam totum illud, quod proponit fides, à Deo reuelatum est, & Deus est ipsa veritas; vnde impossibile est, vt id, quod Deus dixit, sit falsum. Quare cùm fides aliquid, quod rationi contrarium esse videtur, proponit, vt est, v. g. virginem peperisse, sic concludet homo. Ratio humana debilis est, vnde & facile fallitur; at verò Deus nec fallere potest, nec falli.

D. *Quid ergo per virtutem fidei credendum est?*

M. Necessarium est inprimis credere distinctè omnes articulos Symboli, quos supra explicauimus, & illos præsertim articulos, de quibus festa per anni circulum Ecclesia instituit, vt sunt, Incarnatio Domini, Natiuitas, Passio, Resurrectio, Ascensio, Missio Spiritus Sancti, & sanctissima Trinitas. Deinde præparatum esse hominem oportet, vt omne illud credat, quod credendum esse declarabit sancta Mater Ecclesia. Denique exterius ab ijs sibi cauere, quæ signa sunt infidelium, vt v. g. est Turcicarum, aut Iudaicarum vestium habitus, vesci carnibus in die veneris, vt hæretici faciunt, & similia; quia non modo necessarium est corde & ore, sed etiam opere exteriore ingenuè fidem profiteri, & sese alienum ab omni secta Sanctæ Ecclesiæ contraria ostendere.

D. *Quid est Spes?*

M. Spes est secunda virtus Theologica, & vocatur sic, quòd in Deum feratur. Vti enim per fidem in Deum credimus, ita quoque per spem in Deum speramus.

D. *Quod est officium Spei?*

M. Est erigere voluntatem nostram, & excitare ad æternam felicitatem sperandam. Et quia hæc bonum adeò sub hinc est, vt eo aspirare humanis viribus sit impossibile, ideò supernaturalem illam virtutem largitur nobis Deus, vt confidamus fore, aliquando nos illud bonum consecuturos esse.

D. *In quo fundatur hæc spes & sustentatur?*

M. Fundatur in infinita bonitate & misericordia Dei, in eaque sustentatur. Cuius hoc est argumẽtum certissimum, quod suum proprium filium dederit, & per illum in filios nos adoptarit, ac regni cælestis hæreditatem promiserit, si opera conformia dignitati receptæ faciamus, & ille simul gratiam, auxiliumque sufficiens ad præstanda talia opera subministret.

D. *Quid est Charitas?*

M. Est tertia virtus Theologica, quæ in Deum fertur, quoniam per illam anima nostra ad amandum Deum super omnia impellitur, non solùm vt Creatorem, auctoremque bonorum naturalium, sed etiam, vt datorem gratiæ, ac gloriæ, quæ sunt bona supernaturalia.

D. *Cupio etiam scire, num in creaturas quoque charitas feratur?*

M. Fertur charitas propriè ad omnes homines, omniaque illa, quæ à Deo sunt facta, cum hoc tamen discrimine, vt Deus diligatur propter seipsum, quandoquidem bonum infinitum est: Alia verò omnia propter Deum diligantur. Et in particulari debet amari proximus, eò quod ad imaginem Dei factus sit, vti nos. Vnde per proximum non solùm parentes & amicos, sed quoslibet homines accipimus; etiamsi inimici nostri sint, quia quilibet imago Dei est, & hoc titulo quoque amari debet.

D. *Estne magna virtus Charitas?*

M. Est omnibus maior, tantumque bonum est, vt si quis illud habeat, non possit salutem suam perdere, modo antè charitatem non perdat: quam qui non habet, nullo modo saluari potest, etsi virtutes cæteras omnes, donaque Dei possideat.

Capvt XII.

De Virtvtibvs Cardinalibus.

D. *Quid est Prudentia?*

M. Est prima quatuor virtutum cardinalium, quæ ideò tali nomine insigniuntur, quod quatuor virtutes principales sint, & veluti omnium aliarum virtutum moralium & humanarum fontes. Prudentia enim intellectum, iustitia voluntatem, temperantia appetitum concupiscibilem, fortitudo verò irascibilem gubernat.

D. *Quod est officium Prudentiæ?*

M. Est monstrare in omni actione debitum finem, & conuenientia media, omnesque circumstantias, videlicet tempus, locum, modum, & similes, vt in omnibus, & per omnia benè fiat. Vnde reliquarum virtutum magistra vocatur, & se habet instar oculi in corpore, instar salis in cibo, & instar Solis in mundo.

D. *Quæ sunt vitia Prudentiæ contraria?*

M. Virtus semper in medio consistit, ideoque duo vitia contraria habet, quæ sint eius extrema. Vnum vitium prudentiæ contrarium, est imprudentia, id est, inconsideratio & temeritas, estque illorum, qui non considerant hoc, quod faciunt, quapropter neque verum finem respiciunt, neque vera media capessunt. Alterum vitium est astutia, aut prudentia carnalis, estque illorum, qui summa cum industria expendunt finem, ac media, nihilominus in omnibus vtilitatem propriam ideò spectant, vt bonum aliquod mundanum obtineant. Quapropter proximum subtiliter decipere conantur, & ad suum beneplacitum vniuersa perficere. In fine tamen videbitur, homines tales imprudentissimos fuisse, quod summi boni, propter amorem boni minimi iacturam fecerint.

D. *Quid est Iustitia, & quod eius officium?*

M. Iustitia est virtus, dans vnicuique quod suum est. Vnde officium eius est in omnibus, quod æquum est, ac iustum respicere, & in humanis contractibus æqualitatem adhibere. Quod vtique fundamentum quietis omnis, ac pacis est. Quia si quisque suo contentus viueret, nec quod alterius est, appeteret, nullum amplius bellum, nec discordia moueretur.

D. *Quæ ſunt vitia iuſtitiæ contraria?*

M. Sunt duo, vnum eſt iniuſtitia, quando videlicet quis, quod alterius eſt, accipit, aut in contractibus minus dare vult, quam debet, aut plus recipere, quam ei debetur. Alterum eſt nimia iuſtitia, quando videlicet quis, nimium rigoroſus eſt, & nimis ſubtiliter omnia contra rationis dictamen ad iuſtitiæ regulam exigere vult: quia in multis caſibus iuſtitia cũ miſericordia miſcenda eſt, vti in paupere homine videre eſt, qui ſi non poſsit debitum ſuũ, adeò citò abſque grauiſsimo ſuo damno ſoluere, rationabile ac iuſtum erit, aliquid temporis pro ſolutione illi indulgere: quod qui non facit, in nimio rigore peccat.

D. *Quid eſt fortitudo, & quod eius officium?*

M. Fortitudo virtus eſt, quæ promptũ hominem facit, ad ſuperandas difficultates omnes, quæ bonam operationem impediunt, imò etiam ad mortis paſsionem ſe extendit, quando videlicet, vel gloria Dei eam exigit, vel certè in debito noſtro deficere nolumus. Huius enim virtutis beneficio, Martyres omnes de perſecutoribus ſuis triumpharunt, omneſque ſimiliter fortes milites, qui in iuſto bello ſe fortiter probarunt, magnamq; gloriam per virtutem hanc reportarunt.

D. *Quæ ſunt vitia contraria Fortitudini?*

M. Sunt duo, videlicet timor & audacia. Timor efficit, vt homo facillimè animum deijciat; quod vtique ex modica fortitudine naſcitur. Audacia verò facit, vt præſentiſsimis ſe quis periculis obijciat, quando non eſt neceſſarium. Quæ, (ſic loquendo) nimia fortitudo dici poteſt, nec eſt laude digna, ſed vituperio, quia virtus non eſt, ſed vitium.

D. *Quid eſt Temperantia, & quod eius officium?*

M. Temperantia virtus eſt, quæ ſenſualibus delectationibus frenum inijcit, facitque, vt homo huiuſmodi voluptatibus ex præſcripto rationis vtatur.

D. *Quæ ſunt vitia Temperantiæ contraria?*

M. Sunt duo, nimirum intemperantia & inſenſibilitas. Intemperantia eſt, quando quis nimium delectationibus ſe dedit, ideoque in cibo, potu, ac ſimilibus excedit, quod tam animæ, quam corpori noxium eſt. Inſenſibilitas eſt, quando quis ad alterum extremum progreditur, & adeò voluptates omnes fugit, vt etiam neceſſarijs cibis ad conſeruandam ſanitatem vti nolit, ne modicam illam delectationem, quam naturaliter cibus conueniens comportat, ſentiat. Attamen inter homines vulgare magis vitium eſt intemperantia, quam inſenſibilitas. Omnes enim Sancti ad ieiunium, carniſque mortificationem nos ſunt exhortati.

CAPVT XIII.

DE SEPTEM DONIS *Spiritus Sancti.*

DISC. *Quæ ſunt dona Spiritus Sancti?*

M. Sunt illa, quæ Iſaias propheta recenſet, nempè, *Sapientia, Intellectus, Conſilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, ac Timor Domini.*

D. *Cui rei hæc dona inſeruiunt?*

A M. Vt nimirum illis perfectionem vitæ Chriſtianæ conſequamur, quia inſtar ſcalæ ſe habet, per quam à ſtatu peccati, per diuerſos gradus ad ſummam ſanctitatem progredimur. Aduertendum tamen eſt, prophetam in numero graduum horum deorſum tendere, quia ſcalam illam è cœlo deſcendentem aſpexit: nos verò eandem inuertemus, & ab inferioribus gradibus ordiemur, vt ſic ſurſum feramur, & in cœlum de terra tranſcendamus. Quare *primus gradus*, ponitur à notis timoris Domini: cui tunc imponit pedem peccator, cum ſuum inimicum Deum omnipotentem eſſe conſiderat. *Secundus eſt*, pietatis, quia qui pœnas à Deo peccatoribus intentatas timet, ille pius eſſe incipit, & obedire Deo ac ſeruire deſiderat, item in omnibus voluntatem eius facit.
B *Tertius gradus*, eſt ſcientiæ: quia qui deſiderat facere diuinam voluntatem, is petit à Deo, vt ſe de ſanctis præceptis ſuis ac legibus erudiat. Deus enim partim per prædicatores, partim per libros, partim per inſpirationẽ internam, facit omnia illa ſciri, quæ ſcitu ſunt neceſſaria. *Quartus gradus* eſt fortitudinis: quia qui ſcit voluntatem Dei, & per omnia ſeruire Deo proponit, ei difficultates multæ à mundo, carne, diabolo obiectantur: & ideo Deus hoc donum fortitudinis dat, quo omnes difficultates ſuperentur. *Quintus gradus* eſt conſilij: quia Diabolus quando robore ſuo non poteſt vincere hominem, ad fraudes conuertitur, & ſub prætextu boni iuſto homini caſum adornat. Deus
C verò non deſerit illum, ſed conſilij donum communicat, quo aduerſus fraudes inimici præualeat. *Sextus gradus* eſt intellectus, quia vbi iam homo ſatis exercitatus eſt in vita actiua, multaſque à dæmone retulit victorias, trahit eum impellitque ad contemplatiuam vitam, & per donum hoc intellectus facit, vt diuina myſteria intelligat ac penetret. *Septimus gradus* eſt ſapientiæ, qui perfectionis complementum eſt, quia ille eſt ſapiens, qui primam cauſſam cognoſcit, & ad illam omnes ſuas exigit actiones & ordinat: quod ille facere non poteſt, qui huic dono intellectus perfectam charitatem non adiungit: ſiquidem intellectu primam cauſſam cognoſcit, & charitate ordinat omnia ad vltimum finem ac diſponit. Denique quia Sapientia affectum intellectui coniungit, ideo
D ſapientia vocatur, id eſt, ſapiens ſcientia, vti D. Bernardus docuit.

CAPVT XIV.

DE OCTO BEATITVDINIBVS.

DISC. *Quid ſunt octo iſtæ Beatitudines, quas in Euangelio Saluator nos docuit?*

M. Sunt altera ſcala, per quam perfectionis apicem tenemus, ſimilis ſcalæ illi, quam de Spiritus S. donis fabricauimus. Quoniam in ſeptem ſententijs illis continentur ſeptem gradus, quibus beatitudinem adipiſcimur. Octaua verò ſignum complectitur, ex quo cognoſcamus, num ſcalam illam tranſmiſerit homo aut non.

D. *Explica mihi breuiter ſcalam hanc?*

M. Chri-

M. Christus Dominus noster in tribus prioribus gradib. impedimenta perfectionis summouet, per quam beatitudinem consequimur. Quorum ordinariè tria sunt, desiderium nempè bonorum, honoris ac voluptatum. Quapropter in *primo* gradu dicit Christus beatos esse pauperes spiritu, id est, illos qui voluntariè bona sua contemnunt. In *secundo* dicit beatos esse mites, qui cedunt omnibus, & resistunt nemini, siue in faciem notentur ignominia, siue à tergo eandem excipiant. In *tertio* dicit beatos esse illos qui lugent, id est, qui mundi lætitiam & voluptates non quærunt, sed attendunt quomodo pœnitentiam faciant, suaque peccata deplorent. Porrò in duobus gradibus sequentibus vitæ actiuæ perfectionem docet, in illis omnibus adimplendis sitæ, ad quæ per iustitiam & charitatem obligamur. Idcircò in *quarto* gradu dicit beatos esse illos, qui famem, sitimque iustitiæ habent: & in *quinto* beatos esse misericordes pronunciat. In duobus postremis, ad perfectionem vitæ contemplatiuæ nos trahit, & propterea in *sexto* dicit beatos illos, qui corde mundo sunt, quia Deum videbunt, videlicet in altera vita per gloriam, quem in hac vita per gratiam contemplationis cognoscent. In *septimo* beatos dicit pacificos, eò quod filij Dei vocabuntur, id est, beatos illos esse, qui contemplationi perfectam charitatem adiunxerint: item omnia in Deum direxerint, pacatoque vniuerso animæ regno filij Dei euadent Patri similes, sancti ac perfecti. *Octaua* sententia nouum gradum perfectionis non continet, vti rectè Diuus Augustinus obseruat, sed manifestum nobis signum demonstrat, ex quo concludere possimus, perfectionem hominem adeptum esse. Signum autem hoc est iniustas persecutiones voluntariè tolerare: quemadmodum enim aurum in fornace probatur, sic quoq; homo iustus perfectusq; tribulationibus.

CAPVT XV.

DE SEPTEM OPERIBVS MIsericordiæ corporalibus, & septem Spiritualibus.

D. *Superest modo explicare mihi opera misericordiæ, tam corporalia, quàm spiritualia?*

M. Opera Misericordiæ septem numero sunt, in sancto Euangelio, (Matth. 25.) recensita: *Esurientes pascere, dare potum sitientibus, operire nudos, hospitio peregrinos suscipere, ægrotos inuisere, consolari captiuos*. Septimum opus, quod est *mortuos sepelire*, S. Tobias nos. & S. Angelus Raphael docuêre. (Tob. 12.) Opera autem misericordiæ spiritualia sunt totidem, scilicet, *Ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, consolari mæstos, errantes corrigere, offensam remittere, ferre patienter iniurias, & deniq; pro viuis & mortuis Deum precari.*

D. *Potestne inueniri aliqua causa, per quam quis ab exercitio horum operum misericordiæ excusetur?*

M. Tres causæ excusare possunt. *Prima est*, si medijs debitis careat. Vnde non legimus in Euangelio Lazarum mendicum aliquod mi-

A sericordiæ opus corporale exercuisse, quoniam ipse penè omnibus Misericordiæ corporalis operibus indigebat, & sic propter patientiam coronatus est. Vnde talis est Dei dispositio, vt diuites per opera Misericordiæ, pauperes verò per patientiam salutem obtineant, vti quoque nec ille docere alios, aut consilio iuuare obligatur, qui scientia, prudentiaque fructuosa destitutus est. *Secunda* causa est, quando quis Deo seruit in statu altiore, quam sit status vitæ actiuæ, in quo non habet occasionem corporalia Misericordiæ opera exercendi, vti in Eremicolis videre est, qui solitudinibus conclusi, aut cellis suis, cælestia contemplantur, illi enim obligati non sunt sanctum suum exercitium deserere, vt eant quæsitum, B quibus Misericordiæ opera impendant. *Tertia est*, quando neminem quis inuenit, qui eius Misericordia notabiliter indigeat: quoniam obligantur nonnisi illis succurrere, qui ab alio adiuuari possint, nec habeant qui auxilium illis velint, aut possint conferre. Nihilominus verum tamen est, perfectam misericordiam obligationis tempus nô expectare, sed promptam esse, succurrere meliore modo, quo potest, & omnibus quibus potest.

D. *Videtur mihi vltimum opus Misericordiæ, quod est precari Deum pro proximo, omnes facere posse?*

M. Ita est, nam & sic Eremitæ misericordiæ opera exercent: quia Deum precantur, vt omnibus illis sua gratia assistat, qui ea indiguerint. C

CAPVT XVI.

DE VITIIS ET PECCATIS in genere.

D. *Erit iam tempus aliquando docere me, quid vitium & peccatum sit, vt ab eo fugere queam, quemadmodum acquisitionem virtutum, bonorumq; operum docuisti.*

M. Peccatum non est aliud, quam commissio aut omissio voluntaria contra legem Dei. vbi considerabis tria esse, quæ ad perpetrandum peccatum requirantur. *Primum est*, vt sit commissio aliqua, aut omissio: id est, vt quis D velit facere aliquid, aut operari quod prohibitum est, aut non facere aliquid, quod est præceptum, quemadmodum exempli gratia blasphemare est commissionis, non audire Missam est omissionis peccatum. *Secundum est*, quòd requiritur, vt commissio illa, siue omissio sit contra legem Dei, quia lex Dei est generalis regula benè operandi, vti ars est regula lapicidæ. Et ideò, vti ille lapicida non est bonus murarius, nec benè murum erigit, qui non ex artis præscripto operatur; sic quoque quis non viuit benè, nec bonus homo est, qui legem Dei non sequitur. At verò per legem Dei non solùm illam legem accipimus, quam per semetipsum dedit, vt decem præcepta sunt; sed etiam illam, quam per summos Pontifices, aliosque Ecclesiæ Superiores tam spirituales, quam temporales proponit, quia omnes illi ministri Dei sunt, suamque ab eo auctoritatem acceperunt. *Tertium est*, quod requiritur: vt commissio illa, vel omissio sit

voluntaria, quoniam quòd quis sine consensu voluntatis facit, peccatum non est, vt exempli gratia, si quis blasphemet dum dormit, aut nondum rationis vsum attigit, aut nescit verbum suum esse blasphemiam, in tali casu homo non peccaret, quia voluntatis consensus abesset.

D. *Intellexi iam quid peccatum sit, dic ergo mihi, quid sit vitium?*

M. Vitium est malus habitus, malaque consuetudo peccandi, frequentius peccando acquisita. Vnde nascitur, hominem eiusmodi facilius peccare, item magis temerè & maiore cum gaudio, quemadmodum, exempli gratia, dicimus hominem quempiam blasphemū esse, aut nugacem, si blasphemare solet, & nugari ex consuetudine, adeò vt blasphemare peccatum sit, & esse blasphemum, sit vitium, quo modo de omnibus alijs malis etiam loquimur.

D. *Estne ingens malum peccatum?*

M. Est vtique maximum, quod inueniri potest, immò illud solum est absolutè & intrinsecè malum, Deoque magis quam res vlla inuisum. Quod inde colligitur, quia Deus perdere & exterminare nobilissima quæque à se condita non destitit, modo peccatum puniret. Si enim princeps habeat vas aliquod, ex argento, aut auro mundissimo fabrefactum, maximi pretij, in eoque inueniretur liquor graueolens, qui in tantum displiceret principi, vt confringi iuberet vas illud, & in profundum maris demergi, certè diceretis principem illū grauissimè liquorem illum odisse: sic quoque Deus duo pretiosissima fabricauit vasa, vnum ex argento, quod est homo; alterumq; ex auro, quod est Angelus, & quia in vtroque putidissimum illum liquorem peccati inuenit, ideò in profundum inferni, perpetuamq; miseriam omnes Angelos, peccato obnoxios, præcipitauit ac demersit, & quotidie in eundē perditionis locum præcipitat homines illos, qui in peccatis hinc discedunt. Denique propter peccata mundum diluuio semel obruit, omnesque homines (Noe eò quod iustitiam conseruasset, eiusque familia exceptis) suffocauit.

D. *Quot peccatorum genera inueniuntur?*

M. Duo, quorum vnum peccatum originale, alterum verò actuale vocatur; Et hoc bifariam quoque in mortale, & veniale diuiditur.

CAPVT XVII.
DE PECCATO ORIGINALI.

D. *Quid est peccatum Originale?*

M. Peccatum originale est illud, quo cum nascimur, quòd à primo nostro parente successiuè in nos descendit. Vnde aduertendum est, cùm Deus primum virum, primamque mulierem condidisset, qui Adam & Eua vocabantur, septem illis dona largitum esse. Primò gratiam, per quam iusti, & amici Dei erant, filijq; eius adoptiui. Secundò scientiam magnam, vt nossent bonum facere & à malo declinare. Tertiò, obedientiam talem illis contribuit, vt nimirum caro spiritui obsequeretur, ne illicitis desiderijs aduersus rationem insurgeret. Quartò, promptitudinem maximam, ac facilitatem dedit ad bonum faciendum, & declinandum malum, & non nisi vnicum, idq; facillimum præceptum præscripsit. Quintò, omnes illos molestiæ, ac timoris securos fecit, quoniam terra ipsa sponte & inarata fructus sufficientes ad humanæ vitæ propagationem producebat, nec erat, quòd homini nocere posset. Sextò, immortales condidit, adeò, vt nunquam mori possent, si se peccato non contaminassent. Septimò, voluit post aliquantum temporis illos ad Cælos, vitamque æternam, nec gloriosam transferre, qua Angeli tum fruebantur. Verum, primus vir, & prima fœmina à diabolo decepti, non obseruarunt præceptum illud, atque adeò in Deum peccarunt, & illa septem commemorata dona perdiderunt. Cùm autem Deus dona illa non solùm personatim ipsis contulisset; sed etiam omnibus ab illis descendentibus, ideò non solùm sibi, sed etiam omnibus posteris suis ea amiserunt, eosq; non modo peccati sui, sed etiā miseriarum omnium fecêre participes, quemadmodum gratiæ, bonorumque quæ possidebant, si nō peccassent, fuissemus participes. Est ergo peccatum originale, inimicitia cum Deo, diuinæq; gratiæ priuatio, qua cum priuatione nos nascimur. Ex qua ignorantia procedit, itē mala inclinatio, difficultas faciendi boni, faciendi mali facilitas, pœna ac labor in vitæ necessarijs prouidendis, timor ac pericula quibus circundamur, mors certissima corporis, & mors Inferni æterna, si ante articulum mortis nostræ à peccato non liberemur, & ad gratiam redeamus.

D. *Quodnam aduersus peccatum Originale remedium est?*

M. Attigi hoc superius, nimirum remedium eius esse passionem, & mortem Domini nostri Iesu Christi. Voluit enim Deus, vt pro Adami peccato satisfaceret is, qui peccati expers, immò Deus & homo esset, ideoque infinitè acceptus Deo foret, obediretque ei, non in re adeò facili, qualis Adamo præcepta fuit, sed in re longè difficillima, qualis est mors crucis ignominiosissima. Et hoc remedium per sanctum Baptismum nobis applicatur, vti supra diximus. Quantumuis enim Deus non voluerit de subito reddere, omnia illa septem dona, voluit tamen principalissimum, quod est gratia, restituere, per quam iusti, & amici, & filij Dei, & hæredes regni cælestis constituimur. Porrò reliqua dona magno cum quæstu in altera vita nobis restituentur, si in præsenti nos bene gesserimus.

CAPVT XVIII.
DE PECCATO MORTALI & veniali.

D. *Explices mihi quid peccatum actuale, & quomodo vnum mortale, alterum veniale sit?*

M. Peccatum actuale est, quod ex propria voluntate committimus, vbi ad vsum rationis peruenerimus, vt sunt, furari, occidere, peiurare, & similia legi diuinæ contraria. Et hoc peccatum mortale est, quando gratia Dei priuat,

quæ vita animæ est, æternaque inferni morte dignos facit. Tum autem est veniale, quando quidem displicet Deo, non tamen adeò vt illius priuet gratia, & pœnam quidem temporariam, non tamen æternam meretur.

D. *Quomodo peccatum veniale, aut mortale cognoscam.*

M. Vt cognoscas peccatum mortale, aut veniale esse, duas regulas obserues necesse est. *Prior est*, vt peccatum sit contra charitatem Dei aut proximi. *Posterior*, vt ex pleno voluntatis progrediatur consensu. Quarum altera si desit, non erit peccatum mortale, sed veniale. Tum ergo dicitur peccatum contra charitatem esse, quando in materia graui legi diuinæ contrarium est, adeò, vt offensa ad tollendam amicitiam sufficiat. Si autem in leui materia committatur, nec ad dissoluendam amicitiam sufficiat, tunc quidem non est contra charitatem, sed dicitur non esse secundum charitatem. Et sic de priore peccato dicitur, quod sit contra legem, quoniam est contra charitatem, quæ finis legis est. Posterius verò non dicitur esse contra legem, sed non secundum legem, quia non est contra charitatem, non tamen est secundum charitatem. Accipite exemplum. Magnam pecuniæ summam furari, est peccatum mortale, quoniam est contra legem Dei, & in materia graui versatur, omniumque iudicio ad dissolutionem amicitiæ sufficit, & sic contra charitatem est: at verò furari quadrantem aut obulum, aut aciculam, similemque rem leuem, non est peccatum mortale, sed veniale, quia in materia leui versatur, & licet non sit secundum charitatem, non tamen est contra charitatem: quia non est res talis, quæ rationabiliter amicitiam queat dissoluere. Idẽ de altera conditione dicemus, vt nimirum sit voluntarium. Si enim peccatum est contra legem, & in materia graui versatur, & est perfectè volũtarium; est peccatum mortale. Si verò non fuerit perfectè voluntariũ, quemadmodũ si quis haberet cogitationem aliquã, aut desideriũ repentinum furandi, aut occidendi, aut blasphemandi, illudq; animaduerteret, priusquam plenarius voluntatis consensus accederet, erit solummodo veniale. Quapropter necessarium est hominem gnauiter sibimetipsi attendere, & subitò, quàm primum malam cogitationem, aut desiderium aduerterit, excutere, priusquam voluntas consentiat.

CAPVT XIX.

DE SEPTEM PECCATIS Capitalibus.

D. *Nunc scire desidero consequenter, quænam peccata principaliora sint omnium, vt maiore cum diligentia euitari possint?*

M. Sunt aliqua ideò principalia, quia sunt veluti fontes, ac radices multorum aliorum, vocanturque capitalia, & sunt septem. Alia verò sunt ideò principalia, quia difficilia sunt ad remittendum, vocanturque peccata in Spiritum Sanctum, suntque sex numero. Denique alia sunt principalia, quia sunt abominabilia, & contra omnem rationem, ideoque vindictam in Cælum clamare dicuntur, & sunt quatuor.

A D. *Quænam sunt peccata capitalia?*

M. Sunt hæc: nimirum Superbia, *a* aut vt alij dicunt, vana gloria, auaritia, luxuria, inuidia, gula, ira, acedia. *a Gregor. 31 Moral. c. 17 aliàs 31.*

D. *Quamobrem capitalia dicuntur?*

M. Non vocantur capitalia, eò quod mortalia sint, quia multa sunt mortalia, & non sunt capitalia, vti blasphemia est, & homicidium: & multa sunt capitalia, quæ non sunt semper mortalia, vt est gula, ira, acedia. Vocantur ergo capitalia, quia capita multorum aliorum sunt, quæ ab illis vti rami à radice, & riuuli à fonte procedunt.

D. *Quid est Superbia, & quænam ab ea peccata progrediuntur, & quod illius remedium?*

M. Superbia est peccatum, propter quod homo plus putatur esse illo quod est, ideoque vult alijs anteponi, & nec superiorem, nec B æqualem ferre potest. Peccata quæ producit, sunt, iactare se, vaneque gloriari, cum alijs contendere, item discordia, inobedientia, aliaque similia. Eius remedium est, vt homo cum omni diligentia sanctæ humilitati incumbat, id est, vt cognoscat, se nihil esse ex seipso, & quidquid habemus, esse donum Dei, consideretque alios esse meliores se, ac proinde minorem se omnibus æstimet, omnibusque subijciat: exterius, interiusque pro gradu cuiusque quosvis honoret. Iuuat etiam inprimis considerare: quod Superbia similem hominem Diabolo faciat, maximeque Deo inuisa sit. Vnde scriptum est *b* Superbis Deum resistere, humilibus verò gratiam dare: *c* illos confundere, & hos exaltare. *b 1. Pet. 5.* *c Iacob. 4.*

C D. *Quid est Auaritia, & quænam ex illa peccata nascuntur, & quod illius remedium?*

M. Auaritia est affectus inordinatus erga diuitias, & in tribus consistit. *Primum est*, quando homo alterius bona appetit, nec suis contentus est. *Secundum est*, quando plus habere desiderat, quàm necessarium sit, nec superfluum, prout obligatur, vult pauperibus elargiri. *Tertium est*, quando nimium bona sua, quæ possidet, amat, licet non sint superflua. Quod inde cognoscitur, cùm quis paratus non est, perdere bona sua in tali casu, in quo ad honorem Dei est necessarium. Vnde Diuus Paulus dicit (Ephes. 5.) auaritiam esse idololatriam, quoniam auarus anteponit bona sua Deo, contentusque magis est, perdere Deum, quam bona sua. Multa peccata ab auaritia pro-D truduntur, vt est furtum, rapina, fraus in emptione & venditione, crudelitas in pauperes, aliaque similia. Remedium eius est, in virtute liberalitatis se exercere, considerando nos in hac vita viatores, & peregrinos esse, ac propterea vtile inprimis fore, non onerari bonis istis, sed in viæ socios ea diuidere, vt secum in cælestem patriam illa comportent, nosque deonerati tanto expeditius viam nostram conficiamus.

D. *Quid est Luxuria, & quæ peccata gignit, & quod eius remedium?*

M. Luxuria est affectus inordinatus erga voluptates, & delectationes carnales. Peccata ab ea prodeuntia sunt cæcitas mentis, temeritas, inconstantia; item adulterium, fornicatio, obscœna verba, & omnis alia immunditia.

Remedium est, in ieiunijs se exercere & orationibus, malasque societates declinare, illa enim media sunt ad conseruandam castitatem inuenta; & præ omnibus non nimium sibimetipsi fidere, vti nec virtuti suæ aut sanctitati; sed à periculis remotissimum esse, sensusque suos custodire; considerando Sampsonem fortissimum, Dauidem sanctissimum, & Salomonem sapientissimum ab hoc vitio deceptos esse, grandemque mentis cæcitatem incurrisse, & præsertim Salomonem, quem concubinæ ad cultum Idolorum pertraxêre.

D. *Quid est Inuidia, & quæ ab illa peccata proueniunt, & quod eius remedium?*

M. Inuidia est peccatum, propter quod homini bonum alterius displicet, quia videtur illi excellentiam propriam eo minui. Vbi considerare oportet, quod quando tibi bonum alterius, aut quia non est dignus, aut quia illis abutitur, displicet, non est peccatum. Similiter, quando tibi displicet, non habere te bona, quæ alij habent, & maximè virtutem, deuotionem, bonaque similia, non est etiam peccatum: immò sancta & laudabilis Inuidia vocatur. At verò, quando tibi videtur, habere alium bona quædam, quæ tuam gloriam obfuscant, vellesque eum talibus carere, ne sic vel æqualis tibi, vel te superior euaderet, tunc illud est Inuidiæ peccatum, parturitque alia multa peccata, vti peruersum iudicium est, de malo alterius gaudium, murmuratio, & detractio, quoniam inuidus bonam famam proximi minuere quærit; immò ad homicidium faciendum subinde excitatur, quemadmodum Cain fecit, qui ex Inuidia fratrē occidit; item Iudæi, qui ex Inuidia Domino mortem præpararunt.

Remedium illius est exercere se in charitate fraterna, & seriò perpendere Inuidiam magis inuidenti, quam inuidendo nocere: Affligit enim seipsum inuidus, exeditque intrinsecus, & sæpè Deus tali via inuidendum exaltat: per quam deiectum humiliatumque illum cupiebat inuidus. Vti videmus diabolum per Inuidiam primum hominem de Paradiso terrestri depulisse, Deum verò illa occasione accepta, Christum in mundum misisse, illiusque meritis cælestem paradisum eidem redonasse. Fratres Iosephi Patriarchæ vendiderunt illum per inuidiam; at verò Deus illa occasione effecit, vt Dominus suorum fratrum euaderet. Saul Rex persecutus Dauidem est ex Inuidia, Deusque regnum ideò Sauli ademit, illudq; in Dauidem transtulit.

D. *Quid est Gula, & quæ peccata gignit, & quod eius remedium?*

M. Gula est appetitus inordinatus comedēdi & bibēdi. Quæ inordinatio consistit in sumptione cibi affluentioris, quam conueniat, aut quando quis in nimis pretiosos cibos inquirit, aut vetitis cibis vescitur, vt carnibus die veneris vel sabbathi, aut quando quis vescendi statā horam non obseruat, præsertim in die Ieiunij: aut deniq; quando quis cum summa auiditate & ingluuie comedit. Peccata quæ à gula nascūtur, sunt obscuritas mentis, vanum gaudium, multiloquium; sæpè etiam ex gula, luxuria procedit, quæ omnes suas quoque filias comportat. Remedium est inuigilare temperantiæ & abstinentiæ, animæ iuxta ac corpori apprimè fructuosæ. Et in particulari expendendum benè est, delectationem gulæ breuissimā esse, & sæpissimè post se diuturnum stomachi, capitisque dolorem relinquere.

D. *Quid est Ira, & quæ peccata parturit, & quod eius remedium?*

M. Ira est inordinatus appetitus vindictæ. Est tamen animaduertendum, Iram moderatam, beneque ordinatam, bonam esse. Quapropter in psalmo dicitur, *Irascimini, & nolite peccare.* a Diuus Basilius b ait: Iram se instar canis habere, qui bonus est, cùm inimicos aggreditur; non verò quando amicos morsu impetit. Deordinatio illa Iræ in tribus sita est. *Primum est*, quod quis velit vindictam sumere de eo, qui castigationem non meruit, nec te offendit. *Secundum est*, quod quis velit vindictam sumere auctoritate propria: quia sic vindicare, ac maleficum punire, solùm ad Superiores spectat, quales sunt Principes & Magistratus. Et quia supremus Princeps est Deus, ideò ait, quod ad se principaliter vindictam facere spectet. *Tertium est*, quod quis vindictam ex odio instituat, non autem ex iustitiæ Zelo, & in modo, alijsque circumstantijs excedat. Peccata, quæ ex Ira inordinata nascuntur, sunt contentio, iniuriosa verba, verbera, actus inconuenientes, ac si homo mentis inops esset; quoniam inordinata amentiæ est simillima. Remedium eius est in mansuetudinis virtute se exercere, ac pœnitentia, considerando exempla Sanctorum, ipsiusq; Christi, qui supportatione ac patientia vitiorum eiusmodi gloriosissimè triumpharunt. Quod à mundanis hominibus non frequentatur, quando adeò seuerè de suis inimicis vindictam sumere proponunt.

a Psal 94.
b Basil. in ora. de Ira.
c Rom 12.

D. *Quid est Acedia, quæ peccata producit, & quod eius remedium?*

M. Acediæ vocula græca est, & tantundem sonat ac tædium, fastidium, & tunc peccatum est capitale, quando quempiam tædet boni operis, fastidioque afficitur, ac displicet, quod ad obseruantiam diuinorum præceptorum, & ad tenendam virtutum semitam obligetur. Peccata ex Acedia pullulantia, sunt contemptus præceptorum, & quod quis in prædam vitijs sese obijciat; item benè agere desperet, odium denique ac rancor in illos susceptus, qui hominem ad declinandum peccatum, & ad bonam viam capessendam exsuscitant. Remedium est, otiosum non esse, bonos libros peruoluere, præmium ingens aliquando dandum expendere, quod Deus diligentibus præceptorum suorum obseruatoribus promisit: item æternam pœnam, ac intolerabilem, quam negligentibus apparauit.

Caput XX.

De peccatis in Spiritum Sanctum.

D. *Quæ sunt pecata in Spiritum Sanctum, & quot?*

M. Sunt sex, videlicet desperatio de salute, præsumptio citra meritum salutem conse-

quendi, cognitæ veritatis impugnatio, gratiæ alteri datæ inuidentia, obstinatio in peccatis, & finalis impœnitentia.

D. *Quare vocantur peccata in Spiritum sanctum?*

M. Quia ex mera malitia committuntur, & maximè tertium, quod propriissimè præ omnibus peccatum in Spiritum S. est, quando nimirum quis veritatem cognoscens, nihilominus vult obstinatè retinere ac probare, quod verum non est. Peccatum porrò ex malitia cõmissum, peccatũ in Spiritum S. vocatur, quoniam Spiritui sancto bonitas tribuitur, cui est malitia contraria: quemadmodum peccare ex ignorantia dicitur esse contra filium, vt cui attribuatur sapientia: & peccare ex fragilitate dicitur esse contra Patrem, vtpotè cui potentia deferatur.

D. *Quidnam habent proprij hæc peccata?*

M. Hoc nimirum, quod neque in hoc seculo nec in altero remittuntur, vti in Euangelio Saluator noster docuit (Matth. 12.) hoc tamen sic intelligendum est, quòd difficilia ad remittendum sint; quia quod rarum sit, & operosum inprimis hisce peccatis obnoxios ad veram pœnitentiam peruenire; quemadmodum cum dicimus morbum incurabilem esse, non intendimus dicere, quasi nullo modo curari possit, sed quod raro curetur, immò ordinariè non curetur.

Capvt XXI.

De peccatis in coelvm clamantibus.

D. *Quot sunt, & quæ peccata in Cœlum clamantia?*

M. Sunt quatuor, videlicet *a* homicidium voluntarium, *b* peccatum carnale contra naturam, Sodomiticum vocari solitum, *c* oppressio pauperum, & præsertim orphanorũ ac viduarum, *d* defraudatio mercedis operarijs debitæ.

a *Gen.* 4. b Gen. 18. c *Exod.* 22. d *Iacob.* 5.

D. *Quare in Cœlum clamare dicuntur?*

M. Eo quod tam manifesta iniustitia illorum peccatorum sit, vt nullo modo cooperiri, aut abscondi queant.

Capvt XXII.

De qvatvor novissimis.

D. *Porrò da generale documentum aliquod peccatum fugiendi?*

M. Sapiens ait (Eccl. 7.) *Recordare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Horum nouissimorum quatuor sunt. Mors, generale iudicium, Infernus, ac cælestis gloria.

D. *Quare illa quatuor, nouissima vocantur?*

M. Quoniam mors est finis vitæ, extremumque omnium, quòd in hoc mundo occurrere nobis queat. Iudicium illud generale vltimum iudiciorum omnium est, quæ instituentur, à quo appellari ad aliud tribunal non dabitur. Infernus vltimum malum est, quod peccatoribus irrogabitur, in quo semper sine vlla relaxatione permanebunt. Cælestis gloria denique vltimum bonum est, bonis conferendum, quod nunquam sunt amissuri.

D. *Age dic, quid circa hæc quatuor nouissima consideratione dignum occurrat, quoniam peccaturus nõ sum, vt sapiens à te allegatus dicit si eorum identidem recordabor?*

A M. Circa mortem hæc quatuor puncta consideranda occurrunt. *Primum est*, quod mors certissima sit, nec vllus illam effugere queat. *Secundum*, quod hora mortis incerta sit, multique moriantur, tum quando minimè expectarunt. *Tertium*, quod per mortem in mundo hoc terminentur & abrumpantur omnia, & tum demum mũdi vanitas cognoscatur. *Quartum*, quod tẽpore mortis, quilibet hominum super commisso malo, & bono omisso doleat. Quapropter magna stultitia est, hominem hoc facere, cuius eum pœniteat.

Circa extremum Iudicium hæc puncta. *Primum est*, quod iudicium hoc instituendum sit, de rebus grauissimis, videlicet de summo bono & summo malo. *Secundum*, & quidem per supremum iudicem, qui scit omnia, & cui nemo potest resistere. *Tertium*, quod in præsentia totius orbis, à qua mortalium nemo se poterit subducere. *Quartum*, quod ne minima quidem spes extremam illam sententiam, aut executionem diuinæ iustitiæ effugiendi, sit affutura. B

Circa infernum considerandum occurrit, quod latus sit, longus, altus & profundus: latus eo quòd pœnas omnes etiam imaginabiles complectatur: Longus eò, quod omnes sint æternæ pœnæ: altus, quod sint acerbissimæ in summo gradu: profundus quod sint meræ peræ, nullo omninò consolationis genere permixtæ.

Circa cælestem gloriam, similiter considerandũ est, illam amplam ac latam esse, & quod omne bonum quod imaginabile est, contineat: imò plus quam nos imaginatione nostra, aut desiderio assequi possimus. *Longa*, quia omnia illa bona æterna sunt. Alta, quoniam bona omnia altissima iuxta ac nobilissima sunt. Profunda, quia vera puraque sunt bona, nullius mali commixtione violata. Vbi insuper & hoc aduertendum est, bona huius mundi, nullam ex quatuor his conditionibus habere, quandoquidem breuia, exigua, semperque doloribus angustiisque sunt temperata: vti è contrario & mala mundi huius pauca, breuia & exigua sunt, semperque aliquali consolatione perfusa. Vnde reuera concludere poteritis omnes illos cerebrum suum, iudiciumque perdidisse, qui præ amore vitæ huius, præ timore tribulationum præsentium, aut futura bona deperdunt, aut in futura mala labuntur. C D

(.·.)

F I N I S.



ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S.R.E. CARDINALIS

OPVSCVLVM, DE ASCENSIONE MENTIS in Deum

PER SCALAS RERVM CREATARVM.

PETRO ALDOBRANDINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

ROBERTVS CARDINALIS Bellarminus S. D.



VPERIORE mense Septembri, libellum, de ascensione mentis in Deum per scalas rerũ creatarum, vt potui, Domino adiuuante, confeci. Eum enim mensem ad vacandum Deo, semotis alijs curis, cum bona Sanctissimi Patris, ac Domini nostri venia, mihi ipse delegeram. Et quamuis cum libellum in meum propriè vsum conscripseram: tamen consilio, & cohortatione amicorum admonitus, vt eum publicari paterer, in tuo potissimum nomine apparere volui. Si qua enim vtilitas ea hac mea lucubratione peti potest, ea præcipuè ad homines occupatos publicis negotijs, quales imprimis sunt Ecclesiæ Principes, redundabit. Tu verò ex Principibus Ecclesiæ negotiorum mole grauatis, vnus imprimis es: quippè Cardinalis, Archiepiscopus, Sanctæ Rom. Ecclesiæ Camerarius, ex Præpositis vniuersalis Inquisitionis officio, & multarum grauissimarumquè protectionum sollicitudine distentus. Accessit & illa causa huius operis nuncupandi tibi, vt extaret ex me ad memoriam posterorum aliquod ingentium tuorum in me beneficiorum, & meæ in te qualiscunque obseruantiæ, monumentum. Neque quod exiguum sit munus, ideò minus gratum benignitati tuæ futurum esse confido. Libri enim non ex multitudine foliorum, sed ex fructibus, atque vtilitate pensantur. De hoc verò libello, quid alij iudicabunt, ignoro, mihi certè, præter cætera mea opuscula, non parum vtilem fuisse comperi. Itaque reliquos libros meos nisi necessitate cogente non lego: hunc spontè terq́, quaterq́, iam legi, & deinceps frequenter in eius lectione versari mihi propositum est: nisi fortè chariorem illum mihi faciat, non meritum eius, sed amor, quòd illum, vt alterum Beniaminum, in extrema senectute genuerim. Accipe igitur, Cardinalis optime, munusculum à me, quòd non solùm debitæ obseruantiæ testimonium præbeat: sed etiam cuiusdam

A *quasi monitoris fungatur officio. Vt si quando turba negotiorum te nimium premant, & a consueto studio certis horis Deo per orationem vacandi, impedire conentur; is modestè suggerat, vt eiusmodi turbis ad modicum tempus exclusis, ad interiora, & solita gaudia mentem reuoces, & vel meditando, vel legendo vaces, & videas, quoniam Dominus ipse est Deus, id est, solum verum, & summum, & sempiternum bonum, cuius adeptio felicissimum, cuius amissio miserrimum hominem facit.*

B

DE ASCENSIONE MENTIS IN DEVM

PER SCALAS RERVM CREATARVM.

PRÆFATIO.



Criptura diuina frequenter nos admonet, vt sollicitè quæramus Deum. *quamuis enim Deus non longè sit ab vnoquoque nostrûm, cum in ipso viuamus, moueamur, & simus,* vt Apostolus loquitur. *Act.* 17. nos tamen longè sumus à Deo, & nisi assiduè
C
disponamus ascensiones in corde, & scalas nobis erigamus in cœlum, & magno labore Deum quæramus, cum filio prodigo in regione longinqua, *Luc.* 15. procul à patria, & à Patre pascimus porcos.

Ac vt breuiter explicemus quomodò inter se ista cohæreant, vt Deus non longè sit à nobis, & nos tamen longissimè absimus ab illo:
D
dicimus, Deum non longè à nobis abesse, quoniam ille nos assiduè videt, cuius oculis omnia sunt præsentia: idem quoque de nobis assiduè cogitat, quia *illi cura est de nobis,* 1. *Pet.* 5. & ipse idem nos assiduè tangit, quia *portat omnia verbo virtutis suæ, Hebr.* 1. nos autem longissimè absumus à Deo, quia Deum non videmus, nec videre possumus, cum *lucem habitet inaccessibilem,* 1. *Tim.* 6. sed *nec sufficientes sumus cogitare aliquid de Deo ex nobis, tanquam ex nobis,* 2. *Corinth.* 3. multò minus illum affectu pio tangere, illique inhærere valemus, nisi nos suscipiat,

& ad

& ad se trahat dextera eius. Ideò enim Dauid cùm dixisset: *Psal.62. Adhæsit anima mea post te.* continuò adiunxit, *me suscepit dextera tua.* Nec solùm longè absumus à Deo, quia neque illum videre possumus, neque facilè de illo cogitamus, neque illi per affectum inhęremus: sed etiam quia occupati temporalibus bonis, quæ nos vndique circumstant, & obruunt, facillimè Deum obliuiscimur, & corde arido vix nomen Dei in Psalmis, & sacris pedibus per linguam sonamus. Hæc igitur causa est, cur Spiritus sanctus in Sacris literis, vt modo dicebamus, tam sæpè nos hortetur, vt quęramus Deũ: *Quærite Deum, & viuet anima vestra, Psal.68.* &, *Quærite faciem eius semper, Psal.104.* &, *Bonus Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum, Thren.3.* &, *Quærite Dominum dum inueniri potest, Isaiæ 49.* &, *In simplicitate cordis quærite illum, Sap.1.* &, *Cùm quæsieris Dominum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris, Deut.4.*

B Porrò sollicitudo hæc Deum quærendi, quamuis omnibus fidelibus communis esse debeat: tamen magis propriè ad Prælatos Ecclesiarum pertinet. quod sancti Patres Augustinus, Gregorius, & Bernardus, præter cæteros, testantur. ij siquidem disertis verbis scribunt, non posse Prælatum & alijs prodesse, nisi in meditationem rerum diuinarum, & propriæ mentis refectionem diligenter incumbat. Sanctus Augustinus in lib.19.c.19. de Ciuitate Dei: *Ocium sanctum*, inquit, *quærit Charitas veritatis: negotium iustum suscipit necessitas charitatis. sed nec sic omnimodò veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur ista suauitas, & opprimat ista necessitas.* Et idem S. Augustinus in Confessionibus *lib.10. cap.40.* de se ipse loquens, & de frequenti sua meditatione Dei ex creaturis: *Sæpè*, inquit, *istud facio. Hoc me delectat, & ab omnibus actionibus necessitatis, quantum relaxari possum, ad istam voluptatem refugio.* Sanctus Gregor. in lib.2. par. c.5. de cura pastorali ait: *Sit Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus: vt & per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque inuisibilia appetendo transcendat.* & addit eodem in loco S. Gregorius exemplum Moysis & Christi. Moyses enim frequenter tabernaculum intrabat, & exibat. intrabat videlicet, vt arcana Dei consideraret. exibat, vt proximorum infirmitates portaret, & Christus ipse per dies concionando, & miracula patrando proximorum saluti vacabat, sed noctes insomnes orando & contemplando ducebat. *Erat enim*, inquit sanctus Lucas cap.6. *pernoctans in oratione Dei.* Denique alia multa his similia in cap. vltim. eiusdem libri legi possunt.

Porrò S. Bernardus, vt Eugenium Papam, suum quondam discipulum serio admoneret, vt nõ totum se actioni daret, sed quotidie certò tempore se colligeret, ac sancto ocio, & cælesti pabulo frueretur, scripsit libros quinque de Consideratione, in quibus non solum exhortatur illum ad assiduam meditationem rerum cœlestium, sed etiam rationem, & modũ meditandi, & meditando ascendendi, & ascendendo transformandi se in Deum, per intellectum & affectum perspicuè tradit. Neque admittit excusationem, quam ille obtẽdere poterat, & quam multi hoc tempore obtendunt, nimias videlicet occupationes, quæ Pontificale officium comitantur, nõ relinquere tantum ocij, vt meditationi rerum diuinarum Prælatus vacare possit. certè enim nemo tenetur externis negotijs ita totum se tradere, vt non relinquat sibi tempus corpus reficiendi cibo, & potu, & captandæ per somnum quietis. Et si corpus hanc refectionem, & quietem iustè petit, quantò magis spiritus cibum, & somnum suũ iure optimo petet? neque enim sine hac refectione rectè fungi officio suo in tanta mole maximorum negotiorum vllo modo potest. Porrò cibus animæ oratio est, & somnus contemplatio, per quã disponuntur ascensiones in corde, vt videatur Deus Deorum in Sion: quomodo in valle lachrymarũ videri potest. Scala verò ascensionis in Deum nulla videtur nobis mortalibus patere posse, quam per opera Dei: qui enim singulari Dei dono per aliã viam in paradisum admissi audierunt arcana Dei, quæ non licet homini loqui, ij non ascẽdisse, sed rapti fuisse dicendi sunt, quod de se B. Paulus apertè confitetur, cùm ait 2. *Cor.12. Raptus sum in paradisum, & audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

Posse autem hominem per opera Dei, id est, per creaturas ascendere ad notitiam, & amorẽ Creatoris, docet liber Sapi.c.13. & Apostol. ad Rom. c.1. & ratio ipsa satis confirmat, cum ex effectis causa efficiens, & ex imagine exemplar cognosci possit: & dubiũ esse nequeat, res omnes creatas esse opera Dei, & hominem, atque Angelum, non solum opera, sed etiam imagines Dei esse, Scriptura sancta nos doceat.

C Ego igitur his rationibus excitatus, in aliquantula requie à publicis negotijs mihi concessa, & S. Bonauenturæ exemplo admonitus, qui in simili recessu scripsit itinerarium mẽtis in Deum, tentaui scalam ex creaturarũ consideratione cõficere, per quam vtcunq; ad Deũ possit ascẽdi. eam verò quindecim gradibus distinxi ad similitudinem quindecim graduum, quibus ascendebatur ad templum Salomonis, & quindecim Psalmorum, qui graduales dicuntur.

SCALAE ASCENSIONIS IN DEVM

GRADVS PRIMVS.

Ex consideratione Hominis.

CAPVT I.

D SI quis verè cupiat scalas in Deum erigere, à sui ipsius consideratione incipere debet. Vnusquisque enim nostrũm, & creatura, & imago Dei est; & nihil nobis vicinius est, quam nos ipsi. Itaque non sine causa Moyses ait, *Deut.24. Attende tibi.* in quæ duo verba insignem sermonem scripsit Magnus Basilius. Qui enim se totum circumspexerit, & quæ intra se latent, cõsiderauerit, inueniet quasi compendium mundi totius, vnde ad effectorem rerum omnium non difficulter ascendet.

Sed ego in præsenti nihil aliud inuestigare decreui, nisi quatuor communes causas.

1. *Quis sit auctor meus.*

2. *Ex qua materia me fecerit,*
3. *Quam formam mihi dederit,*
4. *Et ad quem finem me produxerit.*

Nam si quæram auctorem meum, inueniam solum Deum; si quæram materiã vnde me fecerit, inueniam omninò nihil; vnde colligam quicquid in me est, à Deo factũ esse, & totum Dei esse; si quæram formã, inueniã me esse imaginẽ Dei; si finẽ quæram, inueniam ipsum eundem Deũ, esse summũ, & totum bonum meũ. Itaq; intelligam tantam esse mihi cõiunctionẽ, & necessitudinẽ cum Deo, vt ipse solus mihi sit conditor ipse auctor, ipse Pater, ipse exemplar, ipse beatitudo, ipse omnia. Et si hoc intellexero, quomodo fieri poterit, vt non ardentissimè illum quæram? illum cogitem? illum suspirem? illum videre & complecti desiderem? vel, vt nõ exhorream tam densas tenebras cordis mei quod tam longo tempore nihil minus cogitauit, aut desiderauit, aut quæsiuit, quàm Deum, qui solus mihi est omnia?

Cap. 5. Sed paulò diligentius singula consideremus: Rogo te, anima mea, quis tibi dedit, vt esses, cùm antè nõ multum tẽpus nihil esses? certè nõ te parentes carnis tuæ genuerunt; quia quod natum est ex carne, caro est; tu autem spiritus es: neque te cælum, aut terra, aut sol, vel sydera produxerunt, illa enim corporea sunt, tu incorporea es: neq; verò Angeli, aut Archãgeli, aut creatura alia spiritualis tibi, vt esses, auctores esse potuerunt, quia tu nõ ex materia aliqua, sed planè ex nihilo creata es: non potest autẽ nisi Deus omnipotens, ex nihilo aliquid facere. Ille ergo solus sine socio, sine ministro, manibus proprijs, quæ sunt eius intelligẽtia & voluntas, te quando voluit, procreauit. Sed fortasse corpus tuum non ipse Deus, sed res creatæ produxerunt: ita vt anima Deum, corpus verò parentes auctores agnoscere debeat. non ita est: sed Deus ipse, quamuis parentes homines ad carnem gignendam, vt infimos administros ad domum fabricandã adhibeat, tamen ipse Architectus, ipse auctor, ipse verus Pater nõ solum animæ, sed etiam corporis, atque adeo totius hominis esse, & dici voluit. Nam si genitores carnis tuæ, veri auctores, & quasi architecti corporis tui essent, scirent vtique quot sint in corpore humano musculi, quot venæ, quot nerui, quot ossa maiora, quot minora, quot humores, quot sinus, & alia id genus multa, quæ omninò ignorant, nisi fortè ex anatomica arte didicerint. Prætereà cum corpus ægrotat, vel membrum arescit, aut præciditur, certè possent illa ipsa arte, qua primum condiderunt, iterum instaurare, si veri auctores essent: quo modo qui horologia componunt, aut domos ædificant, nôrunt etiam temperare, vel instaurare. At parentes nihil horum valent aut sciunt. Adde quod coniunctio animæ cum corpore, quæ præcipua pars est affectionis humanæ naturę, à nullo fieri potuit nisi ab artifice potentiæ infinitæ. qua enim arte coniungi potuit spiritus cum carne, tam arcto vinculo, vt vna substantia efficerentur, nisi diuina? corpus enim cum spiritu nullam similitudinem, vel proportionem habet. Ergo ille fecit, qui facit mirabilia magna solus.

Verè igitur Spiritus Domini per Moysem

A loquitur in Deuteronomio: cap. 32. *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te?* & per S. Iob: cap. 10. *Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me,* & per Prophetam Regium: Psalm. 118. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me,* & rursus Psal. 138. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuã.* & sapientissimam fœminam puerorum Machabæorum Matrem, 2. Machab. 7. *Nescio quomodo in vtero meo apparuistis? neque enim spiritum & animam donaui vobis, & vitam: & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem.* Hinc videlicet Sapientia Dei, Christus Dominus dicebat, Matth. 23. *Patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim Pater vester, qui est in cælis.* cuius admonitione S. Augusl. *lib. 9. Confess. c. 6.* de filio suo Adeodato, quem ex fornicatione genuerat, dicebat

B Deo: *Tu benefeceras eum; nam ego in illo puero, præter delictum, nihil habebam.*

Agè nunc, anima mea, si Deus auctor tibi corporis & animæ est, si ille tibi Pater, si baiulus, si nutritius: si quicquid es, illius es: si quicquid habes, ab illo habes: & quicquid speras, ab illo speras: cur de tanto parente non gloriaris? cur illum non toto corde diligis? cur propter illum non omnia terrena contemnis? cur finis tibi dominari cupiditates vanas? Leua oculos tuos ad eum, noli timere, quid faciat tibi hostis tuus super terram, cum Patrem habeas omnipotentem in cælis. Quanta putas fiducia, & quanto affectu dicebat Dauid: *Tuus sum ego, saluum me fac.* O si cogitares anima, quid sit,

C quod omnipotens, & sempiternus Deus, qui bonorum tuorum non eget, & si tu pereas nihil ipse perdit: tamen oculos suos non auertit à te, & sic amat, sic protegit, sic dirigit, sic fouet, ac si tu esses magnus thesaurus eius: certè fiduciam totam in illo poneres, timeres vt Dominum, amares vt Patrem, neque vllum esset tam ingens temporale bonũ, aut malum, quod te posset ab eius charitate diuellere.

Cap. 3. Veniamus ad materiam ex qua homo formatus est. Illa quidem vilissima est, sed quo est vilior, eo nobis materiam aptiorẽ tribuit formandi in nobis virtutem humilitatis, qua virtute nulla est in hac vita magis vtilis, & magis rara, ac per hoc magis pretiosa & maiori desiderio appetenda.

Et sanè de materia animæ dubitari non potest, quin sit ipsum nihil: quo nihil vilius, &

D inanius fingi, vel cogitari potest. Corporis materia proxima quid est, nisi sanguis menstruus? res adeò fœda, vt refugiant eum oculi cernere, & manus contingere, & horreat etiam animus cogitare. Materia ex qua primus homo formatus fuit, quid aliud, nisi terra rubra & sterilis siue puluis, & lutum fuit? *Formauit,* inquit Scriptura, Gen. 2. *Deus hominem de limo terræ,* & iterum dixit homini Deus: *Puluis es, & in puluerem reuerteris, Gen. 3.* Quare Patriarcha Abraham memor vilitatis suæ dicebat ad Deum, Gen. 18. *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.* Sed neque hic est finis vilitatis materiæ humanæ. Ipse enim limus, siue puluis, non ex alia materia, sed ex nihilo prodijt. In principio enim creauit

uit DEVS cælum, & terram; & certè non ex alio cælo, & terra: sed ex nihilo fecit: ergo ad nihilum redigitur id, vnde prodijt animal hoc superbum, quod dicitur homo, siue animam, siue corpus considerare velis. Nihil igitur est in homine, vnde gloriari possit, quasi illud non acceperit à Deo. Opera quidem hominum, quæcunq; illa sint, siue ex ingenio, siue ex labore prodeant, semper aliquid habent ex se: de quo si sensum haberent, contra factorem suũ gloriari possent. siquidem vas aureũ, arca lignea, domus eburnea, vel marmorea, si loqui possent, dicerent vtiq; opifici suo: tibi debeo formam, sed nõ materiã, & pretiosius est quod ex me habeo, quam quod à te accepi. Homo verò, qui nihil ex se habet, & ex se nihil omninò est, in nullo gloriari potest. Et verissimè dicit Apostolus, Gal. 6 *Qui existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* &, 1. Cor. 4. *Quid habes: quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi nõ acceperis?* Cui cõsonat S. Cyprianus. *Lib. 3. ad Quirinum c.* 4. cùm ait: *In nullo gloriandum; quando nostrum nihil est.* At, inquies, multa præclara opera faciunt homines, ob quæ meritò laudantur, vt virtus laudata crescat. Ita est, multa præclara opera faciunt homines, ob quę laudari, & gloriari possunt, sed in Domino, non in se: sicut scriptum est, 2. Cor. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur,* & Psalm. 33. *In Domino laudabitur anima mea.* Quæro enim, cum egregium opus homo facit, ex qua materia facit? qua virtute facit? quo dirigente & adiuuante facit? certè ex materia facit, quam Deus, non quam ipse homo creauit. ex ea virtute facit, quam Deus illi dedit, non quam ipse sibi peperit. Et dirigente, & adiuuante Deo facit, sine cuius directione & adiutorio nihil boni faceret. multa enim bona facit in homine, sine homine Deus, sed nihil boni facit homo, quod non faciat Deus, vt faciat homo, vt habetur in Concilio II. Arausicano c. 20. Itaque dignatur Deus ministerium hominis adhibere in rebus bonis faciẽdis, quæ per se facere posset, vt hinc magis debitorem Deo se fateatur homo, non vt superbiendo in se, sed in Domino glorietur.

Ergo, anima mea, si sapis, recumbe semper in nouissimo loco, noli furari gloriam Dei, nec in modico, nec in maximo, descende ad nihilum tuũ, quod solum est tuũ, & totus mũdus in superbiam erigere te non poterit. Sed quoniam hæc pretiosa virtus humilitatis verè de mundo iam penè recesserat, & nec in libris Philosophorũ, nec in moribus gentium inueniebatur, Magister humilitatis de cælo venit, *& cum in forma Dei esset æqualis Patri, exinaniuit semetipsum formã serui accipiens, & humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortẽ* Phil. 2. & humano generi dixit, Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Quare, anima mea, si forte erubescis imitari humilitatẽ hominum, non erubescas imitari humilitatem Dei, qui nec fallere, nec falli potest, & Iacob 4. *qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Cap. 4. Sequitur nunc, vt formam consideremus, quæ est tertia causarũ. Et quidẽ quanto materia, ex qua factus est homo, vilior est, tanto forma, quę homini data est, pretiosior & excellentior inuenitur. Omitto formam corporis exteriorem, i. figuram corporis humani, quæ suam habet eminentiam super omniũ animantiũ figuras, hęc enim forma nõ substantialis, sed accidentaria est. Forma igitur hominis substantialis, quæ facit illũ esse hominẽ, & ab animantibus cæteris distinguit, anima est immortalis ratione & libero arbitrio prædita, Imago Dei, ad exẽplar summæ diuinitatis expressa. Sic enim legimus, *Gen.* 1. dixisse Deum, cum hominẽ formare vellet, *Faciamus hominẽ ad imaginẽ, & similitudinẽ nostrã, & præsit piscib. maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq; reptili, quòd mouetur in terra.* Homo igitur imago Dei est non ratione corporis, sed ratione spiritus: Deus enim spiritus est, nõ corpus. *Et ibi est imago Dei,* inquit S. Basilius *Hom. in hexam.* 10. *vbi est id, quod imperat animantibus cæteris,* imperat autẽ homo bestijs, non per corporis mẽbra, quæ valentiora sunt in multis bestijs, quam in homine, sed per mentem ratione & libero arbitrio præditam. Præest enim homo animantibus cæteris, nõ per id quod habet commune cum illis, sed per id, quo distinguitur ab illis, & per quod similis factus est Deo.

Erige nunc, anima mea, mentem ad exemplar tuum, & cogita, omne bonum imaginis in similitudine ad exemplar suum positum esse. Nam si fortè deforme sit exemplar, quale diaboli fingi solet, tum etiam bonum imaginis est exẽplar suum deforme aptè repræsentare. Itaque deformitas in exemplari, deformitas erit, deformitas in imagine pulchritudo erit. Sed si exemplar quoque sit formosum, pretiosissima erit imago, si pulchritudinem exemplaris pulchritudine sua, quã maximè fieri poterit, imitetur; & si imago sensum haberet, nihil magis optaret, quam perpetuò exemplar suum aspicere, & ad illius imitationem se componere, & illi quam simillima fieri.

Exemplar tuum, ô anima, Deus est, pulchritudo infinita, *lux, in qua tenebræ non sunt vllæ,* I. Ioan. 1. cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, ac vt facilius pulchritudinẽ tanti exẽplaris imitari, illiusque similitudinem concùpiscere, & modis omnibus procurare valeas, in qua re tota perfectio tua, tota vtilitas, totus honor, totum gaudium, tota quies, totum denique bonum tuũ positum est: cogita pulchritudinẽ Dei exemplaris tui, in sapientia, & sanctitate consistere. Quomodo enim pulchritudo corporis ex proportione membrorum, & coloris suauitate cõsurgit: sic in substantia spirituali, coloris suauitas lux sapientiæ est, membrorum proportio iustitia est: sed per iustitiã non virtus aliqua particularis, sed illa vniuersalis intelligitur, quæ virtutes omnes continet. Ille igitur spiritus pulcherrimus est, cuius mẽs luce sapientiæ fulget, & cuius voluntas perfectæ iustitiæ plenitudine pollet. Deus autem, tuum, inquam, exemplar, ô anima, ipsa sapientia, ipsa iustitia est, ac per hoc ipsa pulchritudo est. Et quoniam vtrunq; bonum nomine sanctitatis in scriptis significatur, ideo apud Isaiã, cap. 6. Angeli Deo acclamant. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* & ipse DEVS ad imagines suas clamat, Leuit. 11. *Sancti estote,*

quoniam

quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester. & in Euangelio Dominus. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est,* Matth. 6.

Ergo si cupis, Anima, vt vera imago Dei, exemplari tuo quam simillima fieri, oportet te sapientiam, & iustitiam præ omnibus rebus amare. Sapientia vera est iudicare de rebus omnibus secundùm altissimam causam. altissima causa est voluntas diuina, siue lex, quæ voluntatem Dei hominibus manifestat. Itaque si sapientiam amas, oportet te in rebus omnibus non audire quid lex carnis dictet, quid sensus iudicent esse bonũ, quid mundus probet, quid cognati suadeant, ac multò minus, quid adulatores proponant, sed obsurdescas his omnibus, & solum attendas ad voluntatem Domini Dei tui: atq; illud vtile, gloriosum, appetibile, bonum deniq; omni ex parte tibi esse iudices, quod est cõforme voluntati, ac legi Dei. Hæc est sapientia Sanctorum, de qua scripsit Sapiens cap. 7. *Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam, quoniam extinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.*

Porrò iustitia, quæ altera pars est pulchritudinis spiritualis, omnes quidẽ virtutes complectitur, quæ voluntatem ornant, & perficiunt, sed præcipuè charitatem, quæ mater & radix est omnium virtutum, & de qua sanctus August. cap. 70. in lib. de nat. & gratia extremo ita loquitur: *Inchoata charitas, inchoata iustitia est: prouecta charitas, prouecta iustitia est: perfecta charitas, perfecta iustitia est:* nam Rom. 13. *qui diligit, legem impleuit, quia dilectio malum non operatur:* & ideò *plenitudo legis est dilectio,* vt docuit Apostolus 1. Ioan. 2. & contra, *qui seruat verbum eius,* id est, mandata eius, *verè in hoc charitas Dei perfecta est,* vt loquitur S. Ioannes. Qui ergo volunt exemplari diuino similes fieri, obedire debent dicenti: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione,* Ephes. 5. Filius enim imago est Patris, & imaginis totum bonum, vt suprà diximus, est suo exemplari esse simillimam.

O si hæc planè intelligeres, anima, & exemplari tuo per veræ sapientiæ, veræque iustitiæ pulchritudinem similis effecta, placeres oculis summi Regis: quanta pace fruereris? quo gaudio exultares? quàm facilè omnia mundi oblectamenta contemneres? contra verò, si cogitares, quam vehemẽter indignetur Deus, cum videt, imaginem suam destitutam luce sapientiæ, & decore iustitiæ, inquinari, fœdari, obscurari, & hominem in tanto honore positũ, vt similis esset Deo, *comparari nunc iumentis insipientibus, & similem illis factum esse,* Psalm. 48. certè horreres, & contremisceres, nec posses vllo modo quiescere: donec fluminibus lachrymarum ex amarissima cõtritione manantibus maculas omnes abstergeres, & ad similitudinem pulcherrimi exemplaris tui redires. Sed quia interim dum peregrinaris à Domino, *& per fidem ambulas, & non per speciem,* 2. Cor. 5. indiges continuò ipsius Domini adiutorio, tum vt in similitudine iam acquisita permaneas, tum vt quotidie similior, id est, formosior, lucidiorque reddaris. Ingemisce ex toto corde ad Deum, atque dicito: O Domine sanctè, & misericordissimè, cui placuit, hanc animam meã, imaginẽ tuam facere, perfice, quæso te, imagunculam tuam, adauge sapientiam, adauge iustitiã, absconde eam in abscondito tabernaculi tui, vt neque luto carnalis cõcupiscentiæ, neque fumo sæcularis honoris, neque puluere terrenarum cogitationum fœdari valeat. atque hactenùs de forma.

Cap. 5. Restat vltima causa, quæ finis dicitur. Porrò finis, ad quem creatus est homo, non alius est, quam ipse idem Deus. Sed quia duplex est finis, alter intrinsecus, alter extrinsecus, vtrunque seorsim breuiter consideremus. Finis intrinsecus vniuscuiusque rei est status perfectus, ad quem res illa peruenire potest. Finis intrinsecus palatij est ipsum complemẽtum, & perfectio ipsa palatij: tunc enim finitum esse dicitur, cum nihil ei deest eorum, quæ palatij structura requirit. finis intrinsecus arboris est status perfectus, quem eius natura requirit, tũc enim finem suũ attigisse dici potest arbor, cùm ramos extendit, & folia produxit, & floribus ornata est, ac paulò pòst pomis, iisque maturis onerata cernitur. Homo igitur, qui ad finem celsissimum creatus est, tunc finem suum consecutus dici poterit, cùm mens eius Deũ videbit, sicuti est, quã visionem sciẽtia rerũ omniũ cõsequetur, & volũtas ipso summo bono ardẽtissimè amato, & desiderato fruetur, & corpus immortalitate, & impassibilitate, aliisque dotibus gloriosis præditum perpetua pace, & lætitia potietur. Et quoniam essentia huius finalis beatitudinis est visio Dei, per quam imagines Dei nos, inquam, ipsi ad perfectum statum, perfectamque similitudinem cum exemplari nostro diuino perueniemus; ideò scribit Beatus Ioannes: *Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus enim, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est,* 1. Ioan. 3.

O si posses, anima, cogitare quid hoc sit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est: quàm citò nebulæ omnes terrenarum cupiditatum dissiparentur. Deus beatissimus est, & ideo beatissimus, quia semper videt seipsum, sicuti est, seq; ipso summo bono clarissimè viso, & ardentissimè amato sine vlla cessatione ab ipsa æternitate fruitur. Hoc inæstimabili bono, te quoq; cum Angelis sanctis participẽ esse voluit. Ad hũc finem sublimissimũ, & celsissimum te creauit. Hoc significat illud, Matt. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* id est, sis particeps gaudij quo Deus ipse gaudet. & illud, Lucæ 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo,* id est, participes vos faciam regni mei, & regiæ mensæ meæ, vt fruamini illo honore, illa potestate, & illa voluptate, qua fruor ego, & qua fruitur Pater meus Deus. Et quis cogitare potest, quantus sit honor, quanta potestas, quanta voluptas, quanta felicitas Regis omnium Regum, & Domini omnium Dominorum, Domini Dei nostri? Certè qui ad hanc tantam finis nostri altitudinẽ cogitatione, speque conscenderet, erubesceret omninò de terræ possessione litigare, vel ob quamcunque iacturam temporalium rerum affligi: vel de lucris tẽporalibus gaudere: erubesceret, inquam,

inhiare voluptatibus, quibus inhiant pecora, A qui factus est comes Angelorum, & particeps amicitiæ Dei, & inæstimabilium bonorum eius, quoniam amicorum omnia sunt communia.

Cap. 6. Iam verò finis extrinsecus vniuscuiusque rei est ille, cuius gratia res facta est. Finis palatij, habitator eius: finis arboris, possessor eius: finis hominis, solus Dominus Deus eius: ipse enim hominem fecit, de suo fecit, pro se fecit, ipse conseruat, ipse pascit, ipse stipendium soluit. Itaque meritò iubet ac dicit *Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis, illi soli seruies.* Sed attende anima diligenter. res cæteræ, quæ propter hominem factæ sunt, ipsi homini vtiles sunt, non sibi; B homini laborant iumenta, non sibi; hominis cellam, & horreum, & marsupium implent agri, vineæ, horti, non suum; denique seruorum est labor, & sudor, & fatigatio: Domini autem lucrum & quies & voluptas. At Dominus Deus tuus, qui nulla re indiget, seruire quidem sibi vult hominem, sed vtilitatem, & lucrum, & præmium seruientis hominis esse vult, non suum.

O Domine suauis & mitis, & multæ misericordiæ, Psalm 85. quis non toto corde seruiat tibi, si dulcedinem paterni dominij tui, vel modicum degustare incipiat? quid iubes Domine seruis tuis? *Tollite*, inquis, *iugum meum super vos.* & quale est iugum tuum. *iugum*, inquis, *meum suaue est, & onus meum leue. Matth. 11.* C Quis non libentissime ferat iugum, quod non premit, sed fouet, & onus quod non grauat, sed reficit? meritò igitur addidisti, *& inuenietis requiem animabus vestris.* Et quod est iugum tuum, quod non fatigat, sed requiem adfert? nempè mandatum illud primum & maximum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matt. 22.* Quid enim facilius, suauius, dulcius; quàm diligere bonitatẽ, & pulchritudinem, & amorem, quod totus es tu Domine Deus meus? Rectè iudicauit seruus tuus Dauid *Psalm. 16.* qui mandata tua esse censuit *desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum.* & addidit: *Et in custodiendis illis retributio multa.* Quid est hoc, Domine? etiamne præmium polliceris custodientibus mandata desiderabilia super aurum multum, & dulciora super mellis fauum? Ita omnino præmium, & præmium amplissimum D polliceris, dicente Apostolo tuo Iacobo *c. 1. Coronam vitæ præparauit Dominus diligentibus se.* Et quid est corona vitæ: nempè maius bonum, quàm vel cogitare, vel desiderare possimus. Sic enim loquitur B. Paulus. *1. Cor. 2.* ex Isai. *c. 64. Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum.* Verè igitur in custodiendis mandatis tuis est retributio multa. Nec solùm mandatum illud primũ & maximum vtile est homini obediẽti, non Deo iubenti: sed etiam cętera mandata Dei, obediẽtem perficiunt, ornãt, erudiũt, illustrãt, bonum deniq; ac beatum reddunt. Quare si sapis, intellige te ad gloriam Dei, & salutem tuam æternam esse creatum, hunc esse finem tuum; hoc centrum animæ tuæ, hunc thesaurum cordis tui. Ad hunc finem si perueneris, beatus eris: si ab illo excideris, miser eris. Proinde illud tibi verè bonum existimes, quod ad finem tuum perducit: illud verè malum, quod à fine te facit excidere. Prospera & aduersa, opes, & inopia, sanitas, & ægrotatio, honores, & ignominiæ, vita, & mors apud sapientem; nec per se expetenda, nec per se fugienda sunt. Sed si conferunt ad gloriam Dei, & sempiternam felicitatem tuam, bona sunt, & expetenda: si eandem impediunt, mala sunt, & fugienda.

GRADVS SECVNDVS.

Ex Consideratione maioris Mundi.

CAPVT I.

SCALAE ascensionis in Deum gradum primum construximus ex consideratione hominis, qui dicitur Mundus minor: nunc secundum gradum superstruere consilium est ex consideratione molis huius maximæ, quæ maior Mundus dici solet. Scribit quidem S. Greg. Nazianz. in 2. oratione de Pascha, Deum cõstituisse hominem, quasi mundũ magnum in paruo, quod est verum, si à Mundo segregemus Angelos, est enim homo maior toto Mundo corporato, non mole, sed virtute: sed si in Mundo comprehendantur Angeli, vt nos hoc loco comprehendimus, paruus Mundus est homo, in Mundo maiore constitutus. In hoc igitur magno mundo, qui rerum vniuersitatem complectitur, multa sunt planè admirabilia, sed hæc potissimum, magnitudo, multitudo, varietas, efficacitas, & venustas. Quæ omnia, si Deo illuminante, attentissimè cogitentur, non paruam vim habent, ad animam sic eleuandam, vt in admiratione immensæ cuiusdam magnitudinis, & multitudinis, & varietatis, & efficacitatis, & pulchritudinis quasi deficiat: & ad se reuersa quicquid extra Deum videt, quasi nihilum & inane despiciat.

Magnus certè est orbis terrarum, adeò magnus, vt Ecclesiasticus dicat *cap. 1. Latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?* & hoc ipsum etiam ex eo potest intelligi, quod in tot millibus annorum, qui fluxerunt ab orbe condito, nondum tota superficies terræ (hanc enim latitudinem terræ vocat Ecclesiasticus) nostris hominibus, eam assiduè inquirentibus, innotuerit. Et quanta quæso est moles terræ, si ad cœli supremi ambitum comparetur? Instar puncti dicitur ab Astrologis, nec immeritò. Videmus enim solares radios, per interpositam terram, ita pertingere ad stellas firmamenti oppositas, ac si terra nihil omnino esset. Et si stella quęlibet firmamenti; maior est toto orbe terrarum, vt Sapientum communis opinio est, & tamen nobis, ob infinitam propè distantiam stellæ illæ minutissimæ videantur, quis cogitando assequi poterit amplitudinem cœli, vbi tot millia stellarum lucent? ergo si de superficie, & profunditate terræ Ecclesiasticus dixit, *cap. 1. Latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est?* quid quæso de superficie exteriore cœli, & de profundo Mundi totius à summo cœlo vsque ad inferos diceret? Omnino tanta est moles corporalis Mundi huius, vt nulla mens, nulla cogitatio eam assequi possit.

Age nunc, anima mea, interrogo te, si tantus est Mundus, quantus est, qui fecit Mundum? Magnus Dominus, & magnitudinis eius non est finis. Audi Isaiam *cap.40. Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ?* Vbi S.Hieronymus ex versione Aquilæ, per pugillum dicit, intelligi minimum digitum, vt sit hæc sententia, Aquam totam, quæ minor est, quàm terra, vno digitulo Dei mensurari, molem terræ, tribus digitis, cœlum, quod maius est terra, & aqua, simul iunctis, palmo ponderari. Atque hæc quidem metaphorica sunt, cùm spiritus sit Deus, & nec digitos, nec palmos propriè habeat: sed Scriptura tamen his comparationibus satis ostendit, multò maiorem esse Deum, quàm sit creatura eius, quod magis expressè significauit Salomon, cum ait, 2.*Paral.6. Cælum, & cæli cælorum non te capiunt.* Quod ideò verum est, quia si Mundus alius crearetur, illum quoque repleret Deus, & si plures Mundi, vel etiam infiniti fierent Mundi, illos omnes Deus impleret. Neque existimes, anima mea, Deum tuum sic implere Mundum, vt pars Dei sit in parte Mundi, & totus in toto Mundo. Deus enim partes non habet, sed totus est in toto Mundo, & totus in qualibet parte Mundi. Proinde vbique præsens est cum omnipotẽtia, & sapientia sua. Ideoque si fidelis illi fueris, etiamsi consistant aduersus te castra, non timebit cor tuum. quid enim timeat, qui apud se habet Patrem amicum, sponsum omnipotentem, & omnia videntem, & ardentissime amantem? Sed si merito culpæ tuæ iratum habeas Deum iudicem, & inimicum omnipotentem, & omnia videntem, & peccata implacabili odio detestantem, tum verò iure timere debes timore horribili, & nullam requiem dare oculis tuis, nec pedibus tuis, nisi Deo placato per veram pœnitentiam respiraueris in luce miserationum eius.

Capvt II.

Iam verò multitudinem rerum creatarum ab vno Deo conditore cœli, & terræ quis enumerabit? *arenam maris, & pluuiæ guttas*, inquit Ecclesiasticus *cap.1 quis dinumerauit?* Sed omissis rebus istis minutissimis, quot sunt intra terram, & maria metalla auri, & argenti: æris & plumbi, & lapides pretiosi, ac gemmæ, & margaritæ? Quot supra terram genera, & species, & indiuidua herbarum, fruticum, plantarum? & quot in singulis partes? quot etiam genera, species, & indiuidua amantium perfectorum, imperfectorum, quadrupedum, reptilium, volatilium? quot in mari genera, species, indiuidua piscium? quis enumeret? quid de multitudine generis humani, de quo scriptum est *Psalm.11. Secundùm altitudinem tuam multiplicasti filios hominum?* quot denique sunt in cœlo sydera? quot supra cœlum Angeli? nam de stellis in veracissima Scriptura legimus: *Numera stellas, si potes, Genes.15.* Et alibi comparat multitudinem stellarum cum multitudine arenæ maris *Genes.22.* quam satis constat esse innumerabilem. De Angelis verò scribit Daniel *cap. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Et sanctus Thomas 1. part. quæst. 50. artic. 3. cum sancto Dionysio affirmat, Angelorum multitudinem tantam esse, vt rerum omnium materialium multitudinem superet. Hæc igitur propè infinita rerũ multitudo ab vno Deo omnipotente condita demonstrat in ipsa diuina essentia esse perfectiones omnino infinitas. Voluit enim Deus ab homine per creaturas suas vtcunque cognosci. & quia non poterat vlla creatura, infinitam creatoris perfectionem aptè repræsentare, creaturas multiplicauit, & singulis bonitatem, & perfectionem aliquam tribuit, vt inde iudicium fieret de bonitate, & perfectione creatoris, qui infinitas perfectiones sub vnius simplicissimæ essentiæ perfectione complectitur, ad eum ferè modum quo nummus aureus continet valorem multorum nummorum æreorum.

Ergo anima mea, quicquid oculis, aut cogitationi occurrit, quod admirabile videatur, scala tibi sit ad perfectionem conditoris agnoscendam, quæ sine vlla comparatione maior, & mirabilior est. Ita fiet, vt res creatæ, *quæ factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium*, vt Sapientia docet c.14. non decipiant, sed erudiant, nec te deijciant, sed gradum tibi ad meliora faciant. Itaque si aurum, vel argentum, vel lapides pretiosi occurrant, dicas in corde tuo, pretiosior est Deus meus, qui se mihi daturum promisit, si ista contempsero. si regna, si Imperia terrena miraris: dicas in corde tuo, quantò præstantius est Regnum cœlorum, quod in æternum manet, & quod promisit diligentibus se, qui non mentitur Deus, si voluptates & delitiæ carnalem sensum titillare incipiant: dicas in corde tuo, multò iucundior est voluptas spiritus, quàm voluptas carnis, & delitiæ mentis, quàm ventris: istas enim præbet creatura mortalis, illas Deus totius consolationis, quas qui gustat dicere potest cum Apostolo, 2.*Cor.7. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Denique si quid pulchrum, nouum, insolitum, magnum, mirabile offeratur, modò discedas à Domino Deo tuo: responde securè, quidquid est in illis bonis, & multò plura, & meliora in Domino tuo sine dubitatione reperiri: ideò non esse tibi vtile, nummum æreum pro aureo, vitrum pro gemma pretiosa, parua pro magnis, certa pro dubijs, & sempiterna pro temporalibus commutare.

Capvt III.

Sed quamquam admirabilis sit multitudo rerum creatarum, & multiplicem vnius Dei perfectionem arguat: multò tamen admirabilior est varietas rerum, quæ in illa multiplicatione cernitur, & facilius ad Dei cognitionem ducit: non enim difficilè est, vno sigillo multas figuras omnino similes exprimere: nec ijsdem typis innumerabiles litteras excudere: sed variare formas infinitis propè modis, quod Deus fecit in creatione rerum, hoc planè diuinum est opus, & admiratione dignissimum. Omitto genera, & species rerum, quas constat esse maximè varias, atque diuersas. In ipsis indiuiduis herbarum, plantarum, florum, fructuum quanta varietas inest? figuræ, colores, odores, sapores, nonne infinitis modis pro-

pemodum variantur? nonne idem omninò in animantibus cernitur? sed quid de hominibus dicam, cùm in exercitu numerosissimo vix inueniantur duo homines omnino similes? quod ipsum etiam in stellis & Angelis inuenitur: nam & *stella à stella differt in claritate*, 1. *Cor*. 15. vt Apostolus testatur in priore ad Corinthios, & S. Thomas 1. *p. q.* 50. *art*. 4. affirmat Angelos, quamuis sint in maiore numero, quàm res corporales, tamen omnes inter se, non solùm indiuiduali numero, sed etiam specifica forma differre.

Erige nunc, anima mea, oculos mentis ad Deum, in quo sunt rationes omnium rerum, & vnde tamquam ex fonte infinitæ vbertatis manauit illa penè infinita varietas. neque enim Deus innumerabiles istas rerum formas in rebus creatis potuisset imprimere, nisi in sinu essentiæ suæ rationes earum modo eminentissimo, & altissimo contineret. Meritò igitur exclamat Apostolus *ad Rom*. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*. Verè enim puteus est infinitæ profunditatis, in quo latent thesauri diuitiarum sapientiæ, & scientiæ, quæ tantam rerum varietatem parere potuit. Meritò quoque sanctus Franciscus diuino lumine illustratus dicebat Domino: *Deus meus, & omnia*. quoniam varia bona, quæ in rebus creatis inueniuntur sparsa, atque diuisa, in vno Deo inueniuntur modo quodam meliore, & altiore collecta. Sed dices, anima: Ista quidem vera esse videntur: sed bona creata videmus oculis; manibus tangimus, ore gustamus, re ipsa possidemus, illisque fruimur: Deum non videmus, non tangimus, non gustamus, non possidemus, & vix cogitatione, quasi rem longissimè positam, apprehendimus: Itaque non est mirum, si res creatę nos magis afficiant, quàm Deus. Sed si fides in te viget, & vigilat, anima mea, negare non potes, quin post hanc vitam, quæ fugit velut vmbra, si in fide, & spe, & dilectione permanseris, Deum ipsum verè, clareque visura sis, vt est in se, & illum possessura, illoque fruitura longè melius, & intimius, quàm rebus creatis nunc fruaris. Audi Dominum ipsum, *Matth*. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Audi Apostolum Paulum, 1. *Corinth*. 13. *Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Audi B. Ioannem, 1. *Epist*. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est*. Deinde quanta, rogo te, pars Mundi huius ad te pertinet? certè nec totus Mundus, nec pars media, aut tertia, aut quarta, sed vix particula quædam te contingit, eamque post breue tempus velis, nolis, dimittere cogeris. At Deū, in quo sunt omnia, totum possidebis: *& in æternū possidebis: Erit enim Deus omnia in omnib. Sanctis & beatis sine vllo fine*: 1. *Cor*. 11. Ille erit tibi vita, cibus, vestis, domus, honor, diuitiæ, delectatio, & omnia. Adde quòd Deus tuus suauis, & mitis, non iubet, vt dum in terris peregrinaris, solatio creaturarū penitùs careas, imò vt tibi seruiant, omnia cōdidit. Sed hoc iubet, vt illis vtaris moderatè, sobriè, tēperanter: & cum egentibus hilariter communices, & non tibi dominentur, sed tu eis domineris, illisque vtaris ad promerendum Deum. Ergò ardentissimè cogita, an non sit tibi vtilius, & in hac vita rebus creatis non carere, qua parte necessariæ sunt, & in altera creatore ipso, in quo (vt sæpè dixi) omnia sunt, in sempiternum frui: an verò in hac vita in acquisitione temporaliū rerum vehementissimè laborare, & nunquam earum copia satiari, & in altera temporalibus omnibus bonis repentè destitui, & ad æterna bona nunquam peruenire. Adde denique Deum non ita longè abesse à dilectoribus suis, vt non etiam in hac vita delectationes magnas illis tribuat, & maiores, quàm dilectores Mundi in rebus creatis inueniant. Non enim falsò scriptum est, *Psalm*. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum*, & *Psalm*. 36. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, & *Psalm*. 10. *Ego verò delectabor in Domino*: & *Psal* 85. *Lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui*. Ac vt omittam cætera, cùm Apostolus ait 2. *Cor*. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in tribulatione nostra*, certè non significat, ex tribulatione nasci consolationem, & ex dolore gaudium, non enim producunt spinæ vuas, aut tribuli ficus: sed significat, ad leniendas tribulationes à Deo superinfundi amicis suis, tam puras, & liquidas, & solidas consolationes, vt cum eis temporalia gaudia comparari nullo modo possint. Illa igitur, anima, sit apud te firma cōclusio: qui inuenit Deum, inuenit omnia: qui perdit Deum, perdit omnia.

CAPVT IV.

Sequitur nunc, vt ex virtute, quam Deus rebus creatis attribuit, ad infinitam Creatoris virtutem intelligendam ascendamus. Nulla omnino res est, quę admirabilem virtutem, siue potentiam, siue efficacitatem non habeat. Terra, siue lapis terreus, si ab alto descendat, quo impetu ruit? quid non frangit, quid ei resistit? cùm vellet Spiritus sanctus in Apocalypsi describere impetum maximum? quo Babylon magna, id est, vniuersitas impiorum, in die iudicij in profundum abyssi, præcipitabitur, sic ait, & sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens *Apoc*. 18. *Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur*. Aqua verò, quæ mollis, & blanda leniter fluit super faciem terræ, quandò irascitur, & intumescit in fluminibus, vel torrentibus obuia quæque prosternit & destruit, nec solùm casas rusticorum, sed etiam portas & mœnia ciuitatum, & pontes marmoreos diruisse vidimus. Porrò venti, qui aliquando suauissimè spirant, naues maximas ad scopulos allidunt, & annosas quercus eradicant, & euertunt. Vidi ego, quod nisi vidissem non crederem, à vehementissimo vento effossam ingentem terræ molem, eamque delatam super pagum quendam: vt fouea altissima consp iceretur, vnde terra eruta fuerat, & pagus totus coopertus, & quasi sepultus manserit, ad quem terra illa deuenerat. Quid de igne dicemus? qua velocitate modicus ignis crescit in flammam tantam, vt domos, & syluas quasi momento temporis deuoret, & consumat? *Ecce*, inquit sanctus Iacobus *cap*. 3. *Quantus ignis, quàm magnam syluam incendit*. In herbis quàm multiplices latent virtutes? In lapidibus, &, præsertim magnete, &

succino, quàm admirabilis virtus cernitur? Porrò in animalibus alia robustissima esse videmus, vt Leones, Vrsos, Tauros, Elephantes, alia ingeniosissima, quamuis minutissima, vt formicas, araneas, apes, mirmicaleonem. Omitto potentiam Angelorum, virtutem Solis & stellarum, quæ procul à nobis absunt, quale tandem est ingenium hominum, quo tot artes inuentæ sunt, vt sæpè dubitemus, vtrum arti natura, an potius ars naturæ palmam concedat?

Attolle nunc, anima, oculos mentis ad Deum, & cogita quanta virtus, quanta efficacitas, quanta potentia in Domino Deo tuo sit, cui à veracissima Scriptura dicitur, *Exod.* 15. *Quis similis tui in fortibus Domine? Psal.* 135. &, *Qui facit mirabilia magna solus.* 1. *Tim.* 6. &, *Beatus, & solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quicquid enim virium res creatæ habent, à Deo habent, & tamdiu habent, quamdiu placet Deo vt habeant. Quis enim fecit, vt Ionæ in ventre ceti concluso neque maris aquæ, neque dentes ceti nocerent, nisi Deus? *Ionæ* 2. Quis conclusit ora Leonum famelicorum, vt Danielem non attingerent, nisi Deus? *Dan.* 5. Quis tres pueros in camino ignis ardentis illæsos seruauit, nisi Deus? *Dan.* 3. quis dixit vento furenti, & mari insanienti: *Tace, obmutesce, & subitò facta est tranquillitas magna*, nisi Christus verus Deus? *Marc.* 4. Ipse autem Deus, qui non habet ab alio virtutem, & potentiam, sed eius voluntas potentia est, & potentia, cui nihil resistere potest: ipse infinitã potentiã habet, & semper habet, & vbiq; habet, Et omnis hominũ potestas, cũ Dei potestate cõparata, nõ parua, & exigua, sed nulla omnino est. sic enim loquitur Isai. c. 4. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt ei.* Nonne igitur stulti sunt, qui timent res creatas, & Deum omnipotentem non timent? Et qui confidunt in virtute sua aut amicorum suorum, & in Deo omnipotente non fidunt? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* 1. *Pet.* 5. Et si Deus contra nos quis erit pro nobis?

Ergò, anima mea, si sapis, *humiliare sub potenti manu Dei*, inhære illi per veram pietatem, & non timebis quid faciat tibi homo, vel dæmon, vel creatura alia. Sed si fortè à pietate excidisti, & Deum tum ad iracundiam prouocasti, non des requiem temporibus tuis, donec inuenias pacem à Domino tuo, nimis enim *horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Heb.* 10.

Caput V.

Restat vt pulchritudinem rerum creatarum inspiciamus, de qua dixit Propheta *Psal* 91. *Delectasti me Domine in factura tua.* Et certè, quæ fecit Deus, vt bona sunt omnia; sic etiam pulchra sunt omnia, si rectè considerentur. Sed omissis alijs, consideremus ea, quæ omnium iudicio, & approbatione sunt pulchra. Certè magna est pulchritudo virentis prati, horti bene culti, amœnissimæ syluæ, maris tranquilli, sereni aeris, fontium, fluuiorum, vrbium, cœli micantis atque innumerabilibus stellis, quasi gemmis distincti. Deinde quam delectat pulchritudo arboris floribus vestitæ, & pomis onustæ? quadrupedum variorum formæ, auium volatus, piscium lusus? quid dicam de pulchritudine stellarum, & Lunæ ac potissimum de iubare illo Solis maximo, & clarissimo, quod ex ortu suo mundum exhilarat vniuersum? Sed homines, ad quos potissimum loquimur, nihil magis quàm sua ipsorum venustas, speciesque delectat: *Propter speciem mulierum multi perierunt*, inquit Ecclesiasticus *c.* 9. Vidimus sæpè, & doluimus, viros alioqui sapientissimos, fœminarum venustate tanto amore captos, & contra etiam fœminas graues, & honoratas ad eam insaniam redactas ob virorum pulchritudinem, vt rem familiarem, & dignitatem, & filios, ac parentes, & etiam vitam ipsam, addo etiam æternam salutem amori hominum formosorum posthabuerint? Nota sunt quæ de Dauide, Salomone, Sampsone in Scripturis sanctis leguntur. plenæ sunt historiæ similium exemplorum.

Ergo anima mea, si tanta est pulchritudo in res creatas à conditore Deo effusa, quanta putas, & quàm admirabilis est pulchritudo pulcherrimi conditoris? Nemo enim dare potest, quod non habet. & si Solis ac stellarum specie delectati homines luminosa illa corpora *Deos putauerunt*, inquit Sapiens *c.* 13. *sciant quantò dominator eorum speciosior est. speciei enim generator hæc omnia constituit.* Quanta autem pulchritudo Dei, non solùm certò cognoscitur ex eo, quòd omnium creaturarum pulchritudo eminentiore modo in ipso collecta reperitur: sed etiam ex eo, quòd cùm inuisibilis sit nobis, dum ab ipso peregrinamur, & solùm per fidem scripturarum, & in speculo creaturarum, vtcunque cognoscatur, multi tamen sanctorum ita exarserunt in amorem eius, vt alij in deserta loca se abdiderint, & soli contemplationi ipsius vacare voluerint, vt S. Maria Magdalena, Paulus primus eremita, magnus Antonius, & alij sine numero, de quibus Theodoretus in historia religiosa consuli potest. Alij coniuges & liberos, & quicquid in terris possidebant deserentes, in monasterijs ad aliorum nutum viuere voluerunt, vt Dei amicitia fruerentur. Alij vitam ipsam cum acerbissimo dolore libenter exponere desiderauerunt, vt ad visionem infinitæ illius pulchritudinis pertingere mererentur. Audi vnum ex illis, S. videlicet Ignatium Martyrem in epist. ad Rõ. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum Christo fruar. si ergo pulchritudo diuina, nondum visa, sed solùm credita & sperata, tantum ignem desiderij excitat, quid faciet, cùm remoto velo, vt est in se, conspicietur? Omninò id faciet, vt *Torrente voluptatis illius inebriati, Psal.* 35. neque velimus, neque possimus, vel ad punctum temporis oculos ab ea diuertere.

Et quid mirum si Angeli, & animæ beatæ semper videant faciem Patris mei, qui est in cœlo, nec visio illa tædium, vel satietatem vllam pariat; cùm ipse Deus ab æternitate pulchritudinem suam semper aspiciens in ea penitùs acquiescat, & ex ea visione beatus, nihil aliud velit, & quasi in cellam vinariam, & in

horum


hortum omnium delitiarũ ingressus, nũquam A inde exierit, neq; in æternum sit exiturus. Hãc pulchritudinem quære, anima mea, ad eam suspira die, ac nocte: dicas cum Propheta: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ps. 41. Dicas cum Apostolo: *Audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum*, 2. Corint. 5. neque timeas ex vehementi amore pulchritudinis illius inquinari; amor enim diuinæ pulchritudinis perficit corda, non inficit; sanctificat, non inquinat. Verè dicebat sanctissima Virgo, & martyr Agnes, Amo Christum, cuius Mater virgo est, cuius Pater fœminã nescit, quem cùm amauero, casta sum, cùm tetigero, mũda sum, cùm accepero, virgo sum. Sed si verè Domini tui increatam speciem cõcupiscis, oportet te implere, quod Apostolus 2. B Cor. 5. eo loco subiungit: *Ideo, inquit, contendimus siue absentes, siue præsentes placere illi.* Si placet tibi Deus, debes & tu placere Deo. Et quidem in regione viuorum, cùm præsentes erimus, illuminati fulgore eius, sine dubitatione Deo placebimus, sicut Propheta canit, Psal. 114. *Placebo Domino in regione viuorum.* Sed in hac peregrinatione tam facilè sordescimus, & inquinamur luto peccati, vt Apostolus Iacobus c. 3. dixerit: *In multis offendimus omnes.* Et Propheta Dauid, vt ostenderet, quàm rari sint immaculati in via, ad beatitudinem hoc pertinere pronunciauerit, dicens: Psal. 118. *Beati immaculati in via.* Ergo, si cupis, anima, etiam in absentia & peregrinatione placere dilecto, non satis est velle placere; sed oportet, vt Apostolus loquitur, cõtendere placere, id est, assiduo magnoq; labore C cauere maculas, quæ fœdam reddunt faciem animæ: & si quæ inhæserint, non minori studio, labore contẽdere illas abstergere. Nonne vides mulierculas, quæ cupiunt placere viris suis, quot horas consumunt in componendis capillis, & poliendo vultu, & maculis vestium abstergendis: vt placeant oculis viri mortalis, qui paulò post in lutum, & cineres conuerti debet: quid igitur te facere oportet, vt placeas oculis sponsi immortalis, & qui semper te videt, qui sine macula & ruga te inuenire desiderat? certè totis viribus contendere te necesse est: *Vt in sanctitate, & iustitia coram ipso ambules.* Luc. 1. Et omnia, quæ veram sanctitatem; veramque iustitiam impediunt, strenuè remoueas, vel amputes: neque D respicias carnem, & sanguinem; neque attendas ad sermones; & iudicia hominum. non enim simul placere potes Deo, & Mundo, dicente Apostolo Galat. 2. *Si hominibus placerem, Christi seruus non essem, & cætera.*



GRADVS TERTIVS

Ex consideratione Orbis terræ.

CAPVT I.



CONSIDERAVIMVS Mundum corporalem in vniuersum: nunc partes eius principales considerare aggredimur, vt ex ijs scalam nobis ad contemplandum opificem, qualem possumus erigamus.

Prima se offert terra; quæ quamuis infimum locum teneat, & minor cæteris elementis esse videatur: tamen reuera non est minor, quàm aqua, & dignitate ac pretio superat elementa omnia. Hinc enim in Scripturis sanctis passim legimus, DEVM fecisse cœlum & terram, *Genesis* 1. quasi partes mundi præcipuas, quibus cæteræ seruiant; cœlum enim fecit, quasi palatium hominum: *Cœlum cœli Domino*, inquit Propheta, *Psalmo* 113. *terram autem dedit filijs hominum.* Atque ea causa est, cur cœlum plenum sit stellis fulgentibus, & terra abundet immensis diuitijs metallorum, lapidum pretiosorum, herbarum, arborum, animalium multorum generum; cùm aqua solis piscibus abundet: aer & ignis egena, ac penè vacua sint elementa. Sed his omissis, orbis terræ tria quædam habet consideratione dignissima, per quæ ad Deum, si mens vigilet non difficulter ascendere possumus.

Primum terra fundamentum est firmissimum mundi totius, quod nisi haberemus, non posset homo, neque ambulare, neque quiescere, neque operari, nec vitam vllo modo ducere: *Firmauit*, inquit Dauid *Psalmo* 92. *orbem terræ, qui non commouebitur.* & *Psalmo* 130. *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi.* Deinde terra quasi bona nutrix hominum; & animantium cæterorum; assiduè producit herbas; fruges, fructus, gramina, poma, & alia id genus innumerabilia. Sic enim Deus loquitur *Genesis* 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habet in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.* Tertiò producit terra lapides, & ligna ad ædificandas domos: & metalla æris & ferri in varios vsus: & aurum atque argentum, quibus cuduntur pecuniæ, instrumenta videlicet ad vitæ humanæ omnia necessaria facillimè comparanda.

Ac prima quidem illa terræ proprietas, quòd videlicet sit locus, in quo corpora nostra quiescant, cùm in aqua, vel aere, vel igne quiescere nequeant; symbolum

conditoris est, in quo solo anima humana locum quietis inuenire potest: *Fecisti*, inquit sanctus Augustinus, *Libro primo confession. capite primo, nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te*. Salomon Rex, si quis alius quæsiuit requiem in imperio, in diuitijs, in voluptatibus; obtinuit Regnum amplissimum, & pacatissimum, ita vt Scriptura teste, *tertio Regum quarto, haberet in ditione sua omnia regna à flumine terræ Philisthym vsque ad terminos AEgypti offerentium sibi munera, & seruientium ei omnibus diebus vitæ eius.* Habuit prætcrea diuitias incomparabiles, ita vt aleret quadraginta millia præsepia equorum curtilium, & duodecim millia equestrium, &, vt legimus eodem libro *tertio Regum nono & decimo*, classis Salomonis ex Ophir adferebat aurum, & gemmas pretiosas in tanta copia, vt argentum nihili fieret; & tanta esset argenti copia in Hierusalem, quanta lapidum platearum. Voluptates autem tantas ipse sibi parauit, vt incredibile videatur: nam cùm mulieres deperiret, accepit sibi vxores, quasi Reginas septingentas, & concubinas trecentas; vt legimus in eodem libro *tertio Regum vndecimo*. Sed ipsum de se loquentem audiamus: *Magnificaui*, inquit, *opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & conseui ea cuncti generis arboribus: & extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium, possedi seruos, & ancillas, multamq; familiam habui: armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem: coaceruaui mihi argentum, & aurum, & substantias Regum ac prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos, & vrceos in ministerio ad vina fundenda: & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem: sapientia quoque perseuerauit mecum. & omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaueram, & hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo*. Hæc ille, *Ecclesiast. 2.* qui certè quietem maximam habuit, si vlla in rebus creatis haberi potest. Nihil enim illi defuit, non Regnum, non diuitiæ, non deliciæ, non ipsa quæ maxima fieri videtur humana sapientia, non denique pax, & tranquillitas in tis bonis longo tempore possidendis, & tantretinendis.

Interrogemus nunc, an in tantis rebus quietem inuenerit, & an ista capacitatem animæ implere potuerint: *Cùm*, inquit, *ibidem me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores, quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole*. Non ergo quietem inuenit Salomon in tantis diuitijs & delitijs, & sapientia, & honoribus: nec inuenire potuisset, etiamsi multò plura, & maiora fuissent, quoniam animus humanus immortalis est, ista verò mortalia

A sunt, nec possunt diu permanere sub Sole; nec fieri potest, vt animus capax infiniti boni, satietur bonis finitis. Quemadmodum igitur non potest corpus humanum in aëre, quantumuis latissimo, nec in aquis, quamuis profundissimis requiescere, quia centrum eius terra est, non aer, vel aqua: sic animus humanus nunquam requiesceret in aereis dignitatibus, vel luteis diuitijs, vel aqueis, id est, mollibus & sordidis voluptatibus, nec in humanæ scientiæ falso splendore, sed in solo DEO, qui centrum animorum, & verus, ac solus locus requietis eorum est.

O quàm verè, & quàm sapienter exclamauit Pater Salomonis, cùm ait, *Psalmo 72.*
B *Quid est mihi in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. ac si dicere voluisset: Nihil inuenio, nec in cœlo, nec in terra, nec in alia re creata vlla, quæ sub cœlo, aut super terram sit, quod mihi veram quietem possit afferre. Tu solus Deus cordis mei, id est, tu solus petra solida es cordi meo. vox enim, Deus in Hebraico textu petram significat hoc loco. tu ergo solus petra firmissima es cordi meo, in te vno quiescam, tu solus pars mea, hæreditas mea, omne bonum meum, cætera nihil sunt, & nihil ad me replendum, & satiandum valent: atque hoc, non per vnum, vel alterum diem, vel annum, sed in æternum. tu vnus mihi
C sufficis in æternnm, cætera nec ad vnum diem sufficerent vniuersa.

Agnoscisne adhuc anima mea, solum Deum esse petram tuam, in qua requiescas, cætera vanitatem, & afflictionem spiritus, quæ non existentia, sed apparentia sint, & non solentur, sed affligant, quoniam acquiruntur cum labore, possidentur cum timore, & amittuntur cum dolore? Despice ergo, si sapis, omnia quæ transeunt, ne te secum abripiant, & in vno permane, illique inhære vinculo charitatis, qui manet in æternum: leua cor tuum ad DEVM in cœlum, ne putrescat in terra: disce veram sapientiam, à multorum stultitia, quorum nomine loquitur Sapiens, & dicit, *Sapient. 5. Ergo errauimus à via veritatis, & iusti-*
D *tiæ lumen non luxit nobis. ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus: lassati sumus in via iniquitatis & perditionis. quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt illa omnia tanquam vmbra, & nos in malignitate nostra consumpti sumus.*

CAPVT II.

SED est etiam alia ratione petra firmissima symbolum Domini Dei nostri, quod symbolum explicauit nobis sapientia Dei in Euangelio suo, *Matth. 7.* vbi dixit domum ædificatam super firmam petram immobilem permanere, si desuper descendant pluuiæ, & à latere irruant venti, & à parte inferio-

feriori percutiant flumina : domum verò ædificatam super arenam, nihil horum sustinere posse, sed ad primum impetum pluuiæ, aut venti, aut fluminis prosterni, & fieri ruinam domus illius magnam.

Domicilium tuum, ô anima, quod ex varijs potentijs, & virtutibus quasi cubiculis, & aulis constat, si in Deo, tanquam in petra fundetur, id est, si firmissimè credas Deo, si tota fiducia tua sit in Deo, si sis in charitate Dei radicata, & fundata, vt cum Apostolo, *Romanorum octauo* dicere possis: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Secura esto, quia neque spirituales nequitiæ, quæ supra nos sunt, neque carnales concupiscentiæ, quæ sunt infra nos; neque domestici hostes nostri, qui à latere nos oppugnant, cognati videlicet, & amici; contra te vnquam suis machinis præualebunt. Magnæ quidem sunt vires, & magna calliditas spiritualium potestatum; sed maior est potestas, & maior sapientia Spiritus sancti, qui præsidet illi domui; quæ in Deo fundata est. Vehementer omnino contra spiritum pugnat caro; & carnales concupiscentiæ fortissimos quosque debellare solent: sed amor DEI amorem carnis facilè superat, & timor DEI timorem mundi facilè prosternit. Denique inimici hominis, domestici eius, & ipsi quoque peruersis consilijs ad consortium peccatorum animas trahunt: sed anima, quæ Dominum & Patrem, & fratrem, & sponsum in cœlo se habere confidit, non magno labore carnales amicos, & consanguineos non solum contemnere, sed etiam odisse nouit, & potest dicere cum Apostolo *Romanorum octauo Certus sum, quod neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit me separare à charitate DEI, quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.* Sed illa verè misera anima est, cuius domus in arena fundata non potest diu subsistere, & fiet breui ruina illius magna, quippe cùm credat mendacio, & confidat in baculo arundineo, & cius DEVS, aut venter, aut pecunia, aut fumus honoris sit, quæ omnia velocissimè transeunt, & pereunt, & animam illius inhærentem in exitium sempiternum trahunt.

CAPVT III.

IAM verò altera terræ proprietas, in eo posita est, quod terra tanquam bona nutrix herbas, & fructus cæteros largè profundat in escam hominum, & animantium cæterorum: Atqui hæc ipsa proprietas ad conditorem, vt verum nutritium, nos deducit, non enim terra, sed DEVS in terra omnia bona producit. sic enim loquitur Spiritus sanctus per os Dauid: *Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum.* Psalm. 103. & rursus: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore: Dante te illis colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Et Dominus in Euangelio: *Matth. 6. Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa.* Et Apostolus, *Actorum 17. Et quidem non sine testimonio semetipsum DEVS reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.* Nec tamen falsum est, quod initio libri Genesis dicitur, *Genesis primo: Germinat terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Verè enim terra germinat herbas & ligna pomifera; sed ex virtute, quam ei Deus attribuit, & ipso Deo per ipsam producente, & conseruante, & incrementum dante. Itaque Dauid vbi res omnes creatas inuitat ad laudem conditoris, *Psalmo* 148. addit cum cæteris ligna fructifera, & omnes cedros. & tres pueri apud Danielem 3. exhortantur cum cæteris creaturis, omnia germinantia in terra, vt benedicant Dominum & laudent, & superexaltent eum in sæcula.

B

Et cùm omnia suo modo DEVM laudent, quanto affectu deberes tu anima, DEVM pro his omnibus beneficijs, quibus assiduè frueris, benedicere, & laudare? agnoscens in eis occultam DEI manum omnia largientem, & non occultum, sed clarissimè patentem, & sese ostendentem paternum, & purissimum DEI tui amorem, qui nunquam cessat tibi de cœlo benefacere, & in rebus omnibus prouidere. Sed parum est hoc in oculis Domini DEI tui. Ipse est enim, qui in te vt in spirituali agro suo producit germen nobilissimum charitatis. Charitas enim non ex Mundo, sed ex DEO est, vt dilectissimus discipulus loquitur in epistola sua, 1. Ioannes 4. Ex charitate autem, vt ex arbore diuina, atque cœlesti prodeunt flores candidissimi, & odorati cogitationum sanctarum, folia virentia verborum vtilium ad salutem gentium, & fructus operum bonorum, quibus Deus glorificatur, & proximi adiuuantur, & merita colliguntur, & seruantur in vitam æternam.

C

Væ autem illis, qui more iumentorum insipientium fructibus terræ satiari desiderant, eosque auidissimè colligunt, & recondunt, & de auctore non cogitant, neque illi gratias agunt: & quorum animæ similes sunt terræ, cui maledixit Deus, quæ spinas & tribulos germinat. quid enim cogitant illi, in quibus Deus non seminat casta consilia, nisi fornicationes, adulteria, homicidia, sacrilegia, furta, proditiones, & alia id genus? & quid isti loquuntur nisi blasphemias, periuria, maledicta, hæreses, conuicia, contumelias, falsa testimonia, mendacia, & alia id genus, quæ à Patre suo diabolo didicerunt? Et quos postremo fructus producunt, nisi venenatos illos fructus, quos ab ipsis cogitari assiduè diximus, & qui ab Apostolo *Gal.* 5. opera carnis nominantur? Istæ nimirum spinæ sunt, quæ primo pungunt animos germinantium eas, punctionibus amarissimis timorum, & sollicitudinum: deinde pungunt famam, & corpora & animos proximorum læsione grauissima & sæpè irreparabili, ex qua postea plurima, & grauissima ad alios detrimenta perueniunt.

D

Sed his omissis, tu anima mea, si hortulus es cœlestis agricolæ, caue ne spinæ, vel tribuli vnquam inueniantur in te, sed omni solicitudine foue arborem Charitatis, & lilia castitatis, & nardum humilitatis. caue ne vnquam tibi subrepat, vt à te esse existimes cœlestia ista germina virtutum, & non à Domino DEO tuo, qui est Dominus virtutum, seminator casti consilij. sed & conseruationem & incrementum, & maturitatem fructuum bonorum operum non tibi attribuas, sed illi commenda, & ad illum sit semper fortitudo tua.

CAPVT IV.

RESTAT vltima terræ laus, quod videlicet aurum, & argentum, & lapides pretiosos intra sinum suum contineat. Sed certè non virtute sua producit terra tam pretiosas rerum species sed ille, qui per Aggæum dicit, *Aggæi* 27. *Meum est aurum, & meum est argentum.* O amator hominum, itane hoc etiam placuit dulcedini tuæ, vt non solùm produceres humano generi lapides, & ligna, & ferrum, & æs, & plumbum, & alia id genus necessaria ad domos, & naues ædificandas, & instrumenta varia construenda: sed etiam aurum, & argentum, & lapides preciosos ad ornatum, & decorem? Et si hæc tribuis peregrinantibus in terra, & sæpè etiam inimicis tuis blasphemantibus nomen tuum, quid dabis dilectis tuis, te benedicentibus, & tecum regnantibus in cœlo? Dabis vtique non frustula auri, vel argenti, nec pauculas gemmas pretiosas, sed ciuitatem illam de qua loquitur Ioannes Apostolus in Apocalypsi, cùm ait, *Apocalypsis* 21. *Et erat structura muri eius ex lapide Iaspide, ipsa vero ciuitas aurum mundum; & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata, & duodecim portæ duodecim margaritæ sunt.* Nec verò existimamus, ciuitatem illam supremam Hierusalem cælestem, ex auro, & gemmis, & margaritis, quales hic sunt, constructam esse, vel ornatam. scimus enim Spiritum sanctum his vocibus vti, quoniam ad nos loquitur, qui meliora, vel maiora non vidimus. Sed sine dubitatione vlla multò excellentior erit ciuitas illa, quæ est patria electorum DEI, omnibus ciuitatibus peregrinationis huius, quantò ciuitas aurea, & gemmata præstaret omnibus rusticorum pagis, qui ex luto, & paleis constant.

Erige ergo, anima mea, oculos mentis ad cœlum, & cogita quanti sint facienda bona, quæ illic sunt, cum species auri, & argenti, & lapidum pretiosorum, quæ hic tanti fiunt, illis bonis comparatæ, vix luti & palearum nomine censeantur. Adde quòd aurum, & argentum, & margaritæ, quæ hic habentur in pretio, corruptibilia sunt. quæ autem in cœlesti illa ciuitate micant, incorruptibilia, & sempiterna sunt. Sed si per manus pauperum hoc ipsum corruptibile aurum, & argentum, quod hic habes ad cœlestem ciuitatem transferre volueris, quod vtique si sapis, omninò facies, & ipsum incorruptibile fiet, & tibi manebit in æternum. Non enim mentiri potest Veritas, quæ dicit, *Matthæi decimonono: Vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Et alio loco, *Lucæ duodecimo: Vendite quæ possidetis & date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlo, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* O incredulitas filiorum hominum. promittit homo mendax decem pro centum, & sortem integram mutuanti se repræsentaturum, & creditur ei. promittit, qui mentiri non potest Deus, danti eleemosynam thesaurum in cœlo, imo etiam centum pro vno, & vitam æternam se redditurum, & trepidat auarus homo, nec facile adduci potest, vt credat, & mauult thesaurum suum abscondere, vbi ærugo consumit, & fures effodiunt, & furantur, quam in cœlo reponere, quo fur non appropiat, neque ærugo consumit. Sed etiam si aliquando neque fures auferant, neque tinea, vel ærugo corrumpat, quæ tanto labore parasti, & conseruasti, ô homo infelix, cuius erunt? tua certè non erunt, cuius tamen esse poterant, si per manus pauperum in cœlestes thesauros transtulisses. Vsus quidem docet, ea quæ auari diuites collegerunt, ad hæredes prodigos peruenire, qui multò breuiore tempore profundunt, quam auari parentes collegerant. atque interim peccatum auaritiæ manet æternumque manebit, & vermis conscientiæ non morietur, & ignis inferni non extinguetur. *Isa.* 66. *Mar.* 9.

Ergo, anima mea, aliorum insipientia te erudiat, & audi Dominum, & magistrum tuum cōcionantem, *Luc.* 12, *Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his, quæ possidet.* Auarus congregat, & conseruat, vt habeat, vnde diu viuat, sed contra accidit; nam quando minus cogitat, moritur, & substantia auarè congregata, & conseruata generat vermem, qui non morietur, & excitat ignem, qui non extinguetur. O auare infelix, ergone tam solicitè aggregasti pecunias, vt fomentum parares igni gehennæ, quo nunquam extinguatur? Audi Beatum Iacobum in extremo Epistolæ suæ, *Iacobi* 5. *Agite*, inquit, *nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis: diuitiæ putrefactæ sunt; & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.* Vos quidem, inquit Beatus Iacobus, quia diuites estis, beati existimamini, & dicimini. sed re vera miseri estis, & egenis omnibus miseriores. & materiam magnam habetis lugendi & vlulandi propter ingẽtes miserias, quę certè aduenient vobis. diuitię n. superuacaneæ, quas cōseruastis, & quas putrefieri siuistis, cùm eas pauperibus erogare deberetis & vestimenta

vestra quæ superflua possidetis,& potius à tineis comedi,quam pauperes inde vestiri patimini,& aurum,& argentum, quod ab ærugine consumi vultis potiùs,quàm illud in cibos pauperum erogetis; hæc,inquam,omnia contra vos in die iudicij testimonium dicent.& tineæ, ac ærugo diuitiarum vestrarum in ignem vrentem conuertentur,qui æterno tempore carnes vestras deuorabit,& nunquam consumet,vt ignis non extinguatur,& dolor non finiatur. Ergo cum Propheta Regio, *Psal.* 143.concludamus: *Beatum dixerunt*, stulti,*populū cui hac sunt*, Diuitiæ videlicet exuberantes: re autem vera: *Beatus populus,cuius Dominus Deus eius.*

GRADVS QVARTVS

Ex consideratione Aquarum, ac præcipuè fontium.

CAPVT I.



Ecundum locum,inter elemēta Mundi, tenet aqua. Ex ea quoq; si rectè inspicatur, gradus ascensionis in Deum construi poterit. Ac primum aquā vniuersè considerabimus, deinde specialem ascensionem in Deum è fontibus hauriemus.

Aqua humida est,& frigida,ac per hoc quinque veluti proprietates habet,nam lauat, & abstergit maculas:extinguit ignem: refrigerat,ac temperat ardorem sitis: coniungit res multas ac diuersas in vnum: denique quàm profundè descendit,tam altè ascendit. Hæc omnia manifesta sunt symbola,siue vestigia conditoris rerū omnium Dei. Lauat aqua maculas corporales: lauat Deus maculas spirituales: *Lauabis me*, inquit Dauid *Psalm.* 50. *& super niuem dealbabor.* Quamuis enim maculas cordis,id est, peccata, lauet contritio,lauent sacramenta,lauent sacerdotes,lauent eleemosynæ,atque alia opera pietatis: tamen hæc omnia vel instrumenta sunt, vel dispositiones: qui lotionis huius auctor est solus Deus est. *Ego sum*, inquit Deus per Isaiam *Isa.* 43. *ego ipse sum,qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et ideo Pharisæi,qui murmurantes aduersus Christum dicebant. *Luc.* 5. *Quis potest dimittere peccata,nisi solus Deus?* non fallebantur in eo,quod soli Deo tribuebant potestatem supremam dimittendi peccata:sed in eo, quod Christum,Deum non esse credebant,proinde simul & blasphemabant,& vera dicebant.

Nec solum Deus lauat maculas cordis ad similitudinem aquæ,sed etiam aqua nominari voluit. sic enim scribit S.Ioannes *Ioann.* 7. *Qui credit in me,sicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* ergo Spiritus sanctus, qui vtique Deus est, aqua viua est,& de hac aqua dicit Ezechiel *Ezech.* 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et

A quoniam aqua ista cœlestis, & increata longè superat virtutem aquæ terrestris & creatæ: ideò tres differentias annotare placet inter lotionem aquæ creatæ,& increatæ.

Aqua creata lauat maculas corporum, sed non omnes: multas enim lauare nequit, nisi iuuetur sapore,vel alijs instrumentis.Aqua increata omnes omnino maculas lauat. sic enim in loco paulo ante notato legimus: *Et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Aqua creata raro ita maculas omnes tergit, vt vestigium aliquod,vel quasi vmbra maculæ non relinquatur. Aqua increata sic lauat, vt res lota candidior, pulchriorque reddatur, quam esset antequam inquinaretur, *Lauabis me*, inquit Dauid, *Psalm.* 50. *& super niuem dealbabor.* Et B per Isaiā Dominus dicit, *Isaia.* 1. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Denique aqua creata lauat maculas naturales, quæ non resistunt abstergenti: aqua increata lauat maculas voluntarias,quæ lauari nequeunt, nisi anima ipsa velit,& abstergenti sponte consentiat. Sed tanta & tam admirabilis est virtus huius aquæ, vt suauissimè etiam in lapidea corda penetret,& ideo à nullo duro corde respuitur,quia ipsa facit,vt non respuatur, vt rectè monet S. Augustinus. *Lib.* 1. *de prædest. SS.c.*8. Quis capiat, Domine,quam admirabili ratione in corda infideliū inspires fidē,& in corda superborū infundas humilitatē,& in corda hostiū tuorum insinues charitatem, vt qui paulo ante C spirans minarum, & cædis te in discipulis tuis persequebatur,repente mutatus pro te, & pro Ecclesia tua minas & cædes persequentium libentissimè perferat? multum est à me vt in hæc secreta tua penetrem, & malo experiri, quam scrutari efficaciam gratiæ tuæ. Et quoniam noui aquam istam tuam esse *pluuiam voluntariam, segregatam hæreditati tuæ.* vt cecinit Propheta tuus, *Psalm.* 67. Ideo humiliter & suppliciter peto,vt inueniar in hæreditate tua, & placeat gratiæ tuæ in terram cordis mei descendere,ne maneat sicut terra sine aqua tibi, aridum,& sterile, quale ex se est,vt nec cogitare quidem boni aliquid ex se sufficiat. Sed pergamus ad reliqua.

CAPVT. II.

D Aqua extingit ignem; & aqua illa cœlestis,gratia videlicet Spiritus sancti, admirabili ratione & modo extinguit ignē carnalium concupiscentiarum; multum quidem valent ad hoc incendium restinguendum ieiunia & corporis afflictationes; sed si addantur,vt instrumenta gratiæ Spiritus sancti, alioqui per se sola non multum valent. Amor enim princeps est affectionum,& perturbationū animi, ille regit omnes, & omnes illi vni obtemperant. Amor cogi non vult,& si ab vna parte via illi obstruatur,erumpit ab altera. Amor nihil timet, omnia audet, omnia vincit, nisi sibi difficile,aut impossibile arbitratur.deniq; nulli cedit amor minor,nisi amori maiori, & valētiori,sic ōnino carnalis amor,siue diuitias,siue delicias mūdi sequatur, vni cedit amori

Dei,

Dei,cum primum incipit aqua Spiritus sancti in cor hominis instillari,continuo frigescere incipit amor carnalis. Testis sit nobis Beatus Aug. qui cum assuetus esset indulgere libidini, & impossibile sibi duceret consortio fœminæ posse carere: tamen vbi gustare cœpit Spiritus sancti gratiam, exclamauit in principio libri noni confessionum: *Quam suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. eijciebas enim à me vera tu & summa suauitas: eijciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.*

CAPVT III.

AQua præterea sitim sedat;&aqua illa cœlestis sola potest desiderijs cordis humani varijs,& molestissimis,ac propè infinitis finem imponere. Sic veritas ad Samaritanam loquens manifestissime docuit, *Ioan.* 4. *Qui biberit,* inquit, *ex aqua hac, sitiet iterum: qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, nõ sitiet in æternum.* Omnino sic res habet: *non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu, Ecclesiastæ* 1. quicquid homini offeratur,non potest eius desiderium satiare, cum ille capax sit infiniti boni, & res omnes creatæ certis terminis circumscribantur. Sed qui bibere incipit aquam cœlestem,in qua sunt omnia,nihil expetit,nihil requirit amplius. Sed de hac re diximus supra cum de quiete animi in solo Deo, vt in proprio centro, loqueremur.

CAPVT IV.

AQua simul coniungit,& in vnum redigit,quæ vix vniri posse videbantur. sic multa grana farinæ per aquæ admixtionẽ vnus panis efficiuntur, &ex multis partibus terræ,per aquæ adiunctionem lateres fiunt. Sed multò facilius & insolubilius aqua Spiritus sancti facit,vt multi homines *sint cor vnum,& anima vna.* Id quod in Actis Apostolorum *Act.* 4. dicitur de primis Christianis,in quos proximè descenderat Spiritus sanctus. Sed & Dominus hanc vnitatem,quam efficit aqua Spiritus sancti,iturus ad Patrem commendat, & prædicit, cùm ait, *Ioann.* 17. *Non pro eis rogo tantum sed & pro eis,qui credituri sunt per verbum eorum in me; vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me,& ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Et paulò pòst: *Vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis,& tu in me, vt sint consummati in vnum.* Ad quam vnitatem hortatur etiam Apostolus in epist. ad Eph. *cap.* 2. *Solliciti,* inquit, *seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* O felix vnio, quæ multos homines facit esse vnũ Christi corpus, quod ab vno capite regitur, & de vno pane comedit, & de vno calice bibit, & de vno spiritu viuit, &adhærens Deo vnus spiritus fit cum eo. Quid amplius desiderare potest seruus, quã vt non solum particeps fiat omnium bonorum Domini sui, sed etiam vinculo amoris indissolubilis vnum fiat cum ipso omnipotenti, & sapientissimo & pulcherrimo Domino suo? Atqui hoc totum facit Spiritus sancti gratia, vt aqua viuens,& viuificans quando in corde recipitur deuotè,& tota diligentia,ac sollicitudine custoditur.

A

CAPVT V.

AQua denique tam altè ascendit, quam ex alto descendit. Et quoniam Spiritus sanctus de summo cælo venit in terras, ideò in homine in cuius corde recipitur, *Fit fons aquæ salientis in vitã æternã,* vt Dominus ait ad mulierem Samaritanam, *Ioan.* 4. id est, homo renatus ex aqua & Spiritu sancto, & qui eundem inhabitantem Spiritum in corde suo gerit, illuc erigit merito, vnde descendit gratia.

B Ergò, anima mea, his vocibus scripturarum edocta, & excitata, iterum, atque iterum, gemitibus inenarrabilibus dicas Patri tuo. Da mihi hanc aquam, quæ maculas omnes detergat, quæ concupiscentiæ calorem extinguat, quæ sitim omnem,& omnia desideria sedet, quæ vnũ spiritum cum Deo tuo te faciat, quæ fiat in te fons aquæ salientis in vitam æternam, vt illuc merita præmittas, vbi te speras sine fine mansuram. Non sine causa filius Dei dixit, *Luc.* 11. *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Et non dixit, dabit panem, aut vestem, aut sapientiam, aut charitatem, aut Regnum cœlorum, aut vitam æternam: sed dixit, dabit spiritum bonum, quia in illo continẽtur omnia. Tu igitur non cesses quotidie Patrem admonere promissionis filij sui, atq; dicere cum ingenti affectu, & certa spe obtinendi,

C Pater sancte, non in iustificationibus meis fundo preces ad te, sed in promissione vnigeniti Filij tui. Ille nobis dixit, Quanto magis Pater vester dabit spiritum bonum petentibus se, certè filius tuus veritas est, non nos decipit, ideò adimple promissionem filij tui, qui te clarificauit super terram *Ioan.* 17. tibiq; obediens fuit vsq; ad mortem, mortem autem crucis *Phil.* 2. da spiritum timoris, &amoris tui, vt seruus tuus nihil timeat nisi offendere te, & nihil diligat præter te, & proximum suum in te. *Cor mundum crea in me Deus & spiritũ rectum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua. & Spiritum sanctum tuũ ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Psal.* 50.

CAPVT. VI.

D VEnio nunc ad similitudinem, quam habent fontes aquæ cum Deo. hinc enim erigi potest animus ad contemplanda planè mirabilia, de excellentia conditoris. Non enim sine causa in scripturis sanctis dicitur Deus *Fons vitæ, Ps.* 35. & *fons sapientiæ, Eccl.* 1. *& fons aquæ viuæ, Hiere.* 2. Et quod sit fons essendi colligitur ex verbis ipsius Dei ad Mosem, *Exod.* 3 *Ego sum, qui sum, qui est, misit me ad vos.* Quæ omnia simul comprehendisse videtur Apostolus, cùm ait, *Act.* 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* In ipso enim sumus tanquam in fonte essendi, & in ipso viuimus, tanquam in fonte vitæ, & in ipso mouemur, tanquam in fonte sapientiæ, quia *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem vbique propter suam munditiam*, vt dicitur in libro sapientiæ *cap.* 7.

Fons aquæ hic apud nos, id habet proprij vt ab eo nascantur flumina, & si desinat à fonte fluere; continuo exarescant: fons autem ipse nō pendet à fluminibus, quia non accepit ab illis aquas, sed ipse in se habet, & cum alijs communicat. Hoc est verū symbolum, & vestigium diuinitatis. est enim Deus verissimus fons essendi. siquidem ipse à nulla re accipit esse, & omnia ab ipso accipiunt. à nulla re Deus accipit esse, quia de Dei essentia est esse, & ipsa essentia est eius existentia, vt ne fieri, nec cogitari possit, Deum non semper extitisse, aut non semper existere. Res cæteræ possunt ad tempus esse, & ad tēpus non esse, quoniam ad eorum essentiam non necessario pertinet esse. vt exempli causa, de essentia hominis est, vt sit animal rationale, atq; ideo non potest homo esse, & non esse animal rationale: & si de essentia hominis esset etiam existere, non posset non semper existere. Sed quia de essentia eius non est existere, ideò potest existere, & non existere. Deus ergo est fons essendi, quia in sua essentia includit actu semper existere. Atque hoc significant illa verba *Exod. 3. Ego sum, qui sum.* Id est, ego sum ipsum esse, & non aliunde accipio esse sed in me habeo, mihi soli conuēnit, vt essentia mihi sit esse. atque hinc etiam propria Deo est æternitas, & immortalitas, vt Apostolus dicit. *1. Tim. 1. Regi sæculorum immortali, soli Deo, &c, 1. Tim. 6. Qui solus habet immortalitatem.* Ita vero cæteræ res omnes à Deo accipiunt esse, vt nisi semper ab ipso dependeant, & eius quodam influxu conseruentur, cōtinuo desinant esse. hinc idem Apostolus dicit, *Heb. 1. Qui portat omnia verbo virtutis suæ.* Quia nisi à Deo sustentarentur res creatæ, vtiq; non subsisterent.

Ergo anima mea, suspice, & mirare bonitatem infinitam conditoris, qui res omnes tam amanter portat, & conseruat, cum earum opera non indigeat: nec minus admirare, & imitare patientiam eiusdem conditoris tui, qui tam *Benignus est super ingratos & malos, Luc. 6.* vt sustentet eos qui eum blasphemant, & conseruet qui ad nihilum redigi digni essent: nec tibi graue videatur, si quando infirmitates fratrum portare & ijs, qui te oderunt, benefacere iubearis.

Sed non in hoc solum posita est eminentia fontis essendi, quod à nullo alio fonte accipit esse, & rebus cæteris ipse communicat esse. Nam aquæ fontium, & aquæ fluminum apud nos eiusdem generis sunt, & quamuis aquæ fontium, non ab alijs fontibus aquas accipiant, habent tamen causam sui esse, vapores videlicet, & illi alias, & alias causas, donec ad primam causam, quæ Deus est, perueniatur. Deus autem conditor tuus, ô anima, non est eiusdem generis cum rebus creatis, sed infinito interuallo dignitatis, & nobilitatis, & excellentiæ ab eis distat; ac verè & propriè fons est essendi, qua non solum accipit esse suum ab alio fonte essendi, sed omnem omnino causam nescit. fons aquæ creatæ, vt dictum est, non ab alia aqua, sed ab alia causa deriuatur: fons essendi increatus nihil ante se habet, à nulla re dependet, nulla re indiget, nihil ei nocere potest, sed omnia pendēt ab illo, & ille potest res omnes creatas vno nutu delere, vt fortissimus loquitur Machabæus. *2. Machab. 8.* Hanc eminentiam admirare, anima, hoc principium sine principio, causam sine causa, esse infinitum, illimitatum, immensum, absolutè necessarium, cum reliqua omnia huius comparatione, contingentia sint. Ac fortassè de hoc Veritas dixit, *Luc. 10. Porro vnum est necessarium.* proinde huic vni adhæreas, illi soli seruias; in illius solius amore & desiderio delecteris: cætera omnia illius comparatione despicias; aut certè non nimia solicitudine turberis circa multa, quando vnum est necessarium, & solum tibi, & omnibus sufficit. sed vna tibi sollicitudo sit, vt ab illius gratia nunquam excidas, & illi vni semper & vbiq; studeas complacere.

CAPVT VII.

IAM vero Deus fons etiam vitæ rectissimè dicitur, quia viuit, & vitam in semetipso habet, imo ipse vita æterna est. *Hic est verus Deus, & vita æterna,* inquit S. Ioannes *1. Ioann. 5.* & res omnes, quæ viuunt ab illo Fonte accipiunt vitam, & illo cessante vitam subministrare *deficiunt, & in puluerem suum reuertuntur,* vt canit S. Propheta Dauid *Psalm. 103.* Gignere sibi simile est viuentium proprium. Gignit autem Deus filiū sibi simillimū, Deus Deū, & viuens viuentē: *Et sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso,* vt testatur S. Ioannes in Euangelio *cap. 5.* habet autem Pater vitam in semetipso, quia est fons vitæ, & non aliunde accipit vitam: & dedit filio habere vitam in semetipso, quia dedit eandem vitam, quam ipse habet, ac per hoc etiam filius est fons vitæ, sed fons vitæ de fonte vitæ, sicut Deus de Deo, & lumē de lumine. Quis explicet, imò quis capiat, qualis sit vita Dei, & qualis iste fons vitæ, vnde guttulas hauriūt omnia, quæ viuūt, siue in terra, siue in cœlis? Vita nobis in hoc exilio nota, nihil est aliud, nisi principium motus internum. illa enim dicuntur à nobis viuere, quæ aliquo modo se ipsa mouent, vnde etiam per similitudinem dicuntur vulgò aquæ viuæ, quæ sunt in fluminibus, & mortuæ, quæ sunt in stagnis, quod illæ videantur per se moueri, istæ moueri nequeant, nisi à ventis aut externa vi aliâ impellantur.

Deus tuus, ô anima, verissimè viuit, & auctor, ac fons est vitæ. Ipse enim in Scripturis sanctis passim illud inculcat: *Viuo ego dicit Dominus, Num. 19.* Et Prophetæ, Viuit Dominus, viuit Dominus, sæpè repetunt: & apud Hieremiā conqueritur de populo Deus dicens *Hier. 2. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ:* Et tamen neq; à se, neq; ab alio mouetur: *Ego Deus,* inquit, *Mal. 3. & non mutor* & alibi *Nu. 23. Non est Deus, vt filius hominis, vt mutetur.* In hymno quoque Ecclesiastico canimus quotidie, Rerum Deus tenax vigor, Immotus in te permanens, lucis diurnæ tempora, successibus determinans. Et si Deus gignit filium, sine mutatione gignit: & si videt, audit, loquitur, amat, miseretur, iudicat, sine mutatione hæc omnia facit, & si res creat, & conseruat, vel contra destruit, & dissipat, & rursum renouat, & mutat, ipse tamen quiescēs operatur, & immotus mutat, quomodo ergo viuit, si non se mouet? & quomodo non

viuit, si fons est, & auctor vitæ? Hic nodus facilè dissoluitur. Ad vitã enim illud absolutè satis est, si res viua ex se agat, & non ab alia mota. sed vita vt plurimum in rebus creatis est principium internum motus: quia res creatæ imperfectæ sunt, & multis indigent, vt actiones vitæ possint implere: Deus autem, infinita perfectio est, & nulla re indiget extra se, propterea ex se quidem agit, & non motus ab alio, sed motu, vel mutatione opus non habet. Indigent res creatæ mutatione, vt generent, & generentur, quia generant extra se, & res quæ generatur mutari debet à non esse ad esse: Deus autem intra se gignit Filium, intra se producit Spiritum sanctum; neque mutari debet Filius, aut Spiritus sanctus de non esse ad esse, quia illud esse recipiunt, quod semper fuit, & illud non in tempore, sed in æternitate recipiũt. Indigent res creatæ motu augmentationis; quoniam imperfectæ nascuntur: Deus autem Filius perfectissimus nascitur, & Deus Spiritus perfectissimus spiratur, atque producitur. Indigent res creatæ motu alterationis, vt qualitates varias, quibus opus habent, adipiscantur. Deus autem nulla re indiget, cùm infinitæ perfectionis essentiam habeat. Indigent res creatæ motu ad locum, quia non sunt vbiq;: Deus autem vbiq; totus est: præterea res creatæ, vt videant, vt audiant, vt loquantur, vt operentur, multis rebus indigent, quia vitam quidem habent, sed imperfectam, & egenam: Deus autem nulla re indiget extra se, vt omnia videat, omnia exaudiat, omnibus loquatur, omnia, & in omnibus operetur, quia non solum vitam habet, sed vitam opulentissimam, & felicissimã habet, & ipse vita est, & fons vitæ.

Ac vt in actione videndi ponamus exemplum. Homo vt videat, eget potentia visiua, quæ distincta est ab anima, quæ propriè viuit; eget obiecto, i.e. corpore colorato extra se posito, eget lumine solis, aut alicuius alterius corporis luminosi; eget medio, id est, corpore perspicuo, eget specie sensibili, quæ ab obiecto ad oculos deferatur, eget organo corporali, id est, oculo varijs humoribus, & tunicis carneis instructo, eget spiritibus sensitiuis, & neruis opticis, per quos Spiritus illi transeant; eget distantia proportionata, eget applicatione potẽtiæ. Ecce quantis adminiculis indigent homines, & animantia cætera, vt actionem vnam vitæ possint implere. Deus autem, qui verè vitam totam habet in semetipso, nulla re indiget. Ipsa essentia infinita est illi potentia, obiectũ, species, lumen, & cætera omnia. Ex se, & per se, & in se Deus videt omnia quæ sunt, quę fuerunt, & quæ erunt; & quæ possent esse, apertè cognoscit. Et antequam Mundus fieret videbat Deus res omnes, neq; aliquid noui ex rerũ creatione scientiæ, aut visioni illius accessit. Quid ergò eris, anima, quando illius vitæ particeps eris? quid magni imperat tibi Deus, cũ vitam istam corporalem, & animalem imperfectam vtiq; & egenam, imperat exponi pro fratribus, & pro ipso Deo, vt vitæ æternæ ditissimæ, & felicissimæ particeps fias? Et si nihil magni iubet, cùm vitam iubet contemni: quam leue & modicum videri debet, cùm imperat diuitias mortuas liberaliter pauperibus erogare, & à carnalibus concupiscentijs abstinere, & diabolo, ac pompis eius verè renunciare, & ad vitam illã, quæ sola vera vita est, toto cordis affectu suspirare?

Capvt VIII.

Sed iam tempus est, vt ad fontem sapientiæ, quo modo possumus, ascẽdamus. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, inquit Ecclesiasticus. & rectè dixit, in excelsis; quoniam fons sapientiæ in Angelos sanctos, & animas beatorum, qui in cœlestibus habitant, abundãter, & copiosè defluit. nobis autem, qui in deserto & peregrinatione versamur, non tam sapientia, quàm sapientiæ quidam vapor, vel odor contingit.

Quare, anima mea, noli nunc altiora, quàm te deceat, quærere. Noli scrutari maiestatem, ne opprimaris à gloria, *Prou.* 25. Admirare sapientiam illius, de qua dicit Apostolus, Rom. 16. *Soli sapienti Deo.* gratulare beatis illis mentibus, quæ de fonte sapientiæ bibunt, & quamuis Deum non comprehendant, quod ipsi fonti sapientiæ proprium est, tamen faciem Dei, id est, primæ causæ, sine vllo velamine speculantur, & fulgoribus eius irradiatę de omnibus rectissimè iudicant, neq; in illa meridiana luce sapientiæ timent errorum tenebras, neq; ignorantiæ obscuritatem, neq; opinionum caliginem. Aspira ad illam felicitatem, & vt ad eam securè peruenias, ama ex toto corde Dominum Iesum Christum, *in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei, Col.* 2. Ipse enim dixit in Euangelio suo, *Ioann.* 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et quid est, manifestabo ei meipsum, nisi manifestabo omnes thesauros scientiæ, & sapientiæ Dei, quæ in me latent? Certè omnis homo naturaliter scire desiderat: & quamuis carnales concupiscentiæ nunc in multis hoc desiderium quodammodo sopiant: tamen cùm corpus quod corrumpitur, & quod nunc aggrauat animam, deposuerimus, tunc ignis desiderij huius super omnia desideria efferuescet. Quanta ergò felicitas tua erit, ô anima, cùm amatus, & amator tuus Christus ostendet tibi omnes thesauros scientiæ, & sapientiæ Dei? Sed vt spe tanta nõ frustreris, Christi præcepta custodire stude. Ipse enim dixit, *Ioann. cap.* 14. *Qui diligit me, sermones meos seruabit: & qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Atque interim sapientia tua sit illa, quam describit sanctus Iob, cùm dicit, *cap.* 28. *Timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Et quicquid boni in creaturis videris, scito illud à Deo fonte totius bonitatis defluere; vt sic cum beato Francisco discas fontalem bonitatem in singulis creaturis, tanquam in riuulis degustare. De qua re lege S. Bonauenturam in vita sancti Francisci capite nono.



GRA-

GRADVS QVINTVS
Ex consideratione Aeris.
CAPVT I.



AEris elementũ, insignis Magister morũ esse potest hominibus, si eius natura cõsideretur. Nec solùm ad moralẽ philosophiã docendã, sed etiam ad sacræ Theologiæ aperienda mysteria, animosq; ad Deũ leuandos aptissimus invenitur: si quis attendere voluerit ad varia cõmoda, quæ aer humano generi, ex diuina ordinatione, præstare non cessat.

Aer inprimis, dum respirationi deseruit, terrestrium animantiũ & ipsius hominis vitã conseruat. Deinde oculorum, auriũ, & linguæ vsui vsq; adeò necessarius est; vt si is fortè subtrahatur, etiamsi cætera adsint omnia, cõtinuò cæci, surdi, ac muti oẽs efficiamur. Denique tanta est necessitas aeris ad motum hominũ, & animaliũ cęterorũ, vt eo remoto, motus omnis impediri, atq; omnes artes, & omnia ferè hominum opera cessare necesse sit. Incipiamus à primo.

Si intelligerent homines, nõ minus egere animas respiratione sua quam egeant corpora sua, multi saluarentur, qui nunc pereunt. Eget corpus continua respiratione, quoniã calor naturalis, quo cor exæstuat, ministerio pulmonis aẽrẽ frigidũ attrahentis, & calidũ eijcientis, ita temperatur, vt vitã conseruet; sine qua respiratione conseruari nõ potest: ex quo vsu receptũ est, vt pro eodem accipiantur viuere & spirare Omnis n. qui spirat, viuit: & qui spirare desinit, viuere etiã desinit. Et tu, anima, vt viuas vita spirituali, quæ est gratia Dei, indiges, continua respiratione, quæ fit emittendo ad Deũ per orationẽ calida suspiria; & recipiendo à Deo nouam Spiritus sancti gratiam. Et quid aliud significant verba illa Domini tui, *Luc.* 18. *Oportet semper orare, & nunquam deficere?* nisi, oportet semper suspirare, & spiritũ nouũ recipere, vt spiritualis vita in te non extinguatur. quod idẽ repetit cum ait, *Luc.* 21. *Vigilate itaq; omni tempore orantes.* Et Apostolus idem confirmat in priore ad Thessalonicenses quinto dicens: *Sine intermissione orate.* cui cõsonat Apostolus Petrus in 1. sua epistola *c.*4. cũ scribit: *Estote ergo prudentes, & vigilate in orationib.* Siquidem est vera prudentia, vt qui omni tempore egemus adiutorio Dei, omni tẽpore illud petamus. Scit quidẽ Pater noster, quibus rebus indigemus, & paratus est liberaliter ea suppeditare, ac præsertim quæ ad salutem æternã pertinent: Sed vult per orationis instrumentũ ea largiri, quoniã hoc est illi honorificentius, & nobis vtilius quã si dormientibus, & nihil agentibus cuncta donaret. Itaq; liberalissimus Dominus ad petendũ nos hortatur, & vrget, cũ dicit, *Luc.* 11. *Ego dico vobis, petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. omnis enim, qui quærit, inuenit, & qui petit, accipit, & pulsanti aperietur.* Et quid sit illud, quod petendum est præcipuè, & quod sine dubitatione donabitur, explicat paulo post dicens: Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se? Hoc igitur est inprimis, assiduèque petendum, & hoc nobis sine dubitatione

A donabitur, si bene petatur, spiritus bonus videlicet, per quem respiremus in Deo, & spiritualẽ vitam respirando seruemus, quod S. Dauid faciebat, qui in Psalmo 118. dixit: *Os meum aperui, & attraxi spiritum*, id est, os meum aperui desiderando, suspirando, postulando gemitibus inenarrabilibus, & attraxi auram suauissimam spiritus Dei, quæ æstum concupiscentiæ refrigerauit, meque in omni bono opere confirmauit. Quæ cùm ita sint, quis dicet, eos viuere secundùm Deum, qui dies integros, vel etiam menses, & annos non suspirant ad Deum, nec respirant in Deum? signum enim mortis euidens est, non spirare, & si spirare est orare, signum mortis erit, non orare. Vita spiritualis, per quam filij Dei sumus, in charitate sita est: *Videte*, inquit S. Ioannes in epistola sua, 1. *cap.* 3. *qualem charitatem dederit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* At quis amat & non desiderat videre quem amat? quis desiderat, & non petit,
B quod cupit ab eo, quem scit daturum, si petatur? Ergò qui non orat assiduè, vt videat faciem Dei sui; non desiderat eum videre: qui non desiderat, non amat: qui non amat, non viuit: quid ergò sequitur, nisi vt iudicemus mortuos esse Deo, quamuis mundo viuant, qui seriò in studium orationis non incumbunt? Neque verò orare, ac per hoc spirare, & viuere dicendus est, qui sola voce corporis preces fundit. oratio enim definitur à sapientibus, non eleuatio vocis in aerem, sed eleuatio mentis in Deum.

Ergò, anima mea, noli te fallere, vt putes te viuere Deo, si non seriò Deum ex toto corde quæris, eique suspiras diebus, ac noctibus. noli dicere, per alias occupationes tibi non licere, colloquijs diuinis, & orationi vacare. Sancti enim Apostoli occupatissimi erant & quidem
C in opere Dei, & salute animarum, ita vt vnus eorum diceret, 2. *Corinth.* 11. *Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror.* Et tamen hic ipse, præter frequentissimam orationum suarum commemorationem, scribit ad Philippenses, *c.*3. *Conuersatio nostra in cœlis est.* quia videlicet, in medijs etiam occupationibus, in cœlo per desiderium versabatur, neq; vnquam dilecti sui obliuiscebatur, alioqui non diceret, *Gal.* 2. *Christo confixus sum cruci, Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus.*

CAPVT II.

D ALterá proprietas aeris est; vt sit medium, per quod ad oculos nostros perueniant species colorum, & ad aures species sonituum, sine quibus nec videre, nec audire, nec etiam loqui possemus. In qua re primum Deo gratias agere debemus, quod tam insigni beneficio naturam nostram ornare voluerit. Deinde admirari nos decet conditoris nostri sapientiam in opere tantæ subtilitatis, & tenuitatis, vt cùm sit aer verum corpus, & tantum vt repleat spatium plenè immensum, tamen nec videatur, nec sentiatur ob incredibilem tenuitatem. Mirata est antiquitas subtilitatem vnius lineæ, quam penicillo duxerat Apelles, sed ea linea & videbatur, & tangebatur. ac per hoc nullo modo cõparari poterat cũ tenuitate huius subtilissimi veli, quod oẽs ambit, & contingit, & à nullo cer-

cernitur propter subtilitatẽ eximiã. Sed admirationẽ auget, quòd cum sit aer subtilissimũ, & tenuissimũ corpus, tamẽ cùm scinditur, summa facilitate iterũ coniungitur, & cõtinuatur, ac si scissum nunquã fuisset. Certè disruptã telã aranearũ, vel scissum subtilissimũ velũ nullus artifex ita resarcire potest, vt prior scissura nõ appareat. Adde, quod est omni admiratione dignissimũ, & solius Dei sapientiæ propriũ, quòd per eandẽ partẽ aeris impermixtè, & simul trãseunt innumerabiles colorũ species. Qui sub noctẽ lucẽte luna, in loco aperto, & edito positus, stellas in cœlo, & campos in terris, floribus plenos, & simul domos, arbores, animãtia, & alia id genus multa conspiciat, negare nõ poterit, rerũ illarũ omniũ species in aere illo sibi propinquo simul cõtineri, & impermixtas cõtineri. At quis hoc intelligat? qs capiat? quomodo n. fieri põst, vt res tenuissima tantã formarũ varietatẽ simul contineat? Et quid si eodẽ tempore, & loco resonent cãtus auiũ ab vna parte, & ab alia quoq; murmur cadentiũ aquarũ, nonne simul in eodẽ aere necesse erit recipi cũ tot formis coloru, etiã illos oẽs sonos, aut oẽs eorũ sonorũ species? quis hæc facit, anima mea, nisi cõditor tuus, qui facit mirabilia magna solus? Et si tam mirabilia sunt opera eius, quãto admirabilior erit ipse? Sed est & alia vtilitas huius admirandæ tenuitatis in aere, quòd non impedit, sed iuuat motum omniũ rerum, quæ de loco ad locum transeunt.

Nouimus oẽs quanto labore trahuntur naues, per aquas, quãmuis & ipsæ liquidę sint, & facilè scindantur. nam nec venti, nec remi aliquando sufficiũt, sed oportet vires equorũ, & bubalorũ sæpenumerò adhibere. Et si fortè per montes, aut colles aperienda via sit, quãtis sudoribus, & quã longo tẽpore via, quãuis breuissima aperitur? At per aerẽ nullo labore, sũma facilitate & maxima celeritate currũt equi, volãt aues, tela, & missilia iaciũtur: homines verò ad varia exercẽda ministeria ascẽdunt, descẽdunt, deãbulãt, discurrũt, mouẽt pedes, brachia, manus, sursum, deorsũ, à dextris, & sinistris, nec magis impedit eos aer vbiq; diffusus, quã si non corporalis, sed spiritualis naturæ, aut penitus nihil esset.

Capvt III.

Accedit postremò, quòd aeris natura ita cedit omnib⁹, & in oẽm formam se mutat, & scindi, ac disrumpi se patitur, vt hominũ vtilitati deseruiat, vt videatur datus hominibus in magistrũ humilitatis, & patiẽtię, & charitatis. Sed quod in te, anima mea, amorẽ creatoris tui excitare, & accẽdere vehementer deberet, illud est, quod hic idẽ ipse aer suauitatẽ incredibilem & benignitatẽ maximã conditoris sui hominibus repræsentat.

Collige quæso te, anima, & attẽtissimè cogita, Dominũ tuũ omnib. creaturis suis semp adesse, cũ omnib. semper operari, & qꝫ est infinitę suauitatis ad singularũ naturã cooperationẽ suã accõmodare, quasi cũ Apost. suo dicat, 1. *Cor. 9. omnib. omnia factus sum, vt oẽs adiuuem & perficiam.* cũ agentibus necessarijs cooperatur, vt necessariò agant; cũ voluntarijs, vt voluntariè; cùm liberis, vt liberè. Ignem ita mouet, & iuuat, vt ascendat sursum, terrã vt tendat deorsum, aquã vt labatur per loca decliuia, aerẽ, vt transeat quocunq; pellitur; stellas vt in circulũ versentur perpe-

A tuò: herbas, frutices, plantas, vt fructus secũdum naturam suam proferant: animantia terrestria; aquatilia, volatilia, vt ea faciant, quæ natura eorũ postulat. Et si suauitas Dei, sic eminet in cooperatione cũ creaturis suis in operibus naturæ, quid fieri putamus in operib. gratiæ? Attribuit quidẽ Deus homini liberũ voluntatis arbitriũ, sic tamen vt eũ regeret imperio, terreret exitio, alliceret beneficio. *Vult Deus oẽs homines saluos fieri, 1. Tim. 2.* sed ista vult, vt velit etiã eos velle, & ideo ita suauiter eos præuenit & excitat, & ducit, & perducit, vt prorsus admirabile sit. Istę sunt adinuẽtiones sapiẽtiæ Dei, de quib. dicit Isa. *c. 12. Notas facite in populis adinuẽtiones eius.* Et quidem homines impios nũc vehemẽter exterret, nunc amãter exhortatur, nũc clementer admonet, nunc misericorditer corripit, prout eorum

B ingenio, & moribus iudicat expedire.

Audi quã mansuetè cũ primo peccatore Dominus egerit *Gen. 3. Adam*, inquit, *vbi es?* & respõdenti illi: *Vocem tuã audiui in Paradiso, & timui, eò quod nudus essem, & abscondi me:* adiecit Dominus pari mansuetudine: *Quis enim indicauit tibi quod nudus esses, nisi, quod ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* & hac pia correptione admonitus Adam sine dubitatione resipuit, dicẽte Scriptura *Sap. 10. Hæc* (sapientia Dei videlicet) *illum qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarũ, custodiuit, & eduxit illũ à delicto suo.* Audi rursus, quã mansuetè, & suauiter per Angelum suũ corripuerit, atq; ad pęnitentiã prouocauerit oẽs filios Israel: *Ascẽdit*, inquit Scriptura *Iud. 11. Ang. Domini de Galgalis ad locũ flentiũ, & ait. Eduxi vos de*

C *AEgypto, & introduxi in terrã, pro qua iuraui patrib. vestris, & pollicitus sum, vt non facerẽ irritũ pactum meũ vobiscũ, in sempiternũ: ita duntaxat vt non feriretis fœdus cũ habitatorib. terræ huius, sed aras eorum subuerteretis. & noluistis audire vocẽ meã, cur hoc fecistis? cũq; loqueretur Angelus Domini hæc verba ad oẽs filios Israel, eleuauerunt ipsi vocem suam, & fleuerũt. Et vocatũ est nomẽ loci illius, locus flentiũ, siue lachrymarũ, immolaueruntq; ibi hostias Domino.* Fuisse aũt illũ fletũ maximũ, & vniuersalẽ, ac veræ pœnitẽtiæ signũ, testatur nouũ nomẽ ei loco impositũ, ad memoriã posteritatis æternã, vt videl. diceretur loc⁹ ille, locus flentiũ, siue lachrymarũ. Quid iã de Prophetis dicã? illi certè in omnib. sermonib. suis hoc docẽt, hoc clamant, *Ezec. 28.* Deũ nõ velle mortẽ peccatorũ, sed vt cõuertãtur, & viuant. *Vulgo dicitur*, ait Dominus per

D Hierem. *c. 3. si dimiserit vir vxorẽ suã, & recedẽs ab ea duxerit virũ alterũ, nunquid reuertetur ad eã vltra? tu aũt fornicata es cũ amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus & ego recipiã te.* Et per Ezec. *c. 33. Sic loquuti estis dicentes: Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo viuere poterimus? dic ad eos, Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortẽ impij, sed vt conuertatur impi⁹ à via sua, et viuat. Cõuertimini, cõuertimini à vijs vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel?* Sed omissis impijs, quanta si benignitas, & suauitas plusquã paterna, & materna Domini Dei nostri in eos, qui timẽt eũ, & sperãt in eo, explicari nullo modo põst. Dauid in Psa. *Ps. 102. Secũdũ altitudinẽ*, inquit, *cœli à terra, corroborauit misericordiã suã super timentes se*, & infra: *Quomodo miseretur Pater filiorũ, misertus est Dominus timentibus se.* & infra. *Misericordia Domini ab æterno, & vsq; in*

ater-

æternũ super timentes se? Et alibi, *Ps.* 33. *Gustate, & videte quoniã suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.* & rursum, *Ps.* 72. *Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde?* i.e., quis explicet quanta sit bonitas, suauitas, dulcedo Domini erga animas pias, & iustas? Per Isa. quoq; ait Dñs, *Isa.* 49. *Nũquid obliuisci põt mulier infantẽ suum, vt nõ misereatur filio vteri sui. Et si illa oblita fuerit, ego tamen nõ obliuiscar tui.* Et Hier. in Thren. *c.* 3. *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eũ. Bonus est Dominus sperantibus in eũ, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.*

A

Quod si iã addere vellẽ, quæ prædicant Apostoli in epistolis suis de paternis visceribus Domini Dei nostri in homines pios, nullus finis inueniretur. Sit omniũ loco, quod scripsit Apost. Paul. initio 2. ep. ad Cor. 2. *Cor.* 1, *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarũ, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Nõ dicit, Deũ esse consolatorẽ, sed totius cõsolationis plenissimũ: nec dicit, qui cõsolatur nos in aliqua tribulatione, sed in omni: nec, vt possimus consolari eos, qui in aliqua, sed qui in omni tribulatione sunt. Itaq; nõ potuit magis amplificare, quàm suauis, & dulcis sit Deus erga eos, quos diligit, & à quibus diligitur.

B

Sed præstat ad finem adscribere verba sancti Prosperi *Lib.* 2. *de voc. gentium c.* 26. quib. explicat benignitatẽ Dei, non solum erga bonos, sed etiã erga malos, vt efficiat bonos: *Gratia*, inquit, *in omnib. iustificationib principaliter præeminet, suadendo exhortationib monendo exemplis, terrendo periculis, incitãdo miraculis, dando intellectũ, inspirando cõsilium, corq; ipsum illuminãdo, & fidei affectionib. imbuendo. Sed etiã voluntas humana subiungitur ei, atq; coniungitur. quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs vt diuino in se cooperetur, operi, & incipiat exercere ad meritũ, quod superno semine concepit ad studiũ, de sua habens mutabilitate, si deficit, de gratiæ opitulatiõe si proficit Quæ, opitulatio per innumeros modos, siue occultos, siue manifesto omnib. adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quod autẽ à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Hæc ille.

C

Capvt IV.

Eia nunc, anima mea, si conditor tuus erga seruos suos tã est suauis & mitis, tã incredibili benignitate peccatores tolerat, vt cõuertat, & iustos cõsolatur, vt magis in iustitia, & sanctitate proficiãt, an nõ deberes & tu proximos tuos benignè tolerare, & omnib. omnia fieri, vt õnes Deo ac Domino tuo lucrifaceres? cogita tecum ad quã sublimem excellentiã Apostolus te hortatur, cũ dicit, *Eph.* 5. *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ, & hostiã Deo in odorẽ suauitatis.* Imitare Deũ Patrẽ, *qui Solem suũ oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Imitare Deũ Filium, qui natura humana ꝓ nobis assumpta vitæ propriæ non pepercit, vt nos eriperet de potestate tenebrarum, & de interitu sempiterno. Imitare Deũ Spiritum s. qui dona illa sua pretiosissima copiosè diffundit, vt spirituales nos de carnalibus efficiat.

D

Gradvs Sextvs

Ex consideratione Ignis.

Capvt I.



Ignis elementũ est vsque adeò purũ, & nobile, vt Deus ipse ignis appellari voluerit, dicẽte Mose, *Deut.* 4. & Paulo *Heb.* 12. *Deus noster ignis consumens est.* Et cũ primũ apparuit Mosi Deus, in igne ru bũ ocupante, & non consumente cõspici voluit: *Apparuit Domin⁹*, inquit Moses *Exod.* 3. *in flamma ignis de medio rubi, et videbat, quod rubus arderet, & nõ cõbureretur.* Et cùm legẽ populo daturus idem Deus aduenit, in ignis forma aduenit. sic n. loquitur idẽ Moses, *Exod.* 19. *Totus mons Synai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eũ in igne.* Ad cuius mysterij similitudinẽ, cum lex noua promulganda esset. *Act.* 2. apparuit Spiritus S. Apostolis in linguis igneis. Deniq; qui Deo proximi sunt in cœlo, Seraphim, h. e. igniti dicuntur. quoniã ab igne illo diuino, & ardentissimo, præter cæteros angelos, feruorẽ ardorẽq; concipiunt. Quæ cũ ita sint, non est difficile, ex elemẽto ignis, siue natura, & proprietatib. gradum nobis conficere, per quẽ ad Deũ meditando & orando cõscendamus. minus certe difficile erit cũ Helia in curru igneo sursum ascẽdere, quam ex terra, vel aqua, vel aere scalã cõficere.

Accedamus ergo ad proprietates ignis cõsiderãdas. Ignis eius est naturæ, vt in rebus diuersis diuerso, ac sæpè contrario modo operetur. ligna, fœnũ, stipulas continuo absumit: aurũ, argentum, lapides petiosos, puriora, & pulchriora reddit. Ferrũ, quod natura sua nigrũ, & frigidũ, durũ, & graue est, ignis in contrarias qualitates ita transmutat, vt continuò lucidũ, calidũ, molle, & leue reddatur; imo vt stella fulgeat, vt ignis comburat, vt aqua liquescat, vt res leuis à fabro ferrario moueri, attollique facillimè possit.

Hæc omnia satis aperte in Deũ conueniunt. ac primũ ligna, fœnũ, stipulæ ex Apost. in priore ad Cor. *c.* 3. opera mala significãt, quæ ignẽ diuini iudicij ferre non possunt. & sane incredibile est, quã vehementer Deo, qui ignis purissimus est, omnia peccata displiceãt; & quanto zelo illa consumat, & destruat, si per pœnitentiã destrui possunt, i.e. si is, qui peccauit in eo statu est, vt pœnitentiã agere possit. per pœnitentiã enim omnia peccata soluuntur: sed si peccator pœnitentiæ capax non sit, vt sunt dæmones, & homines post hãc vitã, in ipsos impios diuina ira conuertitur: *Odio est n. Deo impius, & impietas eius*, ait Sapiẽs 14. Quantũ vero & quã vehemens hoc odiũ sit, testis est Diabolus, qui semel peccauit, & cũ esset Angelus nobilissimus (& teste S. Greg. *li.* 32. *mor. c.* 24. *aliàs* 18.) princeps primi ordinis Angelorũ, ac præstantissima creaturarũ Dei, tamen continuo fuit de cœlo deiectus, atq; omni decore, & gratia supernaturali spoliatus, & in monstrũ deformissimũ cõmutatus, & sempiterno exitio mancipatus. Testis est Christus, qui de cœlo descendit, *vt dissolueret opera diaboli*, 1. *Ioan.* 3. i.e. peccato & ideò Agnus Dei dictus est, qui tollit peccata Mundi. Christus autem, vt opera diaboli destrueret, & iustitiæ Dei perfectè satisfaceret, qui explicare, vel quis cogitare sufficiat, quãta pertulerit: *cùm in forma Dei esset, formã serui*

suscepit, Phil.2. egenus propter nos factus est, cum esset diues, 2.Cor.8. nō habuit vbi caput reclinaret, Luc.9. cùm cœlū, & terrā ipse fecisset: *in propria venit et sui eum non receperunt Ioā.1: cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non cōminabatur, tradebat aūt iudicāti se iniustè qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, 1.Pet 2. humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortē mortē aūt crucis, Phil.2. cuius liuore sanati sumus, 1.Pet.2.* Deniq; illusus, cōsputus, flagellatus, spinis coronatus, crucifixus cū ignominia maxima, & dolore grauissimo, sanguinē totū, vitāq; profudit. atq; hæc ōnia pertulit, vt dissolueret opa diaboli, & peccata nostra deleret. Testis lex Dei, quæ ōne peccatū prohibet, & punit. Et ipsum etiā verbū ociosum impunitū nō relinquit. Et quantū odit flagitia, & facinora, q verbū ociosum ferre non pōst? *Lex Domini immaculata, & præceptū Domini lucidū, Ps.18.* maculas, & tenebras auersātur, neq; esse pōt cōmunio luci ad tenebras, neq; iustitię ad iniquitatē, *2.Cor.6.* Testis est deniq; ipsa gehenna, quā Deus parauit impijs, & peccatoribus, qui sanguine Agni immaculati, cùm potuerūt lauari, noluerūt, aut neglexerūt, iustū est, n. vt in quib. peccatū æternū erit, sit etiā supplicium sempiternū, qualis autem & quanta sit pœna gehennæ, horror est vel cogitare, de qua plura dicemus in vltimo gradu.

Ergo, anima mea, cū tā ingens odiū Dei sit cōtra peccatū, si amas Deū super omnia, debes etiā super omnia odisse peccatū, caue ne te fallāt, qui peccata extenuant, vel excusant. Vide ne te ipse rationib. falsis decipias: si peccatū tibi in te, vel in alijs nō displicet, Deū nō amas: si Deū non amas, perijsti. Iterum, si Christo nō es ingratus, quantū debere te putas charitati ei⁹? laborib. ei⁹? sanguini, & morti eius? qui à peccato te lauit, & Patri recōciliauit. & graue tibi erit deinceps pro Christo aliquid pati, vel eius in gratiā, & cū eius gratia vsq; ad sanguinē peccato resistere? Deniq; si gehennā ignis æterni patiēter ferre nō potes, certè debes omninò nec patiēter ferre peccatū: sed sicut à facie colubri, sic ab illo, & ei⁹ occursu, ac suspicione, etiā leuissima declinare. sit igitur apud te firmū, & ratū, peccati odium maximum cum maximo Dei amore coniungere.

CAPVT II.

IAm verò idē ignis nō destruit, sed perficit, & magis rutilare facit aurū, argentum, lapides pretiosos, quoniā (vt idē Apost. ibidē 2 *Cor.3.* explicat) ista metalla significant opera bona & perfecta, quę igne diuini iudicij approbātur, & mercedē magnā accipient. Ista opera Deus probat, quia sunt munera sua, & *cū coronat merita nostra,* inquit S. August. *concio.2 in Ps.70. coronat munera sua.* Facta sunt n. ipso mandāte, ipso iuuante, ipso virtutē faciendi largiente, & ipso per legē quā dedit, & per regulas, quas cōstituit, dirigēte. Et quidē aurū opera charitatis designat: quo modo aūt possunt charitatis opera Deo nō valde placere, cū ipse Deus charitas sit? Argentū designat opera sapientiæ, eorū videlicet, qui ad iustitiā erudiūt multos; & ipsa quoq; Deo valdè probātur, & placent: dicente Sapientia Dei, *Matt.5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorū.* Lapides pretiosi, sunt opera cōtinentis animæ, de quib. dicit Eccl. *c.28. Omnis ponderatio non est digna cōtinētis animæ.* atq; ea causa est, cur in officio Ecclesiast. in laudē sanctarū Virginū legatur Euangeliū de inuenta vna pretiosa margarita. Quā aūt placeat Deo puritas virginalis, intelligi pōst ex Isa. Propheta, qui nomine Dei prædicit Eunuchis, illis videlicet *Matt.19. qui se castrauerūt propter regnū cœlorū dabo eis in domo mea, & in muris meis locū, & nomē melius à filijs & filiabus nomē sempiternū dabo eis quod nō peribit. Isa.56.* Quē locū S. Aug. in libro de sancta Virginitate *c.22. & 25.* de sanctis virginibus, tā masculis, quā fœminis intelligendū esse magnifica oratione demōstrat. Atq; ista tria sunt opera, quib. ex cōsensu Doctorū debentur aureolæ in regno cœlorūm. dantur n. aureolæ, i.e. certa præmia præter vitā æternā, Martyribus, Doctorib. & Virginibus; Martyribus quidē ob excellentiā charitatis, quia *maiorē charitatē nemo habet, vt animam suā ponat quis pro amicis suis, Ioan.15.* Doctorib. ob eminentiā sapientiæ, de quib. dicit Dan. *c.12. Qui ad iustitiā erudiūt multos fulgebūt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Virginib. ob pretiū incōparabile puritatis, cuius gratia visi sunt Virgines in Apoc. *c.14.* cantare cāticū nouū, quod nemo alius dicere poterat: *Hi sunt*, inquit Ioan. *qui cum mulierib. non sunt coinquinati. virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque ierit*

Neq; tamē sola charitas Martyrū, vel sapiētia Doctorū, vel puritas Virginū probabitur igne diuini iudicij, & mercedē plenā accipiet: sed etiā alia quęcūq; opera bona, modo in charitate sint facta, inter aurea vasa cōputabuntur, & ignē illū diuinū sustinebūt, & præmiū suū accipient. illis n. in iudicio extremo Dominus dicet *Venite benedicti Patris mei. possidete regnū, quod vobis paratū est à constitutione Mundi, Mat.25.* qui panē esurienti, & potū sitienti, & hospitiū peregrino, & vestem nudo, & cōsolationē ægroto, vel in carcere cōstituto præbuerūt. Et idē etiā Dominus promisit. *Matth.10.* non priuandum esse mercede sua, qui calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli ex charitate donauerit.

Intelligis ne, anima, quantū intersit inter opera, & opera? & quid stultius & miserius, quā in eo loco, & tēpore, in quo potes, si sapis, facili negotio aurū, & argentū, & lapides pretiosos comparare, tu malis nō paruo labore ligna arida, & fœnum stipulasque colligere? Vtinam saperes, & intelligeres, ac nouissima prouideres, cum in nouissimo tempore, omnia hæc diuini iudicij igne examinanda, & probanda sint, & illa priora laudanda, & coronanda, hęc posteriora cremāda, & in fauillas, & fumū redigēda.

Cur nūc eligis, quod te elegisse certissimè pœnitebit? Et cur non dāmnas nūc, quādo vtiliter potes, idquod paulo post sine vlla vtilitate dānabis? Et si forte nūc ista nō vides, & velamē rerū præsentiū oculos tuos impedit, ne purā & liquidam aspiciant veritatē, ora Deū, & nō paruo affectu, cū cæco illo de Euāgelio, *Luc.18.* dicas Domino: *Domine da, vt videā.* vel cū Propheta, *Ps.118. Reuela oculos meos, & cōsiderabo mirabilia de lege tua.* nā certè mirabile omnino est, quod opera, quæ in charitate fiunt, aurū, argentū, & lapides pretiosi efficiantur, quæ verò in charitate nō fiunt, in ligna arida, & fœnum, & stipulas conuertantur.

CAPVT III.

VEniamus nūc ad cōsiderandā alterā ignis pprietatē. Hactenus n. ab igne didicimus, quid

quid operetur De⁹ in ijs, qui cũ operib. malis de hac vita decedũt, vel cũ operib. bonis ad finẽ vitæ perueniũt. Nũc per aliã similitudinẽ ab eodẽ igne petitã, intelligere nobis licebit, quid operetur Deus cũ ijs, quos à peccatis ad pœnitentiã vocat

Homo peccator similis est ferro, quod dũ procul abest ab igne, nigrũ; frigidũ, durum, & graue est. Sed si fortè in ignẽ mittatur, efficitur lucidũ, calidum, molle, et leue. Omnis peccator lumine interiore caret, et in tenebris ãbulat, ac per hoc ferri nigredinẽ imitatur, quãuis .n. in scientijs, et cõmercijs humanis nõ solũ ingenio, sed etiã iudicio pollere videatur: tñ in vero bono, et malo dijudicãdo cæcus est, et omni cæco miserior. Cæcus n. nihil videt, et ideò sine duce nõ mouetur at peccator putat se videre, quod non videt, vel vnũ pro altero videt, et iudicat bonum malũ, et malũ bonũ, magnũ paruũ, et paruũ magnũ, longũ breue, & breue longũ: & ea de causa in eligẽdo perpetuò fallitur. Hoc est quod Apost. dicit, *Eph.* 3. de Gentilib. Idololatris: *Tenebris obscuratũ habẽtes intellectũ per ignorantiã, quæ est in illis, propter cæcitatẽ cordis ipsorũ.* Hoc est, quod ipse Dominus in Euãgelio tã sæpè Scribis & Pharisæis exprobrat, quòd cæci essẽt, & duces cæcorũ, *Mat.* 15. 23. Hoc est, quod Propheta *Is. c.* 42. Iudæis sui tẽporis dicit: *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndũ.* Et quib. prædicit Christũ venturũ, qui aperiret oculos cæcorũ: & loquẽs de testamento nouo in psona Dei adiũgit, *Isa.* 42. *Et ducã cæcos in viã, quã nesciunt, & in semitas, quas ignorauerũt, ponã tenebras eorũ in lucẽ, & praua in recta.* Deniq; nõne hoc fatebuntur impij post hãc vitã, quãdo cœperit pœna oculos mẽtis aperire, quos culpa clauserat. *Ergo,* inquiẽt, *errauimus à vita veritatis, & iustitiæ lumẽ nõ luxit nobis, & sol intelligentiæ nõ est ortus nobis, Sap.* 5. Neq; mirum est, quod cæci sint, qui à Deo voluntate & animo sunt auersi. *Deus n. lux est, & tenebræ in eo nõ sunt vllæ.* Ex quo cõcludit idẽ Apost. 1. *Ioan.* 2. *Qui dicit se in luce esse, & fratrẽ suũ odit, in tenebris est vsq; adhuc.* & paulò pòst: *Qui odit fratrẽ suũ, in tenebris est & in tenebris ambulat, & nescit, quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.*

Neq; sola causa cæcitatis in peccatoribus est, quòd à Deo, q lux est, auersi sunt, sed etiã, quia *excæcauit eos malitia eorũ*, vt Sapiẽs loquitur, *Sap.* 2. passiones n. animi amor & odiũ, ira, inuidẽtia, & alia, quæ sub nomine malitiæ cõprehendũtur, ita excæcant animũ, vt verũ cerni nõ patiãtur, sed sunt veluti pspicilla colorata, quæ alba repræsentãt, vt rubra, vel perspicilla illa cõposita, vt ex reb. paruis res magnas efficiãt, vel cõtra ex magnis paruas: aut ex valdè distãtibus, propinquas, vel distantes ex propinquis.

Qui vehementer amat, rẽ quã amat, pulcherrimã, vtilissimã, optimã, imo etiã necessariã sibi esse iudicat; ac per hoc, omnib. alijs neglectis, & perditis comparandã. Cõtra, qui rẽ eandem vehementer odit, deformẽ, inutilẽ, malã, imò etiã pernitiosam sibi rẽ illã esse cẽset, ac perhoc etiã cũm iactura omniũ rerũ penitus repellendã. Sed si ferrũ illud nigrũ & tetrum admoueatur ad ignẽ, i. e. si peccator à peccato auerti, & ad Deum conuerti incipiat, iuxta illud Prophetæ *Ps.* 33. *Accedite ad eũ, & illuminamini,* Paulatim incipit illustrari & rei veritatẽ perspicuã, in lumine illo videre, iuxta illud eiusdẽ Prophetæ *Ps.* 35. *In lumine tuo videbimus lumen,* Et tunc demum fracto perspicillo colorato passionũ, & assumpto chrystallino, quod est charitas pura, res æternas iudicat magnas, & tẽporales exiguas, ac penè nullas vt reuera sunt. & oẽm speciẽ, ac puchritudinem creatã cũ luce sapiẽtiæ, & veritatis, quæ in Deo, & Deus est, nullo modo cõparandã esse clarissimè respicit. Itaq; cum S. August. exclamat: *Lib.* 10. *confess. c.* 27. *Sero te amaui pulchritudo tam antiqua, & tã noua, sero te amaui.* Et quoniã Christus dicit. *Cognoscetis veritatẽ, & veritas liberabit vos,* iste illuminatus, & lumine veritatis liberat⁹ à cõpedibus concupiscentiæ, auaritiæ, ambitionis, & passionũ reliquarũ, exultat cũ Propheta *Ps.* 115. & dicit: *Dirupisti Domine vincula mea: tibi sacrificãbo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.*

Iam vero ignis, ferrũ non solũ efficit lucidum ex obscuro; sed etiã calidũ ex frigido, nec tantũ calidũ, sed ita feruens, & ardẽs, vt ignis ipse esse videatur. Magnus Dominus, & magna virtus eius, qui hominẽ natura frigidum, atq; omnia timentẽ, & pauentẽ, qui nec loqui, nec se prodere, nec rẽ vllã paulò difficiliorẽ tentare audet: statim ac igne charitatis accẽdit, efficit audaciorẽ leone, qui & rugitu oẽs terreat, & bellando oẽs vincat, cui nihil difficile, nihil arduũ videatur; & cũ Apostolo Paulo isto igne vehemẽter accẽso dicat, *Phil.* 4. *Omnia possum in eo, qui me cõfortat.*

Sed per partes de ista efficacitate ignis dicamus, ac primùm de efficacia verborũ, deinde de efficacia factorũ breuiter disseram⁹. Multi sunt hodie, ac semper fuerunt in Ecclesia verbi Dei prædicatores, quæ causa est cur ad tot virorum exhortationes, & clamores tã pauci cõuertãtur? certè in magnis vrbibus quotidie per Quadragesimã vinginti, aut triginta, aut quadraginta oratores declamãt: & tamẽ exacta quadragesima, nulla ferè mutatio in moribus ciuitatis apparet, eadẽ vitia; eadẽ peccata, eadẽ frigiditas, eadẽ dissolutio cernitur. Ego nullã inuenio causam, nisi quia vt plurimũ conciones eruditæ, & elegãtes, & floridæ fundãtur, sed deest anima, deest vita, deest ignis, breuiter magna illa charitas deest, quę sola pòst verba dicentiũ animare, & accẽdere, & corda audientiũ inflãmare, & commutare. Neq; hoc dico quia desit multis prædicatorib. cõtentio vocis, & motus totius corporis: nã etiã bombardæ sine pila ferrea vel lapidea magnum sonitũ edũt, sed absq; fructu: quod desideratur, h. e. vt præferãt magnũ affectũ erga Deũ, & animarũ salutẽ, eumq; non simulatũ, sed verũ, non extortum, sed quasi naturaliter ex fonte cordis manantem.

S. Petrus artẽ dicendi nõ nouerat, solius nauiculæ regendæ, retiumq; reficiendarũ, & iaciendarũ peritus erat: Sed vbi Spiritus S. in linguis igneis super eũ descendit, & charitate ardentissima illũ repleuit, cœpit continuò in media vrbe Hierosolyma, ita potẽter, ita ardẽter, ita efficaciter loqui, vt vno sermone multa hominũ millia ad poenitẽtiã, fidemq; cõuerteret, *Act.* 2. Neq; tamẽ legitur in cõcionib. suis magna vociferatione vsus, aut toti⁹ corporis cõmotione fatigat⁹.

De S. Francisco refert S. Bonauentura, eũ nec valdè eruditũ fuisse, neq; Rhetoricæ operã dedisse, & tamẽ cũm ad populũ cõciones haberet, audiri solitum vt Angelũ de cœlo. Erat n. inq *c.* 2. vitæ S. Francisci, verbũ eius velut ignis ar-

dens penetrans intima cordis,& vt narratur in chronicis Ord.Minorũ c.30. cùm aliquãdo post prandiũ ex improuiso paucis verbis ad populũ loquutus esset,tãta facta est in toto populo cõmotio ad pœnitentiã,vt videretur illa dies ipsa feria sexta parasceues Domini fuisse. Vnde, ex paucis verbis tanta cõmotio? tantus fructus? ex eo videlicet,quòd Sanctus ille cóciónator esset quasi carbo ignitus,& verbũ eius vt facula ardẽs,vt de Elia scriptũ reliquit Ecclesiastic.c.48. Habemus scriptos sermones S. Vincẽtij, S.Bernardini,& aliorũ quorundã Sanctorũ,quos vix dignantur aliqui legere, ob nimiã, quæ in ipsis cernitur,verborũ simplicitatẽ:& scimus tamen ab illorũ cõcionib.multa hominũ millia ad Deũ fuisse cõuersa,& ipsos incredibili cõcursu,& attẽtione fuisse sẽper auditos,quia videlicet verba ipsa simplicia à peccatorib.ignitis,& scintillãtib. ꝓdibãt. porrò ignis iste diuinus efficacitatẽ suã,nõ minus in factis, quàm in verbis ostẽdit.

Decreuit Deus per Apostolũ Petrũ Romanã vrbẽ caput Imperij,& dominã gentiũ sibi subijcere:decreuit quoq; Apostolos cæteros,alios ad Aethiopas,alios ad Indos,alios ad Scytas, alios ád vltimos Britannos mittere,ac per eos Idola Mundi destruere,trophæũ Crucis erigere,leges & ritus mutare,diaboli tyrannidẽ euertere. Si quis ista prædixisset Apostolis quando piscabãtur in lacu Genesareth,aut quando in passione Domini latibula quæritabãt,visa fuissent veluti somnia,vel aniles fabulæ: & tamen paulò pòst facta sunt omnia,& nõ alijs virib. quàm viribus ardentissimæ charitatis, quã in eorũ cordibus Spiritus S. accendit: *Charitas n. foras mittit timorẽ*, 1.*Ioan*.4.*omnia suffert,omnia sperat*,1.*Cor*.13.Omnia sibi possibilia ducit,& cũ Apostolo, *Phil*. 4.clamat:*Omnia possum in eo,qui me confortat*. Ita videmus horũ hominũ,sola charitate armatorũ, opera,& labore breui euersam fuisse in toto orbe terrarũ Idololatriam,fundatas vbiq; Christi Ecclesias,& erectũ Crucis trophæũ in vniuersis Regnis,idq; sine exercitu militum, & sine vllo bellico apparatu.

CAPVT. V.

PORrò ignis etiã illud propriũ habet,vt ferrũ ex duro efficiat molle,vt facilè attenuari,atq; extendi in laminas,& ad oẽs figuras ab artifice accõmodari possit. Magna est efficacitas ignis in ferrũ,sed longè maior est virt⁹Dei nostri in pectora obstinata,& obturata mortaliũ. Audi S.Bernardũ in libro de cõsideratione,c. 2. *Solũ*,inquit,*est cor durũ,quod semet ipsum nõ exhorret,quia nec sentit. quid ergo cor durũ, ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precib. minis nõ cedit. flagellis duratur: ingratũ est ad beneficia, ad cõsilia infidũ*.& infra. *Ipsum est, quod nec Deũ timet, nec hominẽ reueretur*. Quæ omnia esse verissima, testis est Pharao, qui quo magis à Deo flagellabatur,tanto magis indurabatur,& quo maior elucebat Dei clemẽtia in amouendo flagello,eo magis ipse ad Deũ spernẽdũ,& contemnendũ animabatur. Sed si quando placuerit Domino scintillã ignis veri sui amoris in corde quantũuis duro succendere, continuò mollescet,& instar ceræ liqſcet,neq; illi⁹ virtuti vlla obstinatio diuturna,vel dura resistet. sed fiet cõtinuò cor carneũ,q̃ fuerat lapideum, & ex cõgelatis niuib⁹,flante spiritu Dñi,fluent aquæ. Exemplũ habemus in Euãgelio, *Luc*.7.de muliere illa,quæ erat in ciuitate peccatrix,quã nec monita fratris,ne sororis obiurgatio,nec honor familiæ, nec propriũ dedec⁹ mouere potuerãt, vt à peccãdo desisteret,& vnus tñ Christi radi⁹ in cor eius penetrãs,ibiq; scintillã diuini amoris accendẽs,ita subitò eã transformauit in aliã, vt nõ erubuerit fœmina nobilis in loco publici cõuiuij ad Christi pedes accedere, & tota versa in lachrymas,ex ipsis lachrymis balneum Christi pedib.facere,& proprijs capillis, vice lintei,pedes eiusdem abstergere,& illos pedes ex amoris vehemẽtia identidẽ osculari,& vnguẽto pretiosissimo & odorato perũgere, vt se & sua omnia Christi obseqo dedicare velle deinceps significaret.Itaq; meruit vocẽ illã Domini audire.Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.Sed libet aliud quoque exemplũ multò recentius in medium adferre.

Gulielmus Dux Aquitaniæ tẽporib.S.Bernardi fuit, si quis alius,in tuẽdo Anacleto schismatico Põtifice,& Innocẽtio legitimo oppugnãdo obstinatus,& pertinax.Exturbauerat ex ditione sua Episcop.Catholicos oẽs, & iureiurando sese obstrinxerat,nũquã pacẽ cũ illis se habiturũ,& quia nouerãt oẽs obduratũ cor eius ad malũ,& ferociã,ac superbiã hominis verebant̃,nemo erat,qui eũ admonere auderet. Placuit Dñno ꝑ seruũ suũ Bernardũ,cor huius obdurati hominis visitare, & scintillã non paruã diuini amoris in pectore ipsius accẽdere.cõtinuò ex leone agnus,ex superbo humilis,ex pertinace obediẽtissimus factus est,ad vnũ S. Bernardi verbũ,Episcopũ Pictau.eũdem amicè cõplexus in sedẽ suam manu sua reposuit,& quod oẽm admirationem superare videtur,cũ quæsiuisset à quodã Eremita remediũ animæ suæ ob admissa peccata,& ille iussisset vt loricã æreã super nudã carnẽ indueret,& clauis ita claudi sineret, vt nũquã illã exuere posset;cõtinuò paruit,& missus ab Eremita ad Summũ Põtificẽ ꝓ absolutione recipiẽda dicto obediuit,& cũ Sũmus Põtifex suspicaretur, eũ nõ ex corde pœnituisse,vel patientiã eius experiri vellet,iussit eũ vsq; ad Hierosol.peregrinari,& à Patriarcha ei⁹ ciuitatis absolutionẽ petere. Gulielmus mox iter arripuit,& mandatũ Põtificis adimpleuit,deniq; cũ ex potentissimo Principe humilis Monach.esset effectus, vix vllus fuit eius ætatis,qui eũ demissione,patientia, paupertate,deuotione,& pietate superaret. *Hæc*, videlicet,*est mutatio dexteræ excelsi*,*Ps*.76.hęc est vis ignis diuini,cui nulla cordis obstinatiõe resistitur.

CAPVT. VI.

REstat vltima ꝓprietas ignis,quòd res graues extenuet,& facili negotio sursum attollat.Quę causa est,cur homines,qui nõ ardent amore diuino, graues corde sint,& dicat illis Propheta,*Ps*.4.*Vsquequò graui corde, vt qd diligitis veritatẽ,et quæritis mendaciũ?* Ea nimirũ est causa, quia *corpus quod corrũpitur, aggrauat animã*, vt dicit Sapiens, c.9.& *iugũ graue super filios Adã, à die exitus de vẽtre matris eorũ, vsq; in diem sepulturæ in matrẽ omniũ*, inquit Ecclesiast.c.40. Quod sit autẽ hoc iugũ graue, quod in corpore mortali aggrauat animã, explicat idem auctor paulò post, cum addit, furor,zelus,fluctuatio,timor, iracũdia,& cætera quæ passiones animi dici solent. Hæc hominem ita grauant, vt nihil aspiciat, nisi terram,cui postratus inhæret,& nec ad Deũ

quærendum assurgere, nec viam mandatorum Dei expeditè currere possit. Sed cùm incipit ignis diuinus ex alto corda humana succedere, continuò passiones illæ diminui, & mortificari, & onus graue leuius fieri incipit, & si ardor crescat, non difficilè est cor humanum ita exonerari, vt accipiat pennas sicut columbæ, & cũ Apostolo, *Phil.* 3. dicere possit: *Conuersatio nostra in cœlis est* & quasi corde dilatato per ignem, dicat cum Dauide, *Ps.* 118. *Viam mandatorum tuorũ cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Certè postea quã Saluator dixit, *Luc.* 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* Vidimus plurimos ita leues effectos, vt omnem honorum, & carnis, & diuitiarũ affectum deposuerint, & Christo in cœlos abeunti dixerint, *Cant.* 1. *Trahe me post te.* hinc tot monasteria erecta, tot deserta habitari cœpta, tot chori Virginũ inuenti, quibus nõ solùm facilè fuit, viã mandatorum currere, sed etiam per viam consiliorum ascendere, & sequi agnum quocunque ierit.

O beatus ignis, qui non consumis, sed illuminas, & si consumis, humorem noxium consumis, ne vitam extinguat. Quis mihi dabit, vt isto igne corripiar, qui nigrediné ignorãtiæ, & erroneæ conscientiæ obscuritaté lucé veræ sapiẽtiæ purget & tollat? qui frigus pigritiæ, indeuotionis, & negligentię cum amoris ardore commutet? qui cor meum indurari nunquam sinat, sed calore suo semper emolliat, & obediens atq; deuotum efficiat: qui deniq; iugum graue terrenarum curarum, & terrenorum desideriorũ auferat, & pennis sanctæ contemplationis, quæ charitatem nutrit, & auget, cor meum sursum attollat, vt cum Propheta *Ps.* 85. dicere possim: *Lætifica Domine animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.*

GRADVS SEPTIMVS

Ex consideratione cœli, id est, Solis, Lunæ, & Stellarum.

CAPVT I.



NOn laborabimus hoc loco, vt ex cõsideratione cœli gradum nobis ad Deum conſiderandũ erigamus. habemus enim præeuntem Prophetã Regium, qui in Psalmis canit, *Psal.* 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, & quoniam duo tempora sunt, quibus è cœlo ad Deum pẽnis contemplationis ascẽdimus, diurnum videlicet, & nocturnum; de priore scribit in illo *Ps.* 18. *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquã sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt Gygas ad currendã viã, à summo cœlo egressio eius & occursus eiꝰ vsq; ad summũ eius, nec est qui se abscõdat à calore eiꝰ.* De posteriore scribit in *Ps.* 8. *Videbo cœlos tuos, opera digitorũ tuorũ, lunã, & stellas, quæ tu fundasti.*

Incipiamus à priore tempore. De Sole, quẽ interdiu videmꝰ, quatuor laudes canit Spiritꝰ S. per os Dauid; primã, quòd sit tabernaculũ Dei; secundã, quòd sit pulcherrimꝰ; tertiã, quòd velocissimè, & sine fatigatione semꝑ currat; quartã, quòd illuminãdo & calefaciẽdo virtutem suã maximè manifestet. Propter hæc omnia scripsit Ecclesiasticus, *cap.* 43. *Vas admirabile opus excelsi, magnus Dominus, qui fecit illum.*

Primũ igitur, conditor omniũ rerũ Deus, in Sole, tãquã in re nobilissima posuit tabernaculũ suũ, i. inter oẽs res corporales elegit Deꝰ Solẽ, vt in ipso, tanquã in palatio regio, vel diuino sanctuario habitaret. Cœlũ quidẽ & terrã Deus implet, & cœlũ, ac cœli cœlorũ eũ nõ capiunt, *Hier.* 23. tamẽ ibi magis habitare dicitur, vbi maiora signa pręsentię suę, mirabilia operãdo manifestat. Sed quoniam in textu Hebraico dicitur, Soli tabernaculum posuit in eis, i. in cœlis: colligimus ex hoc loco Psalmi, alteram Solis excellentiam, quæ cum priore non pugnat.

Magna res est Sol, cui palatiũ amplissimum, pulcherrimum & nobilissimũ Deus parauit. voluit. n. vt cœlũ ipsum esset palatiũ Solis, in quo liberè perãbularet, & operaretur: & ipse Sol esset palatiũ summi Principis Dei. Quẽadmodum igitur cognoscimus magnitudinẽ & eminentiã Solis ex eo, quòd tabernaculum eius est cœlum, ita cognoscimus magnitudinem & eminentiam Dei, ex eo, quod tabernaculum eius est Sol, vas videlicet admirabile, & quo nihil mirabilius in rebus corporalibus inuenitur.

Deinde Dauid, vt pulchritudinem eximiã Solis ex reb. notis ostẽderet, cõparauit eum cũ sponso egrediente ex thalamo suo. nunquã. n. se magis ornãt homines, neq; vnquã magis speciẽ & pulchritudinẽ ostentare cupiunt, quàm cùm spõsi sunt. tunc. n. sponsæ oculis, quã vehementissimè diligunt, placere supra modum cupiũt. Sed si possemus in Solem aciẽ oculorum figere, & si ꝓpinquiores illi essemus, & totum, quantus est, & qualis est, videremus, nõ indigeremus similitudine spõsi ad eius incredibilẽ pulchritudinem capiendam. certè omnis venustas colorũ à luce pẽdet, & absente luce omnis colorum pulchritudo euanescit. proinde nihil est pulchrius luce, & Deus ipse, qui est ipsa pulchritudo, lux appellari voluit. *Deus*, inquit S. Ioan. 1. *ep. c.* 1. *lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* porrò in rebus corporalibus, nihil est Sole lucidiùs, ac per hoc nihil est sole formosius. Adde pulchritudinem rerum inferiorũ, atq; hominũ præcipuè, breui marcescere, solis pulchritudinẽ nunquã extingui, nunquã minui, semper omnia æquali splẽdore lætificare. An nõ sentimus, in exortu solis quã videãtur res oẽs quodammodo exhilarari? nec solũ homines lætari, sed etiam suaues venti spirare, flores aperiri, herbas exurgere, auiculas aerẽ cãtu mulcere? Hinc ille cæcus senex Tob. c. 5. dicenti sibi angelo: *Gaudium tibi sit semper*: respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video.*

Age igitur, anima mea, & tecum reputa, si sol creatus exortu suo ita lætificat oẽs, quid faciet Sol increatus, sine vlla cõparatione pulchrior, & lucidior, quãdo puris cordibus, nõ ad breue tẽpus, sed in æternũ videndus, & contẽplandus orietur? Et quã infelix, & tristis hora succedet perditis hominibꝰ, qñ in tenebras sempiternas sepeliendi amãdabuntur, vbi nec solis increati, neq; creati radij, vllo vnquã tẽpore penetrabũt? & quale gaudiũ erit animæ illi, cui à Patre luminũ dicetur; *Matth.* 25. *Intra in gaudium Domini tui?*

CAPVT II.

POstea idem Propheta celebrat Solis cursum prorsus admirabilem: *Exultauit*, inquit, *Ps.* 18. *vt Gygas ad currendã viã.* Gygas

certè robusti, si pro magnitudine corporis passus extendat, & pro viriũ robore velociter currat, ingens omnino spatium breui tempore cõficiet. Et quidem Propheta, quoniam Solẽ cõparauerat homini sponso, vt explicaret, eo modo, quo poterat pulchritudinem Solis; sic postea comparauit homini gigãti, vt eo modo quo poterat, eadem similitudine vtẽs, Solis cursum velocissimum explicaret. Sed etiam si non homini, quantumuis magno, & robusto, sed auib⁹ volantibus, sagittis, ventis, fulminibus cõparasset, adhuc longissimè à veritate abesset. nã si verum est, quod oculis cernimus, Solem viginti-quatuor horis percurrere totum ambitum sui orbis, & si ambitus orbis Solis infinitis ferè partibus orbis terræ ambitum superat: & si ambit⁹ orbis terræ circiter viginti millia milliariorũ cõplectitur; quæ sunt omninò verissima? sine dubio sequitur, vt singulis horis multa milliariorum millia Sol currendo conficiat. Et quid dico, singulis horis, imò singulis quadrantibus, ac ferè singulis horarũ particulis. Nã si quis velit ortum, vel occasum Solis obseruare, præsertim in horizõte aperto, qualis est in mari, vel in planitie campestri, intelliget totum corpus Solare ascendere supra horizontem, minori spatio tẽporis, quàm sit octaua pars horæ; & tamen diameter corporis Solaris multò maior est, quàm diameter orbis terrę, qui tñ septẽ millia milliariorũ continet. Ego ipse volens curiosè aliquãdo cognoscere, quanto tẽporis spatio Sol totus occumberet in mari: cępi ad initium occasus eius legere Psalmum Miserere mei Deus, & vix totum bis legeram, cùm iã Sol totus occubuisset. Ergo necesse est, Solem eo breuissimo tempore, quo bis legitur Psalm. Miserere, cursu suo percurrere spatiũ multò maius, quàm sint septẽ millia milliariorũ. Quis hoc crederet, nisi certa ratio demonstraret? Et si quis nunc addat, corpus, quod tã velociter mouetur, esse molẽ toto orbe terrarum longè maiorem: & motum tanti corporis, & tam velocem sine vlla intermissione, vel fatigatione peragi, &, si Deus iubeat, æterno tempore posse durare: certè nisi stipes, aut truncus fuerit, nõ poterit infinitam conditoris potẽtiam non admirari. Verè igitur scribit Eccles. hoc esse vas admirabile, opus excelsi, & verè magnum Dominum, qui fecit illud.

Caput III.

Restat efficacitas luminis, & caloris, de qua dicit Dauid, Nec est, qui se abscõdat à calore eius. Hoc vnũ corpus lucidũ in medio Mũdi positum omnia sydera, omnem aerẽ, omnia maria, omnem terrã collustrat, & calore suo viuifico vbiq; terrarum omnia germina, oẽs segetes, oẽs arbores virere, & frõdere facit, oẽs fructus ad maturitatem perducit; & infra terrã etiã virtutem suam diffundit, ac metalla omnis generis producit. Quare S. Iac. initio ep. suæ, c. 1. Deum ipsum cum Sole comparauit: *Omne datũ optimum*, inquit, *& omne donum perfectum de sursũ est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obũbratio* Sol quidẽ est pater luminum corporaliũ, Deus aũt est pater luminum spiritualium; sed in tribus reb. dissimilitudo magna est inter Deum & Solẽ, primùm. n. Sol, vt totum orbem terrarum lumine & calore compleat, necesse habet transmutatione perpetua: Deus aũt, quia vbiq; totus est, trãsmutatione non indiget. Idcircò S. Iac. dicit: Apud quẽ non est trãsmutatio. Deinde, Sol propterea, quòd semper mutat loca, ideò per vices alijs diẽ facit, alijs noctẽ relinqt, alijs lucet, alijs obũbratur: De⁹ aũt nunquã mouetur, & semper omnib. pręsens est, ideò & S. Iac. addit: Nulla est apud eum vicissitudinis obumbratio. Deniq;, quod est omnium maximũ, à Sole patre luminum corporaliũ sunt omnia data, & dona, quæ nascuntur in terris: sed hæc bona sunt, sed neq; optima, neq; perfecta, quin poti⁹ exigua, tẽporalia, caduca, & quæ nec hominẽ bonum faciũt, & quibus malè vti possunt, qui volunt, quæq; in suã perniciẽ plurimi cõuertunt. At à Deo patre luminum spiritualium, descendunt omnia data optima, & dona perfecta, quæ habentẽ optimũ, perfectumq; efficiunt, & quib. nemo malè vti potest, & quæ in ijs perseuerantẽ perducunt ad statum veræ felicitatis, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus.

Quære igitur, anima mea, quæ sint ista data optima, & dona perfecta, quę desursũ sunt, atq; à luminum patre descẽdunt, vt cùm inueneris, de illis sollicita sis, atq; illa totis virib. obtinere nitaris. Sed non est, q̃ lõgè discedas, satis hoc tibi ipsa Solis natura monstrabit. Sol. n. lumine & calore omnia peragit atq; hæc sunt data & dona patris luminum corporalium, lumẽ & calor. sic igitur data optima, & dona perfecta, quę desursum sunt, descenduntq; à vero Patre luminum Deo, sunt lux sapientiæ, & ordinatio charitatis. Lux sapientiæ, quæ verè sapientem facit, & qua nemo potest vti malè, & quæ ad fontem sapiẽtiæ in cœlesti patria situm perducit, est illa quæ docet contemnere temporalia, & magnifacere sempiterna; docet, *Nõ sperare in incerto diuitiarũ, sed in Deo viuo, 2. Tim. 6.* Docet non facere de exilio patriam, nec amare peregrinationẽ, sed tolerare; deniq; docet, habere vitam hanc pręsentem in patientia, cùm sit plena periculis, & tentationibus; & mortem in desiderio, quia: *Beati mortui, qui in Domino moriũtur. Apoc.* 14. Ordinatio verę charitatis quid est, nisi Deum, qui finis est omnium desideriorum, sine fine, & sine mẽsura diligere: res cæteras quæ sunt media ad finẽ diligere cum mensura, & modo, quantũ videl. necesse est ad finem, id est, ad beatitudinem cõsequẽdam. Certè nemo est inter filios hominũ, qui circa corporis curã ita ordinem inuertat, vt sanitatem amet cum mẽsura, & amarã potionem sine mensura, cùm sciat illã esse finem, hãc medium. Vnde igitur fit, vt tã multi, qui sapiẽtes videri volũt, in coaceruãdis diuitijs, in quærẽdis voluptatib. carnis, & in adipiscẽdis honorũ gradib. nullũ modũ inueniãt, quasi hęc bona finis sint cordis humani; & in amando Deo, & felicitate sempiterna quęrẽda, ijs angustijs contẽti sint, quasi hæc media sint ad finem, non finis omnium mediorũ? Illa omninò cã est, quia sapientiã huius Mundi habẽt, nõ sapientiã, quę de sursũ est, descẽdens à patre luminũ, & quia ordinatã charitatẽ nõ habẽt, ac per hoc charitatẽ verã nõ habẽt, quę nisi ordinata esse nõ põt; sed pleni sunt cupiditate, quæ ex patre nõ est, sed ex mũdo. Tu igitur, anima mea, dũ peregrinaris à patria, & inter hostes versaris, q verę sapientię, veræq; charitati insidiãtur, & astutiã pro sapiẽtia,

& cupiditatē pro charitate ſupponunt, ingemiſce toto corde ad Patrē luminum, vt data optima, & dona perfecta, veræ ſc. ſapiētiæ lucem, & ordinatæ charitatis ardorem ad cor tuum deſcendere faciat, vt ijs repletus, per viam mandatorum Dei inoffenſo pede decurras, & ad patriam illam peruenias, vbi de ipſo fonte ſapiētiæ bibitur, & de puro lacte charitatis viuitur.

CAPVT IV.

VEnio nūc ad tempus nocturnum, in quo cœlum nobis per Lunam & ſtellas gradū facit ad aſcendendum in Deum. ſic. n. loquitur Dauid, *Pſ.8. Quoniā videbo cœlos tuos operā digitorum tuorum, lunā, & ſtellas, quæ tu fundaſti.* Si cœlū ipſum videre poſſemus, non diceret Propheta, quaſi explicādo, quod ante poſuerat, lunam, & ſtellas, quæ tu fundaſti, & ſanè ſi ad cœlum ipſum ſenſus noſtri pertingerent, aut eius naturam, & qualitates certa ratione inueſtigare poſſemus, ſine dubitatione egregiā ſcalam haberemus ad Deum. Non ignoramus quidē non defuiſſe, qui ex motu ſyderum, naturā cœli definierint quintam eſſentiam ſimplicem, incorruptibilem, & quę perpetuò moueatur in orbē: ſed ſcimus etiam non defuiſſe alios, qui cœlum eſſe voluerint elementum ignis, quod non moueatur in orbem, nec ſit incorruptibile ſecundùm partes, nos autem non opiniones, ſed ſciētiam certam, aut doctrinam fidei quærimus, vt ex ea nobis ad Deum cognoſcēdum ſcalam ſolidam conſtruamus. Ergo contenti erimus Luna & ſtellis, quas videmus ſcalam erigere cum Propheta, vt paulò ante fecimus ex Sole, qui eſt lux, & Princeps luminum reliquorum.

Luna duas habet proprietates, quę nobis vtiles eſſe poſſunt ad aſcendēdum, & promerendū Deū. prior eſt, quòd quò magis propinquat ad Solem, eò magis illuſtratur in parte ſuperiore, qua reſpicit cœlum, & obſcuratur in parte inferiore, qua reſpicit terram: & quando eſt omninò ſubiecta Soli, & cum eo omnino coniuncta, tum tota eſt lucida verſus cœlū, & obſcura verſus terram: & contrà, cùm eſt oppoſita Soli, tota illuſtris cernitur ab ijs, qui terram incolunt, & nihil lucis habet in parte ſuperiore, quā intuētur, qui incolūt cœlū. Hæc lunæ proprietas magnum eſſe poteſt documentum, vel exemplum mortalibus, vt intelligant, quā ſolliciti eſſe debeant propinquitatis & ſubiectionis, & coniūctionis ad verum Patrem luminū, Deum. Luna ſignificat hominē; Sol Deum, quando Luna eſt oppoſita Soli, tūc lumine mutuato à Sole, reſpicit ſolam terram, & terga quodammodo vertit cœlo: vnde etiam tūc pulcherrima apparet habitantib. in terra, ſed deformiſſima habitātib. in cœlo. Sic omnino mortales homines, quādo lōgiſſimè receſſerunt à Deo, vt filius ille prodigus, quando receſſit à Patre, & abijt in regionē longinquam, tunc abutuntur lumine rationis, quod à Patre luminum acceperunt, ad ſolā terram inſpiciendam, & obliti Deum, ſolam terrā cogitant, ſolam terram amāt, & in eius bonis adipiſcendis, toti occupantur, & tunc à filijs huius ſæculi ſapientes & beati prędicantur. Sed ab ijs, qui degunt in cœlo, pauperes, & nudi, & cæci, & deformes, & miſeri, & miſerabiles iudicantur *Apoc.3.* Contra verò Luna cum Soli cōiuncta, illi perfectè ſubijcitur, tota lucet ex parte ſuperiore, & cœlum ſolū reſpicit, terrę verò terga quodammodo vertit, & ab humanis oculis penitùs euaneſcit. Sic omnino cū impius incipit ad pietatem reuerti, & per conuerſionē perfectā Deo, vero animarum Soli, ſubijcitur per humilitatē, & cōiungitur per charitatem. tunc adimplet, quod Apoſt. monet, *Col.3.* vt quæ ſurſum ſunt quęrat, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei, & quæ ſurſum ſunt ſapiat, nō ſuper terram: & tunc ab inſipiētibus cōtemnatur, & quaſi mortuus reputetur. verè. n. qui talis eſt, mundo mortuus eſt, & vita eius abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. ſed cū apparuerit Chriſtus vita eius, tūc & ipſe apparebit cum Chriſto in gloria, vt idem Apoſtolus eodem loco ſubiungit. *Coloſſ.3.*

Atq; hęc eſt cauſa (vt S. Aug. in ep. ad Ianuar. *ep.118.c.4.5.6.* annotauit) cur Paſcha Domini, tā in lege veteri, quàm in noua, non poſſit ritè celebrari, niſi plenilunio peracto, i. cū Luna, quæ in plenilunio eſt oppoſita, incipit per cōuerſionem redire ad cōiunctionem cum Sole. Voluit enim Deus hoc cœleſti ſigno demonſtrare, per paſſionem & Reſurrectionem Domini factum eſſe, vt homo cōtrarius Deo, per iniquitatē ſuā, inciperet cōuerti ad Deū, atq; ad eius gratiā, & vnionem properare per meritum Ieſu Chriſti.

Sed tu, anima mea, ſi adſpirāte gratia Dei, inuenias te fortè ſubiectam Patri luminū per verā humilitatē, eiq; feliciter coniunctam per ardētem charitatē, noli ſtultos imitari, qui ſicut Luna mutantur; ſed ſapientes æmulare, qui vt Sol permanēt, Eccl. teſte *c.27.* Luna. n. quàm velociter ad cōiunctionem accedit, tam velociter à coniunctione recedit, tu verò ſi ſapis, adeptam ſemel gratiam noli deſerere, noli abire, noli recedere, nihil. n. melius vllo in loco reperies: neq; ſcis an aliàs reuerti dabitur, ſi ſpontè receſſeris. qui. n. promiſit veniam pœnitentibus, & gratiā reuertentibus, nec vitam longiorem, nec donū pœnitētię tibi promiſit. Ergo ſecurè terga vertas terræ, & ſolē tuum intuere, in illo conquieſce, in illo delectare, in illo permane. dicas cum Apoſt. Petro. *Matt.17. Bonum eſt nos hic eſſe,* & cū Martyre Ignatio, *Ep. ad Rom. Bonum mihi eſt cum Chriſto viuere, quàm regnare in finib. terræ.* Et parū tibi ſit, quid de te iudicent, qui terram ſapiunt. Non enim ille probatus eſt, quem Mundus commendat, ſed quem Deus commendat.

CAPVT V.

EST alia Lunæ conſuetudo, quā Deus quoq; cum electis ſuis ſeruare ſolet. Luna ſiquidē prǽeſt nocti, ſicut Sol diei, vt dicit Moſes in Gen.1. & Dauid in Pſal. *Pſ.135.* ſed Sol diē totū continuo ſplendore colluſtrat. Luna verò nunc magno lumine noctis tenebras cōſolatur. ſic Deus, vt ſol, Angelos ſanctos, & animas beatorū, quib. perpetuus dies eſt (*nox. n. non erit illic,* ait S. Ioan. in Apoc. c.21.) perpetua claritate illuſtrat, noſtræ aūt huius peregrinationis & exilij noctem, in qua *per fidem ambulamus, & non per ſpeciem,* 2. *Corinth.* 5. & Scripturæ ſanctæ intendimus tanquam *lucernæ lucenti in caliginoſo loco,* vt ait S. Petrus in ep.2.c.1. Deus, vt Luna, per vices corda noſtra illuminādo viſitat: & aliquādo in tenebris deſolationis relinquit. Nec tamē debes, anima, nimium contriſtari, ſi nullo conſolationis lumine frueris: neq; nimiū hilarari, ſi paulò poſt in luce cōſolationis & deuotionis reſpi-

reſpiras. Deus enim non Solem, ſed Lunã ſe gerit in huius ſæculi nocte, & nõ ſolum nobis puſillis & imperfectis Deus nunc apparet, vt Luna plena lumine cõſolationis, nunc vt vacua omni lumine horrorẽ, & tenebras noctis denſiſsimas nobis relinquit. nam & Apoſtol. Paulus vas electionis, & qui ad tertiũ cęlũ raptus audiuit *arcana verba, quæ nõ licet homini loqui* 2. *Cor.* 12. aliquãdo dicit 2. *Cor.* 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabũdo gaudio in omni tribulatione noſtra*: aliquando verò ingemiſcit & lamentatur, dicens, *Ro.* 7. *Video aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in mẽbris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et in 2. ad Cor. *c.* 1. *Non volumus vos ignorare fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, vt tæderet nos etiam viuere.* Atq; hoc eſt, quod monet S. Ioan. Chryſoſt. *ho.* 8. *in Matt.* Deum in Sanctis omnibus hoc facere, vt neque tribulationes, neq; iucũditates eos ſinat habere continuas: ſed tum ex aduerſis, tum ex proſperis iuſtorum vitam, quaſi admirabili varietate contexere. atque hæc de Luna.

CAPVT VI.

Reliquæ ſunt ſtellæ inter ornamenta cœlorum, de quibus Eccleſ. dicit, *c.* 43. *Species cœli, gloria ſtellarum,* ſed addit cõtinuò: *Mundum illuminãs in excelſis Dominus.* quicquid. n. decoris habent ſtellæ, vt etiam Sol, & Luna totum à Patre luminum eſt, & non Sol per diem, nec Luna ac ſtellę per noctem mũdum illuminant, ſed Dominus eſt, qui in excelſis habitans, per Solem, & Lunam, & ſtellas mũdum illuminat. Ipſe eſt enim, qui, vt loquitur Propheta Baruch *c.* 3. *Emittit lumen, & vadit: & vocauit illud, & obedit illi cũ tremore, ſtellæ aũt dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt, vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus, & luxerũt ei cum iucũditate, qui fecit illas.* Quibus verbis ſignificatur infinita potẽtia Dei, quæ incredibili facilitate corpora tã vaſta, & tã formoſa momẽto producit, & ornat, & operari facit. Quod nobis eſt vocare, Deo eſt verbo creare. vocat enim ea, quæ non ſunt, & vocãdo facit, vt ſint. & ſtellis dicere, adſumus, nihil eſt aliud, niſi continuò ad vocem imperãtis exiſtere, & operari. Lucere aũt cum iucũditate ei, qui fecit illas, eſt ita prõptè & facilè obedire factori, ac ſi in obediẽdo, magna iucunditate, & gaudio afficerentur. Sed illud eſt omninò admirabile in ſtellis, quòd cùm velociſsimè moueãtur & nũquam à curſu illo incitatiſsimo ceſſent, & aliæ tardius, aliæ celerius currant in orbem, tamẽ ſemper modum ſuum, & proportionem cũ alijs ita ſeruent, vt inde concentus harmonicus, iſq; ſuauiſsimus oriatur. De hoc concentu loquitur Deus in libro Iob cùm dicit, *Iob.* 38. *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?* non eſt iſte concentus vocum, aut ſonorum, qui auribus corporis percipiatur, ſed concentus proportionum in motibus ſyderũ, qui cordis aure ſentitur. Siquidem ſtellę firmamenti oẽs ſimul eadem velocitate vigintiquatuor horis totum cœli ambitum percurrũt; ſeptem verò ſydera, quæ planetæ, ſiue errãtia ſydera dicuntur varijs motibus, alia velocius, alia tardius incitãtur; vt videantur ſtellę firmamẽti Baſſum imitari (vt vulgaribus nominibus vtamur) & planetæ quaſi contra punctum perpetuum & ſuauiſsimum facere. Sed hæc ſupra nos ſunt, & illis tantum iſte concentus ſonat, qui in cœlo poſiti rationẽ motuum iſtorum intelligunt. Et quoniam ſtellæ ſeruata proportione, ſemper in orbẽ ſe conuertendo non fatigantur, videntur inſtar virginum honeſtarum, & ſaltandi peritarum, in cœlo ſemper choreas iucundiſsimas agere.

Sed tu, anima mea, paulò altius aſcẽde, ſi potes, & à ſplẽdore maximo Solis, à pulchritudine Lunæ, à multitudine & varietate luminum reliquorum, ab admirabili cõcentu cœlorum, & à choreis iucũdiſsimis ſtellarum, cogita quid erit ſupra cœlum videre Deum, Solẽ videlicet, qui lucem habitat inacceſsibilem; intueri Virginẽ illam, cœli Reginam, quę pulchra vt Luna, totã lætificat ciuitatẽ Dei; aſpicere choros, & ordines multorum millium Angelorum, qui ſtellis omnibus plures, & lucidiores cœlũ cœli exornãt; cernere animas ſanctorum hominũ, choris angelorũ inſertas, quaſi planetas ſtellis firmamenti admixtos; & quid erit cãtica laudum audire, & illud perenne Alleluia conſonis vocib. in plateis ciuitatis illius dulciſsimè reſonare. ſic enim fiet, vt nec ipſa cœli pulchritudo tibi magna videatur, & quæ infra cœlum ſunt omninò perexigua, ac penè nulla, ac per hoc contemnenda, & deſpicabilia iudicentur.

GRADVS OCTAVVS

Ex conſideratione animæ rationabilis.

CAPVT I.

Pertranſiuimus huc uſq; res oẽs corporales, dum mentis cõſideratione, ex rebus creatis ad creatorem aſcẽdere nitimur. Iã verò ſupra omniũ corporum dignitatẽ, inuenimus animas humanas, quę ad infimum genus ſpiritualium ſubſtãtiarum pertinere noſcuntur, inter quas & Deũ nihil medium nobis occurrit, præter Hierarchias, & ordines Angelorum.

Porrò humana anima tantam habet cũ Deo cõditore ſimilitudinem, vt planè ignorẽ, an alia via quis poſsit facilius ad Deũ cognoſcendũ aſcendere, quàm ex conſideratione propriæ animæ. Itaq; voluit Deus hominem eſſe inexcuſabilem, ſi notitiam Dei non habeat, cùm eam, ipſius Dei auxilio comitante, ex animæ ſuæ cognitione non difficulter haurire poſsit.

Primũ igitur anima hominis ſpiritus eſt, ſic .n. exponũt SS. Patres illa verba Gen. 2. *Formauit Dominus Deus hominem ex limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiracũlũ vitæ,* & illud Tob. c. 3. *Præcipe recipi ſpiritum meum.* & illud Eccleſ. *c.* 12. *Reuertatur puluis in terram ſuam, & ſpiritus redeat ad Deũ, qui dedit illum.* Quamuis aũt vocabulum ſpiritus conueniat etiam vento, de quo dicitur in Pſal. *Pſ.* 148. *Spiritus procellarum.* & in Euang. *Ioa.* 3. *Spiritus vbi vult ſpirat, & vocẽ eius audis:* tamẽ nõ dubium eſt, ſpiritũ procellarũ eſſe corpus tenuiſſimum, quod ob ſummã ſuam ſubtilitatẽ magis imitatur ſpiritualem naturam, quàm aliud quodcunq; corpus: Anima verò humana propriè ſpiritus eſt, non corpus, neque ex materia producitur, ſed à Deo creatur. de qua re apud Catholicos nulla controuerſia.

Hic igitur incipit excellentia animę, & similitudo ad Deũ. Deus .n. spiritus est, vt Saluator apertè pronuntiat, *Ioan. 4 Spiritus est Deus, & qui eũ adorant, in spiritu & veritate oportet adorare.* Sed quãquam & Deus spiritus est, & anima humana spiritus est: tamen Deus est spiritus increatus, & creator, anima spiritus creatus: ex quo sequitur infinita distantia inter spiritum, qui est anima, & spiritum, qui est Deus. proinde quantum lætari potest anima quod sit in genere substantiæ spiritualis ac per hoc cœlo & syderib. altior nobilitate naturæ; tm̃ humiliari debet, ac Deo cõditori subijci, q̃ ex nihilo facta sit, & ex se nihil sit.

CAPVT II.

DEinde anima humana, quia spiritus simplex est, immortalis est. nõ .n. habet in se aliquid, vnde distrahi, vel interire possit. Sed in hac re quoq; quãtum gloriari potest supra animas brutorum animantium, quæ cum corpore intereunt, tãtam conditoris sui excellentiã suspicere & admirari debet, qui non solũ immortalis, sed sempiternus etiam est. Anima .n. humana aliqñ nõ fuit, & solius Dei volũtate ad esse peruenit, & eiusdẽ voluntate Dei posset ad nihilũ redigi, quãuis in se corruptionis principium non habeat. Itaq; rectè dixit Apost. de Deo, *2. Tim. 6. Qui sol⁹ habet immortalitatẽ.* sol⁹ .n. nulla vi, nullo casu, nulla rõne dissolui potest, cũ sit ipsũ esse, ipsa vita, & fons essendi, & vitæ.

CAPVT III.

TErtiò anima humana lumine intelligẽtię prędita est. cognoscit .n. non solũ colores & sapores, & odores, & sonos, & calorẽ, & frigus, & durum, & molle, & alia id genus, quæ sensibus corporis patent; sed etiam de substãtia iudicat, & de rebus non solum singulis, sed etiã vniuersis, & non solũ præsentia nouit, sed etiã futura coniectat, & discurrendo trãscendit cœlos, penetrat abyssos, ex causis scrutatur effecta, & ex effectis recurrit ad causas. Deniq; Deũ ipsum, qui lucem habitat inaccessibilẽ, acie mẽtis attingit, atq; hoc est lumẽ, de quo dicit S. Ioan. in Euãg *Ioa. 1 Erat lux vera, quæ illuminat oẽm hominem venientem in hunc mundum,* & Dauid in Psal. *Ps. 4. Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine:* &: *Ps. 31. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est intellect⁹.* Magna est hæc animæ dignitas, per quã homo similis est Deo, & dissimilis bestijs, atq; hinc coniectare potest, ac debet homo, quãta sit eminentia & sublimitas Domini cõditoris sui. Anima .n. lumine intelligendi prædita est, sed Deus est lux, & intelligentia. Anima discurrit à causis ad effecta, & ab effectis ad causas, atq; eo discursu non sine magno labore sciẽtiã venatur: Deus intuitu vno ac simplici simul omnia perfectè cognoscit. Anima intelligit ea, quæ sunt, ac per hoc sciẽtia eius pẽdet à rebus: Deus intelligendo facit, vt res sint, ac per hoc rerum existentia à Dei scientia pendet. Anima de reb. futuris vtcunq; cõiectat; Deus omnia futura nõ min⁹ perspicuè, quã præterita & pręsentia semper intuetur. Anima multis indiget vt intelligẽtiæ munus exerceat, obiecto, specie, phãtasmate, & alijs: De⁹ nulla re eget, ipsa .n. essẽtia sua est illi omnia; imò etiã ipsa sua essẽtia est illi intelligẽtia. Deniq; anima dũ est in corpore nõ solũ Deũ nõ videt, sed neq; angelos videt, neq; seipsã videt, neq; substãtiã vllã quãuis corporalẽ propriè videt, & in multis fallitur, plurima ignorat, de plurib. opinionem, de paucissimis verã sciẽtiam habet. Deus aũt nihil ignorat, nihil opinatur, nunquam fallitur, nunquã errat, *omnia nuda sunt, & aperta oculis eius,* vt Apost. loquitur in ep. ad Heb. *c. 4.* Ergo si tanti facit homo sciẽtiã suam, vt Apost. dicat, *1. Cor. 13. Scientia inflat,* quantum admirari debet scientiam cõditoris, cui comparata omnis scientia nostra, non scientia, sed ignorantia est?

CAPVT IV.

QVarto viget in anima humana gen⁹ aliud scientię, quod non in speculatione, sed in actione versatur. Vnde sunt libri Philosophorũ, de vitijs & virtutibus: tot leges Principũ, & consilia iureconsultorũ: tot institutiones & exercitationes ad artem bene viuẽdi compa- rãdam. In quibus admirabile cernitur in homine lumẽ rationis, quo vno longè ac longè bestijs præstamus. Sed nihil hæc omnia sunt ad legẽ æternam, quæ in mente conditoris viget, ex quã tanquã ex fonte vberrimo manarunt oẽs leges, & omnia iura. *Vnus est .n. legislator, & index Deus,* inquit S. Iac. in ep. sua, *c. 1.* Ipse est veritas & iustitia, & sapientia, *per quem reges regnant, & legũ cõditores iusta decernunt, Prou. 8.* proinde nunquam artem bene beateq; viuendi reperies, donec ad scholã Christi, qui vnus est Magister verus admissus *Matt. 23.* eius verbo & exemplo didiceris iustitiã illã, quæ abũdat super iustitiã Scribarũ, & Pharisæorum, *Matt. 5.* addo etiã Philosophorum, cuius finis est *charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta 1. Tim. 1.*

CAPVT V.

QVintò possidet anima hominis tertium genus scientiæ, quod in rebus ingeniosè fabricandis positum est. Et quidem norunt etiam Araneæ telas texere, & Auiculæ nidos ædificare, & Apes mella cõficere, & Vulpes foueas, quasi domos quærere: sed ista animãtia naturæ quodam instinctu rem vnam & eãdem & modo eodẽ faciunt: Anima verò humana ratione & iudicio prædita artes innumerabiles adinuenit, per quas omnib. animãtibus, velint, nolint, imperat, & dominatur. nec prosunt auibus alæ, nec piscibus profunditas aquarum, nec leonibus aut vrsis robur eximium, nec equis & mulis ferocitas, nec ceruis & capris pernicitas. Siquidẽ ipsi etiã pueri, laqueis & visco, & retib. aues capiũt: & hamo ac retibus piscatores pisces apprehendunt: viri aũt ingenio & arte leones & vrsos caueis ferreis includere, & circũducere: Apros & Ceruos vel funibus irretire, vel ferro cõfodere; equos & mulos freno domare, & imperio suo subdere didicerũt. Quid dicã de arte nauigandi, quãta lux ingenij in animã humana fulsit, quãdo per liquidũ mare naues maximas, & põderib. grauissimis onustas, non solũ remis, quasi pedib. currere, sed etiã velis, quasi alis volare docuit? Quid de agricultura? quis nõ obstupescat ingeniũ hominis, si segetes, si vineas, si pomaria, si hortos, si piscinas, si varios aquarũ riuulos, ad hortos irrigãdos, & arua humectãda ductos inspiciat? Quid de architectura? quis non miretur palatia, templa, vrbes, arces, turres, amphitheatra, piramydes, obeliscos? Omitto pingendi & sculpendi artes, quibus sic interdum ad viuum exprimũtur, vel coloribus in tabula,

vel scalpello in marmore vult hominū, vel res cæteras, vt veras, nō pictę, vel sculptę credātur. Omitto reliquas artes humano ingenio, siue ad necessitatem vitæ, siue ad commoditatem, siue ad voluptatem excogitatas, quæ tot sunt, vt numerari vix possint.

Age igitur, anima mea, gratias Deo, quod tanto interuallo distare voluerit naturam tuā à natura animantium cæterorum, sed simul attolle oculos mentis ad ipsum eundem conditorem tuum, in quo est verus fons ingenij, & sapientiæ effectricis rerum. ab illo fonte defluxit quicquid ingenij ad naturam tuam deriuatum est. & si miraris ingenium hominis quod animantibus ratione carentibus industria, & arte dominari didicerit: admirare potius Deum, cui omnia seruiunt, & obediunt, non solùm animantia, sed etiam inanimata. Et si magnum tibi videtur, quod homo tot artes inuenit, nauigandi maria, colendi agros, fabricandi domos: cur non maius videri debet, quòd Deus sapientia sua fabricauit cœlum & terram, & maria, & omnia quæ in eis sunt, & omnia moderatur, & regit? & si denique obstupescis artem pingendi in tabulis, & quasi viuos ducendi de marmore vultus: cur non obstupescis artem conditoris tui, qui de luto formauit verum, ac viuum hominem, de costa viri veram, ac viuam mulierem ædificauit? præsertim si addas, quæ faciunt homines, sine Deo cooperante non fieri: quæ autem facit Deus, ab ipso solo nullo alio cooperante fieri.

CAPVT VI.

SExto donata est hominis anima libero volūtatis arbitrio, quod est illi commune cū ipso Deo, & Angelis, & quo à rebus cæteris creatis maximè distat. Magna est hæc nobilitas, & admirabilis excellentia. Sed tanto maior est libertas in cōditore rerum omnium Deo, vt animæ libertas cum illa comparata, vix vmbra illius esse videatur. Primùm libertas voluntatis humanæ infirma est, & ad mala ac noxia sibi eligenda facilis & prona: libertas voluntatis diuinæ robustissima est, vt deficere, vel inclinari ad malum nullo modo possit: quomodo enim posse mori infirmitas est corporis mortalis, non posse mori sanitas est corporis glorificati: sic etiam posse peccare infirmitas est liberi arbitrij; non posse peccare sanitas erit eiusdem arbitrij, quando Deus in cœlesti patria hoc nobis conferet per gratiam, quod ipse semper possidet per naturam. Deinde liberum arbitrium nostrum, liberum quidem est, vt possit, velle, & non velle, vel etiam velle, & nolle; sed non est potens efficere quod vult, vel vt non fiat, quod non vult etiam in seipso, quantò magis in cæteris? Audi Apostolum lamentantem in epistola ad Romanos *cap. 7. Non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.* Et quis nostrum hoc non experitur? volo attentè orare Deum, & iubeo imaginationi meæ, dum ad orandum assisto, vt nusquam euagetur, nec me trahat ad alia cogitanda: & eam retinere non possum in officio, ac dum minus de hac re sollicitus sum, inuenio me ab imaginatione delusum, oratione intermissa ad alia cogitanda delapsum. Volo non concupiscere, & non irasci præter ordinem rationis, & impero per liberum arbitrium irascibili, & concupiscibili facultati, quæ in me sunt, ac rationi iure subditæ esse debent, vt rationis imperio omnino subiaceant, nec se sinant à sensibus corporis vllo modo seduci, & sæpè non obeditur, nec fit quod volo, sed quod nolo. Sed quod prorsus admirabile, & miserabile est, imperat animus corpori, & paretur statim; imperat animus sibi, & resistitur. *Vnde hoc monstrum?* inquit S. Augustinus *Lib. 8. confess. cap. 9. Imperat animus vt moueatur manus, & tanta est facilitas, vt vix à seruitio discernatur imperium; & animus est, & manus corpus est. Imperat animus, vt velit animus, nec alter est, nec facit tamen, sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat, non igitur monstrum, sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate subleuatus, consuetudine prægrauatus.* At libertas arbitrij Domini Dei, cùm plena, & absoluta potestate ita coniuncta est, vt de ea scriptum sit, *Psalm. 113. Omnia quæcunq; voluit, fecit. Et nemo est, qui tuæ possit resistere voluntati.* Quare, anima mea, si sapis, noli de viribus liberi arbitrij gloriari, donec peruenias ad libertatem gloriæ filiorum Dei *Rom* 8. quando cœlestis medicus sanauerit omnes languores tuos, & repleuerit in bonis desiderium tuum *Psalm.* 102. Interim verò ingemisce assiduè, ac dicito Deo cum Propheta *Ps. 26. Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Et non cum torpore, & ex sola consuetudine, sed vigilanter, & ex toto corde repete, quod plusquam septies in die repetis: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina Psal. 69.*

CAPVT VII.

SEptimò habet hominis anima voluntatem rationalem, quæ non solùm appetere potest bona præsentia, & particularia, & corporalia, qualia appetunt etiam bestiæ: sed etiam bona absentia, generalia, & spiritualia, quæ per fidem, aut rationem ostenduntur, atque adeò ipsum summum, & infinitum bonum, quod est Deus. Atque hoc est, quod facit hominem magnarum virtutum capacem, ac præcipuè Reginæ omnium virtutū charitatis. Amant animantia bruta, sed amore concupiscentiæ, amorem verò amicitiæ omninò ignorant. Tu verò, anima, capax à Deo facta es illius doni, quod est fons omnium donorum, & quod cum Deo summo bono ita coniungit, vt ille in te maneat, & tu in eo, luminosæ videlicet, & speciosissimæ charitatis. *Deus enim charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Ioan. 4.* Sed si hoc tantum est bonum voluntatis creatæ, quantum erit illud bonum, quo plena est voluntas increata. Sola voluntas Dei capax est infiniti amoris, quo digna est amari infinita bonitas Dei. Neque indigēt virtutibus ista voluntas, neque opus habet ab intellectu dirigi, ipsa enim & intellectus idem sunt, sicut sapientia, & charitas in Deo vna res sunt.

CAPVT VIII.

OCtauò, anima humana est in corpore humano, sed longè aliter quàm animæ brutorum in corporibus eorum. Animæ brutorum materiales sunt, & extensæ ad corporis extensionem, vt pars sit in parte, & tota in toto. Anima verò humana, qui spiritus indiuisibilis est, admirabili modo tota in toto, &

tota in singulis partibus est; & cùm totum corpus repleat, nullum tamen in corpore locum occupat, & quando corpus crescit, anima non crescit, sed incipit esse, vbi antea non erat; & si membrum abscinditur, vel arescit, anima non minuitur, neque siccatur, sed desinit in eo membro esse vbi ante erat, absque omni læsione, vel mutilatione sua. Hoc est verum speculum existentiæ Dei in rebus creatis. Deus enim spiritus indiuisibilis est, & tamen mundum totum, & partes eius omnes replet, nec locum vllum occupat, & totus est in toto mundo, & totus in qualibet parte mundi; & cùm noua creatura producitur, Deus in ea incipit esse, nec mouetur tamẽ: & cùm creatura aliqua fortè destruitur, aut moritur, Deus nõ destruitur, nec moritur, sed desinit ibi esse, nec tamen locum mutat. Itaq; in his conueniũt Deus, & anima, sed in multis tamen, vt par est, lõgè eminet Deus. Anima siquidẽ, vt in corpore sit, & corpus regat ac moueat, necesse habet formam corporis fieri atq; ita cũ eo coniũgi, vt ex anima & corpore vnus homo fiat. Deus nõ eget, vt fiat forma, vel anima mũdi, neq; vt ex ipso, & mũdo vna substantia composita fiat. Sed ex immensitate sua hoc habet, vt vbique sit; ex indiuisibili vnitate, vt totus vbique sit; ex omnipotentia, vt omnia regat, omnia portet, omnia moueat. Deinde anima, quamuis in toto corpore esse dicatur, tamen propriè non est, nisi in partibus viuentibus, siue animatis, proinde non est in humoribus, in capillis, in vnguibus, in membris aridis, vel emortuis: Deus absolutè in rebus omnibus est, nec solùm in corporalibus, sed etiam in spiritualibus; neque fieri potest, vt aliquid sit, in quo Deus non sit. Præterea non est anima nisi in corpore suo, eoque satis angusto, & breui, & in quo partes omnes simul colligatæ sint. si qua enim pars separaretur ab alijs, in illa esse non posset anima: Deus autem in hac rerum vniuersitate totus est, quamuis & ipsa vniuersitas maxima sit, & partes eius colligatæ non sint, quamuis contiguæ sint; & si mundus alius, & alius conderetur, in omnibus Deus esset. Ideò enim scriptum est, 2. *Par.* 6. *Cælum, & cæli cælorum non te capiunt.* Quoniam si alij cœli, & alia terra fieret, in illis quoque esset, & si rursus noui cœli, & nouæ terræ sine fine multiplicarentur, omnia repleret, & vbi non esset, nihil omninò esset.

CAPVT IX.

NOnò anima hominis, præter ea, quæ dicta sunt, habet etiam imaginem in se, quamuis obscuram diuinissimæ Trinitatis; tùm quia habet memoriam fœcundam, vim intelligendi, & vim amandi: tùm etiam quoniam mens eius intelligendo format verbum quoddam suum; & à mente, & à verbo procedit amor, quia id quod cognoscitur à mente, & repræsentatur à verbo, vt bonum, continuò à voluntate diligitur, & desideratur. Sed tamen longè altiore, & diuiniore modo Pater Deus generat Verbum Deum, & Pater & Verbum spirant Spiritum sanctum Deum, qui est amor viuens; & fons viuus omnis amoris casti. Et ea de causa mysterium Trinitatis superat naturalem sciendi modum, nec potest sine supernaturali lumine ad ipsius notitiam, quantumuis doctus Philosophus peruenire. Siquidem anima hominis producit Verbum, & amorem, quæ non substantiæ, sed accidentia sunt, ac per hoc personæ non sunt: Deus autem Pater Verbum gignit sibi consubstantiale, & Pater, ac Verbum spirant Spiritum sanctum vtrique similiter consubstantialem, vnde tres personæ meritò dicuntur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Deinde anima hominis producit verbum, quod non diu permanet, & voluntas producit amorem, qui non diu durat: Deus autem Pater generat Verbum æternum, & Pater, & Verbum spirant Spiritum sanctum æternum, neque enim Deus esse potest sine Verbo, & sine Spiritu suo. Denique anima hominis per vnum verbum rem vnam repræsentat, ideò multiplicat verba, non solùm mentis, sed etiam oris; & voluntas humana, multos actus amoris producere debet, si multas res velit amare: Deus autem vnico verbo omnia vera dicit, & vnico actu amoris omnia bona diligit.

CAPVT X.

DEnique hoc habet anima humana, vt dum est in corpore, quamuis non videatur, nec audiatur, nec moueatur, ac vix in eo esse intelligatur, & ea recedente nihil corpori deesse videatur: tamen ipsa omnia bona corpori tribuat, sensum, motum, loquelam, subsistentiam, pulchritudinem, robur; cur enim homo dum viuit, videt, audit, loquitur, ambulat, subsistit, robustus, formosus, & amabilis est, nisi quoniam anima in eo est? & cur post mortem, nec videt, nec audit, nec loquitur, nec mouetur, sed iacet deformis, inutilis, & inuisus, nisi quoniam anima recessit, vnde bona illa deriuabantur? Sic Deus tuus, ô anima, dum per gratiam suam in te viuit, ipse facit, vt videas quæ tibi fides ostendit, & audias quid loquatur in te Dominus, & ambules per viam mandatorum ad cœlestem Hierusalem, & loquaris in oratione ad Deum, & in sancta exhortatione ad proximum, & subsistas perseuerando in operibus bonis, & robustus sis in acie aduersus hostes inuisibiles, & formosus in oculis inuisibilis Dei, & Angelorum eius. Caue autem ne recedente gratia Dei, quæ est vita animæ tuæ, experiaris damna, quæ secum adfert mors prima, vnde rapiaris ad mortem secundam, ex qua resurrectio nulla conceditur. O si mentis oculos tibi Dominus aperiret, & speciem eximiam, ac splendorem nimium intueri posses, quo prædita est anima grata Deo, & per veram charitatem ei coniuncta, & quibus oculis eam Deus aspicit, quem locum illi præparat, quæ gaudia illi promittit, & quanto ipsa desiderio expectatur ab Angelis, & alijs spiritibus beatis: certè ferre non posses, vt tanta pulchritudo, vel aliqua leui macula fœdaretur. & si id fortè contingeret, enitereris saltem, vt maculas illas, quantumuis paruas, lachrymarum fluminibus dilueres. Hoc certè de sancto Francisco refert sanctus Bonauentura, quoniam videbat se Agnum immaculatum sine macula aliqua sequi non posse, dedisse saltem operam, vt quotidianis, & copiosis imbribus lacrymarum

A *ſuſcepit, Phil.2. egenus propter nos factus eſt, cum eſſet diues, 2.Cor.8. nō habuit vbi caput reclinaret, Luc.9.* cùm cœlū,& terrā ipſe feciſſet: *in propria venit et ſui eum non receperunt Ioā.1: cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non cōminabatur, tradebat aūt iudicāti ſe iniuſtè qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, 1.Pet 2. humiliauit ſemetipſum factus obediens vſq, ad mortē mortē aūt crucis, Phil.2. cuius liuore ſanati ſumus, 1.Pet. 2.* Deniq; illuſus, cōſputus, flagellatus, ſpinis coronatus, crucifixus cū ignominia maxima, & dolore grauiſsimo, ſanguinē totū, virāq; profudit. atq; hæc ōnia pertulit, vt diſſolueret opera diaboli, & peccata noſtra deleret. Teſtis lex Dei, quæ ōne peccatū prohibet, & punit. Et ipſum etiā verbū otioſum impunitū nō relinquit. Et quantū odit flagitia, & facinora, q verbū otioſum ferre non

B pōſt? *Lex Domini immaculata, & præceptū Domini lucidū, Pſ.18.* maculas, & tenebras auerſātur, neq; eſſe pōt cōmunio luci ad tenebras, neq; iuſtitię ad iniquitatē, 2.Cor.6. Teſtis eſt deniq; ipſa gehenna, quā Deus parauit impijs, & peccatoribus, qui ſanguine Agni immaculati, cùm potuerūt lauari, noluerūt, aut neglexerūt, iuſtū eſt, n. vt in quib. peccatū æternū erit, ſit etiā ſupplicium ſempiternū, qualis autem & quanta ſit pœna gehennæ, horror eſt vel cogitare, de qua plura dicemus in vltimo gradu.

Ergo, anima mea, cū tā ingens odiū Dei ſit cōtra peccatū, ſi amas Deū ſuper omnia, debes etiā ſuper omnia odiſſe peccatū, caue ne te fallāt, qui peccata extenuant, vel excuſant. Vide ne te ipſe

C rationib. falſis decipias: ſi peccatū tibi in te, vel in alijs nō diſplicet, Deū nō amas: ſi Deū non amas, perijſti. Iterum, ſi Chriſto nō es ingrata, quantū debere te putas charitati ei᷒? laborib. ei᷒? ſanguini, & morti eius? qui à peccato te lauit, & Patri recōciliauit. & graue tibi erit deinceps pro Chriſto aliquid pati, vel eius in gratiā, & cū eius gratia vſq; ad ſanguinē peccato reſiſtere? Deniq; ſi gehennā ignis æterni patiēter ferre nō potes, certè debes omninò nec patiēter ferre peccatū: ſed ſicut à facie colubri, ſic ab illo, & ei᷒ occurſu, ac ſuſpicione, etiā leuiſsima declinare. ſit igitur apud te firmū, & ratū, peccati odium maximum cum maximo Dei amore coniungere.

CAPVT II.

Iam verò idē ignis nō deſtruit, ſed perficit, & magis rutilare facit aurū, argentum, lapides pretioſos, quoniā (vt idē Apoſt. ibidē 2 *Cor.3.* explicat) iſta metalla ſignificant opera bona & perfecta, quę igne diuini iudicij approbātur, & mercedē magnā accipient. Iſta opera Deus probat,

D quia ſunt munera ſua, & *cū coronat merita noſtra,* inquit S. Auguſt. *concio.2 in Pſ.70. coronat munera ſua.* Facta ſunt n. ipſo mandāte, ipſo iuuante, ipſo virtutē faciendi largiente, & ipſo per legē quā dedit, & per regulas, quas cōſtituit, dirigēte. Et quidē aurū opera charitatis deſignat: quo modo aūt poſſunt charitatis opera Deo nō valde placere, cū ipſe Deus charitas ſit? Argentū deſignat opera ſapientiæ, eorū videlicet, qui ad iuſtitiā erudiūt multos; & ipſa quoq; Deo valdè probātur, & placent: dicente Sapientia Dei, *Mat.5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorū.* Lapides pretioſi, ſunt opera cōtinentis animæ, de quib. dicit Eccl. *c.28. Omnis ponderatio non eſt digna cōtinētis animæ.* atq; ea cauſa eſt, cur in officio Eccleſiaſt. in laudē ſanctarū Virginū legatur Euangeliū de inuenta vna pretioſa margarita. Quā aūt placeat Deo puritas virginalis, intelligi pōſt ex Iſa. Propheta, qui nomine Dei prædicit Eunuchis, illis videlicet *Matt.19. qui ſe caſtrauerūt propter regnū cælorū dabo eis in domo mea, & in muris meis locū, & nomē melius à filijs & filiabus nomē ſempiternū dabo eis quod nō peribit. Iſa.56.* Quē locū S. Aug. in libro de ſancta Virginitate *c.22. & 25.* de ſanctis virginibus, tā maſculis, quā fœminis intelligendū eſſe magnifica oratione demōſtrat. Atq; iſta tria ſunt opera, quib. ex cōſenſu Doctorū debentur aureolæ in regno cœlorūm. dantur n. aureolæ, i.e. certa præmia præter vitā æternā, Martyribus, Doctorib. & Virginibus; Martyribus quidē ob excellentiā charitatis, quia *maiorē charitatē nemo habet, vt animam ſuā ponat quis pro amicis ſuis, Ioan.15.* Doctorib. ob eminentiā ſapientiæ, de quib. dicit Dan. *c.12. Qui ad iuſtitia erudiūt multos fulgebūt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Virginib. ob pretiū incōparabile puritatis, cuius gratia viſi ſunt Virgines in Apoc. *c.14.* cantare canticū nouū, quod nemo alius dicere poterat: *Hi ſunt,* inquit Ioan. *qui cum mulierib. non ſunt coinquinati. virgines enim ſunt, et ſequuntur Agnum quocunque ierit*

Neq; tamē ſola charitas Martyrū, vel ſapiētia Doctorū, vel puritas Virginū probabitur igne diuini iudicij, & mercedē plenā accipiet: ſed etiā alia quęcūq; opera bona, modo in charitate ſint facta, inter aurea vaſa cōputabuntur, & ignē illū diuinū ſuſtinebūt, & præmiū ſuū accipient. illis n. in iudicio extremo Dominus dicet *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnū, quod vobis paratū eſt à conſtitutione Mundi, Mat.25.* qui panē eſurīēti, & potū ſitienti, & hoſpitiū peregrino, & veſtem nudo, & cōſolationē ægroto, vel in carcere cōſtituto præbuerūt. Et idē etiā Dominus promiſit. *Matth.10.* non priuandum eſſe mercede ſua, qui calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli ex charitate donauerit.

Intelligisne, anima, quantū interſit Inter opera, & opera? & quid ſtultius & miſerius, quā in eo loco, & tēpore, in quo potes, ſi ſapis, facili negotio aurū, & argentū, & lapides pretioſos comparare, tu malis nō paruo labore ligna arida, & fœnum ſtipulaſque colligere? Vtinam ſaperes, & intelligeres, ac nouiſsima prouideres, cum in nouiſsimo tempore, omnia hæc diuini iudicij igne examinanda, & probanda ſint, & illa priora laudanda, & coronanda, hęc poſteriora cremāda, & in fauillas, & fumū redigēda.

Cur nūc eligis, quod te elegiſſe certiſsimè pœnitebit? Et cur non dāmnas nūc, quādo vtiliter potes, id quod paulo poſt ſine vlla vtilitate dānabis? Et ſi forte nūc iſta nō vides, & velamē rerū præſentiū oculos tuos impedit, ne purā & liquidam aſpiciant veritatē, ora Deū, & nō paruo affectu, cū cœco illo de Euāgelio, *Luc.18.* dicas Domino: *Domine da, vt videā.* vel cū Propheta, *Pſ.118. Reuela oculos meos, & cōſiderabo mirabilia de lege tua.* nā certè mirabile omnino eſt, quod opera, quæ in charitate fiunt, aurū, argentū, & lapides pretioſi efficiantur, quæ verò in charitate nō fiunt, in ligna arida, & fœnum, & ſtipulas conuertantur.

CAPVT III.

Veniamus nūc ad cōſiderandā alterā ignis proprietatē. Hactenus n. ab igne didicimus,

quid

quid operetur De⁹ in ijs, qui cũ operib. malis de hac vita decedũt, vel cũ operib. bonis ad finẽ vitæ perueniũt. Nũc per aliã similitudinẽ ab eodẽ igne petitã, intelligere nobis licebit, quid operetur Deus cũ ijs, quos à peccatis ad pœnitentiã vocat.

Homo peccator similis est ferro, quod dũ procul abest ab igne, nigrũ, frigidũ, durum, & graue est. Sed si fortè in ignẽ mittatur, efficitur lucidũ, calidum, molle, et leue. Omnis peccator lumine interiore caret, et in tenebris ãbulat, ac per hoc ferri nigredinẽ imitatur, quãuis .n. in scientijs, et cõmercijs humanis nõ solũ ingenio, sed etiã iudicio pollere videatur: tñ in vero bono, et malo dijudicãdo cœcus est, et omni cœco miserior. Cœcus n. nihil videt, et ideò sine duce nõ mouetur: at peccator putat se videre, quod non videt, vel vnũ pro altero videt, et iudicat bonum malũ, et malũ bonũ, magnũ paruũ, et paruũ magnũ, longũ breue, & breue longũ: & ea de causa in eligẽdo perpetuò fallitur. Hoc est ꝙ Apost. dicit, *Eph.* 4. de Gentilib. Idololatris: *Tenebris obscuratũ habẽtes intellectũ per ignorantiã, quæ est in illis, propter cæcitatẽ cordis ipsorũ.* Hoc est, quod ipse Dominus in Euãgelio tã sæpè Scribis & Pharisæis exprobrat, quòd cœci essẽt, & duces cœcorũ, *Mat.* 15. 23. Hoc est, quod Propheta *Is. c.* 42. Iudæis sui tẽporis dicit: *Surdi audite, & cœci intuemini ad vidẽdũ.* Et quib. prædicit Christũ venturũ, qui aperiret oculos cæcorũ: & loquẽs de testamento nouo in psona Dei adiũgit, *Isa.* 42. *Et ducã cœcos in viã quã nesciunt, & in semitas, quas ignorauerũt, ponã tenebras eorũ in lucẽ, & praua in recta.* Deniq; nõne hoc fatebuntur impij post hãc vitã, quãdo cœperit pœna oculos mẽtis aperire, quos culpa clauserat. *Ergo*, inquiẽt, *errauimus à vita veritatis, & iustitiæ lumẽ nõ luxit nobis, & sol intelligentiæ nõ est ortus nobis*, *Sap.* 5. Neq; mirum est, quod cœci sint, qui à Deo voluntate & animo sunt auersi. *Deus n. lux est, & tenebræ in eo nõ sunt vllæ.* Ex quo cõcludit idẽ Apost. 1. *Ioan.* 2. *Qui dicit se in luce esse, & fratrẽ suũ odit, in tenebris est vsq; adhuc.* & paulò pòst: *Qui odit fratrẽ suũ, in tenebris est & in tenebris ambulat, & nescit, quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.*

Neq; sola causa cœcitatis in peccatoribus est, quòd à Deo, q lux est, auersi sunt, sed etiã, quia *excæcauit eos malitia eorũ*, vt Sapiẽs loquitur, *Sap.* 2. passiones n. animi amor & odiũ, ira, inuidẽtia, & alia, quæ sub nomine malitiæ cõprehendũtur, ita excœcant animũ, vt verũ cerni nõ patiãtur, sed sunt veluti pspicilla colorata, quæ alba repræsentãt, vt rubra, vel perspicilla illa cõposita, vt ex reb. paruis res magnas efficiãt, vel cõtra ex magnis paruas: aut ex valdè distãtibus, propinquas, vel distantes ex propinquis.

Qui vehementer amat, rẽ quã amat, pulcherrimã, vtilissimã, optimã, imo etiã necessariã sibi esse iudicat; ac per hoc, omnib. alijs neglectis, & perditis comparandã. Cõtra, qui rẽ eandem vehementer odit, deformẽ, inutilẽ, malã, imò etiã perniciosam sibi rẽ illã esse cẽset, ac perhoc etiã cũm iactura omniũ rerũ penitus repellendã. Sed si ferrũ illud nigrũ & tetrum admoueatur ad ignẽ, i. e. si peccator à peccato auerti, & ad Deum conuerti incipiat, iuxta illud Prophetæ *Ps.* 33. *Accedite ad eũ, & illuminamini*, Paulatim incipit illustrari & rei veritatẽ perspicuã, in lumine illo videre, iuxta illud eiusdẽ Prophetæ *Ps.* 35. *In lumine tuo videbimus lumen*, Et tunc demum fracto perspicillo colorato passionũ, & assumpto chrystallino, quod est charitas pura, res æternas iudicat magnas, & tẽporales exiguas, ac penè nullas vt reuera sunt. & oẽm speciẽ, ac puchritudinem creatã cũ luce sapiẽtiæ, & veritatis, quæ in Deo, & Deus est, nullo modo cõparandã esse clarissimè respicit. Itaq; cum S. August. exclamat: *Lib.* 10. *confess. c.* 27. *Sero te amaui pulchritudo tam antiqua, & tã noua, sero te amaui.* Et quoniã Christus dicit. *Cognoscetis veritatẽ, & veritas liberabit vos*, iste illuminatus, & lumine veritatis liberat⁹ à cõpedibus concupiscentiæ, auaritiæ, ambitionis, & passionũ reliquarũ, exultat cũ Propheta *Ps.* 115. & dicit: *Dirupisti Domine vincula mea: tibi sacrificãbo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.*

B Iam vero ignis, ferrũ non solũ efficit lucidum ex obscuro; sed etiã calidũ ex frigido, nec tantũ calidũ, sed ita feruens, & ardẽs, vt ignis ipse esse videatur. Magnus Dominus, & magna virtus eius, qui hominẽ natura frigidum, atq; omnia timentẽ, & pauentẽ, qui nec loqui, nec se prodere, nec rẽ vllã paulò difficiliorẽ tentare audet: statim ac igne charitatis accẽdit, efficit audaciorẽ leone, qui & rugitu oẽs terreat, & bellando oẽs vincat, cui nihil difficile, nihil arduũ videatur; & cũ Apostolo Paulo isto igne vehemẽter accẽso dicat, *Phil.* 4. *Omnia possum in eo, qui me cõfortat.*

Sed per partes de ista efficacitate ignis dicamus, ac primùm de efficacia verborũ, deinde de efficacia factorũ breuiter disseram⁹. Multi sunt hodie, ac semper fuerunt in Ecclesia verbi Dei prædicatores, quæ causa est cur ad tot virorum exhortationes, & clamores tã pauci cõuertãtur? certè in magnis vrbibus quotidie per Quadragesimã vinginti, aut triginta, aut quadraginta oratores declamãt: & tamẽ exacta quadragesima, nulla ferè mutatio in moribus ciuitatis apparet; eadẽ vitia, eadẽ peccata, eadẽ frigiditas, eadẽ dissolutio cernitur. Ego nullã inuenio causam, nisi quia vt plurimũ conciones eruditæ, & elegãtes, & floridæ fundãtur, sed deest anima, deest vita, deest ignis, breuiter magna illa charitas deest, quę sola pòst verba dicentiũ animare, & accẽdere, & corda audientiũ inflãmare, & commutare. Neq; hoc dico quia desit multis prædicatorib. cõtentio vocis, & motus totius corporis: nã etiã bombardæ sine pila ferrea vel lapidea magnum sonitũ edũt, sed absq; fructu: quod desideratur, h. e. vt præferãt magnũ affectũ erga Deũ, & animarũ salutẽ, eumq; non simulatũ, sed verũ, non extortum, sed quasi naturaliter ex fonte cordis manantem.

S. Petrus artẽ dicendi nõ nouerat, solius nauiculæ regendæ, retiumq; reficiendarũ, & iaciendarũ peritus erat: Sed vbi Spiritus S. in linguis igneis super eũ descendit, & charitate ardentissima illũ repleuit, cœpit continuò in media vrbe Hierosolyma, ita potẽter, ita ardẽter, ita efficaciter loqui, vt vno sermone multa hominũ millia ad poenitẽtiã, fidemq; cõuerteret, *Act.* 2. Neq; tamẽ legitur in cõcionib. suis magna vociferatione vsus, aut toti⁹ corporis cõmotione fatigat⁹.

De S. Francisco refert S. Bonauentura, eũ nec valdè eruditũ fuisse, neq; Rhetoricæ operã dedisse, & tamẽ cũm ad populũ cõciones haberet, audiri solitum vt Angelũ de cœlo. Erat n. inquit *c.* 2. vitæ S. Francisci, verbũ eius velut ignis ardens,

dens penetrans intima cordis,& vt narratur in chronicis Ord.Minorũ c.30. cùm aliquãdo post prandiũ ex improuiso paucis verbis ad populũ loquutus esset,tãta facta est in toto populo cõmotio ad pœnitentiã,vt videretur illa dies ipsa feria sexta parasceues Domini fuisse. Vnde ex paucis verbis tanta cõmotio? tantus fructus? ex eo videlicet,quòd Sanctus ille cõcionator esset quasi carbo ignitus,& verbũ eius vt facula ardẽs, vt de Elia scriptũ reliquit Ecclesiastic.c.48. Habemus scriptos sermones S. Vincẽtij, S.Bernardini,& aliorũ quorundã Sanctorũ,quos vix dignantur aliqui legere, ob nimiã, quæ in ipsis cernitur,verborũ simplicitatẽ:& scimus tamen ab illorũ cõcionib. multa hominũ millia ad Deũ fuisse cõuersa,& ipsos incredibili cõcursu,& attẽtione fuisse sẽper auditos,quia videlicet verba ipsa simplicia à peccatorib. ignitis,& scintillãtib. pdibãt. porrò ignis iste diuinus efficacitatẽ suã,nõ minus in factis, quàm in verbis ostẽdit.

Decreuit Deus per Apostolũ Petrũ Romanã vrbẽ caput Imperij,& dominã gentiũ sibi subijcere: decreuit quoq; Apostolos cæteros,alios ad Aethiopas,alios ad Indos,alios ad Scytas, alios ad vltimos Britannos mittere,ac per eos Idola Mundi destruere,trophæũ Crucis erigere,leges & ritus mutare,diaboli tyrannidẽ euertere. Si quis ista prædixisset Apostolis quando piscabãtur in lacu Genesareth,aut quando in passione Domini latibula quæritabãt,visa fuissent veluti somnia,vel aniles fabulæ: & tamen paulò pòst facta sunt omnia,& nõ alijs virib. quàm viribus ardentissimæ charitatis, quã in eorũ cordibus Spiritus S. accendit: *Charitas n. foras mittit timorẽ*, 1.*Ioan*.4.*omnia suffert, omnia sperat*, 1.*Cor*.13. Omnia sibi possibilia ducit,& cũ Apostolo, *Phil*. 4.clamat: *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Ita videmus horũ hominũ,sola charitate armatorũ, opera,& labore breui euersam fuisse in toto orbe terrarũ Idololatriam,fundatas vbiq; Christi Ecclesias,& erectũ Crucis trophæũ in vniuersis Regnis,idq; sine exercitu militum,& sine vllo bellico apparatu.

CAPVT. V.

POrrò ignis etiã illud propriũ habet,vt ferrũ ex duro efficiat molle,vt facilè attenuari,atq; extendi in laminas,& ad oẽs figuras ab artifice accõmodari possit. Magna est efficacitas ignis in ferrũ,sed longè maior est virt⁹ Dei nostri in pectora obstinata,& obturata mortaliũ. Audi S.Bernardũ in libro de cõsideratione,c. 2. *Solũ*,inquit,*est cor durũ,quod semetipsum nõ exhorret,quia nec sentit quid ergo cor durũ,ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precib. minis nõ cedit. flagellis duratur: ingratũ est ad beneficia, ad cõsilia infidũ*.& infra. *Ipsum est, quod nec Deũ timet, nec hominẽ reueretur*. Quæ omnia esse verissima, testis est Pharao, qui quò magis à Deo flagellabatur,tantò magis indurabatur,& quo maior elucebat Dei clemẽtia in amouendo flagello,eo magis ipse ad Deũ spernẽdũ,& contemnendũ animabatur. Sed si quando placuerit Domino scintillã ignis veri sui amoris in corde quantũuis duro succendere, continuò mollescet,& instar ceræ liqſcet,neq; illi⁹ virtuti vlla obstinatio diuturna,vel dura resistet. sed fiet cõtinuò cor carneũ,ꝙ fuerat lapideum, & ex cõgelatis niuib⁹,flante spiritu Dñi,fluent aquæ. Exemplũ habemus in Euãgelio, *Luc*.7.de muliere illa,quæ erat in ciuitate peccatrix,quã nec monita fratris,ne sororis obiurgatio,nec honor familiæ, nec proprii dedec⁹ mouere potuerãt, vt à peccãdo desisteret,& vnus tñ Christi radi⁹ in cor eius penetrãs,ibiq; scintillã diuini amoris accendẽs,ita subitò eã transformauit in aliã, vt nõ erubuerit fœmina nobilis in loco publico cõuiuij ad Christi pedes accedere, & tota versa in lachrymas,ex ipsis lachrymis balneum Christi pedib. facere,& proprijs capillis,vice lintei,pedes eiusdem abstergere,& illos pedes ex amoris vehemẽtia identidẽ osculari,& vnguẽto pretiosissimo & odorato perũgere, vt se & sua omnia Christi obseqo dedicare velle deinceps significaret. Itaq; meruit vocẽ illã Domini audire. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Sed libet aliud quoque exemplũ multò recentius in medium adferre.

Gulielmus Dux Aquitaniæ tẽporib. S.Bernardi fuit, si quis alius,in tuẽdo Anacleto schismatico Põtifice,& Innocẽtio legitimo oppugnãdo obstinatus,& pertinax. Exturbauerat ex ditione sua Episcop. Catholicos oẽs, & iureiurando sese obstrinxerat,nũquã pacẽ cũ illis se habiturũ,& quia nouerãt oẽs obduratũ cor eius ad malũ,& ferociã,ac superbiã hominis verebãtur,nemo erat,qui eũ admonere auderet. Placuit Dño p seruũ suũ Bernardũ,cor huius obdurati hominis visitare, & scintillã non paruã diuini amoris in pectore ipsius accẽdere. cõtinuò ex leone agnus,ex superbo humilis,ex pertinace obediẽtissimus factus est,ad vnũ S. Bernardi verbũ, Episcopũ Pictauiẽsem amicè cõplexus in sedẽ suam manu sua reposuit,& quod oẽm admirationem superare videtur,cũ quæsiuisset à quodã Eremita remediũ animæ suæ ob admissa peccata,& ille iussisset vt loricã æreã super nudã carnẽ indueret,& clauis ita claudi sineret, vt nũquã illã exuere posset; cõtinuò paruit,& missus ab Eremita ad Summũ Põtificẽ p absolutione recipiẽda dicto obediuit,& cũ Sũmus Põtifex suspicaretur, eũ nõ ex corde pœnituisse,vel patientiã eius experiri vellet,iussit eũ vsq; ad Hierosol. peregrinari,& à Patriarcha ei⁹ ciuitatis absolutionẽ petere. Gulielmus mox iter arripuit,& mandatũ Põtificis adimpleuit,deniq; cũ ex potentissimo Principe humilis Monach. esset effectus, vix vllus fuit eius ætatis,qui eũ demissione,patientia, paupertate,deuotione,& pietate superaret. *Hæc*, videlicet,*est mutatio dexteræ excelsi*, *Ps*.76. hæc est vis ignis diuini,cui nulla cordis obstinatiõe resistitur.

CAPVT. VI.

REstat vltima pprietas ignis,quòd res graues extenuet,& facili negotio sursum attollat. Quę causa est,cur homines,qui nõ ardent amore diuino, graues corde sint,& dicat illis Propheta, *Ps*.4. *Vsquequo graui corde, vt qd diligitis vanitatẽ,et quæritis mendaciũ?* Ea nimirũ est causa, *quia corpus quod corrũpitur, aggrauat animã*, vt dicit Sapiens, c.9.& *iugũ graue super filios Adã, à die exitus de vẽtre matris eorũ, vsq; in diem sepulturæ in matrẽ omniũ*, inquit Ecclesiast.c.40. Quod sit autẽ hoc iugũ graue, quod in corpore mortali aggrauat animã, explicat idem auctor paulò post, cum addit, furor, zelus, fluctuatio, timor, iracũdia, & cætera quæ passiones animi dici solent. Hæc hominem ita grauant, vt nihil aspiciat, nisi terram,cui postratus inhæret,& nec ad Deũ

quæ-

quærendum assurgere, nec viam mandatorum Dei expeditè currere posit. Sed cùm incipit ignis diuinus ex alto corda humana succēdere, continuò paßiones illæ diminui, & mortificari, & onus graue leuius fieri incipit, & si ardor crescat, non difficilè est cor humanum ita exonerari, vt accipiat pennas sicut columbæ, & cū Apostolo, *Phil.* 3. dicere poßit: *Conuersatio nostra in cœlis est* & quasi corde dilatato per ignem, dicat cum Dauide, *Ps.* 118. *Viam mandatorum tuorū cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Certè postea quā Saluator dixit, *Luc.* 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* Vidimus plurimos ita leues effectos, vt omnem honorum, & carnis, & diuitiarū affectum deposuerint, & Christo in cœlos abeunti dixerint, *Cant.* 1. *Trahe me post te.* hinc tot monasteria erecta, tot deserta habitari cœpta, tot chori Virginū inuenti, quibus nō solùm facilè fuit, viā mandatorum currere, sed etiam per viam consiliorum ascendere, & sequi agnum quocunque ierit.

O beatus ignis, qui non consumis, sed illuminas, & si cōsumis, humorem noxium consumis, ne vitam extinguat. Quis mihi dabit, vt isto igne corripiar, qui nigredinē ignorātiæ, & erroneæ conscientiæ obscuritatē lucē veræ sapientiæ purget & tollat? qui frigus pigritiæ, indeuotionis, & negligentię cum amoris ardore commutet? qui cor meum indurari nunquam sinat, sed calore suo semper emolliat, & obediens atq; deuotum efficiat: qui demq; iugum graue terrenarum curarum, & terrenorum desideriorū auferat, & pennis sanctæ contemplationis, quæ charitatem nutrit, & auget, cor meum sursum attollat, vt cum Propheta *Ps.* 85. dicere poßim: *Lætifica Domine animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.*

GRADVS SEPTIMVS

Ex consideratione cœli, id est, Solis, Lunæ, & Stellarum.

CAPVT I.



NOn laborabimus hoc loco, vt ex cōsideratione cœli gradum nobis ad Deum considerandū erigamus. habemus enim præeuntem Prophetā Regium, qui in Psalmis canit, *Psal.* 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, & quoniam duo tempora sunt, quibus è cœlo ad Deum pēnis contemplationis ascēdimus, diurnum videlicet, & nocturnum; de priore scribit in illo Ps. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquā sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt Gygas ad currendā viā, à summo cœlo egreßio eius & occursus ei⁹ vsq; ad summū eius, nec est qui se abscōdat à calore ei⁹.* De posteriore scribit in Ps. 8. *Videbo cœlos tuos, opera digitorū tuorū, lunā, & stellas, quæ tu fundasti.*

Incipiamus à priore tempore. De Sole, quē interdiu videm⁹, quatuor laudes canit Spirit⁹ S. per os Dauid; primā, quòd sit tabernaculū Dei; secundā, quòd sit pulcherrim⁹; tertiā, quòd velocisimè, & sine fatigatione semp currat; quartā, quòd illuminādo & calefaciēdo virtutem suā maximè manifestet. Propter hæc omnia scripsit Ecclesiasticus, *cap.* 43. *Vas admirabile opus excelsi, magnus Dominus, qui fecit illum.*

A Primū igitur, conditor omniū rerū Deus, in Sole, tāquā in re nobilisima posuit tabernaculū suū, i. inter oēs res corporales elegit D⁹ Solē, vt in ipso, tanquā in palatio regio, vel diuino sanctuario habitaret. Cœlū quidē & terrā Deus implet, & cœlū, ac cœli cœlorū eū nō capiunt, *Hier.* 23. tamē ibi magis habitare dicitur, vbi maiora signa præsentię suę, mirabilia operādo manifestat. Sed quoniam in textu Hebraico dicitur, Soli tabernaculum posuit in eis, i. in cœlis: colligimus ex hoc loco Psalmi, alteram Solis excellentiam, quæ cum priore non pugnat.

Magna res est Sol, cui palatiū amplißimum, pulcherrimum & nobilißimū Deus parauit. voluit. n. vt cœlū ipsum esset palatiū Solis, in quo liberè perābularet, & operaretur: & ipse Sol esset palatiū summi Principis Dei. Quēadmodum igitur

B cognoscimus magnitudinē & eminentiā Solis ex eo, quòd tabernaculum eius est cœlum, ita cognoscimus magnitudinem & eminentiam Dei, ex eo, quod tabernaculum eius est Sol, vas videlicet admirabile, & quo nihil mirabilius in rebus corporalibus inuenitur.

Deinde Dauid, vt pulchritudinem eximiā Solis ex reb. notis ostēderet, cōparauit eum cū sponso egrediente ex thalamo suo. nunquā. n. se magis ornāt homines, neq; vnquā magis speciē & pulchritudinē ostentare cupiunt, quàm cùm spōsi sunt. tunc. n. sponsæ oculis, quā vehementisimè diligunt, placere supra modum cupiūt. Sed si possemus in Solem aciē oculorum figere, & si ppinquiores illi essemus, & totum, quantus est, & qualis est, videremus, nō indigeremus similitudine spōsi ad eius incredibilē pulchritu-

C dinem capiendam. certè omnis venustas colorū à luce pēdet, & absente luce omnis colorum pulchritudo euanescit. proinde nihil est pulchrius luce, & Deus ipse, qui est ipsa pulchritudo, lux appellari voluit. *Deus*, inquit S. Ioan. 1. *ep. c.* 1. *lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* porrò in rebus corporalibus, nihil est Sole lucidiùs, ac per hoc nihil est sole formosius. Adde pulchritudinem rerum inferiorū, atq; hominū præcipuè, breui marcescere, solis pulchritudinē nunquā extingui, nunquā minui, semper omnia æquali splēdore lætificare. An nō sentimus, in exortu solis quā videātur res oēs quodammodo exhilarari? nec solū homines lætari, sed etiam suaues venti spirare, flores aperiri, herbas exurgere, auiculas aerē cātu mulcere? Hinc ille cæcus senex Tob.

D c. 5. dicenti sibi angelo: *Gaudium tibi sit semper*: respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video.*

Age igitur, anima mea, & tecum reputa, si sol creatus exortu suo ita lætificat oīa, quid faciet Sol increatus, sine vlla cōparatione pulchrior, & lucidior, quādo puris cordibus, nō ad breue tēpus, sed in æternū videndus, & contēplandus orietur? Et quā infelix, & tristis hora succedet perditis hominib⁹, qn in tenebras sempiternas sepeliendi amādabuntur, vbi nec solis increati, neq; creati radij, vllo vnq tēpore penetrabūt? & quale gaudiū erit animæ illi, cui à Patre luminū dicetur; *Matth.* 25. *Intra in gaudium Domini tui?*

CAPVT II.

POstea idem Propheta celebrat Solis cursum prorsus admirabilem: *Exultauit*, inquit, *Ps.* 18. *vt Gygas ad currendā viā.* Gygas

certè robustus, si pro magnitudine corporis passus extendat, & pro viriũ robore velociter currat, ingens omnino spatium breui tempore cõficiet. Et quidem Propheta, quoniam Solẽ cõparauerat homini sponso, vt explicaret, eo modo, quo poterat pulchritudinem Solis; sic postea comparauit homini gigãti, vt eo modo quo poterat, eadem similitudine vtẽs, Solis cursum velocissimum explicaret. Sed etiam si non homini, quantumuis magno, & robusto, sed auib⁹ volantibus, sagittis, ventis, fulminibus cõparasset, adhuc longissimè à veritate abesset. nã si verum est, quod oculis cernimus, Solem viginti-quatuor horis percurrere totum ambitum sui orbis, & si ambitus orbis Solis infinitis ferè partibus orbis terræ ambitum superat: & si ambit⁹ orbis terræ circiter viginti millia milliariorũ cõplectitur; quæ sunt omninò verissima? sine dubio sequitur, vt singulis horis multa milliariorum millia Sol currendo conficiat. Et quid dico, singulis horis, imò singulis quadrantibus, ac ferè singulis horarũ particulis. Nã si quis velit ortum, vel occasum Solis obseruare, præsertim in horizõte aperto, qualis est in mari, vel in planitie campestri, intelliget totum corpus Solare ascendere supra horizontem, minori spatio tẽporis, quàm sit octaua pars horæ; & tamen diameter corporis Solaris multò maior est, quàm diameter orbis terrę, qui tñ septẽ millia milliariorũ continet. Ego ipse volens curiosè aliquãdo cognoscere, quanto tẽporis spatio Sol totus occumberet in mari: cępi ad initium occasus eius legere Psalmum Miserere mei Deus, & vix totum bis legeram, cùm iã Sol totus occubuisset. Ergo necesse est, Solem eo breuissimo tempore, quo bis legitur Psalm. Miserere, cursu suo percurrere spatiũ multò maius, quàm sint septẽ millia milliariorũ. Quis hoc crederet, nisi certa ratio demonstraret? Et si quis nunc addat, corpus, quod tã velociter mouetur, esse molẽ toto orbe terrarum longè maiorem: & motum tanti corporis, & tam velocem sine vlla intermissione, vel fatigatione peragi, &, si Deus iubeat, æterno tempore posse durare: certè nisi stipes, aut truncus fuerit, nõ poterit infinitam conditoris potẽtiam non admirari. Verè igitur scribit Eccles. hoc esse vas admirabile, opus excelsi, & verè magnum Dominum, qui fecit illud.

Capvt III.

Restat efficacitas luminis, & caloris, de qua dicit Dauid, Nec est, qui se abscõdat à calore eius. Hoc vnũ corpus lucidũ in medio Mũdi positum omnia sydera, omnem aerẽ, omnia maria, omnem terrã collustrat, & calore suo viuifico vbiq; terrarum omnia germina, oẽs segetes, oẽs arbores virere, & frõdere facit, oẽs fructus ad maturitatem perducit; & infra terrã etiã virtutem suam diffundit, ac metalla omnis generis producit. Quare S. Iac. initio ep. suæ, c. 1. Deum ipsum cum Sole comparauit: *Omne datũ optimum*, inquit, *& omne donum perfectum de sursũ est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obũbratio*. Sol quidẽ est pater luminum corporaliũ, Deus aũt est pater luminum spiritualium; sed in tribus reb. dissimilitudo magna est inter Deum & Solẽ, primùm. n. Sol, vt totum orbem terrarum lumine & calore compleat, necesse habet transmutatione perpetua: Deus aũt, quia vbiq; totus est, trãsmutatione non indiget. Idcircò S. Iac. dicit: Apud quẽ non est trãsmutatio. Deinde, Sol propterea, quòd semper mutat loca, ideò per vices alijs diẽ facit, alijs noctẽ relinqt, alijs lucet, alijs obũbratur: De⁹ aũt nunquã mouetur, & semper omnib. pręsens est, ideò & S. Iac. addit: Nulla est apud eum vicissitudinis obumbratio. Deniq;, quod est omnium maximũ, à Sole patre luminum corporaliũ sunt omnia data, & dona, quæ nascuntur in terris: sed hæc bona sunt, sed neq; optima, neq; perfecta, quin poti⁹ exigua, tẽporalia, caduca, & quæ nec hominẽ bonum faciũt, & quibus malè vti possunt, qui volunt, quæq; in suã perniciẽ plurimi cõuertunt. At à Deo patre luminum spiritualium, descendunt omnia data optima, & dona perfecta, quæ habentẽ optimũ, perfectumq; efficiunt, & quib. nemo malè vti potest, & quæ in ijs perseuerantẽ perducunt ad statum veræ felicitatis, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus.

Quære igitur, anima mea, quæ sint ista data optima, & dona perfecta, quę desursũ sunt, atq; à luminum patre descẽdunt, vt cùm inueneris; de illis sollicita sis, atq; illa totis virib. obtinere nitaris. Sed non est, ꝙ lõgè discedas, satis hoc tibi ipsa Solis natura monstrabit. Sol. n. lumine & calore omnia peragit atq; hæc sunt data & dona patris luminum corporalium, lumẽ & calor. sic igitur data optima, & dona perfecta, quę desursum sunt, descenduntq; à vero Patre luminum Deo, sunt lux sapientiæ, & ordinatio charitatis. Lux sapientiæ, quæ verè sapientem facit, & qua nemo potest vti malè, & quæ ad fontem sapiẽtiæ in cœlesti patria situm perducit, est illa quæ docet contemnere temporalia, & magnifacere sempiterna; docet, *Nõ sperare in incerto diuitiarũ, sed in Deo viuo, 2. Tim. 6.* Docet non facere de exilio patriam, nec amare peregrinationẽ, sed tolerare; deniq; docet, habere vitam hanc pręsentem in patientia, cùm sit plena periculis, & tentationibus; & mortem in desiderio, quia: *Beati mortui, qui in Domino moriũtur. Apoc. 14.* Ordinatio verę charitatis quid est, nisi Deum, qui finis est omnium desideriorum, sine fine, & sine mẽsura diligere: res cæteras quæ sunt media ad finẽ diligere cum mensura, & modo, quantũ videl. necesse est ad finem, id est, ad beatitudinem cõsequẽdam. Certè nemo est inter filios hominũ, qui circa corporis curã ita ordinem inuertat, vt sanitatem amet cum mẽsura, & amarã potionem sine mensura, cùm sciat illã esse finem, hãc medium. Vnde igitur fit, vt tã multi, qui sapiẽtes videri volũt, in coaceruãdis diuitijs, in quærẽdis voluptatib. carnis, & in adipiscẽdis honorũ gradib. nullũ modũ inueniãt, quasi hęc bona finis sint cordis humani; & in amando Deo, & felicitate sempiterna quęrẽda, ijs angustijs contẽti sint, quasi hæc media sint ad finem, non finis omnium mediorũ? Illa omninò cã est, quia sapientiã huius Mundi habẽt, nõ sapientiã, quę de sursũ est, descẽdens à patre luminũ, & quia ordinatã charitatẽ nõ habẽt, ac per hoc charitatẽ verã nõ habẽt, quę nisi ordinata esse nõ põt; sed pleni sunt cupiditate, quæ ex patre nõ est, sed ex mũdo. Tu igitur, anima mea, dũ peregrinaris à patria, & inter hostes versaris, q verę sapientię, veræq; charitati insidiãtur, & astutiã pro sapiẽtia,

& cu-

& cupiditatẽ pro charitate supponunt, ingemisce toto corde ad Patrẽ luminum, vt data optima, & dona perfecta, veræ sc. sapiētiæ lucem, & ordinatæ charitatis ardorem ad cor tuum descendere faciat, vt ijs repletus, per viam mandatorum Dei inoffenso pede decurras, & ad patriam illam peruenias, vbi de ipso fonte sapiētiæ bibitur, & de puro lacte charitatis viuitur.

Capvt IV.

VEnio nũc ad tempus nocturnum, in quo cœlum nobis per Lunam & stellas gradũ facit ad ascendendum in Deum. sic. n. loquitur Dauid, *Ps. 8. Quoniã videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunã, & stellas, quæ tu fundasti.* Si cœlũ ipsum videre possemus, non diceret Propheta, quasi explicãdo, quod ante posuerat, lunam, & stellas, quæ tu fundasti, & sanè si ad cœlum ipsum sensus nostri pertingerent, aut eius naturam, & qualitates certa ratione inuestigare possemus, sine dubitatione egregiã scalam haberemus ad Deum. Non ignoramus quidẽ non defuisse, qui ex motu syderum, naturã cœli definierint quintam essentiam simplicem, incorruptibilem, & quę perpetuò moueatur in orbẽ: sed scimus etiam non defuisse alios, qui cœlum esse voluerint elementum ignis, quod non moueatur in orbem, nec sit incorruptibile secundùm partes, nos autem non opiniones, sed sciẽtiam certam, aut doctrinam fidei quærimus, vt ex ea nobis ad Deum cognoscẽdum scalam solidam construamus. Ergo contenti erimus Luna & stellis, quas videmus scalam erigere cum Propheta, vt paulò ante fecimus ex Sole, qui est lux, & Princeps luminum reliquorum.

B

Luna duas habet proprietates, quę nobis vtiles esse possunt ad ascendẽdum, & promerendũ Deũ. prior est, quòd quò magis propinquat ad Solem, eò magis illustratur in parte superiore, qua respicit cœlum, & obscuratur in parte inferiore, qua respicit terram: & quando est omninò subiecta Soli, & cum eo omnino coniuncta, tum tota est lucida versus cœlũ, & obscura versus terram: & contrà, cùm est opposita Soli, tota illustris cernitur ab ijs, qui terram incolunt, & nihil lucis habet in parte superiore, quã intuẽtur, qui incolũt cœlũ. Hæc lunæ proprietas magnum esse potest documentum, vel exemplum mortalibus, vt intelligant, quã solliciti esse debeant propinquitatis & subiectionis, & coniũctionis ad verum Patrem luminũ, Deum. Luna significat hominẽ; Sol Deum, quando Luna est opposita Soli, tũc lumine mutuato à Sole, respicit solam terram, & terga quodammodo vertit cœlo: vnde etiam tũc pulcherrima apparet habitantib. in terra, sed deformissima habitãtib. in cœlo. Sic omnino mortales homines, quãdo lõgissimè recesserunt à Deo, vt filius ille prodigus, quando recessit à Patre, & abijt in regionẽ longinquam, tunc abutuntur lumine rationis, quod à Patre luminum acceperunt, ad solã terram inspiciendam, & obliti Deum, solam terrã cogitant, solam terram amãt, & in eius bonis adipiscendis, toti occupantur, & tunc à filijs hui⁹ sæculi sapientes & beati prędicantur. Sed ab ijs, qui degunt in cœlo, pauperes, & nudi, & cæci, & deformes, & miseri, & miserabiles iudicantur *Apoc. 3.* Contra verò Luna cum Soli cõiuncta, illi perfectè subijcitur, tota lucet ex parte superio-

A

re, & cœlum solũ respicit, terrę verò terga quodammodo vertit, & ab humanis oculis penitùs euanescit. Sic omnino cũ impius incipit ad pietatem reuerti, & per conuersionẽ perfectã Deo, vero animarum Soli, subijcitur per humilitatẽ, & cõiungitur per charitatem. tunc adimplet, quod Apost. monet, *Col. 3.* vt quæ sursum sunt quęrat, vbi Christus est in dextera Dei, & quæ sursum sunt sapiat, nõ super terram: & tunc ab insipiẽtibus cõtemnatur, & quasi mortuus reputetur. verè. n. qui talis est, mundo mortuus est, & vita eius abscondita est cum Christo in Deo. sed cũ apparuerit Christ⁹ vita eius, tũc & ipse apparebit cum Christo in gloria, vt idem Apostolus eodem loco subiungit. *Coloss. 3.*

Atq; hęc est causa (vt S. Aug. in ep. ad Ianuar. *ep. 118. c. 4. 5. 6.* annotauit) cur Pascha Domini, tã in lege veteri, quàm in noua, non possit ritè celebrari, nisi plenilunio peracto, i. cũ Luna, quæ in plenilunio est opposita, incipit per cõuersionem redire ad cõiunctionem cum Sole. Voluit enim Deus hoc cœlesti signo demonstrare, per passionem & Resurrectionem Domini factum esse, vt homo cõtrarius Deo, per iniquitatẽ suã, inciperet cõuerti ad Deũ, atq; ad eius gratiã, & vnionem properare per meritum Iesu Christi.

Sed tu, anima mea, si adspirãte gratia Dei, inuenias te fortè subiectam Patri luminũ per verã humilitatẽ, eiq; feliciter coniunctam per ardẽtem charitatẽ, noli stultos imitari, qui sicut Luna mutantur; sed sapientes æmulare, qui vt Sol permanẽt, Eccl. teste *c. 27.* Luna. n. quàm velociter ad cõiunctionem accedit, tam velociter à coniunctione recedit, tu verò si sapis, adeptam semel gratiam noli deserere, noli abire, noli recedere, nihil. n. meli⁹ vllo in loco reperies: neq; scis an aliàs reuerti dabitur, si spontè recesseris. qui. n. promisit veniam pœnitentibus, & gratiã reuertentibus, nec vitam longiorem, nec donũ pœnitẽtię tibi promisit. Ergo securè terga vertas terræ, & solẽ tuum intuere, in illo conquiesce, in illo delectare, in illo permane. dicas cum Apost. Petro. *Matt. 17. Bonum est nos hic esse,* & cũ Martyre Ignatio, *Ep. ad Rom. Bonum mihi est cum Christo viuere, quàm regnare in finib. terræ.* Et parũ tibi sit, quid de te iudicent, qui terram sapiunt. Non enim ille probatus est, quem Mundus commendat, sed quem Deus commendat.

C

Capvt V.

EST alia Lunæ consuetudo, quã Deus quoq; cum electis suis seruare solet. Luna siquidẽ pręest nocti, sicut Sol diei, vt dicit Moses in Gen. 1. & Dauid in Psal. *Ps. 135.* sed Sol diẽ totũ continuo splendore collustrat. Luna verò nunc magno lumine noctis tenebras cõsolatur. sic Deus, vt sol, Angelos sanctos, & animas beatorũ, quib. perpetuus dies est (*nox. n. non erit illic,* ait S. Ioan. in Apoc. *c. 21.*) perpetua claritate illustrat, nostræ aũt huius peregrinationis & exilij noctem, in qua *per fidem ambulamus, & non per speciem*, *2. Corinth. 5.* & Scripturæ sanctæ intendimus tanquam *lucernæ lucenti in caliginoso loco*, vt ait S. Petrus in ep. 2. *c. 1.* Deus, vt Luna, per vices corda nostra illuminãdo visitat: & aliquãdo in tenebris desolationis relinquit. Nec tamẽ debes, anima, nimium contristari, si nullo consolationis lumine frueris: neq; nimiũ hilarari, si paulò post in luce cõsolationis & deuotionis

D

respi-

respiras. Deus enim non Solem, sed Lunã se gerit in huius sæculi nocte, & nõ solum nobis pusillis & imperfectis Deus nunc apparet, vt Luna plena lumine cõsolationis, nunc vt vacua omni lumine horroré, & tenebras noctis densissimas nobis relinquit. nam & Apostol. Paulus vas electionis, & qui ad tertiũ cęlũ raptus audiuit *arcana verba, quæ nõ licet homini loqui* 2.Cor.12. aliquãdo dicit 2.*Cor.*7. *Repletus sum consolatione, superabũdo gaudio in omni tribulatione nostra:* aliquando verò ingemiscit & lamentatur, dicens, *Ro.*7. *Video aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in mẽbris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et in 2. ad Cor. c.1. *Non volumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem, vt taderet nos etiam viuere.* Atq; hoc est, quod monet S. Ioan. Chrysost. *ho.*8. *in Matt.* Deum in Sanctis omnibus hoc facere, vt neque tribulationes, neq; iucũditates eos sinat habere continuas: sed tum ex aduersis, tum ex prosperis iustorum vitam, quasi admirabili varietate contexere. atque hæc de Luna.

A

CAPVT VI.

Reliquæ sunt stellæ inter ornamenta cœlorum, de quibus Eccles. dicit, *c.*43. *Species cœli, gloria stellarum*, sed addit cõtinuò: *Mundum illuminãs in excelsis Dominus.* quicquid.n. decoris habent stellæ, vt etiam Sol, & Luna totum à Patre luminum est, & non Sol per diem, nec Luna ac stellę per noctem mũdum illuminant, sed Dominus est, qui in excelsis habitans, per Solem, & Lunam, & stellas mũdum illuminat. Ipse est enim, qui, vt loquitur Propheta Baruch *c.*3. *Emittit lumen, & vadit: & vocauit illud, & obedit illi cũ tremore, stella aũt dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus, & luxerũt ei cum iucũditate, qui fecit illas.* Quibus verbis significatur infinita potẽtia Dei, quæ incredibili facilitate corpora tã vasta, & tã formosa momẽto producit, & ornat, & operari facit. Quod nobis est vocare, Deo est verbo creare. vocat enim ea, quæ non sunt, & vocãdo facit, vt sint. & stellis dicere, adsumus, nihil est aliud, nisi continuò ad vocem imperãtis existere, & operari. Lucere aũt cum iucũditate ei, qui fecit illas, est ita prõptè & facilè obedire factori, ac si in obediẽdo, magna iucunditate, & gaudio afficerentur. Sed illud est omninò admirabile in stellis, quòd cùm velocissimè moueãtur & nũquam à cursu illo incitatissimo cessent, & aliæ tardius, aliæ celerius currant in orbem, tamẽ semper modum suum, & proportionem cũ alijs ita seruent, vt inde concentus harmonicus, isq; suauissimus oriatur. De hoc concentu loquitur Deus in libro Iob cùm dicit, *Iob.*38. *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet?* non est iste concentus vocum, aut sonorum, qui auribus corporis percipiatur, sed concentus proportionum in motibus syderũ, qui cordis aure sentitur. Siquidem stellę firmamenti oẽs simul eadem velocitate vigintiquatuor horis totum cœli ambitum percurrũt; septem verò sydera, quæ planetæ, siue errãtia syderadicuntur varijs motibus, alia velocius, alia tardius incitãtur; vt videantur stellę firmamẽti Bassum imitari (vt vulgaribus nominibus vtamur) & planetæ quasi contra punctum per petuum & suauissimum facere. Sed hæc supra nos sunt, & illis tantum iste concentus sonat, qui in cœlo positi rationẽ motuum istorum intelligunt. Et quoniam stellæ seruata proportione, semper in orbẽ se conuertendo non fatigantur, videntur instar virginum honestarum, & saltandi peritarum, in cœlo semper choreas iucundissimas agere.

B

Sed tu, anima mea, paulò altius ascẽde, si potes, & à splẽdore maximo Solis, à pulchritudine Lunæ, à multitudine & varietate luminum reliquorum, ab admirabili cõcentu cœlorum, & à choreis iucũdissimis stellarum, cogita quid erit supra cœlum videre Deum, Solẽ videlicet, qui lucem habitat inaccessibilem; intueri Virginẽ illam, cœli Reginam, quę pulchra vt Luna, totã lætificat ciuitatẽ Dei; aspicere choros, & ordines multorum millium Angelorum, qui stellis omnibus plures, & lucidiores cœlũ cœli exornãt; cernere animas sanctorum hominũ, choris angelorũ insertas, quasi planetas stellis firmamenti admixtos; & quid erit cãtica laudum audire, & illud perenne Alleluia consonis vocib. in plateis ciuitatis illius dulcissimè resonare. sic enim fiet, vt nec ipsa cœli pulchritudo tibi magna videatur, & quæ infra cœlum sunt omninò perexigua, ac penè nulla, ac per hoc contemnenda, & despicabilia iudicentur.

GRADVS OCTAVVS

Ex consideratione animæ rationabilis.

C

CAPVT I.

Pertransiuimus hucusq; res oẽs corporales, dum mentis cõsideratione, ex rebus creatis ad creatorem ascẽdere nitimur. Iã verò supra omniũ corporum dignitatẽ, inuenimus animas humanas, quę ad infimum genus spiritualium substãtiarum pertinere noscuntur, inter quas & Deũ nihil medium nobis occurrit, præter Hierarchias, & ordines Angelorum.

Porrò humana anima tantam habet cũ Deo cõditore similitudinem, vt planè ignorẽ, an alia via quis possit facilius ad Deũ cognoscẽdũ ascendere, quàm ex consideratione propriæ animæ. Itaq; voluit Deus hominem esse inexcusabilem, si notitiam Dei non habeat, cùm eam, ipsius Dei auxilio comitante, ex animæ suæ cognitione non difficulter haurire possit.

D

Primũ igitur anima hominis spiritus est, sic .n. exponũt SS. Patres illa verba Gen.2. *Formauit Dominus Deus hominem ex limo terræ & inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ*, & illud Tob. c.3. *Præcipe recipi spiritum meum.* & illud Eccles. c.12. *Reuertatur puluis in terram suam, & spiritus redeat ad Deũ, qui dedit illum.* Quamuis aũt vocabulum spiritus conueniat etiam vento, de quo dicitur in Psal. *Ps.*148. *Spiritus procellarum.* & in Euang. *Ioa.*3. *Spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis:* tamẽ nõ dubium est, spiritũ procellarũ esse corpus tenuissimum, quod ob summã suam subtilitatẽ magis imitatur spiritualem naturam, quàm aliud quodcunq; corpus: Anima verò humana propriè spiritus est, non corpus, neque ex materia producitur, sed à Deo creatur. de qua re apud Catholicos nulla controuersia.

Hic

Hic igitur incipit excellentia animę,& similitudo ad Deũ. Deus .n. spiritus est,vt Saluator apertè pronuntiat, *Ioan. 4 Spiritus est Deus,& qui eũ adorant,in spiritu & veritate oportet adorare*. Sed quãquam & Deus spiritus est,& anima humana spiritus est:tamen Deus est spiritus increatus,& creator,anima spiritus creatus:ex quo sequitur infinita distantia inter spiritum, qui est anima, & spiritum,qui est Deus.proinde quantum lætari potest anima quod sit in genere substantiæ spiritualis ac per hoc cœlo & syderib. altior nobilitate naturæ;tñ humiliari debet, ac Deo cõditori subijci,quod ex nihilo facta sit, & ex se nihil sit.

CAPVT II.

DEinde anima humana, quia spiritus simplex est, immortalis est.nõ.n.habet in se aliquid, vnde distrahi, vel interire possit.Sed in hac re quoq; quãtum gloriari potest supra animas brutorum animantium, quæ cum corpore intereunt, tãtam conditoris sui excellentiã suspicere &admirari debet,qui non solũ immortalis,sed sempiternus etiam est. Anima .n.humana aliqñ nõ fuit,& solius Dei volũtate ad esse peruenit,& eiusdẽ voluntate Dei posset ad nihilũ redigi,quãuis in se corruptionis principium non habeat. Itaq; rectè dixit Apost. de Deo,2.*Tim.6. Qui sol⁹ habet immortalitatẽ*.sol⁹.n. nulla vi, nullo casu, nulla rõne dissolui potest, cũ sit ipsũ esse,ipsa vita,& fons essendi, & vitæ.

CAPVT III.

TErtiò anima humana lumine intelligẽtię prędita est.cognoscit.n.non solũ colores & sapores,& odores,& sonos,& calorẽ,& frigus,& durum,& molle, & alia id genus,quæ sensibus corporis patent;sed etiam de substãtia iudicat,& de rebus non solum singulis, sed etiã vniuersis, & non solũ præsentia nouit, sed etiã futura coniectat,& discurrendo trãscendit cœlos,penetrat abyssos,ex causis scrutatur effecta, &ex effectis recurrit ad causas.Deniq; Deũ ipsum,qui lucem habitat inaccessibilẽ,acie mẽtis attingit,atq; hoc est lumẽ, de quo dicit S. Ioan. in Euãg *Ioa.1. Erat lux vera,quæ illuminat oẽm hominem venientem in hunc mundum*, & Dauid in Psal. *Ps.4. Signatũ est super nos lumen vultus tui Domine:* &:*Ps.31. Nolite fieri sicut equus & mulus,quibus nõ est intellect⁹*. Magna est hæc animæ dignitas,per quã homo similis est Deo, & dissimilis bestijs, atq; hinc coniectare potest,ac debet homo,quãta sit eminentia & sublimitas Domini cõditoris sui. Anima .n. lumine intelligendi prædita est, sed Deus est lux,& intelligentia. Anima discurrit à causis ad effecta,& ab effectis ad causas, atq; eo discursu non sine magno labore scientiã venatur: Deus intuitu vno ac simplici simul omnia perfectè cognoscit. Anima intelligit ea, quæ sunt, ac per hoc sciẽtia eius pẽdet à rebus: Deus intelligendo facit,vt res sint, ac per hoc rerum existentia à Dei scientia pendet. Anima de reb. futuris vtcunq; cõiectat;Deus omnia futura nõ min⁹ perspicuè,quã præterita & pręsentia semper intuetur. Anima multis indiget vt intelligẽtiæ munus exerceat,obiecto, specie,phãtasmate,&alijs:De⁹ nulla re eget,ipsa.n.essẽtia sua est illi omnia;imò etiã ipsa sua essẽtia est illi intelligẽtia.Deniq; anima dũ est in corpore nõ solũ Deũ nõ videt,sed neq; angelos videt,neq; seipsã videt,neq; substãtiã vllã quãuis corporalẽ propriè videt, & in multis fallitur, plurima ignorat,de plurib. opinionem, de paucissimis verã sciẽtiam habet. Deus aũt nihil ignorat, nihil opinatur, nunquam fallitur,nunquã errat, *omnia nuda sunt,& aperta oculis eius*, vt Apost. loquitur in ep.ad Heb.*c.4*. Ergo si tanti facit homo sciẽtiã suam; vt Apost. dicat,1.*Cor.13. Scientia inflat*, quantum admirari debet scientiam cõditoris, cui comparata omnis scientia nostra, non scientia,sed ignorantia est?

CAPVT IV.

QVarto viget in anima humana gen⁹ aliud scientię,quod non in speculatione,sed in actione versatur. Vnde sunt libri Philosophorũ,de vitijs & virtutibus:tot leges Principũ,& consilia iureconsultorũ: tot institutiones & exercitationes ad artem bene viuẽdi comparãdam. In quibus admirabile cernitur in homine lumẽ rationis,quo vno longè ac longè bestijs præstamus. Sed nihil hæc omnia sunt ad legẽ æternam,quæ in mente conditoris viget, ex quà tanquã ex fonte vberrimo manarunt oẽs leges, & omnia iura. *Vnus est n.legislator,& index Deus*, inquit S.Iac.in ep.sua,*c.1*. Ipse est veritas & iustitia,& sapientia,*per quem reges regnant,& legũ cõditores iusta decernunt*, *Prou.8*. proinde nunquam artem bene beateq; viuendi reperies, donec ad scholã Christi, qui vnus est Magister verus admissus *Matt.23*. eius verbo &exemplo didiceris iustitiã illã, quæ abũdat super iustitiã Scribarũ, & Pharisæorum, *Matt.5*. addo etiã Philosophorum, cuius finis est *charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta* 1.*Tim.1*.

CAPVT V.

QVintò possidet anima hominis tertium genus scientiæ, quod in rebus ingeniosè fabricandis positum est. Et quidem norunt etiam Araneæ telas texere, & Auiculæ nidos ædificare,& Apes mella cõficere,& Vulpes foueas,quasi domos quærere: sed ista animãtia naturæ quodam instinctu rem vnam & eãdem & modo eodẽ faciunt: Anima verò humana ratione & iudicio prædita artes innumerabiles adinuenit,per quas omnib. animãtibus, velint, nolint,imperat,& dominatur. nec prosunt auibus alæ,nec piscibus profunditas aquarum, nec leonibus aut vrsis robur eximium, nec equis & mulis ferocitas, nec ceruis & capris pernicitas. Siquidẽ ipsi etiã pueri, laqueis & visco,& retib. aues capiũt:&hamo ac retibus piscatores pisces apprehendunt: viri aũt ingenio &arte leones & vrsos caueis ferreis includere, & circũducere: Apros & Ceruos vel funibus irretire, vel ferro cõfodere; equos & mulos freno domare,& imperio suo subdere didicerũt. Quid dicã de arte nauigandi, quãta lux ingenij in anima humana fulsit, quãdo per liquidũ mare naues maximas, & põderib. grauissimis onustas,non solũ remis, quasi pedib. currere,sed etiã velis,quasi alis volare docuit? Quid de agricultura? quis nõ obstupescat ingeniũ hominis, si segetes, si vineas, si pomaria, si hortos, si piscinas, si varios aquarũ riuulos,ad hortos irrigãdos,& arua humectãda ductos inspiciat? Quid de architectura? quis non miretur palatia,templa,vrbes,arces,turres, amphitheatra,piramydes,obeliscos? Omitto pingendi & sculpendi artes, quibus sic interdum ad viuum exprimũtur, vel coloribus in tabula,

vel

tota in singulis partibus est; & cùm totum corpus repleat, nullum tamen in corpore locum occupat, & quando corpus crescit, anima non crescit, sed incipit esse, vbi antea non erat; & si membrum absciuditur, vel arescit, anima non minuitur, neque siccatur, sed desinit in eo membro esse vbi ante erat, absque omni læsione, vel mutilatione sua. Hoc est verum speculum existentiæ Dei in rebus creatis. Deus enim spiritus indiuisibilis est, & tamen mundum totum, & partes eius omnes replet, nec locum vllum occupat, & totus est in toto mundo, & totus in qualibet parte mundi; & cùm noua creatura producitur, Deus in ea incipit esse, nec mouetur tamē: & cùm creatura aliqua fortè destruitur, aut moritur, Deus nō destruitur, nec moritur, sed desinit ibi esse, nec tamen locum mutat. Itaq; in his conueniūt Deus, & anima, sed in multis tamen, vt par est, lōgè eminet Deus. Anima siquidē, vt in corpore sit, & corpus regat ac moueat, necesse habet formam corporis fieri atq; ita cū eo coniūgi, vt ex anima & corpore vnus homo fiat. Deus nō eget, vt fiat forma, vel anima mūdi, neq; vt ex ipso, & mūdo vna substantia composita fiat. Sed ex immensitate sua hoc habet, vt vbique sit; ex indiuisibili vnitate, vt totus vbique sit; ex omnipotentia, vt omnia regat, omnia portet, omnia moueat. Deinde anima, quamuis in toto corpore esse dicatur, tamen propriè non est, nisi in partibus viuentibus, siue animatis, proinde non est in humoribus, in capillis, in vnguibus, in membris aridis, vel emortuis: Deus absolutè in rebus omnibus est, nec solùm in corporalibus, sed etiam in spiritualibus; neque fieri potest, vt aliquid sit, in quo Deus non sit. Præterea non est anima nisi in corpore suo, eoque satis angusto, & breui, & in quo partes omnes simul colligatæ sint. si qua enim pars separaretur ab alijs, in illa esse non posset anima: Deus autem in hac rerum vniuersitate totus est, quamuis & ipsa vniuersitas maxima sit, & partes eius colligatæ non sint, quamuis contiguæ sint; & si mundus alius, & alius conderetur, in omnibus Deus esset. Ideò enim scriptum est, 2. *Par. 6. Cælum, & cæli cælorum non te capiunt.* Quoniam si alij cœli, & alia terra fieret, in illis quoque esset, & si rursus noui cœli, & nouæ terræ sine fine multiplicarentur, omnia repleret, & vbi non esset, nihil omninò esset.

CAPVT IX.

NOnò anima hominis, præter ea, quæ dicta sunt, habet etiam imaginem in se, quamuis obscuram diuinissimæ Trinitatis; tùm quia habet memoriam fœcundam, vim intelligendi, & vim amandi: tùm etiam quoniam mens eius intelligendo format verbum quoddam suum, & à mente, & à verbo procedit amor, quia id quod cognoscitur à mente, & repræsentatur à verbo, vt bonum, continuò à voluntate diligitur, & desideratur. Sed tamen longè altiore, & diuiniore modo Pater Deus generat Verbum Deum, & Pater & Verbum spirant Spiritum sanctum Deum, qui est amor viuens; & fons viuus omnis amoris casti. Et ea de causa mysterium Trinitatis superat naturalem sciendi modum, nec potest si-

A ne supernaturali lumine ad ipsius notitiam, quantumuis doctus Philosophus peruenire. Siquidem anima hominis producit Verbum, & amorem, quæ non substantiæ, sed accidentia sunt, ac per hoc personæ non sunt: Deus autem Pater Verbum gignit sibi consubstantiale, & Pater, ac Verbum spirant Spiritum sanctum vtrique similiter consubstantialem, vnde tres personæ meritò dicuntur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Deinde anima hominis producit verbum, quod non diu permanet, & voluntas producit amorem, qui non diu durat: Deus autem Pater generat Verbum æternum, & Pater, & Verbum spirant Spiritum sanctum æternum, neque enim Deus esse potest sine Verbo, & sine Spiritu suo. Denique anima hominis per vnum verbum rem vnam repræsen- B tat, ideò multiplicat verba, non solùm mentis, sed etiam oris; & voluntas humana, multos actus amoris producere debet, si multas res velit amare: Deus autem vnico verbo omnia vera dicit, & vnico actu amoris omnia bona diligit.

CAPVT X.

DEnique hoc habet anima humana, vt dum est in corpore, quamuis non videatur, nec audiatur, nec moueatur, ac vix in eo esse intelligatur, & ea recedente nihil corpori deesse videatur: tamen ipsa omnia bona corpori tribuat, sensum, motum, loquelam, subsistentiam, pulchritudinem, robur; cur enim homo dum viuit, videt, audit, loquitur, C ambulat, subsistit, robustus, formosus, & amabilis est, nisi quoniam anima in eo est? & cur post mortem, nec videt, nec audit, nec loquitur, nec mouetur, sed iacet deformis, inutilis, & inusus, nisi quoniam anima recessit, vnde bona illa deriuabantur? Sic Deus tuus, ô anima, dum per gratiam suam in te viuit, ipse facit, vt videas quæ tibi fides ostendit, & audias quid loquatur in te Dominus, & ambules per viam mandatorum ad cœlestem Hierusalem, & loquaris in oratione ad Deum, & in sancta exhortatione ad proximum, & subsistas perseuerando in operibus bonis, & robustus sis in acie aduersus hostes inuisibiles, & formosus in oculis inuisibilis Dei, & Angelorum eius. Caue autem ne recedente gratia Dei, quæ est vita animæ tuæ, experiaris damna, quæ secum adfert D mors prima, vnde rapiaris ad mortem secundam, ex qua resurrectio nulla conceditur. O si mentis oculos tibi Dominus aperiret, & speciem eximiam, ac splendorem nimium intueri posses, quo prædita est anima grata Deo, & per veram charitatem ei coniuncta, & quibus oculis eam Deus aspicit, quem locum illi præparat, quæ gaudia illi promittit, & quanto ipsa desiderio expectatur ab Angelis, & alijs spiritibus beatis: certè ferre non posses, vt tanta pulchritudo, vel aliqua leui macula fœdaretur. & si id fortè contingeret, enitereris saltem, vt maculas illas, quantumuis paruas, lachrymarum fluminibus dilueres. Hoc certè de sancto Francisco refert sanctus Bonauentura, quoniam videbat se Agnum immaculatum sine macula aliqua sequi non posse, dedisse saltem operam, vt quotidianis, & copiosis imbribus lacrymarum

animam purgaret, & maculas omnes, quantumuis leuissimas tergeret. Sed si per eandem gratiam Dei aperirentur oculi interiores, & intueri posses, quanta sit fœditas animæ peccatricis, quàm tetrum odorem spiret, quasi putrefactum cadauer, & quàm refugiant Deus, & Angeli sancti eam respicere; quamuis fortasse in corpore habitet specioso, & ornato, & oculis hominum valdè amabili: sine dubitatione vlla ita horreres, vt nulla ratione patereris, te talem fieri, aut in eo statu diutiùs permanere.

GRADVS NONVS

Ex consideratione Angelorum.

CAPVT I.



PEruenimus ad supremum gradum ascensionis in Deum, ex ijs, qui sumi possunt à substantijs creatis, nulla enim est creata substantia, sublimior Angelica, si de naturali tantum perfectione loquamur. Angelos igitur considerabimus primùm, quoad excellentiã naturæ, deinde quoad sublimitatem gratiæ: postremò quoad officia quibus funguntur. neque propositum nobis est, integram disputationem de angelis instituere, sed ea solùm attingere, quæ nos iuuare possunt ad eleuandam mentem in Deum. Angelus igitur si cum anima rationali, & humana comparetur, satis aptè dici potest anima perfecta, quemadmodum & anima dici potest Angelus imperfectus. Sic enim de homine, ratione animæ, loquitur Propheta, *Psalm. 8. Minuisti eùm paulò minus ab angelis.* Angelus enim est integra, perfectaque substantia spiritualis, anima humana dimidiata, & imperfecta, quia est forma corporis, ac per hoc est pars hominis. Itaque Angelus totus est spiritus, homo partim spiritus, partim caro, vel partim Angelus, partim bestia. quo modo si quis diceret, Angelum esse totum aureum; hominem partim aureum, partim luteum. Quare verum est quod Propheta dicit, hominem esse paulò minoratum ab Angelis, & verum etiam esse, animam humanam, quia est pars hominis; esse paulò minorem Angelo. Ex quo sequitur, vt Angelus similior Deo sit, quàm homo, vel anima eius: quia Deus spiritus est, non corpus, neque corporis forma. Nec tamen hæc maior similitudo Angeli ad Deum facit, vt Deus non sit spiritus infinito interuallo dignitatis eleuatus super Angelicã sublimitatem. est enim De spiritus increatus, æternus, immensus, solus potens, solus sapiens, solus bonus, solus altissimus. Quare si confiteris, anima mea, suscipiendam meritò à te esse naturam Angelicam, quãtò magis suspicere debes, & admirari naturam diuinam, quæ supra modum, & supra omnem mensuram supereminet Angelicæ dignitati?

CAPVT II.

SEd neque solum in natura, siue substantia dici potest Angelus homo perfectus, & homo Angelus imperfectus, sed etiam in intelligentia, & scientia. Siquidem homo, siue anima humana multùm laborat in rebus intel-

A ligendis, cùm eporteat eam vti ministerio sensuum, & discurrendo ab effectis ad causas, & à causis ad effecta, paulatim scientiam sibi comparare: vnde etiam sæpè dubius hæret, sæpè miserè fallitur, & raro ad certam intelligentiam peruenit: Angelus verò vnico intuitu res intuetur, & simul causas, & effecta ipsius cernit, nec solùm ad accidentia, sed ad ipsam etiam rei substantiam penetrat. Neque res tantum corporales, sed etiam spirituales videt: Itaque homo, dum in hac terra peregrinatur, quod ad intelligentiam pertinet; non paulò minus est minoratus ab Angelis, sed tam multum est minoratus, vt homo, quantumuis ingenio polleat; & studiò sapientiæ operam dederit, si cum Angelo cõpararetur, puer, aut infans, & lactens meritò dici possit. Non enim falsò de nobis

B mortalibus Propheta cecinit *Psalm. 8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Audi sapientissimum Salomonem quid de nostra scientia qua sic inflamur, iudicet, *Ecclef. 1. Cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.* & rursus; *Ecclef. 3. Mundum tradidit* (Deus) *disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem.* Si cuncta sunt difficilia, & inexplicabilia ab homine; & si de Mundo hoc visibili nihil intelligit homo à prima re creata vsque ad vltimam, nihil inquam perfectè intelligit, vt naturam eius, proprietates, accidentia, vires, & cætera, quæ in ea latent, explicare queat: quantis erroribus se implicabit, si ea, quæ supra cœlum sunt, inuestigare tentauerit? Quare si sapis, anima, sectare

C scientiam salutis, & sapientiam Sanctorum, quæ in eo posita est, vt Deum timeas, & mandata eius obserues; delectet te magis oratio, quàm disputatio: & charitas ædificans, quàm scientia inflans. hæc enim est via, quæ ducit ad vitam, & Regnum cœlorum, vbi dabitur nobis paruulis æqualitas Angelorum. *Matth. 18. qui semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.*

CAPVT III.

EST verò etiam tertium quiddam, in quo humana anima, non paulò minus, sed multum valdè minoratur ab Angelo. Est autem potentia, & imperium super corpora. anima enim humana corpus suum tantùm voluntatis imperio mouere potest, alia corpora hoc modo non potest: & corpus suum mouet motu progressiuo super terram, non

D autem potest illud super aquam suspendere, & super aërem euehere, & quò voluerit asportare: Angeli verò solo impetu spiritus, i. imperio voluntatis, corpora grauia sursum euehunt, & ferunt quocunque libuerit. Sic Angelus vnus rapuit Habachuc, *Dan. 14* & breuissimo tempore tulit in Babylonem, vt prandium ferret Danieli; & reportauit in Palæstinam. Deinde non potest homo solo spiritu pugnare cum hostibus, sed manibus, & armis indiget: sed Angelus sine manibus, sine armis contra integrum exercitum armatorum hominum, solo impetu spiritus sui præliari potest, & vincere. Sic Angelus vnus occidit aliquando centum octoginta quinque millia Assyriorum, *4. Reg. 19.* Et si hæc potest Angelus, quid poterit conditor, & Dominus Angelorum?

rum? Vtique poterit, qui ex nihilo fecit omnia, in nihilum omnia redigere. Poteſt quoque animus humanus, per artem pingendi, & ſculpendi non ſine induſtria & labore conficere imagines hominum, quæ viuentes homines repræſentent, vt ſpirare, ac viuere videantur: poſſunt Angeli ſine labore, & ſine manibus, & inſtrumentis, ac ferè momento temporis corpus ex elementis ita ſibi aptare, vt corpus humanum ab hominibus prudentibus iudicetur, quod videlicet ambulet, loquatur, comedat, bibat, & tangi, palpari, atque etiam lauari queat. ſic Abraham Angelis cibum præparauit, & pedes lauit, *Gen.*18. quoniam, vt explicat Apoſtolus *Heb.* 13. Angelos hoſpitio recepit, homines ſe recepiſſe credens. quod idem accidit nepoti eius Loth, dum Angelos duos, tanquam homines peregrinos in domum ſuam admiſit *Gen.*19. Sed & Raphael Angelus per multos dies, verſatus eſt cum Tobia iuniore, ambulans, loquens, comedens, bibens, ac ſi verè, ac propriè homo eſſet. & tamen ipſe poſtea diſceſſurus, ait, *Tob.*12. *Videbar manducare, & bibere, ſed ego cibo, & potu inuiſibili vtor.* ac repentè ab oculis eorum euanuit. Magna profectò, & admirabilis potentia, corpus repentè reformare, quod nulla in re ab humano, & viuo corpore differre videatur, & illud ipſum, quando libuerit, repentè diſſoluere, vt veſtigium eius nullum appareat. Quod ſi tanta, & tam admiranda Angelorum potentia eſt, quanta erit potentia Conditoris Angelorum, qui & illos creauit, & potentiam, quantam voluit, attribuit? Omnino ſicut ſcientia Angelorum: & noſtra cum ſcientia Dei comparata, ignorantia eſt: & ſicut iuſtitia Angelorum, & noſtra, iuſtitiæ Dei comparata, iniuſtitia eſt: ſic omnis potentia Angelorum, & noſtra potentiæ Dei comparata, infirmitas eſt. ideò verè dicitur Deus noſter ſolus ſapiens, *Rom.*16. ſolus bonus, *Luc.*18. & ſolus potens 1. *Tim* 6.

Caput IV.

Denique ſi locum Angelorum, & hominum conſideremus, inueniemus ex hac etiam parte, hominem, ſiue eius animam, non paulò minùs, ſed multùm omninò ab Angelo minoratam (vtor enim libenter verbo, quo vtitur Apoſtolus) Nam animæ humanæ locum Deus attribuit in terra; Angelis in cœlo, id eſt, in palatio ſuo: *Cœlum* enim *cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Pſalm* 113. Hinc Dominus apud Matthæum *c.* 24. vocat Angelos cœlorum, & apud Lucam *c.*15. dicit: *Gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* & paulò poſt: *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Et præterea ſic alligauit Deus animam corpori, vt ſine illo locum mutare non poſsit: Angelos autem Deus nulli corpori alligauit, atque eis poteſtatem attribuit, vt de cœlo ad terram, & de terra ad cœlum, vel quocunque voluerint, velociſsimè tranſeant. Sic Angelus naturæ dignitate proximus Deo, etiam ſubtilitate vtcunque imitatur omnipræſentiam Dei. Deus enim ſemper vbique eſt per naturæ immenſitatem, neque eget loci mutatione, cùm ſit vbique: Angelus per motus velocitatem, tam facilè de loco ad locum tranſit, & præſentiam ſuam locis omnibus exhibet, vt vbique quodammodo eſſe videatur.

A

Tu verò, anima mea, ſi Dominum Angelorum audire volueris, non erit cur Angelis, vel locum illum ſublimem, vel motum ſine fatigatione velociſsimum inuideas. nam non ſolum, tu anima, corpore ſoluta æqualis Angelis eris, ſed cum ad corpus redieris, quod Chriſtus *conformabit corpori claritatis ſuæ, Phil.*3. Cum ipſo corpore cœlum, tanquam domum propriam poſsidebis, & ipſum corpus ſpirituale effectum 1. *Corinth.*15. ſine labore, vel fatigatione illic erit continuò, vbi tu, eius anima, volueris, atque iuſſeris. Non te fallit Dominus tuus, qui ait in Euangelio, *Ioann.*14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* &: *Vado parare vobis locum.* &: *Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.* Et *Ioa.*17. *Volo Pater, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecū, & videant claritatem meam quam dediſti mihi.* Vbi ſit autem Chriſtus, & quale corpus habeat, non ignoras, confiteris enim quotidie, ac dicis, Tertia die reſurrexit à mortuis, Aſcendit ad cœlos, & ſcis corpus eius poſt reſurrectionem, intrare ſolitū ad diſcipulos ianuis clauſis, *Ioan.*20. & cùm recederet non ambulando: ſed euaneſcendo recedere conſueuiſſe *Luc.*24. id eſt, tam celeri motu corpus ſuum transferre ſolitum de loco ad locum, ac ſi ſpiritus non corpus fuiſſet. Sed ſi ad gloriam iſtam aſpiras, oportet hic primùm, vt conformes corpus tuum corpori humilitatis Chriſti: ſic enim fiet vt Chriſtus corpus tuum conformet corpori claritatis ſuæ. Deinde oportet vt veſtigia eius ſequaris. *Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exēplum, vt ſequamur veſtigia eius,* inquit Apoſtolus Petrus 1. *ep.* 2. & quæ ſunt veſtigia eius? *qui peccatum,* inquit ibidem, *non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.* Duo ſunt Chriſti veſtigia, à quib. ſi aberras, viam perdidiſti, & ad patriam nunquam peruenies. oportet mala non facere, ſed pati: & quod inde ſequitur, bona facere, & bona hic non expectare. &, quæ horum omnium ſumma eſt, oportet diligere proximum propter Deum, dilectione vera, & pura: amicitiæ, non concupiſcentiæ, gratis; non propter retributionem hominis, contentum retributione Dei, quæ omnem menſuram ſuperat.

B

C

D

Caput V.

Veniamus nunc ad dignitatem Angelorum ſecundùm gratiam. Verè in hoc etiam minoratus eſt homo pluſquam paulò minus ab Angelis. Siquidem initio Deus Angelos ſingulos ita creauit, vt ſimul in eis conderet naturam, & infunderet gratiam, vt S. Auguſtinus teſtatur in libris de ciuit. Dei. *lib.* 12. *c.*9. Deinde mox vt prima conuerſione mentis in Deum illi per charitatem adhæſerunt, cadentibus reprobis, beatitudine & gloria coronati ſunt. Itaque peregrinatio ipſorum breuiſsima, & manſio in patria ſempiterna, fuit: ſi tamen peregrinatio dici debet breuiſsima illa mora, quæ inter creationem & beatitudinem interceſsit. Nos autem homines gratiam

quidem cum natura in creatione accepimus, sed in Parente primo, non in nobis, & ideò illo cadente omnes cecidimus: in quo, vt Apostolus loquitur *Rom* 5. omnes peccauerunt. quamuis autem per mediatorem Dei & hominum Christum Iesum reconciliati simus Deo: tamen exilio diuturno damnati sumus, & dum sumus in corpore peregrinamur à Domino. per fidem enim ambulamus, & non per speciem: & quod pios homines, & patriam desiderantes multùm contristat, illud est, quod inter hostes sæuissimos interim versamur; & periculum est, ne ab illis circumuenti, & capti à dulcissimæ patriæ possessione tandem excidamus. Hinc sunt illæ voces *Psal.* 119. ***Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar multum incola fuit anima mea.*** Sed quamuis in hac re minores Angelis simus: Dei tamen benignitas mirificè nos homines consolatur, tum quòd ex genere nostro vnum, & vnã, Christum & Mariam in regno cœlorum omnibus Angelis antepofuit, tum quod non paucos ex hominibus, quamuis Angelis omnibus naturæ muneribus inferiores, dono gratiæ superiores multis Angelis esse voluerit, & aliquos etiam summis æquauerit. Certè S. Ioannes Chrysostomus exponens epistolam ad Romanos *Hom* 32. *in ep. ad Rom.* Apostolorum Principes Petrum & Paulũ in eo loco collocare nõ dubitauit vbi Seraphim volant, ac Deum glorificant. quod idem de S. Ioan. Baptista, & alijs nonnullis pium est credere. Adde quòd Angeli boni post primum meritum ad gloriam peruenerũt, quoniam etiam Angeli mali post primum peccatum fuerunt æterno supplicio mancipati. proinde homines queri non debent de lõgiori via, cùm in ea possint sæpè ac sæpius lapsus suos corrigere, & per pœnitentiam ad veniam peruenire.

CAPVT VI.

Restat nũc, vt de officijs Angelorum pauca dicamus. Quinque sunt Angelorum officia. Primum est laudes & hymnos perpetuò canere conditori. Ac vt intelligamus quanti faciat Deus hoc ministerium considerandum est, supremos Angelos ad hoc officiũ esse destinatos, quos quasi præcinentes, omnes Angelorum chori consonis vocibus cum incredibili iubilo prosequuntur. Audi Isaiam, ***Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant replebant templum Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.*** Hic audis nomen Seraphim, qui sunt Principes supremi ordinis, vides illos velare faciem & pedes, quod est signum reuerentiæ, quasi non auderent intueri faciem, vel tangere nudos pedes, vides eosdem assiduè volare dum canunt, quod significat affectum & desiderium semper magis ac magis propinquandi Deo, quę duo sunt necessaria ijs, qui placere Deo volunt, dum laudes eius decantant, vt videlicet amorem cum reuerentia, & reuerentiam cum amore coniungant, quod etiam Dauid Propheta expresit Psal. 2. cùm ait: ***Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.***

A Hinc discas, anima mea, quanta veneratione dignus sit Deus cùm supremi illi Principes cœli qui semper assistunt ei, & semper faciem eius vident, neq; ex tam excelso gradu suo, neq; ex tam lõga familiaritate timorem, ac reuerẽtiam negligere vnquã audeant, dũ laudes eius dicũt. Et quid respondebis tu puluis, & cinis, cũ in iudicio argueris de somnolentia, vel euagationibus in tam diuino opere, ad quod digna non eras, vt assumereris? disce saltem deinceps, tam magno exemplo edocta, cum timore, & tremore, cum attentione, & vigilãtia, cum amore, & desiderio Deo tuo debitas laudes, hymnosq; persoluere. Alterum officium Angelorum est orationes mortalium offerre Deo, easque suo etiam suffragio commendare: sic enim loquitur Angelus Raphael in libro Tobiæ, *ca.* 12. ***Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, ego obtuli orationem tuam Domino***, & in Apoc. *c.* 8. vidit Ioannes Angelum stantem ante altare cum aureo thuribulo: ***Et data sunt***, inquit ibidem, ***ei incensa multa; vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum ante thronum Dei.*** Hic verò incredibilis prorsus cernitur clementia, & misericordia Dei nostri. non enim contentus fuit per Prophetas suos primùm, deinde per Filium suum, & eius Apostolos hortari nos ad orandum, & petendum: sed etiam addidit promissionẽ dandi, quicquid petierimus: ***Petite***, inquit, ***Luc.* 11. *& accipietis***, & alibi: ***Ioan.* 15. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*** Neque hac promissione contentus, adiecit etiam præmium se daturum

C petentibꝰ. ***Tu aũt***, inquit ***Matt.* 6. *cũ oraueris intra in cubiculum tuũ, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi***, mercedem videlicet præter ea, quæ petiuisti. Sic enim de eleemosyna, & ieiunio eodẽ in loco Dominus dicit ***Matth.* 6. *Pater, qui videt in abscondito, reddet tibi.*** Sed neq; hoc argumento pietatis paternæ contentus Deus, constituit Angelos, quasi cubicularios suos intimos, qui orationum, quasi memorialium pauperum curam haberent, easq; in conspectu suo offerrent, ac legerent, ne vlla omnino pauperum petitio obliuioni mandetur. Quis vnquam Principum terrenorum pręmium promisit venientibus ad se, gratiam, vel iustitiam petituris? & tamen qui veniunt ad Principes terræ homines sunt, vt ipsi etiam Principes homines sunt ex eodem luto formati, & eidem summo Principi Deo subiecti. Sed si graue est præmium dare petentibus: certè tamen graue esse non deberet libenter eos admittere, & fidelem cubicularium deputare, qui supplices libellos subditorum diligenter custodiret, & offerret, & pro celeri expeditione sollicitus esset. Tertium officium Angelorum in eo positum est, vt Legati mittantur ad ea significanda, quæ Deus significari voluerit, ac præsertim ad negotia redemptionis, & salutis æternæ. sic enim loquitur Apostolus ad Hebræos *c.* 1. ***Nonne omnes*** (Angeli) ***sunt administratorũ spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?*** sic videmus in vetere testamento passim Angelos apparuisse Patriarchis, *Gen.* 18. & Prophetis *Dan.* 6. eisque patefecisse, quæ Deus patefacienda mandauerat. sic etiam in testamento nouo legimus, Ar-

chan-

changelum Gabrielem missum fuisse nuncium ad Zachariam & ad Virginem Deiparam *Luc.* 1. deinde Angelos quoq; missos ad pastores *Luc.* 2. ad S. Ioseph *Matth.* 2. & post resurrectionem Domini ad mulieres sepulchro inhærentes, *Io.* 20. & post Ascensionem ad discipulos omnes, *Matth.* 28. Cur autem Deus, qui vbique est, & facilè potest per se in cordib⁹ hominum loqui, velit tamen Angelos mittere, illa ratio esse videtur, vt homines intelligant, Deo curę esse res humanas, & ab illo regi, & dirigi vniuersa, possent enim homines facilè sibi persuadere inspirationes diuinas esse ratiocinationes suas, vel consilia sua. sed cùm videant, vel audiant Angelos à Deo mitti, & quæ ab Angelis prædicũtur, ita fieri, vt illi præmonuerunt, dubitare nõ possunt, quin Deus prouidentiam gerat rerum humanarum, atque ea præsertim ab illo dirigi, & disponi, quæ ad salutem ęternam electorum pertinent. Quartum officium Angelorum, est protectio hominum, siue singulorũ, siue multitudinis. placuit enim pietati Patris nostri Dei commendare potentissimis seruis suis infirmitates mortalium, eosque præficere, vel quasi pædagogos pueris, vel quasi tutores paruulis, vel quasi patronos clientibus, vel quasi pastores ouibus, vel quasi medicos ęgrotis, vel quasi defensores pupillis, vel quasi protectores, ijs qui se defendere nequeunt, nisi sub alas confugiant potentiorum. De protectione & custodia singulorum hominum testis est Dauid *Psalm.* 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* testis etiam, & quidem felicissimus, Christus ipse, *Matt.* 18. *Videte, ne contẽnatis vnũ ex his pusillis. dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* De protectoribus verò prouinciarum, & regnorũ, testis est Daniel 1. qui Angelum protectorem Regni Persarum, vocat Regem Persarum, & protectorem Regni Græcorum, nominat Regem Græcorum, & protectorem filiorum Israel suo nomine Michaelem vocat. Denique de protectoribus Ecclesiarum scribit Ioannes in Apocalypsi 2. & 3. vbi mentionem facit Angeli Ecclesiæ Ephesi, & Angeli Ecclesiæ Smyrnæ, & sic de alijs. Itaque in Regnis singulis duo sunt Reges, vnus visibilis, homo, & vnus inuisibilis, Angelus: & in Ecclesijs singulis duo sunt Episcopi, vnus visibilis homo, & vnus inuisibilis, Angelus: & in Ecclesia Catholica vniuersa, duo sunt Pontifices maximi, sub Christo Domino constituti, vnus visibilis homo, & vnus inuisibilis, Angelus, quem Michaelem Archangelum esse credimus. eum enim vt olim Synagoga Iudæorum, ita nunc Patronum veneratur Ecclesia Romanorum.

Videsne anima, quàm sit sollicita illa Maiestas, quæ bonorum nostrorum non eget, de nobis seruulis suis? quid potuit facere vt charitatem suam magnam ostenderet, & non fecit? obruit nos beneficijs, vt apud eum libenter maneremus, vallauit custodijs, ne aufugeremus: circundedit protectoribus ne abriperemur: quid faceret si thesaurus illius essemus, vt re verâ ille magnus, & solus thesaur⁹ noster est?

Ergò anima mea, tandẽ aliquando cede charitati, & charitate tanti amatoris superata, totã te, nulla tui parte relicta, eius obsequio, & voluntati mancipa, trade, dona, irreuocabili iuramento, & voto nihil te moueat eorum, quæ videntur, sed inuisibilia cogita, & ad illa suspira, *quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æterna, 2. Cor.* 6.

Postremum officium Angelorum est, vt sint etiam milites, vel duces armati, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Angeli sunt, qui ciuitates infames igne & sulphure concremarunt, *Gen.* 19. qui primogenita totius Ægypti occiderunt, *Exod.* 12. qui multa millia Assyriorum vno impetu prostrauerunt 4. *Reg.* 19. Angeli erunt, qui in die nouissimo, *Matth.* 13. *segregabunt malos de medio iustorum, & mittent illos in caminum ignis.*

Ergo diligant viri pij ciues suos, Angelos sanctos, horreant impij potentiam Angelorum, ministrorum iræ Dei omnipotentis, à quorum manibus nullus eos eripere poterit.

GRADUS DECIMUS

Ex consideratione essentiæ Dei, per similitudinem magnitudinis corporalis.

CAPUT I.



Ascendimus per substãtias creatas quantum potuimus: nec tamen ad eam notitiam Dei peruenimus, ad quam speculando in hac etiam lacrymarum valle perueniri potest. Superest igitur, vt videamus, an per dimensiones quantitatis corporalis, quas nouimus, ascendere possimus ad latitudinem & longitudinem, altitudinem, & profundum inuisibilis essentię Dei. illa enim in creaturis dicuntur magna, quę magnas habent quatuor dimensiones. Deus autem in Psalmis, & alibi passim dicitur *magnus, Psal.* 47. & quòd eius magnitudinis nullus sit finis, *Psal.* 144. Certè S. Bernardus eximius cõtemplator, ex his dimensionibus gradus sibi fecit ad cognoscendum Deum, in libris quos scripsit de consideratione ad Eugenium Papam. Neq, ille primus inuentor fuit scalarum huius generis, sed ab Apostolo, qui in tertium cœlum, ac Paradisum penetrauit, 2. *Cor.* 12. hunc modum ascensionis didicit. sic enim loquitur Apostolus in epistola ad Ephesios, *c.* 3. *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Si quis enim attentè consideret, inueniet profectò, nihil esse plenum, & solidum extra Deum, sed omnia angusta, breuia, humilia, & inania, vel superficialia: In Deo autem esse veram latitudinem, immensitatem: veram longitudinem, æternitatem: veram altitudinem, naturæ sublimitatem: verum profundum, sine fundo, incomprehensibilitatem. & rursus veram altitudinem, omnipotentiam; verum profundum, infinitam sapientiam, veram latitudinem, plenissima viscera misericordiæ; veram longitudinem, districtionem iudicij, id est, plenam, perfectamq; iustitiam. Sed non satis est, has considerationes leuiter attingere; si quis ascendere velit, & inuenire quod quærit: sed planè comprehendere oportet, *vt possitis*, inquit Apostolus, *Ephes.* 3. *comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum.* Is verò com-

prehendit, qui attentissimè cogitans omnino persuadetur, rem ita se habere, & ita persuadetur, vt thesaurum inuentum venditis omnibus comparare festinet. Ideò enim adiunxit Apostolus, cum omnibus Sanctis. Soli siquidem sancti ista planè comprehendunt, vel nemo ista comprehendit, vt oportet, quin efficiatur sanctus. Neque repugnat ijs quæ diximus S. Augustinus in epistola ad Honoratum *epist.* 120. *c.* 26. qui scribit, ab Apostolo depingi crucem Christi, cùm describitur latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. pertinet enim (vt ipse docet) ad latitudinem lignum transuersum, in quo figebantur manus crucifixi, ad longitudinem lignum oblongum, cui adhærebat corpus crucifixi, ad sublimitatē lignum supra crucem positum in quo erat titulus, ad profundum ea pars ligni, quæ humi fixa latebat. Non, inquam, repugnat intentioni nostræ S. Augustinus, quin potius eam mirificè adiuuat; nam & crux Christi via est ad veram latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profundum obtinēdum: quamuis enim oculis hominum angusta & breuis, & demissa, & parū profunda crux videatur: re vera tamen extendit brachia sua ab ortu vsque ad occasum, & ab Aquilone vsque ad Austrum, id est, longè, lateque gloriam suam diffudit per Apostolicam prædicationem; & erexit verticem suum vsque ad summum cœlū, quod instar clauis aperuit electis; & penetrauit vsque ad profundum inferni, quod eisdem electis in sempiternum clausit.

Capvt II.

Incipiamus ab essentia, deinde ad attributa progrediemur. Essentia Dei latissima meritò dici potest, multis modis. Primò, latissima est in se, & prorsus immēsa, quoniā complectitur omnes perfectiones rerum creatarum, & etiam earum, quæ creari possent, & adhuc sine vllo numero plures, quicquid enim factū est, & fiet, vel fieri posset, sine vlla dubitatione, eminētiore ratione, & modo continetur in Deo. Itaq; res cæteræ sunt bonæ cum additamento, id est, bonus homo, bonus equus, bona domus, bona vestis, & sic de cæteris omnibus: Deus autem est omne bonum. nam dicenti Moysi, *Exod.* 33. *Ostende mihi gloriam tuam*, respondit Deus: *Ego ostendam omne bonum tibi*. Si quis haberet rem vnam apud se, quæ complecteretur omnia obiecta sensuum in summa perfectione, ita vt nō liberet vnquā egredi domū ad aliquid videndū, vel audiendum, vel olfaciendum, vel gustandum, vel tangendum, cùm haberet domi tantas delitias in vna illa re, quantas optare potest homo maximè voluptuarius: nonne esset res illa valdè pretiosa, quòd si res illa præterea contineret in se tātam diuitiarum omnis generis copiam, quantam desiderare potest homo supra modum auarus, ita vt non vellet egredi domū ad aliquid amplius acquirendum: nonne esset res illa pretiosior, & charior? Et si rursum illa res præbere posset possidentibus se honores & dignitates, quantas animo concipere posset homo ambitiosissimus? nonne iam omne pretium superare videretur? Et si res illa non solùm hominis, sed etiam Angeli desideriū explere posset, quod tātò est maius, & capacius, quantò Angeli plura, & meliora nōrunt, quàm homines, quid dicturus esses? Et tamē bonitas eius rei adhuc longè esset inferior bonitate Dei, quæ tanta est, vt infinitum desiderium, siue potius capacitatē infinitam Dei satiare, & explere queat. O admirabilis latitudo perfectionis essentiæ Dei, quæ talem immensitatem bonorum complectitur, vt infinitæ capacitati, quæ in Deo est, omninò sufficiat. Ipse enim Deus nunquā egreditur extra se, quoniam omnia bona habet in se, & antequam mundus fieret ita diues, & beatus erat, ac postea fuerit, quia nihil factum est à Deo, quod non semper altiore modo esset in Deo. Intelligisne, anima, quali bono frueris in patria, si dilexeris Deum in via? & quali bono priuaberis, si id nō feceris? Deus enim seipsum, id est, omne bonum fruendum exhibebit diligentibus se, cùm dicet seruo bono, & fideli, *intra in gaudium Domini tui, Matth.* 25.

Capvt III.

Deinde alio modo est immensus Deus, quia replet omnia omnino, quæ sunt in rebus creatis. *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus, Hier.* 23. Et si essent plures mundi, oēs impleret: *Si ascendero in cælum*, inquit Dauid *Ps.* 138. *tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Addo etiam, si supra cœlum, vel infra cœlum, vel extra cœlum iero, solus non ero, quoniam & tu illic eris, neq; enim esse possum, nisi in te sim, & tu portes me, qui portas omnia verbo virtutis tuæ, *Hebr.* 1. Nec solùm corpora omnia Deus immensitate sua replet, sed etiam spiritus, corda, mentes, quomodo enim scrutaretur corda, nisi esset in cordibus? & quomodo audiret preces cordium, nisi ad corda nostra aures suas haberet? & quomodo diceret Propheta, *Psal.* 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, si ad aures cordis nostri os suum Deus non admoueret? felix anima quę Deum diligit, quoniam dilectum suum semper apud se habet, & in sinu suo fouet, & in sinu eius fouetur; *Qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: 1. *Ioa.* 4.

Nec solùm Deus replet omnia pręsentia sua, sed etiam gloria sua. Nam & Seraphim clamant, *Isa.* 6 *Plena est omnis terra gloria eius* & Dauid addit, *Psalm.* 8. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.* Ac si diceret, non solùm nomen tuum, fama, & gloria tua terram vniuersam admiratione repleuit, sed etiam ad cœlum ascendit, & super cœlos eleuata est. Denique Ecclesi. *cap.* 42. adiungit: *Gloria Domini plenū est opus eius.* Nulla enim creatura est in cœlo, vel in terra, quæ non assiduè laudet Deum. Atque hæc est causa, cur & Dauid in Psalmis, *Psal.* 148. & tres pueri apud Danielem *cap.* 3. omnes creaturas hortentur ad benedicendum, & laudibus celebrandum Creatorem. Non enim ignorabant creaturas plurimas, non eius esse naturæ, vt vocem exhortantis exaudire possent: sed quia intelligebant omnia opera Dei bona esse, ac per hoc ipsa sua specie laudare opificem, congratulabantur eis, & hortabantur, vt agerent quod agebant.

Et certè si quis oculos interiores haberet, videret, omnia opera Domini esse quasi thuri-

bula sursum emittentia odorem suauitatis gloriæ Dei: & si aures interiores haberet, audiret quasi concentum varium omnis generis musicorum instrumentorum laudantium Deum, & dicentium: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*, *Psalm* 99. Quamuis enim non desint impij, qui Deo maledicant, & nomen eius blasphement; tamen ipsi quoque vel inuiti coguntur eo modo, quo opus laudat opificem, laudare Dominum. nam in ipsis etiam mirabiliter lucet potentia Dei, qua eos fecit, & sapientia, qua eos gubernat, & bonitas, qua ipsis licet ingratis, & malis, vitam conseruat, & misericordia, ac iustitia, qua eos vel ordinat iustè ad pœnam, vel expectat misericorditer ad pœnitentiam.

Multi quidem in terris surdi sunt ad has voces creaturarum exaudiendas, sed tamē ipsæ clamare non cessant, non desunt innumerabiles Angelorum, & Sanctorum hominum aures, qui eas laudes attendunt, ijsque delectantur, & ipsi quoque Deum conditorem hymnis & canticis B assiduè celebrant.

Capvt IV.

IAm vero longitudo essentiæ diuinæ est æternitas eius, quæ non habet initium durationis, nec finem vnquam habebit, & semper eadem sine vlla mutatione consistet: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. inquit, Dauid, *Ps.* 110. & Tobias 13. & post eum Apostolus 1. *Tim.* 1. Deum Regem sæculorum appellat, quia solus ipse non subiacet sæculis, sed præest sæculis, & regit sæcula, quippe qui omnia sæcula solus præcessit. Res cæteræ vel habent initiū, C & finem, & nunquā in eodem statu permanēt: vel habent initium, sine fine, & sine mutatione substantiæ, sed possent, si Creatori placeret, etiā esse desinere. Itaque soli Deo æternitas ita est propria, vt nulli rei creatæ conueniat, neque vllus Princeps vnquam tam fuit arrogans, vt inter titulos, quos plurimos vsurparunt, æternitatis titulum sibi arrogare præsumpserit, nisi forte in alio sensu: quomodo Constantius dictus est Imperator æternus, quoniam non erat Imperator ad tempus certum, sed ad vitam. Tu vero, anima mea, in vtroque genere creaturarum numerari potes. nam corpus habes, quod incepit esse cū conciperetur, & nasceretur: & paulatim creuit vsque ad mensuram sibi à Deo præfixam, inde vero minui cœpit, & paulo post per mortem esse desinet. ac per hoc nunquam in eodem statu permanet ab omni parte, & omni hora D mutationi subiectum. de corpore tuo sententiam protulit Propheta per similitudinem fœni, *Ps.* 89. *mane sicut herba transeat, maneat, floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat*. Siquidē mane, id est, in pueritia, sicut herba viret corpus humanum, sed mox transit ad iuuentutē. in meridie iuuentutis floret, & statim transit ad senectutem. In vespere senectutis decidit, in morte duratur, in sepulchro arescit, & in puluerem suum reuertitur. Ecce igitur, anima, quam longe distat ab æternitate corpus tuū. tu autē creata es in tempore, cum antea nihil esses: & in hoc multum es dissimilis æterno Creatori. Sed creata finem durationis non videbis, quod tibi cū Creatore commune est. Sed quia mutabilis es, dum in corpore viuis, de vitio ad virtutē, & de A virtute ad vitium; & in quo statu inueneris in exitu de corpore, in eo iudicaberis; vel ad regnandum semper cum Deo, vel ad tormēta patienda semper cum diabolo; ideò nihil magis tibi prouidendum est, quam, vt vitium fugias, & virtutem secteris. Caue igitur, ne à carnis illecebris seducaris in detrimentum perpetuum illius & tuum: sed crucifige carnem tuam cum vitijs, & concupiscentijs, *Gal.* 5. vt paulò pòst non solum tu viuas in æternum beata, sed & caro tua resurgat in gloria; & ipsa quoq; sine fine æternitati Dei tui tecum sociata permaneat. Cæterùm quamuis animæ Beatorum, vt etiā Angeli sancti æternitatis Dei participes erunt in sublimissima & felicissima illa vnione cum Deo per beatificam visionem, & amorem, quæ vnio non solùm finem non habebit, sed etiam eadem semper erit stabilis, & immota: tamen multis alijs modis mutare, & variare poterūt cogitationes, & affectiones, & loca, ideò semper admirabuntur, & suspicient supra se æternitatē Dei, in qua nulla mutatio mentis, aut volūtatis, aut loci esse poterit, & tamen nihil ei deerit quin etiam omnia semper habebit, quæ varijs mutationibus æterno tempore sibi comparare potuisset. Quare longitudo æternitatis res est infinita, & propria Deo non minus, quam latitudo immensitatis.

Capvt V.

SEquitur consideranda sublimitas Dei secundùm quam dicitur Deo, *Psal.* 82. *tu solus altissimus*. Est autē solus Deus altissimus nobilitate naturæ. res enim tantò sunt nobiliores, & altiores, quāto sunt puriores, & à materia magis abstractæ. Id cernimus, primū in rebus corporalibus, aqua enim est altior, quā terra, quia purior: & eadem ratione aer altior est, quam aqua, & ignis quam aer, & cœlum, quam ignis, deinde idem videmus in rebus spiritualibus: altior enim est intellectus, quam sensus, quia sensus habet organum corporale, quo non indiget intellectus: & intellectus Angelicus altior est, quam humanus, quoniam iste eget ministerio imaginationis, & phantasmatum, quo ille nō indiget, & inter Angelos illi sunt altiores, qui per species pauciores intelligūt plura. Deus igitur, qui solus est purus actus, & nulla re indiget extra se, neque organo, neque imaginatione, neq; specie, ac ne præsentia quidem obiecti alicuius extra se, sed ipsa sua essentia illi est omnia, & nihil potest habere, quod nō semper habeat actu, & ipsum habere actu, est esse semper actum purum, & simplicem; ideo natura eius altissima & sublimissima est, neque potest vllo modo habere parem. propterea ille qui dixit, *similis ero altissimo*, repentè deturbatus è cœlo descendit in profundissimam gehennam, vt describit, *Isa.* 14. & Christus Dominus de eodem: *Videbam*, inquit, *Luc.* 10. *Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*.

Est etiam alio modo Deus altissimus, quia est prima & altissima causa omniū rerū, efficiēs, exemplaris & finalis, est altissima causa efficiēs, quia nulla res est creata quoquo modo vim habens efficiendi, quæ vim illā non habeat à Deo, Deus autē à nullo habet. rursus nulla causa est, quæ vim suam exercere possit, nisi moueatur

à Deo,Deus autem à nullo mouetur.deniq;causæ cæteræ altiores in rebus creatis dicuntur illæ,quæ sunt vniuersales,à quib.particulares dependent,vt cœli,& Angeli,qui cœlos mouent: Deus autem & cœlos,& Angelos fecit.Ipse igitur solus est prima,& altissima causa efficiens. Est item prima causa exemplaris,quoniam res omnes Deus fecit secundùm formas, siue Ideas,quas in se habet.est deniq; prima causa finalis,quia propter se,id est, ad patefaciendã gloriam suam omnia creauit,vt dicit Sapiẽs in prouerbijs,c.16.Sed valdè propriè dicitur,& est altissimus Deus, quia sedet in altissimo throno. *Vidi Deum*,inquit,Isa.c.6.*super solium excelsum & eleuatum.* Et quoniam sedes duos habet vsus,vnum ad iudicandum,alterum ad quiescendum, vtrumque seorsim consideremus.

CAPVT VI.

PRimùm igitur Deus habet altissimam sedem,quia est summus Iudex.dicit enim Abraham Deo, *Gen.*18.*Tu iudicas omnem terram*,& Dauid *Ps.*81.*Inter Deos dijudicat*,i.e.Deus iudicat ipsos iudices,qui Dij in Scripturis dicũtur;sed apertissimè S. Iacobus ait, *cap.* 2. *Vnus est legislator & Iudex*, id est,Deus solus est propriè legislator, & Iudex,quia ipse solus dat leges omnibus,& à nullo accipit, iudicat omnes,& à nemine iudicatur. Deinde Deus non solùm est Iudex,sed est etiam & Rex,ac per hoc non iudicat,vt Iudex constitutus à Rege,sed vt Rex, & Princeps supremus,vnde dicitur, *Apoc.*19. *Rex Regum*,& *Psal.*94.*Rex magnus super omnes Deos*, & *Ps.* 75.*terribilis apud omnes Reges terræ*,quia videlicet quando vult,transfert regna & imperia de gente in gentem,& quando vult, aufert spiritum Principum.Deniq; non solum Deus supremus est Iudex,& Rex, sed etiam Dominus absolutus,qui est titulus omniũ maximus. Reges enim non ita sunt Domini subditorum, vt possint pro arbitrio eos bonis,vel vita spoliare cuius rei testis esse potest Rex Achab,qui vineã Nabot habere voluit,nec potuit,nisi per dolũ; & calumniam vxoris,vnde vterque miserrimè perijt,3. *Rom.*12. Deus autem verè, & propriè Dominus est,& omnia seruiunt illi, & ipse nemini seruit,& posset,si vellet omnia ad nihilum redigere,cum ex nihilo omnia fecerit. Cogitã igitur,anima,quantus timor,&tremor debeatur à nobis vermiculis terræ,illi qui sedet super tã altam sedem,vt nihil omnino supra se habeat. *Si ego Dominus*,ait per Malachiam *c.*1. *vbi est timor meus?*& si supremi illi Principes cœli cum timore,& tremore illi assistunt,quid nos facere par est,qui mortales,& fragiles cum bestijs terram incolimus?sed illud mirabile videtur, quòd altissimus Deus non amet sibi similes creaturas, id est,altas,& sublimes,sed humiles, & pauperculas.sic enim loquitur Deus per Isaiam, *c.* 66. *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum,& contritũ spiritu,& trementem sermones meos?* & Dauid, *Ps.* 112. *Excelsus Dominus,& humilia respicit*, Imo vero diligit Deus res altas,& sublimes,ac per hoc sibi similes: sed vere sublimes,non quæ videntur, & non sunt. Itaque non amat Deus superbos, qui elati,& inflati,non alti & sublimes dici debent. amat vero humiles & trementes sermo- A nes suos, quoniam illi, qui magis se deijciunt, eo magis ab ipso Domino exaltantur. Et qui à Domino exaltantur,illi verè sunt alti. Itaque iidem sunt humiles,& sublimes, humiles in oculis suis,sublimes in oculis Dei.Si quis vidisset non solum oculis corporis,sed etiã oculis cordis,ijsque à Deo illuminatis, diuitem Epulonẽ *Luc.*16.ornatum bysso,& purpura, accumbentem mensæ omnibus generibus ciborum pretiosorum instructæ circumstantibus ministris multis,& sollicitè officio suo fungentibus:& simul vidisset pauperem Lazarum seminudum, & vlceribus plenum,ad ianuam diuitis sedentem,& cupientem satiari de micis,quę de mensa diuitis cadebant.Is profectò vidisset diuitem quem mundus beatissimum esse credebat, in oculis Dei,& Angelorum omnino abominabi- B lem & vilissimum,planè vt lutum, vel stercus terræ.quod enim altum est apud homines,abominatio est apud Deum,ait Dominus in eodem loco, vbi Epulonem describit.contra vero vidisset pauperem,& humilem Lazarum,in oculis Dei,& Angelorum nobilem,& honoratum, vt pretiosam margaritam;quod exitus demonstrauit. Lazarum enim vt Deo charum,Angelicæ manus in sinum Abrahæ portauerunt:diuitem,vt exosum Deo,ad gehennam ignis dæmones rapuerunt.Sed quid ego de Lazaro loquor? nemo altior apud Deum Domino Iesu Christo,etiam secundum humanitatem est, & ipso tamen nemo humilior in cœlo,vel in terra reperitur, vt verissimè dixerit *Matth.* 11. *Discite à me,quia mitis sum,& humilis corde.* quanto enim C anima illa sanctissima clarius præ cæteris omnibus cognoscit infinitam altitudinem diuinitatis,tanto magis cognoscit vilitatem creaturæ, quæ ex nihilo facta est,& ideo cum & ipsa creatura sit, præ cæteris omnibus subijcit se Deo, seque humiliat,& Deum exaltat: & vicissim à Deo super omnes creaturas etiam Angelicas exaltatur.quod idem de Angelis beatis,& sanctis hominib⁹ dicere possumus.nulli sunt enim humiliores,quam qui in cœlo altius sedent: quoniam ij,qui sunt Deo propinquiores,eò clarius intuentur,quanto interuallo distet magnitudo Creatoris à paruitate creaturæ.

Quare,anima mea,dilige humilitatem,si ve- D ram cupis exaltationem.imitare Agnũ sine macula,imitare Virginem matrem, imitare Cherubim & Seraphim,qui omnes quo sunt altiores,eo sunt etiam humiliores.

CAPVT VII.

NEc solum Deus sedem altissimam habet, quia iudicat omnes: sed etiam quia præ omnibus quiescit,& quiescere facit eos in quibus sedet. Altissima sedes Dei,est altissima eius requies.quamuis enim mundum vniuersum regat in quo sunt assidua bella, & conflictationes elementorum,bestiarum,hominum,ipse tamen cum tranquillitate iudicat, vt dicitur in E libro Sapientiæ, *c.*12. & altissima pace semper gaudet,neque est aliquid,quod eius otium, & contemplationẽ sui ipsius,in qua sunt eius delitiæ sempiternæ, perturbare possit. Ideo enim & Rex Hierusalem, quæ est visio pacis, appellatur. Sedes autem eius propria sunt Spiritus beati, vnde dicitur *Psalm*

79. & 89. *qui ſedet ſuper cherubim.* dicitur autem Deus ſuper Cherubim potius, quam ſuper Seraphim ſedere, quoniã Cherubim ſcientiæ multitudinem ſignificat, Seraphim vero ardorem charitatis. quies vero ſapientiam ſequitur, ſollicitudo, & anxietas charitatẽ, niſi cum ſapientia coniuncta ſit. Ideo & anima iuſti ſedes dicitur ſapientiæ. denique cum Iſaias dicit, *c. 66. Cœlum ſedes mea*, & cum Dauid dicit, *Pſalm.* 113. *Cœlum cœli Domino.* per cœlum cœli intelliguntur cœli ſpirituales, qui habitãt ſuper cœlos corporales, id eſt, ſpiritus beati, vt explicauit ſanctus Auguſtinus in expoſitione Pſalmi 113. Hos autem cœlos Deus quieſcere facit, quiete tam admirabili, vt hæc ſit pax illa, quæ exuperat omnem ſenſum. Scribit S. Bernardus *Serm.* 23. in ſermonibus ſuper Cantica ſimilitudinem aptiſſimam ad hanc explicandam quietem, his verbis: Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aſpicere, quieſcere eſt. Cernere eſt Regem poſt diurnas forenſium quaſi lites cauſarũ, dimiſsis à ſe turbis, curarũ moleſtias declinantem, petentem de nocte diuerſorium, cubiculũ introeuntem cum paucis, quos hoc ſecreto & hac familiaritate dignatur, eò certè ſecurius, quò ſecretius quieſcentem, eò ſerenius ſe habẽtem, quò placidius ſolos intuentem, quos diligit. hæc ille, qui ſatis apertè demonſtrat, Deum ſpiritibus beatorum non ſe Iudicem, aut Dominum præbere, ſed amicum, & familiarem, & ſanè incredibilis eſt familiaritas, quam etiam in hac vita puris mentibus exhibet Deus; vt illud omnino impleri videatur, *delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum*, *Prou.* 8. & illud, *Prou.* 3 *& cum ſimplicibus ſermocinatio eius.*

Hinc videlicet omnes ſancti, quamuis preſſuras paterentur in mundo, tamen in corde vbi Deus erat, pacem habebant; & ideò ſemper læti, ſemper ſereni videbantur, & erant. illis n. veritas dixit, *Ioan.* 16. *Gaudebit cor veſtrũ, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*

CAPVT VIII.

RElſtat pars quarta magnitudinis, quæ dicitur profunditas: Porrò profunditas in eſſentia Dei multiplex inuenitur, primùm ipſa in ſe diuinitas profundiſsima eſt, quia non ſuperficialis, & tenuis, ſed pleniſsima, & ſolidiſsima eſt, non eſt deitas quaſi maſſa deaurata, quæ ſolum in exteriore ſuperficie aurum habet, intus verò ærea, vel lignea eſt: ſed quaſi maſſa aurea tota, & maſſa ingens, & immenſa; vel potius quaſi fodina auri vſque adeo profunda, vt nunquam fodiendo exhauriri poſsit, ſic omnino incomprehenſibilis Deus eſt, quoniam ſicut fodina auri, cuius fundum non inuenitur, nunquam fodiendo exhauritur: ſic etiam Deus, cuius magnitudinis non eſt finis, nũquam ſic perfectè à creata mente cognoſcitur, quin ſemper magis, ac magis cognoſci queat: & ſolus Deus profundum illud infinitum comprehendit, qui ſolus vim intelligendi infinitam habet. Deinde profundus eſt Deus ratione loci: ſicut enim altiſsimus eſt, quia rebus omnibus præſidet, & eſt ſuper omnia: ſic idem Deus profundiſsimus eſt, quia rebus omnibus ſubijcitur, vt eas ſuſtentet: & eſt infra omnia, vt omnia portet: ipſe enim, vt Apoſtolus ait: *Heb.* 1. *Portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Itaq; Deus eſt quaſi fundamentum, & tectum ædificij, *in quo nos omnes viuimus, mouemur, & ſumus. Act.* 17. proinde rectiſsime dixit Salomon 3. *Reg.* 8. *Cœlum, & cœli cœlorum, non te capiunt.* quia Deus potius capit cœlos, & quæ ſub cœlo ſunt, quippe qui ſupra cœlos, & infra terram eſt. Deniq; profunditas Dei, eſt inuiſibilitas eius. Deus enim lux eſt, ſed inacceſsibilis: veritas eſt, ſed intima valde, & omni interiore interior: *Poſuit tenebras latibulum ſuum*, inquit Dauid *Pſ.* 19 *& vere eſt Deus abſconditus.* vt loquitur Iſa. *c.* 45. *Lib.* 9. *cõf. c.* 10. *Lib.* 10. *c.* 6. S. Auguſtinus quærens aliquãdo Deum, miſit nuncios, oculos ſuos à terra vſque ad cœlos, & reſponderunt omnia, non ſumus quod quæris, ſed ipſe fecit nos. Itaq; non inueniens Deum aſcendendo per exteriora, cœpit iter facere per interiora, & intellexit vere per illa facilius propinquari ad Deum, cognouit enim animam eſſe corpore meliorem: & ſenſum internũ eſſe meliorem ſenſu externo; & intellectum, qui adhuc eſt interior, eſſe meliorem ſenſu interno. Inde effecit Deum, qui interior eſt, quam intellectus, eſſe meliorem intellectu; ac per hoc quicquid intelligimus, vel cogitamus, non eſſe Deum, ſed aliquid minus Deo, cum Deus ſit melior, quam nos intelligere, vel cogitare poſsimus. Agè ergo, anima mea, ſi tu es melior corpore tuo, cui das vitam, quia illud corpus eſt: tu ſpiritus es, & oculus corporis tui non videt te, quia ille foris eſt, tu intus: ſic omnino cogita, Deum tuũ meliorem eſſe, quam tu ſis, quia dat tibi intellectũ, & eſt quaſi anima tua: & ideò tu eum videre nõ potes, quia ſpiritus altior, & interior eſt, quam tu ſis, & tu quodammodo foris manes, ille intus in ſuo ſecretiſsimo, profundiſsimoque receſſu. Sed nunquam ne ad ſecretũ illud admitteris? abſit. nõ mentitur Dominus tuus, qui dixit, *Matt.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* neque Apoſtolus eius, qui ait 1. *Cor.* 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Neque ſanctus Euangeliſta Ioannes, qui ſcripſit 1. *Ep. c.* 3. *Scimus, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Et quod erit gaudium illud, cum admiſſa ad ſecretum ſacrariũ illud, videbis, & poſsidebis ipſam lucem, ipſam ſpeciem, ipſam pulchritudinem, ipſam bonitatem? tunc planè apparebit, quam inania, & fugacia, & quaſi nulla fuerint huius terræ temporalia bona, quibus inebriati homines, obliuiſcuntur vera, & ſempiterna, Sed ſi vere ſitis ad Deum viuum, *Pſalm.* 41. & ſi *Lachrymæ tuæ ſunt panes tibi die, ac nocte, dum dicitur, Vbi eſt Deus tuus?* non ſis pigra ad mundandum cor, quo Deus videndus eſt: neque fatigeris aſcenſiones diſponere in corde, *Pſ.* 83. donec videatur Deus Deorum in Sion: neque frigeſces in dilectione Dei, & proximi, nec diligas verbo, & lingua; ſed opere, & veritate, 1. *Io.* 3. iſta eſt enim via, quę ducit ad vitam.

GRADVS VNDECIMVS

Ex consideratione magnitudinis potentiæ Dei, per similitudinem magnitudinis corporalis.

CAPVT I.



Agnus est Dominus, & magnitudinis eius non est mensura, nec finis. nec solũ est magnus, quoniam altitudo eius omnipotentia est, profundum sapientia inuestigabilis, latitudo misericordia vbique diffusa, longitudo, iustitia instar virgæ ferreæ, sed etiã quoniam singula hæc attributa magna sunt magnitudine infinitæ latitudinis, longitudinis, altitudinis, & profundi.

Ac vt à potentia, siue potius omnipotentia ordiamur: Potentia Dei suã habet latitudinẽ, quæ in eo posita est, vt se extendat ad res planè infinitas. primùm enim extendit se ad omnia quæ facta sunt, nihil enim est in tota hac rerum vniuersitate à primo Angelo vsque ad vltimum vermiculum, & à summo cœlo vsque ad profundissimam abyssum, quod non sit factũ à potentia Dei: *Omnia*, inquit S. Ioannes *cap. 1. per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* & infra, *& mundus per ipsum factus est.* Deinde extendit se ad omnia quæ fient vsque in æternum. Sicut enim nisi per ipsum fieri nihil potuit, sic etiam nisi per ipsum fieri nihil poterit. Nam sic loquitur Apostolus *Rom. 11. Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Tertiò extendit se ad omnia, quę fieri possunt, quamuis nunquam futura sint. Sic enim loquitur Angelus, *Luc. 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et ipse Dominus, *Matt. 19. apud Dominum omnia possibilia sunt.* Quartò extendit se ad omnẽ destructionem rerum factarum. Sicut .n. potuit Deus per aquas diluuij simul interficere omnes homines, & omnia animantia, quæ erant in terra, exceptis paucis, quæ ipse in arca Noe seruari voluit; sic poterit per diluuiũ ignis vno tempore destruere non solum homines omnes, & animantia omnia, quæ viua inuenientur in nouissimo die, sed etiam omnes arbores, & omnes vrbes, & cætera quæ sunt in terra. *Adueniet*, inquit Apostolus Petrus in epistola posteriore *c. 3. dies Domini. vt fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Magna profectò est hæc latitudo potentiæ Dei, quam nemo satis admirari poterit, nisi multitudinem rerum, quas Deus partim fecit, partim faciet, partim facere potest, in numerato habeat. Quis autem tantã multitudinem numeret, nisi ille, cuius scientia infinita est? & rursum eiusdem potentiæ magnitudo valde crescit, si quis cogitet, quã magnũ sit, res effectas tam ingenti potentia, & tot sæculis, vno pene momento summa facilitate dissoluere: vel vt loquitur Iudas Machabæus *2. Mac. 8. Vno nutu delere.* Dicamus ergo cũ Mose, *Exod. 15. Quis similis tui in fortibus, Domine?*

CAPVT II.

IAm vero longitudo potentiæ diuinæ cernitur in eo, quod cum omnibus, quæ Deus fecit, ipse assiduè cooperatur, nec fatigatur cooperãdo, nec fatigabitur in æternũ. siquidẽ potentia ista Dei nec minui, nec debilitari, nec frãgi vllo modo põst, cũ sit cũ vera æternitate coniuncta, vel potius ipsa sit veræ diuinitatis ęternitas. Mirantur multi, quomodo possint Sol, & Luna, & stellæ tanto tẽpore, & tãta celeritate moueri ab ortu ad occasum, & in circulos suos sine vlla intermissione reuerti. & sanè res esset omni admiratione dignissima, nisi sciremus, ea deferri ab omnipotente Deo, qui *portat omnia verbo virtutis suæ, Heb. 1.* Mirãtur alij quomodo fieri possit, vt in gehenna, vel ignis non consumatur æterno tempore comburendo, vel corpora infelicium illorum æterno tempore ardentia non dissoluantur. Sed & hoc non mirabile solum, sed etiam impossibile iudicari posset, nisi qui ignem illum sic ardere semper facit, vt nunquã extinguatur, & qui corpora miserorum in igne illo ita conseruat, vt semper crucientur, & nunquam consumantur, Deus esset omnipotens, & æternus. Mirantur alij denique, quod Deus omnia portet, ac sustentet, nec fatigetur portando, & sustentando tam ingentem molem ponderis propemodum infiniti. potest enim robustus homo, aut equus, aut bos, aut elephantus magnum pondus ad modicum tempus gerere, vel ad tempus breue onus grauissimum ferre: sed pondus maximum æterno tempore sine fatigatione portare, superat vires omnium rerum creatarum. Sed ij iure mirarentur, si Deus vires haberet in pondere, & mensura, vt omnes creatæ res habent; sed cũ vires Dei planè mensuram omnem excedant, & sit ipse omni ex parte infinitus, mirum non est, si robur infinitum, molem quantumuis grauem infinito tempore sine fatigatione præferat. Dicamus ergo cum S. Propheta Mose, *Exod. 15. Quis similis in fortibus Domine.*

CAPVT III.

SEquitur altitudo potentiæ Dei, quæ in duabus rebus præcipuè locũ habet. primùm enim altissima dici potest omnipotentia, quia solus ipse res altissimas fecit. Ea quæ sub Luna sunt, solus Deus in prima rerum creatione fecit, sed possunt per actionem creaturarũ generari, transmutari, corrumpi: nam & elementa inuicem transmutantur secundũ partes; & ex terra gignuntur herbæ, & arbores; & ex animantib. animantia ꝓpagantur; in aqua nascũtur pisces, in aere nubes & pluuiæ, in igne cometę. At cœlũ, & sydera, quę sunt altissima corpora, solus Deus creauit, solus cõseruat, neq; ad ea vel efficiẽda, vel transmutãda, vel dissoluẽda, vel etiam conseruanda vllam actionem creatura potest habere. *Videbo*, inquit Propheta, *Psal. 8. Cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti.* Opera enim altissima sibi soli seruauit altissimus, ipse à fundamentis fabricare cœpit, ipse ad fastigium vsque perduxit. res quoque spirituales; Angelos, & animas hominum, quæ sunt opera omnium nobilissima, solus altissimus virtute sua infinita condidit, & seruat; & in æternum vsque sine interitu conseruabit. neque in his rebus faciendis vllam partem habent creaturæ: & quamuis omnes in vnum conuenirent,

nun-

nunquã possent Angelum vnum, vel animam vnam producere, vel destruere. Deinde altitudo potentiæ diuinæ clarissimè perspicitur in miraculis, quę, vt S. Augustinus docet, *Tract. 24. in Ioan.* sunt opera præter vsitatũ cursum ordinemque naturæ, quæ toti naturæ, ipsis etiã Angelis admiranda, & stupenda contingunt, quis Angelorum non obstupuit, cùm ad Imperium Iosue Sol & Luna, quæ cursu incitatissimo ferebãtur, steterunt immobiles? *Iosue* 10. ac ne putaremus id casu aliquo accidisse (neque enim vllus suspicari poterat, rem tam inusitatã ab homine mortali, & in terris posito fieri potuisse) loquitur Spiritus S. & dicit, *Ibid. Obediĕte Deo voci hominis.* Neque enim Iosue ipsi Soli, & Lunæ propriè loquutus est, quos sciebat audire nõ posse mandatum, sed precatus est Dominũ, quasi diceret, ex mandato Domini Sol cõtra Gabaon, ne mouearis, & Luna contrà vallem Ajalon. Obediuit autem Dominus voci hominis, id est, fecit, vt obedirent lumnaria illa voci hominis, sæpè n. in sacro eloquio dicitur Dominus facere ea, quorum causa est, vt fiant. quomodo cùm in Genesi *cap. 22.* Dominus dicit ad Abrahã: *Nunc cognoui quod timeas Dominum.* Sententia eorum verborum est, nunc feci; vt cognosceretur à te, & ab alijs, quod verè timeas Deum. Tale etiam fuit opus altitudinem potentiæ diuinæ significans, cùm in passione Domini Luna, quæ erat à Sole maximè distans; rapidissimo cursu accessit ad Solem, eiq; subiecta tribus horis tenebras fecit in terra, & post illas tres horas, eiusdem cursus incredibili velocitate redijt ad locum, vnde discesserat. quæ omnia se vidisse, atque obseruasse testatur S. Dionysius Areopagita in Epistola ad S. Polycarpum, atque hoc quidem contrarium signum est priori; sed non minus admirandum, cùm æquè nouum, & insolitum sit, ac totius naturæ vires exuperet Lunam sistere, *Ios.* 10. vel eã præter solitum incitare, 4. *Reg.* 20. Omitto illuminationes cæcorũ, excitationes mortuorũ, & alia id genus plurima quæ Deus per Prophetas, & Apostolos, & alios seruos suos fideles miracula fecit, & facit. quæ omnia clamant, *quis similis tui in fortibus Domine?* sed omittere non possum supremum, & maximum illud miraculũ, quod Deus ostendet in die nouissimo, quando omnes mortui simul resurgent, cum plurimarũ corpora in cineres redacta, & dispersa, vel à bestijs absumpta, & in alia, atq; alia corpora cõuersa fuerint, vel etiã in hortis, campisq; sepulta, in herbas varias transformata transierint. quis Angelorũ non obstupescet, cùm viderit in ictu oculi ad omnipotentis imperium tot millia milliũ hominum corpora sua resumere, etiamsi per multa sæcula, & modis diuersissimis dispersa, vel consumpta latuerint? Hæc est igitur altitudo potentiæ Dei, ob quam pariter dici potest, quis similis tui in fortibus Domine?

Caput IV.

Restat profunditas, quę in modo quo Deus vtitur in rebus efficiendis, posita mihi esse videtur. quis enim penetret modum faciendi aliquid ex nihilo? ad hoc profundum oculos intendere non potuerunt, qui tanquam principium exploratum, & certum statuerunt ex nihilo nihil fieri. At nos quoq; in hac re credimus, quod non videmus; sed credimus securi Deo, qui mentiri non potest, credimus, inquam, cœlum, & terrã, & ea quæ in eis sunt, ab ipso Deo creata fuisse, cum antea nihil omnino præcessisset vnde fierent, neq; verè Deus fecisset omnia, quæ facta sunt, si aliquid vnde fierent, præcessisset. Sed quo modo fieri potuerit, cuius nihil ante præcessit, abyssus profundissima est, quam scrutari, & inuestigare non possumus. Deindè non solum ex nihilo fecit Deus omnia: sed fecit in nihilo, id est, sine spatio præcedente, siue loco, in quo locaretur quod fiebat, quod præsertim in rebus corporalibus intelligi vix potest, proinde est etiam hæc abyssus impenetrabilis. Spatia locorum, inquit S. Augustinus in epistol. 57. ad Dardanum, tolle à corporibus, & nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Iam igitur si nihil erat, antequam Deus crearet cælum, & terram, vbi posuit Deus cœlum, & terram? in nihilo certe poni non potuerunt, & tamen creata sunt, & ipsa sibi sunt locus, quia sic voluit, & potuit, qui omnia potest, etiam si nos quomodo ista fiant, intelligere nequeamus.

Huc Deus ipse respexit cum sanctus Iob omnipotentiam suam indicare volens, ait, *c.* 38. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam, quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius?* At vt intelligamus, hæc opera omnipotentiæ Dei omni laude esse dignissima, subiungit statim idem Dominus, *cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* nimirum Angeli sancti, qui simul creati sunt cum cœlo, & terra, & sunt quasi quædam astra spiritualia & lucidissima, vt etiã filij Dei nominari possint, vbi viderunt cœlũ, & terram ex nihilo prodijsse, & in nihilo posita, & tamen firmissime fundata super stabilitate sua, cum ingenti stupore, & iubilo laudauerũt opificis omnipotentiam. Nec minus profundũ est ad intelligendum, quod Deus solo voluntatis Imperio tam immensas moles erexerit. nouimus enim in ædificijs sine comparatione minoribus, quot instrumẽtis, quot machinis, quot administris architecti indigeant. quis igitur cogitando assequatur, quomodo fieri possit, vt sola interna voluntate, quæ extra volentem non egreditur, opera tam immensa, & tam varia fiãt? Dixit Deus *Gen.* 1. vtiq; apud se ipsum, nã verbum Dei est in Deo, & est ipse Deus, dixit, inquam, iubendo & exprimendo imperium voluntatis, fiat cœlum, & factum est cœlum: fiat terra, & facta est terra, fiat lux, fiat Sol, fiant stellæ, fiant arbores, fiant animantia, fiant homines, fiant Angeli: & facta sunt omnia. Adde, quod idem Deus, posset si vellet, ista omnia, *& mundum vniuersum vno nutu delere*, vt legimus in libris Machabæorum, 2. *Machab.* 8. Sed illud accedit profundum, quod ista omnia tam multa, & tam magna, & ex tantis membris, vel partibus composita Deus momento fecerit. Apud nos ars, & natura longo temporis spatio egent, vt opera sua perficiant. videmus herbas multo ante seminari, quam nasci, arbores multis sæpe annis

egere, vt radices figant, vt ramos extendant, vt fructus producant: animantia fœtus longo tempore in vtero gerere: ac postea longo etiam tempore alere, antequam adolescant. de arte nihil dico, quoniam notissimum est, opifices nostros nihil nisi in tempore, eoque satis longo perficere.

Quarta ergo in Deo potentia est, quæ dicto citius res maximas perficit? Nec disputo, an Deus vno momēto cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, absoluerit: an integros sex dies in rerum prima creatione consumpserit. non enim quæstiones explicandas, sed ascensiones in Deum ex rerum cōsideratione fabricandas suscepi. Illud igitur est, quod astruo, & admiror, res singulas ab omnipotente Creatore momēto fuisse perfectas, ac de terra, & aqua, & aere, & igne nemo ambigit, quin simul, & in momento, vt etiam omnes Angeli eodem momento condita sint. De firmamento, & diuisione aquarum, notum est, omnia illa facta esse per solam verbi virtutem dicentis, fiat firmamentum in medio aquarum, & quidem in momento. Sequitur enim, & factum est ita, quo loco, S. Ioannes Chrysostomus, *Hom.4. in Ge.* Dixit, inquit solum, & opus sequutum est, sic etiam idem auctor ad illa verba: *germinet terra herbam virentem: & factum est ita. Hom. 5. in Gen* Quis, inquit, *non obstupescat cogitans, quomodo verbum Domini, germinet terra quasi admirabili peplo terræ faciem varijs floribus adornet? vidisses subitò terram, quæ anteà deformis, & inculta erat, decore suo, & ornatu, quasi cum cœlo contendere.* & post *Hom. 6.* ad illa verba: *fiant luminaria*, sic loquitur: *Dixit solum, & productum ad hoc admirabile elementum Solem dico.* Quid si addas, quod eodem momento, & eodem verbo Lunam, & stellas omnes idem cōditor fecit? & *Hom. 7.* ad illa verba, *producant aquæ, &c.* sic ait: *Quæ lingua ad opificis præconia sufficiet? nam sicut de terra dixit solum, germinet, & varia mox ac multiplex florum herbarumq; apparuit copia: sic & hic dixit, educant aquæ, & continuò tot reptilium volatiliumque genera condita sunt, quot neque sermone recenseri possunt.* Quis igitur similis tui in fortibus Domine?

Capvt V.

TV vero, anima mea, quanta sit potentia conditoris tui, iam planè intelligis, quæ per latitudinē ad omnia se extēdit, per longitudinem semper durat, & sine fatigatione omnia portat, & regit: per altitudinem attingit etiam ad ea facienda, quæ impossibilia videntur, & re vera sunt impossibilia omnibus alijs, ipso solo excepto: per profunditatem ita res facit, vt modus faciendi omnem intelligentiam creatā superet, cum ex nihilo, & in nihilo, & sine instrumentis, & sine tempore, solo verbo, & imperio faciat: *Ipse dixit*, inquit Propheta, *Psa. 148. & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Ex quibus, si quid sapis, colliges, quanti referat, vtrum eum iratum, vel placatum, hostem, vel amicum habeas. nam si hostem, & iratum habeas, potest te subito omnibus bonis spoliare & omnibus replere miserijs, neque vllus est, qui de manib. eius te liberare possit. quis enim cum omnipotente contēdere audeat? si solus & nudus occurreres inimico tuo implacabili, ferro acutissimo

A te petenti, quid ageres? quam sudares, & palleres, & tremeres & in genua prouolutus misericordiam implorares? & tamen ille homo est, & fortè posses vel fugiendo, vel repugnando, & ferrum de manibus extorquendo te ipse ab interitu liberare. Sed cum irato Deo quid ages? à quo nec fugere potes, cum sit vbique, nec illi resistere, cum sit omnipotens, nec moras nectere, cum momento, & solo imperio agat? non sine causa dixit Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Contra vero si placatum, & amicum habeas Deum, quis te felicior? potest enim, si vult: & vult, si amicus est, bonis omnibus te replere, & à malis omnibus liberare. Vtrum autem iratum & hostem, an placatum, & amicum habeas Deum, in manu tua est, dum

B vitam hanc ducis, Deus enim, & per Prophetas, & deinde per Filium suum, ac per Apostolos eius in scripturis sanctis perpetuo clamat, inuitans peccatores ad pœnitentiam, & iustos ad obseruantiam mādatorum, vt sic vtrosque habeat amicos, vel potius filios charissimos, & hæredes æterni regni sui. Audi Ezechielem, *c. 33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij sed vt conuertātur, & viuat. Conuertimini, conuertimini à vijs vestris pessimis, & quare moriemini domus Israel?* & infra: *impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua.* atque hoc quod Ezechiel clamat, Isaias quoque & Hieremias, & Prophetæ cæteri clamant, vnus enim erat spiritus in omnibus, & idem per omnes clamabat. Audi Filium Dei, exordientem prædicationem suam: *Cœpit Iesus*, inquit Matthæus, *c. 4. prædi-*

C *care, & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Audi Apostolum Paulum de se, & de coapostolis suis loquentem in posteriore ad Corinth. *cap. 5. Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortāte per nos; Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* quid clarius? dulcius? Apostolus nomine Christi nos obsecrat, vt velimus reconciliari cum Deo, & placatum habere, non iratū. quis ambigere potest de misericordia Dei, si serio reuertatur ad eum, excipiet omnino reuertentes, quomodo excepit filium prodigum amantissimus Pater; *Luc. 9.* Vbi vero reuersi fuerimus, & indulgentiam perceperimus, quid à nobis postulat? vt amici, & filij esse perseueremus, nisi vt mandata

D eius custodiamus. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, inquit Dominus, *Matth. 19.* Ac ne fortè dicas, sine auxilio Dei non possunt mandata seruari. Audi S. Augustinum in explicatione Ps. 56. qui loquens de præcepto omnium difficillimo, id est, de vita ponenda pro fratribus, sic loquitur; Non imperaret hoc Deus, vt faceremus; si impossibile iudicaret, vt hoc ab homine fieret. & si considerans infirmitatem tuam deficis sub præcepto, confortare in exemplo: sed etiam exemplum multum est ad te: adest ille, qui præbuit exemplum, vt præbeat & auxiliū: ac vt in ore duorum stet omne verbum, audi S. Leonem, *Ser. 16. de passion. Domini.* Iustè, inquit Deus instat præcepto, quia præcurrit auxilio. quid ergo times, anima, viam mandatorum securè ingredi, cum ille præcurrat, qui potenti auxilio gratiæ suæ, *facit praua in directa, & aspera in vias planas, Isai. 40.* Hoc videlicet auxilio præcurrente, iugum Domini efficitur suaue, & onus le-

ue.

ue, *Matt.* 11. & Apostolus Ioannes clamat, 1. *ep. c.* 5. *mandata eius grauia non sunt.* sed & si grauia tibi videantur, cogita quãto grauiora erunt tormẽta gehennæ: nec audeas, nisi insanis, ista velle experiri. Sed illud cogita, & recogita & nunquã obliuiscaris, nũc tẽpus esse misericordiæ, posteà iustitiæ: nunc liberũ esse peccare, posteà necessarium pœnas grauissimas luere: nunc posse hominem cum Deo facilè transigere, & exiguo labore pœnitentiæ magnam indulgentiam obtinere, & breui luctu sempiternum fletum redimere, & contra, nunc quolibet opere bono ex charitatis virtute prodeunte posse regnum cœlorum comparari, postea non posse totius mundi opib⁹ vnam guttam aquæ frigidæ impetrari.

GRADVS XII.

Ex consideratione magnitudinis sapientiæ Dei, per similitudinem magnitudinis corporalis.

CAPVT I.



QVAM verè scripserit Apostolus in extrema epistola ad Romanos c. 16. solum Deum esse sapiẽtem, facilè intelliget, qui attentè considerare voluerit latitudinem, longitudinẽ, altitudinem, & profundum sapientiæ Dei. Ac vt incipiamus à latitudine, latissima esse dignoscitur sapientia Dei, quoniã Deus omnia, quæ sunt in rerum natura à primo Angelo vsque ad vltimum vermiculum distinctè, perfecteq; cognoscit. nec solum nouit integras substantias, sed etiam partes, proprietates, virtutes, accidentia, actiones. Hinc sunt illa, *Iob.* 14. *Tu quidem gressus meos dinumerasti.* & *Prou.* 5. *Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat.* Quod si numerat, & considerat gressus singulos, quanto magis actiones mentis, siue bonas, siue malas? & si Deus in numerato habet capillos nostros, iuxta verbum Domini *Matt.* 10 *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Quanto magis nouit omnia membra corporis, & omnes virtutes animorum? & si numerum nouit arenarum maris, & guttarum pluuiæ, vt colligitur ex Ecclesiastico *c.* 1. quanto magis nosse credendus est numerum stellarum, & Angelorum? &, si omnia verba otiosa omnium hominũ adducet in iudicium, vt Dominus ipse testatur, *Matt.* 12. certe aures eius omnes voces omniũ hominum simul exaudiant, nec solem voces corporum, sed etiam animorum, id est, cogitationes, & desideria. Quanta igitur, & quam immensa est hæc latitudo sapientiæ, quæ simul omnia quæ sunt & quæ fuerunt, & quę erũt, & quę esse possunt, comprehendit? nec tamen diuina mens ex tanta rerum singularum, & inferiorum varietate vilescit, vt stulta sapientia quorundam Philosophorum censuit. Id enim fortè suspicari possemus, si Deus à rebus scientiam mendicaret, vt nos facimus: sed cum omnia in essentia sua videat, nullum est periculum vilitatis, quanquam longè nobilius est mendicando scientiam assequi, quod est hominum, quã sciẽtia omnino carere, quod est brutorum, quemadmodum prestantius est, cæcum esse, quod est animantiũ, quam sine æcitate aptũ non esse ad videndũ, quod est lapidum: nec cætera membra corporis nobiliora sunt oculis, quia cęca esse non possunt, sed nobiliores sunt oculi, cum videndi facultatem habeant, quamuis & cæci possint esse, vt rectè disputat S. Augustinus in libris de ciuit. Dei *Lib.* 12. *c.* 1. Hinc vero anima mea, sollicita esse debes, in omni loco, & tẽpore, quid agas, quid loquaris, quid cogites, cum nihil vnquã agas, loquaris, cogites, nisi vidente, audiente, attendente Deo. etenim si mala nulla facere, vel loqui auderes, quamuis etiam grauissima stimulãte cupiditate, si te videri, vel audiri, ab homine crederes, quomodo audes ea cogitare, inspectante,

B et indignante Deo? *Esto*, inquit S. Augustinus in regula Sanctimonialiũ *Ep.* 109. *à nemine hominum videatur, quid faciet de illo superno inspectore, quẽ latere nihil potest.* Et S. Basilius in libro de virginitate, alloquens virginẽ in cubiculo clausam, et solam, admonet eam, vt reuereatur sponsum vbiq; præsentẽ, et huius Patrem, et Spiritum S. et Angelorum innumerabilẽ multitudinem, et cum his Patrum Sanctos Spiritus: *Nullus.n horũ*, inquit *Lib. de Virginit. est, qui non vbiq, omnia videat.* O te beatam animã meã, si semper in hoc theatro esse te sentires, etiã in medijs noctiũ tenebris, & silentio: quam perfectam vitã institueres, quam diligenter leuitatem, & euagationẽ oẽm vitares? Hoc nimirũ est, quod Abrahamo Patriarchæ dixit aliquando Dominus *Gen.* 17. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Id est, cogita te

C à me semper videri, & eris sine vlla dubitatione perfectus.

CAPVT. II.

LOngitudo sapientiæ, in cognitione futurorũ se prodit. sic enim acutè Deus videt, vt ab ipsa ęternitate viderit, quæ futura sunt in tempore nouissimo, & vltra vsque in æternũ. qua certè longitudine nihil maius cogitari potest. *Intellexisti*, inquit Dauid in Psalmo. 138. *cogitationes meas de longe.* & paulo post, *tu cognouisti omnia nouissima & antiqua.* Id est, omnia futura, & omnia præterita, pleni sunt libri Prophetarum prædictionib. clarissimis atq; verissimis, quas non ipsi per se, sed vt canit Zachari-

D as, *Luc.* 1. *Deus loquutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius:* Atque adeò hæc præuisio, & prædictio propria estDei solius, vt ipse Deus per Isaiam dicat, *c.* 41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurũ, & sciemus, quia Dij estis vos.* Ac vt pauca de multis cõsideremus, Isaias sic loquitur *c.* 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciã ante faciẽ eius gentes, & dorsa Regum vertam, &c.* Vbi prædicitur monarchia Persarũ, & nominatur proprio nomine Cyrus, Rex primus Persarũ: & subiũgitur ratio, cur Deus exaltare voluerit Cyrum, quia videlicet relaxaturus erat captiuitatem Babylonicam: quæ omnia post annos circiter ducentos impleta sunt. Daniel quoq; *c.* 2. per similitudinem statuæ ingentis, cuius caput erat aureũ, pectus argenteum, venter, & fœmora ærea, pe-

E des partim ferrei, partim fictiles, apertissimè prædicit quatuor monarchias, Babyloniorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, & tem-

pore vltimæ monarchiæ Regnum Christi, id est Christianam Ecclesiam, omnibus illis Regnis maiorem, ac deinde tam apertè describit bella successorum Alexandri Magni *Dan.* 11. vt infideles aliqui suspicati sint ea scripta fuisse post bella illa infinita. ac vt omittam cætera, Christus ipse apud Lucam. *c.* 19. deplorans euersionē Hierosolymæ, quæ post annos multos futura erat, ita distinctè, & singillatim omnia describit, ac si non futuram sed præteritam narrare voluisset. omitto prædictiones alias innumerabiles, quarum, vt dixi, Prophetarum libri plenissimi sunt. porro Astrologi, & quicunque alij diuinatores, qui quasi simiæ Dei videri volunt, omnino deridendi sunt. nec enim fieri potest, vt de rebus futuris contingentibus, ac præsertim liberis, vera prædicant, nisi fortè aliquando casu veritatem attingant: nam cum omnibus causis necessarijs, cōtingentibus, liberis, voluntas Dei præsideat, & præemineat, & possit causas inferiores, quando libuerit, impedire, nemo vera prędicere potest, nisi cui Deus voluntatem suā manifestare voluerit, vt sæpe Prophetis suis manifestauit. Atque adeo hoc verum est, vt dæmones hoc per potissimū Dei haberi voluerint, quod oracula funderent, & futura prædicerent, vt testatur S. Augustinus in libris de ciuitate Dei, *lib.* 2. *cap.* 24. Sed idem eximius Doctor Ecclesiæ in lib. de diuinatione dæmonum apertè demonstrat, tam falsam eorum diuinationem esse, quā falsa ipsorum diuinitas est. nihil enim aperte dicunt, nisi quod ipsi facturi sunt, vel quod alibi iam factum ipsi velocitate naturæ referunt, quasi futurum ijs, qui longe absunt; vel quod ex diuturna experientia futurum esse coniectant. quomodo etiam multa de ventis nautæ, de pluuijs agricolæ, de morbis medici prædicere solent. quæ vero dæmones de futuris interrogati nesciunt, ea per ambages, & æquiuoca verba respondēt. & cum falsa comperiuntur, interpretibus, & coniectoribus culpam attribuunt. Solus ergo Dominus Deus noster, cuius sapientiæ nō est numerus, vera fundit oracula, ac de futuris quibusque etiam contingentibus, & liberis vera prædicit.

CAPVT III.

IAm verò diuinæ sapientiæ altitudo celsissima est, & omnē sublimitatē sapientiæ hominum, vel Angelorū longissimè superat. Altitudo sapientiæ ex obiecti, potentiæ, speciei, & actus nobilitate dignoscitur. Obiectum sapientiæ Dei non solùm naturale, sed etiam proportionatum est ipsa diuina essentia, quæ vsque adeò sublimis est, vt neque humano, neque Angelico intellectui proportionatum obiectum sit. Itaque ne supremi quidem Angeli ad Deum videndū conscendere possunt, nisi per lumen gloriæ euehantur, atq; hæc est causa, cur Deus inuisibilis in Scripturis sanctis esse dicatur, 1. *Tim.* 1. *Regi sæculorū immortali, inuisibili soli Deo*, inquit Apostolus in priore ad Timotheum *c.* 6. qui etiam postea addit, Deum lucem habitare inaccessibilem. Deindè potentia, quæ in nobis est accidens, in Deo diuina substantia est, ac per hoc longè sublimior, & altior, quam in nobis. Species autem tantò altior eo, quantò plura repræsentat, ac per hoc Angeli quò species habent vniuersaliores & pauciores, eò altiorem scientiā habere dicuntur. quanta igitur est altitudo sapientię Dei, qui non aliam speciem habet, quam essentiam suā, quæ vna est, & sola Deo sufficit ad ipsum Deum, & res omnes creatas, aut creandas, aut etiam quæ possent creari, vel repręsentandas, vel cognoscendas?

Denique illa scientia, vel sapientia nobilior, atque altior esse dicitur, quę per pauciores actus plura cognoscit: Deus autem vnico solum intuitu, qui semper in eo viget, & immutabilis permanet, & se ipse & cętera omnia perfectè cognoscit. Sola igitur sapientia Dei nobilissima, atque altissima dici debet. Erige nunc anima mea oculos tuos, & vide quantum distet scientia tua à sapientia conditoris tui. tu enim per multos actus, huc, atque illuc discurrendo vix rem vnam perfectè cognoscis, conditor autem tuus contrà per vnum actum res omnes, & se ipse clarissimè, ac distinctissimè intuetur. & tamen tu ipsa, nunc in tenebris iacens, potes si velis pennis fidei & charitatis tam altè conscendere, vt post corporis mortalis depositionem à claritate in claritatem transformata, 2. *Cor.* 3. in lumine Dei lumen Deum videas, *Ps.* 35. & similis effecta Deo, tu quoque vno intuitu eoque in æternum manente Deum in se, & te, ac res omnes creatas in Deo simul videre. *Quid enim non videt*, inquit S. Gregorius in dialogis, *Lib.* 4. *cap.* 33. *qui videntem omnia videt? & qua erit illa voluptas*, illa gloria, illa rerum omnium copia, *cùm admissa ad inaccessibilem lucem, omnium bonorum Domini tui particeps eris?* Regina Saba cùm Salomonis sapientiā audiuisset, & ordinē ministrorum domus eius sapienter dispositum vidisset, ita obstupuit, *vt non haberet vltra spiritum* (sic loquitur Scriptura, 3. *Reg.* 10.) *& exclamauit, beati viri tui, & beati serui tui, qui sunt coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.* & quid simile habet sapientia Salomonis cum sapientia Dei, qui solus sapiens, & ipsa sapientia est? & quid est ordo ministrorum comparatus cum nouem ordinibus Angelorum Dei, quorum millia millium ministrant ei certè, si vel modicum ista gustares, nihil non moueres, nihil non faceres, nihil non libentissimè patereris, vt Deum promereri posses. humiliare ergo interim sub potenti manu Dei, 1. *Pet.* 5. vt te exaltet in die visitationis: humilia intellectum ad fidem, vt exalteris ad visionem: humilia & voluntatem ad obedientiam mandatorum, vt exalteris ad libertatem gloriæ filiorum Dei: humilia & carnem ad patientiam, & labores, vt glorificatam Deus exaltet ad requiem sempiternam.

CAPVT IV.

REstat, vt profunditatem sapientię Dei cōsideremus, quæ præcipuè in scrutatione renum, & cordium, id est, cognitione cogitationum, & cupiditatū humanarū, præsertim futurarum posita esse videtur. hic enim legimus, *homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor*, 1. *Reg.* 16. & *tu solus nosti corda filiorum hominum*, 2. *Par.* 6. &, *intellexisti cogitationes meas de longe, semitas meas inuestigasti, & omnes vias meas prævidisti*, *Psa.* 138. & *ipse nouit abscōdita cordis*, *Psal.* 43. *& prauum est cor hominis, & inscru-*

scrutabile, & quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans renes & corda, Hier.17. quo loco septuaginta interpretes verterunt, profundũ est cor hominis, & inscrutabile. Atque hunc locum expendens S. Hieronymus admonet, rectè probari Christum esse Deum, quia videbat cogitationes hominum, quas solus Deus videre potest. *& cum vidisset Iesus cogitationes hominum Matt. 9. Ipse vero sciebat cogitationes eorum, Luc.6. Quid ista cogitatis in cordibus vestris? Mar.2.* Igitur omnis cogitatio, & cupiditas humana, etiam præsens, & reipsa existens, profunda est valdè, vt neque Angeli, neque dæmones, neque homines ad eam inuestigandam penetrare valeãt: sed longe profundior est cogitatio, vel cupiditas futura. hãc enim non solum nequeunt homines vel Angeli penetrare: sed nec penetrare certè possunt, qua B via Deus, q eas solus nouit, ad eas inuestigandas ꝓgreditur. Atq; hoc videtur significare voluisse Dauid in psalmo 138. cũ ait: *Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me.* Illud n. ex me phrasi Hebræa significat præ me, vel super me, vt sensus sit, mirabilior est scientia tua, quam vt ego intelligere possim, quomodo illa se habeat. Ideò enim subiungit, confortata est, & non potero ad eam, id est, eleuata est super notitiam meam, & non potero ad eam capiendam vlla ratione conscendere. Loquitur autem de scientia cogitationũ futurarum. dixerat enim, intellexisti cogitationes meas de longè, & omnes vias meas præuidisti: de harum igitur cogitationum, & viarum prænotione dicit, mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. potest fortasse responderi, Deum videre cogitationes C istas futuras in æternitate sua, cui omnia sunt præsentia, vel in prædeterminatione voluntatis suæ: sed si ita esset, non esset mirabilis scientia ista, nam & nos possumus facile scire, quæ facturi sumus, vel quæ nobis præsentia sunt. Scriptura verò dicit, Deum scrutari renes, & corda, atque illic videre, quid homo cupiat, vel cogitet aut quid postea cupiet, vel cogitabit. Hoc verò est penitus admirabile, quomodo Deus scrutando renes, & corda videat quod ibi nondum est, & quod ex libertate voluntatis pendet, an aliquãdo erit. Igitur, sicut ad altitudinẽ potentiæ Dei pertinet, vt ex nihilo faciat aliquid, & vocet ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt: sic ad profunditatẽ D sapientiæ Dei pertinet, vt scrutando renes, & corda, videat quod ibi nondum est, ac si iã esset, quod sine dubio erit.

Capvt V.

Sed quia non quæstiones disputandas, sed animam excitandam, & in Deum eleuandã suscepi, excitare anima mea, & leua te super te, vt Hieremias admonet, *Thrẽ. 3.* & cogita profundam illam abyssum Sapiẽtiæ Dei, quæ scrutatur intima cordis, & multa ibi videt, quæ cor ipsum non videt. O beatissime Petre, cum dicebas Domino, *Matt.26. etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo*, certè non duplici corde loquebaris, sed sincero, ac recto: nec in corde tuo videbas fragilitatem illam, quã in eo Dominus tuus videbat, cũm diceret, antequam gallus cantet bis, ter me negabis. videbat enim medicus peritissimus in corde tuo infirmitatem, quã tu non videbas, & verum fuit, quod prædixit medicus, non quod iactauit ægrotus. Sed gratias age medico, qui vt præuidit, & prædixit morbũ futurum: sic potenti medicina pœnitentiam animæ tuæ diuinitus inspirauit & morbum citò curauit. O bone, ô pie, ô sapientissime, & potentissime medice, *ab occultis malis meis munda me, Ps.18.* Quanta ego non deploro, nec lachrymis lauo, quia non video? adsit mihi gratia tua, qua scrutaris renes, & corda: & quas ego cupiditates malas, & opera etiam mala non video, tu qui vides, ostende, & piè respiciẽs produc fontem lachrymarũ, vt dum tempus est lauentur, & deleantur per gratiam tuam. Amen.

Gradvs XIII.

Ex consideratione scientiæ practicæ

Capvt. I.



Consideranimus sapientiã Dei theoricam: nunc sapientia practica consideranda est, quam etiã effectricem dicere possumus. habet hæc sapientia suam latitudinem, longitudinem, altitudinem, & profunditatem: latitudo ex creatione cognoscitur: longitudo ex conseruatione rerum creatarum; altitudo ex opere redemptionis; profunditas ex prouidentia, & prædestinatione. Ac vt à creatione incipiamus, *Deus omnia in sapientia fecit*, vt dicitur in Psalmo 103. *& effudit illam per omnia opera sua*, vt scribit Ecclesiasticus c.1. Itaque sicut ex creatione rerum omnium ex nihilo cognoscimus potẽtiam opificis: sic ex artificio admirabili, quod in singulis cernimus, admiramur sapientiã conditoris, disposuit enim omnia, & singula in mẽsura, & numero & pondere vt dicit Sapiens *Sap. 11.* atque hic est sapor, quo cõdiuit omnia Deus, vt ex eo sapore cognoscamus, quàm sapida sit ipsa sapientia, & quàm amabilis, ac desiderabilis. res igitur omnes createę certam habent mensuram, certum numerum, & certum pondus, tum, vt distinguantur à Deo, qui non habet mensuram, quia est immensus, nec numerum, quia est summè vnus, & simplex, quo ad essentiam: nec pondus, quoniam eius æstimatio, & pretium superat omnem æstimationem, & pretium: tum vt bonæ, & pulchræ sint, ac verissimè dixerit Moses, *Genes.1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* habent igitur cunctæ res eam mensuram quæ necessaria est ad finem consequendũ, cuius gratia factæ sunt. nec potest illi mensuræ aliquid addi, vel detrahi, quin res deformis vel inutilis, ac per hoc minus bona reddatur. *Cuncta fecit Deus bona in tempore suo*, inquit Ecclesiastes *cap.3. nec possumus eis quicquam addere vel detrahere quæ fecit Deus, vt timeatur.* Igitur cœlo dedit Deus mensuram amplissimam, quoniam omnia inferiora ambitu suo complecti debet: Aeri multò minorem quàm cœlo, sed maiorem quã terræ, & aquis, quæ vnum globum efficiunt, & ab aere vndique continentur. Elephanto mensuram corporis maximam attribuit, vt onera maxima, & ipsas turres hominibus refertas portaret. Equo paulo minorem, quod ad vnum solum e-

quitem gerendum factus esset: auiculas minutas fecit, vt in ramis arborum nidum suspendere possent: apes, & formicas minutissimas, vt in foraminibus, vel alueariorum, vel terræ delitescerent. Hoc idem de numero dicere possumus: vnum creauit Deus Solem, quoniam ad illustrandam omnem terram, & diem suo splendore faciendum Sol vnus satis erat, Lunā quoq; fecit vnam, quoniam ad noctem illuminandam vna sufficiebat: stellas plurimas esse voluit vt cum Sol, & Luna abessent, quod in coniunctione Solis & Lunæ contingit, tenebras noctis vtcunque discuterent, nec solum rebus omnibus in communi numerum necessarium assignauit, sed etiam rebus singulis numerum partium ita constituit, vt nihil addi, vel minui posit. Attribuit Deus homini duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes, nasum vnum, os vnum, pectus vnum, caput vnum: & res pulcherrima, & ornatissima apparuit: inuerte ordinem, pone alicui homini vnum oculum, duos nasos, vnam auriculam, duo ora, vnam manum, & vnum pedem, duo pectora, & duo capita: nihil fœdius, nihil inutilius fieri poterit. Denique pondus, id est, æstimationem vnicuique rei Deus attribuit, quam eius natura requirebat. porro nomine ponderis, siue pretij qualitates intelligimus, quæ bonas res, & pretiosas reddunt: hæc enim tria res omnes perficiunt: numerus partiū, qui necessarius est, vt nulla omnino desit: commensuratio, siue apta proportio partium; denique qualitates internæ, siue externæ, vt suauitas coloris in externa superficie corporis, & virtus interna, quæ ad actiones varias vtilis, vel necessaria est. Sed est omninò admirandum, quantam vim Deus rebus quibusdam exiguis, ac paruissimis attribuerit, vt videatur potentiam suam in rebus magnis, sapientiam in paruis ostendere voluisse. quis capiat, quanta virtus insit in grano sinapis? quod minimum est omnibus seminibus, vt vix oculis discerni posit, & tamen in eo latet arbor magna, vt etiam aues habitent in ramis eius, vt Veritas in Euangelio loquitur, *Matt. 13.* Neque hoc est proprium sinapis, sed commune omnibus seminibus, in quorum virtute radices, trunci, rami, folia, flores, & fructus maximarum arborum delitescunt. certè si hoc ipsum experimento manifesto nō didicissemus, non facilè persuaderi posset hominibus, ex tantulo semine, tantam molem rerum diuersissimarum exoriri vnquam potuisse. quis item capiat in formica, in culice, in pulice, in alijs minutissimis animalculis esse pedes, q velocissimè moueantur, esse caput, esse cor, esse sensus externos, & internos, esse suo quodam modo, quāuis admodum imperfecto, prudentiam atque iudicium? quis denique capiat in ijsdem, & alijs id genus animalculis minutissimis, & tenuissimis esse tantam vim tenebrandi, & perforandi carnes viuas, vt non solum hominibus molestissima sint, sed etiā Elephanti, & Leones à culicibus terreantur? Magnus igitur Dominus & magna sapientia eius, vt in maximis, sic etiam in minimis. Admiratus est aliquando princeps ille medicorum quamuis Ethnicus artificium Dei, quod in manu humana cernitur, & exclamauit in laudem Conditoris *Galen. in lib. de partibus.* quid te, Christiane, facere oporteret,

A qui non solum hominum & cæterorum animantium corpora, sed etiam cœlum, & stellas, & Angelos, & mentes hominum immortales incredibili sapientia ab eodem sapientissimo conditore creata fuisse non dubitas?

Capvt II.

Iam verò longitudo sapientiæ practicæ in conseruatione rerum elucet, vt eius latitudinem in creatione lucere iam diximus. Igitur sapientia Dei magna, & admirabilis in rerū centenarum, ac potissimum corruptibilium conseruatione, & duratione conspicitur.

Ac primùm si quis cogitet, quomodo Deus nutriat, & augeat herbas, plantas, animantia, & ipsa hominum corpora, vt conseruentur quantò diutius possunt, omninò stupore quodam attonitus non poterit satis mirari sapientiā Dei: nam ex terra, & aqua nutrit herbas, & plantas; & B facit, vt alimentum illud transeat à radicibus ad truncum, & à trunco ad ramos, & folia, & fructus à vi quadam sursum trahatur, & omnia penetret ratione, & modo prorsus admirabili. sic etiam ex herbis, & pomis, & ex ipsa carne animantium nutrit animantia nōnulla, & ipsos homines, & facit, vt alimentum intret, & penetret ad omnes partes corporis internas, & externas tanta facilitate, & suauitate, vt incredibile videatur. Agit Deus instar medici doctissimi, & humanissimi, qui pharmaca sic nouit condire, vt non solùm facilè, sed etiam libenter ab ægrotis sumantur. cibi enim sine dubio medicamenta sunt, quæ nisi à mortalibus sæpius accipiantur, C mortem vitare non possunt. Sed amantissimus, & sapientissimus Medicus noster Deus, primò saporem indicit cibis, vt cum delectatione sumantur: deinde variauit infinitis modis ad tollendum fastidium: denique per varias alterationes in ore, & stomacho, in hepate, in corde cōuertit cibum in succum adeò tenuem, & subtilem, vt sine scissione vel dolore transeat per omnes venas, & venulas, & poros corporis, atque ad omnes partes carnis, ossium, neruorum penetret, nobis non sentientibus, vel etiam dormientibus. admirantur Philosophi naturæ solertiam, & artem, cum ista speculantur. Sed quæ esse potest in rebus inanimis, vel sensus, & rationis expertibus solertia? non igitur naturæ solertia, sed conditoris sapientia admiranda est quæ & naturam fecit, & modum adinuenit, quo D ista mirabilia fierent. Audi sapientiam Dei loquentem in Euangelio, *Matth. 6. Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent, & Deus sic vestit.* non igitur naturæ solertia, sed Deus facit, vt lilia crescant, & tam decoris quasi vestibus induantur. quod idē de nutritione, & incremento viuentium omnium dici potest, Apostolo testante, qui ait: *1. Cor. 3. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Et si tam admirabili modo sapientia Dei pascit, & nutrit, & in vita mortali conseruat plantas, & animalia, cogita si potes, anima, quomodo in æterna vita pascit Devs mentes Angelorum, & hominum? in terris enim terrenis cibis, sed à diuina sapientia conditis alimur; in cœlo verò sapientia ipsa est cibus, & potus in æternum viuentibus. O te be-

atam si intimè penetrares quid sit: *Erit Deus omnia in omnibus*, 1. *Cor.* 15. quid, inquam, sit, Deũ, summum & infinitum bonum, esse Sanctis omnibus victum, & amictum, & vitam, & omnia, certè præsentia fastidires omnia, & sola quæ sursum sunt, saperes, & quæreres. Sed pergamus ad cætera. Illud item simile miraculo est, quod in conseruanda, & propaganda vita mortalium Deus attribuit rebus tenuissimis motũ continuum, ac sine fatigatione longissimum. multum omninò laborauerunt homines, vt horologium construerent, in quo rotæ vi ponderum ad viginti quatuor horas sine intermissione decurrerent. quanta igitur sapientia Deus facit, vt vis nutritiua perpetuo, & sine vlla intermissione operetur toto tempore, quo plantæ, vel animalia viuunt? atque etiã vt pulmones, & arteriæ sine intermissione moueantur ad annos septuaginta, vel plures; necesse est enim vim nutritiuam operari, & pulmones, atque arterias moueri ab initio vitæ vsque ad finem. Itaq; in ijs qui ad annos octaginta, vel nonaginta viuendo perueniunt, per idem tempus necesse est pulmones, & arterias in ijsdem semper moueri. & ante diluuium cum homines ad annos nongentos peruenirent, oportuit pulmones, & arterias, res videlicet fragiles & tenues, ad annos nongentos sine vlla intermissione, vel requie perpetuò agitari. certè, qui ista non mirantur, & ex istis sapientiam Dei non suspiciunt, & adorant, eos lumine sapientiæ omninò carere necesse est. Accedit tertiò, quod sapientia Dei, quãuis posset sine vllo labore hominum, & animantium cæterorum, atque etiam sine ministerio Solis, & aliarum secundarum causarũ, herbas, & arbores producere, & conseruare, vt paratum haberent omnia viuentia cibum suum: voluit tamen vti ministerio secundarum causarum, & labore, atque industria hominum, & animantium cæterorum, vt non languerent ocio, sed vires suas exercerent omnia. ac voluit etiam, vt inter homines alij diuites essent, alij pauperes, vt haberent omnes occasionem colendæ virtutis, & vinculo charitatis colligarentur. hinc enim fit, vt diuites liberalitatẽ, & misericordiam, pauperes patientiam, & humilitatem exerceant: & diuites egeant opera pauperũ ad agros colendos, & pecora nutrienda, et varijs artibus parãda, quæ necessaria sunt omnibus; & pauperes contra diuitum opera indigeant, qui eis pecunias, & instrumenta præbeant, quibus ipsi victum sibi, & vestimenta, atque alia necessaria comparent, neque est cur pauperes de diuina sapientia conquerantur. Deus enim, qui omnia nouit, & omnes diligit, vnicuique dedit, quod ei ad vitam sempiternam obtinendam, vtilius esse præuidit. quomodo in terris medici ægrotis quibusdam media imperant, & venam secant; alijs vinum & carnes indulgent, & vt recreentur, iubent. plurimi nunc certè pauperes salutem æternam consequuntur, qui si diuites fuissent, in æternum perijssent, & quamuis diuites quoque salui esse possint, si diuites esse studeant in operibus bonis, & facilè, ac libenter tribuant, quod ad communicandum, non ad recondendum à communi Domino acceperunt: tamen negari non potest, quin via ad vitam æternam tutior, & planior, & expeditior sit pau-

A pertas, quàm diuitiæ. non decipit nos diuinus Magister, qui ait, *Matt.* 19. *Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in Regnum Cælorum.* & iterum *Luca* 6. *Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei: & væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.* neque decipit nos Apostolus, cùm ait in priore ad Timotheum *cap.* 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* & quod Dominus, & Apostoli verbo docuerunt, idipsum confirmarunt exemplo. de se enim Dominus dicit, *Luca* 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*, & Apostolus de se, & coapostolis suis ait, 1. *Corinth.* 4. *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus,* B *& colaphis cædimur, & instabiles sumus.* id est, propriam domum non habemus; neque dubitari potest, quin sapientia Dei, & Filij, ac discipuli sapientiæ viam ad vitam planissimam, & tutissimam, elegerint. Sed quia *stultorum infinitus est numerus*, *Ecclesiastæ* 1. pauci viam hanc spontè eligunt, plurimi autem ab ea toto affectu, viribusque declinant. Postremum illud est, in quo longitudo diuinæ sapientiæ cernitur, quòd quemadmodum ipsa æterna est, sic rebus omnibus instinctum viuacissimum indidit conseruandi sui, ac vitam vel esse suum, quo possint diutius, propagandi. Videmus homines cum in periculo vitæ se constitutos cernunt, omnia mouere, nec vllis opibus, aut laboribus parcere. videmus C animantia omnia supra vires cum robustioribus pugnare, ne vitam amittant. videmus lucernam ardentem, cum proxima extinctioni est, bis, terve se ipsam excitare, & magnam flammam emittere, vt viribus totis cum extinctione colluctari videatur. Videmus guttas aquæ aliquando pendere de ligno, vel lapide, seque in orbem redigere, & quamdiu possint se ipsas sustinere, ne diffluant, & pereant. videmus grauia contra naturam ascendere, & leuia item contra naturam descendere, ne detur vacuum, & ipsa disiuncta à rebus alijs conseruari non possint. Sed mirabilius est, quod ad propagandam speciem tam vehementem affectum indiderit DEVS D parentibus erga proles, vt omnino incredibile videatur. videmus gallinam infirmari pro pullis, & quamuis infirmam, ac debilem, acerrimè pugnare contra miluos, & canes, & vulpes. quod vero dolores, & labores tolerent libenter mulieres in pariendis, & educandis infantibus, omnes nôrunt. Huius rei causa est consilium sapientiæ Dei, qui vt hanc propagationem, veluti vmbram æternitatis aleret, amorem vehementissimum animantibus omnibus, etiam brutis, & feris erga proles impressit. Nam cum multa sint animantia, quorum destructioni omnes homines dant operam, vel vtilitatis propriæ causa, vt lepores, apri, cerui, turdi, coturnices, perdices, pisces ferè omnes: vel ne noceant, vt lupi, vulpes, serpentes, & alia id genus innumerabilia, facilè species animalium multæ iam dudum perijssent, nisi Dei sapientia per hunc affectum conseruationi, & propa-

gationi eorum prouidisset. sed si tantus amor naturaliter inest in omnibus viuentibus erga vitam istam breuem,& ęrumnis plenam: quantus esse deberet amor in nobis erga vitam beatam,& sempiternam. O cæcitas,& stultitia generis humani, res omnes pro vita breuissima, pro vmbra æternitatis laborant supra vires: & homo ratione præditus pro vera æternitate vitæ felicissimæ non dignatur laborare,non dico supra vires;sed pro viribus.res omnes ex naturali instinctu mortem temporariam horrent,& fugiunt super omnia mala : & homo ratione instructus , & fide diuina edoctus mortem sempiternam,neque horret , neque fugit , saltem,vt temporaria mala fugere, & horrere cōsueuit. Verè igitur dixit Ecclesiastes, *Eccl.1. Stultorum infinitus est numerus.*& vere dixit Veritas in Euangelio,*Matt.7. Quam angusta porta, & arcta via est, qua ducit ad vitam , & pauci sunt, qui inueniunt eam.*

CAPVT III.

IAm vero altitudo practicæ sapientiæ Dei perspicitur in opere redemptionis. *Non satiabar*,inquit S. Augustinus *Lib. 9. conf. cap. 6. dulcedine mirabili , considerare altitudinem consilij tui super salutem generis humani.* Altissimum vere consilium fuit per ignominiam crucis resarcire omnia damna, quæ astutia diaboli per peccatum primi hominis fecerat , & ita resarcire, vt pulchrius fuerit opus instauratum, quam fuisset antequam restauratione indigere cœpisset. quatuor mala nata sunt ex peccato primi hominis: iniuria Dei ex superbia , & inobedientia Adami : pœna primi hominis,& totius humani generis,id est, priuatio gratiæ Dei , & sempiternæ beatitudinis,contristatio Angelorum,quibus vehemēter displicuit iniuria Dei , & miseria hominum : gaudium diaboli , & omnium spirituum malignorum,qui lætabantur hominem à se deuictum ,atq; prostratum. Hæc omnia mala sustulit,& in maiora bona conuertit sapientia Dei per mysterium crucis, vt non sine causa canat Ecclesia , ô felix culpa quæ talem ac tantum meruit redemptorem. Certe enim si vestem nouam,& pretiosam casu aliquo scissam & laceram sartor industria sua, & ornamento aliquo superaddito ita resarciret,vt elegantior,& pretiosior fieret, iure dici posset, felix scissio,quæ tantæ venustati occasionē dedit. Primus igitur homo per astutiam,& inuidentiam diaboli in superbiam elatus : affectauit similitudinem Dei , & inobediens Deo præceptum eius præuaricatus est. Ita Deo debitum honorem quodammodo rapuit. Sed secundus Adam Christus, qui sapientia Dei est,*humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem* , *Phil. 2.* & honorem Deo restituit multò maiorem, quàm fuerit ille,quem primus Adam superbiendo,& inobediendo abstulit. Adam enim purus homo erat,& si Deo paruisset , in re facillima paruisset. Quid enim magni erat primis hominibus abstinere à fructibus vnius arboris vetitæ,cùm plurimis & optimis abundarent? itaque peccatum quidem eorum grauissimum fuit,& tantò grauius, quantò facilior obediētia fuisset; cùm nihil laboris contineret. Christus verò Deus , & homo erat,& humiliauit se ad obediendum Deo Patri in re omnium maxima , & laboriosissima,id est,in morte crucis plena doloris,& ignominiæ. proinde si consideretur eminentia personæ, & profundum humilitatis, & obedientiæ , nihil potest cogitari maius,vel magis meritoriū , vel honorificentius Deo,quàm humilis illa Christi obedientia. Itaque verissimè dicebat Dominus in Euangelio,*Ioan.17. Ego te clarificaui super terram.* Verè enim coram Angelis Dei, & corā omnibus sanctis mentibus Prophetarum & aliorum, quibus ista innotuerunt, glorificauit Deum Patrem Iesus Christus, gloria planè inenarrabili , & si Angeli in Christi natiuitate ob humilitatem præsepis cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo , Luc.2.* multò magis hoc ipsum maiori iubilo cantauerunt ob humilitatem crucis. Iam verò ipse homo si non peccasset,obtinuisset ad summum ęqualitatem Angelorum : nunc autem per redemptionem : quæ est in Christo Iesu, obtinuit genus humanum, vt vnus homo super oēs Angelos exaltatus in dextera Dei sedeat , sitq; caput,& Dominus Angelorum,& hominum. Sic .n. de Christo scribit Apostolus Petrus in priore epistola : *c.3. Profectus in cœlum subiectis sibi Angelis,& potestatibus & virtutibus.* & coapostolus eius Paulus ad Philippenses 2. *propter quod & Deus exaltauit illum , & dedit illi nomen quod est super omne nomen,vt in nomine Iesu omne genu flectatur , cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Itaq; Filius clarificauit Patrem humilitate passionis modo inenarrabili, & Pater clarificauit Filium exaltatione ad dexteram suam modo item inenarrabili, quæ clarificatio ita redundauit in totum humanum genus, vt planè sint ingratissimi,qui hoc immensum beneficium non agnoscunt,& pro eo gratias Deo non agunt. Quid? quod non solus Christus Deus,& homo , sed ipsa mater eius exaltata est super omnes choros Angelorum,quæ tamen homo solum est , non Deus.quare homines tanta accessione gloriæ sibi facta,ad eam,quā habuissent, si primus homo nō peccasset,iure possunt exclamare,ô felix culpa,quæ talem,ac tantum meruit Redemptorē. Porro Angeli sancti, sicut contristati sunt de casu primi hominis, tanquam de grauissima ærumna fratris sui minoris : sic etiam maximo gaudio affecti sunt ex copiosā redemptione per Christum facta. Si enim *gaudium est in cœlo coram Angelis de vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15.* quanto magis gaudium maximum fuisse credendum est coram eisdem Angelis , quando viderunt, per Christum hominem iustitiæ Dei plenissime satisfactum pro humano genere fuisse,& claue crucis eius aperta credentibus regna cœlorum? Neque suspicandum est, Angelos sanctos moleste tulisse, quod hominem Christum , & Beatissimam Virginem supra ipsorum Angelorum eminentiam DEVS extulerit. abest enim omnis liuor , & inuidentia ab Angelis, & ijdem charitate verissima, atque ardentissima pleni sunt. charitas autem non æmulatur, non inflatur, non tristatur sic bono alieno, sed collætatur,& cōgaudet bonis omnibus, de bono ipsorū non minus quam si proprium esset. Itaque vere canit Ecclesia: Assumpta est Maria in cœlum , gaudent

Angeli,

Angeli, non inquit, tristantur, sed gaudent Angeli, quòd Virginem Deiparam exaltatam videant super choros Angelorum ad cœlestia regna. Intelligunt enim id iustissimè factû à Deo, qui nihil nisi sapientissimè, & iustissimè facit: & simul voluntatem habent cùm Dei voluntate ita coniunctam inseparabili, & insolubili amoris nexu, vt quod placet Deo; ipsis etiam placeat, neque vllo modo displicere possit.

Diabolus autem, qui ad tempus exultauit, ob deuictum, ac prostratum à se primum hominem, multò maioré tristitiam habuit de victoria Christi hominis, quã fuerit prior exultatio. Ex victoria enim Christi factum est, vt iam non solùm viri, qualis erat Adam, sed etiam paruuli & fœminæ diabolo insultet, ac de ipso triumphent. Non fuisset turpe diabolo vinci ab Adamo in paradiso, quando carebat ignorantia, & infirmitate, & armatus erat iustitia originali, quæ partem inferiorem rationi ita subijciebat, vt rebellare nô posset, nisi prius mens ipsa Deo rebellis existeret. At nunc vinci diabolum ab homine mortali, peregrino, ignorantiæ, & concupiscentiæ obnoxio, summum dedecus est. & vincitur tamen per Christi gratiam, & ita vincitur, vt multi trophæa castitatis, patientiæ, humilitatis, charitatis erigant, quamuis diabolus ignita iacula sua tentationum & persecutionum assiduè iaciat. Atque in hac re admiranda est supra modum altitudo sapientiæ Dei. Vidit enim Deus necessarium esse generi humano contra insidias diaboli, côtemptum temporalium bonorum, voluptatû carnis, affluentię diuitiarum, gloriæ mundanæ, & similium quæ sunt laquei diaboli: & captiuos demergunt in interitum, & perditionem 1. *Tim.* 6. Quid igitur excogitauit, vt ista hominibus amarescerent, & contraria, id est, castitas, paupertas, humilitas, patientia, contemptus denique mundi dulcescerent? descendit ipse de cœlo, & forma serui suscepta, medicamentum necessarium, homini ęgroto, sed amarissimum, & horrendum, ita exemplo suo dulce, & suaue reddidit, vt multi iam homines, magis ament ieiunium, quàm crapulam: paupertatem, quàm diuitias: virginitatem, quàm coniugium: martyriû, quàm delitias: obedire, quàm imperare: contemni, quàm honorari: subesse, quàm pręesse: humiliari, quàm exaltari. quis enim videns Deum in forma humana, plenum sapientia, & gratia, & qui nec falli, nec fallere potest, pauperem, humilem, patientem, continentem, & quod mirabilius est, pro redimendo humano genere, cruci affixum, & pretioso effuso sanguine voluntariè, & ex ardentissima charitate morientem, non animetur, & excitetur ad imitandum.

Hæc fuit adinuentio sapientiæ Dei alta, & mirabilis, de qualibus adinuentionibus canit Isaias c. 4. *Notas facite in populis adinuentiones eius.* Sed huc tamen hæc altissima sapientia Dei, stultitia videtur non solùm sapientibus huius mundi, vt dicit Apostolus in priore ad Corinthios *cap.* 1. sed etiam carnalibus, & animalibus hominibus, qui in Christum credunt, sed Christi vestigia sequi recusant: quos idem Apostolus, *Phil.* 3. inimicos crucis Christi vocauit. Tu verò, anima mea, satage sugere mel de

A petra, oleumque de saxo durissimo, id est, sapientiam de stultitia, sapientiam Dei de stultitia crucis. Scrutare attentè, & diligenter, quis ille sit, qui pêdet in cruce, & cur ita pendeat, & cùm inueneris illum ipsum esse, *qui sedet super Cherubim Psal.* 98. imò *qui sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Heb.* 1. facilè intelliges, eum non pendere in cruce ob sua delicta, neque ob suam infirmitatem, neque ob aliorum potentiam, sed voluntariè ob ardentissimum desiderium satisfaciendi iustitiæ diuinæ pro peccatis totius mundi, ob honorem, & gloriam Dei Patris, ob salutem æternam omnium electorum, ac, vt loquitur Apostolus, *Ephes.* 5. *vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neq; rugam,* denique ob amorem tuum, quia videlicet, *dilexit te, & tradidit semetipsum pro te, hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis, Gal.* 2.

B cùm, inquam, ista inueneris, quæ verissima sunt, assurge per amorem intimum in tantum benefactorem, & ad eius imitationem, incipe ardenter sitire gloriam Dei, salutem omnium gêtium, sed præcipuè totius Ecclesiæ pulchritudinem, & gloriam, & tuam ipsius æternam salutem: incipe sitire perfectum odium iniquitatis, puritatem cordis, perfectionem iustitiæ, vt aliquando etiam sitire incipias participationem crucis Domini tui, & gloriari in tribulationibus, & in angustijs, vt postea quoque particeps fias Resurrectionis cum iustis ad gloriam, non ad pœnam cum impijs.

CAPVT IV.

C RESTAT profunditas sapientiæ practicæ, quę in prouidentia & prædestinatione, & iudicijs Dei consistit. Scriptum est enim, *Ps.* 35. *Iudicia tua abyssus multa.* Ac primùm prouidêtiam Dei admirabilem prorsus esse colligitur ex eo, quòd Deus res omnes creatas immediatè regit, atque ad fines suos ducit: *Aequaliter,* inquit Sapiens *cap.* 6. *est ei cura de omnibus,* id est, nulla re excepta, Deus omnia curat, ita vt nec passerculus cadat in terram sine prouidentia Dei, vt Saluator dicit, *Matth.* 10. qui numerare poterit multitudinem rerum totius vniuersitatis, is aliquo modo suspicari poterit magnitudinem sapientiæ Dei omnia, & singula regêtis, & dirigentis. Poterit quidem vnus Pontifex Maximus tutum orbem Christianum generali prouidentia regere, sed non particulari, quæ se extendat ad singulos Christianos: ideò enim multos Episcopos vocat in partem sollicitudinis.

D & potest vnus Rex multas prouincias generali prouidentia gubernare, sed non particulari: quæ ciues singulos complectatur, & ea de causa multos adhibet Proreges, vel Prætores, vel Præsides. Deus autem sic curat singulos, vt omnes; & omnes, vt singulos; *Passerculus non est in obliuione coram Deo, Luc.* 12. *capilli capitis nostri omnes ab eo numerati sunt, Matth.* 10. ac ne vnus quidem peribit, illius prouidentia super nos semper vigilante. Pulli ipsi coruorum à parentibus destituti, à Deo non destituuntur, *Psalm.* 146. quàm securè ergo quiescere potes, anima mea, in sinu tanti patris, etiam in medijs tenebris? inter ora Leonum, & Draconum? inter innumerabiles spirituû innumerabiliû legiones? adhære tâtum illi amore sincero, tim o-

re sancto, spe non fluctuante, fide non dubia. Nec verò solùm res singulas & præsentes Dei prouidentia curat, sed etiam attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. *Sap.* 8. Ideò enim Rex sæculorum Deus appellatur, quia sæculorum ordinem ipse constituit, & regnorum successiones & temporum vicissitudines, & varietates ab ipsa ęternitate disposuit, nihil nouum, nihil non pręuisum, nihil præter opinionem Deo accidere potest: ***Mortalium quidẽ cogitationes timidæ sunt, & incertæ prouidẽtiæ nostræ,*** vt inquit Sapiens 9. quoniam de rebus futuris nihil nisi fallaces coniecturas habemus: Deus autem non minus certo futura omnia nouit, quàm præterita, vel præsentia, atque in mente sua ante mundi cõstitutionem rerum omnium successiones, ordinesque disposuit, ac propterea Mater Ecclesia publicè, ac securè decantat, prouidentiam Dei in sua dispositione non falli. quia tamen ratio prouidentiæ diuinæ occultissima est, & iudicia eius abyssus multa, ***Psalm*** 35. inde fit, vt nonnulli videntes plurima mala inter homines fieri, eaque impunita dimitti: in præcipitium illud ruunt, vt credant res humanas Dei prouidentia non gubernari, aut certè mala omnia Dei voluntate committi. quorum vtrumque impium est, sed magis posterius, vt scribit S. Augustinus *Lib.* 1. *de ordin. cap.* 1. Illi autem in hæc errorũ præcipitia ruunt, qui vident partem prouidentiæ diuinæ, partem non vidẽt, & cùm expectare deberent exitum rerum, qui in extremo iudicio manifestus omnibus erit, illi ante tempus temerę iudicare audent, & in errores grauissimos incidunt. Ideò clamat Apostolus in priore ad Corinth. *cap.* 4. ***Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium.*** Illustrat S. Augustin. rem hanc insigni similitudine. Si quis, inquit, in vermiculato pauimento, vnius solius tessellæ modum intueri posset, vituperaret artificem veluti ordinationis, & cõpositionis ignarũ: quia videlicet particulam operis illius videt, maximam partem non videt. qui si partes omnes, & cõnexionem eorum cerneret, sine dubio mirificè opus, & opificem laudaret. sic igitur vidẽt multi homines impios prosperè agere, iustos cõtra premi, & affligi; nec sciunt, quid in futurum seruet Deus, vel impiorũ iniquitati, vel iustorum patientiæ, & ideò prorumpunt in verba blasphemiæ, & cum illis, qui dicebant apud Iob *cap.* 22. ***Circa cardines cœli Deus ambulat, nec nostra considerat.*** vel cum alijs, qui apud Malachiam 2. dicunt: ***Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, & tales placent ei.*** Aliam similitudinem adferre solet S. Augustinus varijs in locis, à carminibus desumptam. Si quis enim cùm incipit audire carmen heroicum, in principio, vel in medio dicat, carmen non esse bonum, meritò stultitiæ arguetur: expectet, vt oẽs syllabæ sonent, & transeant, & tunc reprehendat, si carmẽ non placet. sic omninò stultissimi sunt, qui ordinatissimam prouidentiam Dei vituperare audent, antequam totus prouidentię ordo decurrat.

Ergò, anima mea, si sapis, satage quãtum potes, vt mala non fiant. hoc enim tibi imperat Deus, sed cur ipse mala permittat, iudicio eius relinque, quod occultum esse potest, iniustum esse non potest.

Capvt V.

Qvamuis autem abyssus magna sit prouidentia Dei in rebus humanis gubernandis, tamen abyssus est sine vlla comparatione profundior ratio prædestinationis, & reprobationis æternę. nam cùm Deus multos impios temporalibus bonis repleat, & peccata eorum impunita in hac vita relinquat: & contra, cur multos innocentes egestate premi, & iniustè vexari, & flagellari, atque occidi permittat, non potest quidem à nobis inuestigari de singulis: possumus tamen in vniuersum causam aliquam probabiliter assignare. Deus enim sæpè facit impios affluere tẽporalibus bonis, vt bona aliqua eorum opera moralia remuneret, cùm vitam illis non sit daturus æternam: vel vt eos temporalibus beneficijs alliciat ad conuersionẽ à peccatis, atq; ad beneficia ęterna sperãda & desiderãda perducat: eorũ verò peccata aliquãdo in hac vita non punit, quoniam satis ea puniet in gehenna: Iustos autem, inopia, ignominia, vexationibus varijs affligi sinit, tum vt peccata eorum leuia in hoc tempore purget; tum vt gloriosius, & splendidius patientiam, & humilitatem, atque alia eorum merita in æterna vita coronet. At cur Deus Iacob dilexerit, & Esau odio habuerit, antequam quidquam boni, vel mali egissent, quis inuestigabit? atque hoc est, quod admiratur Apostolus ad Romanos, *cap.* 9. erant enim gemelli fratres, eiusdem patris, & matris filij: & tamen vnum Deus prædestinando dilexit, alterum reprobando odio habuit. & ne quis fortè dicat, præuidisse Deum opera bona vnius, & alterius mala futura: præuenit Apostolus hanc responsionem dicens, hoc factum esse, vt secundùm electionem propositum Dei maneret. & allegat verba Dei apud Mosem *Exod.* 33. ***Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor.*** Quis item non obstupescet, vnum longo tempore perseuerasse in bonis operibus, & in fine vitæ defecisse, & perijsse, vt Iudam proditorem? & alterũ longo tempore perseuerasse in operibus malis, & in fine vitæ mutatum, continuò in paradisum euolasse, vt felicem latronem? dices, at Iudas Christum prodidit, & latro Christum confessus est, *Luc.* 23. Vera sunt hæc quidem, sed non poterat Christus Iudã respicere, vt respexit Petrum? & gratiam illam efficacem Iudæ inspirare, quæ à nullo duro corde respuitur? & nunquid non poterat Christus vtrique latroni secum pendenti fidem & pœnitentiam donare, sicut donauit vni, vel vtrumque sinere in peccatis suis vitam finire, vt permisit vnum? & quis rationem reddere poterit, cur aliquos Deus rapiat, ne malitia mutet intellectum eorum, vt Sapiens loquitur de Henoc, *Sap.* 4. & multos non rapiat, sed sinat de bonis fieri malos, & in malitia illa finire dies suos? Sed quid dicemus de integris regionibus, quarum aliquæ citissimè, aliæ tardissimè vocatæ sunt ad fidem, sine qua saluari nemo potest? ***Qui enim non credit, iam iudicatus est,*** *Ioann.* 3. &, vt Apostolus loquitur, *Roman.* 10. ***Omnis quicunque inuocauerit nomen***

Domini

Domini saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quē non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?

Ista sunt secreta altissima, & profundissima quæ pater posuit in abysso sapientiæ suæ; quam Apostolus non aperit, sed miratur, cùm dicit, *Rom.* 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius? quis enim cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* Hoc solùm scire nobis licèt, apud Deum nullam esse iniquitatem; & in nouissimo die neminem futurum, qui nō possit iure dicere: Iustus es Domine, & rectū iudicium tuum, ac prçterea hoc secretum vtile nobis omnib⁹ esse, cùm hinc fiat, vt nullus improbus de salute desperet, null⁹ probus de certa salute præsumat. atq; etiam, vt viri probi de nullius improbi conuersione diffidant, pro omnibus orent, ac de omniū salute solliciti sint: & contra nemo quantūuis bonus & sanctus insolescat, cùm nemo sciat, quid crastina sit allatura dies; sed oēs cum metu & tremore salutem suam operētur, *Phil* 2. Tu verò, anima mea, his omnibus consideratis, satage, vt certā facias per bona opera vocatiorem, & electionem tuam, vt Apostolus Petrus te monet in epist. sua posteriore, *c.* 1. quæ autē sint opera bona; quæ certam faciunt vocationem, & electionem docet Apostolus Ioannes, cùm ait, 1. *ep. ca.* 3. *Filioli mei, non diligamus verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate.* Charitas enim est, cum qua nemo dānatur, & sine qua nemo saluatur: charitas autem per opera demonstratur, cùm quis videlicet, non spe retributionis temporalis, vel ex affectu inordinato ad creaturam, sed ex intimo, & puro amore Dei, & proximi, vel eleemosynas pauperibus elargitur, vel inimicis cōdonat iniurias. & quoniam non satis est incipere, sed: *Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit, Matth.* 10. Ideò dicit Apostolus, satagite, quod est anxiè, & sollicitè, ac diligentissimè incumbere in negotium salutis æternæ. & verè, si quod est probabile argumentum electionis diuinæ, illud est, cùm homo sollicitus de salute, mag's quàm de vlla re alia non cessat orare Deum pro dono verç pœnitentiæ, & veræ humilitatis, & perfectæ charitatis, & perseuerantiæ vsque in finem, neque sola oratione contentus Regnum Dei, & iustitiam eius, vt Saluator admonuit, totis viribus quærere, & inuenire contendit.

GRADVS XIV.

Ex consideratione misericordiæ Dei.

CAPVT I.



SPiritus sanctus in scripturis suis misericordiam Dei miris laudibus effert; ita vt illam super omnia opera Dei prçdicare non dubitet. Sic enim canit Propheta Dauid, *Ps.* 144. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Huius attributi diuini magnitudinem facilè perspiciemus, si eius latitudinem, lōgitudinem, altitudinem, & profundum paulò attentius considerabimus. Latitudo misericordię diuinę in eo posita est, quòd

A Deus, isq; solus omnes miserias tollere possit, & ab omnibus rebus aliquas tollat, idque faciat ex amore, quo res creatas diligit, non ob aliquā vtilitatem suam. possunt quidem res creatę aliquam miseriam tollere, vt panis famem, & potus sitim, & vestis nuditatē, & scientię ignorantiam, & sic de cæteris. at nulla creatura omnem miseriam tollere potest; præterea sunt miseriæ quædam tantò grauiores, quantò occultiores, & interiores, quibus solus Deus remedium adhibere potest. tales sunt insidiæ dæmonum, qui plurimi, versutissimi, potētissimi, & in nos pessimè animati sunt. tales etiā sunt errores, & cęcitates mentis, & conscientiæ erroneæ, quas nos ipsi in nobis non videmus, vt sæpè nobis videamur optimè valere in homine interiore, cùm grauissimè, & periculosissimè laboremus. quis

B nos ab eiusmodi miserijs eripere potest, nisi solus medicus omnipotens? & quoniam nobis inscientibus sæpè Deus misericorditer nos ab eiusmodi miserijs liberat, omnes homines ingrati meritò dici possunt erga Deū, vt ipse Dominus testatur cùm dicit, Patrem cœlestem. *Benignum esse super ingratos, & malos. Luc.* 6. Vix enim minimam partem beneficiorum Dei cognoscimus, ac ne pro illa quidem parte gratias agimus ea deuotione, & humilitate, qua deberemus. Deinde res creatę non solùm non tollūt oēs miserias, sed paucas; at ne illas quidem tollūt ab omnibus, sed à paucis. solus Deus omnes miserias, & ab omnibus tollere potest, & quamuis non ab omnibus omnes tollat, tamen nemo est, qui alicuius misericordię Dei non sit parti-

C ceps, rectè igitur Propheta canit, *Psalm.* 32. *Misericordia Domini plena est terra.* Ecclesia in oratione dicit, Deus cui proprium est misereri, quoniam ad illum pertinet miseriam tollere, qui miseria caret, & ad illum solum pertinet omnes miserias ab omnibus rebus tollere, qui solus omni prorsus miseria caret. quis autem omni prorsus miseria caret, nisi solus Deus, qui est actus purus, & summum bonum, & de cuius essentia est beatitudo? ô anima, si cogitatione attingeres, qualis sit vita Domini tui, & Patris tui, quæ super omnem miseriam eleuata; pura, & tota felicitas est: quàm ex corde suspirares ad sinum eius, vt de te quoque dici posset, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Psalm.* 90. At inquies, si potest Deus omnes miserias, ab omnibus rebus tollere, cur id non facit, cùm sit Pater misericor-

D diarum, 2. *Corinth.* 1. id est, Pater misericordissimus? vnde tot miseriæ abundant in genere humano sub gubernatione Patris misericordiarum? & cur dicitur, misericordia Domini plena est terra, & non potius è contrariò, omni miseria plena est terra: potest quidem Deus omnes miserias tollere, sed eas tantum tollit, quas sapientia ipsius iudicat esse tollendas. sapientia verò diuina iudicat, non expedire ipsis hominibus, vt omnes tollantur, & misericordiam aliquando esse, miseriam aliquam non tollere, vt maiori misericordiæ præparetur locus. Apostolus ter rogauit Dominum, vt auferretur ab eo stimulus carnis: & nō est auditus, quia virtus in infirmitate perficitur. 2. *Cor.* 12. nō abstulit De⁹ à Lazaro miseriā paupertatis, & plagarū, vt maiori misericordia

porta-

portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ *Luc.* 16. & vbi essent opera misericordiæ tam necessaria ad meritũ diuitum, si non essent vlli pauperes esurientes, sitientes, nudi, ægroti, peregrini, carceribus mancipati? & si deessent tentationes & prœlia cũ dæmonibus, vbi essent triũphi, & coronæ virginum, & Confessorum? & si deessent labores, & dolores? vbi esset corona patiẽtiæ? & si nulli essent persecutores, vbi esset palma Martyrij? Itaq; in hoc exilio vtrumque verum est, & terram plenam esse miserijs, quia vel ipsa sola peccata ingentes miseriæ sunt, & terrã plenã esse misericordia Domini, quoniã conuersio peccatorum, & merita sanctorum, & alia propemodum infinita tum spiritualia, tum temporalia beneficia Dei, quid sunt aliud, nisi continuæ, & maximæ miserationes conditoris nostri Dei? gratias igit᷑ agamus bono Domino nostro, quia sicut abundãt in hac peregrinatione tribulationes nostræ, sic etiam abundat per misericordiam eius cõsolatio nostra 2. *Cor.* 1. *In cælo misericordia tua Domine*, inquit Dauid *Ps.* 35. quia ibi misericordia erit sine miseria, quoniã misericordia omnem omnino tollet miseriã.

Capvt II.

Iam verò longitudo misericordię est longanimitas, siue patientia, quam Scriptura cum misericordia coniungere solet, vt partem, vel speciẽ eius. sic enim loquitur Dauid, *Ps.* 102. *Miserator, & misericors Dominus, longanimus, & multũ misericors.* & rursus: *Ps.* 144 *miserator, & misericors Dominus, patiens, & multũ misericors:* Admirabilis omnino est longanimitas, siue patientia misericordissimi Patris nostri Dei erga genus humanum, qualem non inueniemus, neque in Dominis erga seruos, neque in parẽtibus erga filios, quamuis vtriq; sint homines. Ac primũ longanimis est Deus erga peccatores, expectans illos incredibili patientia, aliquando ab initio pueritiæ vsque ad extremam senectutem tolerans violationem legis suæ, & lacerationem nominis sui, & interim *benefaciens eis de cælo, dans pluuias, & tempora fructifera, replens cibo, & lætitia corda ipsorum*, vt loquitur Apostolus, *Act.* 17. & quis est inter homines Dominus, aut parens tam mitis, & facilis, qui si videat se contemni & iniurijs affici à seruo, vel à filio, & longo tempore in hac peruersitate eos perseuerare, qui tandem non eos expellat ex domo sua? At misericordia Dei non vincitur à malitia hominum: *Sed patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnẽs ad pœnitentiam reuerti*, vt S. Petrus affirmat in epistola sua 2. *c.* 3. & Sapiens inquit *c.* 11. *Misereris omnium Domine, dissimulans peccata propter pœnitentiam*. Deinde patientia adhuc cernitur, in eo quòd peccatores multi per gratiam Dei de lacu miseriæ, & luto fæcis educti, & ex filijs tenebrarum filij lucis effecti, & ex reatu mortis æternæ ad adoptionem filiorum Dei, & spem regni cœlestis vocati, iterum atque iterum, & sæpè ac sæpius relabentes ad pristinam turpitudinem, & ingratudinem, tamen à longanimitate Dei non deseruntur, sed benignissimè ad conuersionem expectantur, & inuitantur, & si ex corde pœnitentiam agant, tanquam filij prodigi *Luc.* 15. à misericordissimo Patre recipiuntur ad osculum

A pacis, & ad pristinos honores, & dignitates. Nõ sine causa Dñs quærenti S. Petro, quoties peccãti in se fratri remittere iniuriam deberet, an vsque septies? respondit *Matth.* 18. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* nimirum, quod ipse facit in indulgentia præstanda pœnitentibus, idem nos facere voluit. Ipse autem nullum terminum reconciliationi posuit, nisi finem huius vitæ. quamdiu viuit peccator, etiamsi ad annum centesimum, vel vltra labendo, & relabendo peruenerit, à benignissimo Patre ad veniam delictorum admittitur. nulla est apud misericordiam Patris pœnitentia sera, modò sit seria, & ex corde verè contrito, & humiliato. Sed non ideò debet vllus abuti benignitate Dei, & de die in diem conuersionem differre, cùm nemo sciat qua hora, vel quo die

B de corpore sit exiturus, & ad tribunal iustissimi iudicis compariturus. Imò verò deberent omnes hac tanta, & tam incredibili bonitate Dei inuitari, & allici ad conuersionem: si enim tam benignus est Dominus erga peccatores sæpius relabentes: quanta erit dulcedo Patris erga eos, qui post semel gustatam gratiam Dei, nunquam amplius adduci possunt, vt ab ea, quibuscunque pulsantibus tentationibus, separentur, ac diuellantur? sed est etiam alia longanimitas Dei supra modum mirabilis, & amabilis, qua vtitur in tolerandis offensionibus iustorum. fecit enim nos Deus per infinitam benignitatem suam amicos ex inimicis, filios ex seruis, hæredes regni sui ex reis mortis æternæ: & tamen tanta est ingratitudo nostra, vt quotidiè reddamus ei mala pro bo-

C nis. nam si Apostolus Iacobus dicit, *ca.* 3. *In multis offendimus omnes*, quid nos dicere oportet, qui tam longo interuallo ab Apostolorum perfectione distamus? Ecce loquimur in oratione cũ Deo, & statim ab imaginatione ad alia cogitanda abrepti, quasi terga vertimus Deo, quis in terris Dominus pateretur seruos suos coram se astantes, & secum loquentes, continuò neglecto Domino conuerti ad fabulandum cum seruis? quid dicam de verbis otiosis? de cogitationibus vanis? de operibus infructuosis? de excessibus in cibo, & potu, in somno, & ludis? de negligentia in rebus sacris? de omissione fraternæ correptionis? de alijs innumerabilib. offensionibus, in quibus assiduè offendimus omnes? Et tamen Deus noster *suauis, & mitis, & multæ misericordiæ, omnibus inuocantibus eum, Psal.* 85. tolerat

D hanc rusticitatem, & inciuilitatem (vt sic loquar) & ineptias filiorum suorum; quas certẽ homines ab hominibus non tolerarent. Id S. Augustinus notat in tractatu super Psal. 85. ad illa verba: *Tu Domine suauis & mitis es*; vbi deplorat infirmitatem humanam in vitandis euagationibus mentis in oratione, & magnificat mansuetudinem Dei in tolerandis tot iniurijs seruorum suorum. Nam ipse nouit figmentum nostrum. *Ps.* 102. & sic nobiscum agit, vt mater cum infantulo suo, quem fouet, & nutrit, et si ab illo fortè percutiatur. Sed quanquam Deus toleret tam multas offensiones nostras, quia non ideò disrumpit amicitiam, nec priuat iure hæreditatis: tamen non inultas dimittet in Iudicio, in quo de verbis otiosis rationem reddemus, nisi ante lachrymis, vel oratione,

vel

vel alio genere satisfactionis purgata repererit. Ac ne fortè tu, anima mea, leues istas offensiones existimes, & ideò te ipsa seducens, negligas, audi S. Bonauenturam, quid de B. Francisco vero vtiq; diuino lumine illustrato, scribat in eius vita cap. 10. grauiter, inquit, se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phātasmatibus interius vacaretur. cùm aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quia illud protinus expiaret. hoc studiū sic in vsum conuerterat, vt rarissimè muscas huiusmodi pateretur. Fecerat in Quadragesima quadam vasculum, vt minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. quod cum dicenti Tertiam in memoriam veniens paululùm ipsius animum distraxisset, motus feruore spiritus, vasculum igne consumpsit, dicens: sacrificabo illud Domino, cuius sacrificium impediuit. Non ergò tam leuis est culpa, euagatio mentis in oratione, aut in laudibus Dei, quam multi putāt: sed magna est misericordia, & longanimitas Patris nostri Dei, quod non grauius irascatur, aut non continuò propter eas nos puniat.

Capvt III.

Sequitur altitudo misericordiæ Dei, quæ sumitur à causa mouente Deum ad miserēdum. quæ quidem altissima est, & super omnes cœlos exaltata, iuxta illud Psalmi, *Psal.* 35. *Domine in cælo misericordia tua.* & *Psal.* 88. *In æternum misericordia ædificabitur in cælis.* Nam aliqui homines miserentur aliorum hominum, quia indigent opera illorum. atque hic quidem infimus gradus misericordiæ est, cùm non transcēdat vtilitatem propriam; quomodo miseremur etiam equorum, & canum, & pecorum nostrorum. Alij miserentur ob consanguinitatem, vel amicitiam, quia videlicet filij sunt, vel fratres, vel familiares, & amici: & hic est gradus paulò altior, & incipit rationem habere virtutis. Alij denique miserentur, quia sunt proximi, id est, homines, vt ipsi sunt, ab eodem Deo, & ex eadē terra creati. proinde non discernunt, an sint amici, vel inimici, boni, vel mali, nostri, an alieni, sed omnium miserētur, quos ad imaginē Dei creatos esse nouerūt: atq; hic est vltimus grad⁹ ad quem mortales ascendere possunt. Deus aūt miseretur quidem rerum omnium, quia creaturæ eius sunt: & specialiter miseretur hominū: quia imagines eius sunt, & magis adhuc specialiter miseretur iustorum, quia filij eius sunt, hęredes Regni, & cohæredes vnigeniti sui. Sed si quęras, cur Deus creauit mundum? cur hominē ad imaginem suā fecit? cur iustificauit impios: cur in filios adoptauit: cur regni sui hęredes cōstituit? nihil omninò respōderi potest, nisi quia voluit: & quare voluit? nisi quia bonus est. bonitas enim diffundit sese, libenterque communicat. In cœlo igitur ædificata est misericordia, *Ps.* 88. & de altissimo habitaculo, ex corde videlicet summi Patris descendit in terram, eamq; repleuit, vt caneretur à Propheta *Psal.* 32. *Misericordia Domini plena est terra*. Itaque in se inuenit Deus, vnde misereatur nostri, in nobis inuenit, vnde nos puniāt. Erige nūc, anima mea, oculos mentis, ad fontem illum altissimum misericordiæ. respice summam illā puritatem, nulla proprij commodi intententione permixtam. Et cū

A audis Magistrum omniū exhortantē, ac dicentē: *Luc.* 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*: enitere quātum potes, vt non solum miserearis conseruorum tuorum, sed illo puro affectu miserearis, quo Pater cœlestis misc retur nostri. Si dimittis iniuriam detrahēti, vel calumnianti, dimitte ex vero corde, obliuioni perpetuæ mandans omnem offensam. nam & Pater noster obliuiscitur peccata nostra, vt scribit Ezechiel Propheta, *c.* 18. & *quantum distat ortus ab occidente lōgè facit à nobis iniquitates nostras*, vt loquitur Dauid *Psal.* 102. ne videlicet nobis amplius nocere queant. si dones eleemosynam pauperi, intellige te magis accipere, quàm dare, quoniam qui miseretur pauperis, fœneratur Domino, *Prou.* 19. & ideo humiliter, & reuerenter dona, non tanquam eleemosynam pauperi,
B sed quasi munusculum Principi. si quid incommodi pateris, vt proximo egenti prosis: cogita quantum distes à Domino tuo, qui vt tibi prodesset, vitam, & sanguinem dedit. Ita fiet, vt sine spe mercedis terrenę, & sine vllo inanis gloriæ stimulo, sed ex solo & puro amore Dei, & proximi, in misericordiæ virtute proficias.

Capvt IV.

Restat profunditas considerāda misericordiæ Dei, ac quemadmodum altitudo misericordiæ in causa maximè splendet, sic profunditas eiusdem in effectis quærenda esse videtur. Illa igitur misericordia parū omninò profunda, & superficialis potius dicēda est, quę ad sola verba descendit; Illa profundior, quę nō
C verbis tantum consolatorijs, sed etiam beneficijs miseros subleuat, & reficit. Illa profundissima, quæ non solùm loquendo, & donādo, sed etiam patiendo, & labores, ac dolores subeundo miserabiles iuuat. Iam Deus noster, cuius misericordiæ non est numerus, omnibus modis misertus est nobis. Ac primùm literas consolatorias ad nos misit, quæ sunt Scripturæ diuinæ, de quibus dicunt Machabæi: 1. *Machab.* 12. *Habemus solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris*. Nec solis literis, sed etiam sermonibus Prædicatorum, qui funguntur legatione pro Christo ad nostram peregrinationem, & inspirationibus internis ad nos loquitur Deus, auxilium, protectionemque promittens. *Audiam*, inquit Dauid, *Psal* 84. *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & in Sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.*
D Deinde beneficia misericordiæ Dei contra multiplices miserias nostras, tum spirituales, tum temporales, tam multa sunt, vt numerari non possint, vbique enim *coronat nos in misericordia, & miserationibus*, *Psal.* 102. Id est, vndique circūdat nos beneficijs misericordiæ suæ: Tertiò descendit misericordia Dei per mysterium incarnationis ad labores, & dolores, ad famem, & sitim, ad ignominiam, & opprobria, ad liuores, & vulnera, ad crucem, & mortē, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & à sempiterna morte, quæ iniquitati debebatur. Estne abyssus aliqua profundior, ad quā descendere potuerit misericordia Dei? est omninò. Id enim fecit, nō ex debito, sed ex gratia. *Oblatus enim est, quia ipse voluit*, *Isaiæ* 53. Quis enim coegit Filium Dei, qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem

Patri


A Patri *Phil. 2.* exinanire semetipsum, formam serui accipiendo? propter nos egenum fieri, *2. Cor.* 8. vt nos sua inopia locupletaret? humiliari vsque ad mortem, mortem autem crucis, *Phil.* 2. vt nos viuificaret, & exaltaret? certè solus amor coegit, sola misericordia impulit. Sed est adhuc aliquid profundius. nam voluit in opere nostræ salutis nobiscum communicare gloriã, & honorem. Satis apta videbatur diuisio illa angelica *Luc. 2. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax*: honor Deo, vtilitas hominibus, sed misericordia Dei voluit totam vtilitatem esse nostram, & partem gloriæ esse suam, partem nostram. voluit enim nobis conferre gratiam, per quam ipsi cooperaremur nostræ saluti, & verè mereremur vitam æternam, quam nobis Christus meruit. non quòd non sufficeret meritum Christi, sed vt communicaret nobis laudem, &
B gloriam propriæ salutis. vnde dicitur in Euangelio *Matth. 25. Redde illis mercedem.* & Apostolus gloriatur dicens, *1. Tim 4. Reposita est mihi corona iustitiæ.* Denique profundissima est misericordia Dei erga homines, præsertim pios, & timẽtes Deum, quia superat affectum patris, & matris, quo maiorem nos in terris nullum nouimus. Audi Prophetam Isai. *c.* 49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Audi Dauidem *Ps.* 102. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Ac ne diceres: inueniri etiam parentes, quorum amor in filios aliquando mutatur in odium: addit Dauid de misericordia Dei in filios: *Ab æterno, & vsq; in æternum misericordia eius*
C *super timentes se.* cuius etiam durationis nos securos reddit Apostolus cùm in posteriore ad Corinthios *cap.* 1. vocat Deum, Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis. Itaque non solum Pater est Deus timentium se, sed Pater misericordissimus, & ad consolandũ paratissimus. tollit enim miserias afflictionũ, & tribulationum à filijs suis; quas iudicat ipsis expedire, vt tollantur, & in hac re Patrem misericordiarum se ostendit: & ad facilè tolerandas miserias, quas iudicat ipsis expedire, vt non tollantur, præbet ineffabilem consolationem, in qua re Deum se totius consolationis esse demonstrat. Dicit autem Apostolus, totius consolationis, propter duas causas. primùm, quoniam Deus nouit suos consolari in omni genere tribulationis, quod certè mun-
D dus facere non potest, quia sæpè non intelligit causam tribulationum: Quomodo amici Iob erant onerosi consolatores, vt ipse dicit, *Iob* 16. quia non nouerant causam morbi, & applicabant medicinam, vbi non oportebat: vel tam grauis est interdum tribulatio, vt nulla consolatio humana illam æquare possit. Deus autem, medicus sapientissimus, & omnipotentissimus, omnem omninò morbum curare potest, & ideò dicit Apostolus, *2. Cor.* 1. *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Deinde dicitur Deus totius consolationis, quoniam tam plenè, & tam affluenter consolari nouit, vt magis libeat pati tribulationem cum tali consolatione coniunctam, quàm simul vtroque carere, quod reipsa accidit Theodoro adolescenti, & confessori in persecutione Iuliani Apostatæ, qui per integras decem horas tanta crudelitate, & tot mutatis carnificibus tortus est, vt nulla ætas simile factum meminerit: & ipse tamen toto illo tempore lætus cecinit Psalmos Dauid; & tunc primùm mœstus fieri cœpit, cùm deponi iussus est, ob maximam consolationem, quam dum torqueretur, ex Angeli præsentia percipiebat, vt scribit Ruffinus *Lib.* 10. *hist. cap.* 36. Quare non mirum est, si Apostolus dicat, *2. Cor. 7. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* & initio epistolæ *2. Cor. 5. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt.* Quid tibi videtur, anima mea, de ista tam ampla, tam diuturna, tam pura, & tam immensa misericordia Domini, qui bonorum nostrorum non eget, & tamen ex affluentia charitatis suæ tam est sollicitus de seruulis suis, ac si ab illis penderet omne bonum suum? Quas igitur illi gratias ages? quid vnquam præstare poteris, vt tantæ misericordiæ non sis ingrata? stude saltem quantum potes, vt illi placeas, & quod illi placet, adimpleas. Et quoniã scriptum est, *Luc. 6. Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* &, *Eccl. 30. Miserere animæ tuæ placens Deo*; incipe sollicitè primùm inuestigare miserias animæ tuæ: nam corporis quidem miseriæ patent, neque opus est admonere hominem, vt corporis sui misereatur. si enim vel vnum diẽ corpus cibo & potu careat, vel vnam noctem insomnem ducat, aut ex casu, vel vulnere doleat, continuò lamentatur, & rugit, & magna sollicitudine illi succurritur. Anima verò integras hebdomadas à cibo suo ieiunat, vel plagis impositis languet, aut etiam mortua iacet, & nemo illius curam gerit, nemo miseretur. Ergo sæpè, ac sæpius visita animam tuam: examina singulas potentias, an rectè valeant, an proficiant in cognitione, & amore veri boni: an contra, laborent ignorantia, & langueant cupiditatibus varijs, vel etiam excæcata sit malitia mens, & corrupta voluntas inuidentiæ, aut superbiæ morbo. & si quid tale inueneris, clama ad Dominum, *Miserere mei, quoniam infirmus sum.* Quære medicos spirituales, & adhibe remedia opportuna. Deinde miserere animarum cæterarum, quarum infinitus numerus perit; & pro ijs tamen Christus mortuus est. O anima, si verè cognosceres pretium animarum, sanguinem videlicet pretiosum Filij Dei, & simul stragem maximam, quam patiuntur à lupis infernalibus, & quasi leonibus rugientibus dæmonij: certè non posses, non toto animo earum misereri: & tum oratione ad Deum, tum alijs quibuscunque modis posses, pro earum liberatione laborare, Denique miserere etiam corporalibus necessitatibus proximorum non verbo, & lingua, sed opere, & veritate, *1. Ioan.* 3. memor verbi Domini, *Matth* 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

GRA-

GRADVS XV.

Ex consideratione magnitudinis iustitiæ Dei, per similitudinem magnitudinis corporalis.

CAPVT I.



IVstitia Dei in Scripturis sanctis quatuor modis accipitur, primùm pro iustitia vniuersali, quæ continet omnes virtutes, & idem est quod sanctitas, siue probitas. sic in Psalmo 144. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & Sanctus in omnibus operibus suis.* Deinde accipitur pro veritate, siue fidelitate, sic in Psalmo 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis.* Tertiò pro iustitia distributiua præmiorum, sic in posteriore ad Timotheum, *cap. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Denique pro iustitia vlciscente peccata. Sic in Psal. 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum. pars calicis eorum, quoniam iustus Dominus, & iustitiam dilexit.* Magnitudo igitur iustitiæ diuinæ nobis vtcumque innotescet, si consideremus latitudinem iustitiæ eius vniuersalis: longitudinem iustitiæ, id est, veritatis, & fidelitatis ipsius: altitudinem iustitiæ eius præmia distribuentis in cœlo, & profunditatem iustitiæ eiusdem flagellantis æternis supplicijs impios in inferno. Ac vt à latitudine incipiamus, Iustitia vniuersalis dicitur illa in hominibus, quæ disponit hominem, vt bene se habeat in omnibus actionibus, iuxta omnes leges: ac per hoc omnes virtutes comprehendit, tum Theologicas, tum morales. sed est quædam virtus, quæ virtutes omnes in suo complectitur, & omnium virtutum actus imperat, & dirigit ad vltimum finem, quæ dicitur charitas. Quæ virtus, quamuis in se particularis, & vna ex Theologicis sit, tamen rectè etiam iustitia vniuersalis dici potest. Ipsa enim disponit hominem, vt benè se habeat erga Deum, & proximum, ac per hoc omnem legem adimplet. Sic loquitur Apostolus, *Rom. 12. Dilectio malum non operatur.* &, *Qui diligit, legem impleuit.* &, *Plenitudo legis est dilectio.* Et sanctus Augustinus in libro de natura & gratia *cap. 70.* inquit: Charitas inchoata, iustitia inchoata, charitas prouecta, prouecta iustitia: charitas magna, magna iustitia: charitas perfecta, perfecta iustitia est. Porrò in Deo sunt omnes virtutes, quæ imperfectionem nullam præsupponunt: & loco earum, quæ præsupponunt imperfectionem, est aliquid longè melius, & præstantius: ac per hoc nulla bonitas illi deest; quin potius tanta, & tam infinita est in eo bonitas, & sanctitas, vt optimo iure, solus bonus, & solus sanctus dici mereatur. Igitur non est in Deo fides, virtus Theologica, quia fides est earum rerum, quæ non videntur *Hebr. 11.* Deus autem omnia videt, nec est in Deo spes, quia spes est expectatio futurorum: Deus autem nihil expectat, cùm omnia ab æternitate possideat: non est in Deo pœnitentia peccati, quia Deus peccare

A non potest: non est humilitas, quoniam humilitas retinet hominem, ne ascendat inaniter super se, sed in loco suo maneat: Deus autem nihil habet supra se, quo ascendere quærat, cùm sit altissimus. Est autem in Deo regina virtutũ omnium charitas amplissima, ac planè infinita, & immensa: diligit enim se dilectione infinita. quia solus ipse perfectè nouit infinitũ bonum, quod essentia sua est: diligit item res omnes, quas fecit. Sic enim loquitur Sapiens 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* nouit enim Deus per sapientiam suam separare malum à bono, id est, defectum à natura, etiam in dæmonibus, & hominibus deterrimis: & naturam diligit, quam fecit; defectum, quem non fecit, odio habet. Denique adeò vera est in Deo charitas, vt ipse Deus charitas dici voluerit, sicut

B loquitur sanctus Ioannes cùm ait *1. epist. cap. 4. Deus charitas est,* nostra autem dilectio cum diuina comparata, angustissima est. plurima enim sunt, quæ non diligimus, quoniam ea non nouimus, multa quoque eorum quæ nouimus, non diligimus, quia non facilè discernimus in eis bonum à malo: multa quoque bona non benè diligimus, ac per hoc non vera charitate diligimus, quia mali sumus, & magis cupiditati, quàm charitati seruimus: Deum verò imperfecta charitate diligimus, non solùm quia non tantùm diligimus, quantum bonitas eius meretur, ad quam mensuram ne Angeli quidem pertingunt: sed etiam quoniam minus diligimus, quàm debemus, & minus etiam quàm possemus, si vigilantiùs, & diligentiùs orationi, & meditationi operam daremus. Hanc regi-

C nam virtutum comitantur in Domino virtutum Magnificẽtia singularis, liberalitas effusissima, benignitas, & humanitas incredibilis, patientia, & longanimitas inaudita, pietas & suauitas plusquam paterna, veritas, & fidelitas nunquam deficiens, misericordia cœlum & terram implens, iustitia rectissima, & inflexibilis, denique sanctitas purissima, & lucidissima, vt in co[illegible]ctu eius stellæ non sint mundæ, *Iob 25.* & seraphim stupore attoniti clament, *Isaiæ 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* O si ista cogitares attentè, anima mea, cum quanto timore, & tremore assisteres Deo in laudibus, & oratione? ac potissimum ad sanctum altare, qua reuerentia, & humilitate in conspectu Angelorum offerres æterno Patri Filium eius vnigenitum pro salute viuorum,

D & mortuorum?

CAPVT II.

SED pergamus ad reliqua. Longitudo iustitiæ Dei in veritate, & fidelitate se prodit: *Fidelis Deus in omnibus verbis suis,* inquit Propheta, *Psal. 144.* id est, promissiones Domini, etiam ante multa sæcula pronunciatæ per ora Prophetarum, nunquam erunt, vel fuerunt irritæ: stabiles, & firmæ sunt, magis quàm cœlũ, & terra: sic. n. ait Dominus, *Luc. 18. Facilius est cœlum, & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* intelligit autem Dominus per legem non solum mandatorum, sed etiam promissorum omnium veritatem, quæ enim mandauit Dominus, omninò implenda sunt, aut

pœna subeunda; & quæ promisit, æterna firmitate stabilita sunt. vnde etiam idem Dominus dicit, *Matth.* 24. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* & Isaias *cap.* 40. *Verbum Domini nostri manet in æternum.* & Dauid, *Psalm.* 110. *Fidelia omnia mandata eius, confirmata in sæculum sæculi.* & Apostolus, *Rom.* 16. *Est autem Deus verax. omnis autem homo mendax.* & *Hebr.* 6. *Impossibile est mentiri Deum.* cuius dicti ea ratio est, quia nec falli potest; cū sit sapientia, nec fallere, cùm sit bonitas, nec deficere, cùm sit omnipotentia. Homines autem quamuis sapientes, quamuis boni, quamuis potentes, & falli, & fallere possunt, quia nec omnia norunt, nec omnia possunt implere, quæ volunt, & possunt etiam qui boni sunt quando promittunt, paulò post fieri mali, & non velle implere promissa. Quare si sapis anima mea, in solo Deo confides, illi soli adhærebis, & in eum solum iactabis omnem sollicitudinem tuam. Sollicitè ambules tu cum Domino Deo tuo, & ille sollicitus erit tui; caue totis viribus, ne iustitiam illius offendas, & misericordia eius proteget te semper; nec timebis, quid faciat tibi homo, vel diabolus.

Capvt III.

Iam verò altitudo iustitiæ Dei cernitur in retributione cœlestis præmij, quod ipse Deus, vt supremus & iustissimus Iudex præparauit ijs, qui piè iusteq; vixerunt. Ac primū quanta sit huius iustitiæ magnitudo, cognoscemus, si conferamus Iudicē Deum cum hominibus item iudicibus, deindè si cōferamus præmiū cū præmio, i. præmiū, quod dabit Deus, cū eo, quod homines dare solent. Iudices homines, siue etiam Principes, aut Prælati, qui subditos, vel famulos habent, multis de causis, vt plurimum, non reddunt iustum præmium ijs, quibus debent. Nam vel non possunt, cùm non habeant tantam rerum [illegible]am, vt ad remuneranda merita omnium sufficiant: vel non cognoscunt omnia merita subditorum, aut certè non cognoscunt iustum pretium meritorum, cùm ab animi sinceritate; & deuotione dependeant: vel ex improbitate sua, & auaritia, aut alia peruersa affectione nolunt iustis subditorum laboribus iustam mercedem reddere: vel denique, aut ipsi præueniuntur morte antequam debita præmia reddant, vel ij, quibus debentur præmia, ante de hac vita decedunt, quàm laborum suorum mercedem gustare incipiant. Deus autem omnibus iustis pro bonis operibus omnibus, præmia non solum iusta, sed etiam supra meritum reddit. quid enim vilius, & obscurius meritum fingi potest, quàm sitienti præbere calicem aquæ frigidæ? & tamen pro hoc etiam opere promisit Dominus præmium, *Matth.* 10. & de larga retributione à Domino promissa scribit Lucas, *cap* 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Neque periculum est, vt Deo desit copia rerum, quibus omnibus iustis præmia reddi possint, cùm sit ipse Dominus omnium rerum, & possit solo verbo omnia

A multiplicare, & augere in immensum. Neque timendum est, ne fortè fallatur in numero, vel in pretio meritorum inuestigando. cùm sit sapientissimus, & omnia pateant oculis eius *Hebr.* 4. & ipse scrutetur renes, & corda bene operantium seruorum suorum. vt intelligat, qua mente, qua intentione, quo feruore, qua diligentia omnia fecerint. Neque suspicari vllus poterit, inesse Deo malam voluntatem fraudandi seruulos suos, & filios iusta mercede, cùm sit ipse fidelis in omnibus verbis suis: denique, neque ipse mori potest, cùm sit præ omnibus immortalis: & omnia illi viuant, vt periculum nullum sit, ne morte præueniente debita præmia vlla ratione impediantur. Maneat igitur fixum, & ratum, à Deo iusto iudice bona opera omnia, iustorum hominum omnium digna mercede re-

B muherari. ac per hoc tutissimum esse cum Deo negotiari in ratione labor s, & mercedis: & periculosum, ac stultum esse, fiduciam in hominib. ponere; atq; ab eis iusta præmia pro laboribus expectare (cōferamus nunc prēmia cū præmijs, diuina cū humanis, cœlestia cū terrenis. quid quæso reddere possunt homines ijs, qui totos dies pro eis laborant, vel totas noctes insomnes ducunt, vel vitam ipsam in prælijs ponunt? O cæcitas humana! quid reddere possunt, nisi res exiguas, viles, & abiectas, & breuissimo tempore duraturas? Deus autem reddit res magnas, sublimes, æternas: & tamen illæ quæruntur, istæ spernuntur. Sanctus Ioannes Chrysostomus, homilia 24. in Matthæum,

C comparat palatia, vrbes, & Regna huius Mundi, quæ homines admirantur, cùm illis luteis fabricis, quæ pueruli ex creta fingunt; quæ quidem casulæ & ædificiola magno labore à puerulis fiunt, sed à maioribus planè ridentur: & sæpè etiam cum pater, aut magister videt puerulos omisso literarum studio, in nugis illis occupari, pede omnia destruit, & quæ magno studio, & tempore facta erant, multò facilius momento subuertit. sic omninò magna palatia, turres, arces, oppida, Regna mortalium, casulæ sunt luteæ, si comparentur ad cœlestia, & sempiterna bona, & ab ipsis beatis Angelis de cœlo spectantibus ridentur, & sæpè à Patre cœlesti nullo negotio subuertuntur, vt intelligamus, quàm sint omnia planè inania. Quod quamuis nunc pauci aduertunt, tamen omnes in die iudicij, quando intelligere parum pro-

D derit, intelligent. Sanctus Hilarius in commentario ad cap. 10. Matth. Dies, inquit, iudicij, nulla, atque inania hæc omnia fuisse reuelabit. sed explicemus paulò accuratiùs qualia sint præmia cœlestia, quæ pro terrenis istis præmiolis, nunc à plurimis contemnuntur. Primum erunt in cœlesti regno bona plurima, vel potius omnia, quæ appeti possunt: erunt enim omnes; qui in eo regno degent, beati. est autem beatitudo cumulus omnium bonorum aggregatione perfectus. Itaque ibi erunt bona animi, sapientia, & virtutes: bona corporis, pulchritudo, sanitas, robur, bona externa, diuitiæ, voluptas, gloria. Deinde erunt hæc omnia, summa, perfecta, eminentissima. Deus enim, qui ostendit potentiam suam in creatione mundi ex nihilo, & sapientiam in gubernatione, &

pro-

prouidentia: & charitatem, ac bonitatem in redemptione generis humani per mysterium incarnationis, & paßionis Filij sui: demonstrabit tunc magnificentiam gloriæ suæ, & munificentiam liberalitatis suę in distributione præmiorum, palmarum, & coronarum ijs, qui de hoste diabolo triumphabunt. Et sapientia quidem erit non speculatio diuinitatis in rebus creatis, sed ipsa visio aperta essentiæ Dei, causæ causarum omnium, & ipsius primæ, ac summæ veritatis, ex qua fulgentißima visione fulgebunt animæ sanctorum luce tam splendida, vt sanctus Ioannes de futura illa gloria dicat, 1. *epist. cap.* 3. *Similes ei erimus quia videbimus eum, sicuti est.* Ex hac summa sapientia procedet charitas regina virtutum, tam ardens, vt summo bono semper inhærens, nec velit, nec poßit ab eo separari. sic tota anima, & omnes eius potentiæ in optimo statu constitutæ permanebunt: corpus lucebit instar Solis, vt Dominus ipse testatur, cùm ait, *Matth.* 13. *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum*: atque hæc erit eius pulchritudo: sanitas erit immortalitas: robur impaßibilitas. denique corpus, quod nunc animale est, tunc erit spirituale, 1. *Corinth.* 15. id est, spiritui ad nutum obediens, vt ventos agilitate superet, & muros subtilitate penetret. porrò diuitiæ erunt tum nulla re indigere, tum cum Deo, & in Deo omnia poßidere. nam *super omnia bona sua constituet eos, Matth.* 24. de voluptate quid dicam, cùm scriptum sit, *Psalm.* 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*? quæ mens cogitare poterit, qualis delectatio sit frui summo bono? videre ipsam pulchritudinem? gustare ipsam suauitatem? intrare in gaudium Domini, id est, participem fieri eius voluptatis, quæ facit beatum Deum? Honor, & gloria sanctorum omnem eloquentiam superat. nam in theatro mundi totius, omnium hominum & Angelorum ab ipso Deo laudabuntur Sancti omnes, & tanquam victores coronabuntur, quod omnem dignitatem vincit in ipso Christi throno, tanquam regni participes collocabuntur. sic enim legimus in Apocalypsi, *cap.* 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & sedi in throno Patris mei.* Hanc sublimitatem honoris mirabatur Propheta, cùm diceret, *Psalm.* 138. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorũ.* Quod si ad hãc multitudinem, & excellentiam bonorum addamus tanquam ineffabile condimentum æternitatem, quis capere poterit magnitudinem supernæ fœlicitatis? & tamen quod vix capimus cogitando, experiemur poßidendo, si piè, iustè, sobrieque viuendo ad beatam illam patriam aliquando veniemus, verè enim sine fine bona illa durabunt, quæ momentaneis laboribus nunc per Dei gratiam à Christi famulis acquiruntur. Quid hic dices anima mea? placebitne tibi ludos puerorum in ædificiolis ex luto construendis consectari, & Regni verè sempiterni poßeßione priuari? placebitne, quod horret animus cogitare, voluptatibus pecorum delectari, qui ad ineffabilia gaudia cum Angelis inuitaris? Auertat hoc ab anima serui tui misericordia tua Domine, quin potius *confige timore tuo carnes meas, Psalm.* 118. & dulcescat semper mihi super mel, & fauum obedientia legis tuæ, vt carnem cum vitijs, & concupiscentijs crucifigens, aspirare audeam ad spirituales & perennes delitias paradisi tui. Da Domine seruo tuo sequi vestigia Christi tui, qui mitis, & humilis corde, *cùm malediceretur, non maledicebat, & cùm pateretur, non comminabatur*, 1. *Petr.* 2. da sobriè, iustè, & piè viuere in hoc sæculo, vt cum fiducia aliqua expectem beatam spem *Tit.* 2. & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

Caput IV.

Reliquum est, vt iustitiam consideremus, quam Deus in profundißima gehennæ abysso in peccatoribus puniendis exercet. quod si attentè, & seriò faciemus, intelligemus profectò verißimum esse quod Apostolus docet in epistola ad Hebræos, *ca.* 10. *Horrendum esse incidere in manus Dei viuentis.* Nam (vt ordinem sequamur, quem in iustitia remunerante Sanctorum merita tenuimus) animaduertet Deus iustus iudex in omnia omnino peccata etiam leuißima, quale est verbum otiosum, sic enim legimus in Euangelio, *Matth.* 12. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Et homines quidem multa peccata non puniunt, vel quia non possunt resistentibus, aut fugientibus reis: vel quia nesciunt esse commissa, aut per legitimos testes probata non sunt: vel quia nolunt ea punire, aut corrupti muneribus, aut oppreßi fauoribus; aut propria malitia deprauati. Deus autem omnipotens est, ac per hoc eius potestati nullus resistit. Idem vbique est, ideò nullus ab eo se abscondere potest. *quo ibo*, inquit Dauid, *Psalm.* 138. *à spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Idem sapientißimus est, & nouit omnia, etiam abscondita, & occulta in intimis latebris cordium: nec indiget testibus, vt crimina probentur, cùm conscientiæ hominum pro mille testibus Domino sint. denique nulla munera, nulli fauores iustitiam Dei corrumpere poterunt, cùm ipse bonorum nostrorum non egeat. Maneat igitur, nullum esse peccatum, neque maximum, neque minimum, neque grauißimum, neque leuißimum quod iustitiam Dei vltricem, & vindicem peccatorum effugere poßit, nisi antea per pœnitentiam purgatum fuerit. quantò enim nunc est misericordia copiosior in ignoscendo, tantò erit post hanc vitam iustitia rigidior, & seuerior in vlciscendo. de hoc tempore dicit Isaias, *cap.* 49. *In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui.* Quod exponens Apostolus in posteriore ad Corinthios, *Ecce*, inquit, *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* De tẽpore futuro post hanc vitam, Sophonias clamat, *cap.* 1. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & angustiæ: dies calamitatis, & miseriæ: dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris.* Neque verò solùm peccata omnia punien-

nientur, sed punientur horrendis supplicijs, quæ tã ingẽtia erũt, vt vix vlli homines nũc ea suspicari valeant: quemadmodum enim oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Dominus diligentibus se: sic omnino non vidit oculus, nec audiuit auris, nec ascenderunt in cor hominis quæ præparauit Dominus odio habentibus se. Erunt enim ærumnæ peccatorum in gehenna plurimæ, maximæ, & puræ, id est, nullis consolationibus admixtæ, &, quod in infinitum auget miseriam, sempiternæ. Erunt, inquam, plurimæ, quoniam singulæ potentiæ animæ, & singuli sensus corporis suos habebunt tortores, perpende verba sententiæ Iudicis supremi quæ habentur in Euangelio, *Matth. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Discedite, inquit, id est, recedite à consortio beatorum, priuati in æternum visione Dei, quæ summa est, & essentialis beatitudo, ac finis vltimus, ad quem facti eratis. Maledicti, id est, nolite sperare deinceps vllum genus benedictionis, priuabimini enim omni virore gratiæ, omni spe salutis; non pluet supra vos amplius aqua sapientiæ, nec ros bonę inspirationis, non lucebit amplius radius cœlestis luminis, non germinabit in vobis gratia pœnitentiæ, non flos charitatis, non fructus operum bonorum, non visitabit vos ex hoc vsque in æternum oriens ex alto. nec solum bonis spiritualibus, sed etiam corporalibus; nec solùm æternis, sed etiam temporalibus carebitis: nullæ pro vobis erunt diuitiæ, nullæ delitiæ, nulla solatia, sed eritis similes ficulneæ, quæ maledicta à me, continuò tota à radicibus aruit. In ignem, id est, in caminum ignis ardentis, & inextinguibilis, qui non membrum vnum, sed omnia membra simul comprehendet, & acutissima pœna vexabit. æternum, id est, in ignem, qui non eget fomento lignorum, vt semper ardeat, sed flatu Dei omnipotentis succenditur, vt sicut culpa in vobis nunquam delebitur, sic & pœna nunquam finiatur. Itaque rectissimè Propheta Isaias exclamat, *Isaia 33. Quis poterit stare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum arboribus sempiternis?* ac si dicat, nemo omninò patienter ferre poterit, sed impatientes, & indignantes, & desperantes ferre cogentur, etiamsi nolint. Et addit, *cap. 66. vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* quæ verba non semel repetit Dominus apud Marcum *cap. 9.* Adiungetur enim verbis conscientiæ, & recordationis huius tẽporis, quo potuissent impij, si voluissent, paruo negotio pœnas euadere, & gaudijs perfrui sempiternis. Ac ne quis existimet, posse damnatos aliquid refrigerij ex deambulatione, & loci mutatione capere, audi, quid ipse Dominus dicat, *Matth. 22. Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium.* Itaque miseri illi alligati manus, & pedes, vinculis æternis in loco eodem semper iacebunt lumine Solis, & Lunæ, & stellarum orbati, & ignis ardoribus æstuantes, flentes, & dolentes, & dentibus præ rabie, & desperatione stridentes. Nec solùm dolores grauissimos patientur in gehenna, qui in eum locum horroris plenissimum detrudẽ-

A tur, sed præterea etiam extremam rerum omnium inopiam, & dedecus, atque ignominiam summa erubescentia, & confusione plenissimam. facient enim in puncto temporis iacturam palatiorum, agrorum, vinearum, pecorum, iumentorum, vestium, auri denique, & argenti, & lapidum pretiosorum: atque ad eam egestatem redigentur, vt guttam aquæ frigidæ cum diuite epulone desiderent, & expetant, & non audiatur. Porrò superbi & gloriosi illi viri qui in præsenti tempore iniuriæ omnis impatientes, dignitatem rebus omnibus anteponunt: in theatro illo totius humani generis, & omnium Angelorum, quo nullum vnquam maius nec fuit, nec erit; reuelari videbunt, & publicè demonstrari omnia ipsorum crimina, etiam in tenebris patrata, vel in cordis latebris

B recondita, quamuis turpissima, proditiones, latrocinia, incæstus, sacrilegia. nam, vt ait Apostolus, in priore ad Corinthios, *cap. 4.* Quando veniet Dominus ad iudicandum orbem terrarum, *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuiq; à Deo*; & sine dubio, vituperatio quoque erit vnicuique impio, & iniquo à Deo. tantum verò erit opprobrium, & confusio sceleratorum hominum in theatro illo, vt sanctus Basilius in explicatione Psalmi trigesimitertij non timeat dicere, hoc fore omnium suppliciorum grauissimum, præsertim hypocritis, & superbis, & omnibus gloriæ cupidis, quibus honor pro Deo, vel idolo potius, in hoc mundo fuerat. sed si hæc

C quæ diximus, de iactura bonorum omnium, tam cœlestium, quàm terrestrium; & de doloribus acerbissimis, & ignominia, atque opprobrio, finem aliquem essent habitura, vel saltem aliquod genus consolationis, aut refrigerij admixtum haberent, vt in hac vita miseriæ omnes habent: possent aliquo modo mala tolerabilia existimari. at cùm certũ omnino, & extra omnem dubitationem sit, quemadmodum felicitas beatorum sine vllius admixtione miseriæ perpetuò duratura est: sic etiam infelicitatem damnatorum sine vlla admixtione solatij perpetuò, id est, in omnia sæculorum sæcula duraturam: oportet omnino vt cæci, & stulti sint, qui non totis viribus laborant, per quascunque tribulationes, & pericula, & infamiam, & mortem, quæ momentanea, & leuia vocat Apostolus 2. *Corinth.* 4. ad regnum cœlorum, &

D cœlestem beatitudinem peruenire.

CAPVT V.

AC si fortè miratur aliquis, cur clementissimus Deus, tam atroces, & tam diuturnas pœnas peccatis hominum, quæ velocissimè transeunt, & non vsque adeò grauia videntur, constituerit: is audiat sanctum Augustinum in libro de Ciuitate Dei. Quisque, inquit, huiusmodi damnationem, vel nimiam, vel iniustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, vbi tanta erat non peccandi facilitas. & infra, quisnam satis explicet quantum malum sit, non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio? loquitur sanctus

Augu-

Augustinus de peccato primi hominis, sed eadem ratio est de omnibus peccatis: nam si staτeras non dolosas, sed veras adferamus, inueniemus omne peccatum lethale ex triplici capite esse grauissimum. nam & horrendum est creaturam creatori suo non obedire, cùm infinito interuallo à vilitate creaturę distet dignitas creatoris: & creatura naturaliter serua, & naturaliter Dominus sit creator: & creatura quicquid est, & quicquid habet, debeat creatori. creator autem nihil debeat creaturæ. Deinde si mandata creatoris grauia essent, adhuc creatura parere deberet: sed *mandata eius grauia non sunt*, 1. *Ioan*. 5. & *iugum suaue, & onus leue* ab ipso Saluatore dicuntur *Matth*. 11. quanta igitur, & quàm inexplicabilis culpa est, vermiculos terræ creatori suo in re tam facili non obedire? præterea si Deus supplicium mortis æternæ peccantibus comminatus non esset, potuisset homo fortasse excusationem peccato suo prætexere: sed cùm tam sæpè, & tam perspicuè per Prophetas & Apostolos supplicium sempiternum fuerit comminatus, quis peccatorum contumaciam excusabit? Denique si culpa hominum damnatorum non esset æterna, mirari possemus, cur pœna peccati futura esset æterna. Sed cùm obstinatio damnatorum sit æterna, quid miramur, si etiam supplicium sit æternum? Atque hæc obstinata voluntas in malo, quæ communis erit damnatis hominibus cum dæmonibus: hæc, inquam, peruersa, atque à Deo summo bono auersa voluntas, quæ semper immobilis, & stabilis permanebit, facit, vt sancti homines magis horreant lethale peccatum, quàm ignem gehennæ. audi enim quid de Anselmo scribat Edinerus Anglus in secundo libro vitæ eius. Conscientia, inquit, mea teste, non mentior, quia sæpè illum (Anselmum) sub veritatis testimonio profiteri audiuimus, quoniam si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessariò vni eorum immergi deberet, infernum potius, quàm peccatum appeteret. Aliud quoque, non minus forsan aliquibus

A mirum, dicere solebat, videlicet malle se purum à peccato, & innocentem gehennam habere, quàm peccati sorde pollutum cœlorum regna tenere. Si hæc homo ille sanctus dicebat, & sentiebat, quia illuminatus à Deo cognouit grauitatem peccati esse maiorem, quàm sit pœna gehennæ: quantò magis Deus, qui penetrat vsque ad fundum malitiam, & fœditatem, & peruersitatem peccati, iustissimè iudicabit, condignam esse pœnam peccati, quam ipse vsque ab æternitate constituit.

B Ergò, anima mea, noli errare, noli seduci, noli similis illorum fieri, *qui dicunt se nosse Deum, factis autem negant*. *Tit*. 11. multi enim fidem habent, sed in habitu, non in actu, quasi gladium in vagina reconditum. si enim actu crederent, & credendo seriò cogitarent Deum esse fidelem, & iustum, & re vera pœnas grauissimas, & nunquam finiendas, & sine admixtione consolationis iniquis præparasse: fieri non posset, vt opera facerent, quæ faciunt: & biberent, vt dicitur in libro Iob *cap*. 15. *quasi aquam iniquitatem*,

C id est, tam facilè, tam sine timore, tam læto animo peccata tam multa, & tam magna patrarent, ac si præmium, non pœna peccantibus deberetur. tu, inquam, crede firmissimè, & credendo recogita, Deum in præsenti *patrem esse misericordiarum*, 2. *Corinth*. 1. & paratum esse omnibus verè pœnitentibus misericorditer indulgere peccata: sed eundem Deum, post hanc vitam, fore omnino *Deum vltionum*, *Psalm*. 93. & eas pœnas de peccatoribus sumpturum, quas præparauit, & per Prophetas, & Apostolos

D suos prædicari, & ad memoriam posterorum literis mandari præcepit. Sic enim fiet, vt timore intolerabilium pœnarum, & spe præmiorum maximorum, quasi duabus alis subleuata, præsentis vitæ pericula securè pertranseas, & ad vitam, ac requiem peruenias sempiternam.

Amen.

FINIS.



ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S. R. E. CARDINALIS

DE AETERNA FELICITATE SANCTORVM Libri quinque:

AD ILLVST. ET REVER. D. CARDINALEM FARNESIVM.

ODOARDO FARNESIO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

ROBERTVS CARDINALIS BELLARMINVS Salutem dicit.



EA magnitudo est, Cardinalis Amplissime, tuorum in nostrum Ordinem beneficiorum, vt omnes & singulos nostræ Sodalitatis alumnos nomini tuo mirificè deuinctos habeas. Tu enim maiores tuos æmulatus, quod illi inchoarunt, excelso animo perficis; & quod illi perfecerunt, magnitudine mentis etiam superare contendis. Et quoniam bonorum laborum gloriosus est fructus; reddet mercedem plenam Deus, cuius honorem pia liberalitas tua potissimùm intuetur. Sap. 3. Sed & ipsa nostra Sodalitas, apud quam tantorum beneficiorum memoriam nulla vnquam delebit obliuio, non intermittet, per filios atque alumnos suos, grati animi significationem, siue scriptis libris, siue sermonibus testificari. Et ego quidem iamdudum animo destinaueram dicare nomini tuo magnum, quod moliebar, opus; triplicem videlicet explanationem in Apostolum Paulum, literalem, moralem, & dogmaticam: sed longitudo operis, & breue spatium, quod mihi superest vitæ, & quotidianæ occupationes, quæ parum omnino ad scribendum otij mihi relinquunt, effecerunt, vt de opere illo perficiendo planè desperarem. Quare spirituale opusculum, quod superiori mense Septembri mihi ipse conscripsi, magno illi operi substituendum censui: fretus benignitate tua, apud quam magna voluntas dantis paruitatem doni facilè compensabit. Et fortasse opusculum meum non valdè dissimile erit magno operi tuo. Tu enim Sodalitati nostræ, præter alia beneficia, egregiam domum, in ipsa vrbe Roma, magnis sumptibus ædificare pergis: ego tibi domum non manu fa-

A factam, æternam in cœlis, non inquam ædificabo (id enim solius omnipotentis Architecti proprium est) sed pro virium mearum tenuitate quasi digito ostendere, & viam ad eam aperire tentabo. 2. Cor. 5. Quamuis enim non ignorem, te, vt Principem Ecclesiasticum decet, ab ineunte ætate coluisse studia pietatis, & multò magis in ætate matura nunc colere: tamen tanta est humana fragilitas, & ad res terrenas caducasque propensio, vt necesse sit, nisi identidem ad cœlestia meditanda animum reuocemus, de humano puluere, vt loquitur sanctus Leo, etiam religiosa corda sordescere. Serm. 4. de Quadrag. B Quapropter non exiguo beneficio nos afficiunt, qui pijs opusculis, multis varijsque modis nos admonent & excitant, vt quæ sursum sunt, non quæ super terram, sæpè ac seriò inquiramus. Coloss. 3. Sic enim & corda mundantur, & palatum animæ curatur, vt homo interior videre pulchritudinem veram, veramque dulcedinem degustare incipiat, ex quo illud consequitur, vt mundi gloria paulatim nobis vilescat, & carnis delitiæ omnino desipiant: ac C denique, vt loquitur sanctus Petrus, sic nobis abundanter ministretur introitus in æternum Regnum Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi. 2. Pet. 1. Quid enim est abundanter ministrari introitum in Regnum Christi, nisi per varias considerationes æternæ felicitatis multiplices vias sterni, vel aperiri ad ingrediendam domum illam non manu factam, æternam in cœlis, quæ etiam Ciuitas superna, & Regnum cœlorum in Sacris literis dici solet? Atqui hoc est argumentum opusculi mei, D in quo per duodecim considerationes, quasi per vias duodecim inuestigatur æternæ felicitatis amplitudo atque sublimitas, cum maxima vtilitate, & voluptate coniuncta. Et, quoniam parum omnino prodest, bonum, quod quæritur, inuenisse, nisi etiam inuentum feliciter acquiratur, & sine amittendi timore possideatur; per easdem considerationes ad summi boni adeptionem

directa

directa & lata panditur via, & cursus velox sine intermissione & fatigatione dirigitur. Accipe igitur, Cardinalis optime, munusculum, quod & grati animi pro acceptis beneficijs testimonium deferat, & simul non sit futurum inutile ad obtinendum bonum quod superat omne bonum, & in quo omnia continentur bona.

PRÆFATIO.



ANNO *superiore ad meam præcipuè spiritualem vtilitatem conscripsi mihi ipse Libellum De ascensione mentis in Deum per scalas rerum creatarum. Nunc, quoniam placet Deo senilem ætatem meam adhuc longiùs aliquantulum protrahere, subit animum de cælesti patria, ad quam anhelamus omnes filij Adam, qui hanc vallem mortalitatis gementes & flentes incolimus, aliquid meditari, & meditationes stilo alligare, ne pereant. Igitur in Scripturis sanctis, quæ sunt veluti Epistola consolatoria de patria cælesti ad exilium nostrum à Patre transmissa, quatuor nomina reperio, ex quibus vtcumque bona illius loci nobis innotescere possunt. Nomina sunt, Paradisus, Domus, Ciuitas, Regnum. De Paradiso B. Paulus,* Scio, *inquit,* hominem in Christo ante annos quatuordecim, raptum in tertium cœlum; *& paulò pòst,* raptum in Paradisum; *vbi, ne putaremus eum de Paradiso terrestri loqui, præmisit,* raptum in tertium cœlum. *De Domo sic ipse Filius Dei loquitur:* In Domo Patris mei mansiones multæ sunt. *De Ciuitate Apostolus ad Hebræos,* Accessistis, *inquit,* ad Ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem. *De Regno Cælorum Dominus ipse apud Matthæum Euangelistam,* Beati pauperes spiritu, *inquit,* quoniam ipsorũ est Regnũ cœlorum. *atque hoc nomine in omni sacra Scriptura nullum est frequentius. Paradisus vocatur locus Sanctorum in cælo, quoniam locus est amœnissimus, & delicijs affluens. Sed quoniam potuissent homines existimare, Paradisum esse hortulum, in angulo domus positum, qui paucissimos homines caperet; addidit Spiritus in Scripturis nomen Domus: quia domus regia, palatium ingens esse solet; vbi præter hortum sunt etiam aula, triclinia, cubicula, & alia id genus multa. Sed quoniam domus, quantumuis magna, non multos homines capere potest; ne putaremus, paucissimos omninò fore qui ad vitam æternam pertineant, addidit Scriptura nomen Ciuitatis, quæ multos hortos, & multa palatia capiat. Sed quoniam de Beatorum numero scripsit sanctus Ioannes in Apocalypsi,* Vidi turbam magnã, quam dinumerare nemo poterat; *& nulla est ciuitas, quæ turbam innumerabilẽ complecti in sinu suo possit, Scriptura sancta vocabulum Regni, & Regni cælorum adiunxit, quo loco nullus est in rerũ vniuersitate capacior.*

2.Cor. 12. Ioan. 14. Heb. 12. Matth. 5. Apocal. 17.

Sed rursus, quoniã in amplissimo Regno multi sunt homines, qui plurimos eiusdẽ Regni incolas nunquam vident, nec nomina eorũ tenent, neq; sciunt an vmquã fuerint in rerum natura; & certum est, beatos homines omnes ab omnibus videri, & sciri, & inter se familiariter versari vt amicos & proximos: ideò Scriptura non contenta nomine Regni, addidit nomen Ciuitatis, vt intelligeremus, incolas eius Regni, quamuis spatiosissimi & maximi, esse verè ciues Sanctorum, & inter se ita coniunctos & familiares, vt sunt ciues vnius exiguæ ciuitatis. Ac vt præterea sciremus, felices illos homines non solùm esse ciues Sanctorum, sed etiam domesticos Dei, imò etiam filios Dei; ideò Spiritus S. quam appellauerat Ciuitatem, appellauit etiam Domũ. Deniq; quia Beati omnes ijsdem in cælo delitijs fruuntur, ideò locum illum Paradisum nominauit.

Itaq; quatuor illæ voces, Regnum Ciuitas, Domus, Paradisus, rem vnam atq; eandem significant: & Paradisus ille tam est amplus, vt Domus, Ciuitas, & Regnum verè dici possit. Ergo de hoc felicissimo loco primùm sub nomine Regni, deinde sub nomine Ciuitatis, tum sub nomine Domus, deniq; sub nomine Paradisi, ipso Deo bene iuuante, meditari in cubiculo cordis & quæ Deus ipse suggerere dignabitur, literis mandare proposui. Addam sub finem operis sex alia nomina, non locorum, sed rerum, ex parabolis Domini, videlicet, Thesaurum absconditum in agro. Margaritam pretiosam, Denarium diurnum, Gaudium Domini, Cœnã magnam, Nuptias Regias: & alia duo ex Apostolo, Brauium, & Coronam. Sic erunt in vniuersum Considerationes duodecim, quibus in Scripturis sanctis felicitas Sanctorum æterna describitur.

DE AETERNA
FELICITATE SANCTORVM
SVB NOMINE Regni Dei,

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De amplitudine Regni Dei.



DOCTRINA de Regno cœlorum quanti momenti sit, vel ex eo cognosci potest, quod Magister cœlestis Christus conciones suas à verbis illis inchoauit: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cœlorum.* Et oẽs ferè parabolas suas de Regno cœlorum composuit, dicens: *Simile factum est Regnum cœlorum.* & post resurrectionem suã, in illis viginti quadraginta diebus ante Ascensionẽ, apparens discipulis, loquebatur de Regno Dei, vt sanctus Lucas in Actis Apostolorũ testatur. Itaque initium, & progressio, & consummatio sermonum Christi, Regnũ cælorũ fuit. Nos tamen hoc loco nõ omnia, quę de Regno cælorũ disputari possunt, explicare aggredimur; sed ea solũ, quæ ad locũ & statũ Beatorũ pertinent; atq; illud in primis, cur locus & status Beatorum Regnum cælorũ in Sacris literis nominetur. Matth. 4. Matt 13. 18. 20.21.22.25. Act. 1.

Habitatio Sanctorum multis de causis Regnum cælorum dicitur. Primùm, quia regio est amplissima, & multò amplior, quã humanæ cogitationis angustiæ capere possint. Orbis terræ, qui veluti punctum est, si comparetur ad supremum cœlum, multa & magna Regna complectitur, vt vix numerari queant: quantum igitur erit Regnum illud, quod est vnicum, & per totam cœli cœlorum latitudinem spatiaque diffunditur? Neque solùm continet Regnum Dei super cælestem re-

gionem, sed omnem hanc rerum vniuersitatē. Est enim super cœlestis regio, quæ propriè Regnum cœlorum dicitur, prima quasi prouincia Regni Dei, in qua primarij Principes resident, qui sunt omnes filij Dei. Secunda prouincia dici potest ætherea, in qua stellæ morantur: quæ stellæ, quamuis in se animatæ nō sint, tamē sic ad nutum Creatoris obediunt, vt viuentes & animatæ dici possint, iuxta illud Ecclesiasticum: *Regem cui omnia viuunt, venite adoremus.* Tertia prouincia est aerea, in qua venti nubesque discurrunt, & procellas, pluuias, niues, grādines, tonitrua, fulgura efficiunt, & in qua etiam volucres generum diuersorum spatiantur & volant. Quarta prouincia est aquea, quæ maria, fontes, flumina lacusque complectitur, in quibus pisces procreantur, *qui perambulant semitas maris.* Quinta est terrea, quæ quasi æmula cœli, habitatores nobilissimos, sed nō beatissimos habet: homines videlicet ratione præditos, sed mortales; qui tamen dominantur bestijs terræ, volucribus cœli, & piscibus maris. Postrema est prouincia subterranea, quæ quasi Arabia deserta nullos omnino fructus bonos producit, sed spinas solum & tribulos; in qua degunt spiritus reprobi, qui superbia sua hoc meruerunt, vt qui voluerunt esse primi, fierent nouissimi; & qui super astra cæli exaltare sedem suam conati sunt, ad imos inferos detruderentur: atque hic locus expectat omnes illos homines, qui tamquam socij demoniorum in flagitijs & sceleribus volutati, sine vera pœnitentia de hac vita discedunt. Has omnes prouincias imperio suo Deus tenet, cui canit Psalmista: *Omnia seruiunt tibi.* Atque hoc totum vastissimum & maximum Regnum communicabit Deus cum diligentibus se, vt paulò infrà dicemus.

Psalm 8.

Psal. 118.

Ergo, anima Christiana, dilata cor tuum, non tenearis angustijs rerum præsentium. quid tantum laboras & sudas, vt particulam mundi huius obtineas, quæ totum possidere poteris, si volueris? Certè si ad hoc Regnum seriò mortales aspirarent, vel de illo attentè cogitarent, erubescerent vtique bella gerere pro angustissimis portiunculis terræ. Offert tibi Deus, ô homo, societatem immensi atque æterni Regni sui; & tu pro vnius oppiduli defensione vel acquisitione bellum geris, vbi multæ committuntur rapinæ & cædes, & alia peccata innumerabilia, quibus Rex Regum iustissimè prouocatur ad iram. Vbi est prudentia? vbi consilium tuum? Neque hæc dico, quòd existimem non licere Christianis pro defensione oppidorum suorum bella gerere: scio enim non solùm à sanctis Patribus, Augustino præsertim viro doctissimo & sanctissimo, & sancto Thoma Scholasticorum Theologorum principe, iusta bella defendi; sed etiam ab ipso Præcursore Domini, quo inter natos mulierum maior non surrexit, dictum esse militibus, non vt militiam tamquam illicitam deserant, sed vt stipendijs suis contenti neminem concutiant, & nemini iniuriam faciant; & ego ipse in libris Controuersiarum iusta bella defendi. Non igitur bella simpliciter reprehendo, sed ad id quod perfectius & sæpè vtilius est, adhortor; ad eum planè modum, quo sanctus Paulus Corinthijs dicit: *Delictum est in vobis? quòd iudicia habetis inter vos: quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* & sanctus Iacobus in Epistola sua: *Vnde bella & lites in vobis? nonne ex concupiscentijs vestris? concupiscitis, & non habetis: occiditis & zelatis, & non potestis adipisci: litigatis & belligeratis, & non habetis.* Certè enim qui de Regno cælorum valdè sollicitus esset, non facilè ad iacturam vnius oppiduli moueretur, sed quæreret mediatores, qui sine dispendijs & periculis bellorum litem componerent. Sed pergamus ad cetera.

Epist. 5. ad Marcellinū. 2. 2. q. 40. Luc. 3.

Lib. 3 de Laicis. c. 14.

1. Cor. 6.

Iac. 4.

Caput II.

De frequentia Regni Dei.

Dicitur secundo habitatio illa sublimis Regnum cœlorum, quoniam multitudinem & diuersitatem habitantium tantam continet, quantam nulla domus aut ciuitas, sed sola Regna maiora continere solent. Ibi est, vt Apostolus loquitur in Epistola ad Hebræos, multorum millium Angelorum frequentia, ibi quoque spiritus iustorum perfectorum, ad quorum numerum pertinebunt, quotquot ab Abel iusto vsque ad sæculi consummationem in Domino morientur. Nec solùm spiritus iustorum hominum post mundi consummationem ibi erunt, sed erunt etiam corpora gloriosa, quæ omnia & singula fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum, vt Dominus loquitur apud Matthæum. Et quidem quod attinet ad Angelorum diuersitatem, vix aliud nobis peregrinantibus in terrâ scire licet præter nomina. Scimus enim alios vocari Seraphim, ex visione Isaiæ Prophetæ; alios Cherubim, ex Prophetia Ezechielis; alios Thronos, alios Dominationes, alios Principatus, alios Potestates, ex Apostolo ad Colossenses; item alios Virtutes, ex eodem Apostolo ad Ephesios; alios Archangelos, ex eodem Apostolo, & ex Epistola Apostoli Iudę; alios denique Angelos, quorum frequentissima mentio fit in omnibus libris Sacris. Ex his nouem vocabulis constans est Doctorum sententia, colligi, nouem esse Ordines Angelorum; quorum singuli Ordines multa millia Angelorum contineant, dicente Daniele: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* & Iob concinente: *Numquid est numerus militum eius.*

Hebr. 12.

Matth. 13.

Isa. 6. Ezech 28

Coloss. 1. Ephes 1. 1. Thess. 4.

Dan 7.

Iob. 25.

Et quamuis omnes Angeli sine dubio beatissimi; & omnium virtutum ac donorum diuinorum decore mirificè splendeant; tamen illi dicuntur Seraphim, qui charitatis ardore præeminent; illi Cherubim, qui scientiæ splendore prælucent; illi Throni siue Sedes, qui tranquillitate contemplationis ineffabili gaudent; illi Dominationes, qui vt summi Imperatoris administri, mundo inferiori dominantur; illi Virtutes, qui omnipotentis Domini iussu signa & prodigia patrant;

illi

illi Potestates, qui super aereas potestates spirituum immundorum imperium obtinēt; illi Principatus, qui Regibus ac Principibus mundi præsunt; illi Archangeli, qui Prælatis Ecclesiæ adhibiti sunt adiutores; illi denique Angeli, qui singulorum hominum, dum in terris viuunt, custodiam curamque suscipiunt. Nec solùm ista significantur varijs nominibus Angelorum; sed prætereà nomina illa sunt quasi insignia, vel imagines, aut specula magnitudinis Dei: siquidem Seraphim ardore suo, quasi vexillo quodam, imagine aut speculo, repræsentant infinitam charitatem Dei, qui solo amore impulsus, Angelos ipsos, & homines & reliqua omnia condidit & conseruat. Cherubim simili vexillo imagine aut speculo, referunt infinitam Dei sapientiam, qua omnia in numero, pondere, & mensura constituit. Throni eodem modo, quasi in perfecta imagine demonstrant altissimam illam quietem, qua DEVS sedens fruitur, cùm immotus omnia mouet, & tranquillus omnia disponit & regit. Dominationes similiter omnibus ostendunt, Deum esse, qui verè ac propriè solus rebus omnibus dominatur, cùm ei soli liceat res omnes conseruare, vel ad nihilum redigere. Virtutes quoque demonstrant omnibus Deum solum esse, qui facit mirabilia magna solus; quique sibi reseruauit vni innouare signa, & multiplicare prodigia. Potestates verò nomine suo præferunt, Deum esse solum potentem absolutè & verè, cui nihil sit impossibile, quippe in quo solo vera potentia locum habet. Principatus vexillo suo significant, Deum esse Principem Regum terræ, Regem Regum, & Dominum dominantium. Archangeli Deum esse demonstrant verum & summum Ecclesiarum omnium Præsidem. Angeli denique Deum esse indicant verum Patrem orphanorum; & qui licet Angelos custodes singulis hominibus dederit, tamen ipsum quoque singulis adesse, singulos custodire, singulos protegere. Nam ipse quoque Propheta, qui dixerat, *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*; idem introducit Deum dicentem: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* & Dominus, qui dixerat, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*; idem dixit: *Nonne duo passeres asse vaneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt: nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.* Atque hæc de Angelis pauca nouimus: de quibus, si placet, vide sanctum Bernardum in libro 5. De consideratione, vnde hæc pauca delibauimus.

Psal. 90. — Matth. 18. — Matth. 10.

His verò nouem Angelorum Ordinibus, quasi ex altera parte, respondet turba tanta sanctorum hominum, vt eam numerare nemo possit, vt suprà docuimus ex Apocalypsi: quæ turba nouem item Ordinibus continetur: nam alij sunt Patriarchæ, alij Prophetæ, alij Apostoli, alij Martyres, alij Confessores, alij Pastores & Doctores, alij Sacerdotes & Leuitæ, alij Monachi vel Eremitæ; denique Sanctæ Feminæ, aut Virgines, aut Viduæ, aut etiàm coniugatæ.

Apoc. 7.

Rogo te nunc, anima Christiana, quanta felicitas erit, cum tantis & talibus conuersari? Scribit sanctus Hieronymus in Epistola ad Paulinum, multos lustrasse prouincias, nouos adijsse populos, maria transmisisse, vt eos, quos ex libris celebres nouerant, coram viderent & audirent. Ad vnum Salomonem ob sapientiæ opinionem veniebat Regina Saba de finibus terræ: & ad vnum Antonium Eremitam, propter famam sanctitatis, vndique homines concurrebant; ipsi etiam Imperatores amicitiam eius ambiebant. quid igitur erit, tot Angelos, & tot Prælatos homines, vtique sanctissimos, & simul amicissimos, & felicitatis eiusdem consortes videre & alloqui? Vnus Angelus si in decore suo spectandum se præberet in hoc exilio, quis non libenter accurreret? quid igitur erit, vno intuitu Angelos omnes cernere? Et si vnus aliquis ex Prophetis, aut Apostolis, aut Ecclesiæ Doctoribus, nunc de cœlo descenderet, quanta simul auiditate & attentione audiretur? At in Regno illo non vnum, sed omnes & singulos Prophetas, & Apostolos, & Doctores videre, & audire, & cum eis assiduè conuersari licebit. Vnus sol quantum lætificat vniuersam terram? quid facient soles innumerabiles, & soles viui, intelligentes, & iubilantes in Regno Dei? Mihi quidem ita dulciter sapit ista consuetudo cum Angelis & hominibus, quorum nullus est insipiens aut malus, sed omnes optimi & sapientissimi, vt hoc solum magnæ felicitatis instar mihi esse videatur; & propter quod solum libenter carerem oblectamentis omnibus huius vitæ.

3. Reg. 10. — Luc. 11. — Athanasius in eius Vita.

CAPVT III.

De forma verè monarchica Regni Dei.

TERTIA ratio est, quoniam in eo solo loco inuenitur perfecta forma regnandi. Siquidem hoc interest inter Regnum & Rempubl. siue optimatum, siue popularis Respublica sit, quòd in Regno summa potestas apud vnum, in Republica apud multos inuenitur. In Regnis autem hominum nunquam est summa potestas apud vnum verè & propriè: poterit enim fortasse Rex sine consilio vel consensu aliorum iubere vt aliquid fiat, sed exequi non poterit, nisi subditi velint. Et sæpè etiam nec iubere poterit, aut certè non audebit, si multitudo subditorum illum terreat. Quam multi enim fuerunt magni Reges aut Imperatores, quos exercitus destituit, aut etiam interemit? plenæ sunt historiæ exemplis. Inanis igitur est summa potestas in Regibus mortalibus, qui, nisi subditi velint, nihil vmquam efficient. Potestas autem Dei, qui Rex magnus verè dicitur & est, à nullo dependet, nisi à sua ipsius voluntate; quæ cùm sit omnipotens, nullus ei resistere potest, neque eget militibus aut armis, aut re aliqua extra se. Quòd si vtitur administris Angelis vel hominibus, aut etiā rebus sensu carētibus & inanimis,

id facit quia vult, non quia non potest sine illis omnia quæcumque voluerit facere. Nam qui sine vllo comite vel administro cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, solo verbo condidit, & sola voluntate conseruat; certè posset etiam omnia solo imperio administrare. Nec solùm DEVS verissimè regnat, quoniam summa potestas apud eum residet, sed etiam quoniam summa regendi ars illius solius est: neque eget Deus vllo senatu, aut consiliarijs vllis. *Quis*, inquit beatus Paulus, *cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* & ante eum Isaias Propheta: *Quis adiuuit, inquit, Spiritum Domini? aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi?* Itaque Monarchia, quæ optima forma regiminis est, non solùm apud Deum inuenitur, sed apud illum solum vera atque perfecta reperitur. Is enim non solùm terribilis est super omnes Reges terræ, vt dicitur in Psalmis, sed etiam est Rex magnus super oẽs deos, vt dicitur in alio Psalmo. Siquidem alij sunt dij falsi, qui potiùs dæmonia dici deberent, iuxta illud Prophetæ: *Dij Gentium dæmonia.* Alij sunt dij per participationem, vt Reges terræ, & Angeli cælorum, iuxta illud: *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Sed istos omnes deos imperio suo subiectos habet Deus ille, qui regnat in cælis; proinde solus ille Rex est verus & magnus: quod Nabuchodonosor Rex Babylonis, postcaquam superbiæ suæ grauissimas pœnas dedit, agnouit, & verbis illis confessus est: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui & glorificaui; quia potestas eius potestas sempiterna, & Regnum eius in generationem & generationem, & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, Quare fecisti? Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Hæc ille, qui omnibus exemplo esse potest, vt humilientur sub potenti manu Dei, vt sanctus Petrus admonet; & magis delectentur seruire Regi Regum, vt eius beneficentiam mereantur, quàm eius voluntati superbo corde resistere, vnde manum eius grauissimam experiri cogantur.

Rom. 11. Isa. 40. Psalm. 75. Psal. 94. Psalm 95. Psalm. 81. Dan. 4. 1. Pet. 5.

CAPVT IV.

Quòd omnes Beati sint Reges.

QVARTA ratio, cur locus & status Beatorum Regnum cælorum dicatur, eaque potissima est, quoniam omnes Beati in cælo Reges sunt, & omnes regiæ conditiones aptissimè in illos conueniunt. Quamuis enim Sancti omnes in cælo seruiant Deo, vt dicitur in Apocalypsi, tamen simul etiam regnant: nam in eodem libro, & capite eodem, vbi dicitur, *Serui eius seruient illi*: paulò post dicitur: *Et regnabunt in sæcula sæculorum.* Nec solùm Beati omnes simul seruient & regnabunt, sed etiam simul serui & filij dici poterunt. Sic enim loquitur Deus in Apocalypsi: *Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.* Quare sicut possunt ijdem serui esse & filij, sic possunt serui esse & Reges: serui enim sunt, quoniam à Deo creati sunt, & illi debent obedientiam, à quo accipiunt esse, & viuere, & omnia: neque aliquid creatum excipit Dauid, cùm ait, *Omnia seruiunt tibi*: simul tamen possunt esse filij Dei, qui ex Deo renati sunt per aquam & Spiritum sanctum; & simul Reges esse possunt, quibus Regia dignitas ab ipso Regum Rege communicatur; qui propterea in eadem Apocalypsi dicitur *Rex Regum, & Dominus dominantium.*

Apoc. 22. Apoc. 21. Psalm. 118. Ioan. 3. Apoc. 19.

Dicet aliquis fortasse; non esse difficile aliquem simul esse Regem terræ, & seruum Dei: ad quem modum dicitur in Psalmo: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* At Regem esse Regni cælorum, & seruum esse Regis cælorum, quis capiat aut credat? & tamen ita est, & capit hoc & credit fides. Iusti ergo in Regno Patris eorum erunt etiam ipsi Reges Regni cælorum, quoniam participes erunt regiæ illius dignitatis, & potestatis, & opum, ac reliquorum bonorum quæ sunt in Regno cælorum. Id quod in tribus præcipuè locis Scripturarum Sanctarum Spiritus sanctus manifestè pronuntiat. Vnus locus est in Euangelio sancti Matthæi: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Alter in eodem Euangelio: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* Tertius in Apocalypsi: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Quid manifestius dici potest? Habemus Regnum cælorum promissum, habemus in die iudicij possessionem Regni eiusdem assignandam, habemus sessionem in throno regio Filij Dei, & Patris eius, Regis æterni: quid hoc est aliud, nisi participatio eiusdem Regni cælorum, quod ab æternitate possidet Deus? Adde testimonium beati Pauli: *Si sustinebimus*, inquit, *& conregnabimus.* & S. Ioannis in principio Apocalypsis: *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & Regno*, & S. Iacobi in Epistola sua: *Deus*, inquit, *elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se.* Neque minuitur Regnum cœlorum propterea, quòd multis ac pœnè innumerabilibus Angelis & hominibus communicatur: Regnum enim cœlorum non est simile Regnis terrarum; quæ non patiuntur consortem; & si diuidantur in partes, diuidendo minuuntur, & tandem etiam consumuntur. Non, inquam, eiusmodi est Regnum cœlorum, sed totũ ab omnibus, & totũ à singulis integrè possidetur: quomodo idem sol totus à singulis, & totus ab omnibus cernitur; & ipse vicissim non minus

Psalm. 2. Matth. 5. Matth. 25. Apoc. 3. 2. Tim. 2. Apoc. 1. Iacob. 2.

singulos quàm omnes calefacit & illuminat. Quod ipsum faciliùs intelligetur, cùm explicata fuerint bona Regni cælorum. Sed anteà explicandæ sunt conditiones siue qualitates quæ requiruntur in Regibus, vt nemo dubitet, Sanctos atque Beatos in cælo non sine causa vocari Reges, & Regni cælorum Reges.

Duæ sunt præcipuæ qualitates quæ necessariæ sunt Regibus, Sapientia & Iustitia. Sed cum sapientia coniungit Scriptura prudentiam & consilium, & omnia illa quæ ad intelligentiam pertinent: cum iustitia coniungit misericordiam, clementiam, & reliquas virtutes quæ voluntatem ornant & perficiunt. Itaque sapientia requiritur, vt Rex sciat; iustitia, vt velit subditos benè regere. Ideò Salomon admonitus à Deo initio Regni, vt peteret quod vellet; postulauit sapientiam, quæ princeps est bonarum qualitatum quæ requiruntur in Regibus: & placuit Deo petitio eius, vt perspicuum est ex libro tertio

3. Reg 3. B Regum, ac per hoc impetrauit quod petijt. Vtinam & iustitiam postulasset, fortasse non in tot scelera prolapsus esset. Rectiùs Dauid in Psalmo, in quo precatur bona filio suo Salomoni, dicit: *Deus iudicium tuum Regi da: & iustitiam tuam filio Regis.* vbi videtur præuidisse

Psal. 71. à Salomone postulandam sapientiam, & ideò postulat illi iustitiam & iudicium, quæ sine sapientia esse non possunt; cum sapientia sine iustitia esse possit, saltem aliqualis & imperfecta. Liber quoque Sapientiæ, qui propriè ad Reges instituendos scriptus est, sic

Sap. 1. C inquit: *Diligite iustitiam qui iudicatis terram.* & incipit à iustitia, quoniam non solùm est per se necessaria Regibus, sed etiam est dispositio ad sapientiam: subiungit enim paulò post: *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia.* Denique, vt alia multa prætercam, Ieremias prædicens virtutes Christi Regis æterni, *Ecce*, inquit, *dies veniunt, dicit Dominus,*

Ierem. 23. *& suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra.* Verè igitur sapientia & iustitia dotes sunt quæ requiruntur in Regibus.

Iam verò, quod Beati omnes qui sunt in cælo, etiamsi fortasse multi illorum fuerint imperiti & rudes in terris, polleant sapientia eximia, & insigni virtute iustitiæ, vt meritò Reges cuiuscumque Regni fieri possent, extra controuersiam est. Nullus enim Bea-

D torum est in cælo, qui non videat ipsam Dei essentiam, quæ est prima causa omnium rerum; ac per hoc de fonte sapientiæ increatæ hauriunt sapientiam tantam, quantam nec Salomon, nec vllus mortalis homo vmquam habuit, excepto Domino nostro Iesu Chri-

Coloss. 2. sto, qui etiam tempore mortalitatis suæ Deum videbat, & erant in eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Porrò pro mensura sapientiæ datur etiam Beatis omnibus mensura plena iustitiæ, vt peccare deinceps neque velint, neque possint; sic enim loquitur sanctus Augustinus in libro de correptio-

De correptione, & gratia c.12. one & gratia: *Prima libertas voluntatis erat, posse non peccare; nouissima erit multo maior, non posse peccare.* Qui autem peccare non potest, iniustus quoque esse non potest: & cum

A charitas perfecta sic perfecta iustitia, vt idem sanctus Augustinus affirmat in extremo libro de natura & gratia; qui non potest Deum non summo & perfectissimo amore diligere, is non potest etiam non summam perfectamque iustitiam possidere. Qui verò Deum summum, & purum, & infinitum bonum vident, certè non possunt ab eo auerti, neque possunt illum non ardentissimo amore semper diligere: ex quo efficitur, vt Sancti omnes in cælo perfectè sapientes, & perfectè iusti; ac per hoc ad regnandum aptissimi semper existant. Lib. de natura & gratia c. vlt.

Exurge igitur, anima Christiana, & mente, quantum potes, ascende, & cogita, quale bonum sit regnare cum Deo, ac, vt nunc alia prætercam omnia, contemplationis alis cælos ipsos penetra, & thronum illum sublimem intuere, de quo Saluator dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Quanta enim erit illa gloria, coram infinita multitudine Angelorum collocari animam iustam in throno ipso Christi & DEI? & iusto DEI iudicio prædicari animam illam victricem mundi & mundi rectorum, atque omnium inuisibilium potestatum? Et quanta lætitia exultabit eadem anima, cùm se viderit defunctam omni periculo & labore, de omnibus hostibus suis felicissimè triumphare? Et quid erit quod vltrà desideret, cùm particeps facta erit omnium bonorum Domini sui, vsque ad consortium throni & Regni? O quàm alacriter pugnant in terris, & quàm facilè tolerant aduersa omnia propter Christum, qui fide viua & spe certa tam sublimes honores conspiciunt oculo mentis in cælo. Apoc. 3.

CAPVT V.

De bonis Regni Dei.

QVINTA ratio illa mihi esse videtur; quia bona Sanctorum in cælis degentium similia quidem videntur esse bonis regnantium super terram; sed tanto maiora & clariora sunt, quanto cælum præeminet terris. Itaque Regnum Beatis præparatum non simpliciter Regnum, sed Regnum cælorum dicitur: vt intelligamus, illam esse proportionem bonorum ad bona, quæ est terræ ad cælum, id est, rei angustæ humilis, sordidæ, temporariæ, ad amplissimam, & celsissimam, & nobilissimam, &, quod est omnium maximum, sempiternam. Bona Regni terreni numerari solent, potestas, honor, diuitiæ, deliciæ. Potest Rex terrenus imperare subditis, & nisi pareant, potest illos vinculis, carceribus, exilio, pecunijs, flagellis, morte mulctare. Hinc Reges tremendi populis, & quasi Dij quidam esse censentur. Rursus: honorari volunt Reges cultu quodam penè supra hominum naturam: volunt enim de geniculis adorari, nec dignantur sæpè, nisi flexo poplite & submisso in terram

vultu

vultu loquentes audire; & cùm fortè per plateas incedunt, volunt obuios quosque de via decedere. Ad hæc ærarium amplum & refertum auro & argento requirunt, neq; numerant redditus suos per centum aut mille nummos aureos, sed per decies centena millia; & rectè, cũ non debeant decem & viginti famulos alere, sed magnos exercitus in hostes ducere. Postremò non dignantur consuetis lusionibus animũ recreare, sed ad maiestatis suæ splendorem pertinere ducunt, vt in conuiuijs, in venationibus, in theatris multas auri atque argenti libras consumant. Atque hæc sunt ferè bona Principum terrenorum, quæ id imprimis commune habẽt, vt sint omnia breuia & caduca, & cum natali Principum incipiant, cum morte finiantur; nisi fortè aliquando contra accidat, vt diuturnior sit vita quã Regnum. Deinde non sunt pura bona, sed admistam habent potestas infirmitatem, honor ignominiam, diuitiæ paupertatẽ, & gaudia luctus ac mœrores. Potestas Regis illa est, vt pendeat populus à nutu Principis; sed admista est potestati infirmitas, quia pendet Princeps à brachiis & viribus populi. Quid efficiet nutus Principis in ciuitate capienda vel defendenda, si populus nequeat aut nolit manus cõferere? Nec solùm pendet nutus Principis à viribus subditorum, sed etiam à muris, à vallo, ab armis, à machinis bellicis, à pecunia, quæ neruus belli dici solet. Itaque populus pendet ab vna re, nutu videlicet Principis, & vni homini seruit: Princeps autem pendet à plurimis tũ hominibus, tum rebus alijs, & illis omnibus seruit. Denique potest Rex subditos vinculis, carcere, exilio, flagris, morte mulctare: sed potest etiam Rex (de facto loquor, non de iure) vinciri, carceri mancipari, exilio, vulneribus, morte mulctari. Id verum esse probauit Iulius Cæsar, Caius, Nero, Galba, Vitellius, Domitianus, Commodus, Heliogabalus, alij sine numero: nec solùm isti flagitiosi Principes, sed etiã modestissimi, Alexander Mammeæ, Gordianus iunior, Pertinax, Tacitus, Numerianus, Probus, Gratianus, Valentinianus secundus: vt omittam sanctos viros, sanctum Eduardum Regem Anglorum, sanctum VVenceslaum Ducẽ Bohemorum, sanctum Sigismundum Regem Burgundiæ, sanctum Kanutum Regem Daniæ, & alios. Veniamus ad honorem: coluntur certè Reges dum præsentes, & in conspectu aliorum sunt: sed in absentia plerumque conuitijs lacerantur & irridentur; & in præsentia quoq; multi eis adulantur linguâ, qui in corde suo eosdem contemnunt atque despiciunt; & si numerus iniri posset laudantium & vituperantium, multò plures inuenirentur vituperantes quàm laudatores. Verè igitur gloria Regum plerumq; minor est quàm ignominia: cùm præsentes qui honorant fastigium, sint pauci; absentes verò plurimi, quorum aliqui sordes auaritiæ notant, alij crudelitatem, alij luxuriam, alij alia vitia carpunt.

Sed fortasse diuitiæ Regum puræ sunt, nec admistam habent pauperiem; imo nulli omnino magis egeni ac pauperes Regibus inueniuntur: habent magnos redditus & magnos thesauros, sed habent æs alienum aliquãdo longè grãdius. Et non tam ille pauper est, qui parũ habet, quàm ille qui multa desiderat, quia multis indiget. Et nonne magnum est paupertatis argumentum, quòd ab ipsis etiam pauperibus obolos quasi mendicant, dum vectigalia exigunt minuta ab ementibus quæ sunt ad victum necessaria? Neque hæc dico, quasi reprehendere audeam exactiones vectigalium: scio enim, iustum esse, vt vectigalia & tributa pendãtur Regibus, dicente Apostolo in Epistola ad Romanos: *Subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideò enim & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Sed ostendere volui miseram conditionem Regum mortalium, qui necesse habent diuitijs abundare, & coguntur etiã à pauperibus & egenis earum partem colligere. Quid iam dicemus de commodis & delicijs? Habent certè Reges hortos, pomaria, mensas opiparas, venationes, theatra, & alia id genus multa ad animos recreandos aptissima: sed habent etiam plerumque podagras, stomachi & capitis dolores; & quòd amarius est, sollicitudines mentis grauissimas, quæ aliquãdo totas noctes insomnes ducere cogunt, suspiciones, timores, angores: si fores cubiculi noctu crepuerunt, proditionẽ suspicantur: si nuntiatur multitudo armatorum visa, defectionem timent. Ita gaudia mœroribus admiscentur, & quies sollicitudine interrumpitur: quæ causa fuit, vt nõ pauci, relictis Regnis, vitam priuatam elegerint. *Rom. 13.*

Sed beatum Ioannem Chrysostomum audiamus, qui in homilia quadam ad populũ Antiochenum de sui temporis Imperatoribus ita loquitur: *Ne diadema respicias, sed curarum tempestatem: neque purpuram intuere, sed animam ipsa purpura magis nigrescentem. Non ita corona caput circumdat, sicut animam sollicitudo. Nec in satellitum cateruam, sed in molestiarum multitudinẽ spectes. Nec enim priuata domus tot curis plena reperiri potest, quot Regia sunt: mortes per singulos dies expectata: in noctibus autem, nec dici quidẽ potest, quoties anima prosilit, & exilire se putat. Et hæc quidem in pace: si verò bellum ingruat, quid hac vita miserabilius esse possit? Quot autem à familiaribus pericula irruũt & subditis? quippe consanguineis cruoribus regium pauimentum semper est plenum. Et si vultis aliqua narrem, forsitan agnoscetis; maximè quidem, & antiqua, & nostris facta temporibus. Ille coniugem adulterij suspectam habens, nudam in montibus alligauit, & feris tradidit, iam factam sibi multorum Regum matrem. Qualem illum vitam agere creditis? non enim, nisi magno fuisset morbo consumptus, in tãtam erupisset vltionem. Hic ipse quidem suum iugulauit filium. Eius filiorum hic semetipsum interemit à tyranno comprehensus; ille verò nepotem suum regni consortem, quod ipse arripuerat. Hic autem dicitur & fratrem suum peremisse. Alter rursum post hæc venenatis sublatus est medicamentis: & calix fuit ei mors, non poculum: & eius filio, futurorum timore, cùm nihil iniuriæ patrasset, oculus erutus fuit. Alius, neque dicere decet, quàm miserabiliter vitam finierit. Sequentium autem hic quidem combustus fuit, tanquam miser quidam & infelix, cum equis & curribus, & alijs omnibus: vitæ enim ærumnas nemo sermone exprimere posset, quas cùm hic insurrexit, pati compulsus est. Hic verò, qui nunc imperat, nonne* *Hom. 66. ad popul. Antioch.*

postquam diademate coronatus est, in laboribus fuit, in periculis, in tristitijs, in insidijs? At non talis cælorum regia. Hæc ille. qui quàm verè dixerit, *non talis cælorum Regia*; quæ nunc dicemus, ostendunt.

Siquidem Reges Regni cælorum, quales sunt omnes illi qui cum Deo beati viuunt, potestatem habent sine infirmitate, honorem sine ignominia, diuitias sine paupertate, voluptatem sine dolore. de illis enim dicitur in Psalmo, *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* & in Apocalypsi: *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà.* Itaque potestas Regum illorum cœlestium maxima est, infirmitas nulla. Vnus Angelus sine exercitu, sine bombardis, sine gladijs & hastis interfecit vno impetu centum octoginta millia Assyriorum; neque timuit ipse, ne fortè ab aliquo milite vulneraretur. Refert sanctus Gregorius in libro Dialogorum, virum quendam sanctum, cùm immineret illi carnifex extenso brachio, & nudo gladio, vt eum occideret, exclamasse, Sancte Ioannes tene illum; & continuò manum carnificis diriguisse, vt eam nec deponere, nec mouere posset. Itaque sanctus Ioannes de summo cælo audiuit vocem clientuli sui, & percussorem eius tanta celeritate percussit plaga ariditatis, vt præuenerit ictũ iam inchoatum. Hæc est potestas Regum cælestiũ, vt nec distantia loci pœnè infinita, nec solitudo pauperculi & inermis iusti, nec multitudo hostium armatorum impedire potuerit sanctum Ioannem, quò minus supplicem suum à mortis periculo liberaret. Atque exempla eiusmodi sine numero possent adferri. Honor verò Regum illorum cælestium tantus est, vt non solùm viri pij, sed etiam impij, & ipsi etiam dæmones illos honorẽt. Multi sunt enim, qui sanctos homines, dum in terris viuerẽt, despiciebant & conculcabant, quos postea in cælum translatos præsertim si publico Ecclesiæ decreto inter Sanctos relati sint, venerantur & colunt: & ipsi etiam dæmones, qui viuentes in carne sanctos homines tentationibus fatigabant, sæpè etiam Deo permittente flagris & verberibus afficiebant, regnantium posteà cum Deo in cælis sacras reliquias & imagines timent. Quid dicam de diuitijs cælestium Regum? magnæ eorũ diuitiæ sunt, nulla re indigere, cùm Deus sit omnia in omnibus. Neque enim diues est, qui multa possidet, sed qui nihil desiderat, cùm nulla re indigeat. animus enim diues debet esse, non arca; vt omittã, quòd cælum & terra, & quidquid in eis est, ad Sanctorum diuitias pertinent; quid enim non possident, qui sunt *hæredes Dei, cohæredes autem Christi, quem constituit* Pater *hæredem vniuersorum?*

Restat voluptas, quæ omnino pura & liquida est in Regibus cæli, sine vlla admistione doloris aut mœroris; iam enim audiuimus ex Apocalypsi, abstersurum Deum omnem lacrymam ab oculis eorum, neque vllum futurum amplius dolorem aut luctũ. Sed de voluptate plura dicenda erunt, cùm de Paradiso loquemur. Habemus igitur, bona regnantium talia in cælo futura esse Sanctis omnibus Beatisque communia, vt quæ sunt in terris, nullo modo cum illis comparari posse videantur, præsertim cùm terrena temporaria sint, cælestia sempiterna.

Psal. 90. Apoc. 21. 4. Reg. 19. Lib. 3. c. 36. 1. Cor. 15. Rom. 8. Hebr. 1. Apoc. 21.

Caput VI.

Quanti fiant apud homines Regna terrarum; & quanti fieri deberet Regnum cælorum.

Iam verò paulisper attendamus, quanto ardore Regna terrena concupiscantur ab hominibus, quãtumuis caduca, exigua, plena timoribus & solicitudinibus; vt inde colligamus, quanto amore concupiscenda, & quãto ardore quærenda sint Regna cælestia. Regnandi cupiditas sine dubitatione cupiditates omnes humanas facilè superat: nam Regnum nõ est vnum singulare bonum, sed est aggregatio bonorum omnium, quæ ab hominibus appetuntur. Ibi sunt potestas, honor, diuitiæ, voluptas, vt paulò antè dicebamus: ibi est libertas viuẽdi pro arbitrio, quæ naturaliter ab omnibus appetitur non solùm hominibus, sed etiam bestijs: ibi est excellentia, & quædam quasi diuinitas, ob quam Reges in Regno pares nullos habent, sed omnibus præstãt, omnes superant, ab omnibus adorantur. Hinc videlicet Reges, cùm aliquid polliceri volunt, nihil maius inueniunt, quàm dimidium Regni sui. Sic Assuerus ad Esther: *Quid vis,* inquit, *quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi.* & Herodes ad filiam Herodiadis: *Pete à me,* inquit, *quod vis, & dabo tibi; & iurauit illi, Quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium Regni mei.* Hinc fit, vt ad Regna quærenda vel propaganda licere sibi existiment homines omnia iura peruertere; neque aliquid tam sanctum esse, quod non liceat regnandi causa violare. Primus omnium, quæ amicos & vicinos sine vlla iusta causa bello lacessiuit, Ninus fuit; vt videlicet per fas & nefas Imperium propagaret, vt ex Iustino S. Augustinus refert in libro de Ciuitate Dei. Iulius Cæsar, vt regnaret, primus patriam oppressit. Maximinus Thrax Alexandrum Imperatorem, à quo plurimis & maximis beneficijs affectus erat, per milites suos occidit, vt illi succederet in Imperium. Quod idem fecit Philippus Arabs domino suo Gordiano Imperatori, scelere prorsus inaudito. Nec solùm regnandi libido contra proximos & benemeritos; sed etiam contra fratres, nepotes, & ipsum patrem, manus sanguine cõiunctorum armauit. Romulus regnandi causa Remum fratrem, & Caracalla Getam fratrem occidit. Athalia nepotes omnes ex filio Ochozia Rege sustulit, vt ipsa regnaret, vt legimus in libro 4. Regum. Ita regnandi cupido nõ solos viros, sed etiam feminas accendit ad horrenda patranda facinora. Sinochus Persa Chosdroam patrem, & Medarsem fratrem interimendos curauit, vt solus ipse regnaret. Quid? quòd Neronis mater, cùm accepisset ab Astrologis, filium suum regnaturum, sed matrem interempturum, dixisse fertur: *Interimat, dum imperet.* Itaq; tanti fecit ambitiosa mulier Regnum filij, vt vitam ipsa suam postposuerit Regno filij. Neque solùm regnandi amor iniusti-

Esther. 5. Marc. 6. Iustin. lib. 1. Lib. 4 de Ciuitate Dei cap. 6. 4. Reg. 11.

...iustam facit, & amorem fratrũ, nepotum, ...entum superat; sed etiam religionem iurisiurandi (quæ apud oẽs gentes sanctissima semper est habita, & hostibus etiam crudelissimis, licet cum vitæ periculo, seruanda visa est) regnãdi causa violandã esse decernit. Si enim Ciceroni credimus in libro 3. de officijs, Iulius Cæsar versus illos Euripidis in ore semper habebat: *Si iurisiurandum violandum est, regnandi causa violandum est: in cæteris pietatem colas.* Prætermitto exempla sine numero, quæ omnibus sæculis demõstrarunt, nihil omnino esse quod ab hominibus pluris æstimetur, quàm Regnũ: & tamen non solùm Reges non diu regnant, sed ipsa etiam Regna omnia breui funditus interibunt, & Regnum Sanctorum solum manebit in æternum. Audi Danielem Prophetam, cap. secundo: *In diebus*, inquit, *Regnorum illorum, suscitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, & Regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet vniuersa Regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Vaticinium hoc implendum est in consummatione mundi: tunc enim non solùm Monarchiæ maiores, sed etiam parua Regna & magistratus, & potestas temporalium Principum omnis euanescet; & Regnum Christi & Sanctorum æternum erit, iuxta verbum Angeli Luc. 1. *Et regni eius non erit finis.*

Iam si Regnum breue, & caducum, & quod paucis contingit, & quod aspersum est amaritudinibus plurimis, tam ardẽter amatur, quæritur, rebus omnibus anteponitur, & per vulnera & magnam sanguinis effusionem acquiritur: quæ causa est, cur cæleste Regnum tam pauci ament, & tam negligenter quærant? & tamen pro comperto habemus, si Scripturis sanctis credimus, Regnum illud omnibus hominibus patêre, & sine vulneribus & sanguinis effusione posse acquiri, & sine vlla comparatione Regnis terrenis omnibus præstare. Si dicerem, Contemne Regnũ, vt accipias paruum agellum aut vineam; meritò rideres aut mirareris: sed cùm dicam, vel potius Deus dicat, Contemne Regnum vile & exiguum, & quære pretiosum & magnum, quod si velis, cum gratia Dei, quæ non deerit, poteris obtinere; cur non assurgis ad illud desiderandum & procurandum? Ego certè non capio, quid responderi possit, nisi gloriam Regni terreni oculis nostris patêre, & quasi manibus tangi, Regnum cæleste non videri, nec tangi, & vix per fidem vtcumque cogitari. Atque hoc quidem verum est: sed si quis velit attentè considerare, quantam vim habeat Scripturæ sanctæ veritas, antiquitas, sinceritas, grauitas; & quàm in hac parte eadem Scriptura sancta perspicuè dilucideq; loquatur; & quanta testium nubes illam multis iam sæculis confirmauerit, non solùm miraculis, sed etiam sanguine; profectò non poterit non clamare: *Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis.* (Psal. 92.) Quare non obscuritas fidei causa est, cur ad quærendum Regnum illud cæleste non accendamur; sed quòd occupati rebus exterioribus, & mole consuetudinis prægrauati, non captamus spatiũ cogitandi & meditandi quid nobis expediat: & iuxta consiliũ Domini non intra- (Matth. 6.) nus cubiculum cordis, & clauso ostio non attentissimè Deum rogamus, vt in tanto negotio nobis adsit. Profectò enim si sepositis aliquando minoribus curis, seriò cogitaremus, quid sit Regnũ cælorũ, & quàm facilè & certò possit acquiri, & quanto interuallo distent à temporalibus sempiterna, à minimis maxima, à leuissimis grauissima, deniqueà Regnis terrenis Regna cælestia; sine dubio tantus contemptus temporalium sedium, & coronarum, & sceptrorum, & contrà tantus ardor cælestium in nobis oriretur, vt non solùm non difficile, sed etiã facillimum nobis fieret, dare operam totis viribus, in quærẽdo & comparando Regno Dei; ad quod, tanquam ad verum & vltimum nostrum finem, ab optimo Creatore conditi sumus.

Caput VII.

Quæ sit prima semita ad Regnum Dei.

Illud igitur nunc quæramus, quid facto opus sit, vt ad optatissimum & felicissimũ Regnũ cæleste perueniamus. Sed non multùm in hac parte laborandum erit: siquidem Rex ipse cælorum ad nos docendos descendit in terras; & Magister ac Dux noster effectus, quatuor optimas & tutissimas semitas nobis ostendit. Prima illa est, *Quærite primùm Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* (Matt. 6.) Doctrina moralis à fine inchoanda est: finis noster Regnum Dei est; quod idem Regnum nostrum erit, si per semitas Ducis nostri ambulantes illuc perueniamus. Porrò iustitia Regni Dei quasi scopus est, ad quem collimare debemus, si præmium Regni cælestis optamus. Vt enim rectè docet Ioannes Cassianus in prima sua Collatione, aliud est finis, aliud est scopus: (Collat. 1. c. 2.) scopus est signum, ad quod diriguntur sagittæ; finis est præmium quod accipiunt, qui signum illud certiùs attigerunt. Scopus actionum nostrarum à Deo propositus, iustitia est; præmium scopum attingẽtium, Regnum cælorum est. Sed iustitia Regni Dei non est iustitia Scribarum & Pharisæorũ, quæ in externa præceptorum obseruatione posita erat: nec iustitia Philosophorum, quæ lumen rationis humanæ per peccatum corruptæ non transcendebat: sed est iustitia Euangelica, (Matt 22.) quæ docet Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus; & proximum quemcunque, etiam inimicum, diligere sicut seipsum. De hoc scopo & fine dicit sanctus Paulus: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* (Rom. 6.) Hoc igitur est quod Dux noster nos admonet, vt primùm omniũ quæramus Regnum Dei, & iustitiam eius; id est, vt primaria nostra cogitatio, summumque desiderium nostrum non feratur in vlla temporalia bona, sed in adipiscendum Regnum cælorum, & in perfectam mandati illius primi & maximi diligentissimã obseruantiam: quòd quia paucissimi faciunt, ideò *multi sunt vocati, pauci verò electi.* (Matt 22.) plerique enim ita viuunt, ita se gerunt, vt postrema eorum cogitatio sit, quomodo perueniant ad Regnum cælorum, neque aliud frigidius optent, quàm Regnum Dei, & iustitiam eius: quasi Dominus dixisset, Primùm quærite Regnum mundi, & versutias

eius,

eius, & Regnum Dei adiicietur vobis. At non tam vile est Regnum Dei, vt obtrudi debeat illis, qui adeptionem eius rebus omnibus postponunt. Si quis autem velit facilem quandam viam discere ad obtinendã iustitiã Regni Dei, quæ ad ipsum Regnum rectissimè certissimeq; perducit, audiat eundem Magistrum nostrum Christum: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Itanè, Domine, tanta est apud te facilitas inueniendi iustitiam, vt eam solùm esurire & sitire sufficiat? Beati profectò essent pauperes omnes, si solùm esuriendo & sitiendo pecunias, pecunijs ita replerentur, vt saturati nihil vltrà requirerent. Sed aliud est esurire & sitire pecunias, aliud esurire & sitire iustitiam. Qui enim esuriunt & sitiunt iustitiam, id est, qui sic anxiè & auidè quærunt iustitiam, vt ij qui valdè sitiunt aquas, vel esuriunt cibos, profectò de illa semper cogitant, ad illam suspirant, &, quod potissimum est, illam à Deo gemitibus inenarrabilibus postulant. Deus autem talia petentes libenter exaudit, atque iustitiæ donis ita illos replet, vt satiati eructent verba & facta iustitiæ. Non autem tale bonum est pecunia, vt qui eam desiderat vel petit à Deo, continuò exaudiatur: multi enim pecunijs abutuntur, iustitia verò nemo potest malè vti. denique iustitia similis est sapientiæ, de qua sanctus Iacobus ait: *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* O ineffabilis clementia Domini! qui facilius libentiusque tribuit ea, quæ sunt nobis maximè necessaria, quã nos postulemus aut desideremus. Si quis ergo indiget sapientia Sanctorum, & si quis pariter indiget dono iustitiæ; quæ necessariæ sunt ad Regnum cælorum adipiscendum, postulet à Deo, sicut oportet, ex animo, seriò, gemitibus inenarrabilibus, & securus accipiet; quia Deus dat omnibus sic petentibus, neque vllum repellit; & non dat auarè vel parcè, sed affluenter; & non improperat, quasi molestè ferens, si quis frequenter petat. Quid hic dicemus? quis in die iudicij excusare poterit ignorantiam vel infirmitatem? Esurias tantùm iustitiam, & petas eam à Deo, & satiaberis ex ea, vt iam non esurias carnis blanditias, nec honorum lenocinia, vec vlla alia bona terrena; & sic iustè, sobriè, & piè viues in hoc sæculo, vt in futuro ad Regnum peruenias sempiternum.

Matt. 5.

Iacob. 1.

CAPVT VIII.

Secunda semita ad Regnum Dei.

ALTERA semita iustitiæ, quam Dux noster ostendit, illa est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Quo loco non imperatur nobis, vt arcam vel marsupium omninò pecunijs inane reddamus, sed vt cor nostrum affectu & cupiditate rerum externarum penitus euacuemus. Offert nobis Dominus opes immensas, sed non dabit, nisi cordis sinum apertum, & vacuum penitus offeramus. *Radix omnium malorum est cupiditas,* quæ Græcè dicitur φιλαργυρία, id est, amor argenti; radix omnium bonorum est charitas, quæ duo simul manere non possunt. Ideò nisi quis verè & omnino pauper spiritu efficiatur, ita vt siue magnas siue exiguas opes habeat, illis non afficiatur, & facilè distribuat indigentibus, neq; in vsum suũ conuertat, nisi quantum necessitas exigit; non poterit implere iustitiam Regni cælorũ, ac per hoc nec ipsũ cælorum Regnum adipisci poterit. Hæc vera semita est ad vitam æternam; hanc ipse primus ingressus est Christus, qui propter nos egenus factus est, vt nos inopia sua locupletaret: & quamuis loculos haberet, tamen Iudæ illos credidit, quem furem esse non ignorabat, vt intelligeremus, quàm animus eius liber esset ab amore pecuniæ. Hanc semitam ingressi sunt Apostoli, quibus non difficile fuisset augeri diuitijs, & in immensum locupletari, quando signis & prodigijs coruscabant, & linguis omniũ gentium loquebantur, & sapientiã toti mundo admirabiles erant: sed qui semel dixerant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*; & gustauerant dulcedinem libertatis à visco & amore diuitiarum; victu & vestitu contenti, magnum quæstum existimabant pietatem & iustitiam Regni Dei. Hanc semitam ingressi sunt non solùm Monachi & Eremitæ, sed etiam Reges & Pontifices, qui ad Regnum cælorum peruenerunt. Certè sanctus Ludouicus Rex Francorum diues erat; sed quia simul spiritu pauper erat, vulgari vestitu vtebatur, ieiunabat frequenter, pauperibus largus, sibi sibi parcissimus erat: nec legitur in ludos & conuiuia pecunias insumpsisse. Sanctus quoque Gregorius Pontifex Maximus erat, & multa varijs in locis patrimonia Ecclesiastica satis ampla, & pinguia possidebat: sed quia ipse quoq; spiritu pauper erat, tam fuit in eleemosynas profusus, in proprium vsum parcus, ac penè auarus, vt metas liberalitatis in alios, & parcitatis in se ac suos excessisse videretur. Sed hæc est via, quæ ducit ad vitam.

Matt. 5.

1. Tim. 6.

2. Cor. 8.

Ioan 12.

Matt. 19.

1. Tim. 6.

Ac vt par feminarum spiritu pauperum adiungamus, sancta Paula Romana, cuius Vitam sanctus Hieronymus scripsit, non minus diues opum, quàm pauper spiritu fuit: quippè femina nobilissima copias suas in extruendis monasterijs, & pauperibus alendis tanto ardore consumpsit, vt in votis haberet ad eam inopiam redigi, vt funus eius aliena misericordia curari oporteret: quàm parcè autem ipsa pro se diuitijs vteretur, illud argumento esse potest, quòd carnibus, & ouis, & vino sibi ipsa interdixit; pro lineo indusio cilicio vtebatur, humi cubabat solo substrato cilicio; precibus & lacrymis assiduis minuta etiam peccata purgabat. Iam Eduigis Regina Poloniæ, diues opum, sed paupertate spiritus ditior, vnica eaque vili contenta tunica, etiam in summis frigoribus vtebatur, ieiunabat quotidie, Dominicis & magnis festis diebus exceptis; flagellis, vigilijs, & omni genere asperitatis corpusculum affligebat. Ex his potest intelligi, quibus in rebus opes regias insumeret, & quàm modico, vel nullo potiùs amore prosequeretur diuitias? Proinde mirum non est, si magnis itineribus ad Regnum cælorum mulier tam pauper spiritu, & tam ab omnibus alijs curis expedita peruenit.

Surius in eius Vita, cap. 4.

Caput IX.

Tertia semita ad Regnum Dei.

Tertia semita Ducis nostri illa est, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Admiranda planè sapientia Doctoris nostri Christi, sed occulta planè sapiētibus huius mundi. Quis crederet, nisi Magister Deus diceret, bonum esse, pauperem esse pecuniarum, diuitem pressurarum? & tamen verè sic est. Nihil vtilius ad veras diuitias comparandas, quæ sunt merita Regni cælestis, quàm animum habere vacuum affectu pecuniarum, & simul plenum desiderio patiendi pro Christo. Audi Dominum apud Lucam: *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis. Væ vobis, qui ridetis.* Et contrà in eodem loco: *Beati pauperes; beati qui nunc esuritis; beati qui nunc fletis: beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrū tanquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate; ecce enim merces vestra multa est in cælo.* Audi beatum Iacobum, quid de diuitijs, quid de tribulationibus dicat: *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet.* Vbi non dicit, Tolerate, sustinete, patientes estote; sed, Gaudete, imò verò *omne gaudium existimate,* id est, suscipite tribulationem, non vt tribulationē, sed vt materiam omnimodi gaudij. Contrà verò de diuitijs: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs quæ aduenient vobis.* & capite superiore: *Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.*

At vnde fit, vt persecutio beatum hominem faciat, quæ miserum potius facere videtur? Multa hic dici possent: sed illo ero contentus vno, quòd persecutio similis est fornaci ignis ardentis; ignis autem coquit cibos, purgat argentum, probat aurum: sic etiam persecutio, si patienter toleretur, coquit peccatores, purgat imperfectos, probat iustos; & sic omnibus mirificè prodest. Peccator est quasi caro cruda, quæ nisi ritè coquatur, proijcitur ad bestias, nō comeditur ab omnibus. Est enim peccator malis humoribus plenus: concupiscentia carnis, quæ est luxuria; cōcupiscentia oculorum, quæ est auaritia; & superbia, quæ est ambitio. Sed si accedat fornax persecutionis, illo igne siccatur & coquitur, vt fiat idoneus qui ad mēsam Domini honorificè deferatur. Ingruente siquidē persecutione vel tribulatione graui, obliuiscitur libidinum, lucrorum, ambitionum, incipit omninò alius esse quàm antè fuerat. Homo verò iustus, sed imperfectus, quamuis non labatur in horrenda flagitia, tamen amicus est carnis suæ, sequitur voluptates, amat lucra, non abhorret à vanitatibus mundi. Itaque similis est argento scoriam multam habenti admistam. Sed si fornax magnæ persecutionis illum corripuerit, eamq; patienter tulerit, incipiet paulatim ab argento scoria separari; incipiet, inquam, intra se colligi, meditari quæ sursum sunt, abstinere à carnalibus desiderijs, deniquè iustè, sobriè, & piè viuere in hoc sæculo, & expectare beatam illam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. Denique vir perfectus in charitate aurum est, sed probādus igne persecutionis, ne putetur ab alijs, & ipse etiam suspicetur aurichalcum esse, non aurū: vbi enim ignem persecutionis patienter ferre conspicitur, non solùm ab alijs cognoscitur esse qui est, sed ipse quoque erigitur in spem magnam, & securior mercedem illam Regni cœlestis expectat. *Tribulatio,* inquit Apostolus, *patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Et ipse Deus probatum amicum suū igne tribulationis, quotidie magis ac magis prouehit & exaltat, donec ad consortium Regni felicitatisque perducat. Ecce quàm multa parit patientia in persecutionibus. Et quidem mirum est, quàm pauci sint, qui bonis istis fruuntur, cùm bona ista omnibus pateant: siquidem persecutio vbique inueniri potest, vbique nobis occurrit, in domo, in via, in foro, in templo; vbique enim mali oppugnant bonos: & certissima est Apostoli sentētia, *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Sed nos delicati milites vel fugimus fornacem probantem, vel acceptam iniuriam refundimus in aduersarium; & non solùm persecutionem nō patimur, sed facimus. Et non desunt *inimici hominis domestici eius,* qui laudant eum, qui se iniuria (vt ipsi loquuntur) exonerat, & onerat aduersarium; & tamen Christiani dici volunt, qui Christi præcepta contemnunt.

Matt. 5.
Luc. 6.
Iacob. 1.
Iacob. 5.
1 Ioan. 2.
Tit. 2.
Rom 5.
2. Tim 3.
Matth 10.

Caput X.

Quarta semita ad Regnum Dei.

Sed quoniam hæc valdè difficilia sunt, & pauci valdè hæc intelligunt, & multò minùs experiri volūt, ideò Dux noster quartam semitam, eamque angustissimam demonstrauit, dicens: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* ac si dicere voluisset, Non ignorabam, paradoxa visum iri hominibus, beatos esse pauperes, miseros diuites; & contrà, gaudendum in persecutionibus, flendum in prosperitatibus: neque me latebat, raros fore qui vellent præsentia bona pro futuris acquirēdis dimittere, & præsentia mala pro futuris vitandis optare: sed ego qui veritas sum, non potui nec debui nisi vera dicere; ideò nunc addidi, Regnum cælorum non posse nisi à vim magnam facientibus rapi, & solos violentos illud arripere. Ideò alibi dixi: *Quàm difficile qui pecunias habent, in Regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum Dei.* & rursum alibi: *Quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam!* & item alibi dixi: Regnum cælorum simile est thesauro abscondito in agro, & margaritæ pretiosæ, quæ nisi venditis omnibus emi non possunt: vt sit omnino necesse priuari hominem omnibus quæ habet in terra, si cælestem thesaurum, & margaritam pretiosam possidere velit in cælis. Et item alibi protestatus sum apertè, & sine ambagibus dixi: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non*

Matth. 11.
Luc. 18.
Matth. 7.
Matth. 13.
Luc. 14.

potest

potest meus esse discipulus. Quæ renuntiatio quãuis in præparatione animi intelligenda sit: tamen quoniam vera animi præparatio ad omnia temporalia dimittenda, si salus animæ, vel Dei gloria id requirat, non est res facilis, & in paucis inuenitur; ideò similitudines illas addidi, de eo qui vult turrim ædificare, & non habet ad perficiendum, & de Rege qui cogitat bellum gerere aduersus alium Regem, & non habet pares vires, vt cum spe victoriæ possit illi occurrere. Et si ædificatio turris absque maximis pecunijs, & bellum aduersus potentem Regem sine maximo exercitu, res sunt difficillimæ, ac penè impossibiles: quantò difficiliùs erit simul vtrumque præstare? Vtrumque autem præstare debet, qui Regnum cœlorum expugnare velit: nam & turris ædificanda est, quæ pertingat ad cælum; id est, merita comparanda, quæ vitam æternam promereantur: & simul pugnandum est cum hostibus plurimis & fortissimis, spiritibus videlicet immundis, qui totis viribus turris illius ædificationem impedire moliuntur. Cuius rei figura præcessit in filijs Israel, qui cùm Ierusalem à Chaldæis dirutam atque euersam reædificare vellent, & à gentibus vicinis bellantibus impedirentur, necesse habebant incredibili sollicitudine, & labore vna manu ædificare, altera præliari. Ex quibus omnibus illud efficitur, Regnum cælorum non sine magno labore & sudore obtineri posse ab ijs, qui rebus terrenis addicti sunt, neq; carnis concupiscentiam domare, aut cum hostibus inuisibilibus pugnare didicerunt. Si qui tamen velint aspirante gratia Dei, seriò perfectioni Christianæ studere, & non perfunctoriè, sed attentissimè Christi voces considerare, & eiusdem ac Sanctorum omnium exempla sectari, paulatim eis dilatabitur via, aperientur portæ, vires animi crescent, hostes diminuentur, & crescente charitate Dei in Christo Iesu, incipiet onus videri leue, & iugum suaue; & illud Isaiæ complebitur: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient:* & dicent cum Propheta Regio: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Profectò non erat sancto Antonio graue totas noctes insomnes ducere, immò breuissima videbantur spatia noctis præ diuinæ contemplationis dulcedine, quando de sole ipso querebatur, dicẽs: *Quid me impedis sol, qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate?* Neque durum erat eidem, atque alijs ei similibus, per integras hebdomadas continuare ieiunia, quãdo verbi diuini lectione quasi cælesti pane reficiebantur. Neque amarum erat sancto Augustino carere suauitatibus nugarum, quibus ab ineunte adolescentia assuetus erat, quando gustare cœpit suauitatem diuini amoris, & deliciarum contemplationis internæ. Quare nemo despondere animum debet, quicumque ille sit, sed sperare in adiutorio Altissimi, qui sicut nos fecit ad se, ita etiam trahet ad se, & in Regno suo per merita Filij sui collocare dignabitur, quos pretioso Sanguine eiusdem Vnigeniti sui redimere dignatus est.

2. Esdr. 4.
Matt. 11.
Isai. 40.
Psal. 118
Cassianus Collat. 9. cap. 31.

Quare, anima Christiana, non solùm non debes ob difficultatem viæ animum despondere, sed sperare in Domino qui non inuitaret ad Regnum suum in primis quærendum, nisi paratus esset auxilio suo potentissimo nos adiuuare. Aggredere igitur magno animo iter viæ. Nullus est hîc deliberationi locus. Nam si magnus sese offert labor, maius omninò sese offert præmium: & si magnæ sunt vires hostiũ qui impediunt, maior est potentia eius, qui adiuuat, Dei. Et si tam multi omnium ætatum, & omnis sexus potuerunt, per viam hanc ad Regnum peruenire, cur tu nõ poteris per viam eandem peruenire? Illi enim non saxei aut ferrei erant, sed carnei, mortales, fragiles; & ideò non in se potuerunt, sed in Domino Deo suo. Cur igitur & tu, quamuis debilis & infirmus, non poteris in Domino Deo tuo? *Proijce te in eum*, inquit sanctus Augustinus, *noli metuere; non se subtrahet vt cadas: proijce te securus, excipiet te, & adiuuabit te.* Fidelis Deus est, se ipsum negare non potest. Duo solùm à te requiruntur; vnum, vt firmissimè statuas gloriam Dei & æternam salutem tuam rebus omnibus anteponere: alterum, vt non in viribus tuis, nec in prudentia tua, sed in Dei omnipotentia & infinita charitate confidas. Hæc duo si verè præstiteris, efficientur tibi *praua in directa, & aspera in vias planas*; & seruies Domino in lætitia & exultatione, & cantabis *in vijs Domini, quoniam magna est gloria Domini.*

Lib. 8. Confess. cap. 11.
Isai. 40.
Psal. 137.

DE AETERNA FELICITATE SANCTORVM SVB nomine Ciuitatis Dei,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De pulchritudine Ciuitatis Dei.



GLORIOSA *dicta sunt de te Ciuitas Dei*; propterea concupiui & ego decorem tuũ meditando vtcumque per speculum in ænigmate videre. Atq; illud primùm omnium considerandum occurrit, cur Sanctorum felicitas, quæ Regnum cælorum in Scripturis sanctis dicitur, dicatur etiam Ciuitas Dei. Et illa ratio mihi esse videtur, quoniam sicut Regnum dicitur ob amplitudinem; sic etiam Ciuitas dici meretur ob venustatem: potuisset enim aliquis, cùm audit Regnum latissimum atque vastissimum, suspicari in eo multa loca deserta & squallida, solis bestijs peruia, montes incultos, valles siluestres, rupes inaccessas, denique dumeta, præcipitia, & alia id genus. Sed quoniam omnis hæc infelicitas longissimè abesse debet à felicitate Sanctorum, ideò Spiritus sanctus in Scripturis suis admonuit, Regnum cælorum simile esse pulcherrimæ & ornatissimæ ciuitati; & quamuis latissimè longissimeque pateat, totum tamen ita nitere & splendere, vt ciuitas frequentissima & opulentissima solet. In ciuitatibus enim, præsertim maioribus, visuntur templa ornatissima, palatia superbissima, horti amœ-

Psal. 86.

nissimi, fora amplissima, domus frequentissimæ, fontes, columnæ, pyramides, obelisci, theatra, turres, officinæ omnium rerum ad vsum humanum vtilium. Quæ species esset Italiæ, si sublato sterili Apennino tota fulgeret vt Roma, non qualis nunc est, sed qualis sub Augusto Cæsare erat, qui eam ex lateritia marmoream reddidit? Et quàm formosa fuisset olim Syria, si tota fuisset, qualis erat Ierosolyma paulò antè quàm à Romanis euerteretur? describit enim eam Iosephus libro 6. de bello Iudaico, vt omninò stupori sit magnificentia Vrbis illius, de qua non sine causa canit Propheta, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*; & tamen nondum peruenerat ad eam eminentiam, ad quam post Dauidem & Salomonem Herodes magnus illam euexit. Quàm autem præclara fuisset Chaldæa, & omnis Assyria & Mesopotamia, vel potiùs Oriens totus, si Babylon ciuitas omnem illam mundi partem mœnibus suis complexa esset? Sic enim de ea scribunt Plinius libro sexto, & Strabo libro 10. vt incredibilis videatur eius magnitudo & pulchritudo. ex quo, è septem miraculis mundi Babylon ciuitas vnum esse memoratur. Qualis igitur erit Ciuitas illa cælestis, superna Ierusalem, quę totum occupat Regnum cælorum? id est, quæ facit, vt Regnum illud Regnorum omnium maximum ita splendeat ac fulgeat, ac si esset totum vna ciuitas pulcherrima & ornatissima, nusquam inanis, nusquam deformis, nusquam vilis, nusquam inculta, nusquam horrida. Certè talis est Ciuitas superna, vt nemo de ea seriò cogitet, quin in cupiditatem tantæ rei continuò exardescat: & nemo verè exardescat, quin continuò relictis omnibus eam requirat, & nunquam quiescat, donec eam inueniat. Audi quid de illa Ciuitate dicat Tobias senior in spiritu exultans & canens: *Luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Portæ Ierusalem ex Sapphiro & Smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius: ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur.* & Tobiæ concinit sanctus Ioannes in Apocalypsi, dicens: *Et erat structura muri eius ex lapide Iaspide: ipsa verò Ciuitas aurum mundum simile vitro mundo: & fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretioso ornata: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea Ciuitatis aurum mundum.* Neque verò cælestis Ierusalem verè ex auro & lapidibus pretiosis, quales habentur in terris, ornata cernetur: sed hæc ita dicuntur, vt intelligamus, cælestem Ciuitatem tantum præstare terrenæ, quantum aurum præstat luto, & margaritæ saxis, & stellæ lychnis, & sol faculæ, & cælum terræ, & mortalibus architectis immortalis opifex Deus. Sed quia de pulchritudine omnium partium ciuitatis Dei paulò infrà dicturi sumus, nihil hic addemus ampliùs.

Lib. 6. c. 6. — Psal. 86. — Tob. 13. — Apoc. 21.

CAPVT II.

De concordia & pace Ciuitatis Dei.

ALTERA causa cur Regnum Dei dicatur etiam Ciuitas Dei, illa esse videtur, quia Regnum continere solet multitudinem propè infinitam gentium diuersarum, linguis, moribus, legibus inter se distinctarũ, vbi multi multos eiusdem Regni nunquam viderunt, multò minùs cum eius amicitia iuncti sunt: Ciuitas verò solos continet ciues eiusdem linguæ, & morũ eorundem, & qui legibus iisdẽ & consuetudinibus gubernantur. Idem igitur dicitur Regnum & Ciuitas, quia Regni cælestis habitatores, quamuis plurimi sint, & numerari vix possint; & vt loquitur sanctus Ioannes, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis sint congregati; & rursum ex Angelis, Archangelis, Principatibus, Potestatibus, Virtutibus, Dominationibus, Thronis, Cherubim & Seraphim constent, qui multo plures quàm homines sunt, & non gentibus, & populis, & linguis, sed naturæ diuersitate, id est, specifica differentia singuli distinguuntur: tamen sunt omnes veri ciues, concordes, vnanimes, & vnica ac sola charitatis lege reguntur. Itaque sunt omnes cor vnum, & spiritus vnus. Et quia charitas odio, inuidentiæ, contentionibus, discordijs, rixis, alijsque peccatis & vitijs contraria est: ideò ab illa sancta Ciuitate Ierusalem procul absunt iræ, rixæ, contentiones, inuidiæ, & similia; & sola charitas regnat, & cum ea iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Factum est quidem ab initio creationis rerum prælium magnum in cælo inter Michaelem Archangelum & draconem: sed Archangelus Michael & Angeli eius qui in veritate steterunt, & Domino suo fidem & obedientiã seruauerũt, de dracone & angelis eius, qui in superbiam erecti ab ipso communi Domino defecerant, victoriam reportarunt; *& proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram.* Ab illo tempore Ciuitas sancta Ierusalem cælestis posuit fines suos pacem; nec audita est in ea tuba bellica, neque audietur vltrà vsque in æternum.

Apoc. 7. — Rom. 14. — Apoc. 12. — Psal. 147.

Quid ergò dulciùs, quid feliciùs hac Ciuitate? Quibus nota sunt mala bellorum, deprædationes, cædes, rapinæ, incendia, sacrilegia, ij facilè prædicare possunt, quanta sit iucunditas & amœnitas pacis. Sed omissis publicis bellis, quis est, qui in ciuitate sua, imò etiam in domo sua, non sit expertus, quàm sit amarum versari cum iracundis, vel asperis hominibus, qui omnia in partem deteriorem interpretantur? *Discede ab iniquo, & deficient mala abs te*, inquit Ecclesiasticus. Sed quò ibimus, vbi non inueniamus iniquos? & si vbiq; inueniuntur iniqui certè in omni loco comitabuntur nos mala, dum sumus in hoc exilio. Audi quid idem Ecclesiasticus dicat de vxore mala: *Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* & si socia vitæ propter nequitiam vertitur in leonem & draconem, quantis angoribus expositi sunt plerique mortales? *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur*, ait Apostolus. Quàm infelix igitur est ciuitas mundi huius, in qua necesse est aduersarios pati, & bella gerere? Nam si pius esse velis, persecutionem hominum patieris: si volueris impius esse, vt persecutionem hominum fugias, incides in iram Regis altissimi

Eccl. 7. — Eccl. 25. — 2 Tim. 3.

atque

atque omnipotentis, qui te persequetur,& viuum, mortuumque mactabit, cuius iræ resistere nemo potest. Infelix & funesta regio, in qua nemo bellum, nemo persecutionem fugiet,nemo pacem veram inueniet. Quin igitur toto corde diligimus & laudamus Ciuitatem cœlestem, à qua sola omnis persecutio abest,& in qua bella nulla,nullæ inimicitiæ,nullæ rixæ locum habere possunt.

CAPVT III.

De libertate Ciuitatis Dei.

TERTIA causa, cur Regnum Dei Ciuitas appelletur, illa est, quia Regnum formam habet monarchicam,quę libertati opponi videtur: & tamen ciues cœli omnes liberi sunt,& mater nostra quæ sursum est, Ierusalem, libera est, vt Apostolus Paulus scribit ad Galatas. Qui Beatus Apostolus scit quid loquatur, cùm raptus fuerit aliquando in tertium cœlum, & in Paradisum, & exploratos habeat mores & iura Ciuitatis. Ergo cùm Regnum videatur includere seruitutem, & Ciuitas libertatem; Regnum illud Ciuitas dici poterit,vbi qui Regi seruiunt,liberi sunt. Est autem in sanctis habitatoribus cœli, non vna & simplex,sed multiplex libertas. Primùm enim liberi sunt ciues illi omnes à seruitute peccati; quia libertas prima quæ fuit in Paradiso terrestri, erat, posse non peccare; libertas secunda longè maior est in Paradiso cœlesti, non posse peccare, vt S. docet Augustinus libro de correptione & gratia.

Gal. 4. 2. Cor. 12. De correptione & gratia c. 11.

Altera libertas est à seruitute mortis,similis priori: liber enim fuit Adam in Paradiso terrestri, vt posset non mori; liberi sunt filij Adā in Paradiso cœlesti, vt non possint mori. Neq; miretur aliquis, quod libertatem ponamus in eo, quod est non posse aliquid facere; siquidem non posse peccare, & non posse mori, indicant eminentiam libertatis à seruitute peccati, & à seruitute mortalitatis. Qui enim non potest peccare, non solùm liber est à peccato, sed etiam tam longè abest ab ea seruitute, vt certus sit ac securus, nunquam in se præualiturum esse peccatum: & qui non potest mori, nō solùm liber est à morte, sed tam longè abest à morte, vt certus sit ac securus, nunquam ad se mortem propinquaturam: qua libertate solus Deus naturaliter gaudet, dicente Apostolo, *Qui solus habet immortalitatem*. Quamuis enim Angeli & animæ ratione præditæ dicantur naturaliter immortales, quia non habent principium corruptionis in natura sua; tamen potest Deus qui condidit, etiam occidere. Sed certi sunt ac securi, vt diximus, Angeli & homines beati, se neque peccaturos, neque morituros, ac per hoc liberrimos esse à seruitute peccati & mortis: quæ est participatio honorificentissima libertatis diuinæ.

1. Tim. 6.

Tertia libertas est à necessitate, eaque multiplici. Nunc enim necesse habent homines mortales comedere,bibere,dormire,laborare, nunc stare,nunc ambulare,nunc iacere. At Sancti in cœlo nulli necessitati sunt obnoxij, sed ab omni necessitate liberi,quę est libertas gloriæ filiorum Dei, de qua loquitur Apostolus in Epist. ad Rom. Quanta sit hæc libertas, testari possunt primò viri pauperes, deinde viri spirituales,tertiò viri diuites,& amici huius seculi. Homines pauperculi quantum laborant, vt cibum & potum,vestes & lectum,& alia necessaria sibi & suis prouideant? & quam ingentes gratias haberent & agerent eis,qui se ab hac necessitatis seruitute liberarent? Nec desunt, qui ad furta & latrocinia, vel alias malas artes pertrahi se sinunt,vt necessaria vitę subsidia sibi conquirant: dicunt enim cū villico illo iniquitatis de Euangelio: *Fodere non valeo, mendicare erubesco: scio quid faciam*, laudabo dominum meum, id est, furto vel rapina liberabo me à seruitute necessitatis. Sed hoc est incidere in seruitutem longè grauiorē, videlicet in seruitutem peccati & diaboli, hostis generis humani longè teterrimi. Viri sancti,qui reb. cœlestibus inhiant, graue onus existimant seruitutem corpus curandi,quod & multis indiget, & magnam temporis partem rebus longè melioribus furatur. Scribit Euseb. in hist. Eccles. ex Philone,primos Christianos Alexandriæ in Aegypto sub Marco Euangelista degentes,adeò delectari solitos cœlestib. meditationibus, vt cibum nunquam sumerēt, nisi post solis occasum,vt sic totum diem, & magnā noctis partem studijs cœlestibus darēt, & vix noctis particulam corpori reficiendo relinquerent: aliquos tamē per totum triduum cibi corporalis obliuisci solitos; aliquos etiā per sex integros dies. Atque hoc ipsum multis sanctis Eremitis postea commune fuisse testantur Ioannes Cassianus in Collationibus,& Theodoretus in historia religiosa. Itaque istis omnib. grauissima videbatur seruitus necessitatis corporalis,& cū Apostolo clamabant: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Porrò ciuibus huius mundi, præsertim diuitibus, non est ingrata seruitus ista necessitatis: sed tamen si saperent, grauissimam ipsi etiam iudicarent. Sapit illis cibus & potus, & dulcis est somnus in molli culcitra: sed si modum excedunt,replēt corpus suū morbis, ad quos repellēdos amaras potiones sumere,& dolores non leues tolerare coguntur. Deinde oportet eos, velint, nolint, vel cum Deo inimicitias gerere, & iram eius grauissimā sustinere, vel cum carnis concupiscentia pro temperantia & sobrietate pugnare. quod bellum sine dubitatione laboriosissimū & periculosissimum esse solet. Magna igitur & molestissima necessitate liberātur,& pauperes, & diuites,& probi,& improbi,cum à seruitute miseræ & multiplicis necessitatis liberantur.

Rom. 8. Luc. 16. Lib. 2. hist. cap. 16. Rom. 7.

Quarta libertas est à lege,& præceptis. Iustis enim non est lex posita,sed iniustis,vt Apostolus docet in priore ad Timotheum. Nulli sunt autem magis iusti quam Beati,qui sunt in iustitia confirmati,neq; iniusti fieri possunt. Verū quidem est, iustis in hoc mundo degentibus nō esse positam legem comminantem & prementem, quia sponte sua & libenti animo obediūt legi: tamen negari non potest, quin sit eis posita lex dirigens & obligans ad faciēdum quod lex iubet, & fugiendum quod lex prohibet. At iusti, qui fruuntur libertate gloriæ filiorum Dei, nulla indigent lege, cùm in Verbo videant omnem iustitiam, & confirmati in charitate perfecta nequeant à Dei voluntate

1. Tim. 1.

declinare. Magnum bonum est hæc libertas, quæ ab omni sollicitudine liberat, & omninò contraria est captiuitati & seruituti infelicium illorum, qui ligatis manibus & pedibus proiicientur in tenebras exteriores, & in caminum ignis, vt nec tolerare, nec fugere tormenta illa possint. Et tamen nemo hominum est, quem non oporteat alteram ex illis tam contrarijs sortibus subire. Sed ita plerique excæcati sunt fumo præsentis honoris, vel puluere terrenorum bonorum, vt ista non videant, neq; considerent, donec repentinus super eos veniat interitus, & oculos aperiat pœna, quos clauserat culpa.

Matth.22. Matth.13. 1 Thess.5.

CAPVT IV.

De situ & forma Ciuitatis Dei.

SED nos ad Ciuitatem cœlestem reuertamur; & situm, formam, fundamentum, portas, muros eius, & plateas cum attentione consideremus. Situs est in montibus sanctis: sic enim legimus in Psalmo: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* cui consonat S. Ioannes in Apocalypsi, cùm ait: *Et sustulit me in spiritu in montem magnum & altum, & ostendit mihi Ciuitatem sanctam.* Situs autem Ciuitatis in monte, tum ad aeris salubritatem, tum ad munitionem vtilis esse solet. Qui sunt autem montes altiores cœlis? & quis est mons super omnes montes exaltatus, nisi cœlum cœli, de quo cecinit Dauid: *Cælum cœli Domino?* Hic est mons ille, ad quem suspirabat idem Propheta cùm diceret: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* & à quo auxiliũ implorabat & expectabat, dicens: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Itaq; situs Ciuitatis Dei tam est sublimis, vt omninò trãscendat omnia, quæ vllo modo pacem & quietem Ciuitatis perturbare possent. Altior enim est, quàm vt ad eum perueniat puluis & lutũ, spinæ, & tribuli, morsus ac venenum bestiarum terræ; altior quoque, quàm vt vapores & caligines aeris, grandines & tonitrua, ignis & fulgura illam exterreant: denique altior, quàm vt volucres illæ immundæ & rapaces, quas Apostolus ad Ephesios *spiritualia nequitiæ in cælestibus* appellat, ad eam vllo modo pertingant.

Psal.86. Apoc.21. Psal.113. Psal.23. Psal.120. Ephes.6.

Forma Ciuitatis Dei quadrata est: sic enim loquitur S. Ioannes: *Et Ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo.* Hoc verò nihil aliud significat, nisi admirabilem perfectissimamque iustitiam, quæ in illa Ciuitate viget, vbi nihil est iniquum, nihil dissonum, nihil distortum. Sic explicat S. Augustinus illud Psalmi, *Mirabile in æquitate*, id est, in iustitia. Et sanè mirabile prorsus erit, videre incolas Ciuitatis illius planè innumerabiles, atque omnes liberrimo arbitrio præditos, & tamen in nullo eorum per omnem æternitatem quidquam posse notari distortum, neque in opere, neque in verbo, neque in cogitatione. Verè igitur Ciuitas illa in quadro posita est, vt latitudo nec in modico excedat longitudinem, neq; latitudinem longitudo. Quamuis possit etiam quadrata ista figura significare, latitudinem bonorum cœlestium æqualem esse longitudini; quia sicut bonorum copia erit infinita, sic & duratio eorum erit infinita. Latitudo enim in Scripturis ad multitudinem rerum, longitudo ad durationem eiusdem rei accommodari solet. Sic in lib. 3. Regum dicitur multiplex sapientia Salomonis latitudo cordis, sicut arena quæ est in littore maris: & in Psalmo 90. dicitur temporis duratio, longitudo dierum. Erit igitur in Ciuitate Dei nostri tanta latitudo, quanta & longitudo; quia ibi erit immensitas bonorum cum eorundem bonorum æternitate coniuncta. Addit paulò post S. Ioannes, altitudinem quoque Ciuitatis tantam esse, quanta est latitudo, vt omni ex parte quadrata sit Ciuitas, quia videlicet bona cœlestis Ierusalem, non solùm erunt plurima & sempiterna, sed etiam nobilissima atque cellissima. Neque multum refert, quod nostri Vitruuius & Vegetius non probent in Ciuitatibus situm quadratum: nam illi de Ciuitatibus loquuntur, quæ timent hostes; Scriptura verò sancta de Ciuitate loquitur, quæ posuit fines suos pacem; & ad quam propter summam altitudinẽ, malum non potest accedere, vt Sanctus Propheta cecinit.

Apoc.21. Psal.64. 3.Reg.4. Lib.1.c.5. Lib.4.c.2. Psal.147. Psal.90.

CAPVT V.

De fundamentis & portis Ciuitatis Dei.

PORRO fundamentum Ciuitatis huius, eiusmodi est, vt ipsa sola fundamentum habere meritò dici possit. Sic enim loquitur S. Apostolus in Epistola ad Hebræos: *Expectabat enim fundamenta habentem Ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Reddit enim Apostolus rationem, cur Abraham non ædificauerit in terra promissionis Ciuitatem, aut Domum, sed habitauerit in ea quasi peregrinus: causa enim est, quia intelligebat, terram illam promissionis fuisse figuram quandam maioris terræ promissionis; & ideò nolebat domum, vel Ciuitatem perituram ædificare, quia expectabat Ciuitatem stabili fundamento innixam, cuius artifex & conditor est Deus. Itaque sola Ciuitas cœlestis fundamentum verè & propriè habet, quæ à Deo ædificata in æternum durabit: Ciuitates quas ædificauerũt homines Cain, Nembroth, Ninus, Nabuchodonosor, Romulus, & alij, quod sæpè corruerint, & quod in consummatione mundi funditus delendæ sint, satis ostendunt, fundamentum non habuisse. Hinc intelligere possumus, quanto sapientiores nobis fuerint illi Patriarchæ, qui cùm duplo amplius viuerent quàm nos viuamus, & per aliquot annorum millia expectaturi essent, antequam in Ciuitatem cœlestem introirent: tamen neq; Ciuitates, neq; Domos ædificare dignabantur; sed in tabernaculis, vt hospites & peregrini, habitabant, certa & viua fide, & spe tenentes, habituros se esse Ciuitatem æternam in cœlis, & quæ in terris sunt, breui omnia ruitura. Nos autem, qui breuissimo tempore viuimus, & possumus, si volumus, statim à morte cœlestem illam & beatissimam Ciuitatẽ intrare; sic laboramus in extruendis & ornãdis ædificijs in terris, quasi aut nunquã morituri essemus, aut Ciuitatem cœlestẽ non expectaremus. Certè in hac re non fideles Patriarchas, sed infideles Ethnicos imitamur; & tamen Christiani sumus, & scimus, Christum & Apostolos

Hebr.11.

nullam

A nullam in terris, neq; Ciuitatem, neque Turrim, ac ne domum quidem habere, nedum ædificare voluisse. Nec tamen reprehendimus Principes sæculi, quamuis Christianos, qui nouas ædificant Ciuitates, neque priuatos homines, qui domos sibi, & suis commodas extruūt. Scimus enim, Dauidem Regem pium amplificasse ciuitatem Ierusalem, & in ea sibi domum Regiam extruxisse, vt Scriptura sancta docet in libris Regum. 2.Reg.5. Scimus etiam S. Ludouicum Regem Francorum in Palæstina sumptibus suis aliquot Ciuitates Christianorum restituisse; nec ignoramus, æquum esse, vt Principes commodius & magnificentius habitent quàm homines priuati, & patricij quàm plebeij; sed modum requirimus, & excessum damnamus; præsertim quando priuati Regum palatia volunt, & Reges palatijs non contenti, immensas

B moles, quæ oppida magnitudine adæquent, sibi extruunt: denique nimium ad ista temporalia affectum, quasi in his summum bonum sit positum, reprehendimus; & mundi contemptum, atque humilitatem Christi laudamus.

Apoc.21. Iam verò portæ Ciuitatis dicuntur à B. Ioanne, loco citato, ex margaritis constare: murorum verò structura ex lapide Iaspide: & platea Ciuitatis, atque adeò tota Ciuitas ex auro mundo. Quæ omnia significant, sanctam illam Ciuitatem totam esse pretiosam, sed candidam, & perlucidam: nam esse margaritas pretiosas, & candidas, notissimum est; Iaspis autem alius est viridis, alius candidus. Sed ideò Sanctus Ioannes ait: *Et lumen eius simile lapidi pretioso, tanquam lapidi Iaspidis, sicut crystallum.* addidit

C enim, *sicut crystallum*, vt indicaret, loqui se de Iaspide non viridi, aut alterius coloris, sed candido, & lucido. Sic etiam cùm plateas dixit esse ex auro mundo, addidit, sicut vitro mundo, id est, transparente, & albicante instar crystalli. Itaq; tota illa Ciuitas, siue portas, siue muros, siue plateas intuearis, pretiosa est; nihil vile, nihil abiectum, nihil caducum admittit: & simul tota candida, tota perspicua est; quia nihil ibi tectum, nihil clausum inuenitur, omnes omnia vident; nulla ibi suspicio, nullus dolus. Atque hæc fortasse est causa, cur in eodem loco Ioannes dicat, *Et portæ eius non claudentur*; quia nullæ ibi sunt tenebræ, nulli fures, nulli hostes, propter quos de nocte clauduntur fores. Neque hoc repugnat verbis Psalmistæ, qui

D Psal.147. in laudem cœlestis Ierusalem canit: *Lauda Ierusalem Dominum quoniam confortauit seras portarum tuarum.* Nam tam Propheta quàm Euāgelista id vnum significare voluit, nullum esse periculum supernæ Ierusalem ab hostibus vel furibus. Ille hoc significauit per fores semper clausas, iste per fores semper apertas: siquidem ille per fores semper clausas significauit, diuinam protectionem nō permissuram vnquam, vt in Ciuitatem illam Deo dilectam vllus ingrediatur hostis; iste per fores semper apertas significauit, adeò securam esse Ciuitatem ab omni incursu malo, vt non sit opus claudere portas, nedum custodias adhibere. Sed quid portæ, quid murus, quid plateæ significāt? Portæ, & quidem semper patentes, significant, dari aditum hominibus post Christi passionem intrandi in Ciuitatem Dei, & Angelorum: ipse enim Christus deuicto mortis aculeo aperuit credentibus Regna cœlorum. Neque est vna porta, sed duodecim, per quas introire possunt fideles in illam Ciuitatem. Sic enim loquitur S. Ioannes: *Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres.* Apoc.21. non enim soli intrant Iudæi, vt illi sibi fingunt; sed omnes gentes ab omni parte orbis terrarum: imò tam pauci intrant Iudæi, vt penè nulli comparatione aliorum dici possint. Sic enim illis Dominus prædixit, cùm ait de Centurione: *Non inueni tantam fidē in Israel; dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno cælorum; filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores.* Matth.8. & in parabola vineæ: *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Matth.21. & clarissimè apud Lucam: *Cùm videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in Regno Dei.* Luc.13. Dicuntur autem esse portæ tres ab omni parte mundi, & simul omnes duodecim, quoniam aditus patebit non solùm ab Oriente, Aquilone, Occasu, & Austro; sed à principio Orientis, à medio Oriente, & à fine Orientis, & sic de alijs mundi partibus. Nisi magis placeat, tres portas singulis partibus Ciuitatis cœlestis assignari propter mysterium Trinitatis, & tres virtutes maximè necessarias: illi .n. oēs à quatuor mūdi partibus intrant, qui in nomine triū diuinarum personarum baptizati, fidem, spem, & charitatem in finem vsque tenuerunt.

Capvt VI.

De muro & platea Ciuitatis Dei.

Porro murus Ciuitatis nihil significat aliud, nisi diuinam custodiam, quæ vna sufficit absq; alijs vigilibus, vel armis, vel turribus Ciuitatem illam custodire. *Ego* (inquit Deus per Zachariam) *ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Zachar.2. Admiranda sanè promissio. Ego, inquit, ero murus ignis in circuitu, vt hostes prohibeam; & ego in gloria in medio eius, vt ciues illustrem. Quasi dicat, Ignis vrit, & lucet: ego igitur vram hostes, illuminabo ciues; sic ero murus ignis in circuitu, & lux gloriæ in medio. Quod etiam paulò post explicat S. Ioannes, cùm dicit: *Et Ciuitas non eget sole, neq; luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.* Apoc.21. Claritas Dei quasi sol illuminat mentes: Agnus Dei Christus, quasi lucerna illuminat corpora. Dicitur autem Christus lucerna, non quod in nocte sit necessaria, sed comparatione diuinitatis: alioquin si facies Sanctorum lucebit sicut sol in regno Dei, vt ipse Dominus ait apud Matthæum, Matth.13. quantò magis facies Christi, non vt lucerna, sed vt sol primarius illuminabit Ciuitatem Dei? ac propterea subiungit S. Ioannes, quod nox non erit ibi. Apoc.21. Restat platea Ciuitatis, quæ comprehendit totū spatium, quod est intra ambitum murorum. Hęc verò est cōmunis habitatio cœlestium ciuium, quæ tota est aurum mundum, id est, charitas ignita & lucida, quæ omnes continebit, & per quam alij in alijs degent per affectum puræ dilectionis:

nec so-

nec solùm alij in alijs, sed omnes in Deo, & Deus in omnibus; nam qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quod vt fieret, rogauit à Patre Christus Dominus in illa oratione, quam, iturus ad passionem, Apostolis omnibus audientibus fudit, dicens: *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui per verbum eorum credituri sunt in me; vt omnes vnũ sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ita & ipsi in nobis vnum sint*. O beatissima Ciuitas, quæ in monte altissimo sita, aura purissima frueris; quæ super petram fundata es, vt æterna firmitate nitaris; cuius portæ vt margaritæ fulgent, & semper introeuntibus patent: cuius murus Deus est, qui te protectione sua semper circumdat, & vt lapis Iaspis pretiosus exornat: cuius platea charitas est omni auro lucidior, & omni crystallo candidior, quę oēs in se habitantes facit esse cor vnũ, & animum vnũ, & gaudio inenarrabili replet, & in æterna pace constituit. *Concupiscit, & deficit anima mea* in plateas tuas. Quid .n. optabilius laboranti, & gementi in medio nationis prauæ, inter falsos fratres, & in ipso mundo, qui totus in maligno positus est, quàm euolare ad locum dulcissimæ pacis, vbi sola charitas regnat? *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*? Quid enim dulcius animæ diligenti Dominum, quàm videre dilectum, & videri à dilecto, & per nexum intimum & iucundissimũ inhabitare, & inhabitari? Audacia quidem intolerabilis esse videtur, vt puluis & cinis ad atria tua suspiret, ô Ciuitas sancta; & audacia maior, vt animula vilis ad complexum summi Conditoris aspiret: sed audaciam istam excusabit, qui eam dedit, cùm Patrem rogauit, vt omnes vnum simus, & sicut Pater in Filio, & Fili⁹ in Patre, sic & nos in vtroq; vnum simus.

1. Io. 4.
Ioan. 17.
Psal. 83.
Psal. 41.

Caput VII.

De templo Ciuitatis Dei.

SED est adhuc aliquid, quod requiramus in Ciuitate Dei nostri, templum videlicet ad laudandum Deum, cibum & potum ad comedendum & bibendum: nam de vestibus non est quod solliciti simus. Si enim Adam & Eua in Paradiso terrestri vestibus non indigebant, multò minus egebunt Sancti in Paradiso cœlesti, vbi amicti erunt omnes lumine, sicut vestimento. Cibo verò & potu, non solùm Adam & Eua carere non poterant, sed neque Angeli ipsi carent, dicente Angelo Raphaele: *Ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor*. Et quidem quod attinet ad templum, Sanctus Ioannes sic loquitur in Apocalypsi: *Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus Omnipotens templum illius est, & Agnus*. Quod templum non viderit Ioannes in Ciuitate cœlesti, mirum fortasse videri non debet: templa enim eriguntur in Ecclesia militanti ob quatuor fines; vt in eis verbum Dei fidelibus prædicetur, vt Sacramenta & sacrificia celebrentur, vt oratio publica deferatur Deo, & vt laudes debitæ cum cantu & lætitia Domino persoluantur. Prædicatio verbi Dei cessabit in cœlo, vbi Verbum ipsum increatum manifestè loquetur ad omnes, & iuxta prædicationem Ieremiæ Prophetæ, *Non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens; Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum*. Sacramenta quoque & sacrificia non erunt illic necessaria, vbi neq; peccata expianda erunt; neque signa requirentur, vbi res significatæ manifestè patebunt. Oratio, & laudes Dei hîc in terris fiunt in templis Deo sacris, quoniam ipse pollicitus est oculos suos apertos, & aures erectas in templo futuras: sic enim locutus est ad Salomonem in lib. secundo Paralipomenon: *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit*. Sed cùm in Ciuitate cœlesti Deus palàm videatur, & audiatur ab omnibus, non videtur certè templum in loco illo necessarium. Proinde facilè intelligimus, quod S. Ioannes ait: *Et templum non vidi in ea*. Cur igitur subiunxit: *Dominus enim Deus Omnipotens templum illius est, & Agnus*? Si templum in Ciuitate illa non requiritur, cur dicitur De⁹ ipse templum Ciuitatis illius esse, nec solus Deus, sed etiam Agnus? aut quis explicabit nobis, quomodo Deus & Agnus in cœlo templa dicantur? & quem vsum habeat templum istud in cœlo? Scripturarum sanctarum consuetudo est, vt vna sententia aliam explicet, & locus obscurus ex alio clariore intelligatur. Dicitur in Psalmo nonagesimo: *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*. quorum verborum hæc sententia est: Qui per certam fiduciam coniungitur Deo, is quasi facit sibi domum in Deo, in qua tutus habitet, & protegatur ab omni malo. Quod idé dici potest de laude, & oratione: qui enim per reuerẽtiam intimã coniungitur Deo, is quasi facit sibi domum, in Deo, vt in ea degens, sicut oportet, oret, & laudet Deum. Sic igitur in cœlo Dominus Deus Omnipotens templum est Ciuitatis sanctæ, quoniam beati illi ciues attentissimè cogitantes omnipotentiam Dei, & sic per intimam reuerentiam illi coniuncti, in ipso habitant, & dignas illi offerunt laudes: & cũ pro nobis orant, facillimè audiuntur. Sic etiam, quando attentè cogitant merita Christi, qui sicut Agnus innocens tradidit semetipsum oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis, illi per amorem intimè vniuntur, & in eo tanquam in templo habitantes, orationes pro nobis fundunt, sine dubio inueniunt oculos Dei apertos, & aures erectas, vt quidquid pro nobis petierint, impetrent. Sed si in cœlo ad laudes Deo dicendas, & preces pro nobis fundendas, beati illi ciues in Deo, & in Christo tãquam in templo habitare solent: quid nobis faciendum esset, qui neq; Deum, neq; Christum videmus? O vtinam contingeret nobis, ex magno vtiq; dono Dei, vt ad Deum laudandũ, & orandum sic accederemus, vt antè per humilitatem veram, & reuerentiam summam ex consideratione altissimæ Maiestatis, cum Deo cõiuncti, in ipso Deo, tanquam in templo sacrosanctissimo habitaremus! sic enim fieret, vt laudes, & preces non oscitanter, neq; alia cogitantes perficeremus; sed attentissimè, & deuotissimè gratas laudes Deo, & vtiles nobis, ac fratribus nostris preces Domino offerremus; & impleretur illud: *Sacrificium laudis honorificabit me; & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*. Nam, laudes diuinæ in ara cordis per ignem

Tob. 12.
Apoc. 21.
Ierem 31.
2. Par. 7.
Psal. 90.
Psal. 49.

charita-

charitatis in holocaustum oblatæ, in odorem miræ suauitatis ascendunt: & illud nobis, & nostris impetrant, vt iter nobis aperiatur per cordis illustrationem, ad aspiciendam veram salutem, quam præparauit Deus diligentibus se. Quæ omnia beneficia illi miseri perdunt, qui diuinas laudes & preces cum mentis euagatione, & voluntaria cordis ariditate persoluunt; & laborem orandi & psallendi cum cæteris orantibus, & psallentibus participant, sed consolationem diuinam, & cœlestis beatitudinis prægustationem minimè participant.

Capvt VIII.

De cibo & potu Ciuitatis Dei.

Iam verò de cibo & potu cœlestium ciuiū hæc habentur in Apocalypsi: *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Vereor, ne qui ista audiunt, admirentur parsimoniam victus ciuium supernorum, & existiment plura & meliora in hac nostra peregrinatione haberi: hic enim nihil audimus, nisi poma vnius arboris ad cibum, & aquam fluminis ad potum. Sed meminerint qui hæc dicunt, in Paradiso terrestri, vbi sine dubio melior victus fuisset, quàm in hoc exilio, non fuisse Adamo concessa ad cibum, nisi poma & herbas, & aquam ad potum: & tamen ea poma, & illæ herbæ & aquæ, meliora erant, quàm cibi omnes, & omnia vina huius vitæ, & longè, ac longè deteriora ligno vitæ, & aqua viua cœlestis Paradisi. In hac valle miseriarum omnes homines ægroti sunt, & sensum gustandi amaritudine quadam corruptum habent; propterea ad nauseam tollendam cibos varios inuenerunt: sed varietas illa ciborum ita nauseam diminuit, vt morbum augeat. In Paradiso terrestri omnes homines sani fuissent; & pomorum illorum, & aquæ illius ea salubritas & suauitas erat, vt eos perfectè alere & sanos conseruare cum incredibili delectatione potuisset: vt addamus, quòd sine labore & sudore suo cibum & potum abundanter obuium habuissent. Sed quidquid sit de terrestri Paradiso; aqua viua, & lignum vitæ in Ciuitate Dei, non sunt cibi & potus communes hominibus cum bestijs, vt sunt aquæ & poma huius peregrinationis: sed tam eximia, tam grandia, tam diuina sunt, vt Propheta canat: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Neque sunt cibi isti & potus res corporales, sed spirituales & diuinæ. Aqua viua, sapientia est, de qua legimus: *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* & lignum vitæ est panis ille, de quo idem dicit: *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus.* Nam, vt S. Augustinus docet, in rebus corporalibus aliud est cibus, aliud est potus: sed in spiritualibus res eadem est cibus & potus; id est, sapientia, siue intellectus, vel intelligentia, quæ idem hoc loco significant, cibus est, quia nutrit, & potus est, quia sitim restinguit. Quanquam posset etiam per aquam viuam intelligi sapientia, per lignum vitæ charitas. nam ex eodem Ioanne in Epist.

Apoc. 22.
Gen. 1.
Psal. 35.
Eccl. 15.

A prima: *Qui non diligit, manet in morte.* & : *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Et verè actiones vitales sunt tam intelligere quàm amare. Ergo potus Sanctorum in Ciuitate Dei est bibere de flumine viuo, quod oritur à fonte vitę, qui Deus est; frui videlicet participatione sapientiæ illius, qua Deus sapiens est, quę summa, altissima, & inenarrabilis est. Et cibus eorundem Sanctorum est edere de ligno vitæ, id est, frui participatione amoris illius ineffabilis, quo diligi potest bonitas ipsa clarè visa, & quo diligit Deus se ipsum, qui est infinitum bonū, & fons omnis bonitatis. Quid ista sint, suspicari vtcumque possumus, intelligere non possumus, nec poterimus, donec ad Ciuitatem illam venerimus. Quod autem S. Ioannes dicit, lignum esse ab vtraque parte fluminis, & singulis mensibus fructum suum facere, metaphoricè intelligendum est, vt aliquo modo per similitudinem rerū corporalium spiritualia capiamus. Voluit B. Euangelista demonstrare arborē summæ bonitatis & fecunditatis; quod vt faceret, descripsit arborem quæ sit ad ripā fluminis, & tum ex bonitate sua, tum ex continua irrigatione singulis mensibus fructum suū producat, non singulis annis vt aliæ solent. Neque vult significare, vnam tantum esse arborē, sed multas eiusdem generis, quæ ab vtraq; parte fluminis per mediam Ciuitatem fluentis sitę sint, ita vt inter vnam atque alteram arborem non magnum spatium intersit; & eo modo tota Ciuitas frui possit & aquæ decursu, & arboris fructu. Bonitas arboris significatur in voce ligni vitæ: fecunditas ostenditur ex eo, quod singulis mensibus nouos fructus pariat. Vnde fit, vt ciues illius Ciuitatis semper habeant fructus recentes & maturos: recentes ex mense præsenti, maturos ex proximè præterito; nunquam marcidos, nunquam aridos, nunquam insipidos. Quæ omnia significant cibum & potum Beatorum, id est, sapientiam qua Deum perfectè intelligunt; optimum esse, & nunquā deficere. Quòd addit idem B. Euangelista de folijs illius arboris ad sanitatem Gentium, hoc significare videtur, ad nos in hoc exilio nunquam mitti poma ipsa ligni vitæ; sed mitti tamen folia quædam: quæ quamuis non adferāt ipsam vitam æternam, tamen vtilia sint ad sanandos morbos nostros, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiā vitæ, & alia id genus vitia, ex quibus omnes, siue grauiter, siue mediocriter, siue leuiter ægrotamus. Hæc folia sunt verba diuina per Prophetas & Apostolos de cœlo, id est, ex diuina reuelatione ad nos allata. O quam bonum odorem folia ista spirant, si quis habeat Spiritum Domini! Lege Prophetas, lege Psalmistam, lege Euangelia, lege Apostolos, Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Iudam; omnia ista folia spirant humilitatem, charitatem Dei virginitatem, de quibus apud Philosophos nulla mentio. Sed non mirum videri debet, quia illa sunt folia de lignis Paradisi, ista de lignis montium terræ.

1. Ioan. 3.
Ibidem.

Ergo, anima Christiana, diligenter collige ista folia: fac tibi quotidie inde medicinam; & ex folijs coniecturam facito de fructibus: &

contemptis siliquis porcorum, ad illa quæ sursum sunt poma vitæ æternæ ardenter suspira, de illis cogita; maneat illic semper memoria, donec differtur præsentia.

CAPVT IX.

De fundamento mystico Ciuitatis Dei.

CONSIDERAVIMVS structuram vnam supernæ Ierusalem; nunc alteram considerabimus. Ciuitas enim non solùm complectitur fundamentum, portas, muros, plateas; sed etiam cœtum ciuium, qui pro diuersitate functionum dicuntur etiam ipsi vel fundamenta, vel portæ, vel muri, vel alia generis eiusdem. Et fortasse magis propriè dicitur ciuitas congregatio ciuium sub iisdem legibus, quàm congregatio domorum sub iisdē mœnibus. Sic enim Tullius loquitur in Somnio Scipionis: *Concilia, cœtusq́, hominum iure sociati, ciuitates appellantur.* De hac Ciuitate cœlesti, quæ constat ex ciuibus, non solùm S. Ioannes in Apocalypsi loquitur; sed etiam S. Petrus in Epistola sua priore, & S. Paulus in Epistola ad Ephesios. In Apocalypsi legimus, in portis duodecim visos fuisse Angelos duodecim, & inscripta nomina duodecim tribuum filiorum Israel; in fundamentis verò duodecim scripta fuisse nomina duodecim Apostolorum Agni. In priore Epistola Sancti Petri legimus: *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini.* In Epistola ad Ephesios S. Paulus scribit: *Ergo iam non estis hospites & aduenæ; sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Primùm igitur Ciuitas Dei pro fundamentis habet Apostolos & Prophetas; quoniam doctrina Apostolorum & Prophetarum totam fabricam sustentat. Initium enim salutis fides est: fides autem reuelata est per Prophetas, & Apostolos, siue scribentes, siue prædicantes Mysteria Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis mortuorum, gloriæ beatæ, suppliciorum æternorum, & alia quæ superant humanam rationem, ex Prophetis atque Apostolis didicimus, quibus Deus ea reuelare dignatus est. Quamuis autem fides non habeat locum in Beatis, qui quod crediderunt vident; & quod videtur, non creditur, sed scitur, & cernitur: tamen dicuntur Apostoli & Prophetæ fundamenta Ciuitatis supernæ; quia fides initium est salutis, ac per hoc initium beatitudinis. Sed quoniam S. Petrus dicit, nos vt lapides viuos superædificari super Christum, & ipse Apostolus Paulus in priore ad Corinthios dicit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere prater id quod positum est, quod est Christus Iesus:* ideò vnum est fundamentum, & duodecim sunt fundamenta, vt S. Augustinus docet in explicatione Psal. 86. quoniam in duodecim Apostolis Christus erat. Ipse enim siue Spiritus eius per eos loquebatur, & docebat. Audi Apostolum Paulum: *An experimentum, inquit, quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Audi Christum ipsum: *Qui vos audit, inquit, me audit,* & alibi: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Neque dubium est, vnum & eundem esse Spiritum Patris & Filij. Ex quo etiam intelligimus, in duodecim fundamentis non solos Apostolos duodecim intelligi, sed omnes illos, qui primi eandem fidem prædicauerunt; alioqui Paulus ipse & Barnabas, & septuaginta discipuli, qui non erant ex duodecim, non pertinerent ad fundamenta: immò nec ipsi Prophetæ ad fundamenta pertinerent, & Apostolum mendacem (quod absit) faceremus, qui dixit nos superædificari super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.

(Apoc. 21. — 1. Pet. 2. — Ephes. 2. — 1. Pet. 2. — 1. Cor. 3. — 2. Cor. 13. — Luc. 10. — Matth. 10.)

Sed occurrit non leuis dubitatio, quomodo Christus possit verè dici fundamentum ædificij, cùm sit summus lapis angularis, vt Apostolus loquitur; & sit exaltatus in caput anguli, vt canit Propheta. Quomodo enim potest idem lapis simul esse summus & imus, in fundamēto & in fastigio? Sed si quis cogitet ista esse vocabula metaphorica, non difficulter intelliget, ob diuersas functiones posse vni personæ conuenire contraria nomina. Siquidem non solùm Christus, qui Deus est & homo, sed quilibet Prælatus in Ecclesia sua est fundamentum & fastigium, quia debet vt fundamentum sustinere pondus ædificij, tolerare infirmitates omnium, ac per hoc subesse omnibus: & tamen ipse idem debet vt fastigium præesse omnibus, omnibus imperare, & ab omnibus sustineri. Multò igitur magis Christus Dominus poterit, vt fundamentum Ecclesiæ, omnes portare, omnesque auctoritate & virtute sua sustinere; & simul vt positus in caput anguli, connectere duos parietes, & ex Gentibus, & Iudæis vnum populum constituere, omnibus præsidere, omnibus imperare. (Psal. 117.)

CAPVT X.

De porta mystica Ciuitatis Dei.

SEQVITVR vt portas cœlestis Ierusalem consideremus. Et quidem communis est Interpretum expositio, per portas intelligi eosdem Apostolos; in qua expositione secuti sunt sanctum Augustinum in expositione Psalmi octogesimisexti. Sed Beatus Ioannes in Apocalypsi, cùm de portis locutus est, mentionem fecit duodecim Angelorum, & duodecim tribuum filiorum Israel, quorum nomina scripta esse dixit in duodecim portis Ciuitatis Dei; Apostolos eo loco ne nominauit quidem. Nec tamen falsa est sententia Beati Augustini, & eorum qui eum secuti sunt: loquitur enim Sanctus Ioannes mysticè, non vt litera sonat; vt Propheta, non vt historicus; & tota illa eius descriptio mysticis significationibus plenissima est. Terra promissionis figura fuit, omnium consensu, cœlestis Ciuitatis. Cui primùm facta est promissio terræ illius, Abraham fuit; sic enim loquitur Deus ad Abraham in libro Geneseos: *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* & Apostolus ad Galatas, *Abrahæ, inquit, dictæ sunt promissiones, & semini eius.* & paulo post: *Abrahæ per repromissionem donauit Deus.* Abrahami hęres fuit Isaac solus, Ismaele excluso, qui filius erat ancillæ, dicente Scriptura: *Non hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Isaaci hęres fuit Iacob solus, excluso Esau fratre eius, qui vendidit primogenita. Vnde

(Apoc. 21. — Gen. 13. — Gal. 3. — Gen 21. — Gal. 4.)

Mala-

Malach.1. Malachias dicit: *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui.* quam sententiam repetit Apostolus ad Rom.9. Romanos. Iacobi hæredes fuerunt omnes eius filij, qui erant duodecim, nullo excluso. Atq; ita terra promissionis diuisa est duodecim tribubus Israel, vt ex libro Iosue intelligi potest. Iosue 13. 14. 15. & sequentibus. hæc est igitur causa, cur S. Ioannes in Apocalypsi dixerit, in duodecim portis scripta fuisse nomina duodecim tribuum filiorum Israel: quia videlicet porta ingrediendi terram promissionis fuerat ius hæreditatis, quod solis & omnibus filijs Israel competebat. Sed, vt paulò ante dicebamus, Apostolus Ioannes mysticè loquitur, & per duodecim tribus Israel intelliguntur veri Israelitæ, non secundum carnem, sed secundum spiritum, & fidem, ac per hoc Apostoli duodecim, & eorum spirituales filij. Nam, vt S. Paulus apertè docet in Epistola ad Rom. Rom.9. *Non omnes qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ; neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij* qui etiam paulò infra comparat Israelem arbori, Rom.11. cuius multi rami fracti sunt propter incredulitatem, & alij inserti sunt propter fidē. Sic enim Gentiles conuersi ad fidem cœperunt esse filij Israel, & plurimi Iudæi desierunt esse veri Israelitæ. Demonstrat, & explicat hæc omnia copiosè S. Augustinus in Epistola ad Asellicum, in qua sic loquitur: Epist.200. *Nonne mirabilia magna sunt ista, profundumq; mysterium, vt multi ex Israel non nati, sint Israel, & multi non sint filij, cùm sint semen Abrahæ? Quomodo enim non sunt? quomodo sunt? nisi non sunt filij promissionis ad Christi gratiam pertinentes, sed filij carnis, nomen inane gestantes: ac per hoc nec illi sunt Israel, sicut sumus nos, nec nos sumus Israel, sicut sunt illi: nos enim sumus secundum spiritualem regenerationem, illi secundum carnalem generationem.* & paulò infra: *In nepotibus etiam Abrahæ, filijs Isaac, illis geminis, Esau, & Iacob, qui postea vocatus est Israel, hoc ipsum magnum & profundum mysterium reperitur, de quo idem Apostolus loquitur, cùm per Isaac promissionis filios commemorasset ad Christi gratiam pertinentes. Hac certè doctrina Apostolica atque Catholica satis euidenter indicat nobis, secundum originem carnis ad Saram Iudæos, ad Agar verò Ismaelitas pertinere: secundum autem mysterium spiritus, ad Saram Christianos, ad Agar Iudæos. Item secundum originem carnis ad Esau, qui dictus est etiam Edom, gentem Idumæorum; ad Iacob autem, qui dictus est etiam Israel, gentem Iudæorum: porrò secundum mysterium spiritus, ad Esau Iudæos, ad Israel pertinere Christianos.* Hæc ille: qui satis apertè demonstrat Christianos esse veros Israelitas non secundum carnem, sed secundum spiritum, ac per hoc esse veros hæredes terræ promissionis, quæ in cœlis est. Ergo portæ cœlestis Ierusalem habent inscripta nomina duodecim tribuum Israel, quia porta, per quam intratur in illam cœlestem promissionis terram, est ius hæreditatis filiorum Dei, qui soli sunt veri, sinceritque Christiani, Apostolorum sanctorum filij, qui per veros Israelitas, id est, Iacobi Patriarchæ filios, significantur. Quod autem addit Sanctus Ioannes, in portis illis fuisse Angelos duodecim, significat, Angelos esse portarum custodes, quorum officium est curare, ne vllus ingrediatur, qui non habeat ius hæreditatis. Et fortasse hac de causa depingitur Archangelus Michael cum statera in manibus, quia per Angelos sibi subiectos examinat merita eorum, qui ad cœlestem illam Ciuitatem aspirant. Hæc de portis.

CAPVT XI.

De lapidibus mysticis Ciuitatis Dei.

RELIQVA ædificatio constat ex lapidibus, qui sunt omnes fideles, qui superædificantur, vt Apostoli Petrus & Paulus 1.Pet.2. in Epistolis suis perspicuè posuerunt. Et quoniam hęc pars ędificationis ad omnes pertinet, Ephes.2. optimum factu erit, si notemus conditiones, siue qualitates, quas habere debent, qui superædificari cupiunt super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, sub ipso summo angulari lapide Christo Iesu; vt non solùm sint in Ciuitate Dei, sed etiam sint ipsi Ciuitas Dei celsissima & felicissima.

Tria requirūtur vt quis superædificari possit super tam nobile fundamentum. Primùm, vt sit lapis; deinde, vt sit viuus; denique, vt sit quàm optimè politus atque quadratus. Primùm igitur lapides esse debemus, non ligna, non fœnum, non stipula, vt solidum parietem efficiamus, id est, viri graues & stabiles, perseuerantes in fide, in charitate, in humilitate, in obedientia mandatorum, & non circumferamur omni vento doctrinæ, quemadmodum hæretici solent: neque rapiamur varijs desiderijs, vt leues Catholici facillimè rapi solent. Isti enim ab ædificatoribus Ciuitatis æternæ non admittuntur, sed ad vsum tuguriorum deseruiunt, quæ nullo negotio destruuntur. Deinde esse debemus lapides viui, vt S. Petrus 1.Pet.2. admonet, id est, pleni charitate & spiritu vitæ, qualis est lapis angularis Christus: qui etsi mortuus est semel secundum carnem, tamen secundum spiritum semper vixit, & secundum carnem post mortem degustatam reuixit, & vltra iam non morietur. Lapides mortui, domos mortuas, id est, corporales, ædificant: at domus spiritualis, vel potius Ciuitas Regis magni, quę spiritualis & cœlestis esse dignoscitur, lapides spirituales, ac per hoc viuos requirit. Denique lapides quadratos & politos nos esse oportet, non rudes & informes; quoniam ita decet ædificationem Ciuitatis omnium præstantissimæ. Sic enim Arphaxat Rex Ecbatanam ciuitatem ædificauit ex lapidibus quadratis & sectis, vt est in libro Iudith. Et si Rex Iudith.1. Salomon, templum Domini in hac nostra terra de lapidibus dolatis atq; perfectis extruxit, vt Scriptura loquitur in tertio libro Regum: 3.Reg.6. quid par est futurum in ædificatione Ciuitatis æternæ, & omnium aliarum longè præstantissimæ?

Sed ista quadratio, & sectio, & dolatio hic in terris facienda est, non in cœlo. Cuius rei figura præcesit in ædificatione templi Salomonis. Sic enim legitur in libro tertio Regum: 3.Reg.6. *Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est; & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* quia videlicet procul à domo Domini lapides secabantur & tundebantur, atque ita perfectè quadrabantur, vt cùm adferrentur

rentur ad templum, fine vllo fonitu mallei in locis fuis collocarentur. Itaque non audietur in cœlesti Ierusalem fonitus mallei percutientis. quia ibi nulla erit perfecutio, nulla tribulatio, nullus pœnitentiæ labor, nullus gemitus, nullus dolor, nulla tristitia. Proinde lapides electi ad gloriam Domus cœlestis, in hac valle lacrymarum tunsionibus & pressuris expoliri debent. sic enim canit Ecclesia:

Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis
Per manus Artificis,
Disponuntur permansuri
Sacris ædificiis.

Iacob. 3. Hic nobis pœnitentiæ labor necessarius est, quoniam *in multis offendimus omnes*, vt Sanctus Iacobus affirmat. Hic domandæ concupiscentiæ carnales, hic vincendæ propriæ voluntates, hic corpus castigandum, & in feruitutem redigendum, hic contra ignita iacula spirituum immundorum scutum fidei indefesso labore semper objiciendum. Alioquin, si tunsionem mallei ferre non possumus, quomodo rudes & impoliti à cœlesti Architecto ad cœlestem fabricam admittemur? O si mortales intelligerent, quanto bono priuentur, dum malleum percutientem fugiunt, & nihil incommodi, nihil asperi, nihil amari ferre possunt! propositum certè mutarent, & dimissis comessationibus ieiunia frequentarent; & mollibus indumentis relictis cilicia quærerent; & confabulationibus neglectis, vigilijs & orationibus operam darent: & si quid molestiæ à falsis fratribus, vel à manifestis paterentur inimicis, non de vindicta cogitarent; sed Deo gratias agerent, & pro calumniantibus & persequentibus ex animo Deum orarent; quia *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. &, *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Rom. 8. 2. Cor. 4.

Et certè si respiciamus lapides viuos, qui nos ad cœleste ædificium præcesserunt, nullos videbimus non tunsionibus multis & pressuris varijs expolitos. Christus ipse, lapis angularis & pretiosissimus, qui pro se dolatione non indigebat, tamen passus est pro nobis, vt relinqueret nobis exemplum: & *cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur*. Apostoli omnes cum B. Paulo dicere poterant: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus; tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema.* Quid de Martyribus dicam? nonne omnes per multas tribulationes & cruciatus, & mortes acerbissimas secti & dolati ad cœlestis Ierusalem ædificium ascenderunt? Omitto sanctos Confessores, Anachoretas, Virgines, Viduas, & alios omnes qui Deo placuerunt, qui non nisi carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigentes, & secum ipsi bellum gerentes, ad cœlestem ædificationem admissi sunt. 1. Pet. 2. 1. Cor. 4.

A Neque solùm post Christi aduentum ista lapidum viuorum dolatio necessaria fuit, sed etiam antea, atque ab ipso mundi principio. Primus lapis viuus Abel fuit à fratre Cain crudeliter cæsus. S. Patriarcha Ioseph à fratribus venditus. Tobiæ dixit Angelus Raphael: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* non dixit, Quia peccator eras, & Deo inuisus, necesse fuit, vt pœnam cæcitatis, & mendicitatis lueres: sed, Quia acceptus eras Deo, vtpote iustus & sanctus; ideò vt lapis viuus, & cœlesti ædificio destinatus, necesse fuit, vt malleum percutientem sustineres. Quis Prophetarum non persecutionem impiorum passus est? Quæ tormenta non tolerarunt sancti pueri Machabæi? Apostolum audiamus de Sanctis veteris testamenti concionantem in B Epistola ad Hebræos: *Alij verò*, inquit, *ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Tob. 12. Hebr. 11.

Quid hîc dices, anima Christiana? Si quibus dignus non erat mundus ob insignem illorum sanctitatem, ijs malleus ædificantis non pepercit, vt conquadrati & expoliti cœlesti ædificio essent idonei: quid de te tuique similibus fiet, quibus peccare libet, & labor pœnitentiæ nimis grauis est? Vnum è duobus necessarium est, vt vel in hac vita, aut in Purgatorio percutiaris & poliaris, vel in ædificio illo sublimi C locum non habeas, & in æternum malleus te gehennæ contundat. Cur igitur non eligis (si quid sapis) in hac vita potius contundi, & quadrari tribulatione breui & leui, quam in futura reprobari, & ad æternam, intolerabilemque tunsionem amandari?

Neque despicias purgatoriam tunsionem in vita futura: ea siquidem, quamuis æterna non sit; grauior tamen, & sæpè diuturnior est, quam pœna quælibet huius vitæ. Audi enim S. Augustinum explicantem Psalmum trigesimumseptimum: *Dicitur*, inquit, *Saluus eris, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur, Saluus eris, contemnitur ille ignis, grauior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.* Hæc ille, qui addit, grauiores fore purgatorij D pœnas, quam sint latronum supplicia, & quam fuerint Martyrum cruciatus: proinde stultos esse qui Purgatorium ignem contemnunt, & tribulationes vitæ præsentis exhorrent. Et quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, audi S. Gregorium in Psalmum tertium Pœnitentialem: *Illum*, inquit, *transitorium ignem omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem.* Audi S. Bernardum in sermone de obitu Humberti Monachi: *Illud*, inquit, *scitote, quia post hanc vitam in purgatorijs locis centupliciter quæ fuerint hic neglecta, redduntur vsque ad nouissimum quadrantem.* Audi denique Sanctum Anselmum in explicatione capitis tertij, ex priore ad Corinthios: *Sciendum*, inquit, *est, quia grauior est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Omnia enim tormenta quæ hic sunt, faciliora sunt, & tamen homines ne*

nes, ne ea patiantur, quidquid ab homine fuerit iussum, faciunt. Quanto melius est facere quæ iubet Deus, ne illa grauiora patiamur?

CAPVT XII.

De fugienda Ciuitate mundi.

EXPLICATA ædificatione Ciuitatis Dei, id solùm reliquum est, vt paucis exponamus, quid potissimum requiratur, vt ciues in illam felicissimam Ciuitatem adscribantur. Id verò vno verbo dici potest; vt videlicet mundi huius ciuitati renuntiemus, atque vt hîc interim, vt aduenæ & peregrini viuamus. Neq; enim fieri potest, vt simul ciues mundi, & ciues Sanctorum simus: & nemo ciuitati sæculi huius nuntium remittit, qui non statim in sinum Ciuitatis Dei recipiatur. Sed rem totam paulò fusius exponamus.

Duæ sunt Ciuitates in Scripturis sanctis nobis declaratæ; Ciuitas terrena, quæ cœpit in Cain, qui primus in terra condidit Ciuitatem, vt in Genesi legimus; & Ciuitas cœlestis, quæ cœpit in Abel, & cuius non Abel, sed Deus est conditor, vt supra diximus ex Apostolo. Illius figuram gessit Babylon magna, quæ *confusionem* significat; huius autem figuram gessit Ierusalem Ciuitas Regis magni, quæ dicitur *visio pacis*. Ciues terrenæ Ciuitatis illi sunt, qui non solùm corpore, sed etiam corde in terris habitant, terram colunt, terrenis bonis inhiant, pro illis contendunt, pro illis litigant, pro illis tumultuantur. Huius Ciuitatis princeps est diabolus, qui de Ciuitate cœlesti eiectus, Ciuitatis terrenæ tyrannidem occupauit. Quamuis enim Dominus noster imminente passione sua dixerit, *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras*; & verè foras eum eiecerit baculo crucis suæ, & per ipsam crucem de illo triumphauerit; dicente Apostolo in Epistola ad Colossenses: *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Hoc tamen non ita est intelligendum, quasi diabolus penitus de mũdo sit eiectus; aut mundi principatum penitus amiserit: sed quod eiectus sit ab illis omnibus, & in illis omnibus principatum amiserit, qui se Christo adiungunt, & de Ciuitate terrena fugientes, in Ciuitatem cœlestem adscribuntur. Quod enim diabolus adhuc in Ciuitate terrena, quæ & mundus dicitur, imperium habeat, docet Apostolus in Epistola ad Ephesios, cùm ait: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum*. Itaque adhuc satanas cum ministris suis principatum habet in mundo, & rector est mundi, id est, hominum mundanorum, & terrenæ Ciuitatis ciuium. de quo mundo Sanctus Ioannes dicit: *Mundus in maligno positus est*. ac si dixisset, Mundus capiti suo adhæret, qui malignus per antonomasiam dicitur: siue, mundus in maligni dæmonis imperio & potestate est.

Gen. 4.
Hebr. 11.
Ioan. 12.
Coloss. 2.
Ephes. 6.
1. Ioan. 5.

Porrò ciues Ciuitatis cœlestis illi sunt, qui in regno Cœlorum beati regnant, & illi quoque, qui in corpore mortali positi terram inhabitant, non corde, sed corpore. corde enim conuersatio eorum in cœlo est, & cupiunt dissolui, & esse cum Christo, qui Rex est Ciuitatis cœlestis. Quia verò permisti sunt in terris ciues Cœli, cum ciuibus terræ, ideò Scripturæ sanctæ dicunt, ciues Cœli esse in mundo, sed nõ esse de mundo; & in mundo esse non vt ciues, sed vt aduenas & peregrinos: sic enim loquitur S. Petrus: *Obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abstinere vos à carnalibus desiderijs*. & contra ciues terræ dicunt Sacræ literæ, esse *hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo*. his enim verbis vtitur S. Paulus in Epistola ad Ephesios. Quæ cùm ita sint, nemo se ipse fallat, nemo existimet se ciuem Mundi, & ciuem Cœli simul esse posse. Ciues Mundi de mundo sunt; Ciues Cœli non sunt de mundo. De mundo esse, & de mundo non esse, cõtradicentia sunt; proinde simul copulari non possunt. Quare quos adhuc mundus & terrena delectant, ij non putent in Ciuitate cœlesti se locum habere posse, nisi antea de mundo exeant, sæculo abrenuntient, & terrena fastidiant.

Philip. 3.
Phil. 1.
1. Pet. 2.
Ephes. 2.

Et quoniam hæc magna sunt, & à paucis intelliguntur, vel, vt oportet, cogitantur: ideò vt nemo ignorantiam in nouissima die prætendat, nihil sæpius Apostoli & Euangelistæ inculcant & repetunt. Audi Dominum: *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo*. Item ad Apostolos: *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, propterea odit vos mundus*. Audi B. Paulum: *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum*: Item: *Debueratis de hoc mundo exisse*. Item: *Vt non cum hoc mundo damnemur*. Audi Sanctum Iacobum: *Nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur*. Audi Sanctum Petrum: *Fugite eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem*. Audi Sanctum Ioannem: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*. Item: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. Item: *Et mundus totus in maligno positus est*. Denique audi Dominum dicentem in oratione sua ad Patrem: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi. Et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo*. Hîc habemus apertissime, mundum sic esse à Deo quodammodo excommunicatum & damnatum, vt pro eo Christus nullo modo orandum putauerit. At si Christus non pro mundo rogat, quomodo alibi dicit, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret?* num Pater diligit mundum, & Filius odit mundum? aut quomodo Filius mundum à sua oratione excludit, quem Pater à sua dilectione non excludit? Sanctus Augustinus hunc locum posteriorem exponens, dicit, mundum, pro quo Christus orare se negat, reprobos tantùm significare, quomodo loquitur Apostolus in priore ad Corinthios, cùm ait: *Vt non cum hoc mundo damnemur*. Sed possumus etiam dicere, Christum non orasse pro mundo, quia quæ tunc petebat Apostolis, mundo minimè conueniebant. Petebat enim donum perseuerantiæ: *Serua*, inquit, *eos in nomine tuo*. Et simul petebat eis gloriam sempiternam, cùm diceret: *Volo*, Pater, *vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant clari-*

Ioan. 8.
Ioan. 15.
1. Cor. 3.
1. Cor. 5.
1. Cor. 11.
Iacob 4.
2. Pet. 1.
1. Ioan. 2.
1. Ioan. 5.
Ioan 17.
Ioan. 3.
Tract. 107
1. Cor. 11.
Ioan. 17.

tatem meam. At mundo iſta non conueniunt: neq; enim mundus aptus eſt Regno cœlorum, niſi prius mundetur; quomodo nō [illegible]ceret ingredi Regis cubiculum hominem luto vndiq; aſperſum, & ſordidum. Deus autem diligit mundum, & pro eo Filium ſuum dedit, vt eū vere mundaret, & idoneum ad Regnum faceret. Ideò & Chriſtus pro crucifixorib⁹ orauit, non vt perſeuerarent in ſtatu, in quo erant; ſed vt Pater illis ignoſceret, & ignoſcendo purgaret, vt & ipſi de mundo exirent. Quod etiam Chriſtus in illa Oratione ſeruauit, in qua dixit, *Non pro mundo rogo*: adiunxit enim non longè [illegible], *Vt credat mundus, quia tu me miſiſti*. Summa igitur eſt, Chriſtum pro ſuis rogaſſe, non pro mundo; quia, niſi quis antè exeat de mundo quam de corpore, ad Regnum Dei nunquā perueniet.

Ergo, quicunq; Ciuitatem illam ſupernam diligit, feſtinet exire de mundo, ne repentinus dies poſtremus adueniat, & rapiat eum de vita, quando nulla ei ſpes conuerſionis erit: & cū de mundo exierit, obliuiſcatur mundum, & concupiſcentias eius, vt ſolius Ciuitatis Domini aſsiduè recordetur; & cum Propheta ſancto iuret: *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: ſi non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ*. Hæc enim eſt vera nota ciuium Ciuitatis æternæ, ſi reuera & ex toto corde cupiāt deſtitui potius lingua & manibus, quam aliquid dicere, aut facere contra dilectionem Dei Patris, & cœleſtis patriæ: & ſi verè, non fictè, principium lætitiæ ipſorum ſit Ciuitas illa, quæ ciues ſuos beatos facit, ſic, vt nulla eos felicitas mundana delectet, & ſola ad eos exhilarandos in hoc exilio ſufficiat futurorum recordatio atq; expectatio gaudiorum. Pſal. 136.

Placet concludere hunc librum verbis S. Auguſtini, vt qui mihi fortè non credent, tanto viro fidem habere non dubitent. Is enim in explicatione Pſalmi 61. his verbis explicat, quæ ſit vera nota ciuium Ciuitatis mundi, & ciuiū Ciuitatis Dei: *Omnes*, inquit, *qui terrena ſapiūt: omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, ad vnā illam Ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia myſticè, & habet regem diabolum: omnes autem, qui ea quæ ſurſum ſunt, ſapiunt, qui cœleſtia meditantur, qui cum ſollicitudine in hoc ſæculo viuunt, ne Deum offendant, qui cauent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, ſancti, iuſti, pij, boni, omnes ad vnam Ciuitatem pertinēt, quæ Regem habet Chriſtum.*

DE AETERNA FELICITATE SANCTORVM SVB NOMINE Ciuitatis Domini,

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Quod omnes Beati ſint Domeſtici & filij Dei.

Pſal. 121. LÆTATVS *ſum in his quæ dicta ſunt mihi; in domum Domini ibimus*. Vere magna & ineffabilis eſt cauſa lætandi ſeruo bono & fideli, quando vel ſollicitè laborauit in vinea, vel in negotiatione talēta multiplicauit, vel in ſtadio brauium primus apprehendit, vel in bello aut in agone coronam promeruit, vel oues ſibi creditas diligenter pauit, & à lupis ſtrenuè, fortiterq; defendit: & his omnibus laboribus perfunctus demum Domini ſui lætus ingreditur.

A Sed videamus, cur domus dicatur, quæ paulò antè Ciuitas dicebatur. Huius enim rei non eſt illa cauſa, quod anguſta ſit, & ideò ciuitatis nomen non mereatur. Siquidem tam eſt ampla, vt nulli Ciuitati aut etiā Regno magnitudine cedat. Audi enim quid Baruch Propheta clamet; *O Iſrael, quam magna eſt domus Dei, & ingens locus habitationis eius! Magnus eſt, & non habet finem*. Baruch 3. Quidni igitur tam magna domus Ciuitas dici poſsit? Prima igitur illa cauſa eſt, quia Beati, quamuis toto Regno cœlorum diffuſi,

B omnes ſunt domeſtici & familiares Domini. Potuiſſet enim aliquis exiſtimare, ſi ſolius Regni aut Ciuitatis mentio fieret, multos fore in Regno cœlorum, & in Ciuitate Dei noſtri, qui nunquam Deum viderent, & nunquam ad eū alloquendum aditū haberent, niſi per Sanctos aliquos maiores admitterentur. Quia verò nō ita ſe res habent, ſed omnes omnino Deū ſemper vident, & cum eo verſantur, & colloquuntur facie ad faciem, ſiue ſint eximij Seraphini, & Cherubini, Apoſtoli & Prophetæ, ſiue minores Angeli & minores Sancti. Nam de Angelis cuſtodibus, qui ad vltimum ordinē Angelorum pertinent, Dominus dicit: *Angeli eorū in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœ-* Matth. 18.

C *lis eſt*. & Apoſtolus ad Epheſios ſcribens dicit, Sanctos omnes eſſe non ſolùm ciues Sanctorū, ſed etiam domeſticos Dei. Ephеſ. 2. Ideò habitatio eorum non ſolùm Ciuitas dicitur, ſed etiam Domus. Sunt quidem in cœlo manſiones diuerſæ, maiores & minores; & ſunt etiam coronæ diuerſæ, illuſtriores, & minus illuſtres, pro diuerſitate meritorum; ſed tamen ciues illi ſunt omnes beati & felices, & omnes mundi corde, & charitate pleni. Propterea nemo eſt, qui non ſit etiam in domo illa, & qui Deum non videat, & cum eo non verſetur, vt domeſticus & amicus: quamuis in alijs Regnis & Ciuitatib. multi ſint, qui Regem nunquam videant, & rariſsimi, qui ad eius colloquium & conſuetudinem admittantur. Altera ratio eſſe videtur, quia in Ciuitate multi Regē vident, & cum eo loquūtur,

D ſed non omnes ſunt filij & hæredes Regis, ſed ij tantum, qui in palatio degunt, & à Rege pro filijs & hæredibus agnoſcuntur. At in Regno cœlorum & Ciuitate Dei noſtri omnes Sancti, ſiue maiores, ſiue minores, verè ſunt filij Dei, & fratres Chriſti, & hæredes Dei, & cohæredes Chriſti: ac per hoc etiam inter ſe fratres, neq; maiores deſpiciūt minores, neq; vllus eſt inter eos liuor aut inuidentia. Nam cùm Dominus Orationem illam primariam, & quotidie recitādam doceret, *Pater noſter, qui es in cœlis*; neminē excluſit. Matth. 6. & cùm [illegible] dicet *Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi*; neminem iuſtorū excipiet. Matth. 25. Et cùm Apoſtolus ad Roman. dixit, *Quicunq; Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei*: & paulò inferius, *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei; ſi autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autē Chriſti*: Rom. 8.

neque

neque ipse vllum exclusit, neq; magnum neq; paruum, modò Spiritum Dei habeat, & ab eo duci se sinat. Quod certè commune est omnib⁹ regeneratis in Christo, & in fide, spe, & charitate perseuerantibus. Beatus quoque Petrus in Epistola sua priore omnibus regeneratis pollicetur hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cœlis. Deniq; S. Ioannes in Epistola 1. omnibus iustis sine exceptione dicit: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.*

1. Pet. 1.
1. Ioan. 3.

Rectè igitur dicitur Domus, & non solùm Ciuitas & Regnum, habitatio illa Sanctorum, in qua omnes sunt filij & hæredes Regis magni, & omnes à Deo diliguntur, vt filij, & à Christo vt fratres; & iure dicere possunt cum Propheta: *Quam bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Nam quæ maior iucunditas cogitari potest, quàm versari cum innumerabilibus Angelis, & hominibus maioribus, æqualibus, minoribus, & ab omnibus affectu sincerissimo diligi vt fratrem, tractari vt fratrem, complecti vt fratrem.

Psal. 132.

Caput II.

De magnitudine & pulchritudine Domus Dei.

Alia ratio cur habitatio Sanctorũ Domus dicatur, assignari potest, quia videlicet domus, præsertim Regiæ, plurima habent ornamenta in aulis, in cubiculis, in thalamis, quæ reliqua ciuitas non habet. Nam quis enumeret peristromata, aulæa, tapetia, vestes pretiosas, vasa aurea & argentea, quibus fulgent palatia Regum? Nec solùm ornamenta interiora magno pretio constant, sed etiam ipsa ædificatio externa admirabilis esse solet ob marmora pretiosa, & columnas, atria deaurata vel depicta, hortos pensiles, & alia id gen⁹, quæ enumerare longum esset. Salomon Rex Ierusalem posteaquam ædificauit templum Domino, ea magnificentia qua par erat, ædificauit etiam domum suam tanto apparatu, vt in ædificatione consumpserit annos tredecim; cùm tamen administros & præfectos operum haberet plurimos, & materia lapidum pretiosorum & lignorum cedrinorum esset ad manus. Nec minore sumptu & industria ædificauit palatium vxori suæ, filiæ Regis AEgypti, & domum saltus Libani, cuius descriptio habetur in libro tertio Regum, ita sumptuosam, vt incredibile videatur. Ergo Scriptura sacra cùm domũ Dei appellat eam habitationem, quam appellauerat Ciuitatem Dei, & Regnum cœlorum; id significare voluit, totam Ciuitatem illam, & totum illud Regnum ita nitere & fulgere, vt domus Regia fulget ac nitet. Nam vt ex Propheta Baruch audiuimus, Domus Dei tam ingens est, vt totum Regnum cœlorum occupare possit.

3. Reg. 7.
Baruch 3.

Admirabile omninò videbatur paulò ante, si totum Regnum aliquod ea pulchritudine splenderet, qua splendet eius primaria ciuitas. Quis ergo non obstupescat, si cogitet totũ cœlorum Regnum dici domum Dei, quia totum ornatum, totum pulchrum, totum pretiosum est, ac ipsa domus Dei? Iure clamat Propheta Dauid: *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* quis enim non toto corde concupiscat videre & possidere domum Regiam nobilissimam; quæ totum Regnum magnitudine sua adæquet? & contra videre & possidere Regnũ amplissimum; quod quamlibet Regiam domum adæquet ornamentis, & decore, ac pretio? Nec solùm concupisceret anima nostra talem Domum, & tale Regnum, si attentè ista cogitaret, & fideliter crederet; verum etiam planè deficeret, & extra se raperetur, ob incredibilem pulchritudinem & magnitudinem tantæ rei. Sed nos humi strati, rebusq; terrenis intenti, magna esse putamus quæ hic cernimus; & ideò de inuisibilibus non cogitamus: quemadmodum pueruli faciunt, qui domum paternam nunquam egressi, domunculam suam diligunt, de palatijs Regum ne cogitant quidem. Quomodo etiam rustici solent, quod Ciuitates nunquam viderint, de colendo agello suo solliciti sunt, & de reparanda domuncula lignea vel lutea, si fortè ruinam minetur; de palatijs, de arcibus, de foro, de theatro, de honoribus, de dignitatibus, de augendis pecunijs, de splẽdidis conuiuijs nulla cura eos remordet. Et fortasse rustici, & pueruli beatiores sunt ciuibus locupletibus, & magnis Principibus: quoniam ea quę videntur in hoc mundo sublimia, plus afferunt molestiæ & periculi, quam solidę vtilitatis vel dignitatis. Quę verò bona sunt in domo illa cœlesti Patris nostri Dei, & verè maxima sunt, & nullam afferunt molestiam, nullumve periculum; sed ab omni molestia & periculo liberant, non ad tempus, sed in sempiterna sæcula.

Psal. 83.

Itaq; B. Paulus, qui nec paruulus, nec rusticus erat, & bona huius mundi nouerat, quippe homo doctissimus, & cum sapientibus versatus, & simul in domo Dei fuerat, & Ciuitatem cœlestem lustrauerat, raptus in Paradisum, & in tertium cœlum, de se ipse dicit: *Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ non videntur, æterna.* & rursum: *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* & nos omnes exhortans, dicebat: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

2. Cor. 4.
Philip. 3.
Coloss. 3.

Caput III.

De triclinio Domus Dei.

Accedit alia ratio cur Domus Domini dicatur, quę dicta est Ciuitas & Regnum: ea verò ducitur ab illis verbis Domini, *In domo Patris mei mãsiones multæ sunt.* Siquidẽ in domibus sunt triclinia ad cibum sumendum, cubicula cum cubilibus ad somnum capiendum, aulæ vel atria ad varias exercendas actiones, quæ extra domos fieri non solent. Ac vt incipiamus à triclinio, verè est tricliniũ in domo Domini, vbi Sancti omnes non solùm cibis Regijs vescuntur, sed quod est admirandum valdè, & non credibile, nisi Spiritus sanctus ipse hæc nos doceret, Rex ipse præcinctus mensis ministrat. Sic enim loquitur Dominus apud Lucam: *Beati sunt serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discũbere, & transiens ministrabit illis.* Quale, quæso, est hoc tri-

Ioan. 14.
Luc. 12.

clinium? quis vnquam audiuit talia? Dominus stat, famulus recumbit. Dominus præcingitur, vt sine impedimẽto ministret; famulus discingitur, vt liberius & commodius recumbat; dominus transit discurrens, & cibos adferens, famulus quietè comedit, & cibis Regijs fruitur. O si ista cogitaremus, & caperemus, quam citò vilescerent omnes terrenæ cupiditates! Præcinxit se linteo aliquando Dominus, vt discipulis pedes lauaret. Petrus exhorruit, & ferre non poterat, à Domino seruis pedes lauari. Sed tunc Petrus meritò exhorruit, quia vidit maiestatem humiliatam, vt exemplum humilitatis seruulis suis daret. Sed in domo illa cœlesti præcinctio & ministerium Domini non est humiliatio, sed dignatio: neq; humilitatis exemplo indigebunt serui Dei in cœlo, vbi nulli erunt superbi, sed omnes in omni genere virtutum confirmati atq; perfecti. Igitur præcinctio illa Domini significat, ita liberè, ita expeditè, ita sine vllo impedimento adfuturum Dominum vnicuiq; seruorum & fratrũ suorũ, bonis omnib. cumulando ac recreando, ac si nihil haberet aliud quod ageret, & solus cum solo esset.

O anima Christiana, quid est hoc? Vtinam saperes & intelligeres, quali honore, & quali delectatione cumulabit Dominus in æternum sanctos seruos suos! Hæc enim si ad cor tuum profundè descenderent, certè tu quoq; spiritu feruens, lumbosq; præcinctus, totum te in obsequium tam dulcis Domini lætus impẽderes: & si quando in pauperibus fratribus suis tibi occurreret, non solùm non eum fastidires, aut toruè aspiceres; sed charitatis visceribus dilatatis illum reficeres ac foueres, memor verborum illorũ, *Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quod autẽ faciet seruos suos discũbere, significat eos iam in domum Patris admissos, posse tutissimè sine vllo periculo aut sollicitudine recumbere, & repleri ac frui bonis omnibus, quibus referta est domus Domini. Nullus enim deinceps erit, qui vel per vim, vel per insidias possit eos impedire, vel prohibere, ne omni bono liberrimè perfruantur. Deniq; quod ipse Dominus transiens ministret, nihil est aliud, nisi præcipuas epulas Sanctorũ in ipso Domino esse, ipse enim est panis vitæ, ipse est fons sapientiæ: ipse est manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Itaq; ipse transit ad omnes, ipse ministrat omnibus epulas ineffabiles, quæ sine fastidio satiant, & sine satietate replent.

Ioan. 13. Matt. 25.

Capvt IV.

De cubiculis domus Dei.

Transeamvs nunc à triclinio ad cubiculum vel cubilia. *Exultabunt*, inquit Dauid, *Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.* Hoc cubile nihil est aliud, nisi requies omnimoda Sanctorum, & somnus ille, de quo canit in alio loco idem Dauid: *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.* de qua requie dicit in alio loco: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Deniq; hæc est illa requies, de qua dictum est S. Ioanni: *Scribe; Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Magnum est hoc bonum,

Psal. 149. Psal. 126. Psal. 4. Apoc. 14.

A & proprium Beatorum. Siquidem in hac vita nemo omninò liber est à labore: & qui videntur quiescere, vt nobiles & diuites, illi maioribus vrgentur angustijs. Non enim sine causa Dominus noster diuitias comparauit spinis, in parabola de seminante. & Iob, *Militia*, inquit, *est vita hominis super terram.* & vnus ex eius socijs, *Homo*, inquit, *nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Sed omnium clarissimè Ecclesiasticus, *Occupatio magna*, inquit *creata est omnibus hominib. & iugum graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis, à residente super sedem gloriosam vsq; ad humiliatũ in terra & cinere: ab eo qui vtitur hyacintho, & portat coronã vsq; ad eum qui operitur lino crudo*

Matth. 13. Iob 7. Iob 5. Eccl. 40.

B Hæc Ecclesiastic. vbi pulcherrimè docet nullum mortalium vllo tempore quietis esse participem. Exponam breuiter hanc sententiam, vt oẽs intelligant, quanti fieri debeat somnus, id est, requies Beatorum. *Occupatio magna*, inquit, *creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam.* Occupatio opponitur quieti: sed quia multi occupantur in reb. lætis, in venatione, in lusu, in cantu, in saltatione, addit *& iugum graue*, vt ostendat, loqui se de occupatione laboriosa & molesta, qua nemo delectatur, & quam omnes refugiunt. Atque hanc molestissimam occupationem dicit esse creatam hominibus, id est, adiunctam & destinatam homi-

C ni ab ipsa creatione, tanquam comitem indiuiduum & inseparabilem. Id quod explicat, ne quis fortè non intelligeret, dicens, *à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Itaq; mitius actum est cũ bobus, qui iugum graue ferunt interdiu, & noctu quiescunt, quàm cum hominibus, qui dieb. & noctibus iugum graue ferre coguntur. Deinde breuiter attingit partem occupationum molestarum, quę instar grauissimi iugi colla mortalium premunt. *Cogitationes, & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis.* Prima pars molestæ occupationis est cogitatio rerum futurarum: semper enim sollicitus est de crastino, ac dicit intra se: *Quid erit post hæc? amittemus ne id modicũ boni quo fruimur?* Ex his nasci-

D tur timor cordis continuus, qui non sinit hominem requiescere. Atq; hęc cogitatio cũ prole sua, quæ est timor, duplex est: altera, quam sibi ipse anim⁹ fingit; altera, quæ necessaria est, & quam nemo fugere potest. De priore dicit, *Adinuentio expectationis*, de posteriore, *dies finitionis.* Adinuenit homo, id est, fingit sibi varias expectationes rerum futurarum, quæ non minus cruciant, quam si certò venturæ essent. Sed maximè torquet cogitatio, & timor mortis, quam vocat diem finitionis; quam omnes cum timore tanto expectant, vt Apostol. ad Hebr. eam vocet continuam seruitutẽ: mortis enim expectatio amarescere facit omnes huius vitæ iucunditates. Deniq; addit Ecclesiasticus, hanc laboriosam occupationem ita esse communem omnibus filijs Adæ, vt pertineat ad oẽs homines, à primo vsq; ad vltimum; ab illo qui sedet in throno sublimis, & gestat coronã, & vtitur hyacintho, vsque ad eum qui humi iacet, & vtitur lino crudo. Atque in his omnibus sunt

Hebr. 2.

homi-

homines post Adæ peccatum bestijs omnibus infeliciores: bestiæ siquidem sine timore viuunt, neque de crastino sollicitæ sunt, & neq; recordantur præteriti laboris, neq; anguntur expectatione futurorum. Et ideò Sapiens Ecclesiast. dixit, hoc iugum esse super filios Adam, tum vt excluderet bestias, quę liberę sunt ab hoc iugo; tum vt indicaret, caussam hui⁹ miseriæ fuisse peccatum primum hominis primi.

Illud autem est omnium miserrimum ijs qui ad cælestem Domum nō aspirant, quòd in hac vita iugū graue ferunt, sed grauius multò apud inferos inuenient. Siquidem in hac vita nemo liber est à labore, sed cum aliqua consolatione coniuncto: post hanc vitam apud inferos labor & dolor est sine consolatione & requie: in sola beata Domo Dei requies est sine vllo labore, & consolatio sine vllo dolore. Rectè igitur canit Propheta, *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* quoniam non requiescent vt dormientes, qui nō sentiunt quietem suā; sed cū exultatione magna requiescēt, scientes & cognoscētes cum æterna gratiarum actione bonum felicissimę quietis, ab omni labore, dolore, timore, molestia, perturbatione liberrimæ. Profectò si nihil esset aliud in Domo Domini, nisi ista sempiterna requies, nonne digna esset, quę omnibus huius vitæ laboribus & doloribus emeretur? Et si apud inferos tormentū non esset aliud nisi sempiterna & irrequieta vigilia, nonne digna esset, quæ omnibus huius vitæ diurnis nocturnisq; orationib⁹ & fletibus redimeretur? Certè enim quàm dulce Sanctis erit, in exitu de hoc sęculo videre finem laboris & doloris, tam erit amarū iniquis in exitu simili cernere, nullā deinceps sperandam esse requiem laborū atque dolorum. Vltimum terribilium dicitur esse mors: & tamen quia mors requiem aliquā habere videtur, ideò miserrimi illi, qui ad inferos descendent, *quærent mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Itaque carentia omnis quietis grauius iudicabitur malum, quàm sit vltimum terribilium. Et tamen tanta est in hoc sæculo mortalium cęcitas, vt pro nihilo ducant, requiem sempiternam amittere, & ad locum illum descendere, vbi supplicia requiem nullam admittent.

Psal. 149.

Apoc. 9.

Caput V.

De aula Domus Dei.

RESTANT loca in domo negotijs varijs deputata. Sed in Domo illa beata vnū erit negotium cōmune omnibus, Regis superni laudatio. Hîc enim quidam negotiantur vt lucrentur pecunias; alij vt dignitates acquirant; alij dant operam studijs doctrinarum, vt discant, vel doceant; alij mechanicis artibus, vt parent quæ sunt ad vitam necessaria. Sed in illa regione viuentium & immortalium nulla erit inopia, nulla ignorātia, nulla necessitas, ambitio nulla; omnes erunt statu præsenti cōtenti, neq; aliquid optabunt aut requirēt amplius; proinde toti erunt in summo bono fruendo, diligendo, & laudando intenti.

Sed videor mihi audire qui dicant, officium laudandi Deū in Psalmis & Hymnis, ac præcipuè in Horis canonicis recitandis, non carere

A labore & fatigatiōe: nec deesse qui graue onus impositum sibi esse querantur, quod tot horas cantando in Ecclesijs, & Deum laudando consumere iubeātur. Quibus respondemus, laudationem Dei in hoc tempore meritū esse, in vitæ æterna præmium: atq; hinc fieri, vt hic quidē sit laboriosa multis & molesta, quæ ibi erit omnibus iucūda & decora laudatio. Nunc multa legimus vel canimus, quæ non intelligimus: prętereà in abigēdis vanis cogitationibus, quasi muscis importunissimis, nō mediocriter laboramus: denique corpus quod corrumpitur, non potest diutius mētis functionibus sine fatigatione seruire. At in beata illa patria corpus erit immortale & impassibile, aberunt muscæ inanium cogitationū, intelligemus omnia perfectissimè quæ canemus: & quod est potissimum, nihil erit aliud diuina laudatio, quàm felicitatis exercitatio: proinde si non erit molesta sempiterna felicitas, neq; molesta esse poterit æterna laudatio. Esse autē in cælo Dei laudationem, beatitudinis exercitationem, docet Propheta, qui ait: *Beati qui habitāt in Domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Sicut enim ad beatitudinē pertinet, semper videre & amare summum bonum; sic ad exercitiū beatitudinis pertinet, semper admirari & laudare pulchritudinem summi boni. Et quemadmodum nemo fatigabitur Deum amando, sic etiam nemo fatigabitur Deum laudando. Adde quòd non solùm non fatigabimur videndo & amando Deum, sed etiam non fatigabimur videndo & laudādo opera Dei, quæ omnia semper in conspectu aderunt, & pulchritudinem suam eximiam semper ostendent: nec laudare poterimus opera Dei, pulchra valdè, quin simul laudemus Auctorem operum illorū, quæ semper clamabunt, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Denique sicut nunquam obliuisci poterimus beneficiorum, quibus nos Deus obruit, & quasi nodis amoris insolubilibus adstrinxit; sic etiam non poterimus non semper animis gratissimis iubilare in laudibus optimi Benefactoris.

Psal. 146.

B

Psal. 83.

C

Concludamus igitur cum S. Augustino, atque dicamus: *Quid aliud agetur, vbi neque vlla desidia cessabitur, neq; vlla indigentia laborabitur? Ipse Deus finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, sicut ipsa vita æterna cōmunis. Ibi ergo vacabimus, & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi peruenire ad Regnum cuius nullus est finis?*

22. De Ciui. Dei. cap. 30

D

Caput VI.

De prima parte porta Domus Dei, quæ est fides.

HIS explicatis, vnum illud reliquum esse videtur, vt videamus quæ sit porta, per quam in illam Domum felicissimā ingredi valeamus. Sed ipse Domin⁹ in Euangelio non solùm portam ostendit, sed etiam angustam valdè esse prædixit, ac vt intrare contendamus, admonuit. Siquidem interrogatus, *Domine, si pauci sunt, qui saluātur?* Respondit. *Contendite intrare per angustam portam: quia multi*

Luc. 13.

dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cùm autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostiũ, incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes: Domine, aperi nobis. Et respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis; discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Hæc Dominus: qui satis apertè docet, portam Domus Dei quæ est in cælis, angustissimam esse, quamuis ipsa Domus sit amplissima, & propter angustiam eius multos non intraturos, qui alioqui libenter intrarent: & ideò non intraturos, quia cupient quidem intrare, sed non contendent, nec pressuram illam pati volent.

Explicemus, vnde sit angusta porta domus amplissimæ. Quatuor partes habet porta, limen, superliminare, & latera duo, id est, quatuor lapides, vnum infrà, alterum suprà, & duo ad latera. quæ in hac nostra porta, quatuor sunt virtutes omninò necessariæ, vt quis cælestem Domum ingredi valeat, fides, spes, charitas, humilitas. Fides & spes lapides sunt laterales, charitas est superliminare, humilitas limen quod pedibus teritur. Sed omnes isti lapides, id est, omnes istæ virtutes tam exiguam habent in se longitudinem & latitudinem, vt & in se angustæ sint, & portam angustissimam faciant.

Incipiamus à fide. Fides Christiana & vera, eiusmodi patitur angustias, vt nisi mens humana vim sibi faciat, & quasi in captiuitatem se redigi patiatur, & ligari & trudi, nemo per eam ingredi valeat. Atque hoc est, quod Apostolus scribit in posteriore Epistola ad Corinthios: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Proponit enim fides Christiana multa credenda, quæ ita superant omnem rationem, vt difficillimum sit illis assentiri; & tamen sic certò, sic firmiter credi iubet, vt homo paratus esse debeat, millies vitam sanguinemque profundere, quàm vnam partem fidei abnegare. Magnæ sunt istæ angustiæ; nec mirum, si pauci illas superent. Atque hæc ratio est, cur tam multi ad Mahometanos vel hæreticos deficiant, quoniam illi angustias fidei sustulerunt, & portas latissimas aperuerunt; per quas tamen non itur ad vitam, sed ad perditionẽ, iuxta verbum Domini apud Matthæum: *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Siquidem omnis homo naturaliter scire desiderat, vt Philosophus scripsit ad initium Metaphysicæ: ideò non facilè assentitur, nisi demonstratio, vel certè probabilis ratio adferatur. Expertus est hoc Apostolus Paulus: qui quamuis ex infusa & acquisita doctrina, & ex dono linguarum mirabiliter loqueretur; tamen cùm prædicaret resurrectionem mortuorum, non deerant qui illum irriderent: & alij qui dicerent, *Quid vult seminiuerbius hic dicere?* & cùm Christum crucifixum annũtiaret, gentilibus stultus esse videbatur, & Iudæi scandalum patiebantur, vt ipse testatur in priori ad Corinthios. Hinc etiam veteres hæretici, vt portam angustam dilatarent, varios errores inuenerunt. Alij enim mysterium Trinitatis sustulerunt, vt Sabelliani & Ariani: alij mysterium Incarnationis, vt Nestoriani & Eutychiani: alij Resurrectionem mortuorum, vt Origenistę, & alij. Sed istæ omnes portę, & aliæ ferè ducentæ, quia humanos architectos habebant, & solido fundamento carebant, breui tẽpore corruerunt, vt iam vix nomina teneamus; & ne nomina quidem sciremus, nisi in libris Catholicorum qui eas oppugnarunt, Irenæi, Philastrij, Epiphanij, Augustini, Theodoreti, & similium, ea legeremus. Iam verò Mahometani, qui nunc tam longè lateque sectam suam dilatauerunt, omnia ferè quę difficiliora sunt in fide Christiana sustulerunt, vt personarum diuinarum Trinitatem, vt Incarnationem verbi diuini, vt mortem & resurrectionem Filij Dei, vt Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ; quibus sublatis omnes angustiæ sublatæ sunt, & porta dilatata multitudinem innumerabilem admittit.

Hæretici verò temporis nostri per aliam viã ingressi sunt, & eas angustias potissimum sustulerunt, quæ nõ tam ad intelligentiam, quàm ad actionem pertinebant. Fides Christiana docet, vitanda esse omnia peccata, vt etiã de verbo otioso reddenda sit ratio: & si quis in peccatum letale labatur, confitenda esse peccata Sacerdoti, & per contritionem seriam & satisfactionẽ esse diluenda: opera bona, quantumuis laboriosa & difficilia, esse facienda, si à Præpositis præscribantur: Regnum cælorum esse bonis operibus promerendum, vt coronam iustitiæ, & mercedem laboris: Ecclesiasticis sacratisque hominibus cœlibatum esse colendum: vota Monachorum & Sanctimonialium esse seruanda. Hæc & his similia quæ angustias facere videbantur, hæretici huius temporis ita sustulerunt, vt portam latissimam aperuerint. Prædicauerunt enim, solam fidem esse necessariam ad salutem, ita vt homo Christianus non possit perire, quantumuis peccatis omnibus sit coopertus, nisi nolit credere. Item non esse opus cõfiteri peccata Sacerdoti, satis esse, si quis confiteatur Deo: contritionem non requiri, satis esse terrores quosdam mentis: pœnitentiæ & satisfactionis opera non esse necessaria: liberum esse Sacerdotibus cœlibatum cum coniugio commutare: nec minùs licere Monachis & Sanctimonialibus omnia vota contemnere: non posse Præpositos ad aliqua pia opera subditos populos obligare. His & similib. doctrinis, sublatis angustijs fidei, portam salutis latissimam sibi facere visi sunt: sed reuerà portam, quæ ducit ad inferos, aperuerunt, & per eam turbam ingentem leuium hominum ad perditionem secum duxerunt.

Nec verò Catholici omnes angustias fidei superant: nam tametsi omnia quæ fides docet, credunt; tamen dum aliter viuunt quàm fides iubet, de illis probantur esse, de quibus Apostolus loquitur cùm ait: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* ac per hoc ipsi quoque angustias fidei refugiunt, & portam latam ingrediuntur, quæ ducit ad perditionem. Itaque si de fide agatur, ad quæstionem Domino propositam, *Si pauci sunt, qui saluantur?* respondendum erit, paucos esse, & ideò contendendum intrare per angustam portam.

(∴)

Capvt VII.

De spe, quæ est altera pars portæ Domus Dei.

Iam verò spes quoque suas habet angustias, siue pręmij magnitudinem, siue paruitatem nostram consideres. Si quis enim iuberet rusticum indoctum, & qui nullam habet experientiam rerum humanarum, sperare, breui se habiturum sapientiam Salomonis, vel certè Platonis & Aristotelis, & simul imperium Alexandri Magni, vel Augusti; quando quæso persuaderi posset eiusmodi homini, vt tantillus tanta speraret? At id multò facilius est, quã vt homo mortalis speret sapientiam & potentiam Angelorum, qui in cælo sunt, & puræ intelligentiæ sunt. Nam ille rusticus, & Alexander, atque Aristoteles, eiusdem naturæ erant, omnes homines mortales erant; & sapientia Aristotelis sapientiam humanam non transcendebat, & imperium Alexandri ne tertiam quidem terræ partem occupauit. At spes fidelium sperare eos iubet æqualitatem Angelorum, dicente Domino: *Qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent vxores; neque enim vltrà mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filij sunt Dei.* Luc. 20. Et si quis hominem qui humi repit, sperare iuberet, breui futurum vt volet per aërem, aut in aquis longo tempore subsistat, & currat atque discurrat; quando adduci posset vt ista speraret? & tamen aues etiam magnæ, vt grues, vt ciconiæ, vt aquilæ, celerrimè volant per aërem: & naues grauissimæ & onustæ subsistunt in aquis, vel currunt & discurrunt per aquas, prout voluerint nautæ. At spes Christianorum sine vlla ambiguitate iubet, vt homo Christianus etiam cum corpore speret se super cælos ascensurum, & à cælo ad terram sine vllo periculo ruendi descensurum, & in cursu ab ortu ad occasum cum sole ipso certaturum, eumque sine dubitatione victurum. Denique si quis pauperculus parentibus orbatus, sperare iuberetur, à Rege magno sibi non cognito se in filium adoptandum, certè multum laboraret, vt id posse fieri aliquando speraret: & tamen vterque homo est, & terræ filius, ac morti obnoxius. At spes Christiana docet, hominem quemcunque, modò baptizetur in Christo, & Christi mandata custodiat, spiritum adoptionis à Deo habiturum, Rom. 8. & verè in filium cooptandum, & fore hæredem vniuersorum quæ ipse Deus possidet; cohæredem autem Christi, qui Filius est naturalis & proprius, & quem Pater constituit hæredem vniuersorum. Hebr. 1.

Hæc spes tam magna & tam excelsa, si à Christianis, vt par est, coleretur & teneretur, certè faceret illos impauidos vt leones, vt nullis neque periculis neque terroribus cederent, & cum Propheta dicerent: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Psal. 117. & : *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* Psal. 26. & cum Apostolo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Phil. 4. & : *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Sed valdè pauci sunt, qui res tam arduas sperent vt oportet, cùm plurimi inueniantur, qui res etiam temporales & paruas à Deo non

A sperant, & magis confidunt in astutia sua, in furtis, in mendacijs, quàm in adiutorio Altissimi. Mat. 6. Dominus ipse apud Matthæum & apud Lucam Luc. 12. pulcherrimis similitudinib. admonuit fideles, ne nimis solliciti essent de quærẽdo cibo & vestibus: quia Pater cęlestis, qui nutrit auiculas, quæ non serunt neq; metunt; & vestit lilia agri, quæ non laborant neque nent; multò magis prospiciet filijs suis, quibus seruat Regnum æternum: & tamen tam modica, & penè nulla inuenitur in plerisque Christianis confidentia in Deum, vt sæpè in angustijs suis vel ad humanas fraudes, vel ad diabolicas artes potiùs confugiant, quàm ad Deum. Ergo si illa nõ sperant à Deo, quę Deus tribuit volucribus cęli & lilijs agri, quæq; se daturum esse promittit, si spem suam ponant in eo: magnum est argumentum, in eiusmodi animis locum non habere B spem illã, quæ propria est filiorum Dei, qui Regni sempiterni consortium sperant à Deo. Et quoniam sine spe certa & viua, quæ pars est portæ Domus cælestis, nemo ingreditur ad salutẽ, ideò nõ multi sunt qui saluantur.

Sed sunt etiam aliæ maiores angustię in virtute spei: iubet enim Christiana spes contemni præsentia quæ videntur, & sperari futura quæ non videntur: iubet dispergere & dare pauperibus, vt ea multiplicata restituantur in cælis, vbi nemo fuit qui viderit, & nemo est qui cogitare vel suspicari possit, quæ sint illa bona quę nobis reddentur in cælo, si nostra seminemus in terra. Et quidem rusticus facilè persuadetur, vt triticum seminando spargat in terram, quia vsus multorum annorum docuit, quod seminatur cum labore, cum exultatione C meti: sed quæ disperguntur in pauperes, colligi multiplicata in cælis, nulla experientia docuit. Ideò difficile videtur hominibus, dimittere præsentia quæ videntur, & sperare futura quæ non videntur.

Denique magnum est argumentum, angustissimam esse portam, confidentiam firmam in Deum, quòd tanta vbique inueniatur turba miserorum, lugentium, clamantium, blasphemantium, desperantium. Deus enim in se confidentibus aut tollit miserias, aut donat patientiam cum tã ingenti consolatione coniunctam, vt dicant cum Apostolo: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 7. Turba igitur illa lugentium & flentium in miserijs argumento est, vt scribit sanctus Basilius in Psalmum quadragesimumquintũ, multos esse qui in ore habeant, *Deus refugium nostrum & virtus:* D paucissimos, qui in corde, quique verè & ex animo sperent in Deo.

Capvt VIII.

De charitate, quæ est tertia pars portæ.

Veniamvs ad charitatem, quæ est superliminare portæ cælestis. Charitas Regina virtutum, quæ ab vna parte videtur latior, cùm se extendat ad Deum, ad Angelos, ad oẽs homines, etiam ignotos, & inimicos, eò redditur angustior, cùm per eam transeundũ est, ob incredibilem difficultatẽ quam secum adfert, cùm non verbo & lingua, sed opere & veritate præcepta illius adimplenda sunt. 1 Ioan. 3. Quid enim, quæso, Regina ista iubet?

Primùm,

Matt 22. Luc 10. Primùm, vt diligatur Deus ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus. In magnas angustias redigitur homo, cùm ad ista implenda se accingit. Quid est enim diligere Deum ex toto corde, ex omnibus viribus, nisi diligere amore vero & summo? Illud *ex corde & ex anima*, significat amorem esse debere verum, non simulatum, non verbo & lingua, vt loquitur S. Ioannes, sed opere & veritate. Illud *ex toto, & ex omnibus viribus*, siue *ex omni virtute*, vt habet alius Euangelista, significat amorem in Deum esse debere maximum. Vis igitur præcepti est, vt diligatur Deus amore vero & summo, vt nihil ei præponatur, nihil adæquetur, omnia postponantur, sic vt paratus sit homo Christianus cum Patriarcha Abrahamo, si opus sit ad gloriā Dei, vitæ proprij & vnigeniti & amantissimi filij sui non parcere. Neque id solū, sed etiā, vt Dominus mandat in Euangelio, odisse patrem & matrem, vxorem & filios, fratres & sorores, adhuc aūt & animam suam, & renuntiare omnibus quæ possidet, id est, paratum esse ea promptitudine priuari omnibus consanguineis, & vita propria, & facultatibus ac dignitatibus omnibus, qua illis priuaretur, si ea verè & ex animo odisset. Magnæ angustiæ sunt istæ, & ad eas penetrandas quis idoneus? Quantò faciliùs inuenientur homines, & ij non pauci, qui parati sint Deo renuntiare, & omnibus eius promissis, quàm diuitijs & honoribus tēporalibus, ne dicam vitę proprię vel filiorum? Testis est sanctus Cyprianus in Tractatu de lapsis, in ipsa primitiua Ecclesia, quando ardor charitatis erat multò maior quàm nunc sit, pro paucis Martyribus plurimos fuisse desertores, qui patrimonia sua, nedum vitas, charitati Dei anteponebant: quod ipsum testatur etiam Eusebius in Historia Ecclesiastica.

1 Ioan. 3. Marc. 12. Luc. 14. Histor. Eccles. lib. 8. c. 2.

Quid iam dicemus de charitate erga proximum? Quid mandat charitas vt erga proximos faciamus? nimirum vt diligamus eos sicut nos ipsos; & quod nobis fieri volumus, nos quoque erga alios faciamus. Quis verò est, qui si multùm egeat, non cupiat sibi dari à diuitibus, saltem quod illis superest? Neque accipiet excusationē si diues respondeat, ære alieno se premi, quòd emerit villam magni pretij, aut sumptuosum palatium ædificauerit, aut certè peristromatibus pretiosis exornauerit: illa enim fortasse superuacanea sunt; & non patitur charitas, vt proximus pauper rebus necessarijs careat, & proximus diues superuacaneis rebus abundet. De qua re consulat, quæso, Lector sanctum Basilium in Oratione ad diuites, & sanctum Bernardum in declaratione super illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia*. Videbit enim & horrebit periculum eorum, qui non cogitant, se de proprijs opibus rationem Domino reddituros, & qui secundùm suam cupiditatem, non secundùm Domini voluntatem, & erga proximos charitatem illis vtuntur. Nam si de verbo otioso rationem reddemus, cur non magis de pecunijs malè consumptis?

Matt 12.

Sed Apostolum Ioannem audiamus, atque ab eo discamus, quousque se extendat debitum charitatis: *In hoc*, inquit, *cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Deus Christus pro seruis suis animam posuit: quid ergo magnum erit, si nos pro fratribus animā, id est, vitam ponamus? Itaque non dicit Apostolus, possumus, sed *debemus pro fratribus animas ponere*: neque dixit, arbitror, censeo, consilium do; sed absolutè pronuntiauit, *debemus pro fratribus animas ponere*. & si animas, cur non magis facultates? Proinde sanctus Gregorius rectè concludit: *Cùm incomparabiliter longè sit melior anima qua viuimus, terrena substantia quā exterius possidemus; qui non dat substantiam suam, quando daturus est animam suam?* Quod idem de alijs rebus dicere possumus. qui enim debet pro fratribus animam ponere, cur non multò magis debet fratribus iniuriam siue offensionem condonare? & qui debet pro fratribus animam ponere, cur non debet diligenter cauere, ne fratrem verbo aut facto lædat? Quia verò præceptum charitatis Dei & proximi eiusmodi angustias habet, vt à paucis superentur; ideò quærenti à Domino, *Si pauci sunt, qui saluantur?* iure potuit Dominus respondere, paucos esse, & propterea totis viribus contendendum esse, vt cum illis paucis salutaris portæ angustias superemus.

1 Ioan. 3. Homil. 14. in Euang.

CAPVT IX.

De humilitate, quæ est quarta pars portæ.

RESTAT humilitas, quæ suas etiam nec paruas habet angustias. Quid præcipit Magister ille, qui de se verissimè dixit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde? Vade recumbe in nouissimo loco*. Et quod dixit, fecit. Veniens enim in hunc mundū, recubuit nascēs in præsepi, & moriens in cruce. Locum certè humiliorē inuenire non potuit neque nascens, neq; moriens. Et dum vixit, pauperior fuit nō solùm hominibus, sed etiam animantibus brutis: nam vulpes foueam habent, & volucres cęli nidos; ipse autem non habuit vbi caput suū reclinaret. Sed quid sibi vult, *Recumbe in nouissimo loco?* illud significat, Quicumque tu sis, & quantuscumque sis, existima te semper vltimo loco dignum esse. Cuius rei rationem reddit Apostolus in epistola ad Galatas, cùm ait: *Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit*. & non dixit, Qui se existimat magnum esse, aut maiorem alijs, siue sapientia, siue potentia, siue virtutibus: neq; dixit, Si quis existimat se non magnū esse, neq; cæteris maiorē; sed tamen alijs parem: sed dixit, *Si quis existimat se aliquid esse*. & deniq; nō dixit, Cùm pauper, vel indoctus, vel inglorius sit; sed, *cùm nihil sit*. Itaque non potuit Apostolus magis descendere, vt locum nouissimum designaret, & verba Domini digno commentario explicaret. At, inquiunt, oportet esse homines in altis gradibus, Prælatos, Principes, Reges, Imperatores, Pōtifices. Ita est, oportet; sed vnusquisque sedere debet in nouissimo loco, & expectare vt Dominus dicat: *Ascende superius*. cuius rei exemplū insigne habemus in sancto Augustino, quod eius verbis proponere libet. Sic enim loquitur in Sermone de cōmuni vita Clericorum: *Ab eis quis diligunt sæculum, segregaui me; sed eis qui præsunt populis non me coæquaui: nec in conuiuio Domini superiorem locum elegi,*

Matth 11. Luc. 14. Luc 9. Gal. 6.

sed

sed inferiorem & abiectum. Et placuit illi dicere mihi, Ascende sursum. Vsque adeò autem timebam Episcopatum, vt quoniam esse cœperat alicuius nominis inter homines fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, non illò accederem. Cauebam hoc, & agebam quantum poteram, vt in loco humili saluarer, non in alto periclitarer. Sed, vt dixi, Domino seruus contradicere non debet. Vtinam hoc exemplum omnes imitarentur! haberemus enim multos Prælatos bonos, multos bonos Principes, multos optimos Magistratus. Sed quia multi se ingerunt, neq; vocationem Domini expectare dignantur; Deus aliquando irascitur, & ad exemplum aliorum cogit non paucos in nouissimo loco sedere, vt omnes intelligant, honores & diuitias, vt cætera temporalia & spiritualia bona, à manu sua pendere. Hinc enim sæpè videmus homines ditissimos breui redigi ad extremam pauperiem, & magnos Principes de sedibus suis deijci.

Eccl. 3. Sed neque satis est expectare Dei vocationem: sed oportet etiam in ipsa Prælatura vel Principatu non superbè sapere; sed iuxta sapientis consilium, quanto quis maior est, tanto se omnibus humiliari; non corpore, sed corde, vt S. Gregorius in Pastorali suo docet, & apertius sanctus Augustinus in Epistola, quæ est Regula Sanctimonialium: *Honore, inquit, coram hominibus prælata sit vobis, coram Deo substrata sit pedibus vestris.* Debet enim vnusquisque cæteros omnes meliores, ac per hoc maiores se credere. Ille enim propriè & simpliciter maior est, qui maior est apud Deum. Apud Deum autem maior est, qui melior est; & ille melior est, qui virtutibus præstat; quidquid sit de præfecturis, de diuitijs, de titulis, de coronis, de infulis: virtutes enim bonũ hominẽ faciunt, nõ præfecturæ, diuitiæ, tituli, & alia id genus: & si virtutes bonũ hominem faciunt, maiores virtutes faciunt meliorem, & maximæ optimum: & qui virtutes in excellentiori gradu possidet, illi cæteris præstant. Et quod vna ex magnis virtutibus sit humilitas, ex eo cognoscitur, quòd ipse Dominus humilitati tribuit exaltationẽ, in illa sentẽtia ab eo sæpiùs repetita: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur.* quam sentẽtiam secuta est Virgo beata in Cantico: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Et B. Petrus: *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Et sanctus Iacobus: *Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* Denique beatus Paulus de Christo ipso dicit: *Humiliauit semetipsum: propter quod & Deus exaltauit illum.*

Past. lib. 3. cap 6. Epist. 109. Matt. 23. Luc. 14. & 18. Luc. 1. 1. Pet 5. Iacob. 4. Phil. 2.

Quoniam igitur virtutes verè, ac præcipuè charitas & humilitas, bonos homines faciunt corã Deo, vt etiã meliores & maximos: & quia nemo certò nouit, qualis sit corã Deo, & quales sint, vel paulò pòst futuri sint alij, ideò periculosum est, alicui se præponere, & vtilissimũ, omnibus se postponere: ideò Dominus absolutè pronuntiat, *Recumbe in nouissimo loco.* Quotusquisque autem est, qui hoc præceptum Dominicum seruet? De qua re magis contenditur inter homines, quàm de præcedentia? Quanti labores suscipiendi sunt ab ijs, qui litigantes de punctis honoris ad concordiam redigere student? Quàm multos sæpè audiuimus sententiam illam ex Scripturis vsurpantes, *Gloriã meam alteri non dabo?* & tamen ea sententia ipsius Altissimi est apud Isaiam, cui soli iustè cõuenit, Deus enim solus humilis esse non debet; quoniam humilitas est virtus quę refrænat cupiditatem hominis, ne velit ascendere super se: Deus autem cùm sit altissimus, nihil habet supra se. Itaque intoleranda superbia est, quòd vermiculus terræ dicere audeat: *Gloriam meam alteri non dabo.* & tamen ijdem vermiculi, quos superbia ita inflat, vt dicant cum Deo, *Gloriam meam alteri non dabo*; ita se abijciunt, vt seruos honoris, id est, inanis existimationis se esse fateantur; & sic fideliter domino suo honori humano seruiant, vt malint in singulari certamine crudeliter necari atque ad inferna descendere, & sic vitam æternam & temporalem simul amittere, quàm idolo suo honori detrimentum aliquod adferatur. O vanitas vanitatum! ô quàm grauiter excæcauit oculos mentis iste fumus honoris! & tamen Christiani sumus, & scimus Christum ab inimicis audiuisse, *Ecce homo vorax, & potator vini.* Item: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Item: *In Beelzebub principe dæmoniorum eycit dæmonia.* & tamen nemo audiuit ab ore eius verbum: *Mentiris*, aut aliquid eiusmodi: sed quia mitis erat, & humilis corde, *cùm malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*, vt scribit Apostolus Petrus.

Isai 42. Matt. 11. Ioan. 8. Luc. 11. 1. Pet. 2.

Ex his perspicuum est, portam vitæ æternæ non minùs ob humilitatem, quàm ob Theologicas virtutes, fidem, & spem, & charitatẽ, esse angustam & à paucis penetrabilem; ac per hoc interroganti, *Si pauci sunt, qui saluantur?* rectissimè responderi posse, paucos esse: quia pauci, vt par est, totis viribus contendunt per angustias portæ illius intrare.

Capvt X.

Iterùm de fide, quæ est prima pars portæ.

CAETERVM ne videamur terrore nimio ab ingressu portæ illius homines auocare, cùm nobis contrà propositum sit in toto hoc libro, mentes fidelium ad patriam nostram dulcissimam, & felicissimam desiderandam accendere, ostẽdam paucis, portam illam quæ ab vna parte ob illarum virtutum eminentiam & perfectionẽ angustissima est, eandem ob Dei ipsius omnipotentiam, & veritatem, & misericordiam, dici posse latissimam & aditu facillimam, si quis verè per illam ingredi cupiat.

Ac vt à fide incipiamus. Verè fides res difficillimas, & supra sensum & rationem longè positas, & supra ipsorum Angelorum naturalem capacitatem sublimiter exaltatas, credendas docet: sed cùm admonemur ab ipsa fidei doctrina, res illas credendas esse Deo, qui mentiri nõ potest, non Angelis, nõ hominibus, iam angustiæ dilatari incipiunt. Si fides diceret, Crede Deum esse trinum simul & vnum, Crede Filium Dei factum esse filium Virginis, Crede Christum à mortuis resurrexisse post tres dies virtute propria immortalem; & hæc omnia firmissimè crede, quia Petrus, & Paulus, & Ioannes, Isaias, & Ieremias, & Ezechiel

hæc dixerunt: hæsitarem vtique, neque auderem res tam difficiles, & supra rationem positas, hominibus mei similibus credere. Scriptum est enim: *Omnis homo mendax.* & ideò tot iuramenta, & tot fideiussores requirimus, vt hominibus fidem habeamus. Sed cùm fides dicit, Hæc omnia Deus reuelauit, neque Petrus, & Paulus, & Ioannes, neque ceteri Apostoli & Prophetæ ex mente sua hæc docuerunt, sed ab ipso Deo edocti; & verbum Dei, non verba sua prædicauerunt: continuò cor dilatatur, atque ad credendum præparatur. Quòd autem Deus sit, qui per Apostolos & Prophetas locutus est, idem Deus tot signis & prodigijs manifestauit, vt stultum sit, nedum temerarium, non velle credere. Sic enim loquitur Apostolus ad Hebræos: *Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus.* Quæ autem Deus loquitur, quis neget esse vera, cum Deus omninò mentiri non possit; & si mentiri posset, Deus non esset?

Psal. 115.

Hebr. 2.

At quæ nobis proponuntur credenda, superant rationem. Ita est; sed non superant potentiam & sapientiam Dei. Ideò dicit beatus Ioannes, Deum esse maiorem corde nostro, quia potest facere, quę nos non possumus intelligere; & essentia atque existentia eius perfectior est, quàm mens nostra capere possit. Si facile credit homo rudis Philosophis atque Astrologis multa de magnitudine solis & stellarum, quæ videntur incredibilia; cur non facile credat homo ipsi Deo, quidquid tandem ille reuelare voluerit, cùm infinito interuallo distet sapientia & potentia eius, ab igniculo rationis quo prędíti sunt homines? Ista igitur qui considerant, non patiuntur angustias in credendis ijs quæ nobis Ecclesia credenda proponit.

1. Ioan. 3.

Capvt XI.

Iterùm de spe, quæ est secunda pars portæ.

Hoc idem de virtute spei dicere possumus. nam si quæ speramus in vita futura, ab hominibus speranda esse diceremus, vt vani & impostores reiiciendi essemus: siquidem homines & mentiri possunt, & tam eximia præmia nullo modo dare possunt. At nō ab homine sperāda esse dicimus, sed à Deo, qui nec mentiri potest, cùm sit veritas; nec fallere, cùm sit bonitas; nec aliquid impossibile apud eum, cùm sit omnipotens. Itaque meritò irrideri se crederet rusticus, si quis illi sapientiam Salomonis, aut potentiam Augusti polliceretur; quia qui illi promitteret, homo esset mendax & imbecillus. Sed Christianus, cui Deus promisit vitam æternam, Regnum cælorum, Paradisum omnimodæ voluptatis, cur sperare non debet? Fortasse desunt nobis pignora optimę voluntatis Dei? nonnè in figuram rerum præsentium eduxit Deus populum suum per Mare Rubrum sicco vestigio? pluit illis manna de cælo? eduxit aquam de petra? introduxit eos denique per Iosue in terram promissionis? nunquid inanis & vacua debet esse tam insignis figura? Deindè *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret,* nonnè *cum illo omnia nobis donauit?* Quid magnum speramus à Deo nobis donandum, quod non superetur à dono, quod nec sperantibus nec petentibus iam dedit? Si dedit peccatoribus & inimicis mortem Filij sui, non donabit iustificatis & amicis vitam Filij sui? Neque his contentus, adiecit Spiritum sanctum, tanquam pignus hæreditatis, qui clamat in cordibus nostris: *Abba Pater, & testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

Ioan. 3.

Rom. 8.

Ephes. 1.

Rom. 8.

Quare si magnitudo rerum promissarum spem nostram superare videri possit, non potest tamē superare magnitudinem promittentis: quæ magnitudo cùm infinita sit, facilè potest spem nostram erigere, vt ad illa promissa sine titubatione pertingat. Quam promissionem, vt Apostolus probat in Epistola ad Hebræos, Deus iuramento confirmauit; vt per duas res immobiles, videlicet promissionem eius qui mentiri non potest, & adiunctum iusiurandū, habeamus spem, tanquam anchoram tutam & firmam incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi pro nobis introiuit Iesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

Hebr. 6.

Capvt XII.

Iterùm de charitate, quæ est tertia pars portæ.

Qvid iam de charitate dicemus? Ea certè sicut ob difficultatem implendi præcepta eius, angustissima, sic ob excellētiam diuinæ bonitatis, quam respicit, latissima dici potest. Cur enim difficile videri debet, toto corde, & tota anima, & omnibus viribus Deū diligere, cùm sit ipse pulcherrimus, & optimus, & infinito amore dignissimus? Non est difficile hic in terris amare pulchra & bona, sed difficile est non amare, aut certè nimium non amare. Videtur igitur Deus quodammodo nobis iniuriam facere, cùm tam seuerè iubet vt eum diligamus, quasi spontè nostra eum diligere non debeamus. At bona & pulchra quæ sunt in terris, ideò ardenter amantur, quia clarè videntur; *Deum* autem *nemo vidit vnquam.* Ita est, non vidimus Deum, sed vidimus, & videmus quotidie opera eius, pulchra valdè, de quibus Sapiens dicit: *Si specie* solis & lunæ *delectati, deos putauerunt; sciant quantò his Dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.* Experimur quoque dulcedinem eius in beneficijs eius quotidianis: habemus denique testimonium eius qui vidit, & qui mentiri nequit, videlicet sancti Spiritus, qui per Apostolos & Prophetas in Scripturis sanctis prædicat, Deum vsque adeò bonum & pulchrum esse, vt meritò solus bonus & solus pulcher dici mereatur.

Ioan 1.

Sapi. 13.

Sed inquiunt, durum est valdè, propter Deum cogi nos ad facultates, cognatos, & vitam propriam aliquando perdendam. Fateor & ipse durum id esse non amantibus Deum; sed amantibus, & eum adipisci cupientibus facile & leue esse contendo: præsertim cùm ista temporalia propter Dei amorem contemnentibus, parata sint bona sine comparatione plura & meliora. Quid enim? amittis diuitias corruptibiles, acquires Regnum sempiternum:

amittis

amittis patrem, & fratres, & amicos; acquires Deum patrem, & Christum fratrem, & omnes Angelos & Sanctos amicos & socios: amittis vitam temporalem & miseram, acquires æternam & felicissimam. Audi Canticum amoris
Cant 8. diuini: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* & paulò antè: *Aquæ multæ* (tribulationum & angustiarum) *non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Audi vnum ex dili-
Rom. 8. gentibus Deum: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.*

At proximum ita diligere, vt bona mea cum eo communicare, etiamsi mihi fuerit inimicus, meq; grauiter læserit, adhuc illi non solùm ignoscere, sed etiam benefacere debeam, contra naturã pugnare mihi esse videtur. Id quidẽ contra naturam per peccatum corruptam fortasse dici poterit, sed non contra naturam per Christi gratiam reparatam. An non Deus ipse bona sua cum inimicis suis communicat? & quotidie inimicis suis ignoscit, & reddit eis
Matth. 5. bona pro malis, dum *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos?* Quòd si Deus ita se gerit cum inimicis, non est contra naturam Dei, neque hominis qui ad imaginem Dei creatus est, diligere inimicos, eisque benefacere: sed contra naturam bestiarũ,
Psal. 48. & eorum, qui cùm in honore essent, non intellexerunt, comparati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis.

Caput. XIII.

Iterùm de humilitate, quæ est quarta pars portæ

VEnio ad humilitatem, quæ similis est sororibus suis: vt magnas quidem angustias superbis & arrogantibus pariat; sed ijs qui ad scholam Christi accedunt, & ab eo discere volunt, non difficulter dilatari inci-
1. Pet. 5. piat. Primùm enim humiliari debemus *sub potenti manu Dei,* vt Apostolorum princeps ad-
Iac. 4. monuit: & vt Coapostolus eius Iacobus confirmat. Quæ autem difficultas fingi potest in humiliatione mortalis hominis ad immortalem & omnipotentem Deum? Deinde debemus quoque nouissimum locum eligere apud homines, quia superiores inuicem arbitrari nos conuenit, vt Apostolus monet in Epistola
Phil. 2. ad Philippenses: *Superiores*, inquit, *sibi inuicem arbitrantes.* Qui verè se ipsi nouerunt, & conscij sunt propriæ infirmitatis, aliorum autem interiora non nouerunt, nullas patiuntur angustias, vt omnes alios sibi superiores ducant, eosque honore præueniant, & locum altiorem ijsdem concedant. Quemadmodum enim superbia nascitur ex ignorantia sui, sic humilitas ex cognitione sui. Cor superbi facilè videt vitia quæ in se non habet, & quæ cæteri habent, quia sunt omnia extra se: vitia propria, quamuis sæpè maxima, & alijs omnibus nota, ipse non videt, quia sunt intra se; quomodo oculus non videt quæ intra se habet, sed ea solùm

A quæ extra illum sunt. Exemplo nobis esse potest Pharisæus ille qui gratias agebat Deo Luc. 18.
quòd non esset sicut ceteri homines, raptores iniusti, adulteri. is enim videbat in se non esse vitium rapinæ, iniustitiæ, adulterij: sed non videbat vitia grauiora quæ intus latebant, superbiam, mentis cæcitatem, & impœnitentiam; & ideò publicano in eodem templo oranti se præponebat: sed publicanus, quia meliores oculos habebat, videbat in se vitia, & virtutes non videbat; ideò recumbebat in nouissimo loco, stans à longè, percutiens pectus suum, & misericordiam Dei implorans: ex quo factum est, vt iudicio Dei discesserit hic iustificatus, ille reprobatus. Quare si quis seriò dare velit operam cognitioni propriæ, non patietur an-
B gustias in porta Domus DOMINI penetranda.

Ad hæc omnia necesse est addere, portam Domus Domini quæ videtur angustissima, ac pœnè impenetrabilis ijs qui onusti accedunt, & obeso corpore sunt, vel multis vestibus inuoluti, & erecto corpore ingredi tentant; eandem videri latam & aditu facillimam ijs qui sine vllo onere, & nudi, ac macilenti, & curui ingrediuntur. Itaque in nobis est causa, cur non facilè ingredi possimus per eam portam, per quam multi Sanctorum sine vlla difficultate vel molestia transierunt. Incipiat ergo homo Christianus deponere onera diuitiarum: intelligat opes sibi à Deo datas vt œconomo, non vt domino, vt eas distribuat indigentibus, non vt eas sibi vni diligẽter cõ-
C seruet: sic enim fiet, vt animus ab amore diuitiarum liber effectus, quasi magno onere deposito, ob angustias portæ nõ laboret. Nec minùs deponat pinguedinem nimiam deliciarum carnalium, vel potiùs eijciat humores noxios cupiditatum variarum, quæ hydropem gignunt, & corpus inflant. Denique exuat opinionem propriæ existimationis, induat humilitatem Christi, inclinet ceruicem ad obedientiam mandatorum; & tunc queratur, si non satis facilè & commodè portam salutis ingredi possit.

Caput XIV.


D
Necessarium esse ingressum portæ, quantumuis angustæ, si quis saluus esse velit.

SEd siue porta illa lata sit, siue angusta, omnino contendere debemus, vt per eam ingrediamur. nullus enim alius locus est post hanc vitam, quæ fugit velut vmbra, vbi bene esse possimus, nisi intra hanc portam. Ideò enim Dominus hortatur, dicens: *Contendite intrare per angustam portam.* quoniam, vt ipse in Luc. 13.
eodem loco subiungit, qui foris manebunt, ad ea loca detrudentur omnes, vbi sempiternus est fletus, & assiduus dentium stridor: quæ dolores maximos significant cum desperatione remedij, vnde rabies oritur, quæ impatienter tolerat quæ tolerare non vellet, & semper tolerare cogetur. Quantò satiùs erat contendere intrare per angustam portam vbi modico labore vel dolore sustentato requies & iucundi-

tas inuenitur? Et si quidem possent homines & angustias portæ, & dolores gehennæ simul euadere, fortasse excusari posset eorum fragilitas vel imbecillitas, qui vim facere portæ illius angustijs non auderent: sed cùm necesse sit, aut hic ad tempus laborare vim faciendo, aut incidere in labores doloresque perpetuos; vbi est iudicium, vbi ratio quæ dictet fugiendas esse angustias minores & breuiores, vt ad intolerabiles & grauissimas veniatur? Sed etiam si nullæ sequerentur angustiæ post hanc vitam, sed sola priuatio Domus Dei, vbi sempiterna sunt gaudia; hoc ipsum deberet in nobis efficere, vt non solùm per angustias portæ, sed etiam per spinas & tribulos, nec non per ferrum & ignem alacriter intraremus. Et quamuis hoc tempore non sentiamus, quid sit priuari beatitudine: tamen post animæ separationem à corpore aperientur oculi mentis, vt clarissimè videant, quantum sit detrimentum, imò quàm infinita iactura, non peruenire ad finem vltimum, ad quem creati sumus. Atque hoc desiderium significant verba illa, quæ in Euangelio referuntur repetita ab illis qui exclusi foris manebunt: *Domine, Domine, aperi nobis.* Siquidem desiderium vltimi finis semper cruciabit miseros, & conscientiæ remorsus nunquam quiescet; & implebitur illud: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

Matth. 25. Luc. 13. Isa. 66. Marc. 9.

O si possemus nunc seriò cogitare, quanto affectu dicent homines illi, *Domine, Domine, aperi nobis.* ac si dicant: Sine ingressu in illam Domum viuere non possumus, nec tamen mori nobis datur. Itaque viuimus, non vt viuamus, sed vt semper miserrimi simus. Ergo aperi nobis, quia parati sumus quaslibet angustias tormentorum pati, modò ingrediamur. Sed respondebitur: *Nescio vos.* Annus iubilei finem accepit: quando potuistis ingredi, noluistis; nunc ergo æquum est, vt quando vultis ingredi, non possitis. Ita illi sine vllo remedio exclusi, nunquam tamen cessabunt clamare, naturali desiderio stimulante: *Domine, Domine, aperi nobis.* Sed qui surdi fuerunt in hac vita ad exhortationes Domini clamantis & dicentis, *Contendite intrare per angustam portam*: tunc surdis auribus Domini clamabunt, *Domine, Domine, aperi nobis.* Quare si quid sapimus, nunc rebus nostris consulamus, quando tempus habemus: faciamus nunc, dum licet, quod tunc sine vlla dubitatione toto corde facere, vel fecisse cupiemus, & non licebit.



A

DE AETERNA FELICITATE SANCTORVM SVB NOMINE PARADISI,

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

In cœlo esse vera gaudia.



PARADISVS, nomen est voluptatis & deliciarum: significat enim hortum, siue pomarium & viridarium simul amœnissimum, & ad recreationem & iucunditatem adferendam aptissimum. In libro Genesis Paradisus voluptatis non semel appellatur, vbi de Paradiso terrestri sermo habetur. Apud Ezechielem verò de Paradiso cœlesti dicitur Angelo primario, qui postea cecidit & diabolus factus est: *In delicijs Paradisi Dei fuisti.* Quia verò in Scripturis sanctis nihil habemus de Paradiso, nisi fuisse in eo arbores multas, & fontem aquæ viuæ: ideo visum est mihi occasione huius nominis explicare voluptates & gaudia, quibus fruuntur in cœlo Beati. Erit verò, nisi fallor, vtilis contemplatio ad excitandos animos, ad ea quæ sursum sunt quærenda & cogitanda; ac per hoc ad vitam sic instituendam, vt cùm hinc migrandum erit, non ad luctum & tenebras, sed ad lucem & lætitiam sempiternam, DEO adiuuante migremus. Solent enim homines, paucis exceptis, magis trahi voluptate, quàm aliquo bono alio: & Ecclesia in quadam Oratione dicit: *Ibi nostra fixa sint corda; vbi vera sunt gaudia.* Ac primùm considerabimus, quid Scripturæ sanctæ de cœlesti Paradiso nos doceant, vnde probemus verè esse in Paradiso cœlesti gaudia: deinde tentabimus explicare quæ sint illa gaudia: postremò varijs rationibus, vel potiùs comparationibus demonstrabimus, gaudia illa esse longè maiora, quàm nos capere vel cogitare, vel etiam suspicari possimus.

Gen. 2. & 3. Ezech. 28.

B C

Primùm igitur nomen ipsum Paradisi, voluptatem ac delicias sonat, vt ex libro Genesis paulò antè ostendimus. Esse autem in cœlo Paradisum, testatur Ezechiel, qui de primo Angelo scripsit: *In delicijs Paradisi Dei fuisti.* testatur Dominus in Euangelio, cùm latroni secum pendenti dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* accepit enim Paradisum pro Regno Dei, & essentiali beatitudine. dixerat enim latro: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* & Dominus promittens illi consortium Regni sui, respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* testatur beatus Paulus in posteriore ad Corinthios, cùm ait: *Scio hominem in Christo, raptum vsque ad tertium cœlum,* & quia *raptus est in Paradisum.* testatur beatus Ioannes in Apocalypsi, vbi Dominum introducit loquentem: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Ex his locis perspicuum est, regionem Beatorum esse locum deliciarum & voluptatis. Deinde cùm

D

Ezech. 28. Luca 23. 2. Cor. 12. Apoc. 2.

Domi-

Dominus ait seruo bono & fideli, *Intra in gaudium Domini tui*: nonne apertissimè declarat, Domum Dei, siue Ciuitatem Dei, ad quam admittuntur serui boni & fideles, cùm de hoc mundo migrant, esse locum gaudij? Et cùm idem Dominus multis in locis comparat Regnum cœlorum cœnæ, vt apud Lucam, cùm ait: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* & cùm alibi dicit: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo.* & denique cùm in Apocalypsi dicitur: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* certè Scriptura per metaphoram cœnæ, delectationem voluptatemque significat; nisi quis negare velit, in sensu gustandi vllam esse voluptatem. Ad hæc in Euangelijs, & in Apocalypsi, Regnum Dei nuptijs regalibus comparatur, vt notum est ex parabola Regis qui fecit nuptias filio suo: & ex parabola virginum sapientium & stultarum; quarum sapientes intrarunt cum sponso ad nuptias, stultæ verò foris manserunt: & ex Apocalypsi, vbi multa dicuntur de nuptijs Agni in Regno cœlorum cùm apparatu maximo celebratis. Porrò nuptijs regalibus comparatur beatitudo Sanctorum, quoniam in nuptijs omnia ferè genera voluptatum exhibentur; & percipiuntur; de qua re in libro sequenti dicturi sumus.

Matth. 25. Luce 14. Luce 22. Apoc. 19. Matth. 22. Matth. 25. Apoc. 19.

Denique in Apocalypsi vidit sanctus Ioannes chorum virginum, qui sequebantur Agnũ, quocunque iret; & cantabant canticum nouum, quod nemo alius cantare poterat. Quẽ locum sanctus Augustinus exponit in libro De sancta virginitate; de certis gaudijs, sanctisque voluptatibus, quibus soli & solæ virgines perfruentur. verba eius hæc sunt: *Vos adferetis ad nuptias Agni canticum nouum, quod cantabitis in citharis vestris, hoc est, in cordibus dicatis laudibus; non vtique tale, quale cantat vniuersa terra, sed tale, quale nemo poterit dicere nisi vos.* & infrà: *Quò ire putamus hunc Agnum? quò nemo eum sequi valeat, vel audeat, nisi vos? Quò putamus eum ire? in quos saltus, & prata? Vbi credo sunt gramina gaudia, non gaudia sæculi huius vana, insaniæ mendaces: nec gaudia, qualia in ipso Regno Dei, ceteris non virginibus erunt, sed à ceterorum omnium gaudiorum sorte distincta:* & infrà: *Videbit vos cetera multitudo fidelium, quæ ad hoc Agnum sequi non potest; videbit, nec inuidebit; & collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam & illud canticum nouum proprium vestrum dicere non poterit, audire autem poterit, & delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos, qui & dicetis, & audietis, quia & hoc, quod dicetis, à vobis audietis, feliciùs exultabitis, iucundiusq; regnabitis.* Ex his igitur manifestè constat, in cœlesti Regno & Ciuitate, vel Domo, multa esse vera gaudia, verissimasque & maximas voluptates.

De sancta virginitate, cap. 27. De sancta virginitate cap. 29.

Capvt II.

De gaudio intelligentiæ.

CVm ex Diuinis literis probatum iam sit, in Regno cœlorum vera esse gau-

A dia; nunc exponemus, quænam illa sint gaudia. Ac breuiter explicanda erunt primò gaudia intelligentiæ, volũtatis, & memoriæ, quæ ad spiritum pertinent: deinde gaudia sensuum singulorum, quæ pertinent ad corpus. Neque hoc loco affirmare intendimus, intelligentiã, & memoriam, & sensus corporis proprias sedes esse gaudij; cùm non ignoremus, gaudium, vt etiam desiderium propriè ad voluntatem in parte superiore, & ad appetitum in parte inferiore pertinere. Sed loquimur, vt vulgò homines loquuntur, qui non recusant dicere, Oculus delectatur pulchritudine colorum, & auris suauitate sonorum. Intelligimus ergo per gaudium mentis, vel memoriæ, vel sensuum externorum delectationem, quã percipit homo ex ijs quæ intelligit, vel quorum
B recordatur, vel quæ sensibus externis haurit.

Primum igitur Beatorum gaudium erit, oculis mentis videre Deũ facie ad faciẽ, vt loquitur beatus Paulus in Epistola priore ad Corinthios. & videre eũ sicuti est, vt loquitur beatus Ioãnes in Epistola prima. Quantũ autẽ hoc sit futurum gaudium, possumus ex eo conijcere, quòd Isaias Propheta & Apostolus Paulus testatur superare omnia gaudia, quæ vllus hominum vidit, aut audiuit, aut cupiuit, aut cogitauit. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs qui diligunt illum.* loquitur enim Scriptura de præcipua & essentiali beatitudine, quæ in ipsius Dei visione posita est, iuxta verbũ Domini: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum vi-*
C *debunt.* &, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et quidem magna amplificatio illa esse videtur, quòd nemo viderit, aut audierit, aut desiderauerit, aut cogitauerit tale bonum, quale in Dei visione percipietur: tamen non est amplificatio, sed simplex veritas; quoniam oculi, & aures, & corda hominum solita sunt gaudia solùm terminata, mensurata, & finita percipere: visio autem Dei, visio est lucis inaccessibilis, & boni prorsus infiniti, quod in se continet omne bonum, iuxta verbum Domini ad Moysem, *Ego ostendam omne bonum tibi.* cùm ille anteà petijsset, *Ostende mihi faciem tuam.* Ac vt per rationem hoc ipsum demon-
D strêmus, sciendum est ex sancto Thoma, delectationem, quæ percipitur ex cognitione, tria requirere, potentiam intelligentem siue sentientem, obiectum conueniens illi potentiæ, & vnionem obiecti cum potentia: & quanto potentia est aptior ad cognoscendum, & obiectũ nobilius, & vnio magis intima, tantò percipi delectationem maiorem. Quòd autem intelligentia siue mens, sit purior, & altior, & nobilior, &, vt sic loquar, viuacior, ac per hoc multo aptior ad cognoscẽdum, quàm sensus externus, in dubium reuocari non potest. Quod verò Deus sit obiectum altissimum & nobilissimum, non solùm supra omnia obiecta sensuũ, sed etiam supra omnia omnino obiecta mẽtis, quippe infinitũ bonũ, & omne bonũ, vel potiùs ipsa bonitas, nemo ambigere potest. Iam verò quòd vnio intelligentiæ cum Deo per apertam visionem sit vnio sic intima, vt essentia Dei totã mentẽ videntis penetret, & mens

1. Cor. 13. 1. Ioan. 3. Isaia 64. 1. Cor. 2. Matt. 5. Ioan. 17. Exod 33. 1. 2. q. 31 art. 5.

ipsa in ipsum Deum, quasi in mare magnum tota mergatur & transformetur, æquè certum atque indubitatum est. Quis igitur capere vel suspicari poterit, quantum illud sit gaudium? quale illud osculum summi boni? qualis ille complexus sponsi pulchritudinis infinitæ? Certè in coniunctione pulchri coloris cum sensu videndi, & dulcissimi soni cũ sensu audiendi, & ceterorum sensibilium cum sensibus suis, magnam experimur voluptatem, & sæpè tam magnam, vt nonnulli propter illam ferè insaniant. Et tamen potentiæ sentiendi materiales sunt, & cum bestijs nobis communes: & obiecta quoque res corporales sunt, & non minùs sæpè lædunt, quàm oblectent: & denique vnio superficialis est, & externa; & in pluribus sensibus non fit vnio ipsius obiecti, sed eius imaginis cum potentia. Adde quòd vnio spiritualis, & vnio Dei cum intelligentia per visionem, est firmior, durabilior, & tota simul: delectationes enim corporales, & quæ B sensibus percipiuntur, quia mutationem afferunt, non possunt esse diuturnæ, & nõ sunt totæ simul, sed quasi guttatim instillantur. Quare sine vlla dubitatione maior est delectatio mentis, quàm sensus.

Collige ergo te, homo, & appende in iusta trutina voluptatem quam tibi mundus offert, cum ea quam Deus promittit, cùm visionem suam diligentibus se promittit: & elige quod vis. Certè enim si voluptatem amas, quam à te amari negare non potes, maximam potius quàm minimam; & semper duraturã quàm eam quæ momentanea est, eliges. Neque sola visio Dei sanctis hominibus in cœlo pro- C mittitur, sed etiam omnium rerum, quas fecit Deus. Hic quidem in terris cernimus per sensum videndi solem, & lunam, & stellas, & terras, & maria, flumina, & animantia, & arbores, & metalla. Sed mens nostra nihil omnino cernit, id est, nullam substantiam creatam perfectè nouit, non differentias essentiales, non proprietates, non vires, ac ne animã quidem suam homo videt, sed more cœcorum palpando effecta, & discurrendo per rationem aliquid cognitionis acquirit. Quale ergo gaudium erit, cùm intelligentia nostra reuelata facie, manifestè videbit naturas omnium rerum, differentias, proprietates, vires? Et cum quanta exultatione obstupescet, cùm videbit exercitum Angelorum innumerabilem, quorũ nullus cum alio in specie conuenit, & differen- D tias omnium & singulorum perspicuè intuebitur? Prô quale theatrum erit illud, quàm desiderabile, quàm amabile, cùm sanctos homines, qui fuerunt à principio mundi vsque ad finem, simul cum Angelis omnibus congregatos, & singulorum merita, palmas, & coronas intueri licebit: Nec sine lætitiæ voluptate videbimus scelera & tormenta perditorum, in quibus sanctitas piorum, & iustitia Dei, mirificè collucebunt: tunc enim iusti manus suas lauabunt in sanguine peccatorum, vt Propheta tantò antè prædixit. Quid enim est manus lauare in sanguine peccatorum, nisi iustorum opera clariùs emicare ad comparationem operum hominum iniquorum? Splendebit certè magis virginitas aliquorum, quando cum a-

Psal. 57.

A dulterijs aliorum æqualium conferetur: nec non ieiunia & eleemosynæ aliquorum, quando cum comessationibus, & ebrietatibus & crudelitate aliorum similiter æqualium cõparabitur: quando videlicet erunt, qui dicant: Ille iuuenis, & formosus erat, & tamen virginitatem aut castitatem perpetuò coluit; iste autem iuuenis quoque & formosus fuit, sed vxore sua non contentus, adulterijs & sacrilegijs sæpè se polluit: & ille diues & nobilis fuit, & ieiunauit, & orauit frequenter, & eleemosynas multas fecit: iste æquè diues & nobilis fuit, sed comessationibus & ebrietatibus addictus, sic omnia in voluptates suas consumpsit, vt pauperibus nihil vnquam donauerit. Atque hinc fiet, vt crescat gaudium iustorum ex notitia scelerum iniquorum: & simul gaudium crescat ex contemplatione iustitiæ, quæ mirificè splendebit in præmijs Beatorum, & in supplicijs miserorũ. Nunc enim in rebus humanis magna deformitas cernitur in eo, quòd sæpè culpa coniungitur cum præmio, & virtus cum pœna, vnde iustitia Dei apud homines nonnihil obscurari videtur: sed tunc omnis pœna cum culpa, & omne prœmium cum virtute iungetur; atque ita decor iustitiæ in mentibus Beatorum incredibile gaudium excitabit.

CAPVT III.

De gaudio voluntatis.

TRia sunt, quæ præter voluptatem, quam capit voluntas ex bono intelligentiæ, maxima gaudia in ipsa volũtate propriè gignent. Vnum est amor Dei & proximi ardentissimus, & inextinguibilis: amor enim est præcipuum condimentum omnium rerum amabilium. Qui amat, omnia quæ amat, pulcherrima atque optima esse iudicat; & ideò illorum aspectu & consuetudine plurimùm gaudet, & ex absentia vel priuatione inconsolabiliter dolet. Videmus parentes, qui naturaliter filios suos valdè diligunt, eos pulcherrimos, ingeniosissimos, prudentissimos credere, quamuis sæpè deformes sint, & ingenio ac iudicio careant: & si daretur optio, filios suos non mutarent cum quibuscumque alijs, iudicio aliorum hominum melioribus & pulchrioribus. Sæpè etiam homines amore capi videmus, vel ex veneficio, vel casu aliquo, personarum deformiũ, cum quibus versari iucundissimum, & contrà ab eis auelli infelicissimũ iudicant. Quòd certè non facit nisi amor, condimentum, vt diximus, omnium amabilium. Quæ cùm ita sint, qualis & quanta erit voluptas Sanctorum, cum Deo & Beatis omnibus semper versari, quos ardentissimè semper amabunt; & qui non falsò iudicio, sed verissimè pulcherrimi & optimi sunt, & à quibus nunquam se diuellendos esse nouerunt? Contrà verò, vnum ex maioribus gehennæ supplicijs erit, semper versari cum ijs quos maximè oderunt, & à quibus circumuentos mille artibus se fuisse sciunt.

Altera res, quæ gaudium magnum in voluntate Beatorum gignet, erit quies quædam incomparabilis, & satietas sine fastidio, quæ

illos

illos pacatos & contentos modis omnibus reddet. Hic certè in terris nemo est sua forte contentus, nemo qui non multa cupiat, quæ obtinere non potest. Inde omnes famelici, omnes sitibundi, omnes inquieti viuunt. Neque mirum id videri debet, cùm animus noster capax sit boni infiniti & sempiterni, & res creatæ paruæ sint & fragiles, quæ diu permanere nó valent. Quale igitur gaudium erit illi homini, qui se in eo loco constitutum cernet, vbi planè omni ex parte contentus viuet? vbi nihil desiderabit, nihil timebit, nihil requiret, nihil ambiet amplius? O pax exuperans omnem sensum, quam mundus non potest dare, & quę in sola inuenitur superna Ierusalem, ciuitate Regis pacifici, & magni. Ad te suspirat peregrinatio nostra, quæ plena tentationibus & sollicitudinibus, in sola tui memoria & expectatione aliquantulum requiescit.

Tertia res quæ voluntati beatæ magnum gaudium adfert, est iustitia, eaque perfecta, & perfectior, quàm esset iustitia originalis in Adamo. Illa subijciebat partem inferiorem superiori, donec superior esset subiecta Deo: hæc subijcit partem inferiorem superiori, & superiorem Deo nexu firmissimo & insolubili. Illa erat quasi vestis lanea, vel linea; hæc est quasi vestis holoserica, vel aurea, quæ voluntatem facit pulcherrimam, & amabilem Deo, & sibi, & Angelis, ac beatis hominibus vniuersis. Hæc est illa perfecta iustitia, quæ nullam admittit maculam, ne venialem quidem, vt de anima tali veste induta dici possit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Hæc in se concludit omnes virtutes, quæ imperfectionem nullam admistam habent. Quantam autem hæc iustitia iucunditatem & lætitiam adferat, testis est Sapiens in Prouerbijs, cùm ait: *Secura mens, quasi iuge conuiuium.* illa autem sola est mens secura, quam conscientia numquam remordet, quòd per iustitiam perfectam ita sit in bono stabilita, vt ne ad momentū quidem labi possit: testis quoque est Apostolus Paulus, qui dicit: *Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Vbi sanctus Apostolus manifestè docet, Regnum cœlorum voluptatem quidem magnam in se comprehendere, sed eam sitam non esse in delectatione gulæ, & repletione ventris, vt homines carnales & animales fortè vellent; sed in iustitia quæ parit in anima solidam pacem; & verum gaudium. Qui enim perfectè iustus est, is non habet quidquam in corde suo quod eum reprehendat; neque in actionibus suis, quod ab alijs reprehendi possit. Inde oritur solidissima et dulcissima pax cum Deo, et secum, et cum omnibus alijs. Inde verò nascitur gaudium ineffabile in Spiritu sancto, cui gaudio nulla terrena vel téporalis lætitia poterit comparari.

Cant. 4.
Prou. 15.
Rom. 14.

CAPVT IV.

De gaudio memoriæ.

IAm verò memoria ex recordatione rerum præteritarum, non exiguam materiā gaudiorum repræsentabit. Primùm enim recordatio beneficiorum Dei in omni vita spiritualium & corporalium, naturalium & supernaturalium, temporalium & æternorum, incredibilem lætitiam adfert, cum iustus recogitat, se tam multis modis præuentum in benedictionibus dulcedinis. Deinde recordatio periculorum, à quibus nos Deus miris modis eripuit in omni ætate, in omni officio, in omni statu quantam lætitiam adferet? Inter cetera verò pericula illud in primis pono, quòd sæpè peccato letali, ac per hoc gehennæ proximus aliquis fuerit, & Deus sola benignitate sua motus, peccatum impediuerit. Hæc certè misericordia Dei tanta & tam singularis, electis suis frequenter impensa, cùm ad memoriam in illa tutissima & pacatissima regione veniet, lætitiam maximam suppeditabit. Quæ recordatio si Sanctis deesset in cœlo, quomodo sicut ait Psalmus, misericordias Domini in æternum cantarent? *Quo cantico*, inquit sanctus Augustinus in Libro postremo de Ciuitate Dei, *in gloriam gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profectò illi iucundius Ciuitati.*

Psal. 88.
Lib 22. de Ciuit Dei, cap. 30.

Quid dicam de cursu temporum & sæculorum à principio vsque ad finem? quantam voluptatem adferet recordatio tot vicissitudinum rerum, & tantæ varietatis, quas tam sapienter gubernauit & rexit, & ad fines debitos perduxit inimitabilis prouidentia Dei? Hic fortasse est ille impetus fluminis, qui tam mirificè lætificat Ciuitatem Dei. Quid enim est ordo sæculorum magna velocitate labentium, & cursum numquam intermittentium, nisi fluminis impetus sine cessatione aquas suas rapientis & deuoluentis, donec in oceanum demergantur atque dispereant? Et nunc quidē dū flumē fluit, & tempora labuntur, multi de prouidentia Dei disputant, & non desunt etiam ex Dei seruis, qui turbati isto impetu fluminis, quod multa detrimenta sæpè adfert bonis, multa commoda malis, dum terram bonam à campis iustorum ablatam ad campos impiorum defert, graues tentationes passi, de prouidentia Dei quæri visi sunt. Audi prophetam Regium: *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* & infrà: *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias; & dixi: Ergo sine caussa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die.* Audi Ieremiam: *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te: Quare via impiorum prosperatur? benè est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Audi Habacuc, *Quare*, inquit, *respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.* Sed post cursum temporum euolutum, & flumen in mare demersum, cùm Sancti in cœlo totum illum cursum ad memoriam reuocabunt, & rationes omnium illarum vicissitudinum in libro diuinæ prouidentiæ perspicuè legent, incredibile dictu est, quam

Psal. 45.
Psal. 72.
Ierem. 12.
Habac. 1.

vehementer fluminis illius impetus per memoriam repræsentatus lætificabit Ciuitatem Dei. Ibi videbunt, cur Deus permiserit primum Angelum & primum hominem labi: & cur misericordia Dei hominem liberauerit, Angelum non liberauerit. Ibi videbunt, cur Deus elegerit in populum peculiarem filios Abrahami, quos tamen præuidebat durissimæ ceruicis futuros: & quanta bona ex illorum peruicacia paraturus esset Gentibus. Ac vt vniuersalem prouidentiam prætermittã, ibi videbunt, cur permiserit plurimos Iustorum, ac pœnè omnes in mundo pressuram pati, vt videlicet eos gloriosissimè coronaret. Atque ex hac recordatione benedicent cum ingenti lætitia omnes cruces quas passi sunt in mundo, cum in coronas sempiternas videant esse conuersas, ac dicent cum Propheta: *Secundùm magnitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Psal. 93.

Capvt. V

De gaudio oculorum.

Videamus nunc gaudia corporis glorificati. Ac primùm se offert gaudium sensus videndi, qui inter corporales sensus nobilissimus est, & cuius officium latissimè & longissimè patet. Is in cœlesti patria gaudebit primùm de proprij corporis splendore & pulchritudine. Videbit enim corpus suum reformatum à Christo, & configuratum corpori claritatis suæ, vt dicit Apostolus in Epistola ad Philippenses. Philip. 3. Neque claritas eius minor erit claritate Solis: Christum enim, ad cuius splendorem conformandi sumus, idem Apostolus supra splendorem Solis à se visum fuisse testatur in Actis Apostolorum; Act. 26. & ipse Dominus in Euangelio loquitur, & dicit: Matth. 13. *Tunc Iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum.* Quale igitur & quàm gratum spectaculum videbunt oculi Beatorum, quando manus suas, & pedes, & membra omnia cernent radios lucis ex se proferre, vt non egeant ampliùs lumine Solis, neque Lunæ, & multò minùs lucernæ aut candelæ ad omnes tenebras vndique dissipandas? Sed non solùm corpus proprium instar Solis fulgere videbunt, sed corpora Sanctorum omniũ, ac in primis Christi ipsius, & sanctissimæ Matris eius. Quantum lætificat Sol vnus ex ortu suo vniuersam terram? Quid igitur erit videre simul innumerabiles Soles, non sola luce illustres, sed membrorum varietate & venustate pulcherrimos? Neque in eo loco claudendi erunt oculi, ne fortè à nimio splendore lædantur: nam & ipsi oculi beati erunt, ac per hoc impassibiles & immortales; qui enim lumine gloriæ confortabit oculos mentis, ne videntes Deum faciè ad faciẽ opprimantur à gloria, idem etiã dote impassibilitatis confortabit oculos corporis, vt sine læsione cernant non Solem vnum, sed innumerabiles.

Illud etiam accedet ad gaudium oculorum, quòd sanctus Augustinus docet in libro De Ciuitate Dei, Lib 22 de Ciuit Dei. cap 20. Martyres beatissimos in ea corporis parte, in qua supplicia pertulerunt, signa virtutis pulcherrima & venustissima prælaturos. Quid igitur erit, videre sanctum Stephanum tot gemmis pretiosis insignem, quot lapidũ ictus in corpore suo pertulit? Quid Ioannem Baptistam, & Iacobum maiorem ac Paulum Apostolos, & alios propè infinitos, quibus collum pro Christo præcisum fuit, videre torque nobilissimo, omnique auro pretiosiore, incredibili decore fulgere? quid sanctum Bartholomæũ, cui pellis à toto corpore detracta fuit, cernere toto corpore ita illustrem, vt omnem purpuram, quantumuis pretiosam, superare videatur? Quid erit, vt cetera prætermittam, videre Petrum, & Andream, & alios plurimos, qui crucis supplicium pertulerunt, quasi stellas lucidissimas in manibus & pedibus cum infinito decore gestare? Nam de Christo Rege Martyrum, qui ad gloriam suam & solatium nostrum signa clauorum & lanceæ conseruare voluit, nulla lingua promere potest, quanta luce signa illa sacrosancta micabunt: cùm omnis Sanctorũ gloria ad Christi gloriã cõparata minor sit, quàm si pulchritudo stellarũ ad Solis pulchritudinem conferatur.

Quid iam dicam de voluptate quã capient oculi Beatorum ex conspectu totius illius amplissimæ Ciuitatis, quã Tobias & Ioannes, Tob 13. Apoc. 21. vt suprà demonstrauimus, non habentes satis digna vocabula, quibus eius decoré exprimerent, totã aureã, & gemmis ac margaritis & lapidibus pretiosis ornatã esse dixerunt? Quid denique de Cœlo nouo, & Terra noua, quã Scripturæ sanctæ nobis promittunt Isa. 65. 2 Pet. 3. Apoc. 21. post vltimi iudicij diem, & de renouatione, & in statum meliorem commutatione totius rerum vniuersitatis? Ista enim sicut nobis incognita sunt, ita nouo & admirabili gaudio Beatorum oculos oblectabunt, cùm eorum pulchritudo conspici cœperit.

Capvt VI.

De gaudio aurium.

Sensvm audiendi & instrumenta loquendi futura esse in Regno cœlorum, dubitari non potest: erunt enim corpora Beatorum vera & viua, & ab omni parte perfecta, quale Christi corpus fuisse post resurrectionem, Apostoli omnes, & multi præterea discipuli, & mulieres non paucæ manifestè viderunt. Matth. 28. Luc. 24. Ioan. 20. & 21. nam & ipsum loquentem audiebant, & ipse illis interrogantibus respondebat; ipse etiam beatus Paulus Christum de cœlo sibi loquentem audiuit, & Christo ipse audienti respondit. Act. 1. & 9. & 22. 26. Futura quoque in cœlo cantica, ac præsertim illius vocis, *Alleluia*, testantur Tobias & sanctus Ioannes. Tob. 3. Apoc. 19. Ex his satis apertè potest intelligi, non defutura in Ciuitate illa cantica plurima & dulcissima, quibus Deus laudetur, & aures beatæ sanctorum hominum mirificè oblectentur. Et si omnia debent esse commensurata, dubium quoque non erit, quin illa cantica tantò suauiora & nobiliora esse debeant, quantò sunt ipsi cãtores doctiores, & qui laudatur sublimior, & locus in quo cantatur, excelsior, & audientium cœtus intelligentior atque frequentior. Quid igitur erit in altissima illa pace, & animarum concordia, & in illo charitatis ardore erga sum-

rum

mum Benefactorem, audire liquidissimas voces canentium *Alleluia*? Si beatus Franciscus, vt scriptum reliquit sanctus Bonauentura, ad breuissimum sonitum citharæ ab Angelo pulsatæ ita commotus est, vt aliud se putaret sæculum commutasse. Quibus delitijs aures nostræ fruentur, quando millia cantorum & cytharœdorum concordissimis & suauissimis vocibus Deum collaudabunt, & alia millia contemptu pari, & ardore non dissimili laudes easdem iterum atque iterum repetent? Et fortasse non solius Dei laudes in Ciuitate illa canentur; sed etiam triumphi sanctorum Martyrum & Confessorum præconia, & Virginum gloria, & Sanctorum omnium contra diabolum victoriæ cantibus extollentur: hæc omnia in Dei laudes & gloriam redundabunt. Quod ergo dicitur ab Ecclesiastico, *Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria aeterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum*: quamuis de laudibus mortalium in Ecclesia, quæ peregrinatur in terris, intelligi possit; tamen nihil prohibet, quò minus intelligatur de ciuibus immortalibus, & de Ecclesia quæ triumphat in cœlis. Ibi enim habebunt verè Sancti gloriam æternam, & illa verè & propriè est Ecclesia Sanctorum. Et cùm in Euangelio Dominus dicat laudandos esse à Deo in Regno cœlesti fideles & prudentes seruos, illis verbis, *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituã, intra in gaudium Domini tui* quid prohibet, quin existimare possimus, verba illa Domini, cantu totius cœlestis Curiæ excipienda, & iterum atque iterum dulcissimè repetenda? Certè de S. Martino Ecclesia Catholica dicere non dubitauit: *Martinus hic pauper & modicus, diues cœlum ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur*. Denique sanctus Augustinus in extremo libro de Ciuitate Dei, hoc ipsum disertis verbis affirmat, cùm ait: *Vera ibi gloria erit, vbi laudantis, nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: sed nec ad eum ambiet vllus indignus, vbi nullus permittitur esse, nisi dignus.* O igitur terque quaterque beati, qui in loco illo vnde exulat adulatio, & vbi non inuenitur mendacium, audient decantari laudes suas sine periculo superbiæ, sed non sine incremento lætitiæ!

In vita S. Francisc. c. 3. — Eccl. 31. — Matth. 25. — In Laudib. — Lib. 22. de ciu. Dei, c. 30.

CAPVT VII.

De gaudio narium.

De cæteris sensibus pauca dicenda erant, non quòd suis & magnis voluptatibus careant, sed quòd illas voluptates, quales futuræ sint, Scriptura sancta non aperuerit. Illud nobis satis constat, multa corpora sanctorum statim à morte odorem suauissimum spirare cœpisse, qualem alium nemo antea senserat. Hoc de corpore sancti Hilarionis, testatur sanctus Hieronymus: affirmat enim, post decem menses à sepultura inuentum corpus integrum, quasi adhuc viueret, & tantis fragrans odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur. Hoc idem de corpore sancti Seruuli paralitici testatur sanctus Gregorius in Dialogis, cuius hæc sunt verba: *Anima exeunte, tanta fragrantia odoris aspersa est, vt omnes qui illic aderant, inæstimabili suauitate replerentur.* & paulò post: *Quousque corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit.* Nec desunt alia non pauca exempla similia, tum vetera, tum recentia. Ex quibus colligi potest, si corpora defunctorũ sanctorum post animæ glorificationem suauem spirant odorem, multò magis corpora viua & glorificata Sãctorum odorem suauissimum spiratura. Accedit, quod refert idem S. Gregorius de corpore Domini nostri viuente, & gloriosissimo, cuius hæc sunt verba in lib. Dialogorum, & in homilia quadam super Euangelia: *Tunc sursum respiciens* (Tarsilla virgo) *Iesum venientem vidit: tantaq; subitò fragrantia miri odoris aspersa est, vt ipsa quoq; suauitas cunctis ostenderet, illic Auctorem suauitatis venisse.* Quòd si corpus Redemptoris glorificatum odorem tantæ suauitatis spirat, omninò credibile est, omnia corpora Sanctorum in cœlo spiratura miram odoris suauitatem: decet enim vt membra capiti suo conformia sint non solùm in claritate, sed etiam in odoris suauitate. Qui igitur odoribus delectantur, cogitent quali suauitate replendi sint, quando in horto illo diuino tot millia florum cœlestium vndique spirantium odores varios & suauissimos glorificatis naribus haurient.

In Vita S. Hilarionis. — Lib. 4. c. 14. — Lib. 4. ca. 16. hom. 38.

CAPVT VIII.

De gaudio sensus gustandi & tangendi.

De sensu gustandi scribunt Theologi, non vsuros Beatos cibis mortalibus, sed habituros tamen oblectationem aliquam in eo sensu, ne superuacaneus esse videatur: futuram tamen oblectationem illam loco & statui Beatorum & immortalium congruentem. De sensu tangendi conueniunt omnes, vsum eius non defuturum in cœlo, cùm corpora Beatorum sine dubio tangi possint, vtpote vera & viua corpora, dicente Domino, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Aberit tamen contactus omnis impurus à corporibus illis quæ concupiscentiam generandi nullam habebunt. &, vt ipse Dominus loquitur: *In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Sed nos in his, quæ disputantur in scholis, immorari non volumus. Vnum illud affirmamus, sensum tangendi non modicam voluptatem percepturum ex perpetua & optima corporis habitudine ob dotes corporis gloriosi, de quibus Apostolus in priore ad Corinthios: *Seminatur*, inquit, *in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Ex quibus quatuor dotibus siue priuilegijs corporum gloriosorum, vna illa de gloria siue splendore corporis gloriosi, ad sensum videndi pertinet, vt suo loco diximus: reliquæ tres videntur ad sensum tangendi propriè pertinere. Nam quemadmodum, cùm corpus grauatur

Vide Diony. Carth. in 4. 4. sent. d. 44. art. 4. qui alios citat, & Dominicum à Soto in 4. d. 49. 4. art. 5. — Luc. 24. — Matth. 12.

tur morbis, plagis, vulneribus, quæ ad mortem ducunt, sensus tangendi est qui patitur & dolet: sic etiam quando corpus bene valet, & sanum ac robustum est, sensus tangendi gaudet. Magno igitur gaudio sensus tangendi afficietur in cœlo, cùm post resurrectionem corpora Beatorum immortalitate & impassibilitate, atque adeò optima valetudine in æternum fruentur. Quid non libenter darent viri, præsertim Principes, si per totam vitam à podagra, capitis, stomachi ve, aut renum doloribus liberarentur? quale igitur gaudium erit in cœlo, à quo longissimè non solùm mors, sed omnis morbus, & omnis dolor aberit? Proinde dotes illæ, per quas corpus corruptibile surgit incorruptibile, & corpus infirmum surgit impassibile, ad gaudium sensus tangendi pertinent. Sic etiam dotes agilitatis & subtilitatis, per quas corpus animale surget spirituale, ad eumdem sensum tangendi pertinere videntur. Siquidem spirituale dicetur & erit corpus gloriosum, non quòd non verè habeat carnem & ossa, sed quòd ita subiectum sit spiritui, vt ad nutum spiritus sine difficultate & labore moueatur velocissimè, ascendat & descendat, eat & redeat, & quælibet loca penetret, ac si non corpus, sed spiritus esset. Quemadmodum igitur sensus tangendi malè habet & dolet, quando corpus graue cogitur sursum ascendere, aut velociter de loco ad locum moueri; sic è contrariò gaudet & lætatur, cùm corpus sine lassitudine & labore vel sursum ascendit, vel de loco ad locum velocissimè transit. En igitur, à quanta seruitute corruptionis liberabuntur Beati, cùm non ampliùs egebunt equis, neque curribus, neque stipatoribus, neque armis, neque vlla re alia; sed ipsa per se corpora beata discurrent velocissimè quocumque voluerint, & vbique tutissima erunt, etiam inter medias armatorum acies.

Vtinam qui delicias spirituales gustare non possunt, quòd palatum infectum habeant; saltem hæc maxima & perpetua bona corporalia considerarent, atque ad illa afficerentur, & ea quærerent! sic enim fieret, vt paulatim ad altiora conscenderent, & per hos gradus ad sempiterna gaudia tandem aliquando, Deo præstante, venirent.

Capvt IX.

De comparatione gaudiorum terræ cum gaudijs cæli.

EXPOSVIMVS pro nostra tenuitate, quæ sint gaudia præparata in cœlo ijs qui diligunt Deum: nunc quanta sint, argumentis quibusdam externis demonstrare conabimur. Ac primùm ex comparatione gaudiorum, quæ Deus inimicis suis & reprobis in hac vita sæpenumerò tribuit. Et quidem tanta sunt gaudia in diuitijs, in honoribus, in potestate, in voluptatibus varijs, quæ Deus tribuit peccatoribus, inimicis suis, eum vel blasphemantibus, vel in eum non credentibus, vt beati ferè ab omnibus iudicentur. *Beatum*, inquit Propheta, *dixerunt populum, cui hæc sunt.* Psalm. 143.
Quis ex amatoribus huius sæculi non inuideat Salomoni, qui quadraginta annis regnauit, & A diuitijs, & delitijs omnibus, abundauit, & septingentas vxores, & concubinas trecentas habuit? qui tamen, ex sententia sancti Augustini reprobus fuisse videtur. Sic enim loquitur sanctus Augustinus in Psalmos: *Ipse Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus est à Deo.* & in libris de Ciuitate Dei de Salomone dicit, quod Sallustius de Catilina: *Hic bonis initijs malos exitus habuit.* Sanctum Augustinum secutus est sanctus Gregor. libr. 2. Moralium: *Hinc est*, inquit, *quod Salomon, qui sapientiam non perseueraturus accepit, in somnis hanc & de nocte accepisse describitur.* Nec dissimiles Salomoni sunt hoc tempore Reges Turcarum, & Persarum, & Sinarum, & Tartarorum, qui Regna amplissima possident, & voluptatibus carnis addicti nihil negant cordi vel oculis, vel auribus, vel gulæ, aut libidini, B quod omnino desiderent.

In Psal. 126.
Li. 17. c. 20.
Lib. 2. mor. cap. 2.

Ac vt omittamus ista quæ paucorum sunt, quanta gaudia tribuit Deus in commune mortalibus, quorum pars maxima Deum aut non nouit, aut sicut par est non diligit, nec timet? Nonne terras cum omnibus suis diuitijs & delicijs, animantibus, fructibus, floribus, metallis, in commune omnibus tribuit? nonne maria, fontes, flumina, lacus cum tot generibus piscium, in commune omnibus tribuit? Nonne cœlum, quasi tectum huius magnæ domus, tot stellis ornatum, in commune omnibus tribuit? Nonne solem suum oriri, & nubes suas pluere super bonos & malos ipse Dominus optimus & liberalissimus iussit? Quòd si tanta gaudia peccatoribus reprobis, C mancipijs suis ingratis; & omni supplicio dignis in hac vita tribuit, nonne æquum est, vt amicis & filijs suis gaudia sine vlla comparatione maiora conseruet? Audi sanctum Augustinum in Psalmos: *Peccatoribus*, inquit, *blasphemantibus eum quotidie, dat cælum & terram, dat fontes, fructus, sanitatem, filios, copias, vbertatem. Qui talia peccatoribus dat, quid putas eum seruare fidelibus suis?* De sancto Fulgentio scribitur in eius Vita, cum vidisse aliquando Romæ gloriam Senatus, & exclamasse: Quam speciosa potest esse Ierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem? Certè sanctus Augustinus, si quis alius prudens rerum æstimator, tanto interuallo distare censuit terrena quæcumque D gaudia à cœlestibus, vt affirmare non dubitauerit, optabilius esse ad vnam solam diem frui cœlestibus gaudijs; quàm omnibus mundi gaudijs frui per multa millia sæculorum: atque hæc sunt eius verba: *Tanta est iucunditas lucis æternæ, vt etiamsi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora; propter hoc solùm innumerabiles anni huius vitæ pleni delitijs & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoq; contemnerentur; non enim falso ac paruo affectu dictum est: Melior est dies vna in atrijs tuis super millia.* Quid hic dicemus? Si ista vera sunt, vt sunt omnino verissima, nonne æquum esset, vt aliquando sapere inciperemus? Hucusque dicere soliti sumus; contemnenda esse bona terrena, quia

In Psal. 85.
Apud Surium tom. 1.
De lib. arb. l. 3. c. vlt.

na, quia momentanea sunt; & amanda cœlestia, quia sempiterna sunt: nunc audimus Augustinum, Doctorem sapientissimum affirmantem, etiam si terrena essent æterna, & cœlestia momentanea, adhuc recto iudicio anteponenda esse terrenis cœlestia. Nonne igitur surdi, & cæci, & stupidi, & stulti sumus, si propter terrena bona, non solùm vilia, sed etiam caduca & breuia, contemnimus cœlestia quæ pretiosissima & sempiterna sunt? Rumpe tu, Domine misericors & miserator, surditatem nostram, illumina cæcitatem, excita stupiditatem, sana dementiam. Vt quid enim signasti super nos lumen vultus tui, Domine, si hæc tam magna, & tam necessaria non discernimus? & quare dedisti nobis iudicium rationis, si hæc tam euidentia non videmus.

Psal. 4.

Caput X.

De comparatione Paradisi terrestris cum cœlesti.

Comparavimus gaudia mundi huius cum gaudijs Regni cœlorum: comparemus nunc breuiter gaudia Paradisi terrestris cum gaudijs Paradisi cœlestis. Quanta fuerint gaudia Paradisi terrestris, vel ex eo cognosci potest, quòd ille erat quasi hortus delitiarum datus hominibus, qui creati erant ad imaginem & similitudinem Dei, cùm reliqua terra data esset animantibus brutis. Vnde etiam quando Adam peccando amisit honorem, in quo à Deo constitutus fuerat, & similis factus est iumentis insipientibus, de loco illo eiectus ad locum istum amandatus fuit. Describunt Paradisum terrestrem sanctus Alchimus Auitus in carminibus super Genesim, & alij, regionem amœnissimam, & maximè temperatam, vbi non vreret calor æstatis, nec læderet hyemis frigus: sed ver perpetuum floribus exhilararet, & autumnus fructibus omnium generum redundaret. Sed verba eius audiamus:

Psal. 48.

Hic ver assiduum cœli clementia seruat.
Turbidus Auster abest, semperq; sub aere sudo
Nubila diffugiunt, iugi cessura sereno.
Nec poscit natura loci, quos non habet imbres;
Sed contenta suo dotantur germina rore.
Sic cùm desit hyems, nec torrida ferueat æstas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.

Sanctus Basilius in libro de Paradiso, *Illic*, inquit, *plantauit Deus Paradisum, vbi non est ventorum violentia, non temporum immodestia, non grando, non fulmina, non turbines, non hyberna congelatio, non veris humiditas, non æstiuus calor, non autumnalis siccitas: sed temperata ac pacifica concordia temporum inter se. Tempora enim circa illum locum tripudiant, imò simul etiam cum bonis suis stipatim concurrunt veris iucunditates, æstatis alimenta, autumnalis lætitia, hyberna quies. Tenues & pellucidæ sunt aquæ, multam in aspectu iucunditatem habentes, maiorem verò vtilitatem quàm iucunditatem exhibentes. Prius igitur ipsum locum creauit Deus, dignum excipiendis Dei plantis. Deinde plantauit in ipso omnigenas arborum pulchritudines, & gratissimum aspectum, & iucundissimam fruitionem per ipsas largitus.* Sanctus Augustinus in libris de Ciuitate Dei sic de Paradiso terrestri loquitur: *Quid timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quidquā quod bona volūtas adipisceretur, nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viuentis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se coniugum fida & sincera societate viuentium, & ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum. Erat deuitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, irruebat.* & infrà: *Quàm igitur felices erant primi homines, qui & nullis agitabantur perturbationibus animorum, & nullis corporum lædebantur incommodis, tam felix vniuersa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros traijcerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.* Hæc sanctus Augustinus. Omitto quæ scribunt de incredibili amœnitate & fœcunditate Paradisi terrestris Claudius Marius Victor, libro primo Carminum in Genesim, sanctus Ioannes Damascenus libro secundo de fide orthodoxa cap. 11. sanctus Isidorus lib. 14. Etymologiarum cap. 3. & Rupertus Tuitiensis lib. 1. in Gen. cap. 37.

Lib. 14. cap. 10. de ciu. Dei.

Sed quicquid sit de his particularibus, certè ex ipsa Scriptura colligimus, sine dubio beatiorem eum locum fuisse, quàm nostra hæc habitatio sit; quoniam in pœnam peccati Adamo dicitur: *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi.* & mulieri dicitur: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* In Paradiso igitur non fuisset sterilitas terræ, neque laborandum in ea colenda fuisset, neque spinas & tribulos germinasset: & mulieres non concepissent vnquam frustra; sed omnes conceptus partus suos, eosque felices habuissent: & quamuis subiectæ viris fuissent, non tamen despotico imperio; sed ciuili & moderato. Itaque felicem vitam homines illi sine timore & dolore, sine labore & angustijs duxissent.

Gen. 3.

Et si Paradisus terrestris omni malo caruisset, & multis magnisque bonis abundasset: quid de cœlesti Paradiso sentiendum erit, qui tantò esse debet felicior, quantò est altior; & tantò melior, quantò pro melioribus institutus? Altitudo cœli Beatorum sine vlla comparatione sublimior est Paradiso Adami: & homines in cœlo beati, qui peccare & mori non possunt, longè ac longè meliores sunt incolis Paradisi terrestris, qui peccare & mori poterant. Illud igitur efficitur, vt Paradisus cœlestis non solùm omni malo careat, sed bonis omnibus redundet, sine comparatione vlla pluribus & maioribus, quàm ea essent, quibus Paradisus terrestris redundabat. Quæ cùm ita sint, agamus Deo gratias, quòd per Filij sui redemptionem pro Paradiso terrestri inuidia diaboli nobis erepto, Paradisum cœlestem longè beatiorem simus adepti: & tum ne simus ingrati tanto liberatori, tum ne nos ipsi nobis hostes videamur,

con-

contendamus totis viribus ad cœlestem Paradisum aditum inuenire, eumque nobis fide integra, spe sincera, charitate perfecta, & bonis operibus aperire.

Capvt XI.

De comparatione bonorum mundi, & bonorum Paradisi terrestris simul, cum bonis Paradisi cœlestis solius.

SEd iam progrediamur vlterius, & comparemus omnia bona mundi huius, & bona terrestris Paradisi simul posita, cum bonis solius cœlestis Paradisi; & videamus, an fortè illa simul iuncta præponderent. Id verò efficiemus, si fingamus, diuitias, imperia, voluptates, & omnem gloriam Salomonis, & aliorum similium felicissimorum hominum, posse sine labore acquiri; & sine timore retineri; & posse etiam eiusmodi felicissimos homines nunquā peccare, & nunquā mori, sic tñ, vt possint etiā peccare & mori. Hoc igitur posito, securus affirmo, bona Paradisi cœlestis solius longè præponderare bonis omnibus mundi & Paradisi terrestris simul positis. Id verò indè colligo, quòd bona illa simul iuncta numquam possint humanum animum replere, neque desiderium eius satiare, quia cor humanum boni infiniti capax est, illa verò omnia finita sunt. Itaque semper verum erit, quod sanctus Augustinus in principio Confessionum suarum dicit: *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* & verum est quoque quod sanctus Propheta canit: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Donec autem inquietum cor erit, miserum erit; & si miserum erit, beatum non erit. Paradisus autem cœlestis id habet potissimum; vt satiet animam, & omnem inquietudinem auferat. Quid enim desiderare poterit qui similis erit Deo, quia videbit eum sicuti est? quid desiderare poterit, quem Deus constituet super omnia bona sua? quid desiderare poterit, qui cum Deo regnabit, & cohæres Christi erit, quem Pater constituit hæredem vniuersorum? nisi quis Deum ipsum inquietum cor gerere, & miserum esse, dicere audeat. Deinde bona illa mundi, & Paradisi etiam terrestris, quantacunque & qualiacunque fuerint, hoc ipso, quòd amitti poterant, perfecta bona non erant, nec satiare poterant, neque quietum animum reddere valebant, ac per hoc verè beatum & felicem hominem non faciebant: at bona cœlestis Paradisi vndequaque perfecta & stabilia sunt, neque amitti, neque diminui vllo modo possunt. Sancti enim in illis felicissimis sedibus constituti, nec mori possunt, nec peccare possunt, & de sempiterna felicitate certissimi sunt.

Lib. 1. Conf. cap. 1. — Psal. 16. — 1. Ioann. 3. — Matt. 24. — Matth. 25. — Heb. 1.

Aperiant ergò mortales oculos mentis, & seriò recogitent, quanti momenti sit, cœlestem paradisum non amittere. Agitur enim hic verè de summa rei, non de rebus minutis, aut fugacibus. Prorsus enim diuino iudicio Sapientia Dei dixit: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?*

Matth. 16. — Marc. 8. — Luc. 9.

Capvt XII.

De comparatione pretij Paradisi cum ipso Paradiso.

A

POstrema comparatio erit de pretio, quo emptus est Paradisus à Christo, & quo à nobis etiam emi debet, cum ipsius Paradisi magnitudine atque præstantia. Christus pretio sanguinis sui emit nobis Paradisum cœlestem, quem inuidia diaboli nobis eripuerat, non vt ipse haberet, sed vt nos etiam illo priuaremur. ad hoc enim seduxit Euam, & per illam Adamum impulit in præuaricationem, vt pœnæ suæ consortes haberet. Christus igitur est prudens ille Mercator, qui dedit omnia sua, vt compararet pretiosam margaritam; per quam Regnum cœlorum significari satis apertè ipse docuit: ipse est, de quo Apostolus loquitur, cùm dicit: *Empti estis pretio magno.* & Apostolus Petrus: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, & incontaminati.* & rursum: *Eum, qui emit eos, Dominum negant.* Christus enim eodem tempore & nobis emit Paradisum, & nos ipsos emit. Nam & nos captiui facti eramus; & Paradisum amiseramus per peccatum: Christus verò redimens nos à peccatis; & à captiuitate diaboli; simul filios & hæredes Dei constituit, & per hoc Paradisum nobis restituit. Hinc igitur aperitur magnitudo cœlestis Paradisi, quòd infinito pretio dignus sit visus Sapientiæ Dei. Si nunc inter homines prudens ditissimusque mercator margaritam pretiosam emeret omnibus facultatibus suis libenter distractis, certè nemo dubitaret, margaritam illam tam esse eximiam & singularem, vt dignum pretium vix inueniret. Quanti ergò facienda esset, si iudicio vllo præditi essemus, possessio Regni cœlestis; quam Sapientia Dei, Verbum incarnatum omnibus laboribus, & sudoribus, & doloribus suis per triginta trium annorum spatium, ac demum sanguine suo, & morte sua pretiosissima comparauit? Nimis omninò stulti sumus, si rem illam pretio vilissimo temporalium quorumcunque bonorum vendimus, quam Christus Dominus infinito pretio dignam duxit.

B — Matth. 13. — 1. Cor. 6. — 1. Pet. 1. — 2. Pet. 2.

C

D

Quid? quòd non solus Christus sanguine suo Paradisum emendum nobis existimauit; sed Sancti omnes ab illo edocti, quidquid habebant: quicquid valebant; quicquid erant, libentissimè exponebant, vt Paradisum eundem emerent. Quin etiam beatus Paulus clamat: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Et si quis à sanctis Martyribus omnibus peteret, an libenter tot suis acerbissimis tormentis Paradisum emerint; & à sanctis Confessoribus, an libenter tot suis vigilijs, ieiunijs, orationibus; eleemosynis, persecutionibus Paradisum emerint; certè clamarent omnes cum Apostolo: *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Quamquam enim Christi

Rom. 8.

san-

sanguis pretium paradisi pro nobis fuerit non solùm dignum, sed etiam (vt sic loquar) plus quàm dignum, nempè supereminens & excedens dignitatem rei quæ emitur: tamen voluit etiam vt nos emeremus; quò nos honoraret & exaltaret. Magna enim est hominis gloria, quòd Paradisum obtineat non solùm ex merito Christi, sed etiam ex merito suo, quod tamen à Christi merito vim acceperit. Et si quis nolit, cùm possit, bona agere & mala pati, vt paradisum emat, expellitur à mercatura Christi, tanquam seruus malus & piger, vt Christus ipse monet in parabola de talentis: & Apostolus grauiter monet cùm dicit: *Si filij, & heredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. si tamen compatimur; vt & conglorificemur.*

Matth. 25.

Rom. 8.

Ac ne quis fortè queratur, se non habere dignum pretium, sciat non postulari à nobis, nisi id quod habemus. Sic enim loquitur sanctus Augustinus: *Regnum Dei tantum valet, quantum habueris.* & probat exemplis Scripturæ diuinæ: *Quid tam vile, quid tam terrenum, quàm frangere panem esurienti? tanti valet Regnum cælorum: Scriptum est enim: Possidete paratum vobis Regnum, esuriui enim, & dedisti mihi panem. Emit vidua duobus minutis. Emit Petrus relinquens retia. Emit Zachæus dando dimidium patrimonij.* Hæc sanctus Augustinus, cui consonat venerabilis Beda, cùm dicit, eum qui nihil habet præter se, dando se, illud emere. *Res illa,* inquit, *id est, Regnum cæleste, aliud non quærit pretium, quàm te ipsum: tantum valet; quantum es tu; te da, & habebis illud.* Certè enim Lazarus mendicus nihil habebat quod daret, nisi patientiam in doloribus, & portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ: & bonus latro nihil habuit in hoc mundo quod suum esset, præter liberam vocem qua clamauit: *Memento mei cùm veneris in Regnum tuum.* & audiuit continuò: *Hodie mecum eris in Paradiso.* O verè magnam Dei liberalitatem! ô ineffabilem hominis felicitatem, qui cum Domino suo de pretio rei super omnes pretiosissimæ tam facilè transigere potest! Optas homo à Deo Paradisum omnium voluptatum? da te ipsum, & habebis illud. Quid est, Da te ipsum? Ama Deum ex toto corde tuo, humiliare sub potenti manu eius, lauda illum in omni tempore, acquiesce libenter voluntati eius, siue diuitem, siue pauperem, siue gloriosum, siue inglorium, siue sanum, siue ægrotum te esse velit. Omnis enim voluntas eius bona est, & omnia iudicia eius iusta sunt. Dicas Deo, tuus sum ego, fac de me secundùm beneplacitum tuum: non resisto, non reclamo, non detrecto imperium: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; Non mea voluntas sed tua fiat.* Hoc holocaustum super omne pretium est apud Deum, qui bonorum nostrorum non eget. *Nunquid vult Dominus,* inquit Samuel, *holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini?* Hoc holocaustum obedientiæ offerebat quotidie Christus Patri, quod ipse testatur cùm ait: *Quæ placita sunt ei, facio semper.* & Apostolus, Christi verus imitator: *Contendimus siue absentes, siue præsentes, placere illi.* Hæc perfecta renunciatio omnium quæ homo possidet, vel possidere cupit: hæc abnegatio sui ipsius, vt Deo soli seruiat, est verum pretium paradisi. Neque qui hac ratione dat se ipsum, vt paradisum emat, amittit seipsum, sed verissimè felicissimeque inuenit seipsum, dicente Domino: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Sed quoniam hæc sapientia abscondita est à sapientibus & prudentibus huius mundi, qui verè stulti sunt apud Deum, & stultorum infinitus est numerus, ideò multi sunt vocati, pauci verò electi.

Tract. in Psal. 49. — Ser. 16. de Sanctis. — Luc. 16. — Luc. 23. — Psal. 107. — Luc. 22. — Psal. 15. — 1. Reg. 15. — Ioan. 8. — 2. Cor. 5. — Luc. 14. — Matth. 16. — Matt. 10. — Ioan. 12. — Matth. 11. — Eccl. 1. — Matth. 22.

DE AETERNA FELICITATE SANCTORVM, SVB nominibus parabolicis,

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De Thesauro abscondito in agro.



DE Sanctorum felicitate sub nominibus locorum, in quibus habitant ij qui verè felices sunt & beati, id est, de Regno Cœlorum, de Ciuitate Dei, de domo Domini, & de Paradiso delitiarum, hucusque scripsi, quod meditanti Deus suggerere dignatus est. Addam nunc aliquid de felicitate eadem sub nomine rerum, quibus Dominus felicitatem Sanctorum in parabolis comparauit. Initiò verò sciendum est, verba illa Domini, *Simile est regnum cælorum,* quibus in parabolis suis Dominus passim vtitur, non referri semper ad verba proximè sequentia, quasi cùm Dominus dicit, *Simile est Regnum cælorum homini negotiatori,* sensus sit, Regnum cœlorum esse simile homini negotiatori: sed referri ad totam narrationem, in qua per similitudinem demonstratur via ad Regnum cœlorum: & aliquando ipsum Regnum cœlorum, siue cœlestis Regni beatitudinem describi obscuriùs, aliquando clariùs, aliquando nullo modo attingi. Explicabo singula membra diuisionis.

Cùm Dominus apud Matthæum proponit parabolam de seminante, describit fructum quem parit Euangelica prædicatio iuxta varias terræ dispositiones, & hoc vocat mysterium Regni Dei: sed de beatitudine Sanctorum nihil dicit. Cùm verò idem Dominus in eodem loco addit parabolam de zizanijs, attingit breuiter felicitatem Sanctorum, cùm dicit triticum congregandum in horreum Domini, zizania verò alliganda in fasciculos ad comburendum. Sed cùm in eodem loco narrat parabolas de quærente bonas margaritas, & de inueniente thesaurum in campo absconditum, iam clarius comparat Regnum cœlorum margaritæ & thesauro. Atque huius tertij generis inuenio sex tantùm in-

Matt. 13.

ter parabolas Domini, vnam de thesauro abscondito in agro, alteram de margarita pretiosa, tertiam de denario diurno, quartam de domino distribuente talenta, quintam de cœna magna, sextam de nuptijs. Quibus addemus duas similitudines ex Apostolo, vnam de currentibus ad brauium, & alteram de certantibus in agone. Ita erunt octo considerationes de vita beata Sanctorum ex nominibus parabolicis.

Matt. 13. Prima igitur parabola quæ habetur apud sanctum Matthæum, *simile* facit *Regnum cælorum thesauro abscondito in agro:* & breuiter docet, quomodo possit acquiri, cùm ait: *Quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.* Thesaurus significat copiam ingentem auri, argenti, & lapidum pretiosorum: &, vt monet Paulus Iureconsultus, debet esse tam antiquus, vt eius non extet memoria: & ideò non habet proprium dominum, sed iure pertinet ad inuenientem. Hic thesaurus est ipsa diuinitas, quæ abscondita est in agro humanitatis Christi, vt rectè exponunt sanctus Hilarius, & sanctus Hieronymus in Commentario ad caput Matt. 13. In Christo enim, vt ait Apostolus, absconditi sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei. Diuinitas autem est verissimus thesaurus omnium bonorum, & verè tam antiquus, vt nulla eius extare possit memoria, cùm sit æternus, & sæcula omnia præcesserit: neque dominum habuit vnquam hic ingens thesaurus, cùm ipse sit Dominus omnium. Sed tamen ad ius inuenientium accedere dicitur, quia ipse libenter se donat ijs, qui venditis omnibus eum acquirere satagunt. Dicitur autem absconditus, tanquam in agro defossus, in humanitate Christi: quia quamuis diuinitas sit vbique, tamen nusquam magis propriè, quàm in Christi humanitate, cui sic est vnita, vt vna persona sit Deus & homo. Quare Apostolus dicit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Et quamuis nusquam sit magis quàm in Christi humanitate, tamen sic in ea videbatur abscondita, vt opus fuerit lucernam accendere quæ Deum in Christo demonstraret. Ea lucerna sanctus Ioannes Baptista fuit; qui, vt scribit sanctus Ioannes, *erat lucerna ardens & lucens:* & de quo prædixit Dauid in persona Dei Patris, *Paraui lucernam Christo meo.* Ioannes enim Baptista Christum manifestauit, ac verè Deum Dei Filium vnigenitum ostendit, cùm ait: *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit.* & rursum: *Qui de cœlo venit, super omnes est.* & paulò post: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Sed quamuis hæc lucerna ardens & lucens tam apertè Christum Dei Filium manifestaret: tamen Iudæi excæcati diuinitatem in Christo absconditam cognoscere non potuerunt, aut noluerunt: nam *si cognouissent,* vt Apostolus loquitur, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

[Margin: ff. De acquir. rerum dom. l. nunquam. — Coloss. 2. — 2. Cor. 5. — Ioan. 5. — Psal. 131. — Ioan. 1. — Ioan. 3. — 1. Cor. 2.]

Hunc ergo thesaurum qui diuinitùs illustratus inuenit, *abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.* Abscondere thesaurum inuentum, nihil est aliud, nisi sub humilitatis velo tegere acceptam gratiam, non se efferre ob lumen diuinitùs acceptum, neque iactare consolationes & reuelationes diuinas, ne inanis gloria gloriam veram corrumpat. Itaque Isaias dicere solitus erat: *Secretum meum mihi.* & Apostolus: *Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim,* &c. Reuelationem enim eximiam, quam accepit raptus in Paradisum, totos annos quatuordecim silentio texit: & semper texisset, nisi eam manifestandi necessitas coegisset. Et apertè dicit, non expedire eiusmodi dona patefacere; & sub alieno nomine patefecit, vt ostenderet, quàm ægrè id faceret. Tale aliquid accidit sancto Francisco, quando sacra stigmata diuinitus illi fuerunt impressa: nam, vt sanctus Bonauentura in eius Vita refert, aliàs solitus erat diuinas reuelationes silentio tegere, & cum Isaia dicere, *Secretum meum mihi:* tunc tamen cùm videret rem abscondi non posse, cum magno timore petentibus Fratribus seriem retulit visionis.

[Margin: Isa. 24. — 2. Cor. 12. — Cap. 13. Vitæ sancti Francisci.]

Porrò cum gaudio venditis omnibus agrum illum emere vbi thesaurus latebat, nihil est aliud, nisi eum qui vult Deo, & Christo frui in Regno cœlorum, oportere omnino à se rerum omnium temporalium affectum abdicare, & omnia sua & se ipsum Dei obsequio mancipare, idque non ex tristitia aut necessitate, sed cū gaudio magno; *hilarem enim datorē diligit Deus.* Sed qui verè cognouit, quàm ingens thesaurus sit Christo in æterna patria frui, videre oculis mentis eius diuinitatem, & oculis corporis eius humanitatem, & omnium bonorum Dei & Christi participem fieri, & de tanti boni possessione in æternum esse securum, nòn multum nec magnum illi esse videbitur, temporalia omnia & vitam ipsam pro Dei amore & sempiterna felicitate contemnere. Testis nobis sit sanctus Ignatius Martyr, qui in Epistola ad Romanos scribit: *Ignis, crux, bestiarum constantia, abscisio, separatio, confractio, dissipatioque membrorum, totius corporis interitus, & omnia flagella diaboli in me veniant, vt Iesum Christum merear adipisci.* Qui sic loquitur, certè multò minùs timeret inopiam, ignominiam, exilium, carceres, vt thesaurum illum incomparabilem nō amitteret. Quicumque igitur seriò cupit thesaurum æternæ vitæ comparare, seriò etiā cogitet ac recogitet, an paratus sit omnia alia bona contemnere: alioqui thesaurum illum, sine quo miserrimus & pauperrimus in æternum erit, nunquam neque viuus neque mortuus obtinebit.

[Margin: 2. Cor. 9.]

Sed vnde fieri dicemus, vt thesauros auri & argenti tam multi anxiè scrutentur, & non contenti humana diligentia, dæmonum adiumenta per nefarias artes adhibeant, cum ingenti periculo existimationis & vitæ? & thesaurum tuum, Domine Deus meus, qui solus potest hominem ditissimum facere, & sine labore, sine sumptibus, sine periculo inuenire possunt, tam pauci quærant? Ego nullam aliam inuenio causam, nisi vel modicam fidem populi tui, vel nimiam occupationem in rebus temporalibus conquirendis, quæ spatium cogitandi & considerandi diuina promissa tua homini-

bus

bus non relinquit. Ergo, bone Domine, adauge nobis fidem erga promissa tua, & extingue sitim habendi diuitias tẽporales: sic enim fiet, vt maiore studio inuestigemus thesaurum tuũ; & inuentum, venditis omnibus, tuo potissimùm auxilio comparemus.

Capvt II.

De Margarita pretiosa.

Altera parabola, quæ est de margarita pretiosa, simillima est præcedenti, quæ etiam apud S. Matthæum proximè sequitur. In illa enim erat thesaurus; in ista est margarita, quę instar thesauri haberi potest. In illa oportebat agrum, in quo thesaurus latet, venditis bonis omnibus comparare; & hic pariter oportet margaritam pretiosam, omnibus distractis quæ quis possidet, emere. Itaq; necesse erit solùm, in quibus hæ parabolæ discrepent, explicare. Discrepant autem in duobus, quòd videlicet in illa nominetur thesaurus, in hac margarita pretiosa: & quòd thesaurus casu sit inuentus, margarita à negotiatore diligẽter quæsita. Et quidem hoc loco beatitudo cælestis, siue Christus ipse margarita nominatur, vt sancti Patres docent, Ambrosius in Sermone sexto, & Gregorius Nazianzen. Oratione 49. quæ est de fide Tractatus, Ruffino interprete. Dicitur aũt margarita in hac parabola id quod in superiore parabola thesaurus dicebatur, vt intelligamus, diuinitatẽ Christi (quæ est æternæ felicitatis obiectum, & cuius visio est ipsa formalis, vt cum Theologis loquamur, beatitudo atq; felicitas) esse quidem thesaurum, sed non diuisum in multas species auri, argenti, & lapidum pretiosorum, sed esse rem vnam, quæ in se contineat pretium thesauri infiniti. Margarita enim vna res est; sed, auctore Plinio, culmen omnium rerum pretiosarum tenet. Præterea thesaurus constare potest ex solis pecunijs, sed in maximo numero: qui thesaurus ad vtilitatem solùm, non ad voluptatem & decorem pertinet. Quare ne quis ex parabola superiore colligeret, cælestem beatitudinem solùm esse vtilem, non decoram neque honorificam, addidit Dominus hanc alteram parabolam, in qua diuinitatem Christi & felicitatem nostram similem esse docuit margaritæ pretiosæ, quæ præter vtilitatem thesauri habet etiam pulchritudinem & splendorem, qui exornat & oblectat.

Matt. 13.

Lib. 9. c. 35.

Adde quòd margarita symbolum est Christi, tum vt Filij Dei, tum vt filij Virginis. Sicut enim margarita gignitur ex lumine solis & ex rore cæli, vt Plinius loco notato, & alij docent: sic etiam Filius Dei secundùm Deitatem, gignitur à Patre luminũ, qui est sol increatus; & ideò dicitur in Symbolo, ***lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.*** Et idem Christus secundùm humanitatem genitus est ex rore cæli, quippè conceptus de Spiritu sancto, non ex semine viri. Denique margarita candida, lucida, solida, pura, læuis, rotunda est: & humanitas Christi, & multò magis sine vlla comparatione diuinitas candida est ob innocentiam, lucida ob sapientiam, solida ob constantiam, pura quia sine macula, læuis quia suauis & mitis, rotunda quia ex omni parte perfecta.

A Iam verò margarita non casu inuenitur, sed à prudente negotiatore diligenter quæritur. Neque tamen contraria est hæc parabola superiori, in qua thesaurus fortuitò inueniri dicitur; nam vtrumque verum est, sed in diuersis personis: & ideò Dominus diuina prudẽtia parabolam hanc posteriorem superiori adiunxit, ne quis existimaret omnibus id contingere, vt de improuiso in thesaurum incidant. Alios enim Deus singulari gratia statim illuminat, vt neque quærentes, neque cupientes, neq; cogitantes, ad fidei veritatem, & ardẽtissimam charitatem, atque adeò ad certam spem vitæ æternæ obtinendæ perueniant: atque isti thesaurũ, quod ad se attinet, casu inueniunt; quãuis Deus non casu, sed æterna prouidentia sua ad hanc gratiam & futuram gloriam illos præordinauerit. Alios verò Deus pręuenit quidem gratia

B sua, sed nõ continuò thesaurum illis ostendit, sed inspirat desiderium inquirendæ veritatis, eosque facit sollicitos negotiatores, atque adiuuat & dirigit, donec inueniãt pretiosam margaritam. Exemplo nobis erunt sanctus Paulus & sanctus Augustinus. Sanctus Paulus nõ quærebat thesaurum verum qui est Christus, sed persequebatur Christum vt seductorem, & Christianos vt seductos: & cùm esset in itinere ***spirans minarum & cædis in discipulos Domini,*** *Act. 9.* Christus illi apparuit, & simul excæcauit oculos corporis, & illuminauit oculos cordis tam ingenti lumine, vt continuò factus sit prædicator ex persecutore.. Et quamuis felici casu hoc illi acciderit, tamen quod illi casus fuit, in Deo prouidentia fuit. Sic enim ipse loquitur

C in Epistola ad Galatas: ***Audistis,*** inquit, ***conuersationem meam aliquando in Iudaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Cùm autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus, continuò non acquieui carni & sanguini.*** & quæ sequuntur. Itaque B. Paulus ab vtero matris suæ segregatus fuit à diuina prouidentia, vt Euangelium Christi prædicaret: tamen non quæsiuit ipse bonam margaritam vel thesaurum in agro, sed forte thesaurus se illi ostendit, & fecit vt amaretur ab eo charitate tam ardenti, vt nullis pepercerit laboribus: quin etiam omnibus periculis se obiecerit, &

Gal. 1.

D omnia arbitratus sit vt stercora, vt Christum lucrificaret. *Phil. 3.* Contra verò sanctus Augustinus ab ipsa adolescentia flagrare cœpit desiderio inueniendi pretiosam margaritam, id est, veram sapientiam atque felicitatem. Sed cùm incidisset in sectam Manichæorũ, diu multumq; laborauit & secum ipse quærendo, & cum alijs disputando, vt inueniret Euangelicam veritatem: & cùm in ea secta nihil reperisset nisi narrationes fabulosas atq; mendaces, iam pęnè desperabat de veritate inueniẽda, cùm plurimos annos inquirendo consumpsisset. Sic enim ipse *Lib. 6. c. 1.* loquitur libro sexto Confessionum: ***Veneram,*** *Confess.* inquit, ***in profundum maris, & diffidebam & desperabam de inuentione veri.*** Placuit tamen Deo, vt aliquãdo inueniret pretiosam margaritam:

& tum sine vlla mora, venditis omnibus, hoc est, reiecto desiderio coniugij quo maximè tenebatur,& spretis lucris & honoribus, quibus, vt ipse fatetur in libro eodem, vehementer inhiabat, se totum solius Dei obsequio perpetuò mancipauit. Hęc igitur causa est, cur Dominus in parabola priore comparauerit Regnum cęlorum thesauro sine labore & casu reperto, & in posteriore simile esse dixerit margaritæ à negotiatore magno labore, & studio conquisitæ. Lib. 6. c. 6. Conf. ...

Illud nunc superest, vt anima Christiana secum ipsa,& coram Deo, semotis ad tempus occupationibus alijs, seriò reputet, qualis sit hæc negotiatio, quàm vtilis & quàm facilis hoc tépore; & quàm difficilis, vel potiùs impossibilis, si præsentium nundinarum amittatur occasio. Certè filij huius sæculi non prætermitterent occasionem emendi margaritã, quæ multis millibus nummorum aureorum vendi poterit, & nunc in præsentibus nundinis centum nummis argenteis emi potest, etiãsi opus illis esset ad vsuram grauissimã centum illos nummos argẽteos accipere:& filij lucis tam imprudentes erunt, vt nolint emere margaritam, quę illos in æternum diuites & beatos efficiet, cùm neque pecunias ad vsuram accipere cogantur, neque huc aut illuc discurrere ad quærendum pretium necesse sit; sed omninò sufficiat dare libenter id quod habent, etiamsi duo solùm minuta in facultatibus habeãt? Ergo, Domine Deus, luceat lux tua in cordibus nostris, da cognoscere pretium impretiabile margaritę tuę, & simul vilitatem pretij quod à nobis exigitur, vt illam obtinere possimus. Adde, Domine, ad miserationes tuas, vt nõ frustrà tam pretiosam margaritam nobis ostenderis: & tu qui dixisti, *Ne mittatis margaritas vestras ante porcos*, fac per gratiam tuam, vt si porcis similes aliquãdo fuimus, ignorantes dignitatem margaritæ tuæ, vt eam glandibus & siliquis postponentes, nunc à te illuminati, & eruditi margaritam tuam cognoscamus & ambiamus, & rebus omnibus diuenditis cum gaudio comparemus. Matt. 7.

CAPVT III.

De Denario diurno.

SEQVITVR parabola tertia de Denario diurno promisso à Patrefamilias laborantibus in vinea, quæ parabola habetur apud S. Matthæum. Et videtur prima facie valdè extenuari in hac parabola prę mium æternę vitæ, cùm cõparetur denario diurno, quæ anteà cõparata est thesauro & margaritæ pretiosæ. Sed ista extenuatio adhibita est, vt merces cõgrueret cum opere & labore: inepta enim videretur similitudo, si laborantibus per vnam diem in vinea promitteretur ingens thesaurus vel margarita, aut sceptrum, vel corona Regalis. Quòd autem denarius iste non sit denarius paucorum æreorum nummorũ, sed denarius cælestis,& qui satis abundè sufficiat ad victum & vestes per omnẽ æternitatem, facilè demonstrari potest. Siquidem merces labori respondere debet: labor aũt operantiũ in vinea Christi nõ debet æstimari ex sola operis substantia: sic enim dicere debemus oẽs cum Apostolo: Matt. 20.

A *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*. sed oportet eum laborem æstimare ex gratia Dei inhabitante corda iustorũ, quæ est fons aquæ viuæ salientis in vitã æternam. Item ex virtute charitatis, quæ nobis infusa est per Spiritum S. qui datus est nobis: corona autẽ vitæ æternæ præparata est à Deo diligentibus eum, vt scribit S. Iacobus. Item ex coniunctione cum Christo, qui tribuit valorem & pretium maximũ fructibus palmitum viuorũ, vt vitis vera;& operibus viuorum membrorũ corporis sui mystici, cui ipse est caput:& quibus ipse dixit: *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Denique nonne in iudicio, quando reddetur merces laborantibus in vinea, Dominus dicet: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: esuriui enim,& dedistis mihi manducare?* siquidem opera charitatis pertinent maximè ad laborem, quo desudamus in vinea Domini. Rom. 8. Ioan 4. Rom. 5. Iacob. 1. Ioan. 15. Matt. 5. Matt. 25.

B En igitur quàm pretiosus sit ille denarius, qui ab ipso Domino nominatur Regnum. Neque immeritò denarius iste Regnum appellari potest, cùm Christum ipsum repræsentet non minus quã thesaurus vel margarita. Siquidẽ in denario impressa cernitur imago Principis,& verba inscripta,& figura rotunda. Christus autem est imago Dei inuisibilis, ex Apostolo ad Colossenses;& Verbum æterni Patris, ex Ioanne Euangelista; & nõ habet initiũ dierum, nec finem vitę, ex Apostolo ad Hebræos, quod per rotundam figuram significatur. Et denique *pecuniæ obediunt omnia*, vt dicit sapientissimus Salomon; & Christus est omnium Dominus, vt testatur S. Petrus in Actis Apostolorum. Ergo denarius qui datur laborãtibus in vinea, Christus est, Deus verus, ac per hoc vita æterna, dicente S. Ioanne in priore Epistola sua: *Vt cognoscamus verum Deum,& simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus,& vita æterna.* Coloss. 1. Ioan. 1. Hebr. 7. Eccl. 10. Act. 10. 1 Ioan. 5.

C Sed videamus quibus dandus sit pretiosus iste denarius: quẽ qui semel obtinuerint, nulla re amplius indigebunt. *Voca*, inquit Dominus, *operarios,& redde illis mercedem.* Itaque laborantibus in vinea sine intermissione, sine cessatione, sine negligentia dabitur: nõ dabitur autem stantibus in foro otiosis, vel aucupio, aut venationi, aut ludis & iocis vacantibus: merces enim meritis redditur, nõ gratis datur,& multò minus immeritis donatur. Quòd enim Apostolus dicit, *Stipenda peccati mors, gratia autem Dei vita æterna*: ideò dicit, quia sine gratia Dei præcedente nullus potest benè operari, sic vt debeatur illi merces æternæ vitæ: sed accepta gratia, quæ gratis & non ex operibus datur, vtiq; stipendium bonorum operum vita æterna erit. Sic enim loquitur sanctus Augustinus in epistola ad Sixtum Romanum presbyterũ: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita merito iustitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Matt. 20. Rom. 6. Epist. 105.

D Neque propterea quòd omnibus operarijs detur idem denarius, existimandum est in Regno cælorũ præmia esse omnibus paria: denarius enim vitã æternam, siue Deum, siue Christum significat; & omnibus vita æterna,& Deus atq; Christus cõmunis erit. Sed queadmodum

idem

idem sol clariùs conspicitur ab aquila quàm ab alijs auibus,& ideò ignis magis calefacit proximos quàm remotos;sic in eadem æterna vita inter videntes Deum & Christum, clariùs videbit & iucundiùs gaudebit vnus quàm alius; & sicut diuersa erunt merita, sic etiã diuersa erunt præmia. Illud magis mouere posset,cur Dominus in distributione mercedis ordinem
Matt. 20. commutauerit, dicens: *Redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos. Sic erunt nouissimi primi,& primi nouissimi. Multi enim sunt vocati,pauci verò electi.* Sed hoc pertinet ad gratiam Testamenti noui, vt intelligamus,nos feliciores esse Patribus Testamẽti veteris; ac per hoc Deo grati simus, & in vinea ipsius diligentiùs atq; alacriùs laboremus. Patres sancti qui ante Christi ascensionẽ vineam Domini coluerunt, Adam, Noe, Abraham, Moses, & cæteri Patriarchæ & Prophetę,qui hora prima,tertia, sexta,nona vocati sunt,non solùm longo tempore laborauerunt, quia diutiùs viuebant; sed etiã post obitum multis annorum centurijs,& aliquot etiam millenarijs, mercedem, id est,
1.Ioan.2. denarium expectauerunt. Apostoli,& Martyres,& reliqui operarij qui vndecima,id est,nouissima hora, interprete sancto Ioanne, venerunt ad vineam excolendam, paucis annis laborauerunt, & statim à morte Regnum cælorum ingressi denarium acceperunt. Quanta est hæc gratia, quàm magna, quàm solida, quòd possit, si velit homo Christianus, breuissimo tolerato labore cõtinuò ad eum locum ascendere, ad quẽ sanctissimi Patriarchæ atque Prophetæ longissimo tempore suspirarunt? Non sine causa veteres illi Patres cum quodam veluti murmure,quod admirationẽ potiùs quàm querimoniam significare videtur, dicebant:*Hi nouissimi vna hora fecerunt,& pares illos nobis fecisti,qui portauimus pondus diei & æstus.* Sed Dominus pro nobis respondit: *Amice,non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi.* Quæ responsio non significat,homines noui Testamenti ex gratia, & non ex iustitia parem eum illis mercedẽ accipere: sed habuisse gratiam vberiorem, per quam breui tempore non minùs, vel etiã magis laborauerint in vinea,quàm longo illi tempore; ac per hoc mercedem parem, vel etiam maiorem iustè acceperint.Certè Apostoli tempore quidem breui, sed fructum longè maximum Domino vineæ attulerunt. Quando vnquam Patriarchæ vel Prophetæ,relictis omnibus temporalibus curis,totum pœnè orbẽ terrarum peragrantes,integras Ethnicorum prouincias ad verum Dei cultum pertraxerunt? Quando antiquis illis temporibus tam copiosus exercitus Martyrum pro fide veri Dei,tormenta omnia & mortes acerbissimas pertulit? Quando in veteri Testamento tot chori sanctarum Virginũ inuenti sunt, qui Agnum immaculatum sequentes, integritatem animi & corporis Deo vouerent & redderent? Et vbi fuerũt antiquo illo tẽpore tot Pastores & Doctores, qui super gregem suũ vigilãtes, scriptis eruditissimis contra lupos, id est, hæreticos & Ethnicos, depugnarent? Vbi denique tantus numerus Eremitarum & Monachorum, atque

A aliorum Religiosorum,qui vitam Angelorum æmulantes in solis Dei laudibus & orationibus dies noctesq; consumerent; Hæc & alia id genus eminentissimæ virtutis exempla ad gratiã noui Testamẽti pertinent: propter quam gratiam rectè Dominus parabolam concludit illis verbis: *Sic erunt nouissimi primi,& primi nouissimi.Multi enim sunt vocati,pauci verò electi,* id est, multi vocati ad vineam excolendam omnibus ætatibus mundi per horas vndecim, sed pauci electi,id est, non numero pauci, sed vnius tantum, eiusque nouissimæ horæ homines electi sunt ad gratiam noui Testamenti,per quam & maximum fructum laborando fecerũt,& maxima præmia breuissimo tempore acceperunt.

Neque verò existimandum est, omnes qui hora vndecima vocati sunt, denariũ accepturos,sed eos solos,qui breuissimo illo tempore
B totis viribus in vinea Domini laborauerunt: plurimi enim sunt, qui scientes hanc horã esse nouissimam,& modicum nos tempus habere, non dicunt,vt par esset, Breuis est vita nostra, ergo strenuè laboremus, vt in spatio temporis modico fructũ plurimum adferamus;sed cum insipiẽtibus dicũt, id quod legitur in libro Sapientiæ: *Dixerunt,*inquit, *cogitantes apud se nõ rectè: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ;& non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis.* Et paulò post: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt: & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguento nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum
C exors sit luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc pars nostra.* Hæc sunt eorum verba, qui vel Deum non nouerunt, vel dicentes se nosse Deum, factis atque operibus negauerũt. Qui quidem tam multi sunt, vt etiam ad eos referri possit illa conclusio: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Multi enim sunt vocati hora nouissima, sed pauci electi, quia pauci sic laborauerunt, vt denarium percipere mererentur.
Sapi. 2.

Væ igitur nobis, qui hora nouissima vocati, magnam partem illius horulæ ludendo & dormiendo consumimus, cùm deberemus de momentis singulis ita solliciti esse, vt ne vnum quidem momentum otiosè nobis elaberetur: pendet enim ab his momentis æternitas præmiorum aut pœnarũ. Et sine dubitatione quo
D maior est gratia Testamenti noui Christianis concessa,tanto grauiùs punientur qui gratiam illã in vanum recipiunt:& sicut erũt nouissimi primi in accipiẽda mercede, qui strenuè laborauerint hora nouissima; sic erunt nouissimi primi in supplicijs perferendis, qui hora nouissima strenuè laborare neglexerint.

Capvt IV.

De Talentis,& Gaudio Domini.

Qvarta parabola illa est,in qua Dominus apud Matthæum de præmio beatitudinis ita loquitur: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Quo
Matt. 25.

loco duæ res promittuntur fidelibus seruis, potestas amplissima, & gaudium maximum. *Super multa*, inquit, *te constituam*, & quæ sint illa multa, explicat alio loco, cùm dicit: *Beatus ille seruus, quem, cùm venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem: quoniam super omnia bona sua constituet eum.* Quid est autem super omnia bona Domini constitui, nisi potestatem accipere in omnes res inferiores, & consortem fieri imperij, quod habet Deus in mundũ vniuersum? Quis capiat, quanta sit hæc potestas? Quis Rex aut Imperator in terris cum minimo Sanctorum comparari potest?

Sed quoniam tanta potestas in homine non videtur haberi posse sine magna sollicitudine & perturbatione animi, ideò adiungit Dominus: *Intra in gaudium Domini tui.* quasi dicere velit: Quemadmodum te consortem facio summæ potestatis, sic etiã facio summæ quietis & voluptatis, quam nulla sollicitudo impedire vel diminuere poterit. Quantum sit hoc gaudiũ quod promittitur iustis in cælo, inexplicabile prorsus est, neq; anteà sciemus quàm experimento didicerimus. Interim tamen ex tribus vocabulis huius ipsius sententiæ aliquo modo suspicari poterimus, gaudiũ illud fore maximum. Primum vocabulum est, *intra*: nam quòd non dicatur, intret in te gaudium Domini tui; sed cõtrà, *intra* tu *in gaudium Domini tui*; argumentũ est, quòd maius sit illud gaudium, quàm vt nos totum capere possimus. Itaq; intrabimus nos quasi in mare magnum sempiterni & diuini gaudij, quod nos intus & extrà totos replebit, & vndiq; redundabit. Quis ergo in tanta gaudij affluentia locus poterit esse tristitiæ? Alterum verbum est, *in gaudium*: vbi non promittitur nobis gaudium hoc aut illud, de hoc vel illo bono; sed ipsum gaudiũ absolutè, ipsa voluptas, ipsa dulcedo, ipsa suauitas. Et quomodo non tota liquescat anima, tanta suauitate perfusa? Sed tertium verbum est, quod in immensum rem hanc exaggerat, videlicet illud, *Domini tui.* Intrabimus enim non in gaudium, quo gaudent homines vel Angeli quicumque, sed quo gaudet Deus, in quo sunt omnia infinita. Quis cogitare poterit, quale sit gaudium Dei, qui perfectè cognoscit infinitam bonitatem suam, & illa fruitur, ac de illa gaudet infinito modo? & tamẽ, ô Christiane, quod nunc nõ vales cogitare, poteris experiri & gustare, atque illo in æternum frui, si seruus bonus & fidelis esse volueris.

Videamus igitur nunc, ad quem vel ad quos tanta promissa pertineant. Ad illos nimirum pertinent, qui talenta sibi à Deo tradita multiplicare cum fide curauerint. Similitudo enim petita est ab homine diuite, qui bona sua seruis suis tradidit, & vni dedit quinque talenta, alteri duo, & tertio vnum; eisq; mandauit, vt sollicitè prudenterq; negotiando talenta multiplicare procurent. Et quidem variæ sunt sacrorum Interpretum sentẽtiæ de significatione talentorum. Alij per talenta intelligunt gratias gratis datas, alij Scripturas sanctas: alij scientiam rerum exteriorum quæ per sensus acquiritur, esse volunt quinque talenta; & intellectum atque operationem esse duo talenta; & intellectum solum, vnicum esse talentum: alij deniq; bona naturalia vt ingenium, iudicium; & spiritualia, vt donum fidei, spei, charitatis. Sed omnes in eo conueniunt, multiplicare talenta, esse benè operari in salutem suam & aliorum. Mihi occurrit alia expositio quæ non repugnat cæteris, & videtur per omnia accõmodari ad ea quæ Dominus de talentis dicit. Ac primùm talenta hoc loco appellãtur bona Domini: *Tradidit*, inquit, *illis bona sua*. Deinde talenta iubentur multiplicari negotiando in eadem specie: *Quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Tertiò dicuntur dari vnicuiq; secundùm propriam virtutẽ. Postremò, à seruo malo & pigro talentum tollitur. Ego igitur per talenta accipio animas fidelium ac piorum hominũ, quæ cõmittuntur fidei & diligentiæ Prælatorum. Ista enim sunt verè bona Domini, quæ nobis non donat, sed curanda & multiplicanda committit. Ideò non dixit Dominus Petro, Pasce oues tuas, sed oues meas. Reliqua sunt bona nostra, quãuis à Domino data, vt ingenium, iudicium, Scripturæ, gratiæ gratis datæ, & reliqua omnia. Sed animas fideles & pias vocat bona sua, vineam suã, familiam suam, sponsam suam: pro his venit in mundum, pro his redimendis sanguinem fudit, ad has lucrandas misit Apostolos, quibus dixit, *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Ioan. 21. Marc 4.

Deinde animæ fideles multiplicantur in eadem specie, quando Prælatus verbo & exemplo cõuertit peccatores: quod fecit sanctus Petrus, quando ad centum viginti fideles, quos illi Christus initio commisit, quando ait *Pasce oues meas*, in die Pentecostes in ipsa prima concione conuertit ad tria millia hominum, deinde ad quinque millia, postea ad multa millia. & S. Gregorius Thaumaturgus, quando factus est Episcopus Neocæsariẽsis, fideles inuenit septemdecim; sed eos ita multiplicauit, vt cùm esset morti proximus, in tam ampla ciuitate soli septemdecim reliqui essẽt infideles: quam rem sanctus Gregorius Nyssenus refert in Vita eiusdem S. Gregorij Thaumaturgi, quam copiosè diligenterque conscripsit. Act. 2. Act. 4.

Adhæc ista talenta committuntur vnicuiq; secundùm propriam virtutem. Deus enim qui nouit vires, id est, prudentiam, scientiam, charitatem, fortitudinem omniũ, non commẽdat animas nisi illis, quos nouit idoneos ad onus illud ferendum. Et ideò nemo deberet se ingerere ad curam animarũ, ad Episcopatum præcipuè, nisi vocatus ab eo qui distribuit talenta secundùm propriam vniuscuiusque virtutem. Alioqui mirum non erit, si multi cadant sub onere: neque excusationem apud Deum inuenient, si dixerint, se humeros non habuisse tanto oneri pares: respondebitur enim: Quis te coëgit onus supra vires subire? nonne tu voluisti, & rogasti, & contendisti, vt illud acciperes? nunc igitur patere, vt ligatis manibus & pedibus proijciaris in tenebras exteriores.

Denique talentum commissum seruo pigro, ab illo tollitur. Et hoc quoq; rectissimè quadrat, si dicamus, talenta esse animas fidelium. Qui enim vnum talẽtum accepit, id est, curam solius animæ suæ, si eam non rectè curauerit, perdet animam suam: fiet enim diaboli mancipium. Quemadmodum enim Beati libertatem

filiorum Dei acquirunt, per quam liberrimè manent vbi volunt, & faciunt quidquid volūt: sic etiam contrà reprobi amittunt omnem libertatem, & ligatis manibus & pedibus, neque ambulare possunt vbi volunt, neque facere quod cupiunt, sed manere cōguntur vbi non volunt, & nihil agere eorum quæ volunt; atque hoc est perdere animam suam. Itaque sententia hæc, in qua per talenta intelligūtur animæ fideles, omninò accommodatur parabolæ. Quomodo autem aliæ sententiæ aptè accommodentur, difficile admodum est docere: sed non ideò falsæ, vel reijciendæ sunt; quia necesse non est vt accommodentur omnia, vt rectè monet sanctus Ioannes Chrysostomus, sed satis est vt id accommodetur, quod est præcipuum in parabola. Nos tamen explicationem nostram persequemur, alias, vt dixi, non repudiantes.

Homil. 48. & 65. in Matth.

Igitur Dominus tribus generibus hominum talenta commisit: ijs qui perfecti sunt, quales esse debent Episcopi, quinq; talenta dedit, id est, integros populos curandos: alijs minùs perfectis, quales Parochi esse solent, duo talēta id est, pauciores animas quæ vna Parœcia continentur: alijs adhuc magis rudibus & infirmis, quale est vulgus, singulis singula talenta, id est, curam suæ solius animæ. Quamuis & ipsi debent eo modo quo possunt, verbo priuatæ exhortationis & exemplo innocentis vitæ alios conuertere à peccatis ad viam iustitiæ, & eo modo talentum sibi creditum multiplicare. Et quod dictū est de Episcopis & Parochis, idem intelligi debet de Principibus & Magistratib⁹ sæculi, & de patribus familiarum. Sic enim scribit sanctus Augustinus: *Vnusquisque paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum sua familia se debere. Pro Christo, & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat disciplinā: ita in domo sua Ecclesiasticū, & quodam modo Episcopale implebit officium.* Atque in hunc sensum Magnus Constantinus dicebat se Episcopum esse extra Ecclesiā, quia curabat quantum poterat, vt Ecclesia conseruaretur & propagaretur, nec tamen Ecclesiastica munia vsurpabat.

Tract. 51 in Ioan.

Ac ne quis existimet, vnum solum hominem aut vnum solum genus hominum in hac parabola reprehendi, quia ille solus qui vnum talentum acceperat, reprehensus & punitus legitur: sciendum est, voluisse Dominum, vt ex illo intelligeremus pericula maiorum. Quemadmodum enim ex eo, quòd in Iudicio nouissimo præmia dabit facientibus eleemosynas corporales, & pœnas non facientibus, intelligimus maiora præmia danda esse faciētibus eleemosynas spirituales, & maxima sanctis Apostolis, & Martyribus, & Virginibus heroicas virtutes exercentibus; & cōtrà maioribus supplicijs afficiendos fures, & latrones, & periuros, & sacrilegos, quàm eos qui eleemosynas pauperibus non erogauerunt: sic etiam hoc loco, ex eo quod is qui vnum talētum acceperat, quod facilè multiplicare poterat, tamen non multiplicauit, grauissimè punitur; intelligere debemus, tanto facilius esse, vt Episcopi & Pastores, & Principes, & Magistratus in hac re delinquant, quantò grauius & periculosius munus

Matt 25.

A exercent; & tanto etiam grauiùs in iudicio puniendos, quanto maior est iactura multarum animarum, quàm vnius.

Audiamus quid sanctus Augustinus de periculo gradus Ecclesiastici dicat in Epistola ad Valerium Episcopum suū: *Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudētia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & lætius & hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, si perfunctoriè aut adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum tristius, miserius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.* Hæc ille, qui hoc ipsum argumentū in reliqua Epistola sic tractat, vt optādum sit, vt oēs Ecclesiastici eam attentè legant,

Epist. 147.

B atque ij potissimum qui ad Episcopatum vel Presbyteratum temerè aspirant: & cùm obtinuerint quod petebant, & inuenerint quod quærebāt, aut gregem suum deserunt, aut alijs rebus intenti nihil minùs quàm de curando & propagando numero fidelium & piorum cogitant. Pastores certè in nocte Natalis Domini pastorum omnium Principis custodiebant vigilias noctis super gregem suū: & si hoc fiebat super gregem rationis expertem, ab illis qui figuram gerebant pastorū Ecclesiæ, quantò magis fieri deberet à pastoribus ouium rationabiliū, pro quibus Christus ipse dum in terris versaretur, pernoctabat in oratione, non vtiq; pro se, sed pro ouibus excubando? Et si Patriarcha Iacob pro ouibus soceri sui Laban tanto labo-

Luc. 2.

Luc. 6

Gen. 31.

C re conficiebatur, vt diceret, *Die noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis*: quid facere oporteret pastorem ouium Christi, pro quibus ille sanguinē fudit? Et si diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: an non etiam æquum esset, vt bonus pastor assiduè circuiret gregem suum, quærens quem liberet?

1. Pet. 5.

Sed inquient, negotia eiusdem Ecclesiæ cogunt, vt gregem deseramus. Non contradico, si negotiū sit graue, & tempus breue in eo expediendo consumi debeat: alioqui maiora negotia minoribus anteponenda sunt; & maiora per se, minora per alios expedire deberent. Nam si negotia cogunt à grege discedere, maiora negotia, imò & bella grauissima cogunt à gregis defensione non discere. Intonat.n. Apostolica

D tuba: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarū harū contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Et si dux abest, quis docebit milites, quomodo debeant tela nequissimi ignea extinguere? certè Dominus Petro dixit, & in eo Pastoribus omnibus, *Pasce oues meas*: cætera tacuit, vt intelligeremus hoc munus esse præcipuum. & in Episcopali consecratione dicitur: *Vade, prædica populo tibi commisso*: & de temporalibus negotijs nihil additur, vt Episcopus admoneatur, nō esse æquādā temporalia spiritualibus, multo verò minus anteponenda. Deniq; in Concilio Carthaginēsi Quarto seriò mandatur Episcopis, vt gubernationem viduarū & pupillorum ac peregrinorum non per se, sed per Archipresbyterum aut

Ephes. 6.

Carthag. 4. can. 17. 18 19 20.

Archidiaconum agant, & vt tuitionem testamentorum nō suscipiant, & vt pro rebus transitorijs non litigent prouocati; & vt nullam rei familiaris curam ad se reuocent; sed vt lectioni, orationi, & verbo prædicationis tantummodò vacent. Itaque Concilium Episcoporum ducentorum quatuordecim, id est, Africæ totius, in quo etiam sanctus Augustinus interfuit, voluit omninò Episcopos omnia temporalia negotia, etiam pia & necessaria, per alios tractare, vt ipsi liberiùs tuendo gregi & multiplicando vacarent.

Hæc igitur parabola sicut ostendit felicitatem æternam esse rem præcipuè exoptandam, cùm contineat potestatem maximam cum maxima voluptate coniunctam: sic etiam demonstrat, viam ad eam felicitatem esse laborem assiduū, in salute animæ suæ, & aliorum quærēda & procuranda positū. Quem laborem qui subire recusant, nō solum felicitate illa, & illa eximia potestate & voluptate priuantur; sed ad inferos damnati pęnas æternas luunt. Sic enim
Matth. 25. loquitur Dominus: ***Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.*** Vbi & illud diligenter est attendendum, seruū, qui tanto supplicio addicitur, non impium, non facinorosum, non sceleratū, sed dumtaxat inutilem appellari: nam etiāsi alioqui Episcopus aut Parochus, siue Princeps aut Magistratus, siue Paterfamilias, siue quicunque alius criminibus alijs vacet; ob hoc solum quòd inutilis fuerit, id est, salutem subditorum & suam pro viribus nō procurauerit, eijcietur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentiū, qui nunquā finietur. Et si seru' inutilis hæc patietur, quid fiet de seruo maligno, cupido, superbo, luxurioso, & vitijs plurimis cooperto? si seruus inutilis reprobatur, impius & præuaricator quam rationē de talentis sibi creditis Domino reddet? Certè qui ista cōsiderant, non ambiunt præfecturas; & si cogantur eas suscipere, cum timore & tremore semper vigilant, tanquam rationem exactissimam pro animabus sibi creditis reddituri.

Capvt V.

De Cœna magna.

Luc. 14. QVINTA parabola, quæ est apud S. Lucam, felicitatem Sanctorum cœnæ magnæ similem facit. Et certè non sine magna ratione: siquidem in cœna magna, nuptiali vel Regia inueniuntur omnia quæ sensus humanos oblectare possunt, & quæ potentiam, & diuitias, & gloriam huius mundi demonstrent.
Esther 1. Itaq; Rex Assuerus cùm 127. prouincijs imperaret, ac vellet ostentare diuitias gloriæ Regni sui, & magnitudinem atq; iactantiam potentiæ suæ, non inuenit rationem commodiorem atque aptiorem, quàm vt conuiuiū ex omni parte magnificentissimum exhiberet. Primùm enim in cęna magna oblectantur oculi in apparatu sumptuoso totius aulæ, in ordine ministrorum vestibus decoris & pretiosis indutorum, in vasis aureis atque argenteis quibus inferuntur cibi: oblectantur aures varijs musicis instrumentis & vocibus cantorum & cantatricum audiendis: oblectantur sensus olfaciendi in odoribus florum & rosarum, in vnguentis

A pretiosis & aquis odoratis, alijsque rebus odorem suauissimū spirantibus: oblectatur sensus gustandi in condimentis ciborum omnis generis, & vinis pretiosis vndiq; allatis: oblectantur deniq; sensus tangendi in recubitu siue accubitu in lectis mollissimis atq; gratissimis. Itaque in cœna Regia ac nuptiali conueniunt simul omnia ferè corporalia bona, quæ hic in terris inueniri possunt: vt non sine causa Dominus repræsentare volens felicitatem quæ in se bona omnia comprehendit, cœnæ magnæ illam comparare voluerit: de qua etiam legitur in Apocalypsi: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* Deinde quàm sit magna illa cœna Apoc. 19. Domini, ex eo cognosci potest, quòd omnis gloria corporum gloriosorum erit quasi postrema mēsa, in qua bellaria apponuntur. Tanta autem est bellariorum istorum suauitas, vt
B sanctus Petrus videns aliquando corpus Domini splendere instar Solis, dixerit: *Bonum est nos hic esse.* Et si talia sunt bellaria, quid erit Matt. 17. substantia cœnæ, quæ in fruitione diuinitatis posita est?

Denique bona omnia mundi huius nihil sunt aliud, nisi quasi cortices & putamina fructuū Paradisi. Et si talia sunt putamina & cortices, vt homines illorū amore & desiderio insaniāt; quid erunt fructus ipsi & poma Paradisi? Et si talia sunt poma & fructus, quid erunt cibi reliqui solidiores & præstātiores? Certè tales erūt, vt sine fastidio semper edātur, & semper desiderentur. Neque tamen suspicari debemus, in cælo futuram esse cœnam, qualem hic habent magni Principes cum nuptias celebrant: siquidem in cælo erimus sicut Angeli Dei, qui Matth. 22.
C neq; nubunt, neq; ducunt vxores, neq; vescuntur cibis ad vitam mortalem sustentandam necessarijs. Erit ergo cęna plena diuitijs, & delicijs, & ornamentis, & gloria statui Beatorum conueniens. Hæc enim dicuntur nobis hoc tēpore, quia meliora & maiora non vidimus. Sed ab his discere debemus, tanto fore cœnam illam nostris cœnis quamuis lautissimis meliorem, quanto cælum distat à terra; & quanto Deus qui illam parabit, potentia & diuitijs mortalibus Regibus præstat.

At cur, dicet aliquis, felicitas Beatorum cœnæ potiùs quàm prandio cōparatur? Huius rei illa est ratio, quia prandiū fit in meridie, & post prandium negotia tractari solent vsq; ad vesperam: cęna verò fit ad finem diei, quando negotijs omnibus peractis sequitur cœna, & post
D cœnam quies ac somnus. Itaq; in alia parabola Matt. 22. quæ est apud Matthæum, vbi agitur de Incarnatione Domini, prandium introducitur ob nuptias, quas fecit Rex filio suo. Siquidem Incarnatio Domini, & nuptiæ cum Ecclesia spōsa inchoatæ sunt in meridie, id est, satis diu ante finem mundi. Post quod prandium multa grauia negotia, ac potissimùm redēptio mundi & reconciliatio hominū cum Deo celebrata sunt. Sed traductio sponsæ ad domum sponsi & cęna nuptialis, postquam cessabunt omnia negotia, & somnus dulcissimus consequetur, id est, requies æterna ad vesperam diei, & finem sæculi fiet. Hæc igitur causa est, cur consummata & perfecta gloria Beatorum cęna potiùs quàm prandium appelletur.

Sed

Sed operæ pretium erit videre, quid facto opus sit, vt ad cœnam illam admittamur. Id verò Dominus ipse in parabola sua satis apertè docuit; ait enim: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Sed illi cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit: Villam emi, & necesse habeo exire & videre illam: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* Mira res! inuitantur homines à Deo ad cœnam nuptialem & Regiam, & recusant: quid facerent si vocarentur ad laborem militiæ, aut ad iter longinquum & periculosum? Hæc nimirum est cæcitas humana, quæ vix adduci potest vt credat quod non videt. Sed quid est illud tandem quod cœnæ diuinæ, id est, summo atque æterno bono, mortales præponunt? Tria Dominus proponit impedimenta salutis, quæ ex genere suo mala non sunt, & tamen ex affectu minus ordinato salutem æternam impediunt. Villam emere, boues probare, & vxorem ducere peccata non sunt; sed illa Regno cœlorum præponere, incredibilis cæcitas est: & tamen multi vbique reperiuntur Christiani, qui tanto studio temporalia ista consectantur; honorem, siue dignitatem, siue potentiam, quæ in emptione villæ notatur; lucra, siue vtilitatem, quæ significatur in agricultura & exercitio boum; & delectationem ac voluptatem, quæ ex nouis nuptijs capitur; vt totos dies & noctes in ijs comparandis, fruendisque consumant, obliti penitus præmiorum æternorum & maximorum, quæ promisit Deus diligentibus se. Neque contenti sunt plerique mortalium villas emere, iuga boum probare, & vxores ducere; sed vt longißimè recedant à salute, villas alienas inuadunt, furantur boues, & concubinas vel meretrices alunt: neque vnquam cogitant, multoque minus considerant, quale dispendium sit, propter eiusmodi quisquilias, cœnæ Domini iacturam facere. Certè quidem si Deus nobis vermiculis terræ non cœnam infinitæ suauitatis in cœlo promitteret, sed micas de illa mensa cadentes, aut ciborum reliquias polliceretur, adhuc vtile nobis esset temporalia bona vniuersa contemnere, vt micis illis atque reliquijs frui possemus. Quanta igitur amentia est, iucunditates modicas & fugaces anteponere ipsi cœnæ Dominicæ, quæ bonis omnibus & sempiternis affluit, & in qua cum Angelis sanctis, & cum ipso Domino Angelorum in Regnis cœlestibus accumbemus?

Porrò Dominus noster, postquam demonstrauit quid impediat ingressum ad cœnam magnam, addidit etiam remedia, quibus illa impedimenta tolli poßint: pergit enim in parabola sua, & ait: *Tunc iratus Paterfamilias dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Quia diuites occupati in villis & bobus emendis, & in vxorib. ducendis, ad cœnam magni Patrisfamilias ire recusarunt; aduocat pauperes, qui neque pecunias habent ad villas & boues emendos, nec facilè vxores inueniunt, cùm non habeāt vnde illas alant. Aduocat debiles, qui nec ad villam proficisci, nec boues exercendo probare, neq; vxores ducere possunt. Aduocat cæcos, qui nec villam videre, neq; boues dirigere, nec facilè vxorem inuenire queunt. Aduocat claudos, qui ad villam pergere, & boues exercere, & in nuptijs tripudiare nōnisi difficillime queūt. Isti igitur tanquam liberi ab impedimentis omnib. quibus priores tenebantur, ad cœnam magnam admissi, meritò sibi ipsi gratulari possunt, quod eos Deus pauperes, debiles, cæcos, & claudos esse voluerit. Multi querūtur in hac vita, quod nati sint pauperes, vel sæpius ægrotent, aut capti oculis, vel pedibus impediti infelicißimi esse videantur; & nesciunt quid boni præparet illis Deus in sæculo futuro, ob hanc ipsam, quā homines vocant infelicitatem: quod si scirent, gauderēt vtiq; & exultarēt. Proinde nemo debet de prouidētia Dei queri, sed in omnib. gratias agere Patri optimo Deo, cui est cura de nobis, & semper in eius acquiescere voluntate.

Sed quanquam hæc ita se habent, hoc tamen loco propriè pauperes intelliguntur, qui sunt pauperes spiritu, non opibus; & debiles non viribus, sed fiducia in se ipsis; & cæci non oculis, sed astutia; & claudi non pedibus, sed affectib. Dicam hoc planius. Pauperes qui ad cœnā Domini admittuntur, illi sunt, qui Apostolum audientes non volunt diuites fieri; & si pecunias habent, non habent ad coaceruandas, vel in vanitatibus consumēdas, sed ad faciendum quod Spiritus S. dicit per os Dauid: *Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Et debiles intelliguntur illi, qui non confidunt in virtute sua, nec in viribus suis gloriantur. Cæci verò sunt illi, qui verè credunt quod non vident, præsertim de præmijs iustorum, & supplicijs impiorum. Qui enim certò sibi persuadent, præmia iustorū verè esse maxima & sempiterna, & pœnas similiter iniquorum acerbißimas, & nullum vnquam finem habituras; profectò non manent terræ affixi, nec magni faciūt ea quæ sunt infra lunā, sed ibi eorum fixa sunt corda, vbi vera sunt gaudia. Deniq; benè ac feliciter claudi illi sunt, & ad cœnā Domini meritò aspirare possunt, quorum pes dexter multò longior est sinistro, id est, affectus in Deum, & in bona sempiterna, longè ac longè maior est pede sinistro, id est, amore in carnem suam, & in bona terrena ac temporalia.

1. Tim. 6.

Psalm. 111.

Sed audiamus sententiam magni Patrisfamilias in eos qui cœnam suam inconsideratè ac stultißimè contempserunt: *Dico vobis*, inquit, *quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.* Scit enim Dominus, breui futurum, vt illi qui vocati fuerant, & præsentibus inhærentes bona futura tanquam inania contempserant, deposito corpore & sensibus carnis extinctis, & terrenis bonis in terra dimißis, incredibili desiderio cœnam illam esuriant. Nam vt loquitur Propheta Dauid. *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Planè ad vesperam, finito die præsentis vitæ conuertentur, ac resipiscent, quando inutilis erit pœnitentia; & famem patientur vt canes rabidi, & circuibunt Ciuitatem Domini, si fortè micas cœnæ illius obtinere valeant. Sed firma stat

Psalm. 58.

sententia Domini, Nemo eorum gustabit cœnam meam.

O si scires, anima, quid sit, Non gustabis cœnam meam! O si capere posses, quanta erit illa fames miserorum, & quàm dulcis esca qua in æternum priuabuntur! Et quid tunc darent, si gustare possent, quod ardentissimè cupient? Sed nihil obtinebunt, etiamsi mundum vniuersum in potestate haberent, & totum promptissimè renuntiarent. Quæ cùm ita sint, contertamur dum tempus habemus, dum dies est, & dum fructuosa pœnitentia est. Nunc esuriamus cœnam illam dulcissimam, nunc famem patiamur non vt canes immundi & rabidi, qui in cibo capiendo nihil cogitant nisi bonum oris & ventris: sed vt homines rationis participes, esuriamus cibum æternæ vitæ, & panem Angelorum, vel etiam manna illud absconditum, *quod nemo scit, nisi qui accipit*; & quo Deus ipse ab æterno & in æternum fruitur: & sic viuamus in hoc exilio, vt non diligamus exilium, sed ad patriam suspiremus; ad quam cùm peruenerimus, non sit nobis necesse ciuitatem circumire, sed per portam latè patentem ingrediamur, atque ad cœnam Domini libenter admissi, pane vitæ & aqua sapientię, id est, cibo potuque gratissimo & suauissimo satiemur.

Apoc. 2.

CAPVT VI.

De Nuptiis, & Virginibus prudentibus & fatuis.

VLTIMA parabola illa est, quæ similem facit felicitatem Sanctorum Regalibus nuptijs, ad quas inuitatæ sunt virgines decem, quinque fatuæ, & quinque prudentes. Vbi primùm breuiter explicandum est, quis sit sponsus, & quæ sponsa: deinde, quàm excellens bonum significetur nomine nuptiarũ: postremò, quid requiratur vt ad bonum tam eximium peruenire valeamus.

Matth 25.

Ac primùm nemo dubitare potest, quin Sponsus sit Christus. Id Sanctus Ioannes Baptista disertis verbis expressit, cùm de Christo loquens ait: *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Idem ipse Dominus innuit in parabola de Rege, qui fecit nuptias filio suo. Idem Apostolus apertissimè confirmat, cùm ait Corinthijs, *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Idem denique Sanctus Ioannes in Apocalypsi significat, cùm ait: *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.* & rursum: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* De sponsa æquè certum est, quod sit Ecclesia. Apostolus enim in Epistola ad Ephes. manifestè dicit: *Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* & infra: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrē suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Ioan. 3.
Matth. 22.
2. Cor. 11.
Apoc. 19.
Ephes. 5.

Sed quamuis Ecclesia sponsa Christi sit, & fideles filij dicantur Ecclesiæ, quia ipsa per lauacrum Baptismi eos quodammodo parit

A Christo: tamen quoniam Ecclesia nihil est aliud nisi cœtus fidelium, ideò animæ fideles omnes sunt sponsæ particulares, quomodo Ecclesia sponsa est vniuersalis. Non enim falsò canit Ecclesia de sanctis Virginibus: *Veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit in æternum.* Quanquam autem Virgines sanctæ speciali ratione dicuntur sponsæ Christi, quia carnale cõnubium respuerunt, vt soli Christo spiritualiter nuberent; tamen reliquæ etiam animæ Christianæ sponsæ sunt Christi, cùm ei per fidem desponsæ sint, & per charitatem vnitæ, & ad consummationem spiritualis coniugij in cœlorum Regno suspirent.

Iam verò quale bonum sit, humanam animam cum Christo, etiam quà Deus est, connubio iungi, si quis capere aut dignè cogitare B posset, fortasse nihil magis honorificum, nihil vtilius, nihil dulcius, neque in hoc sæculo, neque in futuro reperire posset. Magna est gloria, vtilitas, suauitas, seruire Regi Regum; maior, inter amicos & domesticos eius connumerari; maxima, filium Dei & Christi fratrem nominari: sed sponsam dici posse Dei, consortem throni, consortem thalami, consortem coronæ, consortem titulorum omnium, plusquam maximum bonum, si sic loqui licet, mihi esse videtur. Hoc enim est, quod apud Isaiā Dominus dicit de spiritualibus eunuchis: *Dabo eis in domo mea nomen melius à filijs & filiabus.* id est, nomen coniugis dabo eis. Quis capiat, quàm excelsum, & quàm honorificum, & quantæ oblectationis sit, non solùm Deum videre, & cum Deo colloqui & conuiuere; sed C vnum spiritum cum Deo fieri, & in Deum, id est, in summum bonum transformari? Apostoli verba sunt: *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur: erunt enim duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est.* & rursum: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem trāsformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Quis erit sensus voluptatis, quando vniti Deo, à claritate vultus eius irradiati transformabimur in claritatem Dei, vt quàm simillimi efficiamur Deo? *Similes*, inquit S. Ioannes, *ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Non erimus similes tantùm, vt imagines ad eius similitudinem creati; sed similes in gloria, in beatitudine, in felicitate. Apostolus Paulus in illa magna extasi, quam passus est cùm raptus in D Paradisum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, nondum erat beatus; & tamen ita absorptus erat in Deum, vt non aduerteret, an esset in corpore, an extra corpus. Quanta igitur erit illa felicissima vnio animæ cum Deo, & quàm erit absorpta & immersa in mari totius suauitatis anima illa, quæ vnus spiritus erit cum Deo? Tale vtique hoc gaudium erit, vt S. Bernardo teste, illi *comparata omnis alia iucunditas mæror* sit, *omnis suauitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quodcunque aliud delectare possit molestum* esse meritò iudicetur.

Isa 56.
1 Cor. 6.
2 Cor. 3.
1. Ioan 3.
2. Cor. 12.
Epist. 114.

Sed quando iste complexus Sponsi pulcherrimi cum anima beata ineffabilis est, quæramus nos potius, & ex parabola proposita intelligamus, quid requiratur vt ad nuptias illas omni

ex parte

ex parte felicissimas admittamur. Id totum ex qualitatibus virginum prudentium cognoscemus, cùm illæ solæ, fatuis exclusis, ad nuptias Sponsi cœlestis intrauerint. Quinq; sunt conditiones siue qualitates, quæ requiruntur: prima, vt anima sit virgo, deinde vt sit prudens, tum vt habeat lumen in lampade, præterea oleum in vase, denique vt vigilet, & vigilando sponsi aduentum diligenter obseruet.

Quod attinet ad primum, sponsæ Christi debent omnes esse virgines, non necessariò virginitate carnis, sed virginitate fidei & morum, vt S. Augustinus rectè exponit in Sermonibus de verbis Domini, iuxta illud Apostoli: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* vbi per virginem castam intelligit totam Ecclesiam Corinthiorum, in qua satis constat non omnes fuisse virgines carne, cùm ipse idē in Epistola priore admonuerit fideles coniugatos officij sui. Illi igitur & illæ sunt virgines in hac parabola, qui & quæ non corrumpuntur circa fidem & mores, & recedentes ab omni malo, non inquinant animas suas.

Serm 23. *2 Cor. 11.* *1. Cor. 7.*

Sed quia nō satis est ad perfectam iustitiam, declinare à malo, sed oportet etiam facere bonum, iuxta Prophetam Regium, *Declina à malo, & fac bonum:* ideò additur secunda conditio, vt virgo sit prudens, non fatua, nec putet sibi sufficere, si nulli noceat, non occidat, non furetur, non falsum testimonium dicat; sed intelligat oportere considerare finem vltimum, & ordinare media ad finem.

Psalm. 16.

Et quia finis est æterna vita, & media sunt merita operum bonorum; ideò additur conditio tertia, vt habeat lumen in lampade, siue lāpadem lucentem, quæ sunt opera bona, vt idē S. Augustinus docet loco notato: quod ipsum Dominus antea docuit, cùm ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*

Serm 23. De verbis Domini. *Matth. 5.*

Sed quoniam opera bona à charitate, tamquam à radice prodeunt, neque conseruari possunt, nisi ab eadem charitate foueantur, & nutriantur, quomodo lumen lampadis necessariò extinguitur, si desit alimentum olei; ideò requiritur quarta conditio, vt virgo prudens habeat semper oleum in vase. Significari autem charitatem per oleum, docet eodem loco Sanctus Augustinus ex eo, quod oleum supereminet omnibus humoribus; & charitas supereminet omnib. virtutibus, dicente Apostolo: *Eminentiorem*, vel, vt nos legimus, *excellentiorem, viam vobis demonstro.* & paulò post: *Nunc autem manent fides, spes, charitas; tria hæc: maior autem horum est charitas.* Itaque si quis in corde suo aliquid vel anteponat, vel adæquet charitati, illa continuò abscedit, & vel debet primum locum habere, & dominari ac regnare in corde nostro, vel abire; quia oleum est, humor videlicet subtilissimus, aereus & igneus, qui super omnes ascendit: & tanta vis est olei charitatis in ascendendo sursum, vt si ponatur, anima publicani vel meretricis, illam continuò sursum trahat, & de peccatrice sanctam, de carnali spiritualem efficiat. Quin etiam audeo dicere, si hoc oleum in animas damnatorum hominum, siue in ipsos dæmones stil-

1. Cor. 12. *1. Cor. 13.*

A lare posset, videremus continuò damnatos omnes siue homines, siue dæmones sursum ascēdere. Et si è contrario deesset hoc oleum animas sanctorum Angelorum, Apostolorum, Martyrum, Virginum, continuò graues efficerentur, & ad ima descenderent. En igitur quāta sit excellentia huius olei, & quam iustè stultæ virgines dicantur, quæ hoc oleo caruerunt. Sed est etiam alia ratio, cur charitas per oleum significetur, quia videlicet oleum omnia dura & aspera lenit & emollit, vt ex duris & asperis mollia, suauiaque reddantur. Hoc oleum facit iugum suaue, de quo Dominus dixit; *Iugum meum suaue est:* quoniam gratia charitatis inunctum quasi computrescit à facie olei, vt loquitur Isaias. Quid enim suaue fecit in Apostolis iugum obedientiæ eundi in mundum vniuersum, & prædicandi Euangelium omni creaturæ, nisi oleum charitatis? Quid suaue fecit in Martyribus iugum patientiæ in tolerandis suppliciis plurimis, & ante illud tempus inauditis, nisi oleum charitatis? Quid suaue fecit iugum paupertatis, & continentiæ, & obedientiæ tot millibus Religiosorum & Sanctimonialium, nisi oleum charitatis? Nihil enim dulcius amanti, quàm amorem suum amato demonstrare, pro illo magna & difficilia operando, vel tolerando: quomodo etiam Christus amorem suum erga genus humanum nulla re magis ostendit, quàm patiendo pro nobis.

Matth. 11. *Isa. 10.*

B

C Differui paulò fusius de oleo, quia non facilè poterat intelligi, vnde charitatem significaret. Restat quinta conditio, quæ potissima est, & à Domino in hac parabola præcipuè intenta, videlicet, vigilantia: sic enim concluditur parabola: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neq; horam.* quam sententiam, vt ea cordibus fidelium penitus infigatur, passim Dominus repetit: *Vigilate*, inquit rursum apud Matthæum, *quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* & apud Marcum: *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an manè, ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* & apud Lucam: *Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* & alibi: *Vigilate itaque omni tempore orantes.* & per Apostolum Petrum: *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.* & per Apostolum Paulum: *Non dormiamus sicut & cæteri, sed vigilemus, & sobrij simus.* & per Apostolum Ioannem: *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat.*

Matth. 25. *Matth. 24.* *Marc 13.* *Luc 12.* *Luc 21.* *1. Pet. 4.* *1. Thess. 5.* *Apoc. 16.*

D Hæc omnia significant, aduentum Domini ad iudicium, siue vniuersale in consummatione sæculi, siue particulare in vniuscuiusq; obitu, incertum esse, & propterea Deum à nobis requirere, vt semper vigilemus, animo suspensi ad expectationem aduentus eius, vt nos paratos inueniat, & non cum fatuis virginibus nos à nuptijs suis cogatur excludere. Itaque nihil est aliud dormire, quàm obliuisci mortem & iudicium, vel sic viuere, ac si de re tam magna, vnde pendet salus æterna, nunquam cogitaremus, aut curaremus. Non enim prohibetur fidelibus somnus corporalis; alioqui non diceretur in parabola, *Dormitauerunt omnes, & dormierunt:* sed prohibetur obliuio, incogitantia, inconsideratio.

Debet igitur omnis fidelis, cui curæ est salus animæ suæ, singulis diebus, & manè & vesperi, clauso ostio cordis sui ad negotia cætera, attentè cogitare, sibique certo persuadere, diem illam, vel noctem illam facilè posse sibi esse postremam: ac per hoc seriò prouidere, ne sic imparatus inueniatur, vt animæ suæ & omnium simul bonorum detrimentum patiatur. Horrêt omninò mortales omnes mortem cogitare, & libenter auertunt animum ad alia cogitanda: sed horret etiam ægrotus pharmacum amarum, & tamen propter amorem vitæ libẽter illud sumit: & horrent oculi plagam horrendam in corpore suo videre, sed tamen attẽtè respiciunt, vt medicinam illi faciant. Sic igitur necesse est, vt homo prudens pluris faciat iacturam animæ, quam mortis horrorem: & ideò sæpè ac sæpius cogitet, nullam esse ætatem, nullamque esse horam, in qua mori non possit. Hæc enim cogitatio quando profundè ad cordis intima descendit, facilè totum hominem immutare solet, & de carnali spiritualem, de peccatore sanctum facere, vt iam non formidet, sed diligat aduentum Domini. Non sine causa Dominus noster tam sæpè hortatur vt vigilemus; nec frustra Ecclesiasticus monet, *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Quis enim cogitans se ad Iudicem properare, & breui ad tribunal eius esse sistendum, & in ipsum Iudicem peccare audeat? & tamen nos omnes per singula momenta properamus ad iudicium: & tanta est humana cæcitas, vt in ipso itinere ad iudicium, Iudicem ipsum iniuria afficiamus, & iram ipsius aduersus nos iustissimè prouocemus. Et quis iam damnatus ad mortem, dum ad ipsam ducitur, rideret & iocaretur, & de scortatione, vel adulterio, vel dignitate adipiscenda, vel pecunijs per mercaturam augendis loqueretur, nisi planè desiperet? & nos tamen ad mortem verè damnati sumus, neque vllus ex Adami filijs sententiam mortis euadit: & nostra mortalis vita nihil est aliud, nisi cursus ad mortem: & tamen in hoc itinere, quod longum esse non potest, quid faciunt plerique hominum etiam Christianorum? quid cogitant, quid loquuntur, quid tractãt, nisi de lucris, de honoribus, de voluptatibus, ne dicam de sceleribus & flagitijs, quasi via ad mortem nunquam finienda esset? Et quid est hoc aliud, nisi dormire ad seria, & vigilare ad ludicra? vel dormire, & dormiendo somniare?

Eccl. 7.

Iure igitur Dominus clamat: *Vigilate, vigilate*. & beati qui ad hanc vocem excitantur, & recogitant vbi sint, & quò eant, & interim dãt operam, vt lampas eorum luceat, & oleum in vase redundet; vt cùm clamor ille audietur, *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei*, continuò læti currant obuiam sponso, & ingrediantur cum eo ad nuptias. Væ autem illis, qui tam magnæ rei obliti, atque ad voces Scripturarum surdi, & lampadibus extinctis, dormientes inuenti, à nuptijs dulcissimis exclusi frustra clamabunt: *Domine, Domine, aperi nobis*.

CAPVT VII.

De Brauio.

EXPLICATIS nominibus parabolicis, quæ habentur in Euangelio, restat solùm, vt explicemus nomina quæ habentur apud Apostolum in Epistola priore ad Corinthios, quæ sunt *Brauium* & *Corona*. De brauio sic loquitur B. Paulus: *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Sic currite, vt comprehendatis.* Et quidem significari per brauium cœlestem beatitudinẽ, idem Apostolus docet in Epistola ad Philippenses, cùm ait: *quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Itaque brauium est in cœlo, atque ad illud nos vocat Deus per Iesum Christum. Quamuis autem brauium quod Principes mundi proponunt, non sit res adeò magna, tamen brauium cœleste non potest non esse omni ex parte splendidissimum: siue consideres Deum qui brauium proponit, qui est Princeps infinitæ potentiæ & magnificentiæ, de quo canit Propheta: *Eleuata est magnificentia tua super cœlos*: siue cogites athletas, quibus proponitur, qui sunt filij ipsius, & fratres Christi; quos certè Rex Pater ipsorum non inuitaret ad currendum, si brauium non esset res tanta, vt etiam à filijs Dei dignè appeti posset.

1. Cor. 9.

Philip 3.

Psalm. 8.

Illud ad nos magis pertinet, vt videamus, quid sit currere ad brauium, & qua arte poterimus ita currere vt comprehendamus. *Currere ad brauium* nihil est aliud, nisi Domini Dei nostri integrè mandata seruare. *Stadium* enim legem Domini esse, Dauid testatur, cùm ait: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. &: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*. Ergo qui per viam mandatorum currunt, illi in stadio ad brauium currunt. Porrò ars ita currendi vt perueniamus, & brauium apprehendamus, tria documenta complectitur. Primum illud est, vt à stadio nõ recedamus: qui enim recedunt à stadio, quantumuis celeriter currant, brauium nunquam attingent, quia non ad brauium, sed in incertum currunt. Quod se diligenter cuitasse Apostolus testatur, cùm ait: *Ego sic curro non quasi in incertum*. Quid est extra stadium currere? per viam mandatorum non currere, sed declinare ad dexteram vel sinistram. Exempli gratia, Lex dicit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Qui diligit proximum sicut se ipsum, in stadio currit, & ad brauium currit. Qui diligit proximum tanto ardore, vt propter proximum Deum offendere non vereatur, & ex homine idolum sibi constituit, is declinat ad dexteram, & extra stadium currit, & non ad brauiũ, sed in incertum currit: & quò celerius currit multiplicando beneficia in personã illam, quam sibi in idolũ erexit, tantò magis errat, & longius à brauio discedit. Qui verò minus diligit proximũ quam par est, & cũ eum videt necessitatem pati, viscera sua ab eo claudit, vt loquitur S. Ioannes, is declinat ad sinistram, & neque in stadio currit, neque ad brauium currit, etiam si alioqui multa bona opera facere videatur. oportet igitur diligere proximum vt seipsum, non magis,

Psalm. 118.

Leuit. 19.
Matth. 22.

1. Ioan. 3.

nec minus quam se ipsum: id est, debet erga proximum ita se gerere, vt proximis faciat, quod sibi vult à proximis fieri. Sic enim explicat hoc mandatum, qui mandatum dedit, Magister noster Deus. Et quod dixi de dilectione proximi, quod est mandatum affirmans, possumus etiam dicere de mandatis negantibus. Qui enim furatur res alienas, declinat ad dexteram mandati, *Non furaberis*, & à stadio recedit: qui verò non furatur aliena, sed profundit & prodigit sua, is declinat ad sinistram, & pariter exit à stadio. Iustus enim qui solus in stadio manet, non minus à stadio discedit si furetur aliena, quàm si prodigat sua; quia virtus liberalitatis quæ ad iustitiam pertinet, duo habet extrema vitia opposita, auaritiam, & effusionem. Summa est, Qui vult in stadio permanere, debet peccato letali omninò carere.

Math. 7. Luc. 6.

Alterum documentum est, vt currat velociter & perseueranter, qui brauium apprehendere desiderat. Ille velociter currit, qui ardenti volũtate mandata custodit, iuxta illud Psalmi: *Beatus vir qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.* & illud Apostoli: *Spiritu feruentes, Domino seruientes.* Ille perseueranter currit, qui nunquam fatigatur, neque cessat currere, sciens scriptum esse: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et quidem ista duo velociter currere, & non fatigari, nec intermittere cursum, videntur ferè contraria, aut certè difficilia valdè. Qui enim velociter currit, cito fatigatur, & cessat currere: & qui fatigari non vult, lentè festinat, & moderato gressu perseuerat in cursu. Vera sunt hæc, & ideò pauci perueniunt ad brauium. Omninò enim necesse est, qui brauium apprehendere cupit, vt & velociter, & perseueranter currat, quia tempus breue est, & iter longum. Sed si velint homines Christiani imitari currentes ad brauium corruptibile & modicum; facilè poterunt, & velociter, & sine intermissione currere ad brauium incorruptibile & maximum. Quid illi faciunt qui currunt ad brauium corruptibile & modicum? deponunt onera, exuũt vestes, expediti & liberi currunt. Hoc igitur Christiani faciant, deponant onera curarum huius mundi, exuant vestes carnalium cupiditatum, aut certè deponant & exuant inordinatum affectum ad bona terrena; & cùm hæc fecerint, non de suis viribus glorientur, sed in Domino sperent: & tunc querantur, si celeriter currendo fatigantur in cursu. Doctrina hęc Isaiæ & Pauli est, non mea. Isaias capit. 40. sic ait: *Qui sperant in Domino, current, & non laborabunt.* Apostolus verò, *Hoc*, inquit, *dico, fratres: Tempus breue est, reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquã non vtantur.* Quib. verbis non prohibet Apostol., ne Christiani coniuges habeant, & non lugeant in aduersis, & non gaudeant in prosperis, & nõ emant res necessarias, & non vtantur bonis huius mundi: sed admonet, vt in his omnib. eum modum adhibeant, & tam modico affectu illis adhæreant, ac si ad illos ea non pertinerent.

Psalm. 111. Rom. 12. Math. 10. 1. Cor. 7.

A Exemplo nobis sit sancta Melania matrona Romana nobilissima, de qua sic loquitur Sanctus Hieronymus in Epitaphio Blosillæ: *Sancta Melania nostri temporis inter Christianos vera nobilitas, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Quis illam non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus inuaderet? lacryma gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes aduoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit: Expeditius, inquit, tibi, seruitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti.* Hæc ille; qui hoc exemplo, tanquam egregio commentario declarauit, quid sit, qui habent vxores, & filios, & cætera mundi bona, tanquam non habẽtes sint, vt liberi & expediti currant ad brauium. B Sed maius adhuc exemplum habemus in Iob, qui vna die perdidit filios & filias omnes, totamq; substantiam suam, & plenus vlceribus in sterquilinio iacuit, qui paulò ante felicissimus erat inter omnes Orientales: & tamen, ac si ista ad eum non pertinerent, emisit vocem illam sapientia plenissimam: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Denique S. Petrus cum cæteris Apostolis, qui Christum ad brauium currẽtem primi secuti sunt, vt nos docerent, quid requiratur ad celeriter, & perseueranter currendum aiunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* C & Dominus approbans consilium eorum, respondit, brauiũ illis apertè promittens: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Iob 1. Math. 19.

Restat tertium documentũ, vt cum Christo iungatur, qui brauium exoptat. Nam vt Apostolus dicit: *Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* Ille autem vnus sine vlla dubitatione Christus est, qui *exultauit vt gigas ad currendam viam.* & de quo dicitur apud S. Ioannem: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Sed Christus non ascendit solus, sed cum illis omnibus, D qui cum ipso vnum sunt, id est, qui sunt membra viua & vera eius corporis, cuius ipse est caput. Itaq; frustra laborant omnes qui currunt, etiamsi erogent omnes facultates suas pauperibus, & tradant corpus suum, ita vt ardeat, nisi Christo iungantur per fidem & charitatem, & vnum cum illo fiant, vt ipse loquitur, cùm ait: *Sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

1. Cor. 9. Psalm. 8. Ioan. 3. 1. Cor. 13. Ioan. 17.

Sed est etiam alius modus coniunctionis cũ Christo, qui mirum in modum iuuat ad currendum velociter & perseueranter ad brauiũ. Is modus est vnionis oculi interioris cum ipso Christo, quatenus ipse est brauium. Christus enim vt homo, cucurrit ad brauiũ; & vt Deus, ipse est brauiũ. Ipse enim *est verus Deus, & vita æterna*, teste S. Ioanne; quod ipse quoque significauit, cùm ait: *Ego sum via, & veritas, & vita.* Ipse enim vt veritas nos ducit, vt via per se adducit, vt vita ad se perducit. Nihil igitur vtilius ad brauium obtinendum est, quàm

1. Ioan 5. Ioan 14.

ab ipso brauio oculos nunquam deflectere, & cum Propheta dicere: *Oculi mei semper ad Dominum*. Qui enim vnitum habet oculũ cordis cum brauio, non videt nec audit quid circumstantes dicant aut faciant, siue rideant, siue irrideant: non curat aliorum iudicia, siue laudent, siue vituperent; & cum Propheta dicit: *Factus sum sicut homo non audiens*: & cum Apostolo: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, & præterea quò magis propinquat, eò melius magnitudinem cognoscit brauij: quæ magnitudo vires addit, & facit vt homo, quamuis fatigatus & lassus, cursum non intermittat. Quicunque ergo ad cœleste brauium aspirat, à stadio mandatorum Domini non recedat: currat ardenter & perseueranter, & Christo per veram fidem & charitatem vnitus, ab ipso brauio cordis oculum nunquam auertat.

Psal. 24. — Psal. 37. — 1. Cor. 4.

CAPVT VIII.

De corona.

POSTREMVM nomen felicitatis æternæ corona iustitiæ est; de qua corona sic loquitur Apostolus in eodem loco, vbi de brauio locutus est: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptã.* Neque dubium esse potest, an hoc loco per agonem intelligatur cursus in stadio, vt sit eadem hæc similitudo cum superiore, an potius pugna & certamẽ, vt sit hæc similitudo à priore diuersa. Siquidem intelligi per agonem, certamen & pugnam, & esse hanc similitudinem diuersam à priore, demonstrãt illa verba paulò inferius posita: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans.* & illa in posteriore ad Timotheum: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* nam in vtroq; loco B. Paulus distinguit cursum à pugna, & in vna similitudine vtitur nomine brauij, in altera nomine coronæ; quæ sunt nomina satis apertè distincta.

1 Cor. 9. — 2 Tim. 4.

Porrò coronæ nomine significatur æterna felicitas, quæ apud Apostolum Paulum ad Timotheum dicitur *corona iustitiæ*, quia redditur tanquam merces operibus iustis. Apud S. Iacobum dicitur *corona vitæ*, quia continet vitam sempiternam. Apud S. Petrum *corona gloriæ immarcescibilis*, quia complectitur decus & splendorem honoris æterni. Deniq; apud Isaiã dicitur Deus ipse futurus *corona gloriæ residuo populi sui.* Ex quo loco intelligimus, coronam, de qua B. Paulus loquitur, & quæ datur victoribus in certamine, rem esse honorificentissimam & altissimam, cùm Deus ipse velit esse corona circumdans, ornans & glorificans capita residui populi sui, id est, paucorum illorum de populo suo, qui fortes in bello victoriam reportauerint. Nam, vt sæpè diximus ex testimonijs Scripturarum, *Multi sunt vocati, pauci verò electi*: & tanto erit illustrior corona Sanctorum in die iudicij, quantò paucioribus illa continget.

2. Tim. 4. — Iac. 1. — 1 Pet. 5. — Isa 28.

Videamus nunc in quo agone certandum nobis sit, & quid nos facere oporteat, vt victoriam obtineamus. Et sanè atrocissima pugna est, & periculosissima colluctatio quam inituri sumus; præsertim si comparetur ad certamẽ, in quo contendunt in terris homines in agone, pro corruptibili corona. Loquitur enim hoc loco Apostolus de ludicro certamine, quo in theatro pugnabant spectante populo, vel colluctatione, vel cœstibus. Isti igitur agonistæ pugnabant cum hominibus sibi similibus, & armis paribus, & pro corona vilissima, & sub periculo irrisionis vel ignominiæ popularis. At Christiani homines pugnare debent cum hostibus quos non vident, & à quibus ipsi videntur; & qui plurimi, & fortissimi, & astutissimi sunt; & armis imparibus, & coram Deo & Angelis eius, & pro corona vitæ æternæ, & sub periculo mortis perpetuæ; denique prælio non ludicro, sed verissimo & atrocissimo. Antagonistæ enim nostri dæmones sunt, quos Scriptura nunc leones, nunc dracones, nunc basiliscos appellat; & qui proditores habent in domibus nostris, concupiscentias videlicet carnis, quæ sunt in corporibus nostris, & militant contra animas nostras pro aduersarijs, vt S. Petrus docet, cùm ait: *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam.* Adde, quod miserrimum est, pugnam istam eodem fieri tempore, quo & cursus in stadio. Ideò enim Apostolus hæc duo coniunxit, vt intelligeremus, currentes ad brauium toto cursu impediri ab antagonistis, & oportere eos simul & pedibus currere, & manibus depugnare. O si Christiani ista cogitarent, & statum suum intelligerent, profectò non tam facilè tempus tererent in nugis temporalibus, in iocis, in ludis, in comessationibus, in augendis pecunijs, in aucupandis honoribus, quasi summa rei esset in tuto; sed audirent Apostolum clamantem: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo: induti loricam iustitiæ: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite; & gladium Spiritus, quod est verbum Dei: per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in Spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia.* Deus bone, qualis est hæc exhortatio! quàm plena terroris! quàm vehemens! præsertim si quis ponderet illa, *per omnem orationem, in omni tempore, in omni instantia.* Et tamen plerique nostrûm ita se gerunt, ac si neq; currendum nobis esset in stadio, neq; pugnandum in agone.

Ephes. 6. — Psal. 90. — 1. Pet 2. — Ephes. 6.

At quid, quæso, nobis agendum est, vt in hoc terribili agone victoriam de hostibus referamus? Paucis verbis hoc ipsum declarat Apostolus, cùm ait: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quorum verborum hæc sententia est: Athletæ illi, vt corruptibilem coronam accipiant, ab ijs omnibus se abstinent, quæ corpus debilitare, & ineptum ad pugnam illam ludicram reddere possunt, à nimio cibo & potu, à congressu cum vxoribus, à negotijs domesticis, ab alijs rebus omnibus, alioqui iucundis vel vtilibus, quæ victoriam in pugna impedire vel retardare possunt. Nos igitur, qui pro corona incorruptibili, in vero certamine desudamus,

1. Cor. 9.

multò magis abstinere debemus ab omnibus, quæ animam debilitare, atque ineptam ad pugnam istam seriam, & simul ad cursum in stadio facere possunt. Et quæ sunt quæ animam debilitant? Illa ipsa quæ corpus robustum reddunt, multus cibus, multus somnus, crebra deambulatio, hilaritas, iucunditas, cantus, sonus, lusus, aucupium, venatio, non multum legere, parum orare, nihil meditari, non lugere peccata, non facere fructus dignos pœnitentiæ. Ab his abstinere debet, qui animam vult esse robustam& idoneam ad currendum in stadio. *Attendite vobis*, Dominus ait, *ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa*. Contrà verò cibus animæ, qui illam robustam reddit, ieiunium est; refectio, & refocillatio animæ, oratio est, somnus animæ, salutaris contemplatio est; purgatio ab humoribus noxijs, confessio peccatorum est; gaudium & deliciæ animæ, lachrymæ sunt; triumphus animæ, crucifixio carnis, & concupiscentiarum est. *Qui* enim *sunt Christi*, inquit Apostolus, *carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs*. & hoc loco, *Ego*, inquit, *sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Ecce veram explicationem illorum verborum, *ab omnibus se abstinet*. Ego, inquit, sic pugno in agone, vt abstineam ab omnibus, quæ placent corpori, in quo sunt qui pugnant pro hostibus meis, concupiscentiæ carnales videlicet: & castigando corpus meum ieiunijs, & vigilijs, alijsque carnis macerationibus, & mortificationibus, in seruitutem redigo corpus meum, vt rebellare non posit ab imperio animæ, nec militare hostibus meis.

Luc. 21.

Gal. 5.

1. Cor. 9.

Sed quem non timere, ac toto corpore contremiscere faciant illa verba, *ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*? Si vas electionis, & à Deo ipso creatus Apostolus, & raptus in tertium cœlum, timuit reprobus fieri, si corpus suum non castigasset, & in seruitutem non redegisset: quis nostrûm reprobationem non timebit, nisi carnem suam crucifigat cum vitijs, & concupiscentijs? Hoc certè Apostolicum exemplum deberet omnes homines admonere, vt non audeant sperare victoriam, & coronam, nisi seriò ad cor redeant, & dignos pœnitentiæ fructus faciant, & spiritui carnem subijcere modis omnibus satagant. Et admiranda prorsus est multorum stultitia & cordis cæcitas, qui cùm nihil horum faciant, sed contra potius non solùm à rebus licitis, sed etiam ab illicitis non abstineant, tamen sic læti ac securi viuant, ac si de salute & corona gloriæ, promissionem à Deo certissimam, & apertissimam haberent. Sed hoc est argumentum, vt sæpè diximus, quod pauci sint qui saluentur, & multi sint vocati, pauci verò electi.

Quod miro modo confirmat Sanctus Ioannes Chrysostomus in homilia quadragesima, ad Populum Antiochenum, in qua multas rationes reddit, cur ex multitudine Christianorum innumerabili, pauci sint, qui saluentur, ac de ipsa Vrbe Antiochena, quæ vna erat ex maioribus totius Orbis terrarum, sic loquitur. Quot esse putatis in Ciuitate nostra, qui salui fiant? infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen, non possunt in tot millibus centum esse, qui saluentur; quin & de his dubito. Quanta enim in Iuuenibus malitia? quantus in Senibus torpor? & cæt.. Videat lector homiliam totam, quæ grauissima & vtilissima est.

Ad te igitur confugio, bone Domine, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ: concupisco toto desiderio animæ meæ brauium illud cœleste, & lucidissimam coronam, quam præparasti & promisisti diligentibus te. Cognosco magnitudinem agonis, & stadij longitudinem: experior imbecillitatem meam, & confiteor coram te, qui scrutaris renes & corda, modicam, ac penè nullam virtutem meam: nec ignoro vires magnas, & rabiem crudelem inuisibilium hostium meorum, qui concoquere non possunt, quod nos homunculi vocati simus ad gloriam illam magnam, vnde superbia illos deiecit. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: adauge vires, ne deficiam in via: pugnet pro me gratia tua, ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. Quod autem pro me postulo, id ipsum postulo pro fratribus meis omnibus; sed potissimum pro ijs, qui sunt à te in sublimitate constituti, siue Ecclesiasticis, siue sæcularibus: quorum tantò grandius est periculum, quantò functio excellentior; & tantò illustrior erit corona gloriæ, si rectè fungantur munere suo, quantò grauior damnatio, si culpa ipsorum animæ pereant, quas redemisti pretioso sanguine tuo.

CAPVT IX.

Epilogus totius operis.

EXPLICATIS considerationibus duodecim de æterna felicitate Sanctorum, illam conclusionem colligi posse video, Sanctorum felicitatem rem esse tum in se maximam, & eminentissimam, tum ab omnibus hominibus inprimis expetendam, & procurandam: sed viam ad illam inueniendam, & obtinendam esse angustissimam & laboriosissimam, vt, nisi quis apud se firmiter statuat omnibus viribus suis conniti & contendere, rebus alijs omnibus prætermissis, nunquam per eam penetrare, & multò minus ad optata gaudia peruenire posit. Ac vt breuiter hoc totum sub oculos subijciamus, placet omnes illas considerationes, & eorum præcipuas difficultates per modum epilogi breuiter recensere.

Primùm igitur considerauimus felicitatem æternam sub nomine Regni cœlorum: sed annexam illi vidimus difficultatem maximam ex libro Dei: quia scriptum est: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Matth. 11.

Deinde considerauimus eandem felicitatem sub nomine Ciuitatis Dei, siue cœlestis Ierusalem: & ibi quoque animaduertimus

A difficultatem non modicam; quia non possunt esse ciues Sanctorum, qui sunt ciues mundi huius: & difficillimum est in mundo viuere, & de mundo non esse. *Ephes.2.*

Tertiò considerauimus eandem felicitatem sub nomine Domus Dei, in qua mansiones multæ sunt: & animaduertimus, portam eius Domus esse angustissimam, vt non sine magno labore penetrari possit. *Matt 7.*

B Quartò considerauimus eundem beatitudinis locum sub nomine Paradisi: sed considerauimus simul, quam magno pretio non auri, vel argenti, sed lachrymarum, vel sanguinis emerit illum Dominus, & Martyres, & Confessores, atque adeò Sancti, & Sanctæ omnes. *Oportuit enim pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* *Luc.24.*

C Quintò considerauimus eandem felicitatem sub nomine Thesauri absconditi in agro: & simul aduertimus, non potuisse obtineri ab eo, qui inuenerat, nisi venditis omnibus quæ habebat. *Matth.13.*

Sextò considerauimus eandem sub nomine Margaritæ pretiosæ; pro qua etiam comparanda debuit emptor omnia bona sua distrahere, vt eam emere posset. *Matth.13.*

Septimò considerauimus eandem sub nomine Denarij diurni; qui non nisi laborantibus in vinea diligenter & assiduè datus est. *Matt.20.*

D Octauò considerauimus eandem sub nomine Cœnæ magnæ: & vidimus ea Cœna dignos non fuisse habitos, qui rebus temporalibus addicti erant. *Luc.14.*

Nonò considerauimus eandem sub nomine Gaudij Domini; ad quod ij soli admissi sunt, qui magno labore, & sollicitudine talenta sibi tradita multiplicauerant, reliquis in exteriores tenebras amandatis. *Matth.25.*

Decimò considerauimus eandem sub nomine Nuptiarum Regiarum, à quibus exclusi sunt omnes, qui somno dediti & inertiæ, in operibus bonis, & expectatione cœlestis Sponsi non assiduè vigilarunt. *Ibidem.*

Vndecimò considerauimus eandem sub nomine Brauij, quod illi soli apprehenderunt, qui velociter & perseueranter non sine labore & sudore ad brauium in stadio cucurrerunt. *1 Cor 9.*

Duodecimò considerauimus eandem sub nomine Coronæ, quam illi soli meruerunt, qui fortissimè pugnando aduersarium deiecerunt. *Ibidem.*

Itaque quocunque te vertas, & sub quocumque nomine Cœlestem felicitatem consideres, inuenies obtineri non posse, nisi totis viribus, atque omni animi, & corporis contentione desudes. Proinde, qui volunt Beati esse, quod nemo nisi amens non velle potest, torporem omnem excutiat, atque ad seriò laborandum, & bona omnia facienda, & mala omnia toleranda, tanto proposito præmio se accingat: & nulla omninò temporalia negotia huic magno, & verè soli negotio anteponat: & semper in mente retineat verba illa Sanctorum Pauli, & Barnabæ, quibus Christianos exhortabantur: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* *Act.14.*

§(*)§



F I N I S.



ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, EX SOCIETATE IESV, S.R.E. CARDINALIS

DE GEMITV COLVMBAE,

Siue

DE BONO LACHRYMARVM,

LIBRI TRES,

Ad ipsam eandem Religionem suam.

REVERENDIS PATRIBVS,

Et charißimis Fratribus

VNIVERSAE SOCIETATIS IESV,

ROBERTVS S. R. E. CARDINALIS BELLARMINVS *ex eadem Societate, F. AE.*



IBELLOS tres, quos de gemitu Columbæ conscripsi, iure mihi videor, Patres Optimi, nomini vestro dicare debuisse, aut certè potuisse. Nã & ego à prima adolescentia Societati IESV, ipso spiritu IESV vocante, nomen dedi: & in eius sinu de lacte eius suxi, & in eius contubernio de cibo eius sumpsi, & sub eius regimine lac, & cibum infantibus & adultis longo tempore ministraui. Et ipsa Societas, vt membrum viuum, & verum gementis Columbæ, id est, militantis Ecclesiæ, non solùm gemere non cessat; sed etiam Columbæ velocitatem imitata, ab ipso suo exordio, ad extremas vsque Mundi partes volare non dubitauit: & Columbæ fœcunditatem, diuino munere, nacta, breui sic excreuit in gentem magnam, vt prouincias Orbis terræ penè omnes complexa esse videatur: ac denique more columbino irã sine felle, in corde, & in lingua ferens, & irascitur vitijs, & bellum cum erroribus gerit. Accessit & alia causa dedicandi huius opusculi fratribus meis. Nam cum Septembri mense proximè elapso, more mihi solito, negotijs alijs intermissis, Deo soli, & mihi vacarem, inspirante Domino, ardere cœpi desiderio excitandi Christi fideles ad gustandum bonum spiritualium lachrymarum, illos, inquam, fideles, qui hoc ingens bonum nondum per experientiam nouerant. Neq; enim me fugit, semper fuisse, & nunc etiam esse in Ecclesia Dei viui perfectos viros, qui instar Columbæ semper gemant, & meis adhortationibus non indigeant. Itaque scripsi opusculum de Bono lachrymarum, quod fratribus meis potißimum nuncupare constitui, quoniã nullis alijs æquè facilè studium lachrymarum quærendarum, quod primo aspectu horridum, molestumque apparet, persuadere me posse speraui, quam ijs, quos fraternus amor mihi à prima ætate coniunxit. Id verò libentius feci, quod intelligerem, cohortationem meam non tendere ad aliquid nouum, vel insolitum Societati. Habent enim seniores apud nos exemplum illustre Fundatoris. Tanta enim copia lachrymarum Beatus Ignatius in precibus abundabat, vt necessarium ei fuerit, ab ipso Domino temperamentum petere. Et (quod planè admirabile est) eam à Domino gratiam impetrauit, vt quasi habenas lachrymarum in manu sua haberet, quando vellet, ipse lachrymas funderet, & quando vellet, continuò sisteret, ne nimia profusio lachrymarum oculos læderet. Quod priuilegium quàm fuerit singulare, cognosci potest ex Ioanne Casiano, qui collatione priore de oratione, demonstrat, donum lachrymarum sic aliquando non petentibus dari, vt alias rogantibus, & quærentibus, & pulsantibus, ne gutta quidem ex arido corde exprimi queat. Habent quoq; ijdem seniores nostri (vt alia multa prætercam) exemplũ Beati Francisci Xauerij, de quo illud constat, tanta copia spiritualium consolationum, & lachrymarum suauißimarum abundasse, vt ipse quoque temperamẽtum à Domino petere cogeretur. Habent denique iuniores nostri exempla duorum adolescentium nobilißimorum, non minus virtute, quàm sanguine,

Hist. Societ. li. 16. n 103.

Coll. it. 1. de orat. ca. 26. & 27.

Hist. Societ. li. 6. ca 106.

Vita B. Stanislai. *Vita B. Aloysij 2. c. 3.* Beati videlicet Stanislai Kostca, & Beati Aloysij Gonzagæ, qui flumina lachrymarum, præsertim in precibus fundere videbantur. Sed non omnes Religiosi ad eam mensuram gratiæ perueniunt, vt cohortationibus non indigeant. sunt enim in amplis familijs, perfecti nonnulli, plures proficientes, plurimi incipiẽtes, quibus non sola exempla sufficiunt, sed lectione quoque librorum, & cohortationibus adiuuantur. Accipite igitur fratres mei charissimi, & desideratissimi munusculum à me leue, & exiguum, sed non paruo affectu donatum. Ac dum vobis ipsi à Patre cœlesti irriguum superius, & inferius, non sine ardenti suspirio petitis, mihi quoque idipsum donum vestris orationibus, & suspirijs impetrate. *Iosue 15. Iud. 1.*

PRÆFATIO.



SCRIPSI *anno superiore De æterna felicitate Sanctorum, vt ipse me iam senem, & morti propinquum, seriò excitarem ad rem tantam toto animo concupiscendam, & gratiam Dei sollicitè, & assiduè implorandam. Dum autem apud me hoc præsenti anno in solito meo recessu cogitarem, quid facto opus esset, vt veram viã ad vitam æternam inuenirem, illud Psalmistæ in mentem venit*, Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? *Animaduerti autem, non ob solam velocitatem, columbam potius, quàm aliam volucrem à Propheta esse nominatam: scimus enim non deesse aues, qui columbæ volatum superent, vel adæquent. Itaque cogitaui, columbam esse animal simplex, purum, fœcundum, sine felle, & quod ei proprium est, assiduè gemens; atque his de causis, non dictum esse, quis dabit mihi pennas, sicut hirundinis, aut accipitris, vel aquilæ; sed sicut columbæ: tunc enim nobis proderit volatus contemplationis ad veram requiem obtinendam, si simplices fuerimus, sine malitia, & puri à sceleribus, & fœcundi operum bonorum, & sine felle odij peccatoribus irascemur, ac errata subditorum nostrorum cum beneuolentia castigabimus; & quod est potissimum, assiduo gemitu, exclusis nugis, & iocis, risu & cantu profano, atque alijs carnalibus oblectationibus, & temporalibus gaudijs per hanc lachrymarum vallem iter faciemus.* *Psalm 54.*

Propositum igitur mihi est, in præsenti vacatione, orando, & meditando scrutari, quid liber Dei de salutifero gemitu nos admoneat: & quæ sit materia gemitus columbini: & denique quem fructum gemitus iste pariat. Quamuis autem tristis, & odiosa disputatio de gemitu, & lachrymis futura esse videatur; tamen tristitia hæc tam ingenti gaudio compensabitur, vt felix tristitia dici possit. Nam, vt Apostolus loquitur in epistola posteriore ad Corinthios, Tristitia secundum Deum salutem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.

Sed antequam lachrymarum necessitatem, materiam, & fructum explicare incipiam, necesse erit breuiter aperire, de quibus lachrymis loqui nobis propositum sit. Sunt enim tria genera lachrymarum, cùm aliæ sint naturales, & neque per se bona,

A *neque per se mala: aliæ malæ, & perniciosæ: aliæ bonæ, & salutares. Lachrymæ naturales illæ sunt, quas communes mundi ærumnæ producunt, iactura diuitiarum, mors charorum, morbi varij, iniuria accepta, & alia id genus. Lachrymæ perniciosæ sunt, quas exprimunt vitia, astutia, hypocrisis, simulatio; quales sunt lachrymæ meretricum, quæ sunt lachrymæ Crocodili; & quales exprimit aliquando Diabolus ipse. Istas igitur lachrymas omnes, tum naturales, tum Diabolicas hoc loco præterire intendimus. Sola restant lachrymæ salutares, quæ à Spiritu sancto, tanquam à fonte procedunt, dicente Apostolo in epistola ad Romanos*, Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom 8.* *Dicitur enim spiritus postulare, quia facit nos postulare, & quidem gemitibus non naturalibus, non ordinarijs, sed quos lingua humana exprimere non*

B *potest. Ista est pluuia voluntaria, quam Deus segregauit hæreditati suæ. nam lachrymæ humanæ non tam pluuiæ, quàm aquis lacuum, & paludum comparari debent. Pluuiæ enim de cœlo descendunt, & campos, & hortos fœcundant: quod lacus, & paludes facere non possunt.* *Psalm. 67.*

Sunt autem duo genera piarum lachrymarum: aliæ enim sunt signa odij, aliæ dilectionis, aliæ doloris, aliæ gaudij. Lachrymæ contritionis sunt signa odij erga peccatum: lachrymæ desiderij videndi Deum, sunt signa amoris: & priores sunt etiam signa doloris, posteriores signa dilectionis. Atque hæc est causa, cur tanti fiant à Deo, quia testantur odium erga peccatum, & amorem erga Deum: alioqui lachrymæ quid sunt, nisi modica aqua ex capite

C *defluens, quæ tanquam excrementum eijcitur per canales oculorum? Id quod S. Basilius ostendit in oratione de gratiarum actione, vbi ex arte medicinæ declarat originem lachrymarum. Hæc duo lachrymarum genera, sunt illa duo irrigua, inferius, & superius, quæ postulauit Axa in libro Iosue, de qua figura pulchrè disputat Sanctus Gregorius in libro 3. Dialogorum. & in Epistola ad Theotistam. Hinc nonnulli lachrymas salutares comparant cum diluuio Noe, quod totum fuit à Deo, sed partim è fontibus abyssi diruptis, partim à pluuijs de cœlo manantibus productum. Siquidem lachrymæ significantes odium, & dolorem, à fontibus abyssi scaturiunt; lachrymæ amoris, & lætitiæ de cœlo descendunt: omnes tamen à Deo manant.* *Iosue 15. Lib. 3. c. 34. Lib. 6. ep. 23.*

Quamuis autem lachrymæ istæ dona sint Dei, nõ ideò tamen expectare debemus, vt nobis dormientibus, & nihil agentibus dentur. Nam etiam sapien-

D *tia vnum est, & præcipuum inter septem dona Spiritus sancti, & tamen S. Iacobus dicit*: Si quis ex vobis indiget sapientia, postulet eam à Deo, qui dat omnibus affluenter. *Sed postulanda sunt dona ista optima, & perfecta, sicut oportet: ideò adiungit idem Apostolus*, postulet autem in fide nihil hæsitans. *& infra*, Non habetis, propterea quod non postulatis; petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis. *Itaque petendum est donum lachrymarum, magna cum fiducia, & cum non minore desiderio, iuxta admonitionem S. Gregorij lib. 3. Dialogorum*: A Creatore nostro (inquit) cum magno desiderio quærenda est lachrymarum gratia. *Atq; hæ sunt lachrymæ, de quibus solis, Domino adiuuante, in præsenti opusculo scribere nunc aggredimur.* *Iac. 1.* *Iac. 4.* *Lib. 3. ca. 34.*

* * *

DE

DE GEMITV COLVMBAE, Siue DE BONO LACHRYMARVM, LIBER I.

De necessitate gemituum, ex Psalmis.

CAPVT I.



NECESSITATEM gemendi demonstraturus ex Scripturis sanctis vtriusque testamenti, ac deinde ab exemplis, & doctrina Sanctorũ, à testimonijs Dauidis exordiar. siquidem psalmi Dauidis pleni sunt gemituum, & lachrymarum. Sed quia Dauid, vt plurimum de lachrymis suis loquitur, tres solùm versiculos considerabimus, in quibus Dauid omnes hortatur ad lachrymas, quasi ad officium proprium Sanctorum, qui pertinent ad columbam. Vnus versiculus est in psalmo 83. qui sic habet: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* Alter versiculus est in psalmo 94. cuius hæc sunt verba: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Tertius versiculus est in psalmo 125. *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.*

Primus versiculus tria requirit ab eo, qui ad culmen beatitudinis peruenire desiderat. Primum est, vt de sua virtute diffidens, de auxilio Dei valdè confidat. sic enim ait: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te.* (Psalm. 83.) hoc est, ille beatus est in spe, & beatus erit in re, qui non confidit in virtute sua, sed in auxilio Domini; & ideò auxilium eius non est à se, sed abs te. Nihil enim magis odit omnipotens, quàm superbiam eius, qui per elationem mentis excæcatus, non agnoscit imbecillitatem suam. Alterum est, vt non ita confidat in adiutorio Altissimi, vt existimet, nihil à se fieri oportere: necesse est enim, vt liberum arbitrium cooperetur gratiæ, iuxta illud Apostoli in priore ad Corinthios: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum.* (1. Cor. 5.) Vbi non dixit Apostolus, non autem ego, sed gratia Dei, ne fortè suspicaretur aliquis, nihil à nobis requiri, nisi vt sinamus Deum per gratiam in nobis operari: addit igitur, *mecum*, vt significet, nos cooperatores, & coadiutores Dei in opere nostræ salutis esse debere, vt idem Apostolus in priore ad Corinthios docet, cùm ait; *Dei adiutores sumus.* (1. Cor 3.) Ideò subiungit Propheta: *Ascensiones in corde suo disposuit*, id est, non expectauit, vt auxilium gratiæ Dei illum iacentem, & dormientem sursum eueheret; sed ipse præuentus, & adiutus gratia Dei, disposuit ascensiones in corde suo: proposuit videlicet, non tã corpore, quàm corde ascendere de virtute in virtutem, quousq; culmen perfectionis

A attingeret. Tertium est, vt ascensio ista fiat in valle lachrymarum, in loco, quem ipse sibi posuit. Deus enim posuerat hominem in Paradiso, vbi non erat opus in ascendendo laborare; sed ipse homo posuit sibi locum, merito culpæ suæ, in valle lachrymarum, vnde cum gemitu & lachrymis, non sine magno labore, & fatigatione est ascendendum. Dicitur autem vallis lachrymarum locus, vnde ascensio disponenda est; quoniam nemo potest in tam laborioso itinere perseuerare nisi identidem ad Deum gemat pro nouo auxilio, & pane lachrymarum reficiatur, iuxta illud eiusdem Prophetæ: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte.* (Psalm. 42.) Hinc videlicet intelligere possumus, quantum aberrent à via, quæ ducit ad montem Dei, qui vallem lachrymarum declinare

B conantur, & per prata floribus referta discurrere malunt, iuxta illud Sapientiæ: *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* (Sap. 2.) qui postea frustra queruntur, & dicunt: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.* (Sap. 5.) Nec minus aberrant, qui per vallem lachrymarum, sine lachrymis, & gemitu ascendere se posse confidunt. Eiusmodi autem sunt, qui corde arido sine attentione, & sine deuotione, nec sine mentis euagatione aut orant, aut psallunt, aut libros Dei curiosè magis, quàm piè legunt.

Sed veniamus ad alterum psalmi versiculum: *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus coram Domino, qui fecit nos.* (Psalm 94.) Illud, *Venite*,

C vox est inuitantis, & cohortantis. Inuitat enim Rex Dauid, & cohortatur populum Dei, vt conueniat ad Deum honorandum, & laudandum corde, voce, & opere. Frequens est in Scripturis hæc inuitatio per verbum, *Venite*, non solùm ad bona opera, sed etiam ad mala. *Venite faciamus nobis ciuitatẽ, & turrim, quæ pertingat ad cœlum*, (Gen 11.) dixerunt in Genesi gigantes Babylonij. *Venite descendamus, & confundamus linguam illorum*, dixit ibidem Deus ad Angelos ministros iræ suæ, vel Deus Pater ad Filium, & Spiritum sanctum, contra gigantes Babylonis. *Adoremus.* Hoc verbum ad spiritum pertinet. Nam *spiritus est Deus: & eos, qui eum adorant in spiritu, & veritate adorare oportet.* (Ioan. 4.) Siquidem adoratio externa per genu-

D flexionem, vel prostrationem, exhiberi solet tum ipsi Deo, tum etiam hominibus. Nam in Genesi Abrahamus adorauit populum terræ: (Gen. 23.) & in libro tertio Regum, Nathan propheta (3. Reg. 1.) adorat Regem Dauid pronus in terra. quod idem paulò post facit Bethsabee vxor Regis. Sed adoratio per internam agnitionem creatoris, & humiliationem, ac reuerentiam, quæ debetur primo principio, & supremo fini omnium rerum, propriè soli conuenit Deo. *Et procidamus*, Hoc refertur ad reuerentiam corporalem, quæ Deo debetur, vt supremo, & altissimo Regi, & Domino rerum omnium. Quo enim est persona sublimior, cui reuerentiam exhibemus, eo submissio, & humilitas debet esse profundior. Dicitur ergo, *Adoremus, & procidamus*, vt simul mente, & corpore diuinæ Maiestati debitum obsequium deferamus. *Et ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Hæc vox postrema simul ad spiritum, & ad

corpus pertinere videtur. Ploratus enim, vt sonus oris, corporalis est, vt vero significat affectum mentis, spiritualis esse dignoscitur. Sed quorsum ad mentis adorationem, & corporis prostrationem additur ploratus? an non magis reuerentiam illam exultatio, aut iubilatio comitari debuisset? Certè psalmus in principio sonuit, *Venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro*. Sed maluit Propheta sanctissimus, & sapientissimus ploratum nominare, quoniam ploratus non minus ad exultationem, & iubilationem, quàm ad supplicationem, & orationem pertinet; nec minus ad res bonas obtinendas, quàm ad malas deprecandas accommodari potest. Est enim ploratus quasi condimentum desideriorum, & postulationum, & quasi viua quædam rhetorica ad commouendos animos, & res persuadendas aptissima. Ait igitur Propheta: *Ploremus coram Domino, qui fecit nos*; ac si dicere voluisset, ploremus præ gaudio, quia is, qui nos fecit, optimus, & amantissimus pater noster est. Ploremus præ tristitia, quia parentem optimum, & iustissimum ad iracundiam prouocauimus. Ploremus præ gaudio, & amore, quia Dominus, qui fecit nos, *suauis, & mitis est, & multæ misericordiæ*. (Psalm 89.) Ploremus præ tristitia, & timore, quia *iustus est Dominus*, qui fecit nos, *& iustitiam dilexit, & æquitatem vidit vultus eius*. (Psalm. 10.) Ploremus præ lætitia, & exultatione, quia Dominus, qui fecit nos, *non vult mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat*. (Ezech. 34.) Ploremus præ sollicitudine, & pauore, quia Dominus, qui fecit nos, *arcum suum iam tetendit, & parauit illum, & exacuit sicut fulgur gladium suum*. (Psalm 7. Deut. 32.)

Igitur ex hoc versiculo non minus, quàm ex priore discimus, valdè necessarium esse gemitum ad Deum. Et cum Ecclesia mater nostra singulis diebus ad preces matutinas, iubeat nos vel publicè in templis, vel priuatim in cubiculis frequentare versiculum istum, ac dicere, *Ploremus coram Domino, qui fecit nos*: mirum valdè est, quod tam pauci ex nobis, Spiritum sanctum in Propheta suo clamantem, & Ecclesiam matrem monentem, vt ploremus quotidie coram Domino, vel non audiant, vel negligant implere, quod audiunt. Certè verendum est, ne impleatur in nobis, quod Isaias de Iudæis aliquando pronunciauit, (Isai. 6. Matth. 13.) *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, vt sanem eos*. Profectò enim, si quotidie cum gemitu columbino ploraremus coram Domino, qui fecit nos, id est, coram omnipotente, & amantissimo Patre nostro, quid non impetraremus? Quomodo non mutaremur in viros alteros? An non ascenderemus quotidie de virtute in virtutem? non est Deus auarus distributor donorum suorum, (Iac. 1.) *qui dat omnibus affluenter, & non improperat*, vt loquitur Sanctus Iacobus: sed ideò non accipimus, quia non magnificamus dona Dei, neque gratiam remissionis peccatorum, neque ipsam vitam æternam. Si enim ista magnificaremus, frequenter, ardenter, cum clamore valido, cum gemitu, & lachrymis peteremus. sic enim petunt temporalia bona ciues huius mundi, qui illa valdè diligunt: sic etiam petunt, & accipiunt veri serui Dei dona cœlestia, qui illorum pretium nouerunt, sed hi pauci sunt; illorum infinitus est numerus.

Postremus versiculus apertissimè docet lachrymarum necessitatem. Neque enim salui esse possumus, nisi seminemus opera bona. Voluit enim Deus salutem æternam esse mercedem operum bonorum. qui autem seminant opera bona, sine dubitatione in lachrymis seminant, vt in exultatione metant. Opera enim verè bona laboriosa, & difficilia sunt: & quemadmodum seminatum triticum indiget pluuia, & sole; sic opera bona indigent imbre lachrymarum, quibus gratia Dei, quæ instar caloris solaris est, impetretur. Ideò enim subiungit Propheta: *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Igitur, qui cupit in altera vita cum exultatione metere, non parcat laboribus, neque gemitibus in hac valle lachrymarum.

CAPVT II.

De necessitate gemituum, ex Canticis.

POST Dauidem sequitur filius eius Salomon, qui in canticis, vbi describit amorem Christi & Ecclesiæ, non alia de causa Christi sponsam comparat columbæ, nisi quia columba non aliam vocem emittere solet, quàm gemebundam, & flebilem; cum pleræque aues vel dulciter canant, vt philomelæ; vel leuiter garriant, vt hirundines; vel vt corui crocitent; vel inconditas voces emittant, vt ciconiæ, grues, & aliæ. Porrò columbarum proprium esse gemitum, testatur Isaias cùm dicit: *Quasi columba meditantes gememus*. (Isai. 59.) & Nahum: *Ancillæ eius minabantur gementes, vt columbæ*. (Nahu. 2.) In canticis canticorum sponsa mystici Salomonis nihil frequentius dicitur, quàm columba. *Ecce*, inquit, *tu pulchra es amica mea. oculi tui columbarum*. (Cant. 1.) & paulò infra: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ ostende mihi faciem tuam*. (Cant. 2.) & rursum: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*. & iterum: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*. (Cant. 4.) & denique: *Vna est columba mea, perfecta mea*. (Cant. 6.) Ista autem sponsa in cantico amoris, summa Interpretum consensione, Ecclesia est & sponsus Christus, iuxta illud Apostoli in Epist. ad Ephesios: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita mulieres viris suis. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*. (Ephes. 5.)

Quamuis autem Christi sponsa sit Ecclesia, tamen omnes illi, & soli illi ad sponsam pertinent, qui sunt membra Ecclesiæ non solùm vera, sed etiam viua, & quoniam membrum Ecclesiæ principale, & eminentissimũ est bea-

tissima

tissima Virgo Maria, verè immaculata, & perfecta, atque dilecta: ideò per antonomasiam ipsa Virgo sanctissima, inter omnia membra Ecclesiæ, dicitur sponsa, & amica, & columba. Dixi autem, illos dici posse sponsas Christi & columbas, qui sunt membra Ecclesiæ, non solum vera, sed etiam viua: quoniam Christiani illi, qui fidē habent sine charitate, quiq; confitentur, se nosse Deum, factis autem negant; & qui nec puritatem cordis, nec fœcunditatem operum, nec gemitum columbæ habent: hi ad columbam non pertinent, nisi vt membra arentia, & mortua. vel, vt loquitur sanctus Augustinus, ad Ecclesiam pertinent, numero, non merito. Porrò signum certissimum eorum, qui pertinent ad columbam, gemitus est. sic enim loquitur sanctus Augustinus: *Nihil tam amicum gemitibus, quàm columba, quæ die noctuque gemit.* & idem Sanctus Augustinus lib. 3. de Baptismo contra Donatistas dicit, raptores & auaros non pertinere ad columbam, sed ad accipitres; columbam enim gemere, non rapere.

In Psal. 54.

Cap. 17.

Iam igitur si proprietas columbæ est, non canere, non garrire, sed gemere, & frequentissimè, ac penè assiduè gemere: in quo numero illos ponemus, qui nunquam gemunt in oratione ad Deum; quin potius gemitum istum horrent, & fugiūt, & si psalmos legunt, voce psallunt, non mente; & si orant, lingua orant, non corde; semper autem canunt, vel garriunt, id est, voluptatibus seculi dediti, totos se hilaritati, & ludis, ac iocis, comessationibus, venationibus, spectaculis impendunt? Quæ pars istis cum columba, sponsa Christi? cum coruis potius partem habebunt. Sed illud est hoc loco non prætereundum, ad eorum consolationē, qui gratiam abundantium lacrymarum non habent, quòd columba non largo fletu terram rigat, sed gemit. sic etiam in Ecclesia, quæ per columbam significatur, nō desunt, qui copiosas lacrymas fundere nequeunt, vt Sanctus Athanasius docet in libro de Virginitate, & vsus fidelium idem confirmat. Ergo quicunque Christiani sumus, si non solo numero, sed etiam merito ad columbam pertinere desideramus, cum columba frequenter gemamus; nam si cum columba non gememus, ad columbam non pertinebimus: & si ad columbam non pertinebimus, neque ad Christum pertinebimus: & si ad Christum non pertinebimus, horreo dicere ad quem pertinebimus. Auertat Deus tantum malum à seruis suis, quin potius det eis laborare vsque ad mortem in gemitu suo, & vt oculi eorum vertantur in fontes lacrymarum, vt columbæ adiuncti in terris, ad sponsum columbæ peruenire mereantur in cælis.

CAPVT III.

De necessitate Gemituum, ex doctrina Ecclesiastæ.

IDEM Salomon, qui Canticum canticorum composuit, in gratiam hominum perfectorum, qui cum sponsa in amoribus sponsi cœlestis iugiter occupantur: scripsit etiam librum, qui inscribitur Ecclesiastes, in gratiam hominum imperfectorum, vt eos ab amore mundi, & omnis vanitatis auerteret. Atque vt eis persuaderet, vera esse, quæ scripsit, addidit in extremo libro hæc verba: *Cùm esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat, & inuestigans composuit parabolas multas. Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.* Verba igitur, quæ modo in medium proferemus, quamuis stultis hominibus incredibilia videantur, sunt tamen, Spiritu S. attestante, rectissima, ac veritate plenissima. Sic igitur loquitur cōcionator sapientissimus: *Dixi ego in corde meo, vadam, & affluam delitijs, & fruar bonis. & vidi, quòd hoc quoque esset vanitas. Risum reputaui errorem: & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Et infrà: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum: & viuens cogitat quid futurum sit.* & infrà: *Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum, vbi lætitia.* Hæc ille, qui non ex contemplatione, & meditatione sola, sed ex longo experimento loquitur: quippè, qui abundauit ijs omnibus rebus, quæ vulgo maximi fiunt, diuitijs, voluptatibus, honoribus, imperij maiestate. Quare sicut iure non credimus hominibus imperitis, & inexpertis, sic optimo iure Salomoni sapiētissimo, & qui experimentum omnium rerum habuerat, fidem habere debemus. Ait igitur, vanitatem esse, affluere delicijs, & frui temporalibus bonis. Et quamuis hæc persuaderi vix possint hominibus huius mundi, qui columbæ gemitum ignorant; tamen verissima sunt. Siquidem affluentia deliciarum, modicam, & breuem delectationem corpori adfert, sed magna, & diuturna sollicitudine mentem replet, magnos etiam, & diuturnos sæpè morbos generat; & quod caput est, magnorum scelerum, & facinorum causa est, quæ vel magno, & diuturno labore pœnitentiæ in hac vita expianda, vel in futura sempiternis supplicijs punienda erunt. Verè igitur scribit Ecclesiastes, affluentiam deliciarum vanitatem esse, id est, bonum apparens, non verum; vanum, non solidum; quod videtur esse aliquid, cùm nihil sit.

Eccl. 12.

Eccl. 2.

Eccl. 7.

Ex qua sententia deducitur illa, quæ sequitur: *Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Risus opponitur luctui, & gaudium mœrori: verè autem errant, qui rident, cùm flere deberent, & frustra decipiuntur, qui gaudent, cùm tristari eos oporteret. Nec sine causa additur vox illa, *frustra*, quia sine vlla causa, vel vtilitate se decipi sinunt, qui rident, & gaudent, cum tempus est gemendi, & flendi. In exilio sumus, in medio versamur hostium, per vallem lacrymarū iter facimus: vnde igitur nobis ridendi potius, quā gemendi; & gaudendi quàm plorandi voluntas adest, nisi quia erramus, & decipimur?

Porrò ex hac secunda Salomonis sententia recto ordine sequitur tertia: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Vtilius videlicet est, ire ad domum, vbi mortuus homo cum mœrore circumstantium iacet; & flere cum flentibus; tristari cum tristibus, quàm ire ad domum conuiuij, vbi cum lætitia bibitur vinum, & cum voluptate come-

duntur pinguia; & sic gaudere cum gaudentibus, & exultare cum exultantibus. Quis ista crederet, nisi à sapientissimo virorum omniũ, imò ab ipso Spiritu S. qui veritatis spiritus est, dicerentur? Et tamen spiritum eundem habẽtibus credibilia facta sunt nimis, ijsque solis, qui ad columbam gementem non pertinent, & qui spiritum huiusmodi non habent, non incredibilia solùm, sed etiam falsa, & deridenda esse videntur. Sed mors hominis, & iudicium Dei cùm aduenerint, vera fuisse demonstrabunt, quæ Salomon scripsit, non quæ mundi amatores sibi finxerunt. Quod ipsum Salomon illis verbis significauit: *In illa enim* (in domo videlicet luctus) *finis cunctorum admonetur hominum: & viuens cogitat quid futurum sit.* id est, in domo luctus, vbi mortuus iacet, admonentur, qui ibi sunt, se quoque breui esse morituros, & cogitare incipiunt, quid facto opus sit, vt non improuisa mors eis adueniat, neq; antea rapiantur, quam Iudicem omnium Deum debita satisfactione placauerint.

Eccl. 7. Restat postrema sententia eiusdem Ecclesiastæ, quæ ex tertia superiore dependet: *Cor,* inquit, *sapientium vbi tristitia est: cor stultorum vbi lætitia.* Sine dubitatione enim sapientes sunt, qui eligunt meliora; stulti, qui deteriora. præsertim si sapientes non verbo, & lingua, sed corde, & consilio, id est, re tota diligenter, & maturè considerata, eligunt gemere, & tristari in hoc tempore, quod præterit velut vmbra, & in quo nihil est tutum, nihil stabile, nihil à periculis, & tentationibus vacuum. Et contra verè stulti dici possunt, qui non repentino aliquo motu feruntur in res lætas, sed ex corde, & animi deliberatione, & certo consilio eligunt, totos se effundere in lætitiam, quasi bona temporalia cum tempore non transirent, & res caducæ nunquam essent casuræ.

Tract. 6. in Ioan. Præclarè S. Augustinus. *Cui benè est*, inquit, *in hoc seculo, imò qui putat, quod benè ei sit, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia temporalium, & vana felicitate exultat; habet vocem Corui: vox enim Corui clamosa est, non gemebunda: Qui autem nouit, in pressura se esse mortalitatis huius, & peregrinari se à Domino, nondum tenere illam perpetuam, quæ nobis promissa est, beatitudinem: qui hac nouit, gemit, & quamdiu propter hac gemit, benè gemit.* hæc sanctus Augustinus, qui Salomonẽ imitatus, rectissimè, postquã dixerat, *cui benè est in hoc seculo*, quasi corrigendo addidit, *imò, qui putat, quòd ei benè sit.* Verè enim non benè illi est, qui lætitia rerum carnalium, & abundantia temporalium, & vana felicitate exultat; sed somniat sibi benè esse, & somno illo sopitus non videt veram paupertatem suam, neque aduertit vera pericula, in quibus versatur: & ideo falsa imagine felicitatis delusus, non gemit, vt columba sapiens ad eum, qui potest ex omni periculo eruere, & veris diuitijs cumulare; sed (vt Osee Propheta de Ephraim loquitur) *quasi columba seducta non habens cor, à gemitu cessat, & laqueis venatorum capitur.* Osee 2.

Capvt IV.

De necessitate Gemituum, ex Isaia Propheta.

Isaias Propheta præuidens grauia mala impendentia Vrbi Hierosolymitanæ, sic ea deplorat: *Recedite à me, amarè flebo: nolite incumbere, vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei.* Et infrà: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctũ, ad caluitiam, & ad cingulum sacci. Et ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus: cras .n. moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum, si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.* Isaiæ 22.

In his plangit Isaias ruinam populi sui, eo prorsus modo, quo Dominus vidẽs ciuitatem eandem, fleuit super illam, vt sanctus Lucas refert. Fuerunt autem eæ sanctæ lachrymæ, videlicet ex fraterna, vel paterna potius charitate manantes. Atque vt ostendat Isaias, placere Domino lacrymas pœnitentium, inducit Dominum ipsum inuitantem populum ad fletum, & planctum, & ad caluitiam, id est, rasuram capillorum, & cingulum facci, quæ erant signa pœnitentiæ. Sed quia populus contempsit diuinam cohortationem ad fletum, & planctum; & contra potius dedit se lætitiæ, & gaudio, conuiuijs, & compotationibus; & more infidelium dixerunt: *Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur*; iratus Deus iurat, hanc iniquitatem non esse illis dimittendam; sed omnes illos contemptores Dei, & Prophetæ sui miserrimè morituros. Ex his manifestè colligitur necessitas lacrymarum. nam si populus imitari voluisset Prophetam Domini, ac deflere peccata propria, quomodo Isaias deflebat aliena: & si cohortationem Domini audiuisset, qui inuitabat ad lamenta pœnitentiæ, nè illos punire cogeretur: certè indulgentiam inuenisset; non enim *vult Dominus mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat.* Quia verò contempsit populus exemplum Prophetæ, & præceptum Domini, de pœnitentia cum lacrymis agenda: ideo captiuus ductus est populus ille contumax, & ciuitas euersa, & destructa fuit. Vtinam Christiani exemplo Hebræorum saperent, & clamantibus assiduè concionatoribus, ac præsertim temporibus solemnium ieiuniorum, lacrymis pœnitentiæ assuescere inciperent. Multa fortasse diuina flagella tum singuli, tum vniuersi effugerent. Sed plurimos esse videmus, & dolemus, qui si non verbo, certè factis dicere videntur: Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Et quod sibi ipsi pronunciant, in illud incidunt: non quòd cum corpore extinguantur etiam animæ, & sensus nullus reliquus sit, quod athei verbis illis significare solent, sed quod ij, qui voluptati edendi, & bibendi dant operam, & cum gaudio, & lætitia temporalibus bonis affluere, & in bonis dies suos ducere cupiunt, cum ieiunio, & lacrymis pœnitentiæ carnem affligere tempus admoneat: ij, inquam, re vera cras moriuntur, cùm inopinata morte præuenti ad

Luc. 9.

gehen-

gehennam descendent, quæ est mors secunda, quæ finem nullum habebit.

Sanctus Hieronymus in commentario ad hunc locum Isaiæ Prophetæ, omisso litterali sensu, verba Isaiæ ad persecutionem hæreticorum pertinere demonstrat. Et verè nulla est persecutio, ad quam verba illa magis aptentur, *Recedite à me, amarè flebo, nolite incumbere, vt cõsolemini me super vastitate filiæ populi mei.* Siquidem hæresis non destruit solum tectum, & parietes ædificij, sed fundamenta Ecclesiæ penitus euertit.

Præuidit aliquando sanctus Antonius hæresim Arianam, atque ita persecutionem illam defleuit, vt ad vehementiã doloris illius nihil addi posse videatur. sic enim rem totam describit S. Athanasius in vita Beati Antonij. *Lamentabilis*, inquit, *sequitur visio, & omni lacrymarum fonte plangenda. cùm enim fratribus circa se sedentibus operaretur, intentos fixit oculos in cælum gemens atque suspirans, & post aliquantum spacium reuelationis incepta, nimio dolore cõtremuit, & statim fixis genibus ante Dei vultum prouolutus, orauit, vt clementia sua futurum scelus auerteret. Succedunt orationi lachrymæ; metus ingens inuadit præsentes; obsecrant, vt tantæ calamitatis exponat visionem. singultus occupant vocem, lingua fletibus præpeditur, & medio conatu sermo gemitu interrumpitur; vix tamen cum vociferatione ait, Melius erat, ò filioli, impendens piaculum cita morte lucrari. Sic incipiens rursus lachrymis vincitur; & inter ægra suspiria, tandem pectori commodans vocem, magnum, inquit, quoddam, & vniuersis seculis inauditum imminet nephas: magno fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini Mulorum circundatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Visionem sequitur effectus: nam post annos duos sæua Arianorum irrupit insania.* hæc ille; Non minorem persecutionem hæreticorum nostra vidit ætas. Atque vtinam aliquis Isaias, aut Antonius nobis lacrymas commodaret, quibus dignè persecutionem tantam deflere possemus.

Capvt V.

De necessitate Gemituum, ex Hieremia.

Hieremias Propheta in Threnis sic alloquitur, & exhortatur populum Israel: *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde, sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorũ tuorum, qui defecerũt in fame in capite omniũ compitorum.* Hæc dixit Hieremias cùm hortaretur populũ ad seriam pœnitẽtiam; quia Deum grauissimè offenderant, & iam ciuitas Hierusalem ob peccata populi capta, & euersa erat à Rege Babylonis, & restabant adhuc septuaginta anni miserrimæ captiuitatis. Vt autẽ ostenderet ad seriam pœnitentiam, & dignas preces, copiam lacrymarum, & frequentiam gemituum requiri, ita locutus est, vt nihil addi posse videatur ad rem hanc amplificandam. *Deduc*, inquit, *quasi torrentem lacrymas.* Non est contentus Propheta sanctus paucis lachrymarum guttulis, sed tantam copiam requirit, quantam aquarũ copiam torrens violentus, & rapidus deuoluere solet. Siquidem riui aquarum tanto maiorem aquarum copiam secum trahunt, quanto velocius fluunt: torrentes autem præ omnibus riuis aquarum, cursu rapidissimo fluere solent. Neque his contentus addit Propheta, *per diem & noctem*, vt ostendat frequentiam, & perseuerantiam lachrymarum esse necessariam. Torrentes enim magno impetu fluunt, sed cito siccantur. Quare Propheta his additis verbis significat, se torrentis affluentiam in lacrymis requirere, sed non breuem moram, quam torrens fluendo consumit. Quid est autem per diem, & noctem lacrymarum copiam fundere, nisi omni tempore in fletibus perseuerare? Et quasi adhuc necessitatem lacrymarum non satis expressisset, Hieremias addit: *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Non tibi, inquit, somnus obrepat, non est nunc tempus quiescendi, dum gladium iræ suæ Dominus vibrat: non taceat pupilla oculi tui, clames assiduè ad Deum, non lingua, sed oculis, non verbis, sed lacrymis; ista enim est oratio, quæ Deum placare solet. Et quoniam Propheta nouerat non posse humanam fragilitatem totos dies, & totas noctes sine quiete transigere: admonet nos, vt saltem magnam noctis partem, quæ aptior est ad orandum, & flendum in precibus, & gemitibus consumamus. *Consurge*, inquit, *& lauda in nocte.* id est, postea quàm interdiù aliquantulum quieueris, consurge de nocte ad Dominum laudãdum, & orandum. Consurge autem non in multa nocte, sed in principio vigiliarũ, id est, in ipso noctis principio. Nox enim tota in quatuor vigilias more castrensi diuidi solet, & singulæ vigiliæ tres horas complectuntur. Sic enim loquitur Sanctus Hieronymus in commentario ad caput Matthæi quartumdecimum: *Stationes, & vigiliæ militares in terna horarum spatia diuiduntur. quando ergo dicit, quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit eos tota nocte periclitatos.* Quid autem facere debeant, qui vigilant in laudibus, & gemitibus, adiungit Propheta cùm ait: *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* id est, effunde per apertam, & sinceram confessionem omnia peccata, quæ latent in corde tuo, ea facilitate, qua funditur aqua tota ex vase, vt nihil in eo remaneat, nunc enim tempus est misericordiæ, si seriò dolentes, & flentes confiteamur peccata nostra. Sic exponit Sanctus Ambrosius illud Psalmi sexagesimi primi: *Effundite coram illo corda vestra.*

Neque solum in nocte peccata confiteri, & flere debemus coram Domino, vt ea nobis remittat: sed etiam orare & gemere pro nostris proximis, qui fame pereunt. sic enim concludit Hieremias: *Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Hæc verba postrema non videntur accipi posse pro morte corporali paruulorum, qui in obsidione Hierosolymæ perierunt. neque enim illi suffragijs orationum indigebant; & tamen hoc loco manifestè de oratione agitur, cùm dicitur, *Leua*

ad eum

ad eum manus tuas pro anima paruulorum, qui defecerũt in fame. In scripturis enim eleuatio manuum, ad orationem pertinet. Nam cùm leuaret manus Moses vincebat Israel, sin autem remisisset, superabat Amalech. & in psalmis dicitur, *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Et rursus: *Eleuatio manuũ mearum sacrificium vespertinum.* Apostolus quoque in priore ad Timotheum: *Leuantes puras manus.*

Exod. 17. Psal. 133. Psal. 140. 1. Tim. 2.

Rectè igitur S. Hieronymus, vel quicunq; est auctor Commentariorum in Threnos, sub nomine S.Hieronymi, per *paruulos*, hoc loco intelligit homines rudes, qui fame verbi Dei moriebãtur in capitibus omnium compitorũ. nunquam enim maior fuit penuria panis cœlestis in populo Dei, quàm tempore excidij Hierosolymitani, & Babylonicæ captiuitatis. Tũc enim & Reges erant impij, & Sacerdotes peruersi; & vsque adeo imperiti, vt vix tunc liber legis inueniretur; & populus adeò excæcatus, vt Prophetas, qui soli eis prædicabant, occiderent. Nam & Hieremiam, & Ezechielem eo tempore interfecerunt. Meritò ergo Hieremias hortatur populum Dei, vt eleuatis manibus Deum in noctibus exoret pro paruulis, qui fame verbi DEI passim in capite omnium compitorum, id est, palam, & publicè moriebantur.

Iam verò si hæc ad tempora nostra applicare voluerimus, fortasse non minorem lachrymarum necessitatem inueniemus. Tanta est enim etiam nunc multitudo pereuntium ex fame verbi Dei, vt incredibile sit. Nam exceptis ciuitatibus Catholicis, vbi est copia verbi Dei, in reliquo mundo, vel distribuitur panis corruptus, vt apud hęreticos, vel nullus, vt apud Paganorum permultos.

CAPVT VI.

De necessitate Gemituum, ex Propheta Ezechiele.

EZECHIEL Propheta describit visionem quandam suam prorsus horribilem, quæ si non persuadet hominibus gemitum & ploratum, non video, quid sit, quod rem hanc persuadere queat: *Et dixit,* inquit, *Dominus ad eum, transi per mediam ciuitatem in medio Hierusalem, & signa Thaù super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis* (ministris iræ Dei) *dixit, Transite per ciuitatem, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulierem interficite, vsque ad internecionem. Omnem autem super quem videritis Thaù ne occidatis, & à sanctuario meo incipite.* Hæc visio manifestè significat, ex populo Dei solos, & omnes eos esse saluandos, qui gerunt in fronte signum Thaù: solos autem eos signum Thaù gerere, qui gemunt, & dolent super abominationibus quæ fiunt in populo Dei. Porrò signum Thaù nihil est aliud, nisi signum Crucis. Nam, vt Sanctus Hieronymus tradit in explicatione huius loci Ezechielis, littera Thaù, quæ est postrema Hebraici alphabeti, olim in antiquis litteris habebat figuram Crucis, sed postea mutatæ sunt per Esdram litteræ, & ea causa est, cur non cernatur Crucis signum in litteris hebraicis, quas nos habemus. Cernebatur tamen tẽpore sancti Hieronymi, vt ipse fatetur, in litteris, quibus vtebantur Samaritani, apud quos antiquæ litteræ remanserant. Igitur Thaù, de quo loquitur Ezechiel, qui Esdrã præcessit, Crucis figuram sine dubitatione gestabat. Quid est autem signum Crucis in fronte gestare, nisi non erubescere Crucem Christi? illi vero non erubescunt Crucem Christi, qui diligunt humilitatẽ, patientiam, mansuetudinem; qui non vlciscũtur iniurias, sed reddunt bona pro malis, qui diuitias contemnunt, paupertatem colunt, qui recumbunt in nouissimo loco, qui deniq; non sunt de hoc mundo, sicut Christus non fuit de hoc mundo. Isti autem, quia columbæ sunt, non corui, gemunt assiduè, clamant autẽ nunquam. Illi verò, qui non sunt in fronte signati, ac per hoc inter reprobos computantur, gemunt quidẽ, & dolent, non offensiones & peccata, quæ fiunt in Deum, sed offensiones & detrimenta, quæ ipsi tolerare coguntur. Non est illis curæ, si quis ipsis audientibus Deum blasphemet, sed si quis conuicium in ipsos iaciat, hoc dolent, & de hoc gemunt, hoc concoquere nõ valent, neq; quiescunt, donec pro conuicio alapam, aut vulnus reddiderint. Quid igitur mirum est, si isti inter Cruce signatos non inueniantur, & ab exterminatore percussi pereant in æternum?

Ezech 9.

Ac, vt intelligeremus visionem hanc propheticam, non ad synagogam solùm Hebræorum, sed ad Ecclesiam quoque Christianorum pertinere; Sanctus Ioãnes in Apocalypsi vidisse se scribit, *Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, qui clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Et audiui numerum signatorum centum quadragintaquatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.* Et paulò post addit: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus & populis, & linguis, stantes ante thronum, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes, salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* Isti videlicet sunt electi Dei, & signati signo Thaù in frontibus eorum, partim ex Iudæis, partim ex gentibus. Sed electi ex Iudæis pauci sunt, si conferantur ad electos ex gentibus: ideo electi ex Iudæis numerãtur centum quadraginta quatuor millia: electi ex Gentibus dicuntur esse sine numero: non quòd reuera sine numero sint, cùm & capilli eorũ numerati sint apud Deum, vt Dominus loquitur apud sanctum Matthæum; sed quòd tanto plures sint isti, quàm illi, vt præ illorum paucitate isti innumerabiles esse videantur. Apoc. 7. Matt. 10.

Nemo autem existimet, ex eo quòd electi ex Gentibus dicuntur numerari non posse, maiorem fore numerum electorũ, quàm reproborum. Nam erit quidem longè maior numerus electorum ex Gentibus, quàm ex Hebræis: sed omninò minor erit numerus electorum, siue ex Hebræis, siue ex Gentibus numero reproborũ. Id quòd vel ex hoc ipso loco colligi

potest.

potest. Electi enim ex Hebræis, numerantur hoc loco centum quadraginta quatuor millia: qui numerus infinitis propè partibus minor est numero reproborũ ex Hebræis. Si quidem in libro Exodi, quando egressi sunt filij Israel de AEgypto, numerati sunt sexcenta ferè millia peditum absque paruulis, sed & vulgus promiscuum innumerabile. Itaque si addamus ad sexcenta millia peditũ mulieres & paruulos, & turbam famulorũ, & ancillarum innumerabilem, crescet numerus, vt minimum, ad mille millia hominum. Numerari postea Dauid iussit omnes viros bellatores, qui tempore suo erant in Regno Israel, & inuenti sunt mille millia, & trecenta millia militum: quibus si addas, paruulos, & mulieres, erunt sine comparatione plures. Quibus si addas Hebræos, qui fuerunt à temporibus Abrahami, & erunt vsq; ad mundi consummationem, inuenies tam ingentem multitudinem, vt numerus centum quadraginta quatuor millium electorum, qui ponitur in Apocalypsi, non sit millesima pars multitudinis reproborum. Et quod diximus de numero Hebræorum, potest etiam dici, seruata proportione, de numero Christianorum. Quod enim Dominus dicit apud Matthæum & Lucam de via & porta angusta, quæ ducit ad vitam, per quam pauci ingrediuntur: & de via, & porta lata, quæ ducit ad perditionem, per quas ingrediuntur multi; commune est Hebræis, & Christianis: nam qui Dominum interrogauit, an pauci sint, qui saluantur, non dixit, an pauci sint ex Hebræis, sed simpliciter, an pauci sint, qui saluantur: & Dominus non respondit, arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ex Hebræis intrant per eam: sed absolutè, *& pauci intrant per eam.* Quod ipsum ex Isaia confirmari potest, qui describens paucitatem eorum, qui in consummatione seculi salui inuenientur, vtitur duabus similitudinibus, Vineæ post vindemiam, & oleæ excussæ, quæ omninò horrorem maximum incutiunt. Sic enim loquitur Isaias de consummatione mundi: *Ecce Deus dissipabit terram, & nudabit eam.* Et infrà: *Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum, quomodo si pauca oliuæ quæ remãserunt, excutiantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia. Hi leuabunt vocem suam, atque laudabunt cùm glorificatus fuerit Dominus.* Itaque numerus reproborum similis erit multitudini oliuarum, quæ cadunt in terram, cùm primum excutitur olea; paucitas autem electorum similis erit paucitati oliuarum, quæ fugerunt manus excutientium, & remanserunt in summitate ramorum, quæ postea separatim excutiuntur. Sic etiam multitudo reproborum comparabitur vindemiæ, in qua multa implentur vasa ex racemis vuarum, qui à multis agricolis colliguntur: paucitas electorum comparabitur paucitati racemorum, qui post finitam vindemiam casu inueniuntur in vinea. Ideò pauci illi electi, cum incredibili gaudio leuabunt vocem suam, atque laudabunt, cùm ex condemnatione omnium impiorum glorificatus fuerit Dominus. Hæc certè eiusmodi sunt, vt mirum non sit, si electi, & Cruce in frontibus signati, perpetuò gemant, & doleant, dum vident scelera, quæ fiunt in terra, & considerant supplicia, quæ scelestos expectant in gehenna.

Exod. 12. — 2 Reg. 24. — Matt. 7. — Luc. 13. — Isai. 24.

Sed nolo illud præterire, quod Ezechiel, vel Deus potius per Ezechielem de Sacerdotibus dicit, *A sanctuario meo incipite:* imperat enim Deus, vt qui scelestos punire debent, à malis Sacerdotibus incipiant. Nulli enim grauius in extremo Iudicio punientur, quã principes Ecclesiarum, qui alios omnes verbo, & exemplo præire debuerũt. De qua re audi sanctum Gregorium in homilia septima decima: *Nullum puto, fratres charissimi, ab alijs maius præiudiciũ, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus; nulla animarum lucra quærimus, ad vestra quotidie studia vacamus; terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus.* Consideret Lector Homiliam totam, & simul consulat Epistolam Sancti Augustini, ad Valerium Episcopum suum, & S. Bernardi declamationem in illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia*; & intelliget in quanto periculo versantur Sacerdotes mali. Sed si verba hominum sanctorum, quamuis doctissimorum minus mouent, audiamus Spiritum sanctum, per Malachiam loquentem, & increpantem Sacerdotes, *Labia Sacerdotum custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum Leui, dicit Dominus exercituum. propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege.* Et si Dominus tam molestè ferebat negligentiam, & malos mores Sacerdotum veteris legis: certè multò magis indignabitur, & irascetur Sacerdotibus malis legis nouæ, quæ sine vlla comparatione sanctior est lege veteri.

Malach. 2.

CAPVT VII.

De necessitate Gemituum, ex Ioële Propheta.

SANCTVS Propheta Ioël præuidens, & prædicens multa mala, quæ imminebant toti populo Israel, instar tubæ terribilis vociferatur, & clamat, vt lachrymis & gemitibus, tum Sacerdotes, tum populi Deum placare festinent. Ad populum sic loquitur, *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ. Perijt sacrificiũ, & libamen de domo Domini.* Ad Sacerdotes autem, *Accingite*, inquit, *vos & plangite sacerdotes: vlulate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei, quoniam interijt de domo Dei vestri sacrificium, & libatio.* Et rursum ad omnes, *Canite*, inquit, *tuba in Sion, vlulate in monte sancto meo: conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia propè est dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis.* Deinde inducit Deum cohortantem, *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* & infrà, *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent, Parce Domine, parce populo tuo.* Ista certè tam vehemens cohortatio ad lachrymas, magnum est argumentum, ad

Ioel. 1. — Ioel. 2.

Deum placandum, & mala grauissima auertenda, & salutem æternam impetrandam, non sufficere solas, & frigidas preces; sed requiri saccum, & ieiunia, & præcipuè calidas lacrymas, gemitum cordis, & planctum vehementem.

Est autem illud, hoc loco, non leuiter prætereundum, quòd cùm multa damna spiritualia, & temporalia imminerent populo Israel: tamen sollicitudo præcipua, non solùm Sacerdotum, sed etiam populi erat ad auertenda mala spiritualia, carentiam videlicet sacrificiorum diuinorum, quibus honorari, & placari solet Deus. Nam cùm in prima sententia dixisset Ioel ad plebem Iudaicam. *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ*: rationem reddens ait, *Quia periit sacrificium & libamen de domo Domini.* Sic etiam in secunda sententia, cùm dixisset ad Sacerdotes, *Accingite vos, & plangite sacerdotes; vlulate ministri altaris*; eandem rationem reddit, dicens, *quia periit de domo Domini vestri sacrificium, & libatio.* Ex quo intelligimus detrimenta temporalia, non esse digna multis lacrymis, cùm res sint viles, & breui perituræ; detrimenta autem spiritualia, præsertim peccata, quibus æterna vita in periculum adducitur, iure esse omni lachrymarum fonte plangenda. Illud etiam in verbis Ioelis considerandum est, quòd simul cum lachrymis adhiberi velit ad Deum placandum instrumenta, & opera pœnitentiæ, saccum, & ieiunium. Mirum enim est, quantoperè placeant in oculis Dei saccus, & ieiunium lachrymantium, propterea quòd hæc sint veræ pœnitentiæ signa. Id quod vel ex vno Niniuitarum exemplo demonstrari potest. sic enim legimus in libro Ionæ Prophetæ, *Et clamauit, & dixit in Niniue, ex ore Regis, & Principum eius, dicens homines & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam: non pascantur, & aquam non bibant; & operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala; & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* (Ionæ 3.) Illud denique in verbis Ioelis animaduerto, requiri ab eo in pœnitentibus fletum, non quemcunque, sed vehementem, & amarum, qualis esse solet sponsæ, cùm sponsum sibi charissimum, & præ omnibus rebus dilectum, mortuum ante se videt. Id enim significant illa verba, *Plange quasi Virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ*. Et tamen multi nostrum siccis oculis confitentur peccata grauia, & de sacco, & ieiunio ne cogitant quidem. Sed Deus non irridetur, & in iudicio extremo surgent Niniuitæ, & gentiles; & multos Christianos sine dubio condemnabunt. Atque hæc de testimonijs veteris testamenti.

Caput VIII.

De necessitate Gemituum, ex Euangelio SS. Matthæi, Lucæ, & Ioannis.

IN libris Euangeliorum inuenimus inter beatitudines numerari, *Beati, qui lugent, quia consolabuntur.* (Matt. 5. Luc. 6.) &, *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Ac ne putaremus hæc verba pertinere ad consilium, addit Sanctus Lucas, *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* Proinde quemadmodum necesse est hoc tempore non ridere, ne postea lugeamus: sic necesse est lugere, vt postea rideamus, & delectemur. Scriptum est enim in Apocalypsi, *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* (Apoc. 21.) Et à quorum oculis lacrymas Deus absterget, nisi ab ijs, qui fleuerunt, & luxerunt in hac lacrymarũ valle? & qui sunt illi, de quibus dicitur in eadẽ Apocalypsi, *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*; nisi qui omisso pęnitentiæ luctu, totos se vitæ huius delicijs, & iucunditatibus tradiderunt? Itaque necesse est in hoc exilio flere, si volumus in patria gaudere.

Sed exponamus Euangelica verba, *Beati, qui lugent.* S. Augustinus in priore libro de serm. Domini in monte, exponit hæc verba de luctu, quem capiunt ij, qui cõuertuntur ad Deũ, de amissione charorum. Non enim possũt, qui nondum perfecti sunt, non cum aliquo sensu doloris ferre separationem à parentibus, fratribus, & amicis. Sed alij sancti Patres, S. Hieronymus, & S. Ioannes Chrysostomus in commentario ad cap. 5. Matthæi, & sanctus Ambrosius in expositione capitis sexti Lucæ, magno consensu tradunt, Christum Dominum loqui de luctu ob peccata vel sua, vel aliena. Atque hæc sentẽtia censetur verior: nec tamen S. Augustini sententia reijcienda est, si rectè intelligatur. Non enim vult S. Augustinus beatos dici à Christo eos, qui lugent absentiã charorum, hac solùm ratione, quia dolent separationem à charis, atq; coniunctis: sed quia malunt cum luctu separari à charis personis, quã separari à sequela Christi; vt in eo sit posita beatitudo, quòd malint lugere charorũ amissionẽm, quàm Christum non sequi, vel à perfectione vitæ retardari.

Alia tamen sententia, vt est communior, ita est clarior, atque facilior. Beati ergò, qui lugent in hoc tempore ob scelerum detestationem, & Dei conditoris nostri, ac Patris amantissimi offensiones, vel ob desiderium æternæ vitæ, vel alijs de causis ad amorem, vel timorem Domini pertinentibus: quia veniet tempus, quo in cælesti patria consolationibus maximis, & purissimis repleantur. Et væ illis, qui rident nunc, quia flebunt postea, cum proijcientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium. Neque verò tam seueri sumus, vt existimemus, non licere, vel non expedire seruis Dei modestum, & breuem risum. Sed quod, scripturam sequentes dicimus, hoc est, non licere, neque expedire Christianis, sic se risui, & consolationi addicere, vt non meminerint, se esse in valle lacrymarum, & temporibus suis in gemitum, & fletum, & planctũ seriò incumbant: tempus enim exultationis, &

lætitiæ in patria erit; tempus verò gemendi & flendi, nunc est, cùm in exilio sumus, & inter hostes plurimos,& crudelissimos versamur.

Apostolus & Euangelista Ioannes breuem sententiam Christi Saluatoris de necessitate gemendi protulit; sed quæ longi sermonis vicem gerere possit. Sic enim loquitur, *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos verò contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepe- rit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & videbit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Certè sententia hæc si ab omnibus penetraretur,& ad cor omnium profundè descenderet, nemo esset, qui non toto tempore huius peregrinationis, dimissis oblectationibus cunctis,plorare,& flere,atque instar columbæ dies, noctesque gemere delectaretur. (Ioan 16.)

Principio in hoc distinguit Dominus discipulos suos à mundo, quòd in hoc præsenti sæculo discipuli plorant, mundus gaudet. Et quid interest inter discipulos Christi & mundum? quod inter electos & reprobos. Nam & Dominus dixit, *Pro eis rogo, non pro Mundo.* Et Apostolus ad Corinthios, *Ne cum hoc mundo damnemur.* Quid ergo sequitur, nisi, vt qui cum discipulis plorat, ad sortem electorum pertineat, si tamen in fletu & gemitu perseueret. Et qui fletu à se excluso, cum mundo gaudere delectatur, cum hoc mundo damnetur; nisi prius de mundo exeat, quàm de corpore? Addit postea Dominus, *Vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Vt videlicet, proposito præmio discipulos hortetur ad perseuerandum in fletibus, dum vita præsens durat, cùm certos illos redderet de futuro gaudio inenarrabili, & sempiterno; quòd, vt paulò infra dixit, nemo tollere possit ab eis. Ac vt eis demonstraret, tempus fletus fore breuissimum, tempus gaudij diuturnum; adducit similitudinem parturientis, quæ cùm venerit hora eius tristitiam habet, *cùm autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Tempus tristitiæ,& fletus horæ comparatur propter breuitatem: *Cùm venerit*, inquit, *hora eius*; tempus gaudij comparatur annis integris, quia mulier tam diu gaudet, quàm diu proles viuit; (Ioan 17. 1 Cor. 11.)

Aptissimam verò hanc similitudinem esse, vel ex eo cognosci potest, quòd officium Apostolorum, vt etiam aliorum Prælatorum Ecclesiæ, est officium mulieris cum dolore parturientis, iuxta illud Apostoli, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Atque hoc est durior parturitio Prælatorum, quàm fœminarum: quòd istæ semel parturiunt; illi sæpius eumdem filium parturire coguntur. Cum quanto autem gemitu boni Prælati parturiant, demonstrat mulier illa de Apocalypsi, quæ figuram gerens Ecclesiæ, *clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret.* (Gal. 4. Apoc. 12.)

Denique quòd hæc omnia verissima sint; atque omninò seriò dicantur à Domino, testantur verba illa, *Amen amen dico vobis.* Considerabat enim Dominus, multos non facilè credituros, necesse fore, vt electi gemant assiduè, & vtilius esse flere cum discipulis, quàm gaudere cum mundo, & qui ad tempus cum discipulis plorant, æternis gaudijs cumulandos,& qui ad tempus cum mundo gaudent, æternis supplicijs cruciandos: ideo iuramentum addere voluit dicens, *Amen amen dico vobis*; id est, in veritate, in veritate dico vobis. quod quasi iuramentum Christi sanctus Augustinus appellat. Vtinam hæc homines diligenter considerarent, & non paterentur tempus vtilissimum sibi elabi de manibus, quo paucis lachrymis ingentia gaudia comparari possunt. (Tract. 41. in Ioan.)

De necessitate gemendi, ex Apostolis Paulo, & Iacobo.

CAPVT IX.

Apostolus Paulus in priore ad Corinthios grauissimè reprehendit totam Ecclesiam Corinthiorum, quòd non luxisset incestum vnius Corinthij. *Auditur*, inquit, *inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Tanta erat in prima illa nascente Ecclesia sollicitudo puritatis, vt vitia, præsertim ad luxuriam pertinentia, ne nominari quidem vellent inter Christianos. Sic enim loquitur idem Apostolus scribens Ephesijs, *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Cùm igitur vnus quidam ex Corinthijs in incestum cum nouerca lapsus esset, & hoc apud reliquos Christianos innotuisset, optabat Apostolus, vt tota Ecclesia peccatum illud publicè lugeret. Quod quia facere neglexerunt; acriter illos reprehendit, &, vt ipse idem refert in epistola posteriore, non solum per litteras eos grauiter corripuit, sed multas lachrymas fudit, dum reprehensionem illam ad eos misit. *Ex multa*, inquit, *tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas.* Ait igitur, *Auditur inter vos fornicatio.* quasi dicat; multa sunt in vobis reprehensione dignissima: ac primum illud est, quòd nominetur inter vos fornicatio; & fornicatio iam istic perpetrata: cùm tam procul ab hac immunditia abesse vos æquum fuerit, vt ipsum etiam nomẽ ignoraretis. *Et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* hoc est alterum peccatum, quod fornicatio istic perpetrata, non fuerit simplex fornicatio, sed fornicatio incestuosa, & apud ipsos etiam gentiles inaudita. Quamuis enim olim apud varias gentes incestus non puniretur, tamen paulatim intelligere cœperant gentiles, eam coniunctionem cum natura pugnare, & iam Apostoli temporibus, etiam apud gentes vix audiebatur. *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis.* Hoc est peccatum tertium Corinthiorum, quòd inflati superbia; ita contenderent inter se; vt occupati in dissensionibus suis, non cogitauerint de remedio tanto sceleri adhiben- (1. Cor. 5. Ephes. 5. 2. Cor. 2. 1. Cor. 5.)

do. debuissent enim, tanto flagitio cognito, A congregari in Ecclesiam negotijs alijs intermissis, & publicum luctum indicere, & communibus lachrymis misericordiam Domini implorare: & facinorosum illum, nisi mox resipisceret, de cœtu suo eijcere. O quàm longè recessimus ab Apostolica disciplina, & quàm rara nunc est, quæ olim frequentissima erat, gratia larhrymarũ. Tunc vno peccante, totus populus Apostoli iussu ad fletum, & lamenta commouebatur: nunc multis peccantibus, vix inuenitur, qui ob zelum honoris Dei, & perditionis animarum lachrymas fundat.

Postremus testis ex diuinis literis pro necessitate lachrymarum, sanctus Iacobus erit. Eius sunt illa verba: *Miseri estote, & lugete, & plorate: risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.* Alloquitur autem omnes homines, qui ad Ecclesiam Dei pertinent. nam vt ipse dicit paulò superius, *In multis offendimus omnes*: cui consonat coapostolus eius Ioannes, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus*. Admonet igitur omnes nos hic sanctissimus Doctor, vt miseri simus, hoc est, misericordia diuina egentes nos esse intelligamus, & profiteamur, ac vt misericordiam Domini in nos prouocemus, non solùm verbo & lingua clamemus ad Deum, sed lugeamus, & ploremus: nec solum lugeamus & ploremus, sed risum in luctum conuertamus, & gaudium in mœrorem: parum enim prodest lugere, & flere, si paulò post arescente lachryma compunctionis, soluamur in risum, & sæculari lætitiæ nos tradamus. O quàm longè absumus à doctrina Spiritus sancti. Ecce enim quanta audiuimus de necessitate lachrymarum, si quis velit ad æterna gaudia peruenire, ex libris à Deo ipso dictatis, & à sanctis Prophetis, & Apostolis sollicitè, fideliterque conscriptis: & tamen plerique nostrum aures habent, & non audiunt, oculos habent, & non vident; cor habent, & non intelligunt. Deflent quidem inconsolabilibus lachrymis mortes charorum, aut iacturam pecuniarum, aut alia quæcunque temporalia detrimenta: quæ cum spiritualibus comparata, leuissima sunt. Quid enim mirum est, si peritura intereunt, & si temporalia cum tempore transeunt, & si mortales moriuntur? At mortem animæ, quæ victura est in æternum, & iacturam regni cœlestis, quod est maximum, & sempiternum non deflere, immò non magni facere, neque curare, nonne stuporis, vel amentiæ argumentum est manifestum? Et tamen eiusmodi stupidorum, vel amentium, imò etiam cæcorum, & surdorum, infinitus est numerus. Sed quando nos Scripturarum verba non mouent, experiamur vtrum saltem exempla nos moueant.

Iac. 5.
Iac. 3.
1. Ioan. 1.



CAPVT X.

De necessitate gemituum, ex Scripturarum exemplis.

IN libris sanctis multa sunt exempla eorum, qui ad placandum Deum fletibus præcipuè vsi sunt. Ac primum occurrit exemplum totius Reipubl. Hebræorum in libro Iudicum. Siquidem Angelo Domini reprehendente peccata populi, eleuauerunt omnes filij Israel vocem pariter, & fleuerunt, *Et vocatum est nomen loci illius, locus flentium, & lachrymarum*. Fuisse autem lachrymas illas ex corde fusas, & gratiam Domini impetrasse, docuit exitus. nam post fletum illum *seruierunt* filij Israel *Domino cunctis diebus Iosue; & seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore.* Iud. 2.

B Istæ igitur sunt lachrymæ veræ, & salutares, ad quas sequitur stabilis vitæ mutatio.

Alius locus est huic similis in eodem libro Iudicum, vbi sic legimus, *Omnes filij Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino, ieiunaueruntq; die illo, & obtulerunt ei holocausta, & pacificas victimas*. En quàm vetusta est Ecclesiæ consuetudo placandi Deum lachrymis, & ieiunijs, & sacrificijs. Iud. 20.

Deinde in libro primo Regum habemus exemplum sancti Prophetæ Samuelis, qui Saulem regem præuaricantem mandata Domini, & ab ipso Domino abiectum, diutissimè fleuit: simul offensionem Dei, & periculum Saulis deplorans. 1. Reg. 15.

C Tertio loco habemus exemplum Dauid Regis, qui omni genere piarum lachrymarum copiosissimè abũdauit. Ac primùm fleuit amarissimis & copiosissimis lachrymis peccatum adulterij, & homicidij à se patrati. Sic enim loquitur ipse de se in Psalmo sexto, *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Singula verba pensanda sunt, vt magnitudinem pœnitentiæ Dauidis intelligamus. *Laboraui in gemitu meo*. Hæc significant, tam longo tempore, & tam amaro gemitu peccatum suum defleuisse Dauidem, vt vsque ad lassitudinem flendo, & gemendo laborauerit: Et tamen non contentus præterito fletu, proponit adhuc pergere dicens, *Lauabo per singulas noctes lectum meum*. Nox enim commodior est ad D lachrymas coram Deo fundendas, quàm dies, ob quietem communem, & negotiorum cessationem. Ego, inquit vice somni, & quietis in noctibus singulis vbertim peccata deflebo. Notanda est autem vis verbi, *Lauabo*. non enim lauari dicitur, quod vna, vel altera gutta respergitur, sed quod ita largiter perfunditur aquis, vt à sordibus eluatur. Adde quod sanctus Hieronymus ex Hebræo rectè transtulit, *Natare faciam lectum meum*; quo verbo copia lachrymarum maxima designatur. Quod idem significant verba sequentia, *Lachrymis meis stratum meum rigabo*. Rigare enim lachrymis stratum, nihil est aliud, nisi abundantia lachrymarum, decurrentium instar riuorum stratum abluere. Notissimum igitur est, lachrymas primi generis, id est, pœnitentiæ

Dauidi non defuisse. Nec solum peccata sua Dauid flere solebat, sed etiam aliorum. Sic enim ipse ait: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*; peccatores videlicet, vt exponunt Theodoretus & Euthymius. de quibus etiam paulò post dicit, *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*. Quòd autem non defuerint eidem lachrymæ secundi generis, id est, lachrymæ amoris, & desiderij, testis est Psalmus trigesimus, vbi sic loquitur Dauid, *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus*. & apertius Psalmus quadragesimus primus, vbi leguntur hæc verba; *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Quorum verborum hic sensus esse videtur, sustentabar lachrymis desiderij, quasi panibus assiduè gemens, & plorans, per dies, & noctes. Certè hoc exemplum Dauidis speculum esse deberet omni generi hominum. Fuit enim hic vir homo doctissimus, & sapientissimus, ita vt liberè dicere posset, *Super senes intellexi*. &, *Super omnes docentes me intellexi*. proinde nemo potest lachrymas eius tribuere simplicitati, aut imperitiæ. Fuit idem ipse vir secundùm cor Dei, vt legimus in Actis Apostolorum, concionante Paulo. Quare nemo potest suspicari, non placuisse Deo lachrymas eius. Denique fuit vir occupatissimus in Regno administrando, in bellis gerendis, & in familia propria, filijs, & famulis, vxoribus, & ancillis plenissima regenda. quales occupationes prætendi solent à plerisque hominibus, qui viuunt in seculo, & satis iustè excusari se posse arbitrantur, cur orationi, & compunctioni non vacent, & donum lachrymarum à Deo non petant. Sed in die iudicij istos omnes condemnabit sanctus Dauid, qui cùm longè maioribus occupationibus non intermisit septies in die, & media nocte consurgere ad laudandum, & orandum Deum; & non frigidè & aridè, vt plerique facimus, sed cum gemitu & lachrymis ardenti desiderio Deo seruiendi. Et si Reges, & Principes seculi condemnabit: certè maiori ratione Episcopos & Presbyteros, Monachos, & Cœnobitas idem ipse condemnabit.

Psalm. 118.
Psalm. 37.
Psalm. 41.
Psal. 118.
Act. 13.

Post Dauidem sequitur Hieremias Propheta, qui cùm sanctis lachrymis abundaret, & tamen ijs satiari non posset, aiebat, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum; & plorabo die ac nocte*. & paulò infra: *Deducant oculi nostri lachrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis*. Atque hæc pauca ex testamento veteri.

Hier. 9.

In nouo testamento princeps gementium, & flentium est Christus Rex noster, de quo cùm scriptum sit, quòd sit ipsa Dei virtus, & sapientia, & quòd sciret reprobare malum, & eligere bonum; mirum est, si quis inueniatur, qui affirmare audeat, melius esse ridere, quàm flere. siquidem ipsum nunquam risisse, sæpè autem fleuisse legimus. Exultauit quidem in Spiritu sancto aliquando lætitia spirituali perfusus ob profectum discipulorum, quia gemitus, & luctus spirituale gaudium non excludunt, quin potius finis lachrymarum sanctarum est pax, & gaudium in Spiritu sancto; itaque Dauid post lachrymas pœnitentiæ cum magna fiducia loquitur, & dicit, *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*. Fleuit igitur Christus temporale excidium Hierosolymæ, & perditionem æternam multorum millium Hebræorum, cùm in die Palmarum videns ciuitatem fleuit super illam, vt scribit sanctus Lucas. Fleuit etiam mortem Lazari amici sui, cùm vidit Mariam Magdalenam plorantem, & Iudæos plorantes, vt scribit sanctus Ioannes. nisi fortè, vt aliqui piè meditantes affirmant, fleuerit potius vitam eius mortalem, & laboribus, doloribusque varijs obnoxiam; ad quam per resurrectionem reuersurus erat ex limbo SS. Patrum, vbi quiescebat in pace, iuxta illud Simeonis, *Nunc dimittis seruum tuum in pace*. Tertiò fleuit Dominus in horto cùm Patri supplicaret, vt si fieri posset transiret ab eo calix passionis. Quamuis enim Euangelistæ non meminerint lachrymarum: tamen sudor sanguineus, tam copiosè effusus satis demonstrat, neque lachrymas defuisse. Quartò fleuit in cruce, vt Apostoli Pauli verba illa testantur in epistola ad Hebræos; *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*. Loquitur enim Apostolus de illa Christi oratione, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. hanc enim orationem Christus cum clamore valido emisit, dicente Euangelista Luca, *Et clamans voce magna Iesus ait; Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Atque in hâc oratione petijt liberari à morte, id est, erui à faucibus mortis, & restitui ad vitam, per celerem resurrectionem: In qua petitione exauditus est pro sua reuerentia, siue pro reuerentia, qua ipse Patrem reuerebatur, siue quâ ipse dignus erat, vt ab omnibus afficeretur. Quamuis autem in Euangelio sancti Lucæ nihil dicatur de lachrymis cum clamore coniunctis: tamen Apostolo Paulo fides habenda est, qui Euangelium totum ex ipsius Christi reuelatione didicerat.

Isa. 7.
Luc. 10.
Psal. 50.
Luc. 19.
Luc. 19.
Ioan. 11.
Luc. 2.
Heb. 5.
Luc. 23.

Sed præter has lachrymas, omnino credibile est, cùm Dominus quadraginta diebus in deserto mansit, sine dubio assiduè orans; & cùm frequentissimè pernoctaret in oratione, vt Lucas testatur cùm ait, *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*. & rursum alio loco: *Erat*, inquit, *diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti*. Credibile, inquam, est eas orationes cum gemitu inenarrabili coniungere solitum fuisse. Si enim Spiritus sanctus facit nos orare cum gemitibus inenarrabilibus, Apostolo teste in epistola ad Romanos: quantò magis Christus, qui spiritum non ad mensuram acceperat, & de cuius plenitudine nos omnes accepimus, & super quem spiritus in specie columbæ descendit, & super eum mansit; orauit in deserto & in montibus, gemitibus inenarrabilibus? Ergò cùm Christus Magister & Dominus noster apertè docuerit, *Beati, qui lugent*: &, *Væ vobis, qui ridetis*; & quod docuit fecerit; & quod mandauit impleuerit: nostrum est, si discipuli obe-

Luc 6.
Luc. 21.
Rom 8.
Ioan. 3.
Ioan. 1.
Ioan. 1.
Matth. 5.
Luc. 6.

obedientes, & serui fideles sumus, à risu, & iocis, & mundi blanditijs, & delitijs abhorrere; & contra, pias lachrymas in hac lachrymarum valle diligere, in ijs versari, & oblectari easque à Deo, non sine interno gemitu postulare.

Christum secuta est in primis sancta Maria Magdalena: (omitto enim Beatam Virginem Deiparam, non quod existimem, eam non fleuisse assiduè, sed quia lachrymæ eius per Scripturam non innotuerint) hæc enim cùm primùm resipiscere cœpit, Christi pedes lachrymis pœnitentiæ lauit, & capillis suis tersit; idque in publico conuiuio, & multis præsentibus: quam enim non puduerat publicè peccare, eandem pudere non debuit publicè pœnitere. Tanta verò fuit vis lachrymarum illarum, vt continuò audire meruerit, *Remittuntur tibi peccata tua*. Neque solùm remissa illi fuere peccata: sed ita in charitate confirmata, vel, vt Apostolus loquitur, fundata, & radicata fuit, vt postea iterum eiusdem Christi pedes lachrymis lauerit, & capillis suis absterserit: non lachrymis amaris compunctionis, & doloris; sed lachrymis amoris dulcedine spirituali, & suauitate plenissimis; & rursum ad sepulchrum Christi viuentis, lachrymis desiderij, tam diu fleuerit, donec dilectum suum prima videre, & audire meruerit. O felices lachrymę, quę peccatricem in sanctã ac penè innocentem repentè mutare potuerunt! hinc enim postea Christo, Agno immaculato, & Mariæ Virgini purissimæ, & Ioanni discipulo castitatis gratia super cæteros dilecto, indiuidua comes semper inhæsit.

Luc. 7.
Ephes. 3.
Ioan. 2.
Ioan. 20.

Sequitur sanctus Petrus, qui in passione Domini peccauit peccatum grande, non tamen ex malitia, vt Iudas proditor, sed partim ex nimia fragilitate, partim ex nimia confidentia virium suarum. Dixerat enim, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: & tamen ad verbum ancillæ dicentis, *Et tu cum Iesu Galilæo eras*, ille negauit coram omnibus dicens, *Nescio quid dicis*: ac paulò post, dicente alia ancilla, *Et hic erat cum Iesu Nazareno*: iterum negauit cum iuramento, *quia non noui hominem*. Sed hoc peccatum tanto imbre lachrymarum diluit, vt ne quidem verbo ab ipso Domino postea reprehensus legatur. Nam (vt Euangelistæ scribunt) *continuò resipiscens, fleuit amarè*.

Matth. 26.
Matth. 26.

Sancto Petro adiungendus est coapostolus eius Paulus, qui & ipse peccauit peccatum grande. nam Ecclesiam Dei persecutus est, & vt idem ipse confitetur, non solùm persecutor, sed etiam blasphemus, & cōtumeliosus fuit. Sed post conuersionem, vbi abundauit delictum persecutionis, superabūdauit gratia lachrymarum. sic enim ipse de se testatur in Actis Apostolorum, *Vos scitis à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis*. & infra: *Per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monens vnumquemque vestrum*. & in posteriore ad Corinthios, *Scripsi vobis per multas lachrymas*. Itaque hic beatus Apostolus, siue loqueretur ad Deum in oratione, lachrymas adhibebat, vt audiretur; siue loqueretur ad homines in prædicatione, lachrymis potius, quàm verbis persuadere nitebatur: sciebat enim, ac proprio experimento didicerat, tum apud Deum, tum apud homines, maximam esse potentiam lachrymarum.

1. Timoth. 1.
Act. 20.
2. Cor. 2.

A

Porrò quæ legimus in scripturis de lachrymis principum Apostolorum sine dubitatione etiam legeremus de reliquis Apostolis, si B. Lucas in Actis, aut aliquis alius auctor fidelis res gestas omnium Apostolorum scriptas reliquisset. Sed cùm idem esset Magister Christus Discipulorum omnium, & idem spiritus, qui postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus, omnium corda inhabitaret, & omnes Apostoli essent principalia membra illius columbæ, quæ semper gemit; dubitare non possumus, quin Apostoli omnes, & omnes discipuli, denique sancti omnes, qui ad columbam pertinent, dono lachrymarum præditi fuerint.

B

CAPVT XI.

De necessitate gemituum, ex doctrina, & exemplis Sanctorum.

ADdenda sunt iam testimonia, vel exempla Sanctorum Patrum, qui doctrinam Scripturarum de necessitate gemituum libris suis, vel exemplis ad posteros transmiserunt. Et quidem quod attinet ad lachrymas pœnitentium, habemus in primis testimonium beati Cypriani Episcopi & martyris, qui in sermone de lapsis ita loquitur, *Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Orare oportet impensiùs. & rogare: diem luctu transigere, vigilijs noctes, ac fletibus ducere: tempus omne lachrymis, & lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus*. Qualis est hic præco Dei? qualis concionator veræ pœnitentiæ? quid hoc tempore diceret, si cerneret homines peccatores sola confessione contentos, doctrinam gemituum penitùs ignorare?

C

Sanctus Basilius in oratione in Iulittam, de gratiarum actione. *Quando ob peccata fratrem lugentem vides*, inquit, *tu quoq; misericordia motus, simul luge*. & infra: *Ob peccatum vberes fluant lachrymæ, nec singultus ex imo corde procedentes deficiant. Flebat Paulus inimicos Crucis Christi? Hieremias quoq; super pereuntis peccata populi flebat; qui, quoniam natura lachrymæ non satis erant, fontem lachrymarum quærebat: tales igitur lachrymas, tales luctus verbum illud (Dei videlicet) collaudat*.

D

Sanctus Ambrosius in libro ad Virginem lapsam, quam ad pœnitentiam cohortatur, *Defluant*, inquit, *oculi lachrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt*.

Huius tempore Theodosius Imperator ab ipso sancto Ambrosio ab Ecclesia eiectus ob crimen admissum, eximium exemplum pœnitentiæ toti Ecclesiæ præbuit. Cùm enim in excusationem criminis sui Dauidem nominasset, qui cùm Rex esset adulterio homicidium adiunxerat; audiuit ab Ambrosio, *Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem*. Ille igitur verè Christianus Imperator sceptri, & purpuræ oblitus, posteaquam multos menses facinus suum domi defleuerat, ad Eccle-

siam veniens coram omni populo, non stans, nec prouolutus in genua, sed toto corpore prostratus, lachrymis terram rigabat, capillos vellebat, pectus feriebat, omnibus, quibus poterat modis, Deo, & Ecclesiæ satisfaciebat. hæc apud Theodoretum in histor. Eccles. legi possunt, qui etiam Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum, de ratione pœnitentiæ agendæ, ita scribit, *Sunt*, inquit, *medicabilia etiam, quæ post Baptismum fiunt vulnera; medicabilia autem, non vt olim* (in Baptismo) *per solam fidem, remissione, sed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem & laborem commissi peccati quantitati commensuratum: qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus. Atque has habet Ecclesia leges de pœnitentia.* Hæc Theodoretus. cui consonat sanctus Gregorius Nazianzenus in oratione secunda de Baptismo, cùm ait, *Recipio pœnitentes, sed si lachrymis rigatos videro.* O quàm raros hoc nostro tempore Nazianzenus reciperet pœnitentes. Lib. 5. ca. 17.

Sanctus Gregorius Nyssenus in libro de vita Mosis, *Nec lachrymis*, inquit, *parcendum est. Lachryma enim fidelis custos est eius, qui vitam instituit per virtutem.*

Sanctus Athanasius in libro de Virginitate siue de meditatione propè finem. *Magna*, inquit, *vis est lachrymarum, & preclara per eas fiunt.* & infra: *Plorat*, inquit, *& lamentatur, vt vindicetur à diris pœnis; atque iterum plorat, vt dignius fiat cælestium bonorum muneribus.* Eodem tempore vixit sanctus Antonius, cuius vitam idem ipse sanctus Athanasius scripsit; ac præter cætera eius dona, virum lachrymarum fuisse demonstrat, vt supra dixi capite quarto, & infra dicemus, libro tertio extremo.

Sanctus Hieronymus in epistola ad Rusticum, multis Scripturarum testimonijs eum exhortatur ad lachrymas. & in epistola ad Sabinianum, dicit, se illum admonuisse, vt Dei misericordiam iugibus lachrymis implorare. Et ipse de se in epistola ad Eustochium, de custodia Virginitatis, sic ait: *Post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum.* In Epitaphio sanctæ Paulæ Romanæ describens eius vitam: *In ea*, inquit, *crederes fontes lachrymarum. ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream.* Denique in Epitaphio Fabiolæ, posteaquam descripsit eius publicam pœnitentiam, ita loquitur: *Quæ peccata fletus iste non purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant?*

Lib. 8. ca. 12. Sanctus Augustinus in libro octauo Confessionum de se ipse scribit: *Vbi verò à fundo arcano alta consideratio contraxit, & congessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei; oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lachrymarum.* & paullò post: *Ego sub quadam fici arbore straui me, & dimisi habenas lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum.* & infra: *Dicebam hæc & flebam amarissima contritione cordis mei.* Et tamen hic beatissimus vir nondum baptizatus erat; cùm ita peccata sua defleret. Quid quæso fecisset, si post lauacrum sanctum criminis alicuius reus fuisset? Quàm multos Christianos baptizatos iste Catechumenus iudicabit? Væ nobis qui post gratiam baptismi peccata grauissima perpetramus, & lachrymas nullas fundimus. Scribit quoque Possidius in eius vita in vltima ægritudine, voluisse sibi ante oculos collocari Psalmos Dauidis, qui ad pœnitentiam pertinent, eosque legere solitum, cùm interim iugiter, & vbertim fleret; quamuis sanctissimè vitam egisset. Hoc nimirum est sapere: hoc est cognoscere culparum magnitudinem, & medicinam morbo conuenientem adhibere.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homilia sexta in Matthæum describens vitam hominis probi, quales erant primi Christiani, *Iste talis*, inquit, *ea, quæ videntur cuncta despiciens, in compunctione continua perseuerat, largo assiduè fluens fonte lachrymarum, multamq; hinc capiens voluptatem. Nihil quippè ita conglutinat, atque vnit Deo, vt illa lachryma, quas, & peccati dolor, & amor virtutum effundit.* Idem auctor in libro priore de compunctione cordis, propè extremo, *Et ideò*, inquit, *lugendum est, & ideò flendum, & per totam vitam plangendum, vt vel sic occupata in luctu & lachrymis anima erubescat aliquando peccare.* Denique plenus est hic venerabilis Doctor in omnibus operibus, quæ plurima sunt, encomijs lachrymarum.

Sanctus Gregorius libro tertio Dialogorum, *A Creatore*, inquit, *nostro cum magno gemitu quærenda est lachrymarum gratia.* Idem beatissimus Pontifex in homilia trigesimaseptima exemplum narrat sancti Cassij Narniensis Episcopi, qui cùm ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lachrymis defluens; semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. Inde homiliam concludens, ait, *Lauate ergo fratres charissimi lachrymis maculas peccatorum, eleemosynis tergite, hostijs expiate.* Lib. 3. ca. 34.

Sanctus Bernardus sermone trigesimoquinto ex paruis, describit dies necessarios ad ambulandum in lege Domini: ac primum diem ponit gemitum cordis. *Notandum*, inquit, *quòd hæc via legis Domini consummatur sex diebus. Et prima quidem dicta est gemitus cordis; secunda, confessio oris; tertia, largitio propriæ possessionis; quarta, labor corporis; quinta, abnegatio propriæ voluntatis; sexta, contemptus mundi. Itaque nisi quis incipiat à gemitu cordis, id est, à vera conuersione, & compunctione, frustra nititur ad maiora.* Idem sermone sextodecimo in Cantica, deplorans pœnas gehennæ, *Quis dabit*, inquit, *capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt præueniam fletibus fletum, & stridorem dentium?* Et ibidem exhortans monachos suos ad fletum; *Et tu*, inquit, *in tua lamentatione Deum cogita factorem tuum: cogita benefactorem, cogita patrem, cogita Dominum. Ad omnia reus es, plange per singula.* hæc ille: quorum similia in omnibus scriptoribus sacris inueniuntur: nec minus inueniuntur in omnibus sanctis exempla gemituum, & lachrymarum.

CAPVT XII.

De necessitate gemendi, ex auctoritate Ecclesiæ.

CLaudam hunc primum libellum auctoritate Ecclesiæ vniuersæ. Ecclesia enim Catholica mater nostra in hymnis sacris, quos decantari instituit in officio diuino, frequenter admonet, vt flendo, aut gemendo Dominum deprecemur.

Feria tertia ad Laudes Matutinas in feriali Officio sic legimus,

Iesum ciamus vocibus,
Flentes, precantes sobriè, &c.

Feria quarta ad Nocturnum in feriali Officio.

Preces gementes fundimus,
Dimitte, quod peccauimus.

Feria quarta ad Laudes Matutinas.

Flendo, & canendo quæsumus,
Intende nostris sensibus.

Sabbatho ad Nocturnum in feriali Officio.

Nostros pius cum canticis,
Fletus benignus suscipe.

Dominica die ad Vesperas de Tempore.

Tetrum chaos illabitur:
Audi preces cum fletibus.

Feria tertia ad Vesperas Feriales.

Munda virore gratiæ,
Vt facta fletu diluat.

In Aduentu Domini ad Laudes.

Omnes pro indulgentia,
Vocem demus cum lachrymis.

In Quadragesima ad Vesperas.

Audi benigne conditor,
Nostras preces cum fletibus.

In Quadragesima ad Officium Nocturnum.

Ploremus ante Iudicem,
Flectamus iram vindicem.

In Antiphona illa celebri, quæ canitur post Laudes, & post Completorium, quæ incipit, *Salue Regina*, sic legimus, *Ad te clamamus exules filij Euæ, Ad te suspiramus, gementes & flentes in hac lachrymarum valle.* Scio, hæc esse minuta, & omnibus nota: volui tamen ea consideranda proponere, & seorsim diligẽter annotare: quia plurimi, sic ea legunt, vt non videantur intelligere, vel cogitare quid legant; & dum se putant, Deum laudando, præmium promereri, iram in se diuinam mentiendo prouocant. Nam si verbis profitemur, nos gemere, vel plorare, & interim corde arido verba illa sacra pronunciamus, fortasse etiam, quod absit, ridemus, aut inania cogitamus; nonne rei mendacij apud Deum sumus? Et quid nos impetraturos à Domino sperare possumus, si cum verbis non concordat affectus? Meritò reprehendit Propheta, vel potius Dominus per Prophetam eos, qui labijs Deum honorant, cor autem ipsorum longè est à Deo. Sed maiore ratione nos reprehensione dignissimi sumus, si non facimus, quod nos facere dicimus, & alta voce pronunciamus, quasi Deus non sit præsens, aut non audiat, aut certè irrideri possit. Et ipsa Virgo sanctissima Deipara, quomodo feret, & quàm grato animo exaudiet nos dicentes, *Ad te clamamus exules filij Euæ, Ad te suspiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle:* si dum ista pronunciamus, neque filios infelicis Euæ nos esse meminimus, neque suspiramus ad matrem misericordiæ, neque gemimus, vel ploramus, sed alacriter, & gaudentes cantamus; neque de valle lachrymarum ad montem Dei ascendere desideramus, imò neque vallem lachrymarum cognoscimus, neque in exilio nos esse existimamus: & si possemus in terris semper viuere, fortasse nunquam de cœlesti patria cogitaremus.

Isaiæ 29. Matth. 15.

Tu igitur Domine, suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te: recordare quòd puluis sumus, medere languoribus nostris: flare incipiat spiritus tuus, & fluant aquæ: Mitte ad nos Spiritum sanctum tuum, qui orare nos faciat gemitibus inenarrabilibus. Aut certè si iusto tuo iudicio, non adsunt nobis lachrymæ oculorum, saltem non desint gemitus cordis. Et si ne hoc quidem beneficio tuo digni sumus; saltem non deficiat nobis amor gemituum, & desiderium lachrymarum.

Psalm. 85.

Finis Libri primi.

DE
GEMITV COLVMBAE,
Siue
DE BONO LACHRYMARVM,
LIBER II.

De primo fonte lachrymarum, qui est consideratio peccati.

CAPVT I.



ISSERVIMVS Libro superiore de necessitate lachrymarum: nunc de materia, ex qua nascuntur, siue de fontibus, vnde profluunt lachrymæ salutares, breuiter differemus. Fontes generales duo sunt, vt antea demonstrauimus; malum, & bonum; siue tristitia, & gaudium, vnde profluunt lachrymæ amaræ, & lachrymæ dulces; siue lachrymæ doloris, & lachrymæ amoris, quæ significatæ sunt per fontes abyssi, & cataractas cœli, vnde diluuium generale processit in diebus Noe; & per irriguum inferius, & superius, quod Axa poposcit à Patre in libro Iosue. Sed duo isti fontes generales in duodecim diuiduntur, qui significati videntur in libro Exodi per duodecim fontes aquarum, quos inuenerunt in deserto filij Israel, cùm primùm per mare rubrum exierunt de AEgypto, vt ad terram promissionis proficiscerentur. Sic enim & Christiani post baptismum proficiscentes per desertum Mundi ad patriam cœlestem, duodecim istis fontibus necesse habent; ne ariditate deserti penitùs opprimantur.

Gen. 7. Iosue 15. Exod. 15.

Primus igitur fons est consideratio deformitatis peccati. Sunt autem tria veluti capita consideranda, vt peccati deformitas penitus cognoscatur: primo peccatum ipsum: deinde peccatorum multitudo: denique quis sit ille, qui peccat, & quis ille, in quem peccatur.

Quod ad primum attinet, peccatum est offensio Dei, & omnium rerum, quas fecit Deus: proinde quicunque peccat, inimicitiam sumit aduersus Deum, & aduersus omnes res creatas. Cuius typum gessit Ismael, cuius *manus* erant *contra omnes, & manus omnium contra eum*, vt loquitur Moses in libro Genesis. Hoc certè solum, si attente cogitaretur, satis esse deberet, vt homo peccator horreret, nec auderet quocunque proposito præmio illud admittere. Et quidem quod omne peccatum lethale (nam de hoc loquimur,) sit offensio Dei, ex definitione colligitur. Sic enim peccatum definit sanctus Augustinus, quem Theologi omnes sequuntur, *Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* Est autem lex æterna ipsa summa, & sempiterna ratio Dei, quæ est ipse Deus: quamuis enim multæ dicantur leges, naturales, positiuæ, diuinæ, humanæ, Ecclesiasticæ, politicæ: omnes tamen ab vna æterna Dei lege dependent. Ideo enim iusta est quælibet lex, quia conformis est æternæ legi, & ab illa deriuatur, & est eius quasi quædam adumbratio. Et ideo peccatum est; si filius non obediat parenti, vel seruus Domino, vel ciuis Magistratui, vel populus Principi, siue Ecclesiastico, siue politico; quia lex æterna Dei iustum esse decernit, vt filij parentibus obediant, & serui Dominis, & ciues Magistratui, & populus Principi. Efficitur igitur, vt quicunque peccat, Deum offendat, atque ab obedientia Dei discedat; iugum eius excutiat; aduersus eum inimicitias gerat, & iustissimæ eius vindictæ subijciatur. Id quod testatur Deus ipse per Hieremiam dicens, homini peccatori, *A seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, dixisti, non seruiam.* & per Isaiam, *Transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum: propter hoc maledictio vorauit terram.* Idem testantur supplicia, quibus Deus afflixit ab initio Angelos præuaricatores, & primos parentes, & postea filios eorum per diluuium generale; & alias eiusmodi calamitates. Et denique idem testantur pœnæ sempiternæ, quas Deus per Prophetas, & Apostolos in Scripturis Sanctis peccatoribus comminatur.

Neque solum DEVM peccator offendit, sed omnes etiam DEI creaturas offendit; atque indignationem earum contra se prouocat. Primùm enim peccatum vnius hominis offendit alios homines, quos exemplo suo ad malum inuitat, & sæpe corrumpit; vt omittam peccata particularia, quibus vnus homo alterum lædit, quæ sunt innumerabilia. Deinde res alias corporales offendit, quas auertit à fine suo vero, & proprio, qui est DEVS, & detorquet ad finem contrarium DEO. Creauit enim Deus elementa, plantas, animantia, & ipsa luminaria cœli, vt homini deseruirent, & per obsequium homini exhibitum, ipsi DEO famularentur. Sed cùm homo per peccatum à DEO auertitur, reliquæ omnes creaturæ, dum peccatori deseruiunt, à Deo quodammodo auertuntur. Atque hoc est, quod Apostolus scribit in Epistola ad Romanos, cùm ait, *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. vanitati enim creatura subiecta est, non volens sed propter eum, qui subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Quæ omnia satis apertè demonstrant, res omnes creatas, quodam modo ægrè ferre & cruciari quòd seruire cogantur peccatoribus. Et propterea mirum non est, si in tempore nouissimo facultate à Deo accepta, pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Præterea offendit animas, quæ in Purgatorio degunt, quia priuat eas suffragijs, quibus refrigerari possent, si homo iustus esset. Item offendit Angelos sanctos, & animas beatas, quibus non minus displicet peccatum nouum, quàm placet noua conuersio peccatorum. *Gaudium enim est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Offendit etiam (quod admirabile est) ipsam gehennam. quo enim magis crescit multitudo impiorum, eo crescit etiam magis supplicium ipsorum. Hæc enim causa est, cur Diues epulo ab Abrahamo petierit, vt mitteret Lazarum ad fratres suos, vt testaretur eis, ne & ipsi descenderent ad locum tormentorum: non enim ex charitate id petere potuit homo reprobus, sed ex amore proprio petijt, ne ex præsentia fratrum dolor ipsius cresceret. Denique offendit ipse se omnis, qui peccat, quoniam spoliat animam suam gratia DEI, ex qua remanet cæcus, & nudus, & pauper, & miser, & miserabilis, quamuis ex interna mentis cæcitate, sibi diues, & locupletatus, & nullius egere sibi videatur, vt dicitur in Apocalypsi. En igitur quanta sit, & quàm lacrymabilis deformitas, & crudelitas, & malitia venenata peccati.

Verè scribit Sanct. Ioannes Chrysostomus neminem lædi, nisi à seipso. quoniam omne malum, quod extrinsecus aduenit, siue ab hostibus, siue ab elementis, siue à morbis, siue à Diabolo, omnia cooperantur in bonum, si peccatum absit. nam cum peccatum abest, Deus adest, & *si Deus pro nobis, quis contra nos?* At cùm quis animam suam peccati veneno interficit, simul omnia pereunt bona, & irruit in hominem innumerabilis turba malorum. Quare si peccator ista consideraret, vix fieri posset, quin totus verteretur in lacrymas. Sed quoniam potest homo se ipsum occidere per peccatum, sed non potest ipse se viuificare per gratiam, clamet sæpe dum viuit, *Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, prænalui aduersus eum.* Et si fortè in morte

Margin notes: Genes. 16. — Lib. 2. contra Faustum c. 27. — Hier. 2. — Isa. 24. — Rom. 8. — Sap. 5. — Luc. 15. — Luc. 16. — Apoc. 3. — Rom. 8. — Psal. 12.

Ephes. 5. iam obdormierit, & ex magna misericordia Dei clamantem spiritum intus in corde audierit, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*; caueat, ne sinat obdurari cor suum, sed audiat vocantem à morte ad vitam: non enim gratiam vocationis donaret, nisi & vitam donare disponeret. Sequatur igitur præuenientem, ambulet cum comitante, laboret in gemitu suo, lauet per singulas noctes lectum suum; sic enim tandem respirabit in misericordijs Domini, & cantabit in vijs eius, *Quia magna est gloria Domini.*

Veniamus nunc ad multitudinem peccatorum, quod erat alterum caput. Profectò si quis mentem conuertat ad multitudinem peccatorum, quæ ab vnoquoque nostrum quotidie perpetrantur, obstupescet omnino, & horrebit. Propheta Dauid clamat, & dicit, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Quasi dicere vellet, tot esse nostra delicta, vt numerari non possint: præsertim cùm multa sint nobis occulta, quę oculos Dei non fugiunt, quamuis oculos nostros fugiant. Hinc B. Apostolus etiam clamat, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. qui enim iudicat me, Dominus est,* qui multa fortasse deprehendet, & reprehendet in me, quæ ego non reprehendo, quia non deprehendo. Quis sapiens hanc tantam miseriam, non vehementer deploret? Sed Propheta Dauid pergit ad maiora, quippe qui diuina luce illustratus, multa videbat, quæ nostris tenebris, valde minuta, aut etiam nulla esse videntur. Sic enim loquitur in alio psalmo, *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Quorum verborum hæc videtur esse sententia. Iniquitates meæ multæ sunt, & magnæ; & quidem tam multæ, vt me totum obruant, & super caput meum exaltentur: quomodo cum quis immersus in aquis, vndique aquis obruitur. Nec solum iniquitates meæ vndiq; me operiūt multitudine sua, sed etiam mole sua ita me grauant, vt importabiles mihi esse videantur. Hæc videbat Dauid, & ideo lauabat per singulas noctes lectum suum: nos ne minimam quidem partem peccatorum nostrorum cognoscimus, & ideo peccata nostra corde arido tum ipsi Deo, tum sacerdotibus confitemur. Atque huius rei causa est, quia peccatorum multitudinem, & grauitatem, pauci sunt, qui in statera seriæ considerationis appendant.

Sed audiamus quid Apostoli de multitudine delictorum dicant. sanct. Ioannes in epistola sua, *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* & non dixit, non habuimus, sed non habemus; vt ostendat, etiam in illa summa vita perfectione, peccatum in se agnoscere. Et sanctus Iacobus adhuc clarius; *In multis offendimus omnes.* O nos verè cæcos, & miseros! quis delicta nostra numerabit, si Apostoli, post acceptum Spiritum sanctum, & illo copioso imbre mundati, non mentiuntur, cùm dicunt. *In multis offendimus omnes?* Et si *septies in die cadit iustus*, vt Sapiens loquitur: quoties cadent iniusti, & imperfecti? nonne saltē septuagies septies?

Psal. 18. · 1. Cor. 4. · Psal. 37. · 1. Ioan. 1. · Iacob. 3. · Prou. 24.

Hæc sanè consideratio ita me terret, & confundit, vt videar mihi semper in luto & sordibus volutari, vel certè inter spinas & tribulos sic ambulare, vt punctiones frequentes euitare non possim. Vnde illud Isaiæ mihi, & mei similibus conuenienter aptari censeā, *A planta pedis vsque verticem capitis non est in eo sanitas.* Et fieri poterit, vt quis hæc vulnera, has sordes, hæc innumerabilia delicta verborum, operum, cogitationum, omissionum attentè consideret, & non amarissimè fleat? Fateor mihi Virginem Deiparam ea de causa præter alia dona, valdè admirabilem videri, quòd immaculata semper ambulauerit in via lutosa huius vitæ, & intacta inter spinas huius deserti, & hanc eius gloriam inter illa magna numerandam in primis esse, de quibus ipsa cecinit, *Fecit mihi magna, qui potens est.* Sed si priuilegium Deiparæ est, omni peccato carere, & ad culpas abluendas lacrymis non indigere: nos tamen eniti debemus, vt ad eius puritatem, quàm vicinissimè propinquemus. Id vero tunc facimus, cùm per Dei gratiam, & eiusdem Virginis intercessionem, peccata cauemus, & culpas admissas primo quoque tempore lacrymis abluere festinamus.

Isa. 1. · Luc. 1.

Restat caput postremum, de comparatione hominis cum Deo; hæc enim comparatio, si vt oportet, instituatur, satis efficax esse poterit ad flumen lacrymarum de petra durissima cordis humani eliciendum. Quid igitur est Deus, quem homo peccator offendit? & quid est homo, à quo Deus immortalis offenditur? Deus est res quædam ex se sufficiens, & nullius egens, iuxta illud Prophetæ, *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Homo est res nihil omnino ex se habens, & omnium bonorum egens. Quale igitur monstrum est, si quod est ex se nihil, & mendicare cogitur à Deo fonte omnium bonorum, omnia sibi necessaria; erigat manus, vt pugnet contra ipsum Deum? Quid est Deus, & quid est homo? Deus est Rex seculorum qui semper fuit, & semper erit, & qui idem semper est, & anni eius non deficiunt; homo est vapor ad modicum parens, qui paulo ante non erat; & paulo post non erit, & nunc esse momentaneum possidet. Quo modo igitur audet homo tam fragilis Deum, qui solus habet immortalitatem ad iracundiam prouocare? Quid est Deus, & quid est homo? Deus est omnipotens, apud quem nihil est impossibile, & cui nemo resistere potest; homo est vermiculus terræ, subiectus vestigijs Dei, à quo si paululum comprimetur, extinguitur. Et vnde igitur tam ingens superbia huic vermiculo, vt Deum offendere, non pertimescat? Quid est Deus, & quid est homo? Deus est solus sapiens, quē nulla latet cogitatio, & qui scrutatur renes & corda. Sed cogitationes hominum timidæ sunt, & incertæ prouidentiæ nostræ. Cur igitur homo tantum confidit in astutia sua, vt speret, se fallere posse omnia videntem, & omnia scrutantem Deum? Ac, vt

Psalm 15. · Psal. 101. · Iacob. 4. · Luc. 1. · Psal 75. · Rom. 16. · Psal. 7. · Sap. 8.

multa

multa prætercam, quid est Deus, & quid est homo? Deus est pater amantissimus, & beneficentissimus, qui si tolleret ab homine, quæ in eo posuit; nudus omnino remaneret homo, & ad nihilum plane redigeretur. Et fieri potest, vt patris tam boni reperiatur filius tam malus, qui patrem ipsum, si posset occideret? Et tamen verè reperiuntur blasphemi, & rabidi homines, qui Deum de cœlo detraherent, & conculcarent, & ad nihilum, si possent, omnino redigerent. Denique quid est Deus, quid est homo? Deus est verus, & naturalis Dominus omnis creaturæ: homo est verus, & naturalis seruus creatoris sui; & tamen inueniuntur, tam iusti Domini tam rebelles serui, vt contra omnem naturæ ordinem ab illo deficere, & creaturam in eius locum exaltare contendant. Sed verbis sancti Bernardi totum hunc locum claudere volo, *Cogita*, inquit, *Patrem, cogita Dominum, ad omnia reus es; plange per singula. Ipse quidem patrem se exhibuit mihi; sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? pudet indigna gessisse genere meo: pudet tanto patri vixisse degenerem. Exitum aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam. Deficiat in dolore anima mea, & anni mei in gemitibus.* & infra, *Esto*, inquit, *quòd dissimulet Pater, ignoscat beneficus: sed non Dominus, & Creator. Et qui parcit filio, non parcet figmento, non parcet seruo nequam. Pensa cuius sit formidinis, & horroris, tuum atque omnium contempsisse factorem, offendisse Dominum maiestatis. Maiestatis est timeri, & Domini est timeri, & maximè huius maiestatis, & huius Domini. Nam si reum Regiæ maiestatis, quamuis humanæ, humanis legibus plecti capite sancitum est: quis finis contemnentium diuinam omnipotentiam erit? tangit montes, & fumigant: & tam tremendam maiestatem audet irritare vilis puluisculus vno leui flatu mox dispergendus, & minimè recolligendus? Ille ille timendus est, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere in gehennam.* hæc sanctus Bernardus, cui socium adiungere placet sanctum Ioan. Chrysostomum, qui in libro posteriore de cōpunctione cordis hortatur fideles omnes, vt non contenti sint semel defleuisse peccata; sed in corde tanquam in libro descripta gerant omnia delicta sua, maiora, & minora; & sæpe sæpius ea relegant, & lacrymis compunctionis lauare curent: imitantes sanctum illum Regem, qui dicebat, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Serm. 6. in Cant.

Isa. 38.

CAPVT. II.

De secundo fonte lacrymarum, qui est consideratio gehennæ.

CONsiderauimus malum culpæ: nunc malum pœnæ considerare aggredimur: hæc enim consideratio secundus fons lacrymarum dici potest. Quamuis autem timor, & dolor pœnæ minus perfectus sit, quàm timor, & dolor culpæ: tamen vterque bonus, atque vtilissimus est, & ex vno fit gradus ad alterum. Certè Dominus & Magister noster Christus disertis verbis ait, *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* & rursus de fletu, ad pias feminas, quæ sequebantur eum cum lacrymis ad montem Caluariæ, vt ibi crucifigeretur, ait, *Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos; & collibus, operite nos: quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Non ægrè tulit Dominus, neque prohibuit officium pietatis, quo feminæ illæ passionem eius deflebant; sed indicare voluit, maiorem lugendi causam habere eas, quæ genuerunt filios reprobos, quales erant plerique eorum, qui publicè clamauerunt, *tolle, tolle, crucifige eum.* &, *sanguis eius super nos, & super filios nostros:* Isti enim dicturi sunt in die iudicij montibus, *cadite super nos, & collibus, cooperite nos.* nam si in ligno viridi, hoc est in Christo virente, & florente omni genere virtutis, propter aliena peccata, ignis passionis ita exarsit: quid fiet in arido, id est, in hominibus reprobis, in quibus omnis humor charitatis exaruit?

Luc. 12.

Luc. 23.

Ioan. 19. Matth. 27.

Ad hæc duo loca scripturæ, in quibus laudatur, vel imperatur à Christo timor, & fletus, ad effugienda gehennæ supplicia, addamus loca duo ex patribus. Sanctus Basilius oratione in Psalmum trigesimumtertium explicans illud, *Timorem Domini docebo vos. Cogita*, inquit, *profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carentem splendore, vrendi quidem vim habentem, sed priuatum splendore: deinde vermium genus venenenum immittens, ac carnem vorans, inexplebiliter edens, neque vnquam saturitatem sentiens, intollerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Postremo, quod est omnium grauissimum, opprobrium illud, & confusionem sempiternam. Hoc time, & hoc timore correptus, animam à peccatorum concupiscentia, tanquam freno quodam reprime. Hunc timorem DOMINI se docturum Propheta promisit.* hæc Basilius. Audiamus nunc sanctum Bernardum: hic sermone sextodecimo in Cantica, sic loquitur, *Vt paueo*, inquit, *gehennam: contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam: horreo vermem rodentem, & ignem torrentem; fumum, & vaporem, & sulphur, & spiritum procellarum: horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt præueniam fletibus fletum, & stridorem dentium?* At certè Basilius, & Bernardus, Græcus vnus, Latinus alter non erant peccatores, neque incipientes, qui solo timore cessarent à peccatis; sed viri perfecti, docti, graues, qui alios docere possent, & re ipsa non popu-

los tantum, sed etiam Clericos, & Monachos instituebant, & ad perfectionis regulam informabant; & tamen timorem, & fletum gehennæ causa, non solum admittunt, aut permittunt, sed etiam laudant; & ad timorem concipiendum, atque ad lacrymas fundendas omnes hortantur.

Hoc igitur iacto fundamento, ostendamus breuiter, quę & qualia sint gehennę supplicia. Et quoniam nolumus per res dubias, aut incertas vagari, ne videamur vana terriculamenta quærere, quibus ab oculis simplicium lacrymas excutiamus: ea solum adferemus in medium, quæ in Scripturis sanctis perspicuè luculenterque traduntur. Igitur octo tormentorum genera leguntur in libro Dei, quæ ad gehennam pertinent: Priuatio beatitudinis æternæ, quæ à Theologis dicitur pœna damni: tenebræ, ignis, vermis, immobilitas, societas dæmonum; ex quibus in damnatis sequitur fletus, & stridor dentium; quæ dicuntur pœnæ sensus; atque horum omnium veluti condimentum amarissimum, sempiterna duratio.

Prima igitur est pœna damni, aberratio ab vltimo fine, carentia visionis Dei, exilium sempiternum à cœlesti patria, amissio iuris hæreditarij ad regnum cœlorum, denique iactura bonorum omnium, in omnia secula seculorum. An hæc sola nomina sufficere non deberent ad excutiendas lacrymas à cordibus lapideis? Sed vbi leguntur hæc in libro Dei? Audi Regem cœlorum in vltimo iudicio sententiam proferentem: *Ite maledicti: venite benedicti.* Illud reprobis dicitur, hoc dicitur electis. Audi eundem, *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cùm autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis; & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis.* Audi Prophetam Isaiam: *Misereamur impio, & non discet iustitiam: in terra sanctorum iniquè gessit, & non videbit gloriam Dei.* Denique si solis mundis corde promittitur visio Dei, dicente Domino, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* Certè immundi corde, quales erunt omnes reprobi, Deum nunquam videbunt. Neque solùm Deum non videbunt; sed neque ciuitatem Dei, quæ est superna Hierusalem, vbi sunt omnes boni, & omnia bona, nunquam videbunt, dicente sancto Ioanne in Apocalypsi, *Non intrabit in eà aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.* Et rursus, *Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem; Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Porrò pœnam hanc damni non magni faciunt, qui capti amore rerum temporalium, non gustauerunt bona cœlestia: sed qui habent oculos mentis rectos, & puros, & vel modicum cœlestia gustauerunt, pœnam damni longe grauiorem, & acerbiorem omnibus supplicijs, atque tormẽtis corporalibus esse non dubitant. Audi

Matth. 25.
Luc. 13.
Isa. 26.
Matth. 5.
Apoc. 21.
Apoc. 22.

sanctum Ioannem Chrysostomum, *Qui*, inquit, *in gehenna vritur, & cœlorum regnum prorsus amittit, quæ pœna certè maior est, quàm cruciatus ille flammarum. Noui autem, quia plurimi pertimescunt gehennam: ego tamen illius gloriæ amissionem multo amarius, quàm ipsius gehennæ dico esse supplicium. Si vero id non possum sermone monstrare, nihil est omnino mirandum. Neque enim nouimus illorum beatitudinem præmiorum, vt infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discemus, cùm experimento cœperimus edoceri. Itaque tunc aperientur oculi, tunc auferetur velamen, tunc cum ingenti dolore impij videbunt, quid inter bonum æternum, & summum, & hæc caduca, & fragilia discriminis sit.* hæc ille. Itaque interim dum non possumus experimento discere, quanto interuallo superet amissio beatitudinis supplicia corporalia: credamus testimonio tanti viri: & cùm certo experimento didiceremus, vstionem carnis rem esse planè intolerabilem; prudenter colligamus, amissionem felicitatis æternæ, rem esse, si sic loqui licet, plusquam intolerabilem. Et ideo dum tempus est acceptabile, & dum pretio lacrymarum amissio illa redimi potest, non parcamus vtilibus lacrymis, ne postea eam amissionem inutiliter deploremus.

Hom 24. in Matth.

Altera pœna gehennæ, tenebræ sunt exteriores: sic enim legimus in Euangelio, *Filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores.* & rursus, de eo, qui inuentus est sine veste nuptiali, id est, absque vera charitate: *Mittite eum in tenebras exteriores.* & de seruo, qui non multiplicauit talenta, *Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores.* Quod idem videtur significare voluisse Iob cùm locum damnatorum vocat *terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Et ratio ipsa idem persuadere potest, cùm locus reproborum sit in centro terræ, loco videlicet longissimè remoto à sedibus beatorum, qui dicitur in scripturis infernus inferior, & cor terræ, & abyssus. Iste enim locus cùm sit infrà superficiem terræ ad aliquot millia milliariorum, sine dubio non penetratur à sole, neque lumen vllum admittit, aut lunæ, aut stellarum. Et quamuis ibi sit ignis, isque corporalis, vt paulo post dicemus: tamen ex sententia sancti Basilij supra citata, ignis ille tartareus vim habet vrendi, non lucendi: & si fortè luminis aliquid sulphurei, & caliginosi in eo sit, ad hoc tantum erit, vt miseri illi videant partem ærumnarum suarum, vt filios, aut fratres, aut alios charos in eadem secum damnatione, culpa sua positos, aut horribiles dæmonum facies, quas si possent à se auertere libentissimè facerent.

Matth. 8.
Matth. 22.
Matth. 25.
Iob. 10.
Psal 85.
Matth. 21.
Luc. 8.

Porrò dicuntur illæ tenebræ exteriores, vt distinguantur ab interioribus, quas in hac vita impij patiuntur. nunc enim impij, atque omnes seculi huius amatores apertos habent oculos cordis, & corporis ad felicitatem seculi huius. proinde nihil pulchrum existimant, & nihil amant, nisi, quæ sensibus

carnis

carnis huius pateant; & contra nihil oderunt, aut auersantur, nisi calamitates, atque ærumnas vitæ præsentis, deque illis solis auertendis laborant. Sed quàm oculati sunt ad exteriora, & corporalia, tam cæci sunt ad interna, & spiritualia, de quibus Apostolus ad Romanos, *Obscuratum est*, inquit, *insipiens cor eorum.* & ad Ephesios, *Vt iam non ambuletis sicut gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à via Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum.* Quemadmodum igitur reprobi habent in præsenti tempore tenebras interiores, & lucem exteriorem: sic in futuro patientur tenebras exteriores, & lucem interiorem; non quidem lucem interiorem ergà cognitionem Dei, sed erga miserias suas, vt ea lux maius tormentum illis adferat. Intelligent enim res temporales cum tempore euanuisse, & pœnitentiam agent infructuosam. De quibus dicit Sapiens, *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes, dicent intra se, ergo errauimus à via veritatis, & sol iustitiæ non luxit nobis.* Habebunt igitur lucem interiorem, quanta satis erit, vt cognoscant errores suos: sed patientur tenebras exteriores, vt nihil omnino cernant, quod solatium illis adferre, aut quod infelicitatem minuere queat.

Rom. 1. Ephes. 4. Sap. 5.

Quale sit hoc tormentum præsertim ijs, qui sunt assueti delectationibus oculorum, testis esse potest senior Tobias, qui cùm Angelus ei dixisset, *Gaudium tibi sit semper.* respondit, *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video.* Et si bonus iste Tobias nullius omnino gaudij sibi particeps esse posse videbatur, dum cæcus esset, quid de illis sentiendum est, qui per omnem æternitatem in tenebris iacebunt? expectabunt lucem, & non videbunt, nec ortum surgentis auroræ?

Tob. 5.

Cùm aliquis nostrum iacet solus in tenebris noctis, acuto aliquo dolore somnum penitus excludente, quàm longam, & quam laboriosam experitur noctem? & quam anxiè horas numerat, & noctis finem expectat? Quid igitur miseri illi patiuntur, qui certi sunt in tenebris & doloribus sempiternis semper se vigilaturos, & consolationem nullam vnquam habituros?

Quid iam de ignis supplicio dicam, quæ est apud inferos pœna tertia? Futurum apud inferos ignis perpetui supplicium horribile, docet Euangelium multis in locis, & tam dilucidè, vt nulla tergiuersatio excogitari possit. Apud Matthæum loquitur sanctus Ioannes Baptista de Christo dicens, *Cuius ventilabrum in manu eius, & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili;* & Christus ipse de Zizanijs, id est, peccatoribus ait, *Et mittet eos in caminum ignis.* & rursus, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Item apud Marcum Dominus ait, *Bonum est tibi claudum introire in vitam, quàm duos pedes habentem mitti in ignem inextinguibilem.* Et apud Lucam, *Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Denique apud Ioannem, *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet: & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Et in Apocalypsi, *Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* & paulò pòst, *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure quod est mors secunda.* Itaq; de supplicio ignis nulla dubitatio esse potest. Neque vero existimandum est, ignem gehennæ, esse ignem metaphoricum, aut spiritualem, quia præparatus est Diabolo, & Angelis eius, vt legimus apud Matthæum. Nam sanctus Gregorius lib. 4. Dialogorum disertis verbis affirmat, ignem illum esse corporalem, & corpora cum spiritibus crematurum, atque eum omnis schola Theologorum sequitur. Quemadmodum autem possint ab igne corporali spiritus cruciari, longam disputationem requirit. Sanctus Augustinus vno verbo rem totam absoluit, cùm scribit, id fieri miris, sed veris modis. Quod idem responderi potest, si quis petat, vnde suppeditentur fomenta igni perpetuo: & quomodo corpora reproborum semper vrantur, & æterno tempore non consumantur? Ista enim omnia fieri miris, sed veris modis Ecclesia Catholica credit, & secura credit, quia qui id facit, omnipotens est, & qui id reuelauit, infinita sapientia, & prima veritas est. Sed his omissis ad nos potius pertinet, attentissimè cogitare, quale supplicium sit, corpus humanum sensu tangendi verè præditum igne sulphureo, cum acerrimo dolore torreri, & nunquam consumi; vt in qua voluntate peccatum nunquam finietur, in eius anima, & carne cruciatus nunquam finiatur.

Matth. 3. Matth. 13. Matth. 25. Marc. 9. Luc. 3. Ioan. 15. Apoc. 20. Apoc. 21. Matth. 25. Libro 4. Dialog. cap. 29. Lib. 21. Ciu. c. 10.

Multa sunt ab hominibus excogitata supplicia, sed nullum acutius, nullum vehementius, nullum acrius igne. Sed quemadmodum nullum est, quod acrius torqueat, sic nullum est, quod velocius consumat, & cruciare desinat. In quo igitur statu miseri illi sunt, qui ab igne torrentur; qui acutissime cruciat, & cruciare nunquam definet? Certè si ista cogitarentur attentè, & crederentur fideliter; nemo peccatorum lethalium sibi conscius posset à gemitu, & lacrymis sibi temperare. Vtinam saltem, qui criminum conscientia tanguntur, verba illa Isaiæ, tanquam sibi à Spiritu sancto dicta, iterum atque iterum cogitarent; *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* ac si peccatoribus dicere voluisset, nolite tollere super vos onus, quod ferre minime poteritis. periculum facite, an possitis habitare cum igne vorante: extendite manum ad ignem; tentate quandiu acerbitatem eius ferre possitis: quod si ne ad horam quidem dolorem illum sustinere valetis; quo modo habitabitis cum ardoribus sempiternis? Abstineatis igitur cor à concupiscentia mala, abstinete linguam à verbo malo; abstinete manum ab opere malo: & si

Isa. 33.

quid

quid corde, verbo, aut opere iam peccastis; diluite lacrymis, confessione, ieiunijs, atque eleemosynis. hæc enim est via fugiendi ab igne deuorante, & declinandi ab ardoribus sempiternis.

Sequitur pœna gehennæ quartá, vermis rodens, quem vermem in pœnis gehennæ numerat Isaias Propheta, & Marcus Euangelista. Isaias in extremo libro suo de peccatoribus dicit, *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Eandem sententiam Dominus apud Marcum de supplicio gehennæ disputans tertiò repetit, *Vbi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Et quidem S. Basilius in explicatione Psalmi 33. vermé istum corporalem esse futurum significat, genus videlicet vermium venenum immittens & carnem vorans, inexplebiliter edens, neque vnquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Sanctus tamen Augustinus in libris de Ciuitate Dei, probabilius, esse censet, ignem, qui non extinguitur pertinere ad corpus, vermem autem, qui non moritur, pertinere ad animam. Atque hanc sententiam Theologi sequuntur. Iste igitur vermis, qui nunquam moritur, est conscientia peccati, quæ velut canis rabidus semper latrat, ac veluti vermis venenatus semper rodit. Reuocat enim ad mentem, quàm imprudenter, ac stultè se gesserit, cùm vilissimo pretio terrenæ voluptatis Regnum cœlorum amisit, & cùm pretio inæstimabilis mali tormentorum gehennæ carnis delicias sordidissimas, atque breuissimas emit. Et quidem in hac vita eiusmodi reprehensionem conscientiæ latrantis, & mordentis varijs rationibus nunc dormiendo, nunc legendo, aut aliquid operando lenimus, vel mitigamus: sed apud inferos vbi nulla somni quies, nulla lectio, vel operatio aderit, vermis ille conscientiæ dies noctesque sine intermissione corrodet animæ viscera, & sibi ipsa animà irascetur, & tabescet, & quietem nullam inueniet. Sic enim intra se impij dicent, O tẽpus illud aureum, quod iam præterijt, & in æternum non reuertetur. O nos cœcos, & stultos, quis nobis mentem abstulit, quis oculos clausit, quis aures obstruxit, vt de præsentibus supplicijs nunquam cogitaremus? Et tamen non defuerunt, qui nos publicis, & priuatis exhortationibus admonerent. Quid nobis iam prosunt, quæ fallax mundus offerebat, vt tam terribilem Deum ad iracundiam prouocaremus? Sed & si Regna, & Imperia cum omnibus diuitijs, & delectationibus obtulisset, & illis ad multa annorũ millia frui nobis licuisset, quid erant illa omnia, vt cum his pœnis, & supplicijs æterno tempore duraturis, comparari potuissent? Cum igitur non Regna & Imperia longissimo tempore duratura, sed vmbrã amarissimæ voluptatis nobis obtulerit, quis ita crudeliter nos fascinauit, vt in hæc tempora nunquam respiceremus, & benè monentes nõ audiremus. Hæc & alia his similia verba, sine vllo fructũ, iterum atque iterum repetent miseri illi, quorum vermis non morietur, & ignis non extinguetur.

Esa. 66.

Marc. 9.

Lib. 21. Ciu. c. 9.

Quinta pœna gehennæ vincula illa sunt, quibus alligati reprobi se mouere non poterunt. Sic enim legimus in Euangelio dicentem Dominum de illo, qui inuentus est sine veste nuptiali, *Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores.* Et hoc idem de Angelis malis scribit Apostolus Iudas in Epistola sua cum ait, *Angelis, qui non seruauerunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Hæc alligatio manuum, & pedum non significat aliud, nisi reprobos in gehenna non habituros facultatem ambulandi quocunque voluerint, sed vno in loco in æternum mansuros; nec solum non ambulare, sed ne cõmouere quidem se poterunt. id enim significat alligatura, non solum pedum, sed etiam manuũ. Et si quidem requiescere datum esset habitatoribus gehennæ, tolerabile fortasse esset in vno loco semper hærere: sed cùm vndique stimulentur morsibus vermium, & ignis ardoribus; intolerabile omnino erit se cõmouere non posse. Quàm crucem patiuntur ægroti, quando febribus æstuant, & se loco mouere non possunt? Quam crudele tormentum excogitauit impietas gentilium cùm Marcum Arethusium martyrem arctissimè colligatum exposuerunt nudum ad solem melle perunctum morsibus vesparum, atque muscarum, quas nec recedendo ex eo loco, nec manibus abigere poterat? Refert hoc sanctus Gregorius Nazianzenus oratione prima in Iulianum, vt ostendat quousq; peruenerit Diaboli astutia in martyribus cruciandis. Sed martyrem consolabatur breuitas temporis, quo cruciatum illum sustinere cogebatur; & perennitas gaudij, quod in cœlis habiturus erat: & fortasse illud Apostoli apud se interim reuoluebat, *Hoc quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sed miseri illi, atque omni lacrymarum fonte plangendi, quos ipsorum mala opera ad inferos detruserunt alligati manibus ac pedibus; atque expositi morsibus vermiũ, facibus ignis ardentis, neque vermes abigere, neque incendium declinare, neque leuamentum vllũ, ne dicam gaudiũ expectare poterunt vsque in æternũm.

Sexta pœna apud inferos erit societas Diaboli, & Angelorum eius; sic enim loquitur Dominus in Euangelio, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Quod etiam legimus in Apocalypsi, cuius hæc sunt verba, *Et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte.* & paulo post additur, ad idem stagnum ignis, & sulphuris mittendos omnes, qui non sunt scripti in libro vitæ.

Neque solùm Scriptura sacra, quæ sola sufficeret, sed etiam sancti Patres Basilius in explicatione Psalmi tricesimitertij, sanctus Augustinus in Enchiridio, & sanctus Bernardus in Cantica, & alij passim hoc docent. Quanta autem pœna sit, habitare perpetuo cum hostibus crudelissimis, qui genus humanum grauissimo odio prosequuntur, & qui in Scripturis Leonibus, & Draconibus, Aspidibus, &

Matth. 22.

2. Cor. 4.

Matth. 25.

Apoc. 20.

In Psalm. 33. Enchi. c. 26. Serm 16.

Basi-

Basiliscis comparantur, facile est iudicare. Pars magna felicitatis Sanctorum est habitare cum Angelis sanctis, qui & plurimi sunt, & omnes amici, & omnis sapientiæ, & virtutum fulgore decori. Igitur etiam pars magna erit infelicitatis impiorum hominum habitare perpetuò cum spiritibus immundis, qui & ipsi plurimi sunt, & omnes hostes generis humani, & deformissimi, atque deterrimi. Quare non mirum est, si reprobi homines in profunda gehenna fleant assiduè, & strideant dentibus, quæ sunt duæ postremæ damnatorum pœnæ, iuxta verbum Domini, *Filij autem Regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentiū.* Et rursum, *Discedite à me omnes operarij iniquitatis: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Et iterum, *Eos, qui faciunt iniquitatem, mittent in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Et iterum, *Ligatis manibus, & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Denique alio loco, *Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Non sine causa Dominus tam crebro hanc sententiam repetiuit, nimirum, vt imprimatur cordi hominum hæc veritas salutaris. Siquidē fletus, & stridor dentium assiduus, & sempiternus omnia gehennæ tormenta quasi in epilogo, & summa complectitur. Fletus indicat dolorem; stridor dentium horrorem, quæ nascuntur ex iactura felicitatis, ex igne torrente, ex verme rodente, ex carcere tenebroso, ex cohabitatione denique infernalium bestiarum. Itaque reprobi omnes, quia noluerunt hic in terris peccata sua deflere ad modicum tempus, deflebunt inconsolabiliter tēpore sempiterno: & quia noluerunt, horrere hic in terris, vt par erat offensam Creatoris, horrebunt in gehenna horrore perpetuo pœnarum suarum incredibilem acerbitatem. Clamauerat quidem Apostolus, *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Sed illi surdi fuerunt ad hanc vocem, nunc autem veritatem eius dentium suorum stridore testantur.

Matth. 8.
Luc 13.
Matt. 13.
Matt. 22.
Matth. 25.
Hebr. 10.

Hæc autem scripta sunt omnia propter nos, qui adhuc in biuio sumus. Illi enim, qui sunt in termino spem salutis nullam habere possunt, etiam si lacrymis pęnitentiæ aquas Oceani superarent. Quare anima Christiana pretio lacrymarum nunc vtere, dum magni fiunt, dum acceptabiles sunt Domino Deo nostro. Noli expectare tempus, cùm tempus non te expectet. Attende quàm multi repentina morte rapiantur ad inferos, qui si voluissent, quando tempus erat, deflere peccata, & horrere gehennam, nunc in eo loco non essent, vbi fletus, & stridor dentium, id est, sempiternus horror inhabitat.

CAPVT III.

De tertio fonte lacrymarum, qui est consideratio passionis Christi.

FONS tertius lacrymarum, Passio est Domini nostri IESV Christi. Sed antequam hunc fontem aperiamus, & aquas lacrymarū hauriamus de fontibus Saluatoris, remouendus est obex, qui videtur impedire fontis apertionē. Posset enim alicui venire in mentē eiusmodi dubitatio, cur videlicet flēda sit passio, quæ præterijt, & non solum præterijt, sed etiam in gloriā maximam versa est? compassio enim non debet esse prolixior passione: passio Christi à multis iam annis transijt: cur ergo compassio simul non transiit? Certè cùm mulier parturit, quod est exemplum Saluatoris apud Ioannem, tristitiam habet, quia venit hora doloris eius; & si qui adsint cognati, aut amici, simul cum illa tristitiam habent, quia patienti compatiuntur: sed cùm peperit filium, & dolor euanuit, tunc ipsa lætatur, & ipsi etiam amici, & proximi collætantur. Atque hoc ipsum Ecclesia seruat in passionibus Martyrum, dum enim Martyres paterentur, compatiebantur fideles, qui aderant; sed nunc consummato Martyrio, Ecclesia canit, & dicit, *Gaudeamus in Domino diem festum celebrantes sub honore B. Martyris, de cuius passione gaudent Angeli.* Denique sanctus Leo Papa in serm. decimo de passione Domini. *Desiderata,* inquit, *dilectissimi & vniuerso optabilis mundo adest festiuitas Dominicæ passionis, quæ nos inter exultationes spiritualium gaudiorum silere non patitur.* Et paulò infrà, *Quid autem inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis oblectat, & superat, sicut passio Saluatoris?* Sanctus igitur Leo in passione Domini inuenit festiua gaudia, spiritualem exultationem, & mentis contemplationem oblectantem animum, non tristitia, & lacrymis conficientem. Sed hunc obicem obstruentem fontem lacrymarum facile remouebimus, si cogitemus, in passione Domini vtrunque reperiri: gaudium, & mœrorem: exultationem, & fletum. Nam Dominica passio tribus modis considerari potest, vt est in se, vt causa, & vt effectus. Si passio Domini consideretur, vt in se est, ac præsertim si contemplanti animo repræsentetur, vt præsens, fontes lacrymarum sine dubitatione scaturire faciet etiam ex corde lapideo. Si consideretur, vt causa redemptionis humani generis, nec non vt clauis aperiens credentibus regna cælorum, atque vt triumphus de Principe huius mundi; tum vero non mœrorem, & lacrymas, sed gaudium, & exultationem in cordibus contemplantium excitabit. Si denique consideretur, vt effectus peccatorum nostrorum, iterum dolorem, & lacrymas vbertim emanare faciet. Quod igitur initio dicebatur de compassione, quæ non est diuturnior passione, verum est, quando passio consideratur, vt præterita, & vt causa gloriæ. Et quoniam passiones Sanctorū recoluntur solùm, vt præteritæ, & vt fuerunt causa meritorum, & triumphi; ideò cum lætitia, & exultatione, non cum mœrore, & lacrymis recoluntur. De Christo vero seorsim Ecclesia celebrat męstitiam passionis in triduo ante Pascha; & gloriā resurgentis in triduo post Pascha. Et primo tempore considerat passionem in se, ac veluti præsentem; in posteriore considerat, vt causam triumphi, atque etiam, vt verè pręteritam. non enim potest passio præsens cum resurrectione coniungi. Neq; est eadem ratio Christi, & Sanctorum Martyrum. Christus enim non sibi solùm meruit gloriam exaltationis, sed

Ioan. 16.

nobis etiam meruit redemptionem: & nunc operatur passio Christi, vt præsens in Sacramentis; ideò celebrari debuit eius passio, vt præsens, & vt præterita: passio verò Sanctorum Martyrum ipsis propriè solùm peperit coronas. Sic enim loquitur S. Leo serm. 12. de passione Domini. *Acceperunt iusti, non dedêre coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippè in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit, cùm inter filios hominum solus Dominus noster Iesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt suscitati.* hæc sanctus Leo, qui cùm in alio sermone indicat passionem Domini cum exultatione esse celebrandam, & in eius contemplatione mentem oblectari: loquitur de exultatione, & oblectatione, quam secum ferût lacrymæ sanctæ. Nam ipse etiam Sanctus Bonauentura, qui passim hortatur homines ad lacrymas in passione Domini meditanda, coniungit cum similibus lacrymis gaudium magnum: sic enim loquitur in stimulo diuini amoris: *Intuens Christum Crucifixum deuotionis, & compassionis lacrymis vberius irrigatur, & lacrymando suauissimè delectatur.* His igitur omissis, duo breuiter explicabimus, vnum de passione Christi deflenda, cùm vt præsens meditantis animo repræsentatur: alterum, de passione Christi pariter deflenda, cùm vt effectus peccatorum nostrorum seriò consideratur.

Par. 1. cap. 1.

Ac primi quidem capitis exemplum habemus Seraphici Patris S. Francisci, qui teste Sancta Bonauentura in eius vita, frequenter secedebat in syluas, aut alia deserta loca, nocturno potissimum tempore; atque ibi magnis vocibus deplorabat, quasi ante oculos suos positã Dominicam passionẽ, quod idem nobis esse faciendum docet idem S. Bonauentura parte prima cap. secũdi stimuli diuini amoris: & in Meditationibus de vita, & passione Christi seriò monet, illud etiam addens, vt ad hoc negotiũ magnam lacrymarum copiam adferamus. Atque hoc ipsum docent quicumque de passione Christi vtiliter contemplanda, vel tractatus, vel libros, vel meditationes scriptas nobis reliquerunt. Si quis autem huius rei rationem quærat, legat, vel audiat quæ sequuntur. Amor Dei præ omnibus rebus nobis quærendus est, tum quia Deus hoc requirit in primo, & maximo suo mandato, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* tum quia charitas Dei est Regina virtutum, qua præsente viuimus Deo, qua recedente morimur. Ipsa sola peccatum lethale secum non patitur, ipsa gignit merita, ipsa cum Deo nos ita coniungit, vt vnus spiritus simus cum Deo. Denique in ipsa perfectio vitæ Christianæ posita est. Porrò amor in hoc tempore accenditur potissimum ex consideratione beneficiorum: summum autem beneficium Dei erga homines Christi passio est, dicente ipso Domino, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* & Apostolo attestante, qui ad Romanos scribens dicit, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Cap. 10. Matt. 22. Ioan. 3. Rom. 5.

A Quomodo autem fieri poterit, vt ex hoc tam singulari Dei beneficio amorem Dei vehemẽtem, & ardentem concipiamus, si passionẽ Dominicam, vt simplicem historiam rei præteritæ, & quæ iam esse desijt, consideremus? Necesse igitur est, si quis velit thesaurum amoris Dei in agro passionis Dominicæ reperire, vt attentissima consideratione quasi præsentem Dominum cernat. nunc in horto agonizantem, & luctantem cum tristitia, & mœrore, & non lacrymas solùm, sed etiam sudorem sanguineum toto corpore fundentem: nunc in conuentu Sacerdotum, & Pharisæorum alapis cæsum; & sputis in faciem coniectis, turpiter conspurcatum: nunc vinctum ad Pilatum indignissimè tractũ, & ab eo ad Herodem transmissum, & rursum ab Herode ad Pilatum remissum, sed illusum, & veste alba per ludibriũ

B indutum: nunc ad columnam alligatum, seruili supplicio flagellis cæsum, & paulò post cum corona spinea, purpureo vestimento, ac sceptro arundineo, vt Regni affectatorem populo demonstratum: nunc ad mortem damnatum sublata in humeros cruce sua cum latronibus comitibus procedentem: nunc denique in crucem sublatum, & cum acerbissimo dolore sanguinem ex manibus, & pedibus vbertim fundentem, & cum clamore valido, & lacrymis morientem. [illegible]æ spectacula singula, non breuem mora[illegible]at, sed diligenter scrutetur, quis est ille [illegible] patitur, qualia sunt quæ patitur, qua de causa patitur, à quibus patitur: & statim aperientur ei quatuor fontes ad hauriendas aquas lacrymarum de vulneribus Saluatoris.

C Sed præter istas considerationes, quæ passim explicantur ab his, qui de passione Domini contemplanda libros conscribunt: occurrit mihi sentẽtia illa B. Apostoli Pauli, quę in mysterijs diuinis contemplandis iubet cõsiderari longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profundum. Secundum quas magnitudinum species in alio nostro libello explicauimus, vt potuimus, attributa essentiæ diuinæ. Sed cùm ista verba satis apertè crucem designent, non erit admirandum, si per eas voces intelligamus quatuor prærogatiuas, quibus superat Christi passio omnes Martyrum passiones; & quatuor virtutes principales, quæ in passione Christi mirificè splendent. Fuit igitur passio Christi longa, lata, sublimis, & profunda, atque ad eius longitudinem, latitudinem, altitu-

D dinem, & profundum nulla martyrum passio potuit peruenire. Quid enim est in passione longitudo, nisi duratio; & latitudo nisi varietas; & altitudo nisi eminentia; & profundum, nisi puritas? Explicemus singula, ac primum de longitudine dicamus.

Ephes. 3.

Igitur Christi passio præcipua, quæ dici potest supplicium crucis, tribus horis durauit, ab hora videlicet sexta, vsque ad nonam. Itaque Christi mors longissima fuit, nõ enim vno ictu finita est, vt illis contingit, qui plectuntur capite, neq; ad spacium paulò longius peruenit, vt ijs accidere solet, qui suspendio, vel incendio, vel mersione in aquas, vel bestiarum morsibus, vel alijs consuetis supplicijs moriuntur. Sed non in sola cruci affixione Christi passio

posita

A posita fuit, sed cœpit in horto Gethsemani, vbi primum præ ingenti cordis anxietate, & tristitia, sudorem sanguineum copiosissimum fudit: & peruenit vsque ad horam nonam sequentis diei. Itaque verè Christi passio sine vlla intermissione, horas octodecim complexa est, videlicet nouem ab hora noctis tertia vsq; ad duodecimam, & nouem ab hora prima diei vsq; ad nonam. Sed neq; his horis nouem nocturnis, & nouem diurnis Christi passio tota consummata est. nam tota eius vita, perpetua passio, & crucis passio dici potuit. Siquidem ab ipsa conceptionis hora cognouit, sibi crucem esse paratam; eamque libentissimè acceptauit pro honore patris, & salute hominum; & semper eam ante oculos mentis sic habuit, vt verè dici possit, toto vitæ suæ tempore in cruce pependisse. Hinc videlicet tam crebro de cruce

B sua, vel de passionis calice loquebatur, vt apud Matthæum, *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Et rursum, *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequebatur me*. & rursum, *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum*. Et apud Lucam, *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*. Ergo anima Christiana ex hac tam continua crucis baiulatione, collige, Dominum tuum nullam quietis horam habuisse, sed assiduè dies, & noctes in salute tua operanda occupatum fuisse. & poteris sine lacrymis cogitare, te salutis tuæ oblitum, multas sæpè horas, in confabulatione, vel ludis, otiosè consumpsisse, cùm Dominus tuus semper in tua salute procuranda laborauerit? Sed pergamus ad cætera.

Mat. 10.

Mat. 16.

Mat. 20.

Luc. 14.

C Non solum longissima fuit, sed etiam latissima passio Saluatoris: siquidem non vno, aut altero pœnarum genere contenta, innumerabilia tormenta amplissimo sinu suo complexa est. Nam vt omittamus vincula, quibus arctissimè alligatus fuit, cùm primum comprehenderetur, & colaphos, & sputa, & flagella, & spinas, & maledicta, & falsa testimonia, & irrisiones, ac ludibria, quæ nullo numero comprehendi possunt; attende solum, quàm multas in vna cruce cruces pertulerit Dominus tuus. Prima fuit clauorum in manibus, ac pedibus fixorum dolor acutissimus. Deinde sequuta est eleuatio crucis in sublime, ex qua factum est, vt ex pondere totius corporis vulnera dilatata flumina sacri cruoris effunderent, & semper magis, ac magis in corpore sustentando laborarent. Accessit tertio nuditas corporis exhausti spiritibus, & sanguine, in aëre frigido,

D ac sole per Eclipsim insuitatam toto illo tempore cooperto, solares radios non emittente. Quarto numeranda venit incredibilis defatigatio. Siquidem à fine cœnæ nouissimæ, vsque ad horam crucifixionis multa itinera, eaque satis longa, pedes, & sine cibo confecerat Dominus. Primum enim post cœnam profectus est ad hortum Gethsemani extra ciuitatem positum in monte Olìueti: deinde ab horto illo vinculis constrictus reductus est in Hierusalem, vsque ad domum Annæ; inde ad domum Caiphæ; postea ad prætorium Pilati satis longè positum; rursum à domo Pilati ad domum Herodis, & à domo Herodis iterum ad domum Pilati: denique cruce oneratus extra ciuitatem ad Caluariæ montem. quæ omnia itinera multa milliaria continent. O bone IESV, tu aliquando quærens animam vnam, fatigatus ex itinere sedisti supra fontem: nunc autem quærens me cum cæteris cõseruis meis, fatigatus ex longiore itinere, & crudelissima flagellatione, & crucis propriæ gestatione, sedisti, non vtique supra fontem, sed supra lignum, quod fatigationem non poterat minuere, sed augere. an non æquum esset, vt ego quoque in obsequio tuo assiduè laborando defatigarer, aut certè laborarem in gemitu meo, donec fatigationis tuæ fructum, per verum pœnitentiæ atque indulgentiæ donum, reportarem? Sed nondum finitus est numerus tormentorum. Quinta igitur numeranda est sitis, quæ in cruce Dominum vehementissimè cruciauit. Non enim sine causa Dominus, tam multis suis supplicijs prætermissis de vna siti conquestus dixit, *Sitio*. Sitis enim sine dubio ardentissima Dominum vexauit, tum ex longa fatigatione, tum ex copiosissima sanguinis effusione. Qui enim copiam magnam sanguinis effundunt, ita exarescunt, vt nullam pœnam grauiorem experiantur, quàm sitis. Tu verò anima mea, si quid sapis, sitienti Domino non acetum propinabis, sed lacrymas cordis ex dolore peccatorum, & amore sponsi expressas. Ista enim est aqua, quam vehementer Dominus sitit. Iam verò sexta pœna in crucifixo Domino, fuit carentia vsus manuum, & pedum ob quam cogebatur in ligno crucis immotus permanere, sic vt neque posset situm mutare, neque sanguinem abstergere, neque effusionem illam prohibere. Quanta sit hæc pœna, quæ fortè leuior videbitur ijs, qui eam experti non sunt: testari possunt illi, qui paralysi, vel podagra simul & chiragra occupati, se commouere non possunt. Septima pœna numerari potest, conspectus Virginis matris, & discipuli, quem diligebat, quorum dolor, & lacrymæ dolorem non paruum Domino adferebant. Octaua pœna nascebatur ex verbis contumeliosis, & blasphemis, quæ in ipsum Pharisæi, & Scribæ, & Sacerdotes iaciebant: hæc enim pœna hominibus ingenuis grauior esse solet, quam pœnæ corporales. cum istæ carnem, illæ animum torqueant. Postrema fuit mors amara, quam, vt vltimum terribilium, gustare voluit Dominus noster, vt eam in corpore suo occideret, & nos omnes ab eius imperio liberaret. Quæ cùm ita sint, nemini dubium esse potest, quin passio Domini magnam latitudinem pœnarum, & suppliciorum sinu suo complexa sit.

Sed non est maior longitudo, & latitudo crucis dominicæ, ipsa altitudine, & profunditate. Ac vt de altitudine primum dicamus; illa dici potest passio alta, quæ supereminet passionibus alijs, ita vt sit maior, intensior, acerbior, amarior cæteris. Eiusmodi autem fuisse dominicam passionem facile potest intelligi ex eo, quòd passio non improuisa Domino fuit, sed à longo tempore præuisa, & expectata. Quod enim dici solet, *Iacula præuisa minus lædunt*, verum est de illis iaculis, quæ auerti possunt vel omnino, vel ex parte: non autem de illis, quæ

nulla arte impediri queunt, qualia sunt cœlestia fulmina. Certè enim si quis inopinato fulmine tangatur, minorem dolorem sentiet, quam is, cui prædictum fuerit, tali hora fulmine periturum, quique ea de causa, cum horrore, & timore magno fulminis ictum expectat. Quoniam igitur Dominus noster toto vitæ suæ tempore crucem suam & tormenta singula, & eorum acerbitatem certissimè nouerat, in eo sine dubitatione vlla summum gradum acerbitatis, & vehementiæ habuerunt. Deinde addebat ad grauitatem dolorum perfectissima sanitas, & temperamentum corporis eius: quippè quod à Spiritu sancto, cuius opera cõpositum & temperatum fuerat. Quo enim temperamẽtum est melius, eo sunt etiam sensus omnes viuaciores; ac per hoc, non solùm voluptatem maiorem ex obiectis conuenientibus, sed etiam dolorem acriorem ex obiectis contrarijs percipere solent. Accessit postremò, quòd amator hominum Christus, vt copiosa esset redemptio, noluit paulatim suas vires, & robur ad patiendum, ita diminui, vt in fine vitæ nullum remaneret; sed vsque ad exitum animæ de corpore retinuit tantum robur, vt ipse etiam dolor integrè sentiretur à principio passionis, vsque ad finem. Id esse verum testatur clamor ille magnus, quo edito expirauit. Sic enim loquitur sanctus Lucas, *Et clamans voce magna Iesus ait, Pater in manus tuas commendo spiritum meum; & hæc dicens expirauit*. Non solent moribundi exclamare; paulatim enim vires, & vocem amittunt. Christus autem, vt ostenderet, in potestate sua, se habere mori, & non mori, & mori quando vellet, & non mori quando non vellet: clamans voce magna expirauit. Et quia rem hanc insolitam Centurio animaduertit, inquit Euangelista, *Videns quia sic clamans expirasset, ait, Verè hic homo filius Dei erat.* Perfectum igitur fuit Domine IESV opus tuum, & sacrificium pingue, & medullatum obtulisti Deo Patri; quandoquidem vsque ad finem integris sensibus, & viribus exhaurire voluisti calicem passionis, vt nulla pars amaritudinis tibi deesset. Vtinam & nos serui tui, tanto proposito exemplo disceremus opera, quæ ad honorem tuum, vel salutem animarum pertinent, integrè, perfecteque complere. Vel certè imperfectum nostrum coram te largis profusis lacrymis plangeremus, vt quod operi defuit, pœnitentia vera suppleret, & detrimentum deuotionis, humilitas compensaret.

Luc. 23.

Restat profunditas passionis, quæ in eo posita est, quòd passio Christi plena, solidaque fuit, id est, tota, ac pura passio, non admixta consolationibus vllis. Rara inuenitur hic in terris consolatio non admixta desolationi, neque tristitia non admixta solatio. Sed passio Domini, pura passio fuit; & idcò profunda, ac solida. Vnum solet esse magnum in aduersis rebus solatium, societas amicorum; Christum in ipso principio passionis discipuli, atque domestici omnes deseruerunt. sic enim scriptum est, *Tunc discipuli relicto eo omnes fugerunt.* Vnus ex eis proditor inuentus est; alius cum iuramento negauit, sibi notum eum fuisse: & cùm falsò accusaretur, in multis ex tanta turba discipulorum, & amicorum, nemo inuentus est, qui verbum in eius defensionem loqui auderet. Itaque merito per Prophetam queritur, dicens, *Circumspexi, & non erat auxiliator; quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret*. Adfuit quidem in horto Angelus Domini confortans eum; sed apparitio illa Angeli facta est ante passionem, vt fortiter eam aggrederetur. In ipsa verò passione nullum habuit confortantem, vel aliquo modo adiuuantem. Atque adeò hoc verum est, vt ipse in Cruce clamauerit, *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* quis enim eum non dereliquit, quando ipse etiam Pater dereliquit? Ea verò derelictio, absit, vt significet, filium à Patre derelictum quo ad præsentiam, vel beneuolentiam. In eo igitur solùm dereliquit Pater filium, quòd permisit eum pati dolores intolerabiles, sine aliqua consolatione. Hæc autem Dominus illo tempore exprimere voluit, ne putaretur sine sensu doloris pœnas illas tolerare. Viderant enim, qui adstabant, eum tanta animi æquitate, & pace omnia perpeti, vt ne gemitum quidem, aut suspirium ederet. Igitur vt intelligeremus, eum verè pati, & acerbissima pati, vocem illam emisit doloris, & admirationis plenam: quasi dicere voluisset, fierine potest, Deus meus, vt filium tuum dilectissimum in hãc doloris abyssum deuenire permiseris? Gratias tibi Domine, non quantas debemus, sed quantas possumus, exsoluimus, quòd tanto labore, & dolore tuo nobis requiem, & lætitiam sempiternam parare volueris. Sed adde ad beneficia tua, vt des nobis illuminatos oculos cordis, quibus gratiam istam cognoscentes, eam magni faciamus, & diligentissimè custodiamus. Infige animis nostris memoriam perpetuam dolorum tuorum, vt illi sint nobis frænum fortissimum ab omni malo, & stimulus acutissimus ad omne bonum.

Matt. 26. Isai. 63. Luc. 22. Matt. 28.

Sed iam ad alteram considerationem dimensionum crucis veniamus. Longitudo crucis patientia est, Latitudo charitas, Altitudo obedientia, Profunditas humilitas: atque hæ sunt virtutes, quæ instar lucidissimorum syderum in Christi passione refulserunt.

Longitudo patientia est, quoniam ad patientiam pertinet longanimitas. Refulsit autem patientia in passione Christi, quia in tot iniurijs à Iuda, à Iudæis, à Pilato, ab Herode, à militibus, à turbis per noctem, & per diem ferè totum acceptis, nulla est audita vox eius, vel irascentis, vel comminantis, vel conuiciantis; sed planè vt Agnus innocens, qui portatur ad victimam, non aperuit os suum. Verissimè sanctus Petrus, *Christus*, inquit, *passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius; qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniustè.* 1 Petr. 2.

Latitudo charitas est, quia *latum mandatum eius est nimis*, vt Propheta canit; & verè latissimum mandatum, quod extenditur vsque ad inimicos. Hæc autem quanto fulgore micauerit in Christi passione, testes sunt illæ voces, *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Quæ maior charitas excogitari potest, quàm non solùm ignoscere inimicis, dum facinus

Psal. 118. Luc. 23.

eorum

eorum recens est, sed eos excusare, & Patri summo Iudici commendare, atque indulgentiam illis precari? Quis vnquam audiuit talem excessum charitatis? Crucifixus dum vulnera sunt recentia, dum dolor acerbissimus viget, quasi oblitus sui, recordatur inimicorum; & eis Iudicem placare nititur, dum illi coram ipso Domino crucifixo partiuntur inter se vestes eius. Hoc certè factum eiusmodi est, vt mirum sit, si non omnes læsi ab inimicis, ad exemplum Domini sui, cótinuò mitescant, & seriò statuant acceptas iniurias condonare.

Porrò Altitudo obedientia est; respicit enim semper obedientia Deum altissimum, cuius proprium est, imperare, & cuius auctoritate omnes Principes subditis suis imperāt. Hæc vero virtus in passione Christi non minus, quā cæteræ fulgorem clarissimum dedit. Obediuit enim filius Patri in re omniū difficillima, dicēte Apostolo, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Et quamuis in horto Gethsemani, horror crudelissimæ passionis, Christi humanitatem ita inuaserit, vt precaretur Patrem, ac diceret, *Pater si vis transfer calicem istum à me:* tamen obedientiæ memor, statim subiunxit, *Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* O quam singulare obedientiæ documentum his verbis Dominus dedit. Hoc enim est verè abnegare seipsum, hoc est voluntatem propriam mortificare: hoc est Deo sacrificium omnium nobilissimum, & gratissimum immolare.

Phil. 2.
Luc. 22.

Denique profunditas, humilitas est, quę semper in imo residet, & recumbit in nouissimo loco, & omnibus cedit, nullum spontè sua pręcedit. Hæc autem virtus ita chara semper Christo fuit, vt ipse propriè Doctor humilitatis haberi voluerit. *Discite à me*, inquit, *quia mitis sum, & humilis corde.* In passione verò, non modo non ægrè tulit, quòd Barabbæ latroni, & homicidæ postpositus fuerit à populo Iudæorum: sed ipse semetipsum humiliauit factus obediens vsq; ad mortem. Quid hic dices anima Christiana, placebit ne, hoc tanto humilitatis exēplo proposito, aduersus vllum hominē superbire, vel de præcedentia cum aliquo litigare? Sed hæc duo verba, *Humiliauit semetipsum,* quia videlicet nemo poterat eum cogere ad mortem crucis tolerandam, nisi ipse se humiliare voluisset: admonent me, vt ad alterum caput propositæ tractationis accedam.

Matt. 11.

Duo capita proposuimus, ex quibus probandum erat, deflendā esse à nobis Christi passionem. Vnum caput erat, consideratio passionis Christi, non vt præteritæ, sed vt præsentis. Alterum consideratio eiusdem passionis, non vt est in se, sed vt effectus est scelerum nostrorum. Et quoniam de priore capite satis multa dicta sunt, veniendum est ad posterius caput; ac breuiter demonstrandum, non fuisse vllam potestatem inter homines, quæ Christum passioni subiicere posset, nisi ipse voluisset. Atque hoc quidem non est difficile demonstrare. Quis enim tantæ potentiæ fuit vnquam, vt posset filium Dei altissimi tot supplicijs, & ipsi morti subijcere? An cohors militum, & ministri Iudæorum? At illi audita voce filij Dei, *Ego sum,* abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

A An præses Iudææ Pilatus? At ille puluis, & cinis est, si ad Christum, qui virtus Dei est, comparetur. An Imperator Romanus? At ille quoque vermiculus terræ erat. An potentia Diaboli? At illos Christus verbo eijciebat. An iustitia Dei? At Christus innocens erat, sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cælis, & purior Angelis. Quid igitur Dei filium flagellauit, cruci affixit, occidit? Impietas mea, charitas Patris, & obedientia filij. *Propter scelus populi mei percussi eum*, dixit Pater per Isaiam; & Apostolus subiunxit, *Humiliauit filius semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Itaque peccata mea, peccata tua, peccata Adami, & omnium filiorum eius causa fuerunt passionis, & mortis filij Dei. Non spinæ, quamuis acutissimæ, potuissent caput illud tremendum potestatibus cæli perforare, nisi superbia mea vires illis addidisset. Nō flagella, quamuis plurima, carnem illam atterere potuissent, nisi carnales appetitiones meæ illa iuuissent. Non claui ferrei, quamuis durissimi manus illas, ac pedes perfodere valuissent, nisi auaritia mea, & euagationes meæ illos adegissent. Denique neq; mors ipsa ad vitam opprimendam accedere fuisset ausa, nisi iniquitas mea aditum illi aperuisset. Ergo ne peccata hominum tantas habent vires, vt in Dei filium præualuerint? Non ipsa peccata, sed odium Dei in peccata, & amor Dei Patris in genus humanum, & obedientia filij Dei erga Patrem, hoc fecerunt. Sed peccatis hoc tribuimus, & meritò tribuimus, quia nisi illa fuissent, passio Dominica non fuisset. Proindè verè filius Dei peccatis nostris passionem suam imputare posset: sed quia dulcis, & pius est, non peccatis nostris, sed charitati, & misericordiæ suæ passionē imputat suam. Sic enim ipse loquitur in Euangelio, *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam.* & Apostolus pro se, & pro nobis omnibus dicit, *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationē, & hostiam Deo in odorem suauitatis.*

Isai. 53.
Phil. 2.
B
C
Ioan. 14.
Ephes. 5.

Quid ergo retribues anima mea Domino, pro omnibus, quæ retribuit tibi? nihil ne offeres tanto benefactori, qui vt deleret peccata tua, & mundaret te, tradidit semetipsum in mortem, vt esset mors eius hostia Deo pro te in odorem suauitatis? offeram omninò cor contritum, & humiliatum, offeram lacrymas pœnitentiæ testimonium odij in peccatum, offeram denique promptam voluntatem ad omne, quod à me petere dignatus fuerit. Pete ergo Domine, quia nihil iam tibi negare poterimus, quia vulnerasti cor nostrum nimia charitate tua. Et quid putas anima Dominum petiturum, nisi salutem animæ tuæ? hoc enim petijt, cùm in Cruce dixit, *Sitio.* Itane bone Domine sic, sic superabundat charitas tua, vt qui pro nobis laborasti vsque ad mortem, mortem autem crucis; non aliam mercedem requiras, nisi vt & nos cooperemur in salutem animarum nostrarū? Hoc planè est exemplar verissimæ charitatis. Da ergo Domine, quod petis, & pete, quod vis. Sic enim adimplebitur voluntas tua, & obedientia nostra, in salutem nostram, & gloriam tuam.

D

Caput IV.

De quarto fonte lacrymarum, qui est consideratio persecutionum Ecclesiæ.

Ecclesia Catholica, vt vera columba gemens, dum est in exilio, & in via ad patriam, nunquã libera erit à persecutorib. dicente Apostolo, *Omnes, qui volunt piè viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Et quidē Ecclesiæ persecutiones aliæ sunt manifestæ, aliæ occultæ. Quando enim manifestæ cessant, statim oriuntur occultæ, quę grauiores esse videntur. nam de illis exponit sanctus Bernardus illa verba, *Facta est in pace amaritudo mea amarissima.* Itaque Ecclesia semper gemitibus opus habet, & qui legitimi filij eius sunt, in hoc potissimum cognoscuntur, quòd matri compatientes ipsi quoque à gemitibus, & lacrymis non quiescunt. Percurramus, si placet, ætates Ecclesiæ. Prima ætas fuit ab aduentu Domini vsque ad tempora Neronis Imperatoris. In ea ætate viguit persecutio Iudæorum, quæ Christum ipsum in crucem egit, ac deinde S. Stephanum lapidauit; S. Iacobum maiorem per Herodem occidit, S. Petrum carceri mancipauit, per se autem Apostolos omnes flagellauit; Sanctum Iacobum minorem de pinnaculo tēpli deiecit; Apostolum Paulum quinquies flagellatum interficere sæpè tentauit: & quod per se Iudæi non poterant, per gentiles efficere conabantur. *concitabant* enim *gentes aduersus fratres*, vt S. Lucas in Actis testatur. Iudæis diuino iudicio seuerissimè castigatis, & partim occisis, partim dispersis, euersa ciuitate Hierosolyma, & Regno ab eis omninò sublato; successit persecutio paganorum, Domitiano inchoante, ac sequentibus Imperatoribus vsque ad Constantinum Magnũ, summa crudelitate in Christianos grassantibus. Primus quidē persecutor paganus Nero fuit: sed is adhuc durante persecutione Iudaica, atque ante Hierosolymam euersam, Iudæis exultantibus, Christianos persequi cæpit. Sed quoniam paganorum persecutio per interualla quædam nunc sæuiebat, nunc pacem aliquam Christianis dabat: Sanctus Cyprianus, & Eusebius Cæsariensis obseruarunt in interuallis illis semper viguisse occultam persecutionem vitiorum, quæ iram Domini ita prouocabat, vt Dominus ipse nouam persecutionem in populum suum grassari permitteret. Sed verba ipsorum audiamus.

2. Tim. 3.

Serm. 33. in Cant.

Act. 14.

Sanctus Cyprianus in sermone de lapsis, *Dominus*, inquit, *probari familiam suam voluit; & quia traditã nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem, & penè dixerim, dormientem censura cælestis erexit: cumq; nos peccatis nostris amplius pati mereremur, clementissimus Deus sic cuncta moderatus est, vt hoc omne, quod gestum est, exploratio potius, quàm persecutio videretur.*

Lib. 8 cap. 1.

Eusebius Cæsariensis in historia, *Verum*, inquit, *cùm nos præ nimia quadam licentia in mollitiam delicatam, & dissolutam segnitiem essemus prolapsi, cumque alij alijs inuidere, maledictis insectari, & propè nos ipsi inter nos petulantibus linguis, tanquam mutuis armis oppugnare, & aliquando verborum contumelias velut hastas vnus in alium intorquere, & Præsides Ecclesiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare inciperent: cumq; ficta, & adumbrata sanctitatis species, quæ oratione nequit exprimi, & simulatio fronte occultata ad immensam quandam prauitatem serpsisset, diuina vltio, dum permagna adhuc Christianorum vbique versabatur frequentia, parcius aliquanto, & remissius capit in nos animaduertere. Sed vbi velut sensibus orbati nulla cura incubuimus, vt diuinum numen placaremus, tum demum iuxta Hieremiam obscurauit in ira sua Dominus filiam Sion,* & cæt.

Postea verò quàm persecutio paganorum magna ex parte cessauit, exorta est persecutio hæreticorum. Quamuis enim ab initio nascentis Ecclesiæ, nonnullæ hæreses, quasi zizania in medio tritici apparuissent: tanta fuit tamen rabies Arianorum, qui Constantini temporibus exorti sunt, vt priores hæretici vix persecutores Ecclesiæ dici potuerint. Itaque eiusdem Constantini tempore bella paganorum contra Ecclesiam extincta, & bella hæreticorũ exorta dici possunt. Durat autem adhuc hoc bellũ, & durabit vsq; ad Antichristum. tunc enim exurget vltima persecutio, quæ, vt erit omnium breuissima: sic erit omnibus terribilior. Sed ego nostra solùm tempora considerare instituo, vt videam, an hoc tēpore gemere nos oporteat, ob aliquã persecutionem; an potius gaudere, & lætari ob tranquillitatem, & pacem temporum nostrorum. Nisi autem valdè decipior, video nostri temporis Ecclesiam, non vna, vel altera, sed omnibus simul persecutionibus flagellari, excepta illa vna, quam Antichristus nouissimus excitabit.

Primùm persecutio Iudæorum nobis non deest. Nam & per vsuras Hebræi vbique fidelibus nocent, & vbi possunt Christianis imponunt, eosq; decipiũt, & alicubi, sub specie Christianismi, infidelitatem suã occultè propagant. persecutio quoque paganorum in Turcis, & Saracenis renouata, multis in locis, non solum in Asia, & Africa, sed etiam in Europa grassatur. Nec solum deflemus quotidie damna temporalia, sed etiam spiritualia, cùm non pauci deficiant à Christo ad Mahumetum. Accessit denique hoc nostro tempore persecutio Iaponica, non semel renouata, quæ nouellam illam Ecclesiam paganico furore grassante, martyrum sanguine redundare fecit. Persecutio autem hæreticorum nescio, an vnquam fuerit maior, & terribilior, siue quo ad multitudinem Sectarum, siue quo ad sollicitudinem auertendi Catholicos à vera fide, siue quo ad crudelitatem in orthodoxis, præsertim Sacerdotibus inaudita sæuitia vexandis, atque trucidandis. In oriente & meridie adhuc vigent hæreses antiquæ Nestorij, & Eutychetis, in occidente & septentrione præter nuper inuentas hæreses innumerabiles, non desunt, qui renouare pergant Arianismum, & Ebionis, & Cherinti dogmata ante annos mille trecentos extincta, atque sepulta. Itaque persecutio hæreticorum, quæ nostra ætate viget, videtur ipsa sola omnes antiquas

per-

persecutiones superare. Quare si pij sumus, & si in membris columbæ viuis, & veris numeramur: certè necesse est, vt compassionis lachrymas, non parcè, sed abundantissimè profundamus. Quid enim? an non multis lachrymis digna est tot millium animarum cædes, quæ propter falsa dogmata quotidie ad inferos detruduntur? & in tot prouincijs vel imminutus, vel omninò sublatus veri Dei cultus? Sed quid dicemus de occulta persecutione vitiorum? hanc enim occultam dico, quia mouetur à persecutoribus, qui non videntur, id est, à spiritibus immundis, à principibus, & potestatibus aeris huius, quorum ignita iacula tantò grauius, & frequentius feriunt, quantò magis incautos adoriuntur.

Antiquis Patrum nostrorum temporibus, vt ex Cypriano, & Eusebio audiuimus, quando vigebat persecutio vna, cessabat altera, quoniam Deus, in cuius manu sunt omnia, ad sedandam persecutionem vitiorum, excitabat, vel excitari patiebatur persecutionem paganorum. Nunc autem omnes simul persecutiones patimur, & tamen nondum excitamur à somno, & nondum intelligimus grauissimam Dei manum esse, quæ nos premit, & flagellat. Sed fortasse non viget hoc tempore persecutio vitiorum. Vtinam id posset cum veritate dici. Ego enim in hac nostra Europæ parte, quæ per Dei gratiam libera est à persecutione Turcarum, & Hæreticorum; scio audiri non
2.2 q 13 a.3. rarò blasphemias in Deum, & Sanctos, quales nec inter Turcas audiuntur. Et quale crimen est blasphemia? tale est, vt grauitate omnia peccata superet, vt Sanctus Thomas verè affirmat; & in testamento veteri, iussu Dei, vltimo supplicio, sine vlla misericordia puniebatur. In quibusdam locis periuria, quæ non longè absunt à blasphemia, adeò sunt frequentia, & familiaria, vt multi non erubescant, etiam in rebus clarissimis, falsa testimonia cum iuramento affirmare. Horreo de car-
Osee 4. nalibus flagitijs aliquid dicere, de homicidijs, de furtis, de maledictis, In quibus omnibus impletur verbum Oseæ Prophetæ, *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerũt, & sanguis sanguinem tetigit*. Vbi illa vox, *inundauerunt*, significat peccatorum omnis generis abundantiam tantam, quanta esse solet aquarum, quando in alueo fluminis non capitur, sed extra ripas effunditur, & campos vicinos inundat. Illud etiam, sanguis sanguinem tetigit, eandem multitudinem peccatorum designat. sanguis enim in Scripturis, sæpè pro peccato accipitur, & tunc sanguis sanguinem tangere dicitur, quando non est hoc loco vna gutta sanguinis, & altera in altero, sed riui sanguinum vbique decurrunt, & coniuncti in vnum, quasi flumen, aut lacum efficiunt. Quid de luxu, & pompis, & vanitatibus dicam? an non quotidie ista crescunt, quasi in sacro baptismo nuncium non remiserimus Diabolo, & pompis eius?
Isai. 5. Quid de cupiditate cumulandi aurum, & argentum, & augendi patrimonia, & reditus, & coniungẽdi, vt loquitur Isaias, agros ad agros,
Epist. 42. & domos ad domos, quasi nulli sint in mundo pauperes, quibus superflua dari possint?

A Legant Episcopi Sanctum Bernardum in Epistola ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: legant Clerici eundem auctorem in Declamatione super illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia*. Legant omnes tum Clerici, tum Laici sermonem tricesimum terium eiusdem in Cantica, & tum iudicent, quid de nostri temporis Christianis existimare debeant. Et quoniam locus postremus breuissimus est, non grauabor ipsa eius verba ponere. *En*, inquit, Serm. 33. in Cant.
tempora ista libera quidem Deo miserante, ab vtraque illa malitia, paganorum videlicet, & hæreticorum, quos significari docuit per timorem nocturnum, & sagittam volantem per diem; *sed planè fœda à negotio perambulante in tenebris. Va generationi huic à fermento Pharisæorum, quod*
B *est hypocrisis, si tamen hypocrisis dici debet, quæ iam latere præ abundantia non valet. Serpit hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quo latius, eo desperatius, eoq; periculosius, quo interius. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus: mitteretur foras, & aresceret. nunc verò quem eijciet, aut quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarij, & omnes aduersarij, omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes, quæ sua sunt, quærunt. Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidie vides, meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frænis, in sellis, & calcaribus, & plus calcaria, quam altaria fulgent. Inde splendida mensa, & cibis, & scy-*
C *phis. Inde comessationes, & ebrietates; inde cythara, & lyra, & tibia; inde redundantia torcularia, & promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud; inde dolia pigmentaria; inde referta marsupia. Pro huiusmodi esse volunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, & Archiepiscopi. Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis aduenit, Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum, amarior in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum.* hæc Sanctus Bernardus, cui comitem addere placet Sanctum Cyprianum. Is in sermone de lapsis rationem reddere volens, cur Deus permisisset persecutionem, ait, *Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore*
D *ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina: corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus, oculi, capilli mendacio colorati ad decipienda corda simplicium, callidæ fraudes, circumueniendis fratribus subdolæ voluntates; non iurare tantum temerè, sed adhuc etiam peierare: Præpositos superbo tumore contemnere: venenato sibi ore maledicere: odijs pertinacibus inuicem dissidere: Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris, & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum secularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari: esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire; habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere. Quid*

non perpeti tales pro peccatis eiusmodi mereremur? Hæc S. Cyprianus.

Perpendant igitur nostræ ætatis homines, an ea, quæ deplorant sanctissimi isti viri in moribus suorum temporum, non sint omninò similia peccatis temporum nostrorum: ob quæ nos quoque lugere assiduè, ac gemere debeamus. Adde, quod quemadmodum veteres illi populi habuerunt suos Cyprianos, suos Bernardos, qui cæteris vita, & exemplo prælucebant, & propterea inexcusabiles erant, qui ad illa lumina oculos claudebant: sic & nos habuimus diebus nostris, non paucos viros sanctissimos, quorum mores, & vita reliquis omnibus regula benè viuendi esse, potuerunt. Sed nos potissimum, qui Ecclesiastici sumus, habuimus Sanctum Carolum, quasi lucernam lucentem in caliginoso loco, eamque non sub modio, sed super candelabrum celsissimum, vnde lucebat omnibus, qui in domo Dei sunt.

Qualis autem fuerit ex comparatione eorum, quos sancti Patres Cyprianus, & Bernardus reprehendunt, facilè cognosci poterit. Illi cathedram, id est, munus concionandi, Episcoporum proprium relinquebant: iste cathedram non reliquit, nisi cum vita eum reliquit. Illi plebem deserentes ad temporales nundinas in alijs prouincijs vagabantur: iste plebem sibi à Deo creditam nũquam deseruit, nisi quando plebis suæ vtilitas, vel necessitas compulit. Illi fratribus pauperibus non prouidebant, sed argentum largiter possidere gaudebant: iste patrimonium suum, vt haberet vnde pauperibus largiter subueniret, cum gaudio distribuebat. Illi non erubescebant vsuris multiplicantibus fœnus augere: iste miserebatur inopum, vt Domino soli fœneraretur, sciens scriptum esse, *Qui miseretur pauperum, fœneratur Deo*. Illi non multum laborabant, quod non esset in Sacerdotibus religio deuota, in ministris fides integra, in moribus disciplina: iste dies, ac noctes excubabat, vt restitueretur in Ecclesia sua pristina cleri, ac populi Ecclesiastica disciplina. Inde tam multas habemus ab ipso posteris relictas constitutiones, ordinationes, admonitiones. Atque hæc ex Cypriano. Addamus pauca ex Bernardo. Episcopi, quos Sanctus Bernardus corripit, honorati incedebant de bonis Domini, qui Domino non seruiebant: iste in publico vtebatur vestitu, quem dignitas exigebat, sed priuatim viles, & attritas vestes gerebat, Domino autem ita seruiebat, vt verbo Dei, & orationi semper intentus noctes insomnes non rarò traduceret. Illi splendidas mensas, & cibis, & scyphis habere volebant: hic vulgarem mensam, & scyphis communibus, non aureis, vel argenteis vtebatur. Illi comessationibus, & ebrietati operam dabant: hic sæpè ieiunans, & pane, & aqua, vt plurimum contentus erat. Illi cytharam, & lyram, & tibiam in conuiuijs adhibebant: istius ad mensam sola Scripturarum sanctarum verba sonabant. Illi redundantia torcularia, & promptuaria plena, & dolia pigmentaria, & præcipuè referta marsupia habere gaudebant: iste modestiam & paupertatem Christi amans, cùm diues esset, egenus factus est, nec solum patrimonium in egenos consumpsit, sed etiam multa pinguia beneficia Ecclesiastica, quibus à Pontifice Maximo auunculo suo ditatus fuerat nouo exemplo spontè dimisit. O beatum Pontificem, ac verè Christi amantem, & imitantem discipulum. O nos beatos, si imitari non pigeat, quem laudare delectat. O nos verè miseros, & omni lachrymarum fonte plangendos, si tanto proposito ante oculos nostros exemplo, & quasi lucidissimo vitæ perfectæ speculo, deformia nostra non viderimus, neque emendare diligentissimè studuerimus.

Prou. 19.

CAPVT V.

De quinto fonte lachrymarum, qui est consideratio ordinis Sacerdotalis.

QVAMVIS Capite superiore generatim considerauerim Ecclesiæ Catholicæ miserias, & pauca quædam attigerim in particulari de Prælatis, & subditis: quia tamen magna res agitur, cùm Ecclesiæ morbi, & vulnera considerantur, vt ad ea curanda lachrymarum remedia, pro viribus adhibeamus: visum est seorsim de singulis Ecclesiæ membris ea scribere, quæ Dominus inspirare dignabitur.

Tria sunt Ecclesiæ membra præcipua. Primum eorum est, qui in statu perfectionis adeptæ esse dicuntur, qui sunt Episcopi Ecclesiarum Principes, & magistri, quibus adiungimus Presbyteros, qui sunt minores Sacerdotes; atque eorum administros. Alterum est eorum, qui sunt in statu perfectionis adipiscendæ; id est, qui relicto seculo, & secularibus curis, profitentur se ad perfectionem vitæ Christianæ velle tendere, quales sunt Regulares omnes, siue Eremitæ, siue Cœnobitæ, tam viri, quàm feminæ. Tertium est laicorum, qui suscipiunt curam familiæ, vxoris, liberorum, seruorum; vel etiam Rempublicam administrant, & ea quæ pertinent ad pacem, vel bella procurant. Ac vt à primo membro incipiamus, exponam breuiter, quid Magister gentium requirat in Episcopis, qui sunt Apostolorum successores: ex qua doctrina vnusquisq; per se diiudicare poterit, an hoc membrum ita laboret, vt lachrymarum fomenta requirat. Qualis autem debeat esse Prælatus Ecclesiasticus docet Apostolus in primis illis verbis Epistolæ ad Romanos, *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei*. In his enim verbis continentur tres qualitates Apostolorum, & eorum, qui illis succedunt, videlicet Episcoporum, & aliorum, qui Episcopis vel pares sunt, vel maiores; & suo etiam modo presbyterorum. Hæc enim ratio est, cur idem Apostolus erudiens Ecclesiasticos, primùm alloquitur Episcopos, deinde transit ad Diaconos, de alijs nihil dicit, quia in Episcopis erudiebat etiam presbyteros, qui sunt secundi ordinis Sacerdotes: & in Diaconis, qui sunt principes ministrorum, erudiebat etiam subdiaconos, & cæteros omnes ministros. 1. Tim 3.

Prima igitur qualitas Episcoporum, & omnium aliorum Ecclesiasticorum est, vt sint serui Christi, & serui Christi non quocunque modo, sed propriè, id est, toti addicti obsequio Christi, vt spoliatis omni alia cura & sollicitudine, vnum negotium sit, Christo famulari in lucro animarum. Seruus enim quicquid est, Domini sui est; quidquid habet, Domino suo habet; quicquid potest, Domino suo potest. Tales fuisse Apostolos, perspicuum est ex illis verbis Beati Petri. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* & ex illis Beati Pauli. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se probauit.* Denique ex vita & rebus gestis ipsorum. Scimus enim Apostolos non fuisse occupatos in vllis rebus temporalibus acquirendis, vel augendis, sed in sola Christi gloria, & animarum salute quærenda laborem, & studium, & vitam ipsam impendisse. Scimus etiam Apostolos rerum temporalium, quas Ecclesia possidebat, curam alijs demandasse, vt ipsi rebus spiritualibus, quæ ad officium ipsorum potissimum pertinebant, possent incumbere. *Non est æquum*, inquiunt Apostoli, *nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Quod ipsum faciendum esse Episcopis Apostolorum successoribus, docet Concilium Carthaginense quartum his verbis, *Episcopi nullam rei familiaris curam ad se reuocent, sed lectioni, & orationi, & verbi Dei prædicationi solummodo vacent.* De qua re Sanctus Bernardus ita loquitur in libro de consideratione, *Quid*, inquit, *Episcopo turpius, quàm incumbere supellectili, & substantiola suæ scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moueri ad quacunque perdita, vel neglecta? Non sic ille Ægyptius, qui Ioseph omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano sua non credens. Homo sine fide, fidem tamen habuit seruo, super omnia bona sua constituens eum, & hic erat alienigena. Mira res, satis superque ad manus habent Episcopi, quibus animas credant: & cui suas committant facultates, non inueniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis curam gerant. Sed vt liquido datur intelligi, patientius ferimus Christi iacturam quàm nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio; & continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum, & numero panum cum ministris quotidiana discussio est; rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit Asina, & est qui subleuet eam; perit anima, & nemo qui reputet. Nec mirum, cùm ne nostros quidem assiduos sentiamus defectus.* hæc S. Bernardus.

Matth. 19.
2. Tim. 2.
Act. 6.
Carthag. 4. cap. 20.
Lib. 4. c. 9.

Porrò cur pauci ex Prælatis veri serui Iesu Christi dici possint, vna ex præcipuis causa est, quia non expectant vocationem Dei, quæ est secunda qualitas Episcopi, vt cum Beato Paulo dicere possint, *Vocatus Apostolus*, id est, vocatus à Deo ad Apostolatum. qui enim se ipsi intrudunt, aut certè quærunt, & petunt Ecclesijs præfici; mirum esset, si quærerent, quæ sunt Iesu Christi, & non potius quæ sua sunt. qui autem quærunt quæ sua sunt, certè non serui Iesu Christi, sed suarum cupiditatum mancipia sunt. Et illi quoque, qui non per se quærunt Episcopatum, sed ab alio accipiunt, non quod sint cæteris aptiores, & digniores, & Ecclesiæ vtiliores; sed quod sint propinqui sanguine, vel quod magnos viros fautores habeant, non vocantur à Deo, sed à carne, & sanguine; nec Iesu Christi, sed hominum serui fiunt: ac per hoc mirum non est, si non se totos Christi obsequio impendunt, cùm non propter Christum vocati sint, sed propter opes augendas, vel familias nobilitandas. Rectè igitur Sanctus Bernardus admonet Eugenium Papam in quarto libro de consideratione, *Alius*, inquiens, *pro alio, alius fortasse, & pro se rogat. pro quo rogaris, suspectus sit: qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est.* & infra, *Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos, & compelle intrare.*

Quod autem sit officium vocatorum à Deo, explicat Apostolus in sequentibus verbis, *Segregatus in Euangelium Dei*, quæ est tertia qualitas, siue conditio. Siquidem primarium Episcopi munus est Euangelij prædicatio. Id constat primum ex eo, quod Dominus Apostolis ait, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quorsum autem miserit filium suum Pater, ex prophetia Isaiæ declarauit ipse idem filius dicens, *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Ecce officium Christi: ecce officium eorum, qui legatione funguntur pro Christo. Et quidem hoc officio ita diligenter, ita accuratè, ita assiduè perfunctus est Christus, vt perpetuò discurrerit per ciuitates, & castella prædicans Regnum Dei. Nec solùm in templo, & synagogis, sed in campis, in desertis, in montibus, in mari, in priuatis domibus, discumbens in mensa, deambulans in via, denique semper, & vbique meminerit se missum ad Euangelium prædicandum. Deinde Apostoli, quibus Episcopi succedunt, munus suum proprium declarauerunt, cùm dicerent, *Nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* & Apostolus Paulus in priore ad Corinthios, *Non misit me Christus*, inquit, *baptizare, sed euangelizare.* & rursus, *Si euangelizauero non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi si non euangelizauero.* Et Timotheum Episcopum admonens ait, *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Quid iam de beatissimo Ioanne dicam? Is adeò necessarium sibi esse duxit officium prædicandi, vt cùm iam in decrepita ætate ad Ecclesiam per manus discipulorum vix deferretur, & non posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud soleret per singulas proferre collectas, nisi, *Filioli diligite alterutrum.* cuius rei testis est Sanctus Hieronymus libro tertio commentariorum Epistolæ ad Galatas. Itaque dilectus Domini discipulus, & Magistri sui diligens imitator, ad vltimum vsque spiritum, eo modo, quo potuit, prædicationis munere fungi voluit. Hoc ipsum declarauit Concilium Carthaginense quartum docens, Episcopum lectioni, & orationi, & prædicationi verbi DEI tantummodo vacare debere. Cui consonat Sanctus

Ioan. 20.
Luc 4.
Act. 6.
1. Cor. 1.
1. Cor. 9.
2. Tim. 4.
Can. 17. & 20.

Lib 2. Epist. 39. Gregorius cùm ait, *Episcopi est, de prædicationis ministerio semper cogitare*. Denique Episcopos veteres per multa secula hoc ipsum probè intellexisse ipsorum scripta testantur. Maxima enim pars scriptorum Cypriani, Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, Ambrosij, Cyrilli, Augustini, Maximi, Leonis, Gregorij, & aliorum, nihil sunt aliud, nisi ad populum habitæ conciones. Sed, inquiunt, alia nunc sunt tempora, alij mores. Ita est, alia sunt tempora, alij mores, sed non alia obligatio. Cur enim in consecratione Episcoporum, nunc etiam dicitur, *Accipe Euangelium, vade, prædica populo tibi commisso*?

An non timere debent Episcopi sic ordinati, ne in iudicio audiant, Cur prædicationis officium suscepisti, si illud adimplere nolebas? Trid. sess. 5 & 24. Et si alia nunc obligatio esset, cur in ipso Cõcilio generali, nostro tempore celebrato, disertis verbis diceretur, prædicationis munus præcipuum esse inter Episcopalia munera? Et cur adhuc in Ecclesijs cathedra sublimis Episcopis erigitur, nisi vt ex edito loco populum doceant? Non dedimus, inquiũt, operam sacris literis, sed iuris prudentiæ, neque in prædicatione, sed in iudicijs versati sumus. At neque Sanctus Ambrosius, neque Sanctus Gregorius prædicationi operam dederant, sed forensibus iudicijs. Et tamen vocati ad præfecturam Ecclesiæ, continuò lectioni Scripturarum, & prædicationi verbi Dei operam dare cœperunt. Quod idem fecit nostro tempore Sanctus Carolus Cardinalis, qui cùm Iurisprudentiæ operam dedisset, & vsum concionandi non haberet, & linguæ quoque impedimentum pateretur: omnes tamen difficultates Christi amore, & officij sui adimplendi desiderio superauit, & assiduè vberrimo cum fructu vsque ad mortem Euangelium prædicauit. Denique, inquiunt, multi sunt hoc tempore prædicatores verbi Dei ex ordinibus Religiosis. Verum est id quidem: sed illi vocati sunt in adiutorium Episcoporum, non vt proprium munus ipsorum impediant; neque adiuuari dicitur, qui nihil facit: & Christus ipse Apostolos duodecim, & septuaginta duos discipulos misit ad prædicandum, vt se in eo munere quodammodo iuuarent: & tamen non ideò intermisit ipse assiduè prædicare. & de Ioan. 10. Pastore ait, *Vocem eius audiunt, & eum sequuntur*. Itaque si Episcopi pastores sunt, vt omninò esse debent, id quoque eos præstare necesse est, vt oues vocem eorum audiant, ipsorumque vitam, & exempla sequantur.

Ex quo etiam manifestè sequitur, vt omninò residere apud gregem suum teneantur. Quomodo enim oues audient pastorem absentem? & quomodo eum sequentur, si eum non vident? Sed est præterea alia diligentia adhibenda pastori, vt non citò manus imponat, de qua re idem Apostolus admonuit Timo- 1. Tim. 5. theum. Quemadmodum enim ipse vocatus est ad munus pastoritium, sic debet ipse vocare ministros, quos idoneos censet: & non facile manus imponere. Ex facilitate enim manus imponendi factum est, vt hoc tempore sit propè infinita turba Clericorum, quorum plurimi non aspirant ad sacros ordines, vt sit Dominus pars eorum, sed vel vt subtrahant se à foro seculari, vel vt subsidium quærant vitæ temporalis, vel vt ad honores Ecclesiasticos aliquando conscendant. Atque hinc fit, vt multi circumeant cum magna iactura Ecclesiasticæ dignitatis sordidi, ac penè nudi stipem ostiatim mendicantes: Alij verò, quod multò grauius est, culpa sua etiam Sacerdotes inueniantur in publicis carceribus, vel catenis alligati in triremibus, cum vltima hominum fæce ad remos trahendos, assidua fustigatione cogantur. *Imploremus*, inquit Sanctus Grego- Hom. 17. in Euang. rius, *Hieremiæ lachrymas, & dicamus, Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus*? Thren. 4. Olim non licebat sacerdotibus publicam pœnitentiam agere ob reuerentiam ordinis sacri, & si grauiter castigandi erant, in monasterijs ad pœnitentiam agendam mittebantur: & nunc licet eos cum facinorosis, & scelestis in carceribus publicis detinere, vel etiam ad triremes amandare. Neque hæc dico, vt Iudices reprehendam, sed, vt temporum nostrorum calamitatem deplorem, quæ non paucos tam perditos nacta est Sacerdotes, vt opus sit, publica, & grauissima ignominia cum summo dolore coniuncta eos notare.

Sed aliud est etiam lachrymis vberrimis dignum, quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam, aut impietatem sacrosancta mysteria tam indecorè tractentur, vt qui illa tractant, videantur non credere Maiestatem Domini esse præsentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore, & tremore, festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent. Omitto quod alicubi vasa sacra, & vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia & sordida inueniantur, indigna prorsus, quæ ad tremenda mysteria adhibeantur. At fortè, qui hæc adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest, sed si pretiosa non possunt, saltem munda, & nitida procurarent. Ego tamen cùm aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem, & prædiuitem hospitarer, vidi aulam, vasis argenteis splendidam, & mensam omni genere præstantium ciborum refertam: mappas quoque, & reliqua omnia nitida, & odorem suauem spirantia. Sed cum die sequente summo mane, ad Ecclesiam Palatio contiguam descendissem, vt sacris operarer, inueni omnia contraria, id est, vilia, & sordida, vt vix auderem in tali loco, & cum tali apparatu diuina mysteria celebrare. Scio non deesse in Ecclesia Dei multos optimos, & religiosissimos Sacerdotes, qui corde mundo, & nitidissimo apparatu, diuina mysteria celebrant, pro quibus gratiæ Deo ab omnibus agendæ sunt: sed simul etiam fontibus lachrymarum plangendi sunt, non pauciores, qui exteriore turpitudine, & sordibus, animi sui impuritatem, sordesque testantur.

Caput VI.

De sexto fonte lachrymarum, qui est consideratio ordinum Religiosorum.

ORDINES Religiosi quemadmodum in suis bonis membris materiam præbent fidelibus omnibus gloriandi, & Deum laudandi: sic etiam contra, in suis membris malis fontem nobis aperiunt inconsolabilium lachrymarum. Verè enim scripsit S. Augustinus, non se vidisse meliores ijs, qui in monasterijs profecerunt, neque deteriores ijs, qui in monasterijs defecerunt. Regulares enim similes esse videntur ficubus Hieremiæ, inter quas, quæ bonæ erant, erant bonæ valdè, & quæ malæ, malæ valdè. Referam paucis ex testimoniis quatuor insignium Doctorum, quales fuerint olim Monachi; deinde veniam ad multorum ruinam, & casum miserabilem deplorandum.

Epist. 137.

Hier. 4.

Sanctus Gregorius Nazianzenus in Apologia de fuga sua, cùm descripsisset bona Monachorum sui temporis. *Talis*, inquit, *est Christi pars, talis passionum Christi fructus, quem ipse de terra ad patrem defert. Religionis, inquam, Christianæ columen, populi decus, Mundi fundamentum, cum cœlestibus pulchritudinibus elegantia propemodum certans.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus, sic loquitur, *Si quis nunc ad Ægypti veniat solitudinem, paradiso prorsus omnem illam eremum videbit digniorem, & innumeros Angelorum choros in corporibus fulgere mortalibus. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumq; cœlestium conuersationem in terris micantem.*

Homil. 8. in Matth.

Sanctus Hieronymus in Epistola ad Heliodorum, *O desertum*, inquit, *Christi floribus vernans, ô solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni Regis extruitur. O Eremus familiarius Deo gaudens.*

Sanctus Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ, *Nihil*, inquit, *de ijs dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu pane solo, & aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest.* & paulò post, *Hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum, & honorandum videtur, oratione nostra videri quis potest?* hæc de sanctitate Anachoretarum.

Lib. 1. c. 31.

Sed ne videantur soli Anachoretæ omni laude dignissimi esse iudicandi, addam duo testimonia pro Cœnobitis. Sanctus Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, scribit totum ordinem vitæ Cœnobitarum, ex quo apparet angelicam planè fuisse conuersationem Monachorum illius temporis: Non adscribo verba, quia longissima oratio est. Sanctus quoque Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ, postquam de Eremitis narrauit, quæ paulò ante retulimus, de Cœnobitis ita subiungit, *Sed si hoc* (vita solitaria) *excedit nostram tolerantiam: quis non illos*

A *miretur, & prædicet, qui contemptis, atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quicquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Patres verò non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, nulla superbia consulunt his, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna eorum in obediendo voluntate.* Denique post multa alia, quæ nimis longum esset hic ponere, inter quæ illud est, quod sub vno B Patre conueniunt, vt minimum Monachorum tria millia, ita concludit: *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, nec dignè valeo, & vereor ne iudicare videar, per se ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.*

Quæ autem sancti Patres Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, & Augustinus de Monachis sui temporis dicunt: possumus nos etiam dicere de primordijs omnium ordinum Religiosorum. Nam & sancti Benedicti, & sancti Dominici, & sancti Francisci, & omnium aliorum sanctorum, qui Religiosos ordines instituerunt, filij, & nepotes per multos annos ita sanctè, piè, C perfecteque vixerunt, vt vel omnes, vel eorum pars maxima insigni sanctitate floruerint. Postea tamen multiplicari cœperunt regulares sine numero, & multi non à Deo vocati ad statum perfectionis, sed alijs rationibus adducti monasteria repleuerunt: & impletum est illud Isaiæ, *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Inde nata sunt scandala grauia, & multiplicia, omnibus nota, quæ materiam vberem præbent columbæ gemendi, & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem ordinum religiosorum. Quamuis enim nullus sit ordo Religiosus, in quo non aliqui verè pij, sancti que reperiantur; tamen negari non potest, quin magna inueniatur in quibusdam ordinibus multitudo relaxatorum. Et fortasse impletur nostris temporibus, quod accidit ordini sancti Pachomij. D

Isai 9.

Et quia res est tremenda valdè, eamque ego sine magno horrore referre non possum, verba ipsa auctoris adducam. Auctor autem est Dionysius Exiguus Abbas Romanus, scriptor egregius, qui vitam sancti Pachomij ex Græco auctore fideliter latinitati donauit. Is ergo in ea historia capite quadragesimoquinto sic loquitur, *Monachis ad vescendum conuenientibus venerabilis senex*, Pachomius, *in cellulam, vbi consueuerat supplicare Domino, se recepit: & obserans ostium orabat intentè, & obsecrabat Dominum quatenus ei declararet statum Monachorum, qui futurus esset, vel quid post eius obitum, in tanta congregatione contingeret: & ab hora nona vsque ad illud tempus, quo frater, qui*

noctur-

nocturnis orationibus praeerat, vocem mitteret, & ad preces solitas excitaret, instantiam suæ supplicationis extendit. Cumq; precaretur attentius, subitò circa mediam noctem visionem cernit, quæ eum iuxta petitionem propriam de statu posterorum suorum plenius edoceret. Nam monasteria sua vehementius dilatanda, nonnullosq; piè victuros & continenter agnouit: neglectores etiam plurimos didicit, suamq; salutem penitus esse perdituros. hęc ille, qui satis apertè denunciat ex maxima monachorum multitudine, nonnullos, id est, paucissimos piè victuros, & saluandos; plurimos autem neglecturos, & salutem perdituros.

Pergit deinde auctor, & visionem ipsam explicat, *Vidit*, inquit, *sicut ipse narrauit, multitudinem monachorum in valle quadam profunda satis, atque caliginosa consistere: & alios exinde velle conscendere, nec valere, quia occurrebant ex aduerso sibi, nec inuicem dignoscere poterant, nec de profundo illo, & tenebroso loco prorsus emergere. Alios autem frustra conatos præ lassitudine ruere, atque ad inferos peruenire: alios autem iacentes miserabili, ac lachrymosa voce deflere: nonnullos verò cum maximo labore conscendere, quibus ascensu ipso lux protinus occurrebat, in qua constituti referebant Deo gratias, quod euadere potuissent.* hæc est visio sancti Pachomij. Ex qua colligitur primum principium relaxationis Regularium esse cæcitatem mentis, vt idem Pachomius interpretatur. Ideò enim dicitur multitudo Monachorum visa esse in valle profunda, tenebrosa, & caliginosa; quia multitudo ex monte perfectionis cecidit ad vallem profundam nimiæ relaxationis, comitante eos caligine mentis: non enim duxit eos stella ad Præsepium Christi, id est, non traxit eos diuina vocatio ad humilitatem Christi sectandam, sed carnalis sensus, qui mentem excæcat, duxit illos, vel ad vitam commodiorem, cùm essent pauperes, vel ad honores ambiendos in Religione, cùm in sæculo non inuenirent, qua via possent ascendere: vel alio aliquo humano consilio vestem sanctam induerunt, sed mores non mutauerunt. Et quid mirum, si multi vestem religiosam induunt, & mores religiosos non induunt, cùm non spiritus Domini, sed carnalis sensus eos ad ordinem religiosum duxerit? Et vnde contentiones, pro præfecturis, & inimicitiæ, ac rixæ in domo Dei, quæ est domus pacis, nisi quia plurimi non missi sunt ab eo, qui dixit, *Tollite iugum meum super vos*; &, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*? Quare, si ij, qui præsunt ordinibus religiosis velint ordinem suum reformare, & ex valle ad montem ducere; oportet eos diligentissimè vigilare in exploranda vocatione eorum, qui habitum petunt, nec tantum verbis explorare interrogando, sed etiam factis exercendo nouitios suos longo tempore in mortificatione passionum. Sed pergamus in explicanda visione Pachomij. In valle illa profunda quatuor monachorum genera Sanctus Pachomius vidit: primum est eorum, qui conabantur ascendere, sed impediebantur ab ijs, qui illis occurrebant, qui inter se non nouerant. Hoc significat, non deesse in ordinibus relaxatis, qui cupiant ascendere ad montem perfectionis: sed impediuntur malis exemplis aliorum, qui verbis, & factis à bono proposito resilire quodammodo cogunt. Dicuntur autem isti, non se inuicem cognoscere, quia putantur amici, & fratres, & sunt hostes & inimici.

Matth. 11.

Alterum genus est eorum, qui multum laborant in ascendendo, sed breui fatigantur, & corruunt vsque ad inferos. Id verò significat, inueniri etiam in ordinibus relaxatis, qui non solùm cupiant ascendere ad perfectionem, ac plenam regulæ obseruantiam; sed etiam incipiunt laborare in superandis tentationibus, & extinguendis concupiscentijs: sed victi antiqua consuetudine, tandem resiliunt à bono proposito, & ad sempiternum interitum ruunt.

Tertium est eorum, qui iacentes gemunt, ac plorant, id est, qui ne conantur quidē ad montem ascendere, & cum exultatione cantare canticum graduum; sed iacent in sterquilinio suo torpentes, & assiduè gemunt, ac plorant, non peccata sua, sed paupertatem, vel ignominiam, vel labores, ad quos inuiti à Præfecto coguntur. O vitæ genus miserabile: Isti sine diuina consolatione affliguntur, & sine bono merito laborant, & sic transeunt à labore ad dolorem, & à mortificatione temporali ad mortem sempiternam; qui si vellent ea, quæ patiuntur inuiti, libenter pro Christo pati: iugum suaue, & onus leue experirentur in terris, & ingens præmium lucrarentur in cœlis.

Quartum genus eorum est, qui serio & inuicto animo aggrediuntur ascensionem de valle lachrymarum ad montem diuinæ consolationis; & omnes difficultates forti animo superant; ac tandem ad mortem vsque, perfectionem vitæ sectando perseuerant. Illis occurrit lux copiosa, quia paulatim purificatur cor eorum à nebulis errorum, & cognoscitur veritas, & veritas liberat. Sic enim loquitur Dominus, *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* qui enim purificante, & illuminante Domino, incipit intelligere, nihil esse verè magnum, nihil verè suaue, nihil verè vtile hominibus, nisi gratiam Dei, in hac mortali vita, & in futura vitam æternam; liberatur facilè ab amore, & timore mundano, & ingreditur viā pacis, per quam ambulat securus, & gaudens, donec perueniat ad ciuitatem sanctam Hierusalem cœlestem. Et quoniam in ore duorum testium, præsertim omni exceptione maiorū, stat omne verbum, placet addere visionem S. Francisci, quam de progressu ordinis sui, aliquando vidit, similem illi, quæ demonstrata fuit Regi Nabuchodonosor per similitudinē statuæ grandis, cuius caput erat aureum, pectus argenteum, venter æreus, tibiæ ferreæ, pedes partim ferrei, partim fictiles. In qua visione multa leguntur de insigni perfectione primorum Patrum illius ordinis, & de magna relaxatione posterorū. Consulat lector Chronicum fratrum minorum. Ex quibus omnibus colligitur, agendas esse gratias Deo, cum ingenti lætitia pro tot sanctis hominibus, quos ordines religiosi Ecclesiæ Catholicæ pepererunt, & in dies pariunt; & simul etiam fundendas la-

Ioan. 8.

Paral. 1. c. 28. & 29.

das lachrymas copiosas pro deformatione, quam passa est tam illustris portio gregis Christi. & simul orandum assiduè Deum, vt conuertat corda Patrum in filios, & relaxatos filios ad prudentiam spiritualem, & feruorem cordis Patrum iustorum.

CAPVT VII.

De septimo fonte lachrymarum, qui est consideratio status sæcularium.

RESTAT consideratio status sæcularis; ex qua consideratione fons non exiguus lachrymarum erumpet, si attentè cogitemus, quales esse debeant omnes Christiani, & quales hoc tempore sint. Quales esse debeant omnes Christiani, etiam si laici sint, Scriptura docet, cùm affirmat, eos sanctos esse debere, id est, puros, & immaculatos. quod enim sæculares Clericis, & Regularibus dicunt, nos in mundo sumus, & sæcularibus negotijs implicamur, ideò sancti esse non possumus: ad vos pertinet vita spiritualis, & sancta, qui de mundo ad seruiendum Deo vocati estis; in aliquo sensu verum est. Debent enim Clerici, & Regulares maiore sanctitatis perfectione præditi esse, quàm Laici, qui coniugum, filiorum & Reipublicæ curam suscipiunt. Sed tamen ipsi quoque sæculares, & Laici sancti esse debent, si partē velint habere in Regno Christi, & Dei.

Primum enim Apostolus Paulus in ipso principio epistolæ ad Romanos, ita scribit,
Rom.1. *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, omnibus, qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis, &c.* Itaque sicut de se dixerat, *vocatus Apostolus*, id est, vocatione Apostolus, siue vocatus ad Apostolatum: sic de alijs Christianis dicit, *vocatis sanctis*, id est, vocatis ad sanctitatem. Id quod
Ephes.1. explicat clarius in epistola ad Ephesios, *Elegit*, inquit, *nos in ipso ante mundi constitutionem, vt*
Ephes.5. *essemus sancti, & immaculati.* & infra, *Fornicatio*, inquit, *& omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Hic certè Apostolus non alloquitur solos Clericos, aut Monachos, sed omnes Christianos, quos tam sanctos esse debere docet, vt non solùm caueant à fornicatione, & omni immunditia, & auaritia, sed etiam ignorent vocabula talium scelerum, vel flagitiorum.

Similia præcipit princeps Apostolorum Pe-
1 Pet 1. trus, cùm ait, *Secundum eum, qui vocauit vos sanctum, & vos in omni conuersatione sancti sitis, sicut scriptum est, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Deinde non soli Clerici & Regulares debent exire de Mundo, & non esse de Mundo, nec diligere Mundum. Scribit enim Beatus Paulus omnibus Corinthijs, quorum pars ma-
1.Cor.5. xima Laicorum erat, *Debueratis de hoc mundo*
Iacob.4. *exisse.* Et Sanctus Iacobus, *Nescitis*, inquit, *quia amicitia huius mundi inimica est Dei. quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.* S. quoque Ioannes non excipit Laicos vel sæculares, cùm ait, *Nolite diligere mun-*
1.Ioan.2. *dum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

A Deniq; Christus Dominus omnibus loquitur, cùm ait, *Si quis venit ad me, & non odit Patrē* Luc.14.
suū, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Odisse autem patrem, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ipsam etiam animam, id est, vitam; ad perfectam charitatem pertinet. Illa enim sola charitas est, quæ potest hoc efficere, vt homo paratus sit, ea alacritate vitam amittere suam, & suorum, ac si eos odisset. Quod explicat A-
postolus, cùm ait ad Corinthios, *Tempus breue* 1.Cor.7.
est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. præterit e-
B *nim figura huius mundi.* Hæc enim verba eò tendunt, vt hominem expediant ab omni amore minus ordinato erga vxores, & filios, & res omnes mundi huius, tanquam res caducas & fluxas, quas non decet possessorem suum impedire, quo minus promptissimus sit omnia perdere, vt vitam æternam lucrifaciat.

Habemus igitur ex doctrina Spiritus sancti per os Christi, & Apostolorum nobis prædicata, non solùm Clericos, & Monachos, sed etiam Laicos ad hanc perfectionem obligari, vt sancti sint, & de mundo exierint, & mundo, & concupiscentijs eius nuncium remiserint, & denique tam ardenti charitate ferueant, vt pa-
C rati sint propter Deum, personas coniunctas, & fortunas omnes, & ipsam vitam libenter exponere, ac si ista, vel sua non essent, vel odio prosequerentur.

At quot sunt homines sæculares, & Laici, qui ista intelligant, vel de istis seriò cogitent, ne dicam opere cōpleant? Vix probati Sacerdotes, & Monachi ad ista pertingunt. quid igitur à populo, à mercatoribus, ab opificibus, à
rusticis expectabimus? Apostolorum tempore 1.Cor.11.
multi erant infirmi, multi imbecilles, multi,
quibus lacte opus erat non solido cibo, & ta- 1 Cor.3.
men pane vitæ alebantur quotidie, & intuebantur heroica exempla sanctorum. Quid ergo de temporibus nostris dicere poterimus, quando magna pars populi, semel per annum corporis sacri aluntur cibo, & rarissima cer-
D nunt exempla sanctorum? Sed quid opus est argumenta conquirere, vt probemus, vitam multorum sæcularium hoc tempore lachrymarum fontibus esse plangendam? An non cernimus quotidie homicidia, furta, sacrilegia, adulteria, periuria, detractiones, dolos, fraudes? Quid dicam de luxu, de pompis, de operibus diaboli, quibus renunciauimus in baptismo? Quid de multitudine scortorum, siue meretricum, quibus plenus est mundus? Certè
in lege veteri dictum erat. *Non erit meretrix de* Deut.23.
filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel. & A-
postolus clamat, *Tollam ergo membrum Christi,* 1.Cor.6.
& faciam membrum meretricis? absit. & tamen istæ sordes, ista turpitudo, iste teterrimus fœtor in medio Christiani populi, longè, lateque occupat omnia.

Ex Episcopis, & Sacerdotibus multos nouimus ad eam vitæ sanctitatem peruenisse, vt

mererentur publico Ecclesiæ testimonio in sanctis numerari, nec pauciores scimus ex Regularibus diuersorum ordinum ad eandem gloriam peruenisse. Ex Laicis tam raros nouimus publico Ecclesiæ iudicio sanctos declaratos, vt vix vnum, aut alterum, in singulis maioribus prouincijs, demptis martyribus, in historijs legamus. Nostris certè temporibus partim ex Episcopis, partim ex Regularib⁹ numeramus, non paucos Catalogo Sanctorũ adscriptos; & non pauciores, ita miraculis florent, vt sperandũ sit breui gloriã eandem assecuturos. De secularib⁹, & laicis mirum silentiũ. Vtinam ista consideratio impelleret Reges, & Principes, vt Sanctum Ludouicum Francorum Regem, Sanctum Casimirum Regem Poloniæ, Sanctum Eduardum Regem Anglorum, & Sanctum Stephanum Regem Hungariæ, & alios similes imitari cuperent, atque ad celsitudinem gloriæ, omnium longè maximam aspirarent. Vtinam priuati homines laici vitam legerent, & mores imitarentur sancti Homoboni Cremonensis, qui cũ esset alligatus vxori, & paterfamilias, sic tamen vitam integrè, pieq; traduxit, vt ab Innocentio III. Pontifice sapientissimo, inusitato more, statim ab obitu, beatus & sanctus declaratus fuerit. Sed ista magis optanda, quàm speranda sunt.

Proinde Ecclesia instar columbæ pro omnibus gemat, & ad exemplum Annæ matris Samuelis, sterilitatem suam, præsertim, quoad laicos largissimo fletu omnipotenti Deo commendet: potens enim est Dominus, non solùm facere, vt sterilis pariat plurimos, sed etiam, vt filij Abrahæ ex lapidibus suscitentur. *1. Reg. 2. Luc 3.*

Capvt VIII.

De octauo fonte lachrymarum, qui est consideratio miseriarum generis humani.

Deplorauimus hactenus miserias spirituales Ecclesiæ, & præcipuarum eius partium. Sequitur nunc, vt consideremus miserias temporales generis humani, quæ communes sunt Ecclesiæ, cum alijs hominum congregationibus.

Tres esse videntur miseriæ toti humano generi communes omnibus notæ, morbus, paupertas, & seruitus, siue subiectio. Sed aliæ tres sunt miseriæ maiores, quas pauci arbitrantur esse miserias, bona valetudo, vbertas opum, & imperium, siue splendor honoris, & dignitatis. Ex his omnibus, si attentè considerentur, copiosius fons lachrymarum compassionis erga proximum aperietur.

Morbus, res est omnibus nota, vel proprio experimento, vel alieno. Sedes morborum sunt omnia membra corporis humani. temperamentum enim humani corporis tam est à summo opifice varijs instrumentis, & quasi machinis instructum, & ornatum, ad multa, & varia opera exercendã, vt difficile sit illud diutius integrum, & incolume conseruare. Et quidem Deus initio conditionis humanæ, adiunxit naturali operi suo supernaturale quoddam præsidium, quo manente, dissolui non

A poterat, imò etiam neque lædi naturale temperamentum corporis humani: sed merito primi peccati, sublatum est admirabile illud præsidium, quo mors, & morbus arcebatur, & redijt corpus humanum ad naturalem suam conditionem, & sic aperta est ianua morti, & morbis innumerabilibus. Sic enim Deus homini recens formato comminatus est, *Quacunque die comederis*, de vetito pomo, *morte morieris*: ac deinde cùm comedisset, *Memento*, inquit, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* *Genes. 3.* Hinc cæperunt omnia elementa, & omnia animantia hominem vulnerare. Sol ipse, qui datus erat ad vitam non solùm hominum, sed omnium viuentium, quàm multos, nimio suo calore, sæpè lædit in parte nobilissima, quæ dicitur caput? Aer elementum mollissimum,

B quot noxios vapores, siue exhalationes admittit, ex quibus exorti multiplices morbi humana corpora turmatim inuadunt? Aqua non paucos homines, vel absorbet, & suffocat, vel nimio humore corrumpit. Terra ipsa, iam non mater, sed nouerca spinas, & tribulos gignit, qui punctionibus multos lædunt; herbas venenatas producit, quæ humore noxio plurimos interficiunt. Animantia verò, quamuis hominis imperio subiecta, sæpè rebellant, & aut vnguibus, aut cornibus, aut dentibus, aut calcib. aut etiam solo flatu homines multos vel grauiter ægrotare, vel etiam vitam cum morte commutare compellunt. Ipsi etiam homines inter se bella gerunt, vulnerant, occidunt. Nec

C solùm hostes ab hostibus, sed etiam amici ab amicis grauissima tormenta pati coguntur. Iudices enim, cùm sceleratos, siue flagitiosos, siue facinorosos membrorum distorsione, vel distractione, vltionibus, flagellis, linguæ, vel manuum præcisione, alijsque tormentis puniunt; id quod faciunt, non vt hostes, aut inimici hominum; sed vt hostes, & inimici vitiorum, vt emendentur si emendari possunt, sin minus, vt desinant nocere innocentibus. Itaq; non odio personarum, sed amore boni communis ista faciunt. Denique Medici quot tormentis vexant ægrotos, quos tamen diligunt, & saluos esse cupiunt? Certè remedia, quæ medici adhibent ad morbos curandos, sæpè sunt ægrotis magis molesta, quàm morbi.

D Ex his intelligi potest, quanta sit multitudo in hac lachrymarum valle ægrotorum, languentium, eiulantium, vociferantium. Multi laborant pedibus, multi capite, multi ex oculis, multi ex auribus, multi ex pectore, multi ex stomacho, multi ex renibus, multi ex tibijs, multi toto corpore malè affecti iacent in Xenodochijs, vel in plateis, vel in campis; quorum comparatione, pauci sunt, qui iacent in proprijs domibus, & lectis. Itaque videtur mihi magna pars Orbis terrarum similis esse probaticæ piscinæ, in cuius porticib⁹ iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Quid enim *Ioan. 5.* expectare potest aliud tam ingens languentiũ multitudo, nisi motum lacrymarum ex compassione fraterna? Nam si verè omnis homo *Luc 10.* proxim⁹ noster est, ex sentẽtia Saluatoris; imò & frater, ex eodem patre Deo, & eadem terra matre, vnde inuocamus, & dicimus, *Pater no-* *Matth. 6.*

ster qui es in cœlis: an non deberet vnusquisque nostrum aliquando cogitatione lustrare multitudinem proximorum, & fratrum nostrorum languentium, & eiulantium, ac misericordiam implorantium: & ex corde commendare cum intimo gemitu Deo omnes, qui eiusmodi sunt? Profectò exaudiret pius Dominus lachrymas filiorum suorum, ex fonte charitatis profluentes, & illis quidem refrigerium aliquod largiretur, & nobis etiam boni operis merces non deesset. Si enim, qui dederit calicem aquæ frigidæ proximo suo, non perdet mercedem suam; multò magis qui dederit calicem aquæ calidæ, id est, lacrymarum ex fornace charitatis prodeuntium, non perdet mercedem suam. Neque hoc dico, quasi lachrymæ sufficiant, quando possumus visitatione, exhortatione, eleemosynis miseros adiuuare. De multitudine tantum absentium locuti sumus, quibus nisi oratione, & lachrymis adesse non possumus.

Matth. 10.

Veniamus ad alteram calamitatem. Paupertas non minor fortasse calamitas est, quàm ægritudo. Certè Sapiens à Deo petebat, *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, sed tantum tribue victui meo necessaria*. Durissima res est, cùm adest necessitas cibum capiendi, aut nuditatem cooperiendi, aut sub tectum ob iniurias cœli, aut alia imminentia pericula secedendi, ab aliorum misericordia, & voluntate pendere. Et quot sunt eiusmodi homines miserabiles super terram? planè innumerabiles. Id verò tribus de causis accidere solet.

Prou. 30.

Primùm ex auaritia, vel effusione diuitum: deinde ex vanitate, & incuria pauperum: postremò ex modica, vel nulla fiducia tum pauperum, tum diuitum in prouidentia, & charitate Dei. Ac primùm diuites auari immemores præceptorum Domini, atque illius præcipuè, quo iubemur diligere proximum, sicut nos ipsos, recondunt, quæ pauperibus distribuenda fuerant: diuites autem prodigi dilapidant bona sibi à Deo credita, & effundunt in meretrices, in comessationes, in vanitates, in pompas huius mundi, quibus in baptismo renunciauerant; in vestes pretiosas, & plurimas, ac per hoc superuacaneas. Vnde fit, vt nihil relinquatur pauperum necessitatibus. Deus enim prouidentia sua, semper producit ex terra fructus tantos, quanti hominibus omnibus, & cunctis bestijs abundè sufficiunt. Sed auaritia, vel effusio paucorum facit, vt pluribus desit, vnde sustentari, ac viuere commodè queant. Sed audiamus quid sancti Patres de hac diuitum auaritia, vel effusione dicant. Sanctus Basilius oratione ad diuites in illud Euangelij, *Destruam horrea mea*; *At tu*, inquit, *nonne spoliator es, qui, quæ dispensanda accepisti, propria reputas? est panis famelici, quem tu tenes: nudi tunica, quam tu in conclaui conseruas: discalceati calceus, qui apud te marcescit: indigentis argentum, quod possides inhumatum. quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres.*

Sanctus Ambrosius serm. 81. *Sed ais*, inquit, *quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligenter seruem? ô impudens dictum, propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* & infra, *Non minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis, & abundes, indigentibus denegare.*

S. Hieronymus in Epistola ad Hedibiam quæst. 1. *Si plus*, inquit, *habes, quàm tibi ad victum, vestitumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noueris.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus homilia 34. ad populum Antiochenum, *Nunquid*, inquit, *graue quidpiam, & onerosum à nobis requirit? necessitatem excedentia vult nos facere necessaria; & quæ nequicquam, & inutiliter reposita sunt, hæc vult benè distribui.* & infra, *Tuarum*, inquit, *rerum es, ô homo, dispensator, non minus, quàm qui Ecclesiæ bona dispensat.* & infra, *Non ad hoc accepisti, vt in delicias absumeres, sed vt in eleemosynam erogares; nunquid enim tua possides? res pauperum tibi sunt credita siue ex laboribus iustis, siue ex hæreditate paterna possideas.* hæc ille, qui de superfluis loquitur, non de ijs, quæ ad personam, vel familiam necessaria sunt.

S. Augustinus in Psalmum centesimum quadragesimumseptimum. *Superflua*, inquit, *diuiti, necessaria sunt pauperi: res alienæ possidentur, cum superflua possidentur*. Idem auctor in homilia octaua, ex libro quinquagesimo homiliarum sic loquitur, *Defert tibi Deus honorem, & quasi tibi dicit, Prior de communi tolle, quod sufficit necessitatibus domus tuæ, quod reliquum est, da Christo.* Denique idem in tractatu 50. in Ioannem, *Tibi*, inquit, *superflua sunt, sed Domini pedibus* (pauperibus) *necessaria sunt.*

S. Leo ser. 5. de collectis, sic ait, *Etiam terrena & corporea facultates ex Dei largitate proueniunt, vt meritò rationem earum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda, quàm dispensanda commisit.*

Sanctus Gregorius tertia parte Pastoralis curæ, admonitione vicesima secunda, *Admonendi sunt*, inquit, *qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, vt sciant sollicitè, quod ea, de qua sumpti sumus cunctis hominibus terra communis est, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert, & incassum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi priuatim vendicant.*

Sanctus Bernardus in Epistola quadragesima secunda ad Henricum Archiepiscopum Senonensem, sic ait, *Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod vos inaniter expenditis.* Hæc ille. Neq; diuersam doctrinam tradunt Doctores scholastici meliores in scholis.

Sanctus enim Thomas, qui omnibus eminet, sic loquitur. *Res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi*. Item infra, *Dominus*, inquit, *non solùm decimam partem, sed omnia superflua pauperibus iubet exhiberi.* Denique in quartum sententiarum, hanc eandem esse testatur communem Theologorum sententiam. Hæc breuiter adducere placuit ex doctrina sanctorum, doctissimorumque Patrum, ne quis existimaret, me nimis rigidè, ac seuerè de communicandis opibus cum pauperibus esse locutum.

2. 2. q. 66. art. 7.

2. 2. q. 87. artic. 1. ad 4. 4. sent. d. 15. q. 2. a. 4.

Sed non minus pauperes ipsi, sæpè causa sunt egestatis suæ, & suorum. quod enim lucrantur

per hebdomadam laborando manibus, interdum festis diebus totum consumunt ludendo, & bibendo in tabernis. Deinde, quasi pudeat eos conditionis suæ, & dedignentur Christum pauperem imitari, qui *propter nos egenus factus est, cùm esset diues;* coniuges suas sericis vestibus induunt, & quod satis esse potuisset victui moderato, & simplici amictui; totum consumitur in vestibus pretiosis, & ostentatione vanissima. 2. Cor. 6.

Sed causa præcipua cur multi pauperes misera necessitate conficiantur, & multi diuites pecunias suas recondant, & malint fame, sitique cruciari, quàm cumulum pecuniarum diminuere; illa est, quia non confidunt in Domino, qui *diues est in misericordia,* Et verè mirabile est, quod Dominus apud Matthæum, certissimis, & clarissimis rationibus, & similitudinibus demonstrauit, Deo Patri curam esse de nobis, & nihil nobis, neque ad victum, neque ad vestitum posse deficere, si confidamus in eo; & tamen tam paucis persuaserit, quibus dogmata altissima, & difficillima persuasit. Quid certius, aut euidentius argumento illo Domini, Si Deus pascit volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, & vestit lilia agri quæ non laborant, neque nent: quo modo non magis hominibus illis, quos ad imaginem suam creauit, & per Spiritum sanctum in filios adoptauit omnia ad vitam, & victum, atque amictum necessaria suppeditabit? Et si Deus istis Regnum cœlorum præparauit, quo modo interim necessaria ad vitam transigendam denegabit? Denique veritas explorata est, posse Deum, si velit, in momento non solùm necessaria prouidere, sed etiam locupletare mendicum. id enim disertis verbis docet Spiritus sanctus per Ecclesiasticum, cùm ait, *Facile est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Vbi per honestare, intelligitur, locupletare, vt habet vox græca. nam in eodem capite legimus, à Deo esse vitam, & mortem, bonum, & malum, honestatem & paupertatem. vbi opponuntur tanquam contraria honestas, & paupertas, vt vita, & mors; & bonum, & malum. Significantur autem diuitiæ nomine honestatis, quia honoratum, & splendidum faciunt hominem diuitiæ; vilem, & despectum inopia. Rursum veritas explorata est, velle Deum amicis suis, in se confidentibus saltem necessaria prouidere, cùm scriptum sit, *Non est inopia timentibus eum.* &, *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* &, *Scitote, quia nullus confidit in Domino, & confusus est.* Ex quibus duabus sententijs manifestè colligitur præcipuam causam, cur tam multi pauperes miserè pereant, esse, quia non confidunt in Deo, sed in astutia sua. Verùm non ideò fraterna charitas continere debet, aut manus à largiendo quibus potest, aut oculos à lachrymis, apud Deum fundendis, pro quibus non potest. tantò enim magis multitudo propè infinita mendicorum misericordia digna est, quantò plurimi eorum, non solùm laborant penuria corporalium bonorum, sed etiam penuria fidei, & fiduciæ, & cognitionis Dei, Patris optimi, & amantissimi, & sapientissimi, & omnipotentissimi. hæc enim spiritualis in- Math. 6. Ephes. 2. Luc. 12. Eccl. 21. Psalm. 33. Psalm. 36. Eccl. 2.

A opia digna est lachrymis compassionis multò magis, quàm omnis summa, & extrema mendicitas corporalis.

Restat miseria tertia, quæ est abiectio seruitutis, præsertim illa, quæ est mancipiorum, quæ parum differunt à iumentis. omnis quidem seruitus miserabilis est, cùm omnis homo nascatur liber, & libertatem rebus omnibus anteponat: sed mancipiorum, quæ damnantur ad triremes, vel ad metalla, vel ad molam vertendam, vel ad pugnandum ad bestias, vel ad alios eiusdem generis labores, infinita propemodum miseria est. nam instar iumentorum omni requie, ac refrigerio carent, & ad continuos, grauissimosque labores verberibus adiguntur; & interim pascuntur pane angustiæ, & aqua tribulationis; ac demum B adhuc viuentes quandam quasi gehennam, non apud inferos, sed apud superos patiuntur. Et tamen homines sunt, & sæpè innoxij sunt, & noxijs tamen seruire coguntur. Certè si quis mentis consideratione Orbem terrarum lustrare voluerit, & attentè tam intolerabilem infelicitatem fratrum suorum perpendere cœperit; non poterit, etiamsi voluerit lachrymas continere; sed nec velle debebit, si pius sit, & communi Domino tam ingentem ærumnam, & calamitatem commendare, & sacrificium compassionis immolare voluerit.

Venio nunc ad alias tres ærumnas contrarias superioribus, valetudinem bonam, diuitiarum copiam, & Imperij potestatem. Et C quidem non ambigo, tria ista, bona esse, addo etiam esse dona Dei, & posse cum pietate consistere, & ad sempiterna bona promerenda vtilia esse posse non nego. Sed ea de causa inter miserias numeranda esse censui, & miserias tribus superioribus grauiores, & maiores affirmare non timui, nec timeo; quoniam ad vitam æternam, quæ summum bonum est, & finis, ad quem creati sumus obtinendam, & assequendam, magis impedit aliquando sanitas, quàm ægrotatio; diuitiæ quàm egestas, & Imperij potestas, quàm seruitutis abiectio. Confer sanitatem cum ægrotatione; qui benè valet, rarò meminit Domini sui, vt quo non multum egere videtur; promptus est ad peccata, præsertim carnalia perpetranda; exultat, ludit, iocatur, tripu- D diat, dulce illi est comedere, bibere, & dormire; graue, & amarum orare, ieiunare, & vigilare: contra ægrotus, qui vel decumbit in lecto debilis, & dolens, vel cum doloribus, & mœroribus luctatur, non cogitat de voluptatibus, neque de conuiuijs, ac multò minus de ludis, & iocis; sed de miseria vitæ præsentis, & de gloria vitæ futuræ, de vicina morte, de ratione reddenda Deo, etiam de verbo otioso. proinde non solùm multa peccata non committit, quæ sanus fortè committeret; sed etiam multa bona opera facit, quæ sanus fortassè non faceret. Scribit sanctus Gregorius in libro quarto dialogorum, suo tempore fuisse Romæ quendam virum nomine Seruulum toto corpore paralyticum; & quandam piam feminam nomine Romulam, simili morbo ad multos annos laborantem. De Seruu- 4. Dial. c. 14. & 15.

lo dicit,

lo dicit, eum sic paralysi vsque ad mortem laborasse, vt nunquam posset vel ex lectulo surgere, vel manum ad os ducere, vel in latus aliud declinare. De Romula pariter affirmat, eam in lectulo omnium membrorum officio destitutam longo tempore iacuisse. Quantam autem segetem virtutum, & meritorum vtrique attulerit tam diuturna, & tam vehemens ægrotatio, idem Gregorius demonstrat ex diuinis signis, quæ in vtriusque morte claruerunt. Nam in obitu Seruuli scribit, Angelorum cantus in eius morte auditos, & statim à morte fragrantiam miri odoris subsequutam. Sic etiam in morte Romulæ, refert, primum apparuisse in eius cubiculo candidissimam lucem, & simul odoris suauissimi fragrantiam cælitus emissam, ac deniq; duos Angelorum choros alternatim canentium ante fores cubiculi auditos. Et vnde obsecro tam singularia priuilegia paralyticis istis exhibita? certè non aliunde, nisi quia diuturna, & continua illa paralysis procul arcebat omnem peccandi occasionem, & simul præbebat materiam vberem exercendæ pœnitentiæ, & vacandi per iugem orationem Deo, & sibi. *Ipsa,* inquit Sanctus Gregorius, *detrimenta membrorum facta fuerunt incrementa virtutum. quia tanto sollicitius ad vsum orationis exercuerant, quanto & aliud quidlibet agere nequaquam valebant.* Quod si narrare inciperem eorum exempla, qui per occasionem ægrotationis ad cor suum redierunt, & de mundi amatoribus, amatores Dei, & de peccatoribus sancti facti sunt, nullum finem narratio inueniret. Est enim corporalis morbus, quasi flagellum salutare, quo Deus vti solet ad conuertendos peccatores, iuxta illud Psalmographi, *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* & illud Isaiæ, *Veruntamen sola vexatio dabit intellectum auditui.* Siquidem, vt plurimum, qui sani & vegeti sunt, audiunt sæpè à concionatoribus multa de morte, de iudicio, de gehenna; sed non videntur intelligere quid sit, quod dicitur, cùm nulla subsequatur morum emendatio. Sed cùm Deus vexare hominem morbo aliquo graui, aut lethali vulnere incipit, tum vexatio dat intellectum auditui. Incipit enim ægrotus seriò cogitare de morte, de iudicio, de gehenna; & sæpè corporis ægrotatio parit animæ sanitatem.

Psalm. 77.
Isai. 28.

Quid iam de diuitijs dicam? dicuntur illæ quidem ab hominibus bonæ, & expetendæ, & augendæ. Sed Spiritus sanctus, qui est spiritus sapientiæ, & intellectus, tam grauem sententiam in libro Dei verissimo, atque certissimo, contra diuites, & diuitias protulit, vt horrori mihi sit eam referre.

In libro Prouerbiorum, sic legimus, *Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar, mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, sed tantum tribue victui meo necessaria.* qui hæc loquitur, de se dixit paulò ante, *Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante ait.* Itaque qui loquitur verba illa, & qui obnixè rogat, vt diuitiæ sibi non affluant, non est aliquis stultus, vel imperitus, sed vir illuminatus à Deo, & sapientissimus. Quis ergo sapiens audeat petere à Deo diuitias, aut eas magno labore conquirere, ne dicam per fraudes, aut iniustitiam eas sibi comparare, Ecclesiasticus scriptor etiam sapientissimus, & spiritum Dei in scribendo habens ita pronunciat, *Si fueris diues, non eris immunis à delicto.* Quàm grauis, & quàm tremenda hæc sententia est? quis cupiat diuitias, quæ tantam habent cum delicto, id est, cum inimicitia Dei, coniunctionem? poterit quidem aliquis diues esse, & simul Dei amicus esse, vt fuit Abraham, & Isaac, & Ioseph, & Dauid: sed tanta est procliuitas diuiti ad delictum, vt Sapiens absolutè pronunciauerit, *Si fueris diues, non eris immunis à delicto.* quia videlicet diuites facilè superbiunt, facilè contemnunt pauperes, quamuis se meliores; facilè negligunt dare, quod superest, egenis; facilè consumunt diuitias in explendis cupiditatibus suis; facilè cupiunt insano ardore fieri ditiores, & per fas, & nefas, congregare diuitias. Dominus in Euangelio miraculo comparauit diuitum salutem, cùm ait, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum cælorum,* Atque huius sententiæ tremendæ tres testes habemus omni exceptione maiores Matthæum, Marcum, & Lucam, scriptores Spiritu sancto plenos. Erit igitur aliquis vir prudens, qui tanto periculo salutem æternam suam exponere audeat? At, inquies, diuites Dominus vocat eos, qui amant diuitias, & qui habent ad fruendum eis, non ad erogandas in vsus necessarios, & pios? Ita est, sed quàm pauci sunt huiusmodi? Ideò saltem ob raritatem, rectè comparata est miraculo salus locupletum. Idem Dominus, sancto Luca teste, miseros diuites appellauit, cùm ait, *Veruntamen væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram,* illud enim, *væ,* miseriam, calamitatemque designat, & opponitur voci, *beatus,* quæ felicitatem significat. Et quoniam diuites saturari solent cibis delicatis, & inde iucundam, ac lætam vitam ducere: subiunxit Dominus, *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis: Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* En quid sentiat Magister Deus de bono diuitiarum. Is qui diuitias fecit, & qui scit omnium optimè quid in se habeant, egenus & pauper esse voluit, & pronunciauit per secretarium suum, *Væ diuitibus:* & per eundem, *Beati pauperes.* Et erit adhuc homo Christianus, qui perditè diuitias amet? & erunt homines Christiani, qui diuites beatos esse iudicent, & non potius eorum sorti misereantur, & pericula ipsorum defleant?

Eccl. 11.
Matth. 19.
Marc. 10.
Luc. 18.
Luc. 6.

Sed audiamus Paulum Apostolum, qui raptus in tertium cœlum, nouit omnium optimè, quæ sint vera bona, & vtrum diuitiæ magis conferant ad salutem, quàm impediant iter salutis. Hic in Epistola priore ad Timotheum, ita scripsit, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem.* Non loquitur de illis, qui diuitias habent, & illis imperant, easque sibi subijciunt, ac insumunt in operibus Deo placitis, qui pauci sunt; sed de ijs, qui volunt diuites fieri, id est, qui diui-

Prou. 30.
1 Tim. 6.

tias amant, & ideò semper eas conseruare, & augere desiderant, & quasi serui, & mancipia sunt diuitiarum. De his Apostolus pronunciat, quod incidant in tentationem, id est, quod sint expositi magnis tentationibus ambitionis, luxuriæ, vindicandi iniurias, deprimendi aduersarios, per fas, & nefas obtinendi quodlibet, quamuis non liceat. ad hæc enim omnia aptissima instrumenta sunt pecuniæ: Et quoniam nimis difficile est, tam graues tentationes superare: pronunciat secundo Apostolus, quod diuites incidant in laqueum Diaboli; quicunque enim tentationi cedunt, hoc ipso captiui efficiuntur Diaboli, atque ad eius imperium mouentur, vt canes illigati catenis. Et quid miserabilius, quàm Diaboli, hostis crudelissimi, & nunquam mitescentis esse mancipium? Tertio addit Apostolus, diuitem B sic à Diabolo illigatum, & laqueo eius, ac reti constrictum, non solùm permanere in præsentibus sceleribus, sed quotidie concipere noua desideria scelerum grauiorum, partim inutilium, partim noxiorum. Inutilia enim sunt desideria vanitatum, pomparum, ludorum; noxia verò desideria adulteriorum, homicidiorum, defectionum, rapinarum, & aliorum id genus scelerum, & flagitiorum, quæ sine rubore, & sine timore ab his Diaboli mancipijs perpetrantur. Vnde postremò ex Apostoli sententia demerguntur, qui eiusmodi sunt, in interitum & perditionem: in interitum videlicet sempiternum, per quem perduntur omnia bona præterita, præsentia, & futura.

Quæ cùm ita sint, manifestum est, abundantiam diuitiarum similem esse non flatibus C prosperis ventorum, qui ducunt ad portum; sed ventis contrarijs, & furentibus, qui tempestates excitant, & longè abducunt à portu, & facto naufragio demergunt nauem cum vectoribus in abyssum, & perditionem. Quis igitur negauerit diuites miseros esse, & misericordiæ lachrymis deplorandos, & Domino Deo nostro cum gemitibus assiduè commendandos?

Restat imperium, & potestas, qua vna re maximè se iactant, & efferunt homines, quasi iam supra sortem mortalium ascenderint. Sed ista ipsa potentia, quo altius euehit, eo periculosius minatur præcipitium: sic loquitur Sanctus Bernardus ad Eugenium suum, cùm ex humili monacho summus Pontifex factus D esset: *Considero gradum, & casum vereor: considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi, iacentis deorsum. Attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido.* & infra, *Altiorem locum sortitus es, sed non tutiorem, sublimiorem, non securiorem.* Atque hoc idem de omnibus gradibus, siue ecclesiasticis, siue temporalibus dici potest. Omnes enim, qui præsunt alijs, in periculo magno versantur, & dignissimi sunt, vt omnes eorum subditi, seriò, & non sine magno gemitu diuinum eis implorent auxilium. Audi enim quàm terribiliter aduersus eos intonet Spiritus sancti tuba, *Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter*

Epist. 237.

[C]ap. 6.

A *tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* O si ista perpenderent homines, non tam ardenter inhiarent ad Regna, & præfecturas. Sed quæ causa est, cur tam graue iudicium potentibus comminetur Deus? Illa potissimum esse videtur, quod peccata Principum soleant esse sine comparatione maiora, quàm priuatorum. Priuati homines furantur obolos; Principes furantur castra, Ciuitates, Regna: Priuati habent fortasse concubinam vnam; Principes magni plurimas habere volunt: Salomon habebat trecentas, præter vxores septingentas: & Imperator Maxentius nullius matronæ Romanæ, quamuis nobilissimæ honori parcebat: Priuati singulari certamine cum inimico depugnant; Principes magni exercitus magnos in hostes ducunt. Et si fortè causa belli iniusta sit, quis numeret peccata, quæ secum trahit bellum iniustum? Certè cædes, rapinæ, depopulationes vrbium, deuastationes agrorum, & vinearum, incendia domorum, & templorum, sacrilegia horribilia, violationes virginum, & matronarum, & sanctimonialium, & alia grauissima scelera sine vllo numero, quæ ex iniusto bello sequuntur, omnia in caput eius recidunt, qui sine iusta causa bellum mouit. Et quia nunquam poterit eiusmodi Princeps tam ingentia damna resarcire; repetet ab illo pœnas iustissimas Deus, qui solus potest inuenire supplicia sceleribus omnibus paria. Ergo non mirum est, quod Spiritus sanctus clamet, & dicat, *durissimum iudicium his, qui præsunt, fiet.* Sed mirum est, quod ij, qui præsunt, non contremiscant; & magis mirum est, quod vlli sint, qui præfecturas ambiant. Et si Deus tam grauiter animaduertit in peccata Principum temporalium, multò grauius animaduertet in peccata Principum spiritualium, quantò pretiosior est coram Deo anima, quàm corpus, & vita æterna, quàm vita temporalis. Quæ omnia, si quis attentè consideret, non poterit, non vehementer compati Principibus omnibus tum spiritualibus, tum temporalibus; ac pro eis sacrificium precum cum adipe lachrymarum offerre. Quod autem nos diximus, esse compatiendum magis Principibus, quàm priuatis, confirmari potest ex Augustini sententia, qui in libris de Ciuitate Dei apertè scribit, magis tolerare debere Patres, quod imperent, quàm seruos tolerare, quod seruiunt.

3 Reg 11.

Eusebius li. 8. hist. Ecclesi. c. 11.

Lib. 19. de Ciuit Dei cap. 16.

CAPVT IX.

De nono fonte lachrymarum, qui est consideratio Purgatorij.

ANIMAE illæ, quæ in Purgatorio degunt, non paruum nobis adhuc viuentibus super terram lachrymarũ materiã præbent; vt meritò consideratio Purgatorij dici possit lachrymarum fons vberrimus.

Porrò

A Porrò in pœnis Purgatorij quatuor capita considerari possunt, ex quibus coniecturam facere licebit de magnitudine pœnarum illarum, vt ex ea magnitudine colligi possit, meritò debere fideles, lacrymas fundere ob commiserationem fratrum nostrorum, qui pœnis illis interim cruciantur.

Primùm est, pœnas Purgatorij acerbiores esse pœnis omnibus, quas in hac vita experimur: alterum, pœnas Purgatorij, vt plurimum diutius durare, quàm pœnæ huius vitæ durent: tertium, animas quæ in Purgatorio degunt seipsas iuuare non posse: postremum animas illas esse plurimas, ac penè innumerabiles. Ex his planè constat, valde miserabiles esse animas illas, & per hoc omni miseratione dignissimas: & stultissimos esse, qui in hoc tẽpore pro culpis suis satisfacere negligunt, & malunt ad loca illa pœnalia descendere, quàm in hoc tempore aliqua delectatione priuari.

B Primùm igitur pro comperto habere debemus, pœnas Purgatorij acerbiores esse pœnis omnibus, quas in hac vita experimur. Id enim disertis verbis docet sanctus Augustinus in explicatione Psalmi tricesimiseptimi, cùm sic loquitur, *Domine ne in indignatione tua arguas me. non sim inter illos, quibus dicturus es: Ite in ignem æternum. Neque in ira tua emendes me, vt in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne opus non sit; propter illos, qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem.* Et paulò infrà, *Et quia dicitur, Saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid potest homo pati in hac vita. Et nostis, quanta hic passi sunt mali, & possunt pati, tanta tamen passi sunt, quanta potuerũt pati & boni. quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quod nõ pertulit Martyr in Confessione Christi. Ista ergo, quæ hic sũt mala, multo faciliora sunt: & tamen videte quemadmodũ ea homines ne patiantur, quicquid iusserint, faciunt. quanto melius faciũt, quod iubet Deus, ne illa grauiora patiãtur?* hæc S. August. quem in hac sentẽtia sequuntur multi Patres. S. Gregor. in explicat. Psalmi tertij pœnitentialis, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me; quasi dicat, scio futurum esse, vt post huius vitæ exitum alij flammis expientur purgatorijs, alij sententiam subeant æternæ damnationis. Sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione æstimo præsenti intolerabiliorem, non solum in furore æternæ damnationis opto non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari.* Idem habent Venerabilis Beda in explicatione verborum eorundem; & sanctus Anselmus in explicatione tertij capitis epistolæ prioris ad Corinthios, & S. Bernardus in sermone de obitu Humberti.

C Hos verò sanctos Patres non sequitur tantum sanctus Thomas Aquinas scribẽs in quartum librum sententiarum distinct. trigesima, quæstione prima, articulo secundo. Sed addit minimam pœnam purgatorij grauiorem esse acerbissima quacunque pœna huius mundi. Et tamen audent homines contemnere illam pœnam, qui præsentes dolores tolerare non possunt. Sed hæc est cæcitas plangenda præter cæteras in hac valle lacrymarum.

D Probat autem sanctus Thomas sententiam suam, quoniam veritas certa, & explorata est, pœnam damni grauiorem esse qualibet pœna sensus: & non minus certum, & exploratum est, eos omnes, qui in Purgatorio sunt, pœnam damni sustinere. Sed aliquis fortè obijciet, pœnam damni perpetuam, qualis est in gehenna, esse verè pœnam, & pœnarum grauissimam; sed in Purgatorio carentiam visionis diuinæ, non videri propriè pœnam, aut certè non esse pœnam grauiorem ijs, quas in hac vita patiuntur martyres. Nam & nos dum hic in terris viuimus, Deum non videmus, & tamen non dicimur sustinere pœnam damni, quia suo tempore Deum videbimus, si cordi purgando, & mundando, vt par est, operam demus. Imò etiam veteres sancti Patres, Patriarchæ, & Prophetæ, qui in Limbo Saluatorem expectabant, Deum non videbant, nec tamen cruciabantur pœna damni, quia visuri erant tempore designato à Deo. Sic enim Abraham respondit Epuloni, *Memento fili, quia recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala: nunc igitur ille consolatur, tu vero cruciaris.* Vbi non dixit Abraham, Lazarus cruciatur pœna damni; sed, consolatur, ac per hoc non torquetur. Et sanctus ille Simeon, cùm ait, *Nunc dimittis seruum tuum in pace:* non existimauit per mortem se pergere ad pœnam grauissimam, sed ad pacem lætissimam. Denique sanctus Gregorius in libro tertiodecimo Moralium affirmat, veteres Patres in Limbo, non tormenta vlla pertulisse, sed requiem inuenisse. *Luc. 2.* *Lib. 3. Moral. cap. 2[illegible].*

Ad hanc obiectionem facile responderi potest: Nos enim hic in terris non plenè cognoscimus, quàm graue sit Deum non videre, tum quia per phantasmata corporalia, & sensuum ministerium obscurè intelligimus, quicquid intelligimus: tum quia deliniti corporalibus oblectationibus in his acquiescimus, nec de spiritualibus multum solliciti sumus. Veteres quoque Patres non cruciabantur pœna damni, quamuis Deum non viderent, quia sciebant non differri se, culpa aliqua sua propria, à visione Dei, sed quia tempus illius magni boni nondum aduenerat. At, qui post Christi aduẽtum damnantur ad purgatorium, ij non possunt non grauissime cruciari, quòd Deum videre nequeant. nam cùm corpore, & sensibus corporalib⁹ careant, nõ amplius oblectari possunt in obiectis sensibilibus, in cibo, & potu, in diuitijs, & honoribus, in explenda carnali concupiscentia: sed toti aspirant ad contemplandam veritatem primam; & ad fruendum summo bono, ad quod, vt ad finem vltimum, se creatos fuisse intelligunt. Accedit, quòd optimè nouerunt, iam fidelibus aperta esse regna cœlorum, & nihil esse, quod impediat, nisi reatum pœnæ per ipsorum propria peccata contractum. vnde sine dubio sibi ipsæ irascuntur animæ, & dolent, ac torquentur, quòd ipsæ sibi causa sint dilationis tanti boni. Similes mihi esse videntur homini valdè esurienti, & sitienti, qui ante se habeat mensam cibis optimis instructam, & vinis optimis, ac limpi-

dissima aqua refertam; & tamen nihil attingere possit, non alia caussa prohibente, nisi quia ipse sibi hanc dilationem promeritus sit. Adde, quod sancti Patres Augustinus, Gregorius Beda, Anselmus, & Bernardus non de pœna dãni loquũtur, quam omnes fatentur esse maximam, sed de pœna ignis; ac de ista pœna planè affirmant, eam esse atrociorem, quàm sit vlla pœna huius vitæ. Quamuis enim non desit hic in terris pœna ignis, tamen ille ignis, qui non lignis, aut oleo nutritur, sed vt instrumentum iustitiæ Dei semper ardet, & torquet animas, sine vlla dubitatione acerrimus est. Quare si non concederemus, pœnam damni temporariam, qualis est in purgatorio, esse grauiorem omnibus pœnis huius vitæ: id tamen de pœna ignis ex tot Patrum auctoritate concedi deberet.

Et quoniam multi non facile adducuntur, vt credant quæ nunquã viderunt, placuit Deo aliquando seruos aliquos suos à mortuis excitare, ac eis mandare, vt viuẽtibus annuncient, quod viderunt. Ex multis autem eiusmodi testibus, vt sic loquar, oculatis, qui pœnas purgatorij viderunt, duos eligere visum est, vnum & vnam, de quibus testes habemus omni exceptione maiores. Vnus igitur sit Drithelmus Anglus, cuius viri historiam scribit Venerabilis Beda, qui rem narrat sibi notissimam, & quę tempore suo obstupescentibus omnibus euenit. Sic igitur scribit in libro quinto historiæ gentis Anglorum, *His temporibus miraculum memorabile, & antiquorum simile in Britannia factũ est. Namque ad excitationem viuentium de morte animæ, quidam aliquandiu mortuus ad vitam resurrexit corporis, & multa memoratu digna, quæ viderat narrauit, è quibus hic aliqua breuiter perstringenda esse putaui. Erat quidam paterfamilias in regione Nordam Humbrorum, religiosam cum domo sua vitam gerens, qui infirmitate corporis tactus, & hac crescente per dies, ad extrema perductus, primo tempore noctu defunctus est. Sed diluculo reuiuiscens, ac repente residens, omnes, qui corpori flentes assederant, timore immenso perculsos, in fugam conuertit. Vxor tantum, quæ eum plus amabat, quamuis multum tremens, & pauida, remansit. quam ille consolatus, noli, inquit, timere, quia verè resurrexi à morte, qua tenebar; & apud homines sum iterum viuere permissus; non tamen ea mihi, qua antea consueueram, consuetudine, sed multum dissimili ex hoc tempore viuendum est. Statimque surrexit, & abijt ad villulæ oratorium, & vsque ad diem in oratione persistens, mox omnem, quam possederat, substantiam, in tres diuisit portiones: è quibus vnam coniugi, alteram filijs tradidit; tertiam sibi retentam, statim pauperibus distribuit. nec multò post seculi curis absolutus ad monasterium Mailros peruenit, acceptaque tonsura locum secreta mansionis, quam prauiderat Abbas, intrauit; & ibi vsque ad diem mortis in tanta mentis, & corporis contritione durauit, vt multa illum, quæ alios laterent, vel horrenda, vel desideranda vidisse, etiamsi lingua sileret, vita loqueretur. Narrabat enim hoc modo, quod viderat. Lucidus, inquit, aspectu & clarus erat indumento, qui me ducebat. deuenimus autem ad vallem multæ latitudinis, & profunditatis, infinita autem longitudinis, quæ ad læuam nobis sita vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum furenti grandine, ac frigore niuium omnia perflante, atque verrente non minus intolerabile præferebat. Vtrunque autem erat animabus hominum plenum, quæ vicissim hinc inde videbantur quasi tempestatis impetu iactari. Cùm enim vim feruoris immensi tolerare non possent, prosiliebant miseræ in medium frigoris infesti: & cùm neque ibi quippiam requiei inuenire valerent, resiliebant rursus in medium flammarum inextinguibilium. Cumque hac infelici vicissitudine longè lateque, prout aspicere poteram, sine vlla quietis intercapedine innumerabilis spirituum deformium multitudo torqueretur; cogitare cœpi, quòd hic fortè esset infernus, de cuius tormentis intolerabilibus narrare sæpius audiui. Respondit cogitationi meæ ductor, qui me præcedebat, Non hoc, inquiens, suspiceris, non enim hic infernus est ille, quem putas.*

Lib. 5. ca. 13

Ac deinde explicata visione inferni, & paradisi, quam causa vitandæ prolixitatis omitto; subdit, *Scis*, inquit, *quæ sint ista omnia, quæ vidisti? respondi ego, non; & ait, Vallis illa, quam aspexisti flammis feruentibus, & frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus, in quo examinandæ, & castigandæ sunt animæ illorum, qui differentes confiteri, & emendare scelera sua, quæ fecerunt, in ipso tandem mortis articulo ad pœnitentiam confugiunt, & sic de corpore exeunt. qui tamen, quia confessionem, & pœnitentiam, vel in morte habuerunt, omnes in die Iudicij ad regnum cælorum peruenient. Multos autem preces viuentium, & eleemosyna & ieiunia, & maximè celebratio Missarum, vt etiam ante diem Iudicij liberentur, adiuuant.* His addit venerabilis Beda, quòd *cùm ille incredibili austeritate corpus suum vexaret, & in fluminibus gelu cõcretis, oraret, & psalleret, dicentibus socijs. Mirum frater Drithelme, quòd tantam frigoris asperitatem vlla ratione tolerare prauales:* Respõdebat ille, *frigidiora ego vidi. Et cùm dicerent, Mirum quòd tam austeram tenere continentiam velis: respondebat, austeriora ego vidi. Sic vsque ad diem suæ vocationis infatigabili cælestium bonorum desiderio corpus senile inter quotidiana ieiunia domabat, multisque verbo, & conuersatione saluti fuit.*

Hanc historiam ego verissimam esse non dubito, tum quia consentanea est scripturæ dicenti in libro Iob, *Ad nimium calorem transeunt ab aquis niuium.* Deinde, quia testem habemus Bedam virum optimum, & qui rem gestam suo tempore narrat. Denique quia secutus est ex ea visione fructus, quem Deus requirere ex huiusmodi solet, non curiositas, non vanitas, sed salus animarum multarum, per conuersionem ad pœnitentiam. Iob. 24.

Venio ad testimonium feminę mirabilis, quę Christina dicta est, cuius vitam scripsit Thomas Cantipratensis, ex Ordine sancti Dominici, vir fide dignissimus, qui eius tempore vixit. Cui contestis accedit venerabilis Iacobus de Vitriaco Cardinalis pius, & doctus, qui in præfatione ad libros suos de vita, & rebus gestis B. Mariæ de Oegnies, meminit pluriũ sanctarum mulierũ, ac præcipuè Christinæ mirabilis, cuius res gestas compendio ac breuissimè

refert.

refert. Hæc igitur Virgo de se ita loquitur, cùm primum à morte videntibus multis surrexit. *Statim,* inquit, *vt è corpore excessi, animā meam exceperunt lucis ministri Angeli Dei, deduxeruntq; illam in locum quendam obscurum, & horridum, animabus hominum refertum. Quæ verò tormenta eo in loco conspexi, ea tam immania, & acerba fuerunt, vt nullus possit sermone id explicare. Vidi illic non paucos vita functos mihi, cùm viuerent, non ignotos. Valde autem miserata ego animas illas miserabiles, quærebam, quis esset ille locus, suspicabar enim tartarum esse. Responderunt mihi duces mei, locum esse Purgatorij, vbi peccatores, quos in vita quidem peccasse pænituisset, sed non satis scelerum suorum meritas pœnas dedissent. Inde perduxerunt me ad inferorum supplicia, in quibus itidem agnoui quosdam mihi olim in vita notos. Postea verò translata sum in paradisum, vsque ad Thronum Diuinæ Maiestatis, vbi cùm viderem gratulantem mihi Dominum, vltra omnem modum lætabar, quòd arbitrarer illic me deinceps cum Domino in omnem æternitatem permansuram. At ille mox respondens desiderio meo, Re vera, inquit, dulcißima filia hic mecum eris; sed nunc vtrum è duobus malis optionem tibi facio, vel æternum hic nunc apud me manere, vel redire ad terras, ibique in mortali corpore absque illius detrimento pœnas perferre, ijsque omnes illas animas, quas in locis Purgatorijs miserabaris liberare, & eripere; effecereq; vt homines adhuc in corpore manentes tua pœnitentia, & vita exemplis ad me conuersi à suis facinoribus abstineant, & resipiscant, peractis omnibus, ad me tandem, multis aucta meritorum cumulis reuerti. Ego vero absque vlla cunctatione sub conditione mihi proposita, dixi, me velle ad corpus redire, & pius Dominus gratulans, quòd me prompta obtulissem, iubet animam suo corpori restitui. Qua in re exequenda admirari licet beatorum spirituum incredibilem celeritatem: ea enim hora: cùm in Missæ sacrificio, quod pro me fiebat, diceretur, primo, Agnus Dei, anima mea sistebatur coram throno diuinæ Maiestatis: cumque tertio id repeteretur, illi me corpori reddidère. Ita se habet & excessus meus, & vita, & ad vitam reditus: propter hominum correctionem, & emendationem ad vitam reuocata sum. Itaque deinceps oro, ne vos perturbent ea, quæ visuri estis in me. Excedent enim mentis humanæ captum, quæ, Domino volente, fient in me, nec talia inter mortales quandoque comperta sunt.* hæc illa, subiungit postea auctor vitæ cap. 6. *Tum verò,* inquit, *cœpit illa exercere quorum causa à Domino missa fuerat: ingrediebatur in ardentes clibanos, & in illis incendijs cruciabatur, ita vt præ angustia, & dolore, horrendos ederet clamores. Postquam autem inde egressa fuit, vestigium nullum alicuius vstionis in eius corpore visebatur.* & cap. 7. sic pergit, *Sub aquis Mosæ fluminis hyberno tempore, cùm rigerent omnia gelu, crebro, & diu morabatur, sex & amplius diebus in eo perdurans.* Et paulò pòst, *Interdū in aquis orans, simul cum illis ferebatur in rotam molendini, atq; ita horrendum in modum circumacta cum ipsa rota, membris omnibus mansit incolumis.* & cap. 9. *Surgebat,* inquit auctor, *quandoque medijs noctibus, & totius oppidi Trudonensis canes in se concitans, ante illos ipsam insectantes instar feræ cuiusdam cursitabat; sicque per denia, & per densos*

Apud Surium c. 3. vitæ.

A *vepres, & spineta agitata, adeo ab illis compungebatur, & lacerabatur, vt nulla corporis eius pars vulneris esset expers: & tamen multo sanguine fuso, nulla plagarum, aut vulnerum vestigia conspiciebantur in eius corpore.* Hæc ille, qui quàm vera, & certa narrauerit, perspicuum est, tum quia contestem habet, vt suprà dixi, virum grauissimum Iacobum Episcopum & Cardinalem de Vitriaco: tum quia narrat res gestas suo tempore, & in eadem Prouincia, quam ipse quoque incolebat, cùm esset ipse quoque Episcopus, & suffraganeus Archiepiscopi Cameracensis. tum etiam quia res ipsa publicè clamabat, eam habere corpus diuina virtute ita cōformatum, vt dolorem pateretur ab igne, & non dissolueretur, & vulnera acciperet, & sanguinem funderet, & mox vulnerum vestigia non apparerent, & non paucos dies ita vixit, sed annos duos & quadraginta post resurrectionem: tum denique quia multos conuertit ad pœnitentiam, & post mortem miraculis euidentibus claruit. Itaque voluit Deus ora obstruere incredulorum, qui non verentur aliquando dicere, Quis redijt ab inferis? Quis tormenta gehennæ, vel purgatorij vidit? Ecce enim habemus testes fideles, marem, & feminam, qui viderunt gehennæ & purgatorij supplicia acerbissima, & maxima; vt planè inexcusabiles sint, qui ista non credunt, & magis inexcusabiles, qui credunt, & contemnunt, & pro delictis suis in ieiunio, fletu, & plāctu Deo satis facere negligunt. Sed pergamus ad alia capita.

B

Alterum caput erat diuturna duratio suppliciorum purgatorij. Quamuis enim non defuerit aliquis scriptor, alioqui egregius, & magni nominis, qui opinatus sit, neminem in purgatorio cruciari vltra 20. annos, vel vltra decennium: tamen contrariū docet vsus Ecclesiæ, quæ anniuersaria sacra celebrare solet pro animabus defunctorū non solùm ad annos 10. sed etiam ad annos centum, & eo amplius. Deinde in ea visione, quam ex venerabili Beda retulimus, satis apertè indicatur, multas animas in purgatorio cruciari vsque ad diem Iudicij. Quod confirmari potest ex verbis Tertulliani auctoris antiquissimi, qui in libro de anima cap. septimodecimo, de purgatorio loquens sub inferni nomine, ait, *In carcerem te mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.* Et clarius sanctus Cyprianus de diuturnitate pœnæ purgatorij loquens, in epistola secunda libri quarti, sic ait, *Aliud est, pro peccatis longo tempore cruciatū purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.* Quod etiam confirmatur ex visione beatæ Ludgardis Virginis sanctissimæ, & celeberrimæ, cuius vitam scripsit ille idem Thomas Cantipratensis, qui scripsit vitam Christianæ mirabilis. Et quoniam res est magna, & ad exemplum Prælatorum Ecclesiæ prodesse potest, adscribam hoc loco verba ipsa auctoris, quæ habentur libro secundo vitæ sanctæ Ludgardis apud Surium tomo tertio, ad diem Iunij sextumdecimum. *Hoc ferè tempore,* inquit auctor, *Dominus Innocentius Papa Tertius, post celebratum Lateranense Concilium ab hac vita migrauit. moxque apparuit visibiliter*

C

D

Ludgarde.

Ludgardi. Illa autem, vt vidit eum ingenti flamma cinctum, quisnam sit percunctatur: respondit se esse Innocentium Papam: & illa cum gemitu, Quid hoc est, inquit, communem omnium nostrum Patrem, tam dirè cruciari? Respondit ille, tres ob causas, ita crucior, quæ etiam æternis supplicijs me iustissimè addixissent, nisi per intercessionem pijssimæ Matris Dei, cui Monasterium condidi, in extremis me pœnituisset. Et æternam quidem mortem euasi, sed pœnis atrocissimis vsque ad Iudicij diem cruciabor. Quod autem ad te suffragia petiturus venire potui, mihi à suo filio Mater misericordia impetrauit. His dictis confestim disparuit. Ludgardis verò eius necessitatem sororibus, vt ei succurrerent, indicauit. Porrò admodum dolens vicem eius, mirabili se cruciatu illius causa affecit. Nouerit lector, nos reuelante Ludgarde, tres illas causas non ignorare; sed pro tanti Pontificis reuerentia referre noluisse. hæc ille. Quod exemplum me quidem sæpè maximo timore, & tremore afficere solet. Si enim tam laudabilis Pontifex, & qui in oculis hominum, non probus, & prudens solum, sed etiã sanctus, & imitatione dignissimus habitus est, tam parum abfuit à gehēna, & vsque ad diem Iudicij purgatorijs incendijs atrocissimis puniendus est, quis Prælatus non trepidet? Quis non accuratissimè conscientiæ suæ secreta rimetur? Ego enim facile mihi persuadeo, tantum Pontificem non potuisse lethalia peccata committere, nisi sub specie boni deceptum ab adulatoribus, & domesticis, de quibus in Euangelio dicitur, *Inimici hominis domestici eius.* Itaque hoc tam magno exēplo discamus omnes sollicitè scrutari conscientiam nostram, ne fortè erronea sit, cùm nobis recta, & sana esse videatur. Sed ad institutum, vnde digressi sumus, reuertamur. Purgatorij pœnas vltra decem, aut viginti annos extendi, & fortasse vltra centum, & vltra mille annos propagari posse, nõ dubium est. Sed esto intra decem, aut viginti annos terminetur pœna purgatorij; quis pœnam atrocissimam sine vlla intermissione, ac sine requie viginti annis tolerare posset? Nam pœnam illam sine intermissione, & requie cruciare, intelligi potest ex visione, quam ex Beda Venerabili paulò ante retulimus. Sanè si quis certus esset, se pedum, aut stomachi, vel capitis, aut dentium, aut calculi dolore continuos viginti annos sine vlla intermissione laboraturum sic, vt neque somnum capere, neque requiescere posset, mallet ille mori potius, quàm sic viuere: & si optio daretur, an vellet sic tot annos viuere, an iacturam facere omnium fortunarum, promptissimo animo, omnes fortunas abijceret, vt à tam immani, & tam continuò dolore liberaretur. Quanto igitur magis deberet omnis homo sapiens, eligere pœnitentiam cum fructibus suis, qui sunt vigiliæ, orationes, ieiunia, eleemosynæ, ac potissimum lacrymæ, quæ sunt signa verissimæ pœnitentiæ?

Matt. 10.

Quod si ad acerbitatem dolorum, & diuturnitatem pęnarũ accedat tertia calamitas, quòd animæ in purgatorio se ipsæ iuuare non possunt: profectò non parum excresceet infelicitas animarum earundem. hic enim in terris vix quisquam est tam miserabilis, qui nõ possit, vel fugiendo, vel resistendo, vel amicos re- A quirendo, vel appellando ad aliud Iudicium, vel misericordiam Iudicis implorando, vel aliqua alia ratione se à cruciatibus aliqua ex parte liberare. At in purgatorio nihil omnino possunt, nisi patienter supplicia tolerare. Possunt quidem viuentes in carne sancti homines pro defunctis orare, & eleemosynas, atque alia satisfactoria opera pro eis offerre Domino: sed illis non licet, nisi ex priuilegio particulari, quod paucis, & raro conceditur, hominibus apparere, atque ab eis auxilium postulare.

Miserrima igitur illarum animarum conditio est, quæ in tantis tormentis, neque ipsæ se, neq; patris, aut filij, aut fratris, aut matris, aut sororis, aut coniugis, aut amici animam in purgatorijs locis, vlla ratione iuuare possunt. Sed fortasse paucæ sunt animæ, quæ in pur- B gatorio degunt: proinde non magni facienda sunt eorum supplicia. Imò vero innumerabiles sunt animæ illę, vt solus numerus tam ingẽs sufficiat ad misericordiam commouendam, etiam si essent supplicia leuiora. Nam paulò antè ex historia Venerabilis Bedæ, cognouimus innumerabilem animarũ multitudinem fuisse in purgatorio à Drithelmo visam: & ex vita B. Christinæ pariter accepimus purgatorij locum vastissimum refertum animarũ fuisse. Neque potest aliter fieri, cùm nihil coinquinatum in Regnum cælorum admittatur, sed soli illi penetrare valeant ad conspectum Dei, qui lux est, in qua tenebræ non sunt vllæ, atque ad locum infinitæ puritatis, nisi illi, qui verè sancti, & immaculati sunt, & ad gloriosam illam Ecclesiam pertinent, in qua non est macula, neq; C ruga. Qui autem eiusmodi sunt, rarissimi sunt: proinde cæteri omnes, qui ad electorum numerum pertinent, per ignem purgatorij transeunt. Quæ cùm ita sint necesse est, vt columba assiduè gemat pro tam multis mẽbris suis, quæ ad patriam cælestem immenso ardore suspirãt, & simul in igne intolerabili detinentur, & pœnis acerbissimis cruciantur.

Ephes. 5.

Capvt X.

De decimo fonte lacrymarum, qui est consideratio amoris Dei.

Amor Dei est irriguum superius, vnde fluunt dulces lacrymæ, quæ producunt in hortulo cordis humani germina omnium virtutũm. De his lacrymis dicit S. Augu- D stinus in explicatione Psalmi centesimi vicesimi septimi, *Dulciores sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia Theatrorum.* Diuiditur autem hic cælestis fons in tres quasi riuos, quæ sunt desideria tria procedentia ex amore Dei; desiderium videlicet gloriæ Dei; desiderium beatitudinis nostræ; & desiderium gratiæ, per quam acquiritur beatitudo: quæ tria desideria satis apertè videntur expressa in primis tribus petitionibus orationis dominicæ. Siquidem, qui orat, vt sanctificetur nomen Dei, id postulat, vt Deus glorificetur, & benedicatur, & sanctificetur ab omnibus Angelis, & hominibus, & modo quodam suo, ab omnibus rebus creatis. Et qui postulat, vt adueniat Regnum Dei, id petit, vt Regnum Dei, quod commune erit Christo cum omnibus sanctis,

citò

citò manifestetur, quod fiet in die nouissimo, quando complebitur beatitudo sanctorũ, adiunctis corporibus gloriosis ad animas beatas. Denique qui petit, vt fiat volũtas Dei, sicut in cælo, & in terra, id petit, vt gratia nobis detur implendi mandata dominica, quo modo Angeli sancti in cælo semper faciunt voluntatem Dei.

A

Incipiamus à primo desiderio; quo flagrant omnes veri amici Dei. Deus noster bonorum nostrorum non indiget, quia in se habet omnia bona, & ipse est summũ, & infinitum bonũ. Placuit tamen bonitati eius Mundum creare, vt bonitatem suã extra se quodammodo effunderet, non eam amittens, sed cum alijs communicans, quomodo fons aquæ flumen producit, nihil ipse perdens. Quid ergo par erat, vt res creatæ, quæ paulò ante nihil erant, tam benefico donatori tribuerent, nisi vt totæ conuerterentur in laudes creatoris? & quidem res inanimæ, vel vita, & sensu præditæ, sed absque intelligẽtia, & libero voluntatis arbitrio, munus suũ perpetuo explent. Semper enim Cæli enarrant gloriam Dei, & montes, & colles iubilant coram Deo, & reliqua omnia seruiunt ei, & faciunt verbum eius. In Angelis, & hominibus, qui soli mentis intelligentia, & libero arbitrio præditi creatorem cognoscere, & amare poterant, ostẽdere voluit Deus, primo quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset gratiæ suæ beneficium, iustitiæque iudicium; vt sanctus Augustinus sapienter docet in libro de correptione & gratia. Et quoniam inter Angelos, nõ pauci cum Principe suo Diabolo in superbiam elati, libertate arbitrij abusi Deum non glorificauerunt, iusto Dei iudicio damnationis æternæ sententiam non effugerunt. Reliqui Domino Deo humiliter subiecti & pia charitate coniuncti, beatitudinis gloriam adepti, perpetuò eum laudant, atque sanctificant dicentes, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum*. Soli restant homines, quorum pars longè maxima libertate arbitrij non benè vtentes, nõ agunt ad quod creati sunt; & quamuis non desit gratia Dei excitando, adiuuando, illuminando, tamen iusto Dei iudicio traditi in reprobum sensum seruiunt creaturæ potius, quàm creatori; nec desunt qui cùm Deum cognoscant, non sicut Deum glorificant: neque etiam desunt, qui dicunt se nosse Deum, factis autem negant. Horum igitur causa, pauci illi, qui Deum ardenter diligunt, cùm ferre non possint æquo animo tantam iniuriam Dei, tantam ingratitudinem, tantam iniquitatem: fremunt præ zelo intra se, & copiosis lacrymis desiderium gloriæ Dei, quo flagrant, aliquo modo mitigare, ac lenire student. Vnus ex eis Propheta Dauid, *Tabescere*, inquit, *me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*. Et paulò post, *Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua nõ custodierunt*. Et alibi, *Nonne, qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam*. Et verè, si quis attentè consideret, quantis blasphemijs, periurijs, maledictis, quotidie ab hominibus offendatur Deus; & quàm multi legem eius immaculatam, & saluberrimam, & desiderabilem super aurũ, & dulciorem super mellis fauũ, [illegible]cerent, violent, transgrediantur sine vllo timore, aut rubore: & quot sint adhuc pagani, vel hæretici, qui Deũ verum non agnoscunt, sed vel saxa, aut ligna, vel capitis sui chimæras pro Deo venerantur, & colunt; is nullo modo poterit, si verè Deum amat, animo conquiescere, sed clamabit, & dicet cum Hieremia, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum*, vt iniurias Domini creatoris mei, cui debetur omnis honor, & gloria, lamenter & defleam, donec lacrymæ deficiant. Si enim Mathathias, & filij eius (vt est in priore libro Machabæorum) sciderunt vestimenta sua, & operti sunt cilicijs, & planxerunt valde, quia gentes prophanauerãt templum Domini, & mysteria illa polluerant, quæ erant vmbræ rerum futurarum: quid agere deberet pius Christianus, hoc tempore, quo Mahumetani & Lutherani, & Caluinistæ, ac cæteri hostes Dei, & Ecclesiæ, multis in locis, non solum Ecclesias euerterunt, sed omnem cultum diuinum sustulerunt, & Sacrosancta mysteria publicè prophanauerunt.

B

De corrept. & gratia, cap.10.

Isai. 6.

Psal.118.

Psal. 138.

Hier. 9.

1. Mach. 2.

Iam verò diuinus amor excitat ardentissimum desiderium videndi Deum, & assiduè, & cum multis lacrymis orandi, ac dicendi, *Adueniat Regnum tuum*. Et quidẽ Regnum Dei tribus modis in Scripturis sanctis accipi solet, pro Regno, vt sic loquar, naturali, pro Regno gratiæ, & pro Regno gloriæ. Regnum naturæ dicitur dominium, quod naturaliter habet Deus in omnes res creatas, quas semper regit, & gubernat pro arbitrio suo: neque vlla res ei resistere potest. De hoc Regno loquitur Dauid, cùm ait, *Regnum tuum Regnum omnium seculorũ*. De hoc aũt Regno non potest intelligi illa petitio, *Adueniat Regnum tuũ*, quoniam hoc Regnum semper fuit, & erit, neque opus est à Deo petere, vt veniat, quod ab exordio mundi venit. Regnum gratiæ illud est, quo Deus per gratiam regnat in cordibus piorum, eaque regit, ac moderatur, ac suæ diuinæ voluntati suauiter subijcit. de quo Regno loquitur Apostolus, cùm ait, *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filij dilectionis suæ*. Neque de hoc Regno videtur intelligi posse illud, Adueniat Regnum tuum. Siquidem hoc Regnum gratiæ cœpit ab origine mundi, sicut & Christus dicitur Agnus occisus ab origine mundi, quia per mortem eius præuisam data est gratia omnibus, qui in omnibus ætatibus iusti fuerũt. Regnum gloriæ est æterna beatitudo, quæ inchoata est in animabus iustis à Christi morte, qui moriens latroni dixit, *Hodie mecum eris in paradiso*; Sed complebitur in die nouissimo, quando Beati spiritus recipient gloriosa corpora, & à Rege gloriæ audient, *Venite benedicti, possidete paratum vobis Regnum*. tunc enim verè adueniet Regnum Dei, quando sublata omni potestate mortalium & spirituum immundorum, solus Deus regnabit, & electi eius cum illo. Atque hæc est communior expositio Patrum, Tertulliani, & Cypriani in lib. de oratione Dominica; Chrysostomi, & Hieronymi in caput 6. Matthæi, Cyrilli catechesi quinta mystagogica, Augustini in libro secundo de sermone Domini in monte, Ioannis Cassiani collatione nona, & aliorum.

C

D

Psal. 144.

Coloss. 1.

Apoc. 13.

Luc. 23.

Matt. 25.

Obseruat autem S. Augustinus concione vicesima in psalmum centesimum decimum octauum, ante aduentum Christi omnium sanctorum desideria fuisse in ipsius Christi incarnationem: post Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, ascensionem; omniũ sanctorum desideria esse in aduentum Christi gloriosum, in quo sancti omnes ad perfectam, atque æternam peruenient felicitatem. sic enim implebitur illud, *Et veniet desideratus cunctis gentibus.* De priorum sanctorum desiderio
Luc. 10. sunt illa, *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt vi-*
Luc 2. *dere quæ vos videtis, & non viderunt.* Et illa, *Nunc dimittis seruum tuum Domine, quia viderunt oculi*
Isai. 64. *mei salutare tuum.* Et illa, *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* De posteriore desiderio
2. Tim. 4. sunt illa, *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius,* id est, ijs, qui timore casto diligunt sponsum, & ideo cupiunt, vt cito veniat, & non tardet gloriosum aduentum suum. Sed adultera, quæ non diligit sponsum suum, timet aduentum eius; & vellet, si fieri posset, vt nunquam veniret. Sponsa autem in extrema Apocalypsi di-
Apoc. 22. cit, *Veni, &* Sponsus respondet, *Etiam venio cito.* & rursum Sponsa, *Veni Domine Iesu.* Porrò Dauid Propheta sanctus vtrunque aduentum ardenter sitiens, & præsertim illum, in quo
Psal. 41. Deus videbitur facie ad faciem clamat, *Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuũ: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi est*
Psal. 26. *Deus?* Et alibi, *Vnam petij, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, & videam voluptatem Domini.* Qui enim verè, & ex corde diligit, nõ potest patienter tolerare absentiã dilecti; sed siue comedat, siue bibat, siue quid aliud agat, semper dilectũ cogitat, & cogitando suspirat, & plorat. Et si fortè dormiat, illum quoq; somniando videt, & cum eo cõfabulatur. Et si hæc accidunt ijs, qui amore capti sunt rerũ mortalium, & fœdarũ; quid illi faciẽt, qui amore capti sunt pulchritudinis infinitæ, & sempiternæ? Illis verè lacrymæ solæ sunt panes die, ac nocte, quia solis lacrymis reficiũtur, & in illis conquiescunt; cætera omnia consolatores onerosi sunt, vt loquitur sanctus
Iob. 16. Iob. Hinc beatus Paulus, qui raptus in paradisum vidit, saltem ex parte, pulchritudinẽ Domini, & intelligebat se sola corporis maceria retineri, ne Christo frueretur, clamabat dicens,
Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et aper-
Phil. 1. tius, *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Et beatus Martyr Ignatius in Epistola ad Romanos, *Omnia tormenta Diaboli in me veniant, dummodo Christo fruar.* Quid de Maria Magdalena dice-
Ioan. 12. mus? quæ in cœna nouissima in Bethania, cùm Christum à se tollendum cognouisset, lacrymis rigauit pedes eius, & capillis suis tersit. Longè aliæ fuerunt istæ lacrymæ ab illis, qui-
Luc. 7. bus in domo Simonis lacrymis cœpit lauare pedes eius, & capillis suis tergere. Istæ enim ex recordatione peccatorum, & amarissima contritione fluebant: illæ ex desiderio retinendi dilectum; quales etiam illæ erant, quibus ad sepulchrum plorabat, quasi absentem, quem sublatum arbitrabatur. Et quales illæ, quàm assiduæ, quàm ardentes, quàm suaues, quas in solitudine illa fundebat, cùm in sola contemplatione dilecti occupata dies iungebat cum noctibus? O si quis lacrymas desiderij diuinæ pulchritudinis cum Dauide, cum Paulo, cum Magdalena, addo etiam cum Augustino, cum Bernardo, cum Francisco aliquando gustaret, sine dubio omnia huius mundi gaudia, omnesque voluptates, & omnia oblectamenta contemneret. Sed quia esurimus, & sitimus, & panem, ac potum lacrymarum cælestium ignoramus, ideo ad carnalia desideria, & mundi huius oblectamenta conuertimur.

Restat desiderium tertium ex amore diuino procedens, cuius desiderij impulsu, petimus, ac dicimus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Qua petitione gratiam Dei poscimus, qua mandata Dei obseruare possimus. Scriptum est enim, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Amor igitur ille, qui nos desiderare facit visionem Dei, quæ est vita æterna, & continenter gemere, donec ad eam perueniamus: ille idem cogit nos desiderare perfectam legis diuinæ obedientiam: perfectam autem obedientiam Deo præstant Angeli in cælo, dẽ quibus canit sanctus Dauid, *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius: Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Declarat autem hoc loco Propheta perfectam obedientiam, quam Angeli exhibent Deo. Nam cùm dicit: *potentes virtute, facientes verbum illius*, significat, vt sunt verè potentissimi, sic etiam efficaciter, & celeriter facere, quæ Deus iubet. Et cùm addit, *ad audiendam vocem sermonum eius*; significat, Angelos obedire Deo non alia de causa, quàm vt obediant, & se verè seruos obsequentes exhibeant Domino. Sæpè enim homines alacriter, & diligenter obediunt Dominis suis, non tam, vt obediant, quàm vt aliquid commodi, aut honoris, aut voluptatis inde lucrentur: & propterea negligentes, & tardi sunt ad obsequium, quando nihil inde lucri proprij ipsi referunt. Procul omnino ab ista imperfecta obedientia, & ab amore proprio extorta, absunt Angeli sancti. Et ne fortè existimaremus, solos Angelos vltimi chori, qui propriè dicuntur Angeli, sollicitè, & velociter implere voluntatem DEI, addit Propheta, *Benedicite Domino omnes virtutes eius.* Vbi per virtutes, intelliguntur omnes Hierarchiæ, & omnes ordines, ac denique omnes exercitus eius. Sic enim habetur in codice Hebraico, & sic vertit sanctus Hieronymus, *Benedicite Domino omnes exercitus eius.* Hanc igitur perfectam obedientiam, quæ omne peccatum excludit, & quæ præ omnibus sacrificijs Domino placet, æmulari desiderant homines, qui verè diligunt; & quia vident, id per se assequi non posse, cum gemitu dicunt, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Desiderio desideramus tibi Domino diligenter, velociter, ac sine vlla imperfectione seruire, & obedire hic in terris, quo modo ab Angelis sanctis tibi seruitur, & obeditur in cælo: sed quia multa nos

Marginal notes (right column): Matt. 19. (beside "Scriptum est enim, Si vis ad vitam ingredi, ser-"); Psal. 102. (beside "quibus canit sanctus Dauid, Benedicite Domino").

impediunt, cũ seruo tuo Augustino clamamus. *Da, quod iubes, & iube quod vis.* Et si status exilij nostri tantam perfectionẽ non admittit, accipe sacrificium orationis, & desiderij nostri clamã tis in auribus tuis, Fiat voluntas tua; sicut in cœlo, & in terra; & si ipsum quoque desiderium imperfectum est nimis, audi gemitũ desiderantis desiderium ardens, & cum Propheta lamentantis; & dicentis, *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Qui enim concupiscit desiderare veram, & plenam obedientiam mandatorũ, iam desiderat, sed desiderio imperfecto, ipsam obedientiam mandatorum: & si non fatigetur orando, & petendo cum gemitu, vtique exaudietur & impetrabit desiderium perfectum; ad quod etiam consequetur perfecta obedientia mandatorũ, qualis haberi potest in terris. Vnde etiam fiet, vt ad patriam cœlestem perueniat, & cum Angelis sanctis, potenter, & diligẽter in omnibus, & per omnia faciat verbũ Domini & adimpleat omnes voluntates eius.

Psal. 118.

CAPVT. XI.

De Vndecimo fonte lacrymarum, qui est consideratio incertitudinis salutis.

MAgnitudo bonorum, quæ complectitur in se felicitas sempiterna, tanta est, vt quemadmodum spes eius acquirendæ lætitiam maximam gignit: sic etiam timor amittendæ dolorem tantum adferat, vt qui serio de ea recogitat, lacrymas continere non possit. Certè enim, si quis reus capitis factus, dum apud Principem causa eius agitatur, inter spem, & metum constitutus hæreret; non posset omnino lætari, nec fletũ cõprimere donec certior de iustitia causæ suæ, aut saltem de indulgentia Principis fieret. Quis igitur cessare à metu, & gemitu poterit, si cogitet, adhuc pendere Iudicium æternæ salutis suæ, aut mortis & infelicitatis æternæ? quamuis enim aliquis nihil sibi conscius sit; vnde timere debeat damnationem æternam; tamen dum cogitat Deum esse, qui nos iudicaturus est; qui multa videre potest in nobis; quæ nos ipsi non videmus: quomodo potest securitatem sibi polliceri? Apostolus Christi est, & vas electionis, qui de se scripsit, *Nibil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui enim iudicat me Dominus est.* & Iob testimonio Spiritus sancti *vir erat simplex, & rectus, ac timens Deum:* & de se ipse scripsit, *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea.* & tamen iudicium Dei ita formidabat, vt diceret: *Quid faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* At vt exemplum vnum nostri temporis adducamus. Beatus Aloysius Bertrandus vir notæ sanctitatis, non semel inuentus est plenus singultuum, & lacrymarum: & cum ab eo quæreretur, quænam esset causa tanti mœroris, & tam ingentis profluuij lacrymarum, respondebat, *cur non amarissimè fleam, cum non certo sciam, an æternæ salutis compos sim futurus?*

1. Cor. 4.
Iob. 1.
Iob. 27.
Iob. 31.
Vide vitã eius scriptam à F. M. Iustiniano cap. 4.

A Porrò causæ huius incertitudinis, quæ pios homines valde sollicitos habere solet, duæ sunt. Vna est, quia nemo certus esse potest, nisi ex diuina reuelatione, quæ rarissimè haberi solet, sitne gratus Deo, & verè iustus, quamuis in oculis hominum sanctus, ác iustus appareat; & quamuis ipse quoque nihil in se inueniat, vnde à corde suo, siue à conscientia reprehendatur: clarissima enim sunt verba Salomonis in libro Prouerbiorum. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* & apertius in Ecclesiaste, *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, vtrum odio, vel amore dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta.* In quem locum Salomonis ita scribit sanctus Hieronymus: B *Sensus, inquit, est, Inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse: & tamen vtrum amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguos fluctuare, vtrum ad probationem sustineant, an ad supplicium. In futuro igitur scient.* Itaque cum dicitur, *nescit homo, vtrum odio, an amore dignus sit*, non est sermo de hominibus manifestè impijs: illi enim facilè scire possunt, se odio dignissimos esse; sed de hominibus, qui iusti, sapientesque esse videntur; id est, de ijs, quorum opera laudabilia sunt. de his ambiguum est, an odio, vel amore digni sint, cùm ignoretur, an opera illa ex vera charitate prodeant. Quàm sit hominibus verè pijs hæc incertitudo molesta, vel ex eo cognosci potest, quòd cum sancto Francisco, sub initium conuersionis, recogitanti annos suos in C amaritudine animæ suæ, & culpas suas præteritas deploranti, reuelata esset certitudo remissionis omnium peccatorum: incredibili lætitia subito idem Franciscus repletus est, vt sanctus Bonauentura in eius vita testatur. & apertius id ipsum narratur in Chronico. Quamuis autem hæc incertitudo acerba sit amatoribus Dei: tamen non sine magna sapientia Dei, & vtilitate hominum à diuina prouidentia procurata est. Hinc enim fit, vt iusti semper vigilent, & cum timore, ac tremore salutem suam operentur, neque vnquam superbire audeant aduersus impios; & contra, ne peccatores desperent salutem, seque sceleribus sine vllo freno, & considerationi tradant. D Altera causa, cur in hac vita certi esse nõ possimus de vita æterna obtinenda, est incertitudo perseuerantiæ, quamuis enim pro comperto haberemus, nos hodie iustos, & gratos esse Deo; tamen non scimus, neque scire possumus; nisi ex diuina reuelatione, quid crastina paritura sit dies: quotidie enim videmus deficere homines à sancta conuersatione ad flagitia, & peccata grauissima. Atque vt ab alto incipiamus, primus Angelus in ipsa sua creatione gratiam Dei cum sapientia, alijsque donis plurimis sine dubitatione percepit. De ipso secundum expositionem sancti Gregorij scribit Ezechiel, *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* & infrà, *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te.* & de omnibus Angelis sanctus Augustinus apertissimè scribit, in eis Deum simul

Prou. 20.
Eccl. 9.
Cap. 3.
Ezech 28.
12. Ciuit. c. 1.

condidisse naturam, & infudisse gratiam. Nequedubium est, quin Angeli, atque in primis Angelorum princeps nouerint, se vera Dei gratia, & vera charitate præditos fuisse. Angeli enim seipsi vident, & omnia, quæ in ipsis sunt Dei dona, ex diuina illustratione cognoscunt. Iste igitur Angelorum princeps, sapientia, & gratia Dei præditus, in veritate non stetit, ac per hoc in accepta gratia non perseuerauit, & tanquam fulgur, vt Dominus loquitur, id est, summa velocitate de cœlo cecidit, & ex Angelo lucis in principem tenebrarum conuersus est. Hunc imitatus est primus homo, qui gratiam Dei in ipsa sua conditione cum originali iustitia consequutus paulo post eandem amisit. Scribunt enim sanctus Gregorius Nazianzenus, & sanctus Ioannes Chrysostomus, Adamum dici potuisse Angelum terrestrem, ex spiritu, & carne constantem, ex spiritu propter gratiam, & carne propter naturam. Quòd si primus Angelus, & primus homo incerti de perseuerantia sua fuerunt, & re ipsa ex gratia, eaque magna gratia exciderunt: quis mirabitur, si & nos post lapsum Adami, certitudine perseuerantiæ careamus? Ad hæc Saul Rex primus Israelitarum, electus à Deo, cùm esset humilis in oculis suis, & tam bonus, vt in toto populo non esset melior illo: tamen paulo post reprobus factus est. Quid Salomon? hic verè fuit sapientissimus, & ab adolescentia ita gratus Deo, vt de eo Deus dixerit Dauidi, *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.* & sanctus Hieronymus in Epistola ad Paulinum de studio scripturarum, vocat Salomonem *amabilem Domini.* Et tamen adeo non perseuerauit, vt in senectute deprauatus à mulieribus, adorauerit omnia illarum idola, & à non paucis auctoribus grauissimis reprobus fuisse credatur. Id quod ei disertis verbis prædixit Dauid Pater eius in priore libro Paralipomenon his verbis, *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & seruito ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda scrutatur Deus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, inuenies: si autem dereliqueris eum, proijciet te in æternum.* horrenda comminatio, & ad verbum adimpleta: dereliquit enim Salomon DEVM & Deus proiecit eum in æternum.

Ioan. 8. Luc. 10. Orat. de Pascha hom. 16. in Gen. 1. Reg. 9. 2. Reg. 7. 1. Par. 28.

Quid dicam de Iuda proditore? Nonne ille quoque electus fuit à Christo, cùm esset bonus, aut certè vocatione ipsa factus est bonus, & dignus amplissimo gradu: & tamen breui corruptus amore pecuniæ, ab ipso eodem Domino Diabolus meruit appellari? *Nonne ego*, inquit, *vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* & alibi, *Bonum erat illi si natus non fuisset.* His accedunt duo doctissimi, & optimi quondam Ecclesiæ Doctores, vnus Græcus, Origenes; alter Latinus, Tertullianus. Vterque in iuuentute cupidissimus martyrij, vterque abstinentiæ, & continentiæ amator, vterque scriptor egregius non solum aduersus gentes, sed etiam aduersus hæreticos: & tamen vterque in senectute lapsus est, & nouas hæreses excogitauit, & inter hæreticos numerari meruit. Quis igitur perseuerantiam sibi certo polliceri audeat, quando turres eiusmodi ceciderunt? Omitto innumerabiles alios. Vnum prætermittere nō possum. Is est Heron eremita, qui annis quinquaginta vixit in eremo, in summa abstinentia, & continentia, & silentio, & vitæ perfectæ exercitatione: & postea tamen illusus à Diabolo, semet in altissimum puteum præcipitauit: quasi pro merito virtutum, ac laborum non posset vlli discrimini subiacere: & semimortuus inde erutus à fratribus, ne sic quidem resipiscere voluit, & in sua obstinatione vitam finiuit. Testatur hoc factum Ioannes Cassianus collatione secunda, quæ est de discretione; qui Cassianus tempore suo rem gestam, & plurimis notam fuisse confirmat. His exemplis satis probatum est, viros etiam probos, & sanctos non esse certos de perseuerantia, ac per hoc posse etiam iacturam facere felicitatis æternæ post multa merita, & labores.

Ioan. 6. Matth. 26.

Quæ cum ita sint, nimis omnino parui æstimant vitam æternam, & sempiterna supplicia, qui in incertitudine tanti discriminis positi, adhuc rident & ludunt, vel etiam stertunt in lectis, vel comessantur in mensis: quomodo enim si periculum tam grande non vident, sani sunt cerebro, aut verè homines sunt, non belluæ? Si vero cognoscūt, quomodo non toto corpore horrescunt, & non toto animo contremiscunt? quomodo non plorant? non eiulant? non plangunt? quomodo non satagunt, vt Apostolus Petrus monet, certam facere vocationem, & electionem suam? Cur tanto pendente iudicio, in quo de summa rei, id est, de fortunis omnibus, de existimatione, de capite, imo de vita sempiterna, & felicissima, vel de morte perpetua, atque æternis cruciatibus agitur; non curant adire amicos, sollicitare aduocatos, ipsum Iudicem suspirijs, & lacrymis implorare? In hoc enim discrimine plus valet humilis, & lacrymosa oratio, & reatus nostri aperta confessio, & detestatio, quàm vlla, quamtumuis diserta, & accurata defensio. Oportet frequenter ex corde toto, & non sine gemitu inenarrabili petere à Deo gratiam verissimæ, & ardentissimæ charitatis in ipsum Deum, & proximum; & simul gratiam perseuerandi in bonis operibus vsque ad finem: perseuerantia enim quæ perficit opus, & finem laboribus imponit, donum Dei est, sed non negatur ijs, qui petunt, sicut oportet. Vtilissimum documentum ad donum perseuerantiæ impetrandum tradit sanctus Augustinus exponens illa verba Psalmi sexagesimiquinti. *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me: Cum videris*, inquit, *non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia eius.* hæc ille, qui verissimè docet, donum orationis esse optimum, & infallibile signum doni misericordiæ. Quibus enim Deus mandat; vt semper orent, & simul dat spiritum semper orandi, & petendi perseuerantiam misericordiæ diuinæ vs-

2. Pet. 1.

que in finem: fine dubio non amouet ab illis misericordiam suam vsque in finem, & misericorditer facit eos perseuerare vsque in finem. Quemadmodum enim si quis ex nobis iuberet homini pauperi, vt à se quotidie peteret eleemosynam; non posset iustè negare petenti quotidianam eleemosynam: sic omnino liberalissimus Dominus, qui dixit, *Oportet semper orare, & nunquam deficere*; (Luc. 11.) & qui donat amicis suis voluntatem semper orandi, & orandi sicut oportet; sine dubio exaudiet eos, & conseruabit illis misericordiam suam, donec in cœlesti patria coronet eos in misericordia, & miserationibus; & repleat in bonis desiderium eorum. (Psal. 102)

Caput. XII.

De duodecimo Fonte lacrymarum, qui est consideratio tentationum impedientium iter ad vitam.

RESTAT consideratio tentationum, ex qua consideratione tanquam ex fonte non exiguus emanat lacrymarum riuus. Qui enim ardenter amat DEVM, & eum videre desiderat, molestissimè fert tentationes varias, quæ impediunt cursum ad vitam æternam; & ideo cum assiduo gemitu laborat in ijs repellendis, & quasi vim patiens cruciatur, & clamat ad Deum. *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*, Sed vt de hoc ingenti periculo per ordinem pauca dicamus, primùm de tentatoribus, deinde de instrumentis, id est, retibus, & laqueis tentationum breuiter differemus. Tentatores præcipui, diaboli sunt, nec solum tentatores, sed etiam accusatores sunt. Primum enim inducunt ad perpetranda peccata: deinde apud Iudicem de peccatis perpetratis reos nos faciunt: proinde hostes nostri sunt acerbissimi, & crudelissimi. Quod ipsi propriè tentatores nostri sint, testatur Euangelium, (Matth. 4.) cùm ait, *Accessit tentator*. testatur Apostolus (1. Thess. 3.) Paulus, *Ne forte tentauerit vos*, inquit, *is qui tentat*. id est, cuius est officium proprium (Act. 5.) tentare. testatur Apostolus Petrus, *Cur tentauit Sathanas cor tuum?* testatur Apostolus (Apoc. 2.) Ioannes, *Missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcere, vt tentemini*. Quòd ijdem ipsi accusatores nostri sint, testatur idem Apostolus, cum in Apocalypsi dicit, *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die, ac nocte*. (Apoc. 12.) quæ verba exponens sanctus Gregorius libro secundo moralium ait, *In die accusat, cùm prosperis malè nos vti insinuat: in nocte accusat, cum in aduersis nos habere patientiam demonstrat*. (2. mor. 5.) sic accusauit sanctum Iob, cùm dixit, *Numquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum. Operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet nisi in faciem benedicat tibi*. (Iob. 1.) quo loco vox, *benedicere*, in contraria significatione, in toto illo capite, & sequenti accipitur. Ac vt omittam visiones plurimas, in quibus visus est Diabolus contendere, cum Angelo sancto, & accusare hominem iam morientem in multis, notissima est apud sanctum Athanasium in vita beati Antonij, accusatio acerrima dæmonum aduersus sanctum Antonium, & defensio Angelorum pro eodem Antonio. summa est, Diabolum, & satellites eius humano generi hostes irreconciliabiles esse, & tunc grauius nocere, quando familiaritatem simulantes, vel thesauros occultos demonstrare, vel amoribus impudicorum hominũ seruire velle videntur. Isti igitur tentatores, & accusatores nostri quales, & quot sunt? primùm astutissimi; & callidissimi sunt, vt nobiscum comparati, vulpes dici possint comparatæ ad columbas: siue consideres naturæ nobilitatem, & subtilitatem, siue vsum, & exercitationem longissimam. Quare beatus Paulus, qui non ignorabat astutias eorum in epistola ad Ephesios, non vocat eos astutos, aut nequam, sed spirituales nequitias in cœlestibus, (Ephes. 6.) id est; ipsam nequitiam, ipsam astutiã spirituũ immundorũ habitantiũ in cœlo aereo, vnde commodius speculentur quæ fiunt ab hominibus in terra. Præterea sunt spiritus isti tartarei potentes viribus, vt si Deus permiserit, possint maxima detrimenta ferè in momento hominibus adferre. Ideo enim Apostolus (Ephes. 6.) loco notato vocat eos principes, & potestates, ac mundi rectores. & sanctus Petrus vocat (1. Pet. 5.) eos Leones rugientes, & sanctus Ioannes in Apocalypsi Draconem magnum nominat. Nullæ (Apoc. 12.) sunt autem bestiæ ferociores; & fortiores leone, & Dracone. Denique in libro Iob, de diabolo dicitur, *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei qui factus est, vt nullum timeat*. (Iob. 41.) At quot sunt quæso isti potentissimi, & callidissimi tentatores? plane innumerabiles, plenus enim est aer iste terræ vicinus dæmonibus, sic vt si corpora gererent, solem in meridie obscurarent. Audi sanctum Hieronymum in commentario ad caput sextum epistolæ ad Ephesios. *Hæc*, inquit, *omnium Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum, & terram medius diuidens, inane vocatur, plenus sit contrarijs fortitudinibus*: Atque huic veterũ sententiæ, beati Antonij, quas Athanasius narrat, visiones mirificè consentiunt. Quæ cum ita sint, si daretur nobis oculis corporalibus terrifica illa monstra, pessimè in nos animata conspicere; quis nostrum non tremeret? non expallesceret? non à ludis, & iocis omnino cessaret? quis non orationi, & lacrymis serio operam daret? Quid autem si præter ista monstra conspiceremus terram laqueis, vel retibus plenam, vt eam aliquando sanctus vidit Antonius: an non cresceret in immensum timor, & tremor? an non clamores, & planctus in cœlum ad Deum, qui solus de tantis periculis nos eruere potest, ex omni parte cõscenderent? Sed non ideo, quia oculis corporis ista nõ videmus, minus vera, aut minus credibilia sunt.

Sed quoniam de tentatoribus aliquid diximus, dicamus iam de instrumentis, id est, de laqueis, quibus nos, quasi feras, aut auiculas capiunt

piunt, aut certè capere, & illaqueare nos tentant. Tot omnino sunt genera laqueorũ, quot sunt in nobis potentiæ sentientes, & intelligentes. Sed numerus laqueorum in particulari, vt supra diximus, est prope infinitus. *Omnes* enim *creaturæ*, vt loquitur Sapiens, *factæ sunt in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* & Ecclesiasticus admonet dicens, *In medio laqueorum ingredieris.* Prima potentia in homine est Intelligentia, quã sequitur voluntas rationalis. Laqueus huius potentiæ, Honor est, neque enim bestiæ, quę intelligentia carent, honore tanguntur. Qualis quæso laqueus est honor? & quàm ingens malum est superbia, quæ honorem pro idolo colit? Audi Ecclesiasticum, *Sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum, sic & cor superborum.* & Apostolus in priore ad Timotheum, sollicitè illum admonet, ne ad Episcopatus honorem promoueat neophytum, *ne in superbiam*, inquit, *elatus in iudicium, & in laqueum incidat Diaboli.* Hoc laqueo primus omnium captus est Diabolus, & propterea vt multos habeat pœnæ suæ socios, quoscunque potest, eodem ipso laqueo irretire conatur. Sed quid sapientes faciunt? fugiunt hunc laqueum, vt vere fugerunt, quantum potuerunt SS. Patres, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Gregorius, quibus honor ille non fuit laqueus, sed crux, quam non ambiendo, sed obediendo susceperunt. Insipientes autem & stulti, quorum non est numerus, non fugiunt laqueum, sed quærunt, & cum competitoribus contendunt, quis eorum prior possit laqueum induere. O cæcitas humana, & omni lacrymarum fonte plangenda. Vere enim prælatura, muscipula est pedibus insipientium, qui cum se ipsi regere nequeant, ad multitudines regendas anhelant, vt cœcus cœcis ducatum præstans, cum ijs in foueam cadat.

Sap. 14. Eccl. 9. Eccl. 11. 1 Tim. 3.

Nec minus perniciosus est laqueus, pecunia, quæ auaritiæ fomentum præbet; & ad intelligentiam pertinet non minus, quàm honor. bestiæ siquidem contentæ cibo, & potu, pecunias, & quæ pecunijs emuntur, palatia, agros, vestes, & cætera generis eiusdem omnino contemnunt. porrò pecunias, laqueos esse diaboli, Apostolus confirmat in priore epistola ad Timotheum, dicens, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, & eo vsque procedere solet amor pecuniæ, vt pecunia pro Deo colatur, vnde ab Apostolo non semel auaritia dicta est, *idolorum seruitus.* Hunc porrò laqueum adeo non fugiunt homines, vt diligentissimè illum quęrant, & illi feliciores existimentur, qui pluribus eiusmodi laqueis circundati sunt. Vtinam persuaderi posset hominibus, qui quæstum magnum desiderant, id quod Apostolus monet, cum ait, *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia*, id est, pietas cum opinione, quod sibi sufficiat id quod habet, siue multum, siue parum sit. id enim significat vox græca αὐτάρκεια, qua beatus Paulus vsus est. Itaque ille valde diues est, & quæstum magnum fecit, qui pietatem possidet, id est, amorem verè filialem erga Deum. Qui enim intelligit, quid sit, filium esse Dei, Regis Regum omniũ, & filiali dilectione illi adhæret, eius præcepta adimplet, in illo confidit, in eius voluntate acquiescit: is quidquid habet, siue multum, siue parum, sibi sufficere certo credit, quia non dubitat sibi ab amantissimo Patre semper tribui, quod pro tempore sufficit, & sibi non expedire, vt vel plus, vel minus habeat. O quæstus verè magnus, sed paucis notus. quis est enim verè diues, etiam opinione gentilium, nisi qui nihil desiderat? Quis autem nihil desiderat, nisi qui scit se Patrem habere ditissimum, et amantissimum, et qui tribuit quantum satis est in hoc exilio, & hæreditatem plenam conseruat pro eo tempore, quo nihil amitti poterit, aut corrumpi: & pro eo loco, *quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit?* Sed pergamus ad laqueos, qui supersunt, explicandos. Tertius laqueus est delectatio vehemens carnalium voluptatum, per imaginationem apprehensa. Diabolus enim hoc laqueo capere nititur illos etiam, qui procul à mundo disiiti in desertis locis habitant, vbi nullos homines cernunt, neque delicias aut oblectamenta vlla experiuntur. Et sane tanta arte diabolus ista repræsentare nouit, vt pulchriora, & dulciora appareant, quàm re vera sint, & sæpe magis moueant imagines illæ rerum, quàm res ipsæ mouerent si coram adessent: res enim quantumuis pulchræ, & suaues, semper admistam habent aliquam fœditatem, vel amaritudinem: sed imagines artificio diaboli imaginationi oblatæ, nihil fœdum, nihil insuaue præ se ferunt, sed totæ iucundæ imaginationi objiciuntur. Vnde mirum non est, si appetitionem vehementissimè afficiunt. Hoc genus laquei adhibuit tentator semper ad viros fortissimos capiendos: qui nec laqueo honoris, nec retibus pecuniarum capi potuerunt: hunc laqueum Apostolo Paulo, postea quam is raptus fuerat in tertium cœlum, tetendit Satanas, Deo permittente, ad eius cõseruandam humilitatem: sic enim ipse loquitur, *Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt auferretur à me.* Hunc laqueum tetendit Antonio magno, & probatissimo omnium monachorum, de quo sic loquitur sanctus Athanasius in eius vita. *Postea quã diabolus orationibus Antonij ad Deum per passionis fidem se intellexit elidi, consueta aduersus omnes adolescentes arma arripiens, nocturnis eum inquietabat illecebris. Nam & ille cogitationes sordidas conabatur inserere, & hic eas oratu submouebat assiduo; ille titillabat sensus naturali carnis ardore: hic fide, vigilijs & ieiunijs corpus omne vallabat. Ille per noctem in pulchra mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuia: hic vltrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingesta sibi libidini opponebat.* Eundem hunc laqueum sancto tetendit Hilarioni, de quo sic scribit sanctus Hieronymus in eius vita. *Titillabat sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur Tyrunculus Christi cogitare, quod nesciebat, & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus*

1. Tim. 6. Ephes. 5. Coloss. 3. 1. Tim. 6. 2. Cor. 12.

ratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere: Ego, inquit, aselle, faciam, vt non calcitres: nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam, & siti: graui onerabo pondere, per æstus indagabo, & frigora, vt cibum potius, quàm lasciuiam cogites. Hæc sanctus Hieronymus, cui quoque diabolus non pepercit, sed laqueum illi tetendit similem illis, quos Antonio, & Hilarioni tetẽdit: sic enim ipse de se loquitur in Epistola ad Eustochium de custodia virginitatis. *O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in vasta illa solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram: horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat. quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis vero, & potu taceo, cum etiam languentes aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantum socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum: pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam.* hęc ille. Similia possem adferre de sancto Benedicto, qui teste sancto Gregorio, sordidas cogitationes à diabolo immissas, vt eijceret, se ipse nudus in spinis volutauit; nec non de sancto Bernardo, qui teste VVillelmo in eius vita, in gelido lacu sese immergens, tam diu frigus illud tolerauit in corpore, donec incendium luxuriæ extinxit in mente. Denique, vt alios omittam, idem referre possem de sancto Francisco, qui teste sancto Bonauentura in eius vita, immissam à diabolo in mentem suam libidinis flammã, primùm crudeli verberatione, deinde nudi corporis nocturno tempore, in aceruum niuis volutatione compescuit. Atque hæc pauca de magnis heroibus retuli: sed si vellem ex historijs adferre numerum eorum, qui hoc laqueo capti perierũt, nullus esset finis. Quis igitur non iure lugeat ærumnas huius exilij, in quo à venatoribus infernalibus ita ludimur, & illudimur, vt neque in desertis locis homines sanctissimi ab illorum laqueis tuti esse possint? sed neque hic est finis laqueorum imaginationis, & mentis. Alios enim diabolus capit, & torquet miserabilibus angustijs scrupulorum; alios contra, sic decipit per laxam, & erroneam conscientiam; vt multi antea perueniant ad gehennam, quàm peccata sua cognoscere, & deflere potuerint. Vtrique autem culpa sua miseri sunt: nam priores illi, qui scrupulis agitantur deberent aliorum consilio acquiescere, præsertim præpositorum, de quibus Dominus ait, *Qui vos audit, me audit:* & non suo iudicio velle duci; præsertim, cum se in causa propria bonos iudices, & in morbo proprio bonos medicos esse non posse, facilè iudicare potuerint; posteriores vero in formanda conscien-

Lib. 2. dial. c. 2.

Lib. 1. cap. 3.

Cap. 5.

Luc. 10.

A tia, tanquã in re maximi ponderis, vnde mors, & vita dependent, non deberent vel suo, vel hominum quorumcunque iudicio acquiescere, sed audire viros simul & doctos, & pios, qui veritatem nouerint, & eam aperire non timeant.

Venio ad laqueos sensuum corporalium. Magnus laqueus est formosa mulier ad oculos virorum; & formosus vir ad oculos fœminarum. Audi Ecclesiasticum, virum sapientissimum, *Lustraui*, inquit, *vniuersa animo meo, & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagitta cor eius: vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa.* Et quod de muliere dicitur ad viros, idem dici potest de
B viro ad mulieres; non enim minus arctè capta est vxor Putipharis laqueo concupiscentiæ ad aspectum S. Ioseph, quàm senes ad aspectum Susannæ. Sed illud omnino miserabile, & multis lacrymis dignum est, quòd iste laqueus non solum non declinatur, nisi à paucis sapientibus, sed quæritur diligenter, & sæpe etiam multis pecunijs emitur. Quis hanc cæcitatem, vt par est, deplorabit? Christus clamat, & dicit, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo.* & rursum addit, *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & proijce abs te, melius est tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* & Christianus vel non credens Christo, vel eius verba contemnens, nulli occurrit venustati; in quam oculos non de-
C figat. Et parum esset, si solum in occurrentes oculos defigeret, nisi etiam vltro iret, vbi speraret se talem laqueum inuenturũ. Sed quis tolerandum putet, quod non desunt, qui in ipsa sacra æde, dum tremenda mysteria celebrantur; vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis quærunt, oculis loquũtur, & iuxta Domini sententiam, oculis, & corde mæchantur? sanctus Ioannes Chrysostomus; cum aliquando apud Antiochiam quosdam de populo inter sacrorum solemnia collocutos inter se, & subrisisse cognouisset, ita excanduit, vt diceret, mirari se, quod fulmine de cœlo cadente, omnes qui in illa Ecclesia e-
D rant, non interiissent. At si fulmine digni sunt, qui tempore sacrorum colloquuntur, aut rident; quo supplicio digni erunt, qui tempore eodẽ, oculis, & corde fornicando, vel mœchando templum violant?

Transeamus ad laqueum linguæ, quo capiuntur aures. quam iure glorietur Ecclesiasticus, liberatũ se fuisse à laqueo linguæ iniquæ, testes esse possunt, qui linguas venenatas hæreticorum euaserunt. Certe de Ario testatur sanctus Epiphanius, eum tam dulcis eloquij fuisse, vt breui multos presbyteros, & Episcopos, septingentas virgines sacras, & omnis generis homines loquendo peruerterit. De Fausto Manichæo scribit sanctus Augustinus, eum fuisse magnum laqueum diaboli, & multos ab eo fuisse captos per illecebram suauiloquentiæ. Quod idem nos dicere possumus de nostri temporis hæresiarchis, ac præsertim multorũ hæresiarcharũ parente Martino Luthero, qui lingua sua Germanica eloquentissimus erat.

Eccles. 7.

Gen. 39.

Dan. 13.

Matth. 5.

Eccl. vlt.

Epiphan. hæres. 69.

Lib. 5. confess. cap. 3.

Quid dicam de lingua detrahentium proximis suis? de lingua blandiloqua, & adulatrice? de lingua mendaci? de lingua contumeliosa? certe tam multa peccata oriuntur ex verbis malè prolatis, vt sanctus Iacobus linguam appellauerit, vniuersitatem iniquitatis, inquietum malum, plenam veneno mortifero, & quam nullus homo domare potest. *Iacob 3.*

Porrò laqueus sensus olfaciendi sunt odores, quibus delicati homines ita capiuntur, vt multas pecunias insumant in vnguenta pretiosa, & aquas odoratas, quibus chirothecæ, vestes, & domus tota suauiter oleat. Sed quorsum isti sumptus in re tenuissima? quid enim est aliud odor, nisi fumus, aut exhalatio, quæ nihil habet solidi, & continuò euanescit?

Laqueus multo periculosior sunt cibi sapidi, & vina pretiosa, quibus capitur gula, & vnde existunt crapulæ, & ebrietates, quæ simul, & corpori, & animæ nocent, & rem familiarem exhauriunt. Clamat Magister noster, & Dominus, *Attendite vobis, ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate.* & non dicit corpora vestra, aut stomachus vester, aut venter vester, sed corda vestra. quia tametsi crapula, & ebrietas non parum corporis bonæ valetudini noceat, tamen facile per inediam, & abstinentiam vini remedium corpori adferri potest. Sed crapula, & ebrietas grauant cor, id est, mentem, eamque deprimunt ad sola terrena cogitanda, vt nimis difficile sit mentem attollere ad ea procuranda, quæ necessaria sunt ad salutem. Pulcherrima similitudo est apud Salomonem in Prouerbijs; scribit enim Salomon, hominem addictum comessationi, & ebrietati similem esse Nauclero, qui in medio mari dormiens amisso clauo, lætus, & de vino repetendo somnians sinit nauem à ventis deferri ad manifestum naufragium. *Et eris*, inquit, *sicut dormiens in medio mari, quasi sopitus gubernator amisso clauo. & dices, vulnerauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & ego non sensi. Quando euigilabo, & rursus vina reperiam?* hæc est vera descriptio ingentium malorum, quæ superueniunt ijs qui delectantur crapula & ebrietate. Obscuratur eorum iudicium, sopitur quodammodo mens, vt vulneretur anima vulnere criminis lethalis, & non aduertat; spolietur gratia Dei, & non sentiat; naufragium immineat, per quod omnia bona pereant, & ipse, quasi ludus quidam sit, rideat. Denique morti propinquus sit, & ad gehennam festinet, & ipse de solo vino cogitans dicat, quando euigilabo, & vina reperiam? Sed ò tu miser, & miserabilis, non vina reperies, sed penuriam talem omnium bonorũ, vt cum Epulone guttam aquæ desideres, & non obtineas. Hic igitur finis est eorum, qui laqueo gulæ se capi sinunt? & quorum Deus venter est. Et tamen tam stulti sunt plerique hominum, vt non expectent venatores, qui laqueum injiciant, sed ipsi præueniant venatorem diabolum, & per se currant ad laqueum, eumque libentissime, quasi torquem aureum sibi circumdent.

Luc. 21.

Prou. 23.

Restat postremus laqueus, sed omnium funestissimus, qui ad sensum tangendi pertinet, & carnalis voluptas dici potest. Iam supra ex Ecclesiastico didicimus, Mulierem laqueum esse venantium, & vel solo aspectu ligare, vnde etiam de Holoferne scriptũ est, quod visa Iuditha captus fuerit in oculis suis. Quod si mulier, dum videtur, capit, quanto magis capiet, dum tangitur, & dum per complexum fornicarium ita coniungitur, vt fiant duo in carne vna, & iam non sint duo, sed vna caro? Hinc igitur Spiritus sanctus per Apostolum clamat ad homines, *Fugite fornicationem.* & si fornicatio fugienda est, quanto magis adulterium, incestus, sacrilegium? Sed, vt de alijs laqueis diximus, sic de isto dicere possumus; quò magis scriptura nos admonet, vt fugiamus, eò magis plerique homines incitantur, vt laqueos quærant, & illis implicentur, & pereant. Certè si hic solus laqueus tenderetur hominibus, digna esset humana miseria fluminibus lacrymarum. nullum enim est malum frequentius, nullum communius, nullum turpius, nullum perniciosius. Dictum est olim à Mose propter hoc malum, *Omnis caro corrupit viam suam.* & quod videns Deus, terram esse corruptam, dixit, *Pœnitet me fecisse hominẽ*; diluuio horribili inundante deleuit genus humanum, & terrã quodammodo lauit. Hoc tam magnum argumentum iræ Dei in peccata ista carnalia, & plusquam brutalia non deberet omnes terrere? non deberet cogere ad castitatem, saltem cõiugalem? Et si pagani, qui Christum non nouerunt, corrumpuntur in carnalibus istis flagitijs, & sceleribus: an non saltem Christiani, qui Christum Virginem, & Virginis filium, & puritatis amatorem ardentissimũ colunt; deberent luxuriæ fœtores auersari, & fugere? Et si Doctor gentium iubet, vt eiusmodi flagitia nec nominentur in nobis; vnde fit, vt tam multi non solum de mundo, sed etiam ex ijs, qui continentiæ voto se obstrinxerunt, ab ista turpitudine non abhorreant? Veniet veniet diluuium, non aquæ, sed ignis, & purgabit orbem terrarum, & omnes immundi, qui baptismo lacrymarum purgati nõ fuerint, erunt, vt Isaias loquitur, in combustionem, & cibus ignis: & ignis, vt idem ipse scribit, qui nõ extinguitur, & in æternum non extinguetur.

Iudith 10.

1. Cor. 6.

Gen. 6.

Isai 9.
Isa. 66.



DE GEMITV COLVMBAE, Siue DE BONO LACHRYMARVM, LIBER III.

De primo fructu lachrymarum, qui est spes certa remissionis peccatorum.

CAPVT I.



Peruimus aspirante Deo fontes lachrymarum duodecim: nunc ex ijs fontibus riuos deducere ad areolas aromatum propositum nobis est, vt inde colligamus flores, vel fructus variorum spiritualium donorum. Erunt autem fructus duodecim, iuxta numerum fontium. & fortasse isti sunt fructus duodecim, qui nascantur ex ligno vitæ, irrigato cœlesti flumine, vt legimus in Apocalypsi sancti Ioannis: verè enim cœleste flumen dici potest, flumen lachrymarum, quæ à Spiritu sancto originem ducunt. Principio igitur lachrymæ pœnitentiæ, quæ deriuantur ex fonte considerationis magnitudinis peccatorum; producunt spem certam indulgentiæ, & reconciliationis cum Deo, ex qua oritur in animo pœnitentis exultatio, & lætitia incomparabilis. Quamuis enim vera contritio cordis & sincera confessio cum proposito satisfaciendi, & absolutio Sacerdotis indulgentiam à Deo obtineant, & peccata deleant: tamen spes quædam viua de remissione peccati, & quasi pignus reconciliationis lachrymis debetur. Sic enim loquitur Dauid in Psalmo sexto: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum; lachrymis meis stratum meum rigabo*. & postea subiungit: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei*. Vbi vides, exauditam fuisse vocem fletus magis, quàm vocem verborum. efficacius enim loquuntur in auribus Dei lachrymæ, quàm verba. Idem colligitur ex lachrymis sanctæ Mariæ Magdalenæ. illa enim non verbis, sed lachrymis dolorem de peccatis conceptum ostendit: lachrymis, non verbis cõfessa est peccata sua: lachrymis, nõ ieiunio, aut oratione, aut eleemosynis satisfecit. Et tamẽ audiuit, *Remittuntur tibi peccata tua*. &, *Quia dilexit multum, remittuntur ei peccata multa*. dilectionem autem multam lachrymæ testabantur: quia enim multum detestabatur peccata, quod lachrymæ demonstrabant, signum euidens erat, ab ea multum diligi Christum, qui venerat tollere peccata mundi, & destruere opera diaboli, quæ sunt peccata. Hanc vim esse lachrymarum, vt peccata lauent, testatur sanctus Ioannes Chrysostomus, vt alios Patres omittam, in homilia sexta in Matthæum, vbi scribit, lachrymas soluere sententiam Iudicis æterni in peccatores prolatam; lachrymas vnire animam cum Deo, à quo per peccatum fuerat separata: lachrymas tranquillare animam, quæ ob remorsum conscientiæ conturbata erat. Idem Chrysostomus concione prima de Lazaro, & homilia quinta de pœnitentia, scribit, tantam esse vim lachrymarum hominis pœnitentis, vt extinguat ignem gehennæ. Idem denique homilia secunda in Psalmum quinquagesimum, vocat lachrymam spongiam peccatorum, & martyrio similem: quia sicut martyr fundit sanguinem, sic pœnitens fundit lachrymas. Cui similitudini adiungere possumus, quòd sicut Martyr scinditur, & laceratur in corpore, sic verus pœnitens scindit ipse cor suum, & conterit, iuxta præceptum Domini, *Scindite corda vestra*; & iuxta testimonium Prophetæ; *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Præterea sicut Martyr offert Domino sacrificium gratissimũ mortis suæ in testimonium fidei; sic & verus pœnitens offert sacrificium acceptabile Domino spiritus contribulati, & cordis contriti, in testimonium odij erga peccatum, & charitatis erga Deum. Denique sicut Martyr sine purgatorio recta volat ad cœlum: sic & verus pœnitens aliquando ex perfecta detestatione peccati, & perfecta, atque ardenti charitate in Deum fundens lachrymas copiosas, indulgentiam percipit plenissimam peccatorum, non solum quoad remissionem culpæ, sed etiam quoad condonationem pœnæ. Habemus huius rei exemplum insigne in historia de vita sanctæ Catharinæ Senensis, quam vir grauissimus Raymundus Capuanus, eiusdem sanctæ Virginis confessarius, literis mandauit. &, quod rem fide dignissimam esse testatur, exemplum ipsum in personam eiusdem Raymundi contigit. Igitur prædictus Raymundus aliquando à sancta virgine Catharina petijt, vt precibus suis à communi Domino impetraret Bullam (sic enim loqui illi placuit) plenariæ indulgentiæ, per quam ipse Raymundus certior redderetur, sibi peccata omnia fuisse dimissa. Sancta virgo Catharina pollicita est, se bullam eiusmodi à Domino postulaturam. Sequenti die, præmissa oratione ad Deum pro bulla impetranda, Raymundum adiuit beata Catharina; & dum loqueretur de ingratitudine hominum erga Deum, tactus Raymundus Spiritu sancto intueri sibi visus est peccatorum suorum multitudinem, & magnitudinem tam perspicuè, vt continuò ex amarissima contritione tantam vim lachrymarum effuderit, & in singultus, & rugitus tales proruperit, vt periculum fuerit, ne pectus, & cor eius disrumperetur. Tum Virgo, *Hæc*, inquit, *est bulla indulgentiæ, quam tibi Dominus misit: esto igitur gratus gratiæ Dei*. Sic illa recessit, & ille mirum in modum lætus cum Propheta regio dicere potuit, *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata*. Hæc est potentia lachrymarum sanctarum ex vera cordis contritione manantium, vt serenet, & tranquillet animas peccatorum post diuturnum horrorem, & pauorem; planè ad eum modum, quo post procellas ventorum, & densarum nubium obscuritatem, de-

Apoc. 22. — Luc. 7. — 1. Ioan. 1. 1 Ioan. 3. — Ioel. 2. Psal. 50.

ſcendens pluuia copioſa, aerem ſerenum, & purum relinquit. Porrò cauſa huius rei illa eſſe videtur, quia per lachrymarum compunctionem Spiritus ſanctus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus, quippe quibus iam peccata feriò diſplicent, & pax Dei exultat in cordibus noſtris, accepto videlicet à Patre cœleſti oſculo pacis, & ſtola prima, & annulo perfectæ reconciliationis.

Rom. 8. Coloſſ. 3. Luc. 15.

O ſi guſtare poſſent homines peccatores, quàm dulcis, & quàm ſuauis ſit reconciliatio cum Deo, intelligerent profectò, nullam eſſe carnalem ſuauitatem cum iſta ſuauitate comparandam: & cum ſancto Auguſtino clamarent, *O quàm ſuaue mihi ſubitò factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat: eyciebas enim eas à me tu, vera, & ſumma ſuauitas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore ſublimior.* Hæc ſanctus Auguſtinus dicebat, cùm amariſsima contritione, & magno imbre lachrymarum peccata ſua fleuiſſet. Sed multò antè Propheta Dauid memor iuſtificationis, & reconciliationis, quam laborando in gemitu ſuo, & ſtratum ſuum nocturnis lachrymis rigando acquiſierat, exultabat, & animum ſuum ad agendas gratias excitabat cantans, & dicens: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* Et quæ ſunt retributiones eius, niſi quia retribuit bona pro malis? *Qui propitiatur*, inquit, *omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur, vt Aquilæ iuuentus tua.* En quanta ſeges gaudiorum ex amaro fonte lachrymarum profluxit. Deus propitius factus eſt omnibus iniquitatibus, eas remittens, & condonans; ſanauit omnes infirmitates; morbos omnium vitiorum curans; redemit de interitu animam, gratiam iuſtificantem, & viuificantem infundens; coronauit in miſericordia, & miſerationibus, in ſpe videlicet; corona gloriæ vndique circumdedit; renouabit iuuentutem tuam in die nouiſsimo, quando corpus tuum ſeminatum in infirmitate, ſurget in gloria, inſtar Aquilæ; quæ ſenio confecta ad iuuentutem renouatur. His duobus teſtibus addam & tertium, ne fœminæ præteriri videantur. Sancta Maria AEgyptiaca, cuius vitam ſcripſit Sophronius Epiſcopus Hieroſolymæ, & interpretatus eſt Paulus Diaconus; mulier fuit ſuper omnes mulieres impudiciſsima, quippe quæ non quærebat mercedem, vt aliæ meretrices, ſed ipſa mercedes dabat; vt ſatiare aliquando libidinem ſuam inſatiabilem poſſet. Denique horror eſt legere, in quàm profunda abyſſo turpitudinum, & ſcelerum omnis generis miſera iaceret: cùm autem ad ſe reuerſa de profundo illo miſeriarum emerſiſſet, abijt in ſolitudinem, in qua per annos quadraginta ſeptem hominem non vidit, atque ad eam vitæ ſanctiſsimæ perfectionem eminentiſsimam, ſolo Spiritu ſancto duce, per interceſsionem Beatiſsimæ Virginis Matris Dei Mariæ peruenit, vt iam non mulier, ſed terreſtris Angelus videretur. Hæc autem omnia ſolo pretio lachrymarum ſibi comparauit. Initium conuerſionis à flumine lachrymarum cœpit: deinde omnes tentationes, quas permultas, & horribiles in ſolitudine patiebatur, ſola oratione cum profluuio lachrymarum extinguebat. Quantas autem à Deo conſolationes acceperit, quæ facilè vincerent præteritas voluptates; argumento eſt, quòd ſola tam longo tempore in horrida ſolitudine perdurare potuerit: & quidem nemine cogente, ſed ipſa ſponte ſua vitam illam duriſsimam, & ſupra modum aſperam eligente, vbi nihil ad cibum habebat, niſi herbas terræ: vbi toto corpore nuda, ſolis ardoribus vrebatur æſtate, & glacie, ac niue vrebatur in hyeme: vbi neminem comitem habuit, præter dæmones & feras: vbi ſine lecto, ſine tecto omnibus aeris iniurijs ſemper patebat. Hi ergo teſtes omni exceptione maiores perſuadere facilè poſſent omnibus hominibus, vt ſecuri peccata ſua lachrymis compunctionis lauare ſtuderent, quia ſine dubitatione vlla omnis mœror in lætitiam, & omnis fletus in riſum iucundiſsimum conuertetur; in hac etiam vita, & exilio filiorum Adam: nam in patria cœleſti, *abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum.*

Lib. 9. conf. c. 1. Pſal. 102. 1. Cor. 15. Apoc. 21.

Capvt II.

De ſecundo fructu lachrymarum, qui eſt timor gehennæ.

SEcundus fructus oritur ex conſideratione pœnarum gehennæ, qui erat ſecundus fons lachrymarum: producit enim illa conſideratio, quando ſeria & profunda eſt, & lachrymis calentibus irrigata, timorem Domini, qui vnus eſt ex ſeptem pretioſiſsimis Spiritus ſancti donis: Et quidem quod gehennæ conſideratio timorem ſanctum producat, res eſt per ſe nota, & à nobis in ſecundo libro, capite ſecundo, ex teſtimonio ſcripturarum, & ſanctorum Patrum ſatis apertè demonſtrata, quibus teſtimonijs addere placet hoc loco teſtimonia quatuor Eccleſiæ Doctorum primariorum: Sanctus Ambroſius ſermone viceſimoprimo in Pſalmum centeſimumdecimumoctauum ſcribit, Martyres, inter duos timores conſtitutos, alterum carnificum; alterum gehennæ; contempſiſſe timorem carnificum ob timorem gehennæ: Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis; ſcribit ipſe de ſe: *Ego ob gehennæ metum carcere iſto*, id eſt, horribilis deſerti, *me ipſe damnaui.* Sanctus Auguſtinus in libro de gratia, & libero arbitrio capite octauodecimo; & ſanctus Gregorius libro ſecundo homilia decimanona in Ezechielem, non dubitant affirmare timorem æternæ pœnæ, vnum eſſe ex ſeptem Spiritus ſancti donis.

His igitur præmiſsis, hoc loco duo ſolum explicanda ſunt; quis ſit ille timor, quem producit gehennæ conſideratio; quæ, & quanta ſit huius timoris vtilitas. Quod ad primum attinet, quinque timores diſtinguuntur à Theologis, naturalis, humanus, ſeruilis,

filialis, initialis. Naturalis timor est communis hominibus cum bestijs, & neque bonus, neque malus est moraliter, sed naturaliter bonus est, atque à Deo insitus naturæ ad mala, & noxia fugienda. Humanus timor; qui & mundanus dici solet, is est, quo magis timent homines malum pœnæ, quàm culpæ: vel detrimentum temporale, & corporale, quàm detrimentum spirituale, & æternum, atque hic timor malus est, vtpotè inordinatus & noxius: & radix malorum plurimorum. Timor seruilis est, qui timet pœnam, & præcipuè sempiternam: & ideo retrahit à peccato: sed si pœnæ periculum non adesset, facilè peccatum committeret: hic timor bonus est, & à Deo, quamuis in peccatore cum mala voluntate coniunctus inueniatur, videlicet peccandi, si posset impunè: siquidem timor iste non est causa, neque effectus malæ voluntatis, imo etiam comprimit, & coercet, saltem quoad actum exteriorem, & disponit ad pietatem, & perfectam conuersionem, ac de eo scriptum est, *Initium sapientiæ timor Domini.* Quartus est timor filialis, castus, & reuerentialis, qui optimus est, & magnum donum Spiritus sancti: hoc enim timore culpam timemus patrare, & parati sumus quidlibet pati potius, quàm vt Deum offendamus, imo etiam non offenderemus, nec peccaremus etiamsi id facere possemus impunè. Dicitur autem hic timor filialis, quia est proprius filiorum; & castus, quia est sponsæ, non adulteræ; & reuerentialis, quia est amici inferioris, qui libenter colit, & reueretur superiorem, quæ tria nomina in eandem personam cadere possunt: sumus enim filij Dei, quia per spiritum adoptionis hæredes facti sumus: & animæ nostræ sponsæ Christi sunt, iuxta illud Apostoli, *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo:* & amici sumus eiusdem Christi, qui ait, *Iam non dicam vos seruos, sed amicos* Itaque timor iste filialis, & castus non præcedit pietatem, vt timor seruilis, sed comitatur, & cum ea coniungitur, vt frater germanus, natus ex eadem matre charitate, quæ causa est, vt in Scripturis sanctis sæpè pro eadem re accipiantur timor, & pietas, vt in Psalmo illo, *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* & apud Isaiam, vbi ponuntur septem dona Spiritus sancti, non sunt in Hebræo codice nisi nomina sex, sed vltimum nomen, videlicet, pietas, bis repetitur. Sed noster interpres, vt ostenderet illo vno nomine res duas significari, sextum donum vocauit, pietatem, septimum appellauit, timorem. Quintus timor dicitur initialis, qui mixtus est ex duobus præcedentibus: nam qui hunc timorem habet, timet culpam, & pœnam, sed magis culpam, quàm pœnam. Dicitur autem initialis, quia, qui hoc timore præditus est, inchoauit perfectionem charitatis, & pietatis, sed nondum peruenit ad illum altissimum perfectionis gradum, qui foras mittit omnem timorem pœnæ, de qua perfectione loquitur sanctus Ioannes in epistola prima, cùm ait: *Qui timet nō est perfectus in charitate.* nam *perfecta charitas foras mittit timorem.* perfecta .n. charitas ita fertur in Deum, vt obliuiscatur proprij commodi, & tantam confidentiam apud Deum acquirat, vt iam nihil timeat, nisi offensionem Dei. Hæc tam alta perfectio fuit in Virgine Deipara, in sancto Ioanne Baptista, in Apostolis Domini, & in aliquibus alijs magnis amicis Dei: sed vt plurimum iusti, ac pij homines non caruerunt timore gehennæ, vt perspicuum est ex ijs, quæ supra attulimus ex sanctis Patribus Basilio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio, & Bernardo; imò etiam ex Dauide, qui de se ait, *à iudicijs tuis timui.* & ex Iob, qui clamabat, *Quid faciam, cùm surrexerit ad iudicandum Deus.* Denique si Dominus ipse futuris Martyribus consilium dabat, vt gehennam timerent, dicens, *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam:* quis nostrum dicere audebit, sibi non esse opus timere sempiterna supplicia. Iam igitur, vt ad rem nostram veniamus, cùm quæritur quis ille timor sit, quem producit gemitus, & fletus exortus ex attentissima consideratione suppliciorum gehennæ; facilè est respondere, esse timorem seruilem, & timorem initialem, quorum vterque bonus est.

Sequitur nunc, vt explicemus vtilitatem huius timoris, qui ex consideratione pœnarum gehennæ oritur, quæ sunt omnino quatuor. Prima vtilitas est, quod timor etiam seruilis, qui est infimus inter timores bonos, sit initium sapientiæ; quæ certè magna vtilitas est, & si pecunijs emi posset, expediret omnia vendere, & timorem hunc emere, qui ad rem pretiosissimam viam aperit. Et quidem quod timor Domini sit initium sapientiæ, scripsit Dauid in Psalmis: scripsit Salomon eius filius in Prouerbijs: scripsit Ecclesiasticus ad initium libri sui. Dicitur autem timor Domini esse initium sapientiæ, quia tunc homo incipit sapere, & re vera vti iudicio rationis, & bene ac sapienter intelligendo discurrere, quando incipit magni facere res verè magnas, & parui facere res verè paruas. Et quæ sunt res verè magnæ, nisi res æternæ, beatitudo, & gehenna? quæ verè paruæ, nisi res temporales, diuitiæ, voluptates carnis, honores mundi? Audi Sapientem, *Cor sapientis, inquit, in dextra eius, cor stulti in sinistra illius.* qui habent cor ad æterna; quæ est pars dextera, in qua erunt oues in die Iudicij, illi sapiunt: qui habent cor ad temporalia, quæ est pars sinistra, in qua erunt hœdi, illi stultissimi sunt. quia cor ipsorum est immortale, & tamen adhæret rebus perituris, quæ quando minimè cogitat, ipsum deserunt. An non stultissimus ab omnibus iudicaretur, qui facturus iter per integrum annum in locis desertis, vel in mari, magno sumptu emeret cibos, qui statim corrumpuntur, vt carnes recentes, vel poma? ita omninò, etiamsi sapiens videri posset ijs, qui nesciunt, in quem vsum illa parata sint. nam si saperet, pararet magnam copiam panis biscocti, & carnis salitæ, & res alias, quæ diu durent. O stultitiam hominum! viuere habent in æterna sæcula, & viuere in ijs locis, vbi durare non possunt diuitiæ pecuniarum,

Marginalia: Psal. 110. — 2. Cor. 11. — Ioan. 15. — Psal. 111. — Isaiæ 11. — 1. Ioan. 4. — Psal. 118. — Iob 31. — Matth. 10. — Psal. 110. — Prou. 1. — Eccl. 1. — Eccl. 10.

sed solæ diuitiæ meritorum, & tamen ita cæci sunt, vt solum procurent diuitias pecuniarum, quas secum ferre non possunt, & quas hic etiam fures effodiunt, & furantur: & de diuitijs meritorum nihil solliciti sunt, quasi cum corpore extinguatur etiam animus. Et sicut de quibusdam Apostolus queritur, quòd dicant se nosse Deum, factis autem negent: sic nos de istis queri possumus, quòd dicant se nosse animi immortalitatem, factis autem negent. Magna est igitur vtilitas timoris, etiam seruilis, quia transfert cor humanum à parte sinistra ad dexteram, & sanat morbum stultitiæ, qui incurabilis videri solet; & denique disponit ad iustificationem, dicente Ecclesiastico; *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Quomodo autem timor gehennæ disponat ad iustificationem, & introducat charitatem; docet sanctus Augustinus tractatu nono in epistolam sancti Ioannis per similitudinem setæ, & lini, siue aciculæ, & fili. quando enim consuitur vestis, prius intrat acus, quàm filum, nec posset filum intrare, nisi acus perforando pannum, viam aperiret filo: sed acus non intrat, vt maneat; nisi enim exiret, non esset qua intraret filum. Sic igitur charitas, iustitia, pietas, res tenues, & suaues, non penetrant cor durum, & assuetum amori rerum carnalium, nisi præcedat timor pœnæ, quæ instar acus pungit, & penetrat, & viam aperit charitati, & postea exit, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Neque solùm timor gehennæ pungit instar aciculæ: sed etiam terret, & prosternit instar fulguris, & tonitrui. Ludunt aliquando homines in plateis, & securi sedent, vel etiam dormiunt; existit repentè fulgur de cœlo; & sequitur tonitruum cum fulmine: continuò excitantur, ad se redeunt, signant se signo crucis, implorant auxilium Dei. Sic omninò cùm aliqui dormiunt in peccatis, vel etiam ludunt, & contemnunt iram Dei, inebriati præsentibus voluptatibus: fulgurat Deus ex magna misericordia sua in corde peccatoris, & in eo lumine ostendit illi periculum mortis æternæ: & simul quasi tonitru, timore concutit animum eius, vt fugere statuat à ventura ira, & corde contrito ad Deum reuerti. Sic igitur initium sapientiæ est timor Domini.

Tim. 1.

Eccles. 1.

Altera vtilitas timoris est, quòd non solum pellit peccatum iam perpetratum, & præparat ad iustificationem, sed etiam defendit à periculo peccandi, & conseruat gratiam acquisitam. Explicant sancti Patres hanc vtilitatem varijs similitudinibus. Sanctus Basilius oratione in primum caput libri Prouerbiorum, comparat timorem Domini acutis clauis, qui retinent hominem cruci affixum, ne se commouere possit: quia videlicet motu corporis exasperantur vulnera, & dolor crescit. Sic igitur & is, qui confixus est clauis timoris iudiciorum Dei, & tormentorum gehennæ, non audet extendere manus ad opera mala, ac ne ipsum quidem oculum ad videndum, vel aures ad audiendum, vel cor ad cogitandum. hinc David dicebat: *Con-*

A *fige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Statim enim ac tentatio ad peccandum exurgit, exurgit etiam timor, ac pungit memoriam, vt recordetur vltrices flammas, quæ peccatores apud inferos expectant. Sanctus Ioannes Chrysostomus in homilia quintadecima ad populum Antiochenum, timorem Domini comparat militi armato excubanti ad fores palatij, non sinenti ingredi hostem, aut latronem. Alij comparant sali, quo carnes siccantur ad putredinem impediendam. Denique Spiritus sanctus in Scripturis suis tribuit immensas laudes timori, quasi timor omnes virtutes, & ipsam etiam beatitudinem comprehendat. sic enim loquitur Iob, *Ecce timor Domini ipsa est sapientia.* & Dauid, *Beatus vir qui timet Dominum.* & Salomon, *Beatus vir, qui semper est pauidus,* & Ecclesiasticus; *Plenitudo sapientiæ timor Domini.* & rursum, *Omnis sapientia timor Domini.* & Isaias: *Timor Domini ipse est thesaurus eius.* Denique volens Spiritus sanctus, in libro Iudith describere sanctam Iudith, vt fœminam omnium virtutum laudibus ornatam, ait: *Erat in omnibus famosissima, quia timebat Dominum valdè.* Hæc autem de timore prædicantur, non quòd ipse re vera omnem sapientiam, & virtutem, & beatitudinem in sinu suo complectatur; sed quod sit initium, & custos sapientiæ & virtutum, & beatitudinis, & sine illo haberi, & conseruari nequeant: denique sine illo pereant omnia, cum illo omnia custodiantur.

Psal. 118.

B Iob. 28. Psal. 10. Prou. 25. Eccles. 1. Eccl. 19. Isai. 33. Iudith 8.

C Tertia vtilitas timoris, etiamsi seruilis sit, ea est, quod liberat à tyrannide timoris humani, siue mundani. Verè enim vix inuenietur morbus magis generalis, & minus curabilis, quàm timor humanus. Hic nobiscum nascitur, nobiscum adolescit, nobiscum ad senium vsque perseuerat. Pueri vix dum rationis vsum adepti discunt mentiri, metu confusionis, aut ignominiæ; maiores natu non solum mentiri, sed & peierare solent, vt existimationem conseruent. Assentationes omnes timor humanus parit, correptionem fraternam timor humanus impedit: & cur plurimi non audent contemnere verba contumeliosa in se prolata, vel non vlcisci iniurias, & non reddere maledictum pro maledicto, & vulnus pro vulnere, nisi ob timorem humanum, ne videlicet existimentur viles, & timidi? Et cur denique multi non se continent à ludo, à luxu, à sumptuosis conuiuijs,

D à profusione pecuniarum, & alijs huiusmodi, nisi ob timorem humanum, ne habeantur auari, vel nimis modesti, & religiosi, quasi parsimonia, modestia, pietas, vitia sint, non virtutes? Hunc igitur humanum timorem, tam noxium, & tam generalem timor Dei comprimere solet, quomodo serpens Mosis deuorauit serpentes Magorum Ægypti: timor enim maior vincere solet timorem minorem: timor suppliciorum æternorum, si re vera in corde hominis locum habeat, non sinit in eodem corde morari timorem amittendæ existimationis humanæ: & timor iudicij diuini, & confusionis illius maximæ, quam patientur coram omnibus Angelis, & hominibus peccatores omnes in nouissimo die

facilè

facilè excludit timorem iudicij humani, neque cogitationem illam admittit, quid sentient, quid loquentur homines, si hoc vel illud egero, vel omisero? Hæc denique causa est, cur sancti Martyres opprobria, & confusiones læto animo tolerabant, quando implebatur verbum Domini, *Eritis odio omnibus hominibus, & dicent omne malum aduersum vos*; quia videlicet timor gehennæ & confusionis æternę non sinebat eos attendere ad confusionem momentaneam, & leuem. Matth. 10. Matth. 5.

Quarta eaque postrema vtilitas timoris Domini est, quòd cùm fragilitas humana in omni loco, & tempore nos procliues reddat ad mala perpetranda, & bona prætermittenda, præsertim dum sumus in hac valle lachrymarum, obsessi vndique hostibus, & in medio periculorum: timor Domini, si verè cor nostrum possideat, erit frænum in malis, & calcar ad bona, & ideo nos hortatur Sapiens, & dicit, *Beatus homo, qui semper est pauidus*, id est, qui in omni loco, in omni tempore, in omni verbo, in omni cogitatione, in omni opere timet, & cauet offensionem. quæ etiam causa est cur apud Isaiam, de alijs donis dicatur, *Requiescet super eum spiritus Domini*. de timore autem, *Replebit eum spiritus timoris Domini*. Quæ verba, quatenus ad Christum pertinent, non habent locum quod nos dicimus de timore initiali, vel seruili, qui in Christo locum non habuerunt: sed quatenus de Christi corpore, quod est Ecclesia, exponuntur à sancto Bernardo in sermonibus super Cantica, in multis Ecclesiæ membris locum habent. Oportet enim, vt membra Christi infirma, & peccatis obnoxia, paulatim proficiant in timore Domini, donec penitus impleantur, ita vt oculi, aures, lingua, manus, pedes, cor, mens, omnes potentiæ, omnia membra repleantur hoc timore, vt cum sancto Iob dicere possint, *Verebar omnia opera mea*. Ille enim sic plenus timore Domini, beatus erit, quia semper pauidus erit. Ac vt cum sapientissimo Ecclesiaste hunc locum concludam, *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo*. Omnis enim homo, si verè sit homo, & non brutum animal, finem suum, & media ad finem considerabit. Finis est vita æterna: medium necessarium est custodia mandatorum, dicente Domino, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Timor Domini facit impleri mandata, dicente Propheta, *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis*. Igitur ille verè est homo, imò etiam *beatus homo, qui semper est pauidus*.

Isa 11. Serm. 54. Iob 9. Eccl. 12. Matth. 19. Psal. 111. Prou. 28.

CAPVT III.

De tertio fructu lachrymarum, qui est imitatio virtutum Christi.

EX arbore sanctæ crucis multi pendent fructus optimi, dulcissimi, saluberrimi: qui tamen non reficiunt, nec nutriunt, si solum conspiciantur, nisi etiam carpantur, & ori admoueantur, & ad stomachum vsque demittantur. Quid est fructus sanctæ crucis conspicere, nisi meditari Dominicam passionem, & ex compassione lachrymari? quid est fructus illos carpere, & comedere, nisi virtutes crucifixi imitari, & ex earum imitatione nutriri ad vitam spiritualem, & crescere, & pinguescere, id est, in virum perfectum euadere, & Christo quàm simillimum fieri. Ad hanc imitationem hortatur nos Apostolus Petrus cùm ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*. Ad eandem nos hortatur Coapostolus eius Paulus, dicens: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*. Ad eandem nos hortatur Apostolus Ioannes, verbis illis, *Ille pro nobis animam posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Sed quid opus est testes multiplicare, cùm ipse Dominus per se nos omnes hortetur, cùm ait: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. & rursum: *Exemplum dedi vobis, vt & vos idem faciatis*. & iterum: *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*. Itaque si volumus, vt contemplatio passionis Dominicæ, & fluuius lachrymarum, qui inde tanquam ex fonte procedit, nobis verè prosit: oportet vt ad imitationem virtutum, quæ in passione Domini conspiciuntur, accingamur. Et quænam sunt virtutes, quæ in crucifixo Domino potissimum emicuerunt? In superiore libro virtutes illas ostendimus, quæ sunt patientia, charitas, obedientia, & humilitas, quas nobis figura ipsa crucis facilè repræsentat, si quis consideret in cruce longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem.

1. Petr. 2. Phil. 2. 1. Ioan. 3. Matth. 11. Ioan. 13. Luc. 14.

Vt igitur hæ virtutes in nobis nascantur, & illis adultis Dominum imitemur: oportet, vt lachrymæ compassionis, quas fundimus, dum crucifixum Dominum alta contemplatione aspicimus, non in terram cadant, & pereant, sed ad extinguendum ardorem concupiscentiæ, quæ virtutibus illis contraria est, cautè deriuentur. Quo modo autem hoc fieri debeat, vnctio Spiritus sancti docebit eos, qui saluti suæ seriò consulunt. *Vos*, inquit sanctus Ioannes, *vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia*. & infra: *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio docet vos de omnibus, manete in eo*. Ego tamen pauca per modum exempli pro incipientibus hic addam. Considero Mundi Dominum crucifixum, & quasi præsens præsentem aspicio, nudum, algentem, esurientem, sitientem. Video caput spinis coronatum, vultum sputis oblitum, manus, & pedes sanguinis riuos fundentes; cerno corpus totum à planta pedis vsque ad verticem capitis plagis coopertum. Attendo quid ipse interim agat, an irascatur persecutoribus, an mala illis imprecetur, an impatienter saltem tanta tormenta sustineat. Audio orantem DEVM Patrem pro crucifixoribus, consolantem Matrem, & Discipulum, quem diligebat, promittentem paradisi consortium latroni secum pendenti. Nullum impatientiæ signum animaduerto; nullam de hostibus & persecutoribus querelam, nullas minas audio. Itaque condolens doloribus, & patientiam admirans lachrymas fundo, & quæro ab ipso, vnde tanta in innocentissimum supplicia: & an inuitus, an

1. Ioan. 2.

Isaiæ 53. Ioan 20. volens ista patiatur? audio respondentem, *Ego oblatus sum, quia ipse volui: nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam.* Itaque non inuitus, sed volens ista perfero. Et quæ causa fuit, vt innocentissimum corpus tuum tantis, & tam multis, & tam horrendis doloribus torquendum permitteres? charitas hoc fecit, vt te à gehennæ incendijs eriperem: & simul patientiam, & charitatem, humilitatem, & obedientiam te docerem, quæ sunt veræ semitæ ad vitam æternam, ad quam te ab æternitate mihi consortem destinaueram. Animaduerti enim, te verbis scripturarum mearum, & vocibus nunciorum meorum non potuisse moueri, vt impatientiam, & odium, & superbiam, & contumaciam, & concupiscentias malas, & mundi amorem exueres; ideo elegi ego ipse venire, & ex cathedra crucis, non verbis, sed exemplo te docere. Quid hic dices anima? quid respondebis? etiamsi ferrea, vel si adamantina esses, non frangereris? Placebitne igitur deinceps, ad quamlibet offensionem impatiens vindictam quærere? an potius ex animo inimicis omnibus iniuriam facientibus libenter ignoscere? an exemplum patientiæ meæ non erit tibi deinceps pro omnibus rationibus, quas tibi mundus in contrarium posset adferre? Ita Domine, cedo charitati tuæ, victum me confiteor; vulnerasti cor meum, & liquefecisti incendio amoris tui: polliceor tibi fideliter me non solùm non redditurum amplius mala pro bonis, sed reddi turum bona pro malis: nec solùm non expetiturum vindictam de persequentibus me, sed contra, oraturum pro persequentibus, & calumniantibus me, & beneficia collaturum, in quantum potero, ijs, qui me oderunt; dummodo non me deserat protectio tua. Pergit amator animarum Christus ex cathedra crucis suæ exhortans, & dicens, Ego pro te humiliaui me ipsum vsq; ad mortẽ, mortem autẽ crucis: tum vt te hac humilitate redimerẽ, tum vt eundem te tantæ humilitatis exemplo docerem non superbire, non alta sapere, non ambire gradus altiores, recumbere in nouissimo loco, omnibus alijs cedere: hæc enim est recta via ad veram celsitudinem, qua discipuli crucis fruentur in cœlis. Elige vtrũ vis, aut mecum humiliari in terris, vt exalteris in cœlis: aut cum Diabolo, qui est Rex super omnes filios superbiæ, exaltari ad modicum in terris, vt in æternum humilieris in inferis. Iob 41. O Domine, ante tantam humiliationem tuam potuit diabolus nos decipere, nobisque persuadere, vt exaltationem quæreremus in terris: & modis omnibus ad gradus excelsos, & magnos honores anhelaremus: sed cùm tu, qui veritas, & sapientia Dei es, verbo & exemplo humilitatem docueris; nimis stultus essem, nisi me sub omnium pedibus subijcerem: tu enim es filius Dei viui, ego sum puluis & cinis: tu Rex Regum, ego seruulus tuus, & filius ancillæ tuæ. Vnum te rogo, vt in hoc sancto proposito gratia tua me conseruet vsque ad finem; tanta enim est humana fragilitas, & tanta hostium nostrorum dæmonum astutia; vt nisi vigilet super nos custodia tua, nihil audeamus nobis de nostra constantia, vel perseuerantia polliceri. Sed perge obsecro Domine, in saluberrima, & auribus

A meis dulcissima concione tua. Ego, inquit Dominus crucifixus, obediens fui Patri meo, in re omnium difficillima, quæ est mors crucis, nec solùm Patri Deo, sed etiam Matri, & Nutritio meo, sicut scriptum est, quia eram subditus illis. Luc. 2. Nec solùm pijs parentibus obediui, sed etiam obedientiæ Cæsaris me spontè subieci, cùm tributum illi pro me reddi volui. Denique etiam vilissimis Pilati ministris spontaneam obedientiam exhibui, cùm me super crucem extendi, & manus, ac pedes ad loca clauorum porrigere iubebant. Matth. 27. Hæc autem omnia feci, vt te docerem, non solum Deo, & legitimis potestatibus libenter, & promptè parere, sed etiam, si detur tibi optio, eligas semper potius obedire, quàm imperare. Vera est enim sententia serui mei fidelis, sancti Francisci, *In obedientia lucrum, in prælatione periculum.* B Ergò si amori meo vicem rependere cupis, obedientiæ Dei nihil anteponas, neque terroribus, neque beneficijs adduci te sinas, vt non obedias Deo, verissimè enim Apostolus meus dixit, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* quando autem mandatum hominis superioris legitimi, non est contrarium mandato Dei, tum obedire debes hominibus, sicut Domino, & non hominibus, vt alter Apostolus meus non minus verè scripsit; Act. 5. Ephes. 6. Coloss. 3. auctoritas enim imperandi à Deo est, & ideò qui obedit Vicario Dei, obedientiam exhibet Deo; & qui spernit mandatum hominis à Deo auctoritatem habentis, non hominem spernit, sed Deum. Quòd autem ex hac mea cathedra te docui de patientia, humilitate, C & obedientia; id ipsum, & maiori ratione intelligi volo de regina virtutum omnium charitate. Ego enim propter nimiam charitatem meam dilexi vos homines, etiam dum inimici mei essetis, & sic dilexi, vt meipsum traderem oblationem & hostiam Deo Patri pro vobis in odorem suauitatis: Ephes. 4. quam oblationem, & hostiam, quamuis alioqui nimis acerbam, & amaram, dulcem mihi reddidit amor ardentissimus, quo salutem vestram desideraui. Volo igitur, vt & vos in hac re potissimum me imitemini, vt sicut ego non propter aliquod commodum meum, sed ex pura, & vera, & ardentissima charitate animam pro vobis posui: & non leui aliquo mortis genere animam posui, sed (vt vides) in cruce pendens, acerbissimo, & longissimo dolore membrorum omnium cruciatus, & sanguine toto effuso; sic & vos pro Deo, & pro fratribus animas ponere parati sitis: D & multò magis aperta geratis viscera charitatis erga proximos omnes, & non ex tristitia, aut necessitate, neq; retributionem expectantes, membra mea, id est, pauperes, ægrotos, afflictos foueatis, & in eorum angustijs non solum pecunias largiter effundatis, sed & ipsi vos impendatis. O Domine difficilia nimis, & grauia videri possent, quæ nunc doces, nisi ex cathedra ista doceres: sed cùm exemplo doceas magis, quàm verbo, tu, qui Dominus es, & magister, quomodo audebimus nos serui, atque discipuli contradicere? Verissima enim esse, quæ dicis, & iustissima esse quæ iubes, testatur crux ista, vnde loqueris; testatur sanguis iste, qui copiosissimè fluens, habet vocem suam, qua altissimè clamat; testatur denique mors

ipsa,

A ipsa, quæ si velum templi procul positum, & lapides durissimos scindere potuit: quomodo non magis scindere poterit corda fidelium tuorum, & ad obediendum inclinare?

Ergo Domine, quoniam sic nos amasti, & nos redamare te cupimus, & si nondum amore tuo, qui adhuc debilis est in nobis, saltem amore amoris tui cupimus te sequi, & si trahas nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Nec solum amare, & sequi te cupimus, sed mundum, & quæ in mundo sunt, adiuuante gratia tua, omnino contemnere, & fugere deliberamus, & firmiter statuimus. præsertim cùm te Ducem nostrum videamus à natiuitate vsque ad mortem mundi delitias contempsisse, cernimus enim te ad mortem properantem, non in lecto iacere, sed in ligno pendere. non alium cibum, & potum, quàm fel, & acetum gustare: & quamuis verè sis Rex, videmus tamen, non alium habere thronum, quàm patibulum, non aliam coronam gestare, quam spineam, non aliam purpuram indutum, quàm nuditatem proprio sanguine rubricatam, non alios habere stipatores, quàm pendentes duos homines miseros in patibulo. Et nos igitur tuo Regis sapientissimi exemplo prouocati, mundo, & pompis, ac voluptatibus eius nuncium remittimus, & cruce in humeros sublata, te solum per viam angustam, & spinis, ac tribulis obsitam sequi proponimus, modò tu ipse, qui dedisti præceptum, præstes auxilio: & qui demonstrasti exemplum, vires præbeas ad imitandum.

Capvt IV.

De quarto fructu lachrymarum, qui est misericordia erga proximos.

Seqvitvr ordine fructus explicandus; qui oritur ex consideratione, & commiseratione angustiarum, quas hoc tempore tolerat Ecclesia mater nostra. Quæ sint illæ angustiæ demonstrauimus in quarto capite libri superioris. Ex hac flebili, & lugubri consideratione fructus nascitur non exiguus, si quis terram cordis sui pijs lachrymis irrigare nouerit. accenditur enim animus ad charitatem proximi, & accingitur ad opera charitatis spiritualia non negligenter obeunda; quæ opera vt egentibus prosunt ad gratiam recuperandam: sic bonis operarijs prosunt ad meritorum, & gloriæ incrementum. Et quænam sunt opera bona, ad quæ facienda, Ecclesiæ necessitas, & angustiæ nos impellunt? prædicatio, scriptio, oratio, vitæ sanctæ, & salutaris exempla. Prædicatio veritatis aduersus errores infidelium, & malos mores fidelium omnino necessaria est. Sed charitas, & misericordia erga pericula infirmorum, & insidias perditorum, non accenditur, nisi prius in meditatione exardescat ignis, & lachrymæ compassionis vrgeant ad succurrendum periclitantibus, vel pereuntibus: frigescente enim charitate, qui donum verbi habent, malunt in ijs locis prædicando laborare, vbi sperant fauores, & honores, lucra etiam pecuniarum acquirere, cum securitate vitæ: quàm in locis, vnde non expectantur, nisi conuersiones animarum, sed cum persecutionibus, & angustijs, & ipsius etiam vitæ corporalis periculo. Hic zelus fuit olim in Prophetis, qui penè omnes ob veritatis prædicationem à duræ ceruicis populo, vel Regibus interempti sunt. Isaias sectus in partes, Hieremias lapidatus, Ezechiel cæsus, Zacharias inter templum & altare occisus. denique sanctus Protomartyr Stephanus vno verbô omnia complectens, ait Hebræorum Primoribus in publico Concilio, *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti?* Eundem spiritum hæreditarunt Apostoli Christi, qui omnes vno excepto sancto Ioanne Euangelista,

B prædicantes Euangelium inter infideles, post numerosissimam conuersionem animarum, & post multas persecutiones, & afflictiones cæsi sunt. Neque sanctus Ioannes, quamuis morte violenta vitam non finierit, persecutiones, & angustias multas, & magnas euasit. At, inquies, non desunt hoc tempore, qui eodem spiritu verbum prædicent. Verum est, sed ideò non desunt, qui sic prædicent, quia non desunt, qui considerent Ecclesiæ necessitates, & deplorent pericula animarum. Atque hic est fructus, quem producit spiritus Dei in cordibus lugentium, & flentium. Vtinam inter ipsos fideles, vbi non timentur persecutiones, neque carceres, neque mortes; considerarent prædicatores verbi Dei, quàm multi in scelerum & flagitiorum sordibus iacent, qui

C surgerent, & saluarentur, si ipsi induti viscera misericordię, fructum potius animarum, quàm populorum auram quærerent.

Alterum opus bonum, quòd nascitur ex flebili consideratione infidelium, vel etiam fidelium pereuntium, scriptio est, qua refelluntur errores, vel corriguntur vitia, vel instruuntur imperiti. & hoc etiam bonum opus nunquam Ecclesiæ defuit, & ideò non defuit, quia semper inuenti sunt viri pij, qui charitate flagrarent, & animarum pericula miserarentur. Sanctus Hilarius Episcopus Pictauiensis iam prouectæ ætatis ad fidem conuersus, vt ex principio libri primi de Trinitate intelligi potest, & in libris Philosophorum solùm versatus, commotus tamen misericordia multitudinis pereuntium ob venenum Arianæ impietatis, quæ totum penè

D orbem terrarum inuaserat, primus ex Latinis stylum aduersus hæresim illam strinxit, & adiuuante Domino, qui pugiles suos non deserit, repentè tantus Doctor euasit, vt scriptis suis terrori esset hæreticis, & toti Galliæ mirum in modum profuerit. Idipsum de sancto Ambrosio dicere possumus, qui ad longum tempus antequam ad baptismum accederet, in gubernandis prouincijs occupatus, vbi primùm ad Episcopatum inuitus ascendit, miseratus & ipse multitudinem eorum, qui ab Arianis decepti, fidem Catholicam deseruerant, scripturas sanctas euoluere cœpit, & scribere aggressus, totam fermè Italiam ab illa peste liberauit. Quid dicam de sancto Augustino, non sine causa malleo hæreticorum nominato? nam cùm ipse quoque magnum

ret quæ sunt ad salutem necessaria, & sic pereant animæ, pro quibus Christus mortuus est? si denique clerus corruptis, ac deprauatis moribus suis populum ad se imitandum prouocet, & hac ratione quos debuerat sanare corrumpat? Attendant, qui scandala malè viuendo præbent, quid Dominus dicat in Euangelio, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et si expedit vnicuique de populo magis demergi in profundum maris, quàm scandalizare pusillos: quid de clero scandalizante suis prauis moribus populum dicere poterimus, cùm eundem populum à scandalis præseruare debuerit? certè vtilius erat eiusmodi clericis mendicare panem, vel fodiendo humum victum sibi parare, quàm cum tam ingenti periculo de altari viuere; vel etiam per sacrum ordinem ad opes, & honores ascendere. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Negotiatio sancta Clericorum, ac præcipuè Sacerdotum atque Pontificum, non est similis negotiationi mercatorum huius mundi. Possunt enim mercatores aliquando sic negotiari, vt nec lucrentur aliquid, neque iacturam aliquam patiantur. At Episcopi, & Sacerdotes omnino debent vel lucrum copiosum acquirere, vel detrimentum maximum pati. Nimio enim zelo prosequitur Christus animas fidelium, pro quibus pretium sanguinis dedit: proinde qui animas fidelium, sicut par est, diligenter curant, immarcessibilem gloriæ coronam accipient: qui negligenter officio suo funguntur, sic vt ipsorum culpa anima vna pereat: incredibile dictu est, quàm atroces pœnas apud inferos daturi sint. Colligant igitur omnes Episcopi, ex ligno vitæ pretiosum fructum ardentissimi desiderij reformationis cleri sui, maneant in specula sibi commissa, inuigilent non solùm super gregem laicorum, sed multò magis super cœtum sacerdotum, & omnium clericorum: vt etiam post hanc vitam colligant fructum gloriosum remunerationis amplissimæ, & sempiternæ.

Matth. 18.

Capvt VI.

De sexto fructu lachrymarum, qui est reformatio Regularium.

DEplorauimus in libro superiore relaxationem ordinum Religiosorum. Nunc tempus est, vt ostendamus, quis fructus colligi possit ex ea flebili commiseratione. Fructus autem est, & quidem optimus, & suauissimus, reformatio religionum relaxatarum: sed hunc fructum ij potissimum colligere debent, qui sunt capita religionum: ad eos enim pertinet officium visitandi, & purgandi vineam suam. Quamuis enim Ecclesia vniuersa in sanctis literis comparetur vineæ, de qua dicit Propheta Deo: *Visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua.* & de qua multa prædixit Isaias, & explicauit Dominus in Euangelio: tamen etiam ordo religiosus aptissimè comparatur vineæ, & est pars quædam selecta vineæ magnæ, quæ est vniuersalis Ec-

Psal. 79.
Isaiæ 5.
Matth. 21.

A clesiâ. Vt igitur pro modulo meo adiuuem præpositos vinearum istarum selectarum; exponam breuiter, qualis esse debeat ordo religiosus reformatus ad primam suam originem, siue institutionem. Vinea sex præcipuè habere debet bonas qualitates, quibus significantur sex bona religiosorum, humilitas, paupertas, castitas, obedientia, studium orationis, & perfectio charitatis. Vinea constat ex vitibus: vites autem sunt plantæ omnium abiectissimæ, paruæ, distortæ, fragiles, humi repentes, aridæ: de quibus sic loquitur Ezechiel Propheta: *Quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum? nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? ecce igni datum est in escam.* Hæc prima qualitas vitis significat humilitatem Christi, abiectionem, & contemptum, in quo gloriari debet omnis verus regularis, qui non surda aure Christum docentem audiuit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ideò regulares, qui ambiunt prælaturas, & qui fieri sibi putant iniuriã, quando descendere iubentur ad locum inferiorem, vel de præcedentia cum alijs regularibus, vel inter se litigant: reformandi sunt, atque ad veram formam humilitatis Christi redigendi, qui nunquam legitur cum vllo homine de præcedentia contendisse: & cùm orta esset contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior, Dominus dixit, *Qui maior est inter vos, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* At, inquiunt, non contendimus pro honore nostro, sed pro honore nostræ religionis, quæ vt est antiquior tempore, sic debet esse prior in loco. Ergo si ita est, debebit esse religiosus humilis, & superba Religio. Approbo quidem, vt is, ad quem pertinet assignare loca religiosis, attribuat antiquioribus loca digniora: sed contentiones religiosorum pro huiusmodi approbare non possum. Deinde vites diligenter putandæ sunt, & superuacaneis palmitibus spoliandæ: sic enim & Pater cœlestis, vt loquitur in Euangelio Dominus, omnem palmitem non ferentem fructum tollit, & eum, qui fert fructum, purgat, videlicet abscindendo superflua, vt fructum plus adferat. Si quis inspiciat vites, quando putantur ab agricolis, & nesciat causam, mirabitur agricolæ crudelitatem, qui sic deformatam, & mutilam vitem relinquat: sed ille scit quid faciat, & non præsentem deformitatem, sed futuram fertilitatem attendit. Hæc est sancta, & Christo, atque eius matri sanctissimæ amabilis paupertas, quam veri religiosi cum Crœsi diuitijs non commutarent. Porrò paupertas religiosa in eo potissimum posita est, vt nullus proprium aliquid possideat; iuxta illud ex Actis Apostolorum: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Quare sicut relaxatio exorta est in monasterijs, quando proprietas ingressa est: sic oportet, si reformatio vera fieri debeat, vt proprietas penitus arceatur. Et certè si cogitarent proprietarij qualem vindictam sumpsit Deus de Anania & Sapphira, qui principes proprietariorum fuerunt; & contra

Ezech. 15.
B
Matth. 11.
Luc. 22.
C
Ioann. 15.
D
Act. 4.
Act. 5.

quantam spiritualem lætitiam degustent, & A quantam habeant apud Deum repositam spem, qui dicere possunt cum Apostolo Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te*, non difficilè sibi esse ducerent toto corde ab omni ꝓprietate abhorrere. Sed nõ possum hic omittere, quanti fecerint S. Patres crimẽ proprietatis in Monachis. scribit sanctus Hieronymus in epistola ad Eustochium, in monasterio quodam Nitriæ repertum fuisse monachum iam moriturum, qui nescio quot solidos sibi retinuerat: quocirca placuisse sancto Machario, alijsque sanctis congregatis in vnum, vt cum mortuo pecuniæ infoderentur, clamantibus omnibus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Sanctus quoque Gregorius in quarto libro dialogorum, capite quinquagesimoquinto, scribit vnum ex monachis B suis iam moriturum inuentum fuisse cum tribus nummis aureis: seque imperasse, vt non in sepulchro is monachus poneretur, sed in sterquilinio cum nummis suis, clamantibus omnibus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Horrenda prorsus, sed iusta pœna proprietariorum, quæ si non mouet proprietarios, præsertim adiuncta morte repentina Ananiæ, & Saphiræ, cuius paulò ante meminimus, conueniet in eos illud Exodi: *Induratum est cor Pharaonis*. Tertiò, vites facillimè arescunt, & ignem concipiunt. Hoc est symbolum castitatis, quàm regulares omnes profitentur, & per quã ad ordinem Angelorum proximè accedunt. Angeli enim in cœlis, neque nubunt, neque vxores ducunt: ad castitatem autem conseruandam nihil magis vtile, C vel etiam necessarium est, quàm humore carnali siccato ariditatem quandam pericieiunia, & alias carnis mortificationes acquirere, vt simul adipe & pinguedine deuotionis repleatur anima, & corporis castigatione quodammodo exsiccatus homo vetus, siue exterior, discat cum sancto Hilarione cibum appetere, non libidinem. Ex quo etiam fiet, vt homo sic salubriter exsiccatus, facillimè inflammetur amore diuino, & iam non inuitus desinat cogitare carnalia, sed suaue illi sit cum sancto Augustino suauitatibus illis carere, inuenta nimirum, & prægustata suauitatę maiore, id est, cœlesti. Sed interim, si reformatio verè quæritur, necesse est occasiones omnes religiosis amputare, quæ thesaurum castitatis in periculum possunt adducere. Quartò vites ordine quodam in vinea D collocandæ sunt, vt videatur vinea, quasi castrorum acies ordinata. Nam & Poeta, agriculturæ magister canit, *Pone ordine vites*. Hic autem ordo vsque adeò necessarius, &, vt sic loquar, essentialis est in congregationibus religiosis, vt ipsę congregationes, ordines nominentur. Ordo autem in eo consistit, vt omnes regulam eandem sequantur, siue scriptam, siue viuentem, quæ est Præpositus, siue Abbas, siue Prior, siue Minister, siue Maior, siue Pater nominetur. Illæ autem verè sunt congregationes reformatæ, in quibus, vt loquitur sanctus Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ, *Præpositi* *De morib. Eccl. c. 30.* *magna in imperando auctoritate, & subditi magna in obediendo voluntate sunt prediti*. &, vt sanctus Bernardus scribit in libro de præcepto, & dispensatione, vbi omnes magistram regulam sequuntur, vt nihil omnino contra regulam, nihil contra Præpositi voluntatem, quæ est regula viuens, à subditis fiat, nisi fortè quod imperat Præpositus, contra manifestum Dei præceptum esse detegatur. tunc enim cum Apostolis liberè dicendum est, *Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus*. *Act. 5.* Quintò, vites humi repunt, nisi vlmo, vel palo, vel alio stabili fulcro adiungantur. Id verò significat, debere monachum in tam difficili, & perfecto vitæ genere de suis viribus omnino diffidere, & in auxilio Domini valdè confidere, memorem verborum Domini, *Sine me nihil potestis facere*. *Ioan 14.* & verborum Apostoli: *Omnia possum in eo, qui me confortat*. *Phil 4.* Sic enim fiet, vt semper in oratione defixus, & oculos habens ad Dominum, sub obedientiæ iugo non cadat, nec fatigetur, sed experiatur, iugum Domini, esse iugum suaue, & onus leue. *Math. 11.* Postremò vitis quamuis deformis, fragilis, distorta, & ad omnia ferè inutilis: tamen fructum gignit valdè pretiosum, & suauem, videlicet vinum, quod lætificat Deum, & homines: *Iud. 9.* sed si fructum hunc non ferat, tanquam lignum inutile, ad ignem adiudicatur. Ita prorsus homo religiosus, si sit, qualis esse debet, & munere suo rectè fungatur, fructum profert gratissimum Deo, & hominibus; quia in omni opere, & in omni loco, & in omni tempore Deum glorificat, & sacrificium obedientiæ illi defert. obedientia enim, quæ redditur præpositis propter Deum, Deo ipsi redditur, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. *Luc. 10.* porrò obedientiam sacrificium esse, & sacrificium Deo gratissimum docet Samuel cùm ait, *Melior est obedientia quàm victima*. *1 Reg. 15.* & rationem reddit sanctus Gregorius dicens: *Quia per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur*. *Lib 35. mor. ca. 10.* Cogitet igitur, & expendat qui potest, quàm ingentem aceruum meritorum apud Deum pius religiosus acquirat, qui quicquid agit, ex obedientia agit, ac per hoc tot quotidie offert sacrificia, quot facit opera, & contra cogitet, & expendat, quantum thesaurum meritorum amittat religiosus malus, qui vel præposito suo inuitus obedit, vel propria voluntate gaudens, præpositorum imperio, id est, Christi ipsius imperio parere detrectat.

Quæ cùm ita sint, omnes Præpositos ordinum religiosorum, & precor, & obsecro, vt, si ex animo deplorant ordinum suorum detrimenta, quæ ex relaxatione proueniunt: toto animo, & omnibus viribus in reformationem incumbant, & quos primi patres in Christo filios genuerunt, ipsi cum Apostolo Paulo, iterum parturiant, donec Christus pauper, & castus, & obediens reformetur in ipsis. *Galat. 4.* Acquirent enim, si hæc fecerint, coram Deo, & hominibus gloriam sempiternam: sin autem opus tam necessarium fortè neglexerint, reddent rationem Domino: & vtinam non rei fiant omnium peccatorum, quæ relaxatione durante, fiunt à regularibus sibi subiectis, & omnium scandalorum, quæ propter mala eorum exempla patitur populus Christianus: nec solùm populus Christianus, sed etiam populi

Turcarum, & hæreticorum, apud quos blasphematur propter nos nomen Domini, & Christi doctrina pessimè audit.

Ac vt redigam in quatuor capita, eaque breuissima, quæ ad reformationem necessaria sint. Primum illud esse aio, vt non admittantur ad habitum, nisi illi, qui signa veræ vocationis ostendunt. Deinde, vt probatio maximè seria sit, & qui in probatione diuinam vocationem non probauerunt, omnino ad professionem non admittantur. Nam vitæ Christianæ perfectio, quantò est altior, tantò pertinet ad pauciores. Legant ij, ad quos ista pertinent, Ioannem Cassianum in libro 4. de institutis renuntiantium cap. 3. 32. 33. & 34. Tertiò, vt sex virtutes suprà nominatæ diligentissimè excolantur, & Præpositi in omni virtutis genere exemplo suo præluceant. Denique vt dent omnem operam, vt sacrosancti Tridentini Concilij decretum illud saluberrimum, & maximè necessarium obseruetur, vt non plures ad ordinem admittantur, quàm qui sustentari possint ex redditibus, vel eleemosynis ordinarij: tunc enim Præpositi iure cogere poterunt subditos ad omnem proprietatem fugiendam, & execrandam, si ordo ipse singulis ea præbeat omnia, quæ singulis necessaria sunt. *Ideo* enim, vt sanctus Hieronymus scribit, *non licebat monachis antiquis aliquid petere, quia Præpositi necessitates singulorum, magna prouidentia, & charitate praueniebant.*

(Sess. 25. ca. 3.) (Epist. ad Eustoch. de custod. virgin.)

CAPVT VII.

De septimo fructu lachrymarum, qui est emendatio morum in populis.

MVltitudo sæcularium, vt est multò numerosior, quàm sit multitudo Clericorum, & regularium; sic etiam multò plures habent homines seculares, qui eorum curam gerant, quàm habeant clerici, vel regulares. habent enim Reges & Principes, qui vel per se, vel per Iudices à se constitutos abundantiam, & pacem in populis conseruent, quod postulabat à Deo Dauid, cùm diceret, *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Item habent eosdem Reges & Iudices, qui puniant reos, & protegant, ac tueantur iustos, iuxta illud eiusdem Prophetæ, *Deus iudicium tuum Regi da: & iustitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio.* Habent præterea Episcopos, & pastores à quibus regantur, & pascantur, in ijs, quæ pertinent ad doctrinam fidei, & opera bona, quibus Regnum cœlorum acquiritur: Habent denique Monachos, & alios regulares, à quibus per orationes, & sermones, & sacramentorum administrationes, tanquam Episcoporum adiutoribus, non mediocriter adiuuentur. Quia tamen plurimi sæculares his omnibus præsidijs vallati, perditis moribus suis & se, & alios perdunt, & materiam lachrymarum satis magnam cultoribus suis præbent: facilè poterunt Principes pij, & sancti Ecclesiastici, & Regulares verè Religiosi fructum non exiguum ex lachrymis suis carpere, si viscera misericordiæ induant, & condolentes perditioni tot millium animarum excitentur ad auxilium magna sollicitudine porrigendum. Id quod primum exemplo vitæ suæ, deinde vigilantia super populi mores, & facta præstabunt. Notum est, & omnium ore celebratum illud Ecclesiastici; *Qualis est Rector ciuitatis, tales inhabitantes in ea:* & illud Poetæ;

(Psal. 121.) (Psal. 71.)

Totus componitur orbis

Regis ad exemplum. Et si hoc verum est de Rege temporali, quantò magis verum erit de prælatis spiritualibus, quibus dicitur ab Apostolo Petro, *Forma facti gregis ex animo*, & ab Apostolo Paulo, *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum:* & ad Timotheum; *Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.* Incredibile dictu est, quàm facilè populus à luxu, à pompis, à conuiuijs nimium sumptuosis, à ludis alearum, vel taxillorum, à cæteris corruptelis auerterentur, si Principes, & Prælatos suos viderent delectari moderatione in rebus omnibus, & auersari superuacaneos sumptus in cœnis, in vestibus, in supellectili pretiosa, in vasis aureis, & argenteis. Et si diebus festis viri nobiles, ac potissimum Principes, vt in quibusdam prouincijs solent, nunquam omitterent, non solùm in publicis templis assistere solemni celebrationi sanctissimi sacrificij, sed etiam frequentare post meridiem officium vespertinum, cum multæ pietatis significatione: certè populus quoque honori sibi duceret, non versari festis diebus otiosos in foro, & multò minus vacare potationi in tabernis, sed frequentare templa, orationi insistere, verbum Dei audire, & alias probi Christiani functiones obire. Denique si Principes tam Ecclesiastici, quàm Politici magnam sollicitudinem gererent purgandi ciuitatem vitijs omnium generum, & ornandi virtutibus contrarijs, corripiendi inquietos, & hortandi pusillanimes, puniendi facinorosos, præmijs afficiendi bonos, laudibus ornandi benemeritos: certè difficilè non esset multos populares ad viam salutis reuocare, qui vigilantia Rectorum deficiente, turmatim ad inferos properant. Et quemadmodum Apostolus Paulus de subditis suis dicit, *Gaudium meum, & corona mea;* quoniam in spiritu cernebat incomparabile gaudium, & lucidissimam coronam sibi parari ex ea sollicitudine, qua tam multas animas Christo lucrifecerat: sic omnino boni Prælati, & boni Principes dubitare non debent, quin gaudio maximo, & pretiosissima corona donandi sint à Domino, si populum eius diligentia, & sollicitudine sua ad portum salutis adduxerint. Sed contra etiam timere eos necesse est, supplicium supra quàm dici potest horrendum, atque terribile, si negligentia ipsorum animæ pereant, pro quarum salute Christus sanguinem fudit.

(Eccl. 10.) (1 Petr. 5.) (Ad Tit. 2.) (1. Tim. 5.) (Phil. 4.)

CAPVT VIII.

De octauo fructu lachrymarum, qui est multiplex opus misericordiæ.

SCripsimus in libro superiore, verè præsentem vitam esse vallem lachrymarum, cum miserijs grauissimis, & plurimis ita redundet, vt nihil ferè præter miserias continere vi-

deatur. Quid enim est in hac vita vacuum miseria, si morbi, paupertas, & abiectio, siue seruitus magnæ miseriæ sunt; & eorum contraria, bona valetudo, diuitiæ, & dignitates, atque imperia miseriæ sint prioribus sæpè maiores? Veruntamen istæ ipsæ miseriæ, si misericordiam in nobis excitent, quemadmodum si attentè considerentur, excitare solent: plurimi, & maximi inde fructus existet. pariet enim misericordia, velut arbor fœcundissima, fructum eleemosynæ erga pauperes, consolationis erga ægrotos, exhortationis erga captiuos, & abiectos: preces ardentes pro periculis ingentibus, in quibus versantur diuites, beneualentes, & omnes in sublimitate constituti. S. Iob de se ipse
Iob 31. dicit, *Ab infantia creuit mecum miseratio: & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Audiamus nunc quos fructus pepererit ista miseratio. *Si negaui,* inquit, *quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. si despexi pereuntem, eo quòd non haberet indumentum, & absque operimento pauperem, si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est: humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur.* & ali-
Iob 29. bi: *Oculus fui cæco, & pes claudo, Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. conterebam molas iniqui: & de dentibus illius auferebam prædam.* hæc ille, qui non solùm adiuuabat pauperes, communicando cum illis bona sua, cibum, vestes, & alia id genus: sed etiam adiuuando consilijs, id enim significat illud, oculus fui cæco, & pes claudo: sed etiam defendendo ab oppressoribus, & calumniatoribus, quasi prædam eripiendo à dentibus bestiarum. Quanti autem sint meriti apud Deum opera misericordiæ, docent promissiones amplissimæ in scripturis sanctis: habet enim eleemosyna testimonium à sapientibus, à Prophetis, ab Apostolis, ab Angelis, à Deo. Salomon sapientissimus, in libro Prouer-
Prou. 28. biorum sic loquitur, *Qui dat pauperibus, nunquam egebit.* Id quod confirmat sanctus Basilius in oratione ad diuites, eleganti similitudine puteorum, ex quibus si frequenter aquæ hauriantur, semper copiosiores, & puriores emanant; si verò immotæ conseruentur, putrescunt atq; decrescit. Tobias ipse quoq; valdè sapiés,
Tob. 4. *Ex substantia tua,* inquit, *fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Deus bone, quanta est hæc promissio? Sed adiungit præterea idem Tobias, *Fiducia,* inquit, *magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* cui subscribit beatus Cyprianus in sermone de eleemosyna, dicens eam esse solatium grande credentium, & securitatis nostræ salutare præsidium. Daniel Propheta Regi in-
Dan. 4. fideli sic loquitur, *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsan ignoscet Deus delictis tuis.* Isaias Prophe-
Isaia 58. ta, *Frange,* inquit, *esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, ecce adsum.* hæc Isaias. Quæ promissio consolationem planè admirabilem continet. pollicetur enim Deus misericorditer eleemosynas largientibus, lumen diuinum mentibus, quale adferre solet oculis corporis sol manè exoriens: item sanitatem spiritualem voluntati, id est, purgationem à morbo peccati. Præterea opera bona, quæ sequuntur iustificationem, & gloriam, ac laudem, quæ inde sequitur apud Deum, & homines. hoc enim significant illa verba: *Anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget,* id est, *circundabit te.* denique promptissimum Deum ad exaudiendas preces. quod clarius explicat editio Septuaginta Interpretum, quæ sic habet: *Tunc clamabis & Deus exaudiet: adhuc loquente te dicet, ecce adsum;* id est, antequam finem imponas orationi, aderit Deus, vt exaudiat. Apostolus Paulus in priore ad 1. Timoth 6.
Timotheum, breui sententia multa complectitur, cùm admonet diuites vt facilè tribuant, & communicent, & thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. vbi eleemosynam vult esse pretiosum fundamentum veræ vitæ, quæ post hanc vitam erit. nam thesaurizare fundamentum veræ vitæ, nihil aliud est, nisi acquirere paucis nummis thesaurum incomparabilem, qui satis sit ad fundamenta ponenda, vel paranda, quibus nitatur fabrica æternitatis, seu vitæ sempiternæ, quæ sola est vera vita; quam enim nunc ducimus, ea nihil est, Iacob. 4.
nisi vapor vitæ ad modicum parens, & pretinus euanescens. Audiamus nunc testimonium Angeli Raphaelis loquentis ad Tobiam: *Eleemosyna,* inquit, *à morte liberat; & ipsa est quæ* Tob. 12.
purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam. Hæc Angelus sanctus, qui nos decipere non potest, cùm veritatem in fonte suo videat, & nos sincerissima charitate diligat. Denique Christus, qui sapientia Dei est, & Deus est, passim in Euangelio præmia maxima eleemosynæ pollicetur. *Vade,* inquit, Matth. 19.
vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Quis capiat, quale lucrum sit pro paucis panibus, vel nummis, quos omnino in morte dimissuri sumus, acquirere thesaurum in cœlis nunquam periturum? Idem Dominus Matth 25.
in Iudicio nouissimo, promittit se Regnum cœlorum daturum, nominatim ijs, qui cibum, vel potum, vel indumentum, vel hospitium, vel visitationem in ægritudine, vel in carcere tribuerunt. Ac vt intelligamus, hæc opera misericordiæ sibi gratissima fuisse, & mercedem incomparabilem meruisse, adiungit: *Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.*

Hæc igitur sunt testimonia diuina, atque certissima de promissionibus præmiorum, quæ per opera misericordiæ comparantur. Ex quibus intelligi potest, quantus sit fructus veræ misericordiæ erga proximum, quam flebilis consideratio egestatis, ægrotationis, & aliarum corporalium ærumnarum in corde meditantis excitare solet. Sed non minor existet

fructus misericordiæ, si quis attentè cogitet pericula diuitum, & Principum suarorum. Siquidem erga priores illos exercenda sunt opera misericordiæ corporalia: erga istos verò spiritualia, quæ sunt admonitio, consilium, oratio. Isti enim, vt de Martha loquitur Dominus, solliciti sunt, & turbantur erga plurima; vt vix otium inueniant legendi, vel audiendi, vel cogitandi quæ ad vitam æternã pertinent. Itaque indigent prudenti admonitore, qui eis opportuno tempore suggerat, quanti referat sæpe mentem reflectere ad ea, quæ præ manibus habent. Multi enim diuites toti sunt in conseruandis, & augendis opibus occupati, qui si aliquando seriò cogitarent, se à conditore Deo ad longè altiora opera, id est, ad multo maiores diuitias comparandas fuisse creatos; fortasse cum Salomone dicerent: *Cum me conuertissem ad vniuersa opera, quæ fecerant manus meæ* (videlicet ad palatia, hortos, piscinas, ad multiplicationem auri, argenti, ad armenta & magnos ouium greges, ad agros, & vineas, & prata, & syluas) *in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi: & nihil permanere sub sole.* Multi quoque sunt Principes, tum Ecclesiastici, tum seculares, qui sic distenduntur in alijs regendis, & gubernandis, ne dicam in amplianda iurisdictione, vel imperio, vt obliuiscantur animæ propriæ, & salutis æternæ: qui si admonitorem sapientem, ex Dei magna benignitate sortirentur, qualis fuit sanctus Bernardus erga Eugenium Papam, fortasse & res publicas felicius gubernarent, & propriam animam diligentius excolerent, & propter bona temporalia non amitterent semp. terna. Quod verò attinet ad consiliũ, magnum misericordiæ opus est, viris magnis non assentari, non loqui placentia, sed fidele consilium dare: & fortasse nulla re magis indigent viri magni, quàm fideli consiliario, qui non timeat vera loqui, & qui magis formidet excidere à gratia Dei, quam à gratia Principis. De hac re sic loquitur Ecclesiasticus: *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.* Quia videlicet pauci admodum inueniuntur consiliarij; qui sciant, & velint vtilia dare consilia, vt idem ipse Ecclesiasticus alio loco pluribus docet. Vbi præter alia, anteponit consilium viri sancti consilijs multorum sapientum. *Animus*, inquit, *viri sancti enunciat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Et in eodem loco idem auctor sapienter monet, vt non accipianus consilia ab ijs, qui ob inopiam, vel alia de causa possunt ad propriam vtilitatem consilium detorquere. *A consiliario*, inquit, *serua animam tuam. Prius scito, quæ sit eius necessitas: & ipse enim animo suo cogitabit.* hoc est, non sis facilis ad consilia capienda, nisi noueris integritatem consiliarij. Primum exquire, an aliqua egestate prematur, qui tibi offertur consiliarius: facile enim ille cogitabit, quomodo in rem suã consilium deriuet. Itaque magnum est opus charitatis, recta consilia Principibus dare; & magna felicitas est eius Principis, qui fideles consiliarios sortitus est. Neque excusantur Principes apud Deum, si ob infidelitatem consiliariorum, & administrorum Rempublicam non benè gubernent: quia tenebantur diligenter inuestigare, quales sint, quos ad consilium, & res gerendas adhibent.

Luc. 10.

Eccl. c. 2.

Ecclesi. 6.

Eccl 37.

Restat oratio apud Deum, quod est opus misericordiæ commune omnibus, & securum, & facile. De hoc officio loquitur Apostolus in priore ad Timotheum, dicens: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus.* Vbi Apostolus postquam dixerat, *pro omnibus hominibus*, subiungit, *pro Regibus*, &c. quia qui orat pro Regibus, & cæteris in sublimitate constitutis, non solùm orat pro vtilitate, vel necessitate propria Principum, sed pro vtilitate, vel necessitatibus omnium hominum. Siquidem à prudentia, & probitate Principũ pendet bona gubernatio, ac per hoc quies, & tranquillitas, pax, & abundantia, pietas in Deum, & charitas in proximos, atque adeo omnis humana felicitas. Sed est præterea specialis ratio orandi pro Principibus, siue secularibus, siue Ecclesiasticis, ingens periculum, in quo versantur omnes, qui sunt in sublimitate constituti. Nam qui in alto loco sedet, vel ambulat, facile est, vt capitis vertiginem patiatur, & cadat; & quò altius est præcipitium, tantò secum trahit grauius exitium. Certè si videremus funambulum aliquem ex edita turri ad aliam æquè editam turrim per funem properare; ex naturali commiseratione clamaremus, Domine adiuua illum, & ad funambulum, vide quomodo cautè ambules. Ac vt similitudinem grauiorem, & statui Principum, & Prælatorum magis accommodatam adducamus, si quis iter facere cogeretur per põtem angustissimũ, & sine spondis, cui flumen profundum, & horribile subiaceret, vt esset facillimum labi deorsum, & sursum emergere difficillimum: nemo certè eiusmodi spectaculũ cernere posset sine ingenti commiseratione, & horrore, & sine clamore ad illum, vt cautè ambularet, & ad Deum, vt eum de tanto periculo liberaret. Pons angustissimus est via iustitiæ, & virtutis: virtus enim est quasi indiuisibilis linea, à qua non licet ad dexteram, vel sinistram declinare, cum latitudinem nullam, aut vix vllam habeat: vnde Dominus ipse, viam ad vitam æternam arctam esse docuit, cum ait: *Quam angusta porta est, & arcta via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Porrò priuati homines per viam quidem angustam ambulant, sed humi positam, & iacentem, vt non sit periculum ventorum, qui eos deijciant, neque vertiginis, quæ caput debilitet, & impellat ad casum: Prælati verò, & Principes p pontem sublimem, & editum incedunt, vbi & ventus superbiæ regnat, & caput grauatum nimijs curis vertigini obnoxium habent; & si fortè labuntur, non in vicinam terram cadunt, sed in subiectum flumen magno impetu ruunt; & tam ingentium errorum, & criminum rei, vt in profundissimam gehennam facillimè demergantur. Et quis igitur nisi demens omnino talem celsitudinẽ desiderabit? & quis nisi fer-

1. Tim 2.

Matth. 7.

reus, vel lapideus non miserebitur statum tam periculosum? Et tamen necesse est, tam in Ecclesia, quàm in Republica esse homines, qui eiusmodi periculis exponantur. Proinde ad nos pertinet pro huiusmodi personis assiduè gemere, & ex vera miseratione hunc fructum colligere, vt ardenti charitate pro illis clamemus ad Dominum, qui potens est eos ab omni periculo liberare, faciens eos humiles in altitudine, iustos in iudicijs, fortes in periculis, patientes in laboribus, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ subditorum; denique pios erga Deum, iustos erga populos, sobrios erga seipsos.

Capvt IX.

De nono fructu lacrymarum, qui est refrigerium defunctorum.

Iam supra demonstrauimus, in locis purgatorijs animas fidelium defunctorum esse plurimas, ac penè innumerabiles; easque longissimo tempore supplicijs penè incredibilibus torqueri. Nunc fructum, qui ex ea consideratione decerpi potest, demonstrare volumus. Et quidem nemini dubium esse potest, quin ex ea consideratione, si seria, & prolixa, & attenta sit, & plena fide suscipiatur, exurgat vehementissima, & horroris plenissima cōmiseratio. Ex tali verò cōmiseratione dubitari nō pōst, quin existat in nobis desideriū ingens animas illas bonis, atque satisfactorijs operibus, oratione, ieiunijs, & eleemosynis, ac potissimum sacrosancta oblatione Dominici corporis, & sanguinis adiuuandi. Est autem planè admirabile, quàm lucrosa negotiatio, & tamen iustissima, atque honestissima, nobis inde proueniat. Eiusmodi enim negotiatio hæc est, qualis esset, si quis eandem pecuniam pluribus mercatoribus daret ad vsuram, & à singulis integrum fœnus acciperet. Explicem' hæc breuiter. Orat quis pro defunctis, ex charitate, attentè, piè, cum fide, & fiducia impetrandi. Hic per modum meriti acquirit pro se lucrum æternæ vitæ. Est enim oratio bonum opus, ac per hoc meritorium æternæ vitæ, si ex charitate fiat: de quo lucro loquitur Dominus in Euangelio, cum ait, *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*: mercedem vtique, quæ merito respondet. Deinde hæc eadem oratio per modum satisfactionis prodest animæ defuncti, pro quo funditur. Nam oratio est vnum ex operibus laboriosis, ac per hoc satisfactorijs; & cui per intentionem secundum vsum, & doctrinam Ecclesiæ, applicatur, illi prodest. Denique per modum impetrationis prodest eidem defuncto, cuius liberationem, aut certè refrigerium à Domino poscimus. Id enim, quod iusti petunt à Deo per Christum, facile impetrant, dicente Domino, *Petite & accipietis*. & rursum, *Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis*. & iterum, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. En igitur triplex lucrum

Math. 6.

Luc. 11. Marc. 11. Ioan. 16.

ex oratione pro defunctis. Sed addi potest etiā quartum. Siquidem animæ, pro quibus oramus, non erunt ingratæ, cum venerint in cœlestem patriam, sed vicem reddent orando pro nobis. Porrò ieiunium quoque defunctis applicatum multiplex lucrum acquirit. nam vt opus meritorium prodest ieiunanti, dicente Domino, *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*. Idem ieiunium, vt opus satisfactorium, applicatum defuncto, eidem defuncto prodest. Non enim sine causa Dauid, cum audisset interitum Saul Regis, & Ionathæ, & magnæ partis populi Dei, ieiunauit cum omnibus suis comitibus vsque ad vesperam. Denique prodest alio modo homini ieiunanti, quoniam animæ defunctorum, cum ad Regnum cœlorum peruenient, non obliuiscentur benefactorum suorum, sed orabunt pro eis, & eorum oratio exaudietur, quia ex perfecta charitate procedet.

Math. 6.

2. Reg. 1.

Iam vero eleemosyna triplicatum etiam lucrum adfert. nam primo prodest pauperibus, quibus dantur eleemosynæ; & eos amicos nobis facimus, vt cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. Deinde eleemosyna defunctorum animis applicata, refrigerium illis adfert, & eo beneficio ipsos quoque defunctos facimus nobis amicos, qui ius habent ad Regnum cœlorum, & nos sanctis precibus suis sine dubio adiuuabunt. Tertio facit nobis eleemosyna etiam Deum debitorem, dicente per Salomonem Spiritu sancto, *Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino*; & Christo in Euangelio confirmante, & dicente, *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*. Denique de sacrosancto sacrificio res est notissima, eam oblationem prodesse offerenti, vt donum Deo gratissimum, prodesse fidelibus viuentibus, & prodesse fidelibus defunctis. Illud etiam constat ex visionibus fide dignis, nihil magis expetere, & desiderare fideles defunctos, quàm vt pro refrigerio, vel liberatione sua offeratur Domino cœlestis oblatio corporis, & sanguinis Christi. de qua re legendus est S. Gregorius libro 4. dialogorum capite 75. & sequentibus. legenda quoque historia Anglicana venerabilis Bedæ libro quinto, capite tertiodecimo: & legendæ epistolæ Petri Damiani ad Desiderium, ac denique legenda vita sancti Nicolai de Tolentino apud Laurentium Surium, tomo quinto, ad diem Septembris decimam. Illi enim beato sacerdoti ostensa fuit aliquando ingens multitudo animarum, quæ supplici, & lacrymabili voce poscebat ab eo sacrosancti mysterij celebrationem, tanquam pœnarum purgatorij remedium principale. Habemus igitur, lucrum incomparabile posse nos acquirere, si pro defunctis orationes assiduè fundamus, vel eleemosynas pro ipsorum refrigerio pauperibus largiamur, vel pro eis ieiunem', alijsque pœnitentiæ operibus satis-

Prou. 19.

Math. 6.

facia-

faciamus, vel sacrificium Missæ pro eorum liberatione Domino offeramus. Sed multi sunt, qui prudentes sibi esse videntur, qui ista vel non credunt, vel non considerant, & ideo prætermissa hac vtilissima negotiatione, pecunias vel recõdunt, vel consumunt in vsus malos: & hoc modo pecunias perdunt, & ipsi pereunt; & diuitiæ, quæ poterant illis esse gradus ascensionis in cœlum, fiunt gradus descensionis ad inferos. At inquiunt, ista negotiatio imaginaria nobis esse videtur, pecuniæ vero nostræ videntur, & tanguntur, & vsibus humanis multis, magnisque deseruiunt. Ita loqui decet homines, qui sensibus corporis omnia metiuntur. Sed rogo te, quicumque es animalis homo, quando triticum seminas, certe triticum quod vides, perdis: & fructum, quem non vides in messe colligendum expectas. At video, inquies; si non in re, saltem in spe. sic & ego dico tibi, pius Christianus videt in spe lucrum inæstimabile ex modica eleemosyna, quæ pauperibus hic tribuitur: in hoc tamen est magnum discrimẽ, quod spes tua incerta est, quia potest impediri per nimiam siccitatem, per nimias pluuias, per vermes, brucos, locustas, nebulas; & triticum ipsum iam collectum, & congregatum in horreum, per fures rapi, per mures corrodi, per humorem corrumpi potest. Spes autem pij viri, qui fœneratur Domino, cum miseretur pauperum, certissima est, neque vllo modo corrumpi potest, nisi illam peccando ipse corrumpat. Verbum enim Domini manet in æternum. Ac vt loquamur de negotiatione pecuniarum, si fortè tribuas mercatori nummos aureos mille, vt in eis negotietur pro se, & pro te; nõne multis periculis pecunias tuas exponis? nonne potest fieri vt mercator ille cum omnibus mercibus mergatur in mari, vel spolietur à piratis, vel per terram iter faciens incidat in latrones, vel ipse idem spe maioris lucri te circumueniat, & ad inopiam redigat? certe ista pericula quotidiana sunt, & non vnus, aut duo, sed plurimi, dum sperant ex negotiatione diuitias magnas, coguntur bonis cedere, & ad magnas rei familiaris angustias rediguntur. At ex negotiatione cum Deo nulla pericula timenda sunt: neque ex largitione eleemosynarum, siue ad ipsos inopes reficiendos, siue ad refrigerium defunctis afferendum, vllus vnquam ad inopiam redactus fuisse legitur: Deus enim, qui se à nobis liberalitate vinci non patitur, miris modis opes eorum adauget, quos pronos ad largiendum pauperibus videt. Exemplum nobis Saluator ostendit in multiplicatione panum, & piscium. Quoniam enim Apostoli quinque panes, & duos pisces, quos solos habebant, & qui eis sufficere vix potuissent, libenter obtulerunt in cibum pauperis turbæ: omnipotentia sua fecit Christus, vt turbis cibo abundè refectis, superessent cophini duodecim pleni fragmentis panum, & piscium, qui discipulis ad multos dies ad cibum satis esse potuerunt. Multa exempla similia in historijs de vita Sanctorum inueniri possunt: sed instar omnium esse poterit historia Leontij Episcopi, in qua describitur vita sancti Ioannis Eleemosynarij. Videtur enim Deus cum illo sancto viro quasi certamen instituisse, vtrum plus posset Ioannes pauperibus distribuere, an Deus Ioanni largiri, vt semper haberet in promptu vnde distribueret. Sed hæc de fructu misericordiæ erga defunctos satis esse poterunt.

Ioan. 6.

Caput. X.

De decimo fructu lacrymarum, qui est contemptus mundi, & amor Dei.

Ex lacrymis, quæ fluunt ex amore summi boni, cum ardenter desideramus videre faciem Dei, in qua visione salus æterna, & felicitas vera consistit: nasci solet fructus duplex, contemptus mundi, & sollicitudo continua placendi Deo. Ac de contemptu quidem mundi, quod oriatur ex ardenti amore Dei, res est apertissima, atque certissima. Primum enim habemus Christi sententiam in Euangelio, ***Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.*** Qui sint autem duo Domini docet, cum adiungit, ***non potestis Deo seruire, & mammonæ.*** per mamonam verò intelligit diuitias, siue potius concupiscentiam diuitiarum. Quod etiam dici potest de concupiscentia carnalium voluptatum, & de concupiscentia honorum, ac dignitatum. ex his enim tribus concupiscentijs componitur mundus, non mundus, qui complectitur cœlum, ac terram, & res alias à Deo creatas, de quo dicitur, ***Et mundus per ipsum factus est:*** sed mundus, de quo idem sanctus Ioannes ait, ***Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*** & paulo ante, ***Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*** Itaque duo Domini sunt Deus, & mundus, qui diligit Deum, odit, & contemnit mundum; qui diligit mundum, odit, & contemnit Deum. Et potest rectissimè dici de his duobus amoribus, quod sanctus Augustinus dicit de amore sui, & de amore Dei, ***Fecerunt***, inquit, ***ciuitates duas amores duo, ciuitatem terrenam amor sui vsq; ad contemptum Dei; & ciuitatem Dei, amor Dei vsque ad contemptum sui.*** Amor. n. sui, siue amor proprius idẽ significat, quod cõcupiscentia triplex, carnis, diuitiarum, & honorũ. Amor enim sui radix est vnde tres illi venenati rami, tres videlicet concupiscentiæ oriuntur. Perspicuum est igitur ex doctrina supremi magistri, ex amore Dei nasci contemptum mundi, & ex amore mundi nasci contẽptum Dei. Ex quo sequitur, vt ij, qui ardenter diligunt Deum, ardenter etiam mundum oderint, & contemnant, ac nihili faciant. Hoc ipsum quod Christus docet, docent etiã exempla Sanctorũ: nulli enim verè sancti fuerunt, qui mundũ non valde contẽpserint. Christus ipse Rex, & Princeps omniũ sanctorum nihil commune cum mundo habere voluit, non diuitias, non delitias, non pompas, non commoda

Matth. 6.

Ioan. 1.

1 Ioan. 2.

Aug. lib. 14. ciuit. cap. 28.

moda vlla, sed labores assiduos, & dolores acerbissimos. Præcursor Domini sanctissimus in locis desertis habitans non modò diuitias, & delitias non habuit, sed neque domum, neque vestes, neque cibos hominum habuit, contentus cilicio ex pilis camelorũ pro vestibus, & locustis, ac syluestri melle pro cibo. Quid Apostoli? nonne beatus Paulus de omnibus suis Coapostolis dicit; *Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tanquam morti destinatos.* Et mox: *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus.* Et paulò post: *Facti sumus omnium peripsema*, id est, ramenta, & res vilissimæ, quæ proijciuntur, & conculcantur. En quàm longè aberant à gloria mundana, qui tanquam purgamenta huius mundi habebantur; cùm tamen essent in summo pretio apud Deũ, & Angelos eius. Omitto exempla Episcoporũ, sancti Martini, & aliorum, qui Christi paupertatem sectantes, nihil cum mundo voluerunt habere cõmune. Omitto Eremitas, Antoniũ, & similes, qui separati à mundo, vix necessaria ad vitã sustentandã capiebant: necnon Cœnobitas, Benedictũ, Franciscum, & alios innumerabiles, qui de paupertate, & humilitate inter se certare videbãtur, quemadmodum de diuitijs, & gloria certant, qui sunt de mundo. Omitto sanctos cæteros, qui ex amore diuino mundi delitias, & gloriam libentissimè contempserunt. Accedit postremò etiam ratio manifesta: nam qui aliquid valdè amant, illud ijs optimum, & pulcherrimum apparet: & alia omnia quasi sordent, ac si parua, & deformia, ac despicabilia essent. Scribit sanctus Augustinus de amico, & coæuo, & ciue, quem vnicè diligebat, *Suauis mihi erat super omnes suauitates istius vitæ meæ.* Deinde addit, quid egerit eo defuncto: *Dolore*, inquit, *contenebratum est cor meũ: & quicquid aspiciebam, mors erat. Et erat mihi patria supplicium, & paterna domus mira infelicitas. Expetebant eum vndique oculi mei, & non dabatur mihi: & oderam omnia, quia non haberent eum.* Hæc ille, qui satis apertè dicit, se ob amorem amici defuncti, odisse alia omnia, quia non habebant eum. Quod si faciebat hoc amor amicitiæ, quid fecisset amor concupiscentiæ, violentior, atq; tenacior? Et si hoc facit amor rei creatæ: quid faciet amor Dei, qui ipsa est pulchritudo, ipsa suauitas, ipsa nobilitas, ipsa celsitudo, ipsa opulentia, ipsa bonitas? Illi experiuntur, qui remoti à negotijs, in sancto otio, puris mentibus & purgato cordis oculo radios illius lucis accipere digni inueniuntur. Neque tam miror, quod in mentis excessum rapiantur, quàm quod post excessum illum, aliquid aliud videre, vel cogitare sustineant. Magnus planè hic fructus lacrymarum est, qui mentẽ humanam liberare potest à visco tenacissimo concupiscentiæ mundialis. Sed non minus pretiosus fructus est sollicitudo placendi Deo. Qui enim Deum non diligunt, aut non valdè diligunt, parum solliciti sunt, an ea quę faciunt, aut loquũtur, aut operantur, probet, vel improbet Deus. Ideo peccata peccatis quotidie addunt: sed qui Dei gratiam magni faciunt, atq; eum ardenter diligentes, ab eo diligi vicissim cupiunt, solliciti semper sunt quomodo ipsi, omnia sua placeant Deo. Hoc Deum velle Michæas admonet, cum ait: *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Virtus perfecta est miscere iustitiam cum misericordia, quia iustitia sine misericordia in crudelitatem degenerat, & misericordia sine iustitia in dissolutionem. Vt autem aliquis integrè iustitiam cum misericordia seruet, nihil est vtilius, quàm sollicitum ambulare cum Deo suo, id est, semper habere Deum præsentem ante oculos cordis, & sollicitè scrutari in omni verbo, & opere quid illi placeat. Hoc imperauit Dominus amico suo Abraham, dicens: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Hoc adimplebat Elias, cùm dicebat: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto.* De hac re sollicitus erat Apostolus, cùm diceret: *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum: & ideo contendimus, siue absentes, siue præsentes placere illi.* Verè enim nihil magis excitat sollicitudinem seruiendi, & placendi Domino, quàm verus, & magnus amor Dei, & desiderium adipiscendi illum, & in illo æternam requiem, & verissimam felicitatem.

Marginal notes: 1. Cor. 4. — Lib. 4. confess. cap. 4. — Mich. 6. — Gen. 17. — 3. Reg 17. — 2. Cor. 5.

CAPVT XI.

De vndecimo fructu lacrymarum, qui est timor Domini castus, & filialis.

DVo postremi lacrymarum fontes, qui sunt incertitudo præsentis gratiæ, & futuræ perseuerantiæ, producunt fructum valde salutarem, timorem videlicet, & tremorem, qui necessarij sunt ad beatitudinem obtinendam. Neque hoc loco loquimur de timore seruili, aut initiali, sed de timore sancto, & casto, quem habet sponsa, quæ amat præsentiam sponsi, & timet absentiam, non qualem habet adultera, quæ amat mariti absentiam, & timet præsentiam. De hoc sancto timore dicit Apost. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini.* Et multò ante Propheta Dauid: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Et alio loco: *Timete Dominum omnes sancti eius.* Et: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis.* Neque alia de causa Deus voluit esse incertam gratiæ præsentiam, & perseuerantiam in bono, nisi ad excutiendum torporem, & ingenerandum timorem; & ad elationem vitandam, & humilitatem sectandam. De qua re sic loquitur Sanct. Augustin. in libr. de correptione, & gratia: *Propter huius vtilitatem, secreti multa dicuntur, ne fortè quis extollatur; sed omnes, etiamsi benè currant, timeant, dum occultum est quò perueniant.* Sed quanquã certitudo de præsentia gratiæ, & perseuerantia hic in peregrinatione haberi non possit: non ideo tamen pij viri nimis anxij, & quasi desperabundi esse debent. Non enim desunt ijs, qui cum bona conscientia, & sollicitudine Domino seruiunt, signa siue argumẽta mul-

Marginal notes: Philip. 2. — Psal. 2. — Psal. 33. & Psal. 110. — De corrept. & grat. c. 13.

ta, vnde confidant, & in spe gaudeant, se à Domino diligi, & in finem vsque cum Dei adiutorio perseueraturos. Sic enim loquitur S. Bernard. in sermone primo de Septuagesima: *Quis potest dicere, ego de electis sum? ego de predestinatis ad vitam? certitudinem vtique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos.* Et in epistola ad Thomam Præpositum: (*Epist. 207.*) *Datur*, inquit, *aliquid presentire de sua ipsius futura beatitudine, quemadmodum ab æterno latuit in iustificante, plenius appariturum in beatificante, de qua tamen iam percepta sumet ex parte notitia, interim quidem glorietur in spe, nondum tamen in securitate.* Neque solus sanctus Bernardus in tota illa epistola mirificè consolatur eos, qui nimia tristitia quasi absorbentur ob incertitudinē gratiæ, vel perseuerantiæ, sed etiam Spiritus S. in Scripturis diuinis docet, ex bona cōscientia ex contritione, ex caritatis actibus, ex patientia in aduersis nasci lætitiam, & spem magnā salutis, & eiusmodi pignora, quæ satis sint ad animum à timore nimio liberandum. Nam de bona cōscientia scribit Apostolus: (*2. Cor. 1.*) *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostræ.* & sanctus Ioannes: (*1. Ioan. 3.*) *Si cor nostrum, inquit, non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum.* De contritione scribit Salomon: (*Prou. 14.*) *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur alienus.* Verè enim creabiliis lætitia oritur ex eo, quod quis sentiat, se amarissimè peccata sua deflere. Porrò charitas nihil prius gignit, quàm pacem & gaudium, sic enim loquitur Apost. (*Gal. 5.*) *Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax.* Denique ex patientia solidissima oritur consolatio. *Tribulatio*, inquit Apostol. (*Rom. 5.*) *patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Et (*2. Cor. 7.*) *Repletus sum consolatione, superabūdo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et S. Iacobus: (*Iacob. 1.*) *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis; scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia verò opus perfectum habet.* Et ante hos omnes Propheta Dauid: (*Psal. 93.*) *Secundum multitudinem dolorum meorū in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Hęc pauca adscribere volui, vt lectores intelligant, sic à nobis laudari timorem, tanquam optimum fructum lacrymarum, vt non excludamus fiduciam; & sic laudari fletum, & suspiria, vt non excludamus gaudium, & lætitiam. Spes enim, & gaudium spiritus ab eodem Spiritu S. procedūt, à quo procedit timor Domini, & gemitus columbæ.

CAPVT XII.

De duodecimo fructu lacrymarum, qui est, facilis impetratio donorum diuinorum.

POstremus lacrymarum fructus est earum valor, & pretium, vix enim credi potest, quantā vim habeant lacrymæ apud Deū. Id primum demonstrari potest ex verbis, & modo loquendi Scripturarum sanctarum. In lib. 1. Reg. (*1. Reg.*) Anna Samuelis mater post longam sterilitatem, orauit ad Dominum, & impetrauit prolem, eamque valdè insignem, videlicet Samuelem Prophetam, & Iudicem totius

A populi; virum sanctissimum, & nobilissimum. Ac vt indicaret Scriptura, quæ fuerit causa potissima impetrationis, addit, *flens largiter*. Itaq; non orauit solum Anna, sed orauit flens largiter, atq; illa fuit pluuia, quæ germinare fecit sterilē agrum. In Psalmis Dauid sæpè dicit, Deum non tam orationem audiuisse, quam lachrymas vidisse, vel vocem lacrymarum audiuisse. (*Psal. 55.*) *Posuisti*, inquit, *lacrymas meas in conspectu tuo.* & alibi: (*Psal. 38.*) *Auribus percipe*, inquit, *lacrymas meas.* In quē locū Cassiodorus scribens nō timuit dicere, violentas esse in precibus lacrymas. Ezechias Rex, Isaia teste, (*Isa. 38.*) ægrotauit ad mortem, & orauit ad Dominum, & fleuit fletu magno: statim aūt Dominus Ezechiæ per Isaiā respondit, *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. Ecce ego adijciam super dies tuos 15. annos.* B Sed insignis locus est apud Ecclesi. (*Eccl. 35.*) *Non despiciet Deus preces pupilli: nec viduam si effundat loquelam gemitus.* admiranda prorsus vis lacrymarum apud Deū: cùm tam apertè promittat Spiritus S. non contemnendā à Deo viduā, si lacrymis potius, quam verbis loquatur. Pergit ibidē Ecclesiasticus *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillā descendunt, & exclamatio eius super deducentē eas?* Hoc est, lacrymæ quidē ad maxillā descendunt; sed exclamatio viduæ per vocē lacrymarū ascendit ad Deū contra eū, qui viduā opprimens, ab ea lacrymas exprimit. Quod clarius habetur in seq. versic. qui videtur esse superioris explicatio. *A maxilla enim*, inquit, *ascendūt vsq; ad cœlū, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*; id est, lacrymæ descendunt ad terrā, sed virtus earū C ascendit vsq; ad cœlū; ad aures videlicet Domini sabaoth, qui non delectabitur in illis. vel (vt alij codices habent) *delectabitur in illis.* Vtraq; enim lectio vera est, siquidē non delectatur De⁹ in lacrymis viduę, quatenus earū causa est crudelitas opprimentis: sed in eis delectatur, quatenus sunt orationis condimentū, qui n. orat cum lacrymis, testatur se serio orare, & adiutoriū altissimi toto corde implorare. Huc pertinet quod Matri S. Aug. assiduè, & vbertim flenti corā Deo, vt conuersionē eius ab hæresi Manichæorū ad fidē Catholicā impetraret, quidā pius Episcopus dixit, (*Lib. 3. conf. c. 11*) *Vade à me, ita viuas: fieri enim nō potest, vt filius istarū lacrymarū pereat.* quod illa sic accepit, quasi oraculū de cœlo sonuisset. D Addā postremò verba S. Athanasij in vita S. Antonij, vbi describens efficaciā lacrymarū S. Antonij apud Deū, *Ad primas*, inquit, *rogantis lacrymas, in orationis loco fons ebulliēs erupit.* patiebantur n. monachi penuriā aquæ in eremo: sed B. Antonius paucis lacrymis fontem aquarum continuò impetrauit.

Atque hæc de efficacia lacrymarū, quibus si adiungantur, quę supra scripsimus in 1. cap. huius libri, mirū erit, si lector non vehementissimè admiretur potētiā, & efficaciā lacrymarū.

Restant pauca de pretio, & dignitate lacrymarum, quę ex vno S. Gregorio peti possunt. Is enim explicat in homilia postrema super Ezechielem mysteria duorū altarium, quæ erant in templo Domini, quorū vnum erat in atrio æreū, in quo cremabantur carnes hostiarū, alterū aureū in ipso tabernaculo ante arcā, in quo cremabantur aromata. Scribit autē hic beatissimus Doctor, altare æreum esse homines

pæni-

pœnitentes, qui ex timore pœnæ lacrymas fundunt: altare aureum esse viros perfectos, ex quorum cordibus lacrymas exprimit amor diuinus. Sed ipsum Doctorem magnum audiamus. *Quid est*, inquit, *fratres charissimi, quod foris cremantur carnes, intus aromata; nisi hoc, quod quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera? Quia alij adhuc per timorem plangunt, alij verò iam se per amorem in lamentis afficiunt. Multi namque peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna pertimescunt, quotidianis se lacrymis affligunt: plangunt mala, quæ fecerunt, & incenduntur vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur. Quid isti, nisi altare sunt æreum, & in quo carnes ardent, quia adhuc ab eis carnalia opera planguntur? Alij verò carnalibus vitijs liberi, aut longis iam fletibus securi, amoris flamma in cõpunctionis lacrymis inardescunt, cœlestis patriæ præmia cordis oculis aspiciũt, supernis iam ciuibus interesse concupiscunt: dura eis apparet seruitus, longitudo peregrinationis suæ: Regem in decore suo videre desiderant, & flere quotidie ex eius amore non cessant. Quid isti nisi altare sunt aureum, in quorum corde aromata incensa sunt, quia virtutes ardent?* hæc ille? Ex cuius verbis colligimus, lacrymas sanctas esse sacrificium acceptabile Domino: iuxta illud Prophetæ, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* (Psal. 50.) Et quidem lacrymas pœnitentium esse sacrificium agnorum, & arietũ in altari æreo atque in atrio crematorum: sed lacrymas amoris, ac desiderij videndi Deum, esse sacrificium aromatum pretiosorum in altari aureo, in ipso propitiatorio incensorum. Quo sacrificio nihil est pretiosius, nihil sublimius, nihil Deo gratius, vel magis acceptum. Sacrificium.n. offertur soli Deo in signum supremæ illius maiestatis: & de passione Christi, quæ mundum reconciliauit Deo, dicit Apost. (Ephes. 5.) eam fuisse oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis. Quamuis autem omnia vera

A sacrificia fuerint acceptissima Deo, quippè supremam eius celsitudinem protestantia: tamen super omnia gratissimum fuit, vtpotè nobilissimum & purissimum sacrificiũ thuris, quod solus Pontifex semel in anno intra propitiatorium, & in altari aureo efferebat, vt Apost. explicat in Epist. ad Heb. (Exod. 30. Leuit 16. Heb. 9.) Cogita igitur quam gratæ sint Deo lacrymæ pœnitentium, quæ sacrificijs comparantur; & cuius pretij sint lacrymæ perfectorum, ex amore, & desiderio prodeuntes, quę cum sacrificio thymiamatis omnium nobilissimo conferuntur. Hæc igitur B est dignitas, hæc excellentia, hoc pretium lacrymarum. Quod si mortales perpenderent, ac serio cogitarent: intelligerent profectò beatos esse qui lugent, & lacrymas sanctas pro nullis sæculi voluptatibus, siue delicijs commutarent.

Claudere placet hunc librum verbis B. Laurentij Iustiniani, (Lib. ligni vitæ de orat. cap. 9.) *Nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non, quod postulauit, acceperit. Nullus ab eo beneficia dolenter optauit, qui non impetrauit. Ipse est enim, qui consolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat.* C *O lacryma humilis, tua est potentia, tuum Regnum. tribunal Iudicis non vereris. amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis. Non est, qui te ad Deum accedere vetet. si sola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotẽtem, inclinas filiũ Virginis, aperis cœlum, fugas diabolum. Tu cibus animarum, roboratio sensuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium, virtutum præmiũ, gratia socia, refectio mentium, & lauacrum culparum. Tu odor vitæ, sapor spiritus, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ; reconciliationis iucunditas,* D *serenatæ conscientiæ sanitas, & electionis æternæ spes valida. Qui te orationis suæ comitem habebit, gaudeat, quia post orationem securus abibit. Amen.*

* *
*

FINIS.



INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM COPIOSISSIMVS.

A.

Character

Electio-

F.

G.

H.

I.

numie-

Purga-

Spiritus

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ QVI HOC TOMO EXPLICANTVR.

FINIS.

